Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Confessio illustrissimi Principis ac Domini, D. Christophori ducis VVirtenbergensis et Theccensis, comitis Montbeligardi &c.

https://hdl.handle.net/1874/431145



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. fo.
25



17.

t.

NITIVM EVAN
GELII IHV
XPI.

Filii dī: sicut scriptū
est in isaia propheta.
Ecce ego mitto anglm
meū ante faciem tuam:
qui preparabit uiā tuā
ante te. Vox claman
tis in deserto: parate
uiam dnī. rectas facite
semitas eius. Fuit io
hannes in deserto bapti

Erat q̄ cū bestiis: [illegible]
iohannes: uenit ihc̄ in galileam.
Predicans euangeliū regni dī &
dicens. qm̄ impletū est tempus &
appropinquabit regnū dī: penite-
mini & credite euangelio. Et p̄teri
ens secus mare galilee: uidit simo
nem. & andream frēm eius mitten
tes retia in mare. Erant enī pisca
tores. Et dixit eis ihc̄. Uenite
post me: & faciam uos fieri pisca
tores hominū. Et protinus relictis
retibus: secuti sunt eum. Et pro
gressus inde pusillū: uidit iaco
bū zebedei & iohannē frēm eius
& ipsos in naui componentes retia
& statim uocauit illos. Et relicto
patre suo zebedeo in naui cum
mercennarius: secuti sunt eum.

Miscellanea Theologica

Folio nº. 25.

N. 27. B.

Nº 110 fl.

CONFESSIO ILlustrissimi Principis ac Domini, D. CHRISTOPHORI DVCIS VVIRTENBERGENSIS ET THECCENSIS, COMITIS MONTBELIGARDI &c. VNA CVM APOLOGETICIS SCRIPTIS, QVORVM AVTORES SVNT,

IOANNES BRENTIVS.
IACOBVS BEVRLINVS D.
IACOBVS HEERBRANDVS D.
IOANNES ISENMANNVS, ABBAS IN BRENtianhausen.
THEODORICVS SNEPFFIVS D.

Sunt autem hęc scripta in duos Tomos diuisa, quorum quid quisq; contineat, sequens pagella indicabit.

Tomus prior.

FRANCOFORTI apud Petrum Brubachium,
Anno 1561.

ACADEMIA MARBURGENSIS

Prior Tomus continet

Confeſsionem Principis.
Aſſertionem Catholicæ fidei, autore Petro à Soto.
Prolegomena in Apologiam.
Apologiam, qua tribus Pericopis refutatur Aſſertio Soti, autore Ioanne Brentio.
Defenſionem Catholicæ Confeſsionis aduerſus Prolegomena Brentij, autore Petro à Soto. &c.

Poſterior Tomus continet

Epiſtolam Ioannis Brentij ad Illuſtriſsimum Principem Ducem Vuirtenbergenſem, è Vuormacia ſcriptam.
Antidota & Apologetica ſcripta Profeſſorum Theologiæ in Schola Tubingenſi, &c.

DEI GRATIA,
Christophorus Dux Vuir
TENBERGENSIS, ET THECCENSIS,
Comes Montbelgardi,
&c.

Agnæ & graues causæ sunt, quæ nos impulerunt, ut hanc nostræ fidei Confessionem, unà cum Apologeticis nostrorum Theologorum scriptis, publicè in lucem ederemus, & Ecclesiæ filij Dei legendam exhiberemus. Extat quidem Confessio Augustana, quam, ut piam & scriptis Propheticis ac Apostolicis consentaneam amplectimur, ita iam antea nos ei adscripsimus. Sed cùm Tridentinus Conuentus, Anno Millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo celebraretur, & ratio fidei, à singulis Germaniæ Principibus, præsertim ab ijs, qui genus doctrinæ multis annis usitatum, & aliquot ueteres ritus in ecclesijs suis mutauerant, peteretur, res in eo tum statu erant, ut nobis peculiaris Confessio conscribenda, & Tridentino Conuentui exhibenda esset, qua tamen tantum abest, ut ab Augustana Confessione recesserimus, ut eam potius compendio quodam complecti & repetere uoluerimus. Visum igitur est in præsentia, illam nostram Confessionem, non nudam, sed suo præsidio munitam, in medium proferre, & diuulgare. Nam, cum diuino fauore, & clementia, non solum asciti simus ad agnitionem filij Dei Domini nostri Iesu Christi, & cooptati in sortem cœlestis hæreditatis, quo beneficio homini nihil maius, nihil beatius contingere potest, uerum etiam uocati ad gubernandam regionem nobis hæreditario iure commendatam, cogitamus nostrarum esse partium, ut gratitudinem & obedientiam animi nostri, Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, quaqua ratione possumus, testificaremur. Inter multa autem & uaria gratitudinis officia, non uidemus, quid hoc tempore maius, & Deo acceptius præstare queamus, quàm ut publica uerè piæ ac cœlestis doctrinæ confessione, nomen Dei celebremus. Lau

dabo, inquit Rex Dauid, nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo super uitulum nouellum, cornua producentem & ungulas. Et iterum: Laudent, inquit, nomen Domini reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ.

Et quia boni Principis officium esse agnoscimus de Republica suæ regionis benè mereri, & publicam pacem ac tranquillitatem, pro sua uirili conseruare, atque hostium uim arcere, non possumus meliorem præstandi huius officij rationem excogitare, quàm ut in hanc curam & studium incumbamus, quo populus in uerè pia doctrina rectè imbuatur, & ad ueram agnitionem filij Dei perducatur. Alij alia habent consilia, quibus regna sua aduersus insultum hostium muniant. Nos uerò iudicamus institutionem & conseruationem uerè piæ & cœlestis doctrinæ, optimum ac fortissimum esse regnorum munimentum. Esaias Propheta, è regia familia natus, alloquitur Ecclesiam filij Dei, Gens, inquiens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes, (quæ tibi sua non præstant officia) solitudine uastabuntur. Qua autem ratione utilius seruiemus Ecclesiæ Dei, & conseruabimus nostram regionem, tot ecclesijs refertam, quàm si curauerimus, ut ministerium Euangelij sit incolume, & ueritas cœlestis doctrinæ, cuius epitomen in hac nostra Confessione proponimus, rectè & diligenter tradatur? Metuebat quondam Rex Iudææ, Herodes, ne si Christus regnaret, regno ipse excideret. Quare persequebatur eum cruentissimo consilio, & expellebat eum in exilium. Sed quod impius metuit, hoc accidit ei. Regnum Christi promouit, & tyrannus extinctus est. Quare, cùm cupiamus Regionem, nobis à maioribus nostris in manus traditam, non solùm incolumem conseruare, uerumetiam florentiorem reddere, suscepimus curam eius rei, hoc est, ostendendæ & propagandæ piæ doctrinæ, qua sola, regna uerè stabiliuntur & illustrantur. Accedit & illud, quòd his temporibus, seu suo quodam ecclesiæ fato, seu hominum intemperie, multæ passim corruptelæ cœlestis doctrinæ, & uaria sectarum genera in ecclesiam inuadant, aut potius incurrant. Voluimus igitur hoc scriptum in conspectum proferre, ut non tam alij cognoscerent, quod doctrinæ genus nostræ ecclesiæ profiterentur, quàm ut noster populus haberet, quod in hoc dissidio sequeretur, & sciret, à quibus erroribus sibi cauendum esset. Magna hominum pernicie fit, si aut fons,

unde

unde omnes bibunt, ueneno inficiatur, aut publica moneta adulteretur. Multo autem maiori fit pernicie, si cœlestis doctrina, è qua salus uniuersæ ecclesiæ pendet, uanitate & impietate corrumpatur. Constituimus igitur hoc nostræ Confessionis scriptum, quod paucis summam piæ doctrinæ continet, proponere, ut fontem uerè salutaris doctrinæ, purum atque integrum in ecclesijs nostræ regionis conseruaremus, & monetam, quæ nobis imaginem cœlestis Patris refert, à corruptione, (quod in nobis est) tueremur. Simul etiam ut hoc scriptum diceret testimonium ad posteritatem, nos nihil, quantum eniti potuimus, prætermisisse, quin Ecclesiam filij Dei iuuaremus. Eodem consilio facilè passi sumus, ut Apologeticis huius Confessionis scriptis adiungerentur scripta aduersarij, quo ex collatione ueritas illustrior redderetur. Quod officium speramus non solùm Deo gratum esse, uerumetiam Ecclesiæ filij Dei sanè quàm profuturum.

LOCI PRAECIPVI QVI TRACTAN-
tur in Apologiæ tribus Pericopis.

De Deo & tribus in una diuinitate personis. 271
De filio Dei. 273
De Spiritu sancto. 276
De peccato. 278
De libero arbitrio. 280
De iustificatione. 285
Quòd homo propter suas uirtutes non sit coram Deo iustus. 288
Quòd homo iustificetur coram Deo imputatione Iusticiæ Christi. 295
De uirtutibus, quas à Deo accepimus, & meritis earum, coram Deo non esse confidendum. 298
De particula SOLA. 320
De lege. 340
De operibus supererogationis, Paupertate, Cœlibatu seu Virginitate & obedientia Monastica. 356
De bonis operibus. 375
De Euangelio Christi. 404
De Sacramentis. 435
De Baptismo. 437
De fide infantium. 439
De concupiscentia post Baptismum manente. 439
De efficacia Baptismi. 441
De Chrismatis usu in Baptismo. 448. 462
De consecratione Chrismatis. 464
Exempla aliquot vulgarium exorcismorum & benedictionum seu incantationum. 478
De Confirmatione. 484
De Christiani hominis perfectione. 493
De pœnitentia. 498
De contritione. 504
De ueræ pœnitentiæ ratione. 510
De Confessione. 519
Auricularis Confessio seu occulta peccatorum enumeratio à quo instituta. 520
De Dubitatione. 531
De Satisfactione. 551
De applicatione meriti Christi. 555. 624
De Oratione. 560
De usu orationis. 562
De Ieiunio. 565
De usu & utilitate Ieiunij 566
De eleemosyna. 569
De Eucharistia. 575
De Consecratione. 580
De sumptione Cœnæ Dominicæ, & de utriusq; partis usu. 586
De Oblatione. 597
De Missis priuatis, & de applicatione. 603
De repositione, circumgestatione & adoratione panis. 637
De Ordine. 646

De

De legitima uocatione & ordinatione. 648
De gradibus, quibus Pontificij ad dignitatē ſacerdotij aſcendere ſolent 650.
De ſacerdotio Pontificio. 653
De Coniugio. 666
An coniugium ſit Sacramentum. 667
De conſenſu parentum. 671
De coniugio Miniſtrorum Eccleſiæ. 676
De uotis an liceat uouere cœlibatum. 692
De Extrema unctione. 698
De inuocatione Sanctorum. 708
De memoria defunctorum. 731
De ſacrificijs pro defunctis. 741
De orationibus ueterum pro defunctis. 743
De purgatorio. 748
De uotis Monaſticis. 763
De uirginitate ſeu cœlibatu. 356. 766
De paupertate uoluntaria. 774
De obedientia Monaſtica. 778
De horis canonicis. 783
De peregrina lingua in Eccleſiaſticis ſacris. 786
De dignitate & merito operis horarum canonicarum. 795
De ieiunio quadrageſimali & alijs publicis ieiunijs. 796
De Conſecratione ſalis, aquæ, uini &c. 811
De ſacra Scriptura, eiuſq; autoritate, perfectione & perſpicuitate. 817
De Apoſtolicis traditionibus, quas Monachi dicunt ad ſalutem neceſſarias eſſe, & tamen in ſcriptura non contineri. 840
De quatuor traditionum generibus. 849
De ſummo Pontifice. 853
De Eccleſia. 868
Quòd una tantum ſit uera Eccleſia. 872
De ueræ Eccleſiæ ſanctitate. 883
De Concilijs. 888
Iuxta quam regulam in Concilio ſit iudicandum. 890
De obedientia quæ debetur iudicio Concilij. 893
Num Concilia poſsint errare. 897
De Eccleſiaſticis ſcriptoribus. 910
De Eccleſiaſticis cærimonijs. 917

FINIS.

De legitima uocatione & ordinatione. 648
De gradibus, quibus Pontificij ad dignitatē sacerdotij ascendere solent 650.
De sacerdotio Pontificio. 653
De Coniugio. 666
An coniugium sit Sacramentum. 667
De comitiis parentum. 671
De coniugio Ministrorum Ecclesiæ. 676
De uoris ac liceat uenere celibatum. 692
De Extrema unctione. 698
De inuocatione Sanctorum. 708
De memoria defunctorum. 731
De sacrificijs pro defunctis. 741
De orationibus ueterum pro defunctis. 743
De purgatorio. 748
De uotis Monasticis. 763
De uirginitate seu celibatu. 356. 766
De paupertate uoluntaria. 774
De obedientia Monastica. 778
De horis canonicis. 783
De peregrina lingua in Ecclesiasticis sacris. 786
De dignitate & merito operis horarum canonicarum. 795
De ieiunio quadragesimali & alijs publicis ieiunijs. 796
De Consecratione salis, aquæ, uini &c. 811
De sacra Scriptura, eius auctoritate, perfectione & perspicuitate. 817
De Apostolicis traditionibus, quas Monachi dicunt ad salutem necessarias esse, & tamen in scriptura non contineri. 840
De quatuor traditionum generibus. 849
De summo Pontifice. 853
De Ecclesia. 868
Quod una tantum sit uera Ecclesia. 872
De uera Ecclesiæ sanctitate. 883
De Concilijs. 888
Iuxta quam regulam in Concilio sit iudicandum. 890
De obedientia quæ debetur iudicio Concilij. 893
Num Concilia possint errare. 897
De Ecclesiasticis scriptoribus. 910
De Ecclesiasticis cæremonijs. 917

FINIS.

Confessio piæ doctrinæ, quæ

NOMINE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. CHRISTOPHORI DVCIS VVIRTENBERGENSIS, ac Comitis Montisbeligardi, per Legatos eius die 24. mensis Ianuarij, Anno M. D. LII. congregationi Tridentini Concilij proposita est.

PRÆFATIO.

VM agnoscamus nos diuina clementia ad gubernaculum nostræ regionis ac Reipub. uocatos, nihil prius hactenus duximus, quàm ut coram Deo Patre Domini nostri Iesu Christi, & uniuersa eius Ecclesia, studium nostrum in excitãda & propaganda uerè pia doctrina, quibuscunq; possemus officijs testificaremur. Etsi enim non ignoramus, suum esse discrimen inter Politicam & Ecclesiasticam functionem, tamen cum Psalmus nos grauissimè hortetur, Nunc Reges, inquiens, intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore & tremore: non debuimus cœlestem uocem contemnere, sed omnem conatum & operam nostram ad iuuandum ueram Ecclesiam filij Dei pro uirili nostra conferre.

Alij alias quidem rationes inire solent, quibus cogitãt se filio Dei & Ecclesiæ eius studium suum probare. Nos autem iudicauimus ad ueram Ecclesiæ salutem aut constituendam aut conseruandam, nihil esse nec utilius nec Deo acceptius, quàm ut ministerium cœlestis ac uerè piæ doctrinæ officijs tum publicis tum priuatis iuuetur.

Et quia propter immensam clemẽtiam Dei, quam fecit nobis in Iesu Christo filio suo testatissimam, non dubitamus, quin nos ut uera membra sua complectatur, debuimus ei uicissim hoc obsequium, ut quoquo modo possemus, beneuolentiam nostram erga sponsam eius Ecclesiam, qua nihil ei est in his terris aut amabilius aut precioſius, declaremus.

Iussit nos alius Psalmus portas nostras aperire Regi gloriæ. Existimauimus autem, portas tanto Regi uerè tum patere, cùm cœlesti doctrinæ eius in Ecclesijs locus conceditur.

Sed cùm inciderint uariæ de doctrina Ecclesiastica dissensiones, & uisum est inuictissimo Domino Imperatori Carolo eius nominis quinto, Domino nostro clementissimo, ac reliquis Statibus sacri Romani Imperij, si quid habemus quod uel ad publicam Ecclesiæ pacem, uel ad priuatam conscientiæ trãquillitatem

pertinere uideatur, commemorare: iussimus concionatores nostros summam doctrinæ ipsorum conscribere, ut palàm testarentur, in nostris Ecclesijs non nisi uerè Apostolicæ, Catholicæ & Orthodoxæ doctrinæ locum datum esse.

Voluimus igitur, ut hoc scriptum cõcionatorum nostrorum publicè proponeretur, & speramus futurum, ut uniuersa Ecclesia piorum reipsa uideat, nihil à nostris Ecclesijs alienius esse, quàm ut in ijs quicquam, quod cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ac consensu uerè Catholicæ Ecclesiæ pugnet, uel in doctrina prædicandum, uel in ritibus sacrorum administrandum, susceptum fuerit.

DE DEO, ET TRIBVS IN VNA diuinitate Personis.

CREDIMVS & confitemur, unum solum, uerum, æternum, immensum esse Deum, omnipotentem creatorem omnium uisibilium & inuisibilium: & in hac una ac æterna diuinitate tres esse per se subsistentes proprietates seu personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Sicut docet Prophetica & Apostolica Scriptura, & explicant tria Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasij.

DE FILIO DEI.

CREDIMVS & confitemur, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ab æterno à Patre suo genitum, uerum & æternum Deum, Patri suo consubstantialem, & in plenitudine temporis factum hominem, ad expianda peccata, & procurandam æternam salutem humani generis, ut Iesus Christus uerus Deus & uerus homo, sit una tantum persona, non duæ: & in una persona sint duæ naturæ, non una tantum. Sicut testimonijs sacræ Scripturæ exposuerunt Sancti Patres in concilio Nicæno, Ephesino primo, & Chalcedonẽsi. Itaq; detestamur omnem hæresin, cum hac doctrina de filio Dei pugnantem.

DE SPIRITV SANCTO.

CREDIMVS & confitemur, Spiritum sanctum ab æterno procedere à Deo Patre & Filio, & esse eiusdem cum Patre & Filio essentiæ, maiestatis & gloriæ, uerum ac æternum Deum: Sicut autoritate Sacræ scripturæ rectè explicuerunt sancti Patres in concilio Constantinopolitano aduersus Macedonium.

DE PECCATO.

CRedimus & confitemur, hominem initio iustum, sapiẽtem, libero arbitrio præditum, Spiritu sancto ornatum ac fœlicem à Deo conditum esse, postea autem propter inobediẽtiam Spiritu sancto priuatum factum mancipium Satanæ, & obnoxium tam corporali q̃ æternæ damnationi: idq; malum non in

uno tantum Adamo constitisse, sed propagari in omnem posteritatem eius.

Quòd autem nonnulli affirmant, homini post lapsum tantam animi integritatem relictam, ut possit sese naturalibus suis uiribus & bonis operibus ad fidem & inuocationem Dei conuertere ac præparare, haud obscurè pugnat cum Apostolica doctrina, & cum uero catholicæ Ecclesiæ consensu.

Ad Roman. 5.

Per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem.

Ad Ephes. 2.

Cùm essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta principem &c. Et mox: Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Mortui, inquit, peccatis, & filij iræ: hoc est, alieni à gratia Dei. Sicut homo corporaliter mortuus non potest sese suis uiribus præparare aut conuertere ad accipiendam uitam corporalem: ita mortuus spiritualiter non potest sese sua uirtute conuertere ad accipiendã uitam spiritualem.

August. tomo 7. contra duas epist. Pelag. ad Bonifacium lib. 2. cap. 8.

Dominus, ut respõderet futuro Pelagio, non ait: Sine me DIFFICILE potestis quicquam facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere. Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Euangelica sententia non ait: Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium.

Et mox.

Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: non bene intelligendo falluntur, ut existimẽt cor præparare, hoc est, bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominẽ pertinere. Absit, ut sic intelligant filij promissionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere, quasi conuincant eum, dicentes: Ecce sine te possumus cor præparare. Aut cùm audierint à Paulo Apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum conuincant, dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis, præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare.

Et iterum tomo 9. in Ioan. tract. 49.

Nemo se palpet, de suo satanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum quod est tuum: iusticia, inquit, de meo est. Quid enim habes quod nõ accepisti?

Ambro. de uocatione gentium lib.1.cap.9.

Licet insit homini, Malum uelle, tamen, nisi donatum, non habet bonum uelle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.

Bernhardus in homilia 1. de annunciat. beatæ Marię.

Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus potuit per seipsam resurgere iam corrupta.

DE IVSTIFICATIONE.

CRedimus & confitemur, quòd ad faciendam & exercẽdam iusticiam Deo gratam, necessariæ sint hæ uirtutes, Fides, Spes & Charitas, & quòd homo has uirtutes non ex se concipere possit, sed accipiat ex fauore & gratia Dei, quodq́ fides operetur per dilectionem.

Sed sentimus, à uerè Apostolica & Catholica doctrina longissimè abhorrere eorum sententiam, qui docent hominem fieri Deo acceptum, & reputari coram Deo iustum propter has uirtutes, ac in iudicio Dei meritis harum uirtutum confidendum esse.

Homo enim fit Deo acceptus, & reputatur coram eo iustus, propter solum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum per fidem: & in iudicio Dei non est ullo earum uirtutum, quas nos habemus, merito, sed solo merito Domini nostri Iesu Christi, quod fit nostrum per fidem, confidendum.

Et quia coram tribunali Dei, ubi de uera & æterna iusticia ac salute agitur, nullus planè locus est meritis hominum, sed tãtum misericordiæ Dei, & meritis solius Domini nostri Iesu Christi, qui fide à nobis accipitur: idcirco sentimus Veteres ac maiores nostros rectè dixisse, Nos coram Deo sola fide iustificari.

Ad Roman. 3.

Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: iustificantur aũtem Gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per Fidem, in sanguine ipsius.

Ad Galatãs 3.

Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex Fide Iesu Christi daretur Credentibus.

Et capite 5.

Nos spiritu ex Fide spem iusticiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neq́ circumcisio quicquam ualet, neq́ præpucium, sed Fides per dilectionem operans.

Hilar. in Matth. cap. 8.

Mouet Scribas, remissum ab homine peccatum: Hominem enim tantùm in Iesu Christo contuebantur, & remissum ab eo, quod Lex laxare non poterat. Fides enim Sola iustificat.

Ambros. in epist. ad Roman. cap. 3.

Iustificati

Iustificati sunt Gratis, quia nihil operantes, necꝫ uicem reddẽtes, Sola Fide iustificati sunt, dono Dei.

Et iterum cap. 4. ad Roman.

Manifestè beati sunt, quibus sine labore uel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum ut credant.

Possunt autẽ multa loca tam è scriptis Propheticis & Apostolicis, quàm è sanctis Patribus commemorari, quibus probatur, non solum initiò gratuita Dei clementia donari nobis has uirtutes, Fidem, Spem & Charitatẽ, uerum etiam postea per omnem uitam, adeocꝫ in extrema necessitate, haud quaquàm nos coram seuero tribunali Dei cõstare posse, nisi fiducia solius gratuitæ clementiæ Dei, in Christo filio Dei nobis exhibitæ. Hoc enim est quod & Paulus docet, & Ecclesiastici scriptores exponunt, Nos coram Deo sola fide iustificari.

DE LEGE.

AGnoscimus legem Dei, cuius epitome est Decalogus, præcipere optima, iustissima & perfectissima opera: & hominem non solum obligatum esse ad obediendum moralibus præceptis Decalogi, uerumetiam si faceret opera Decalogi, ea perfectione & integritate quam Lex exigit, uerè coram Deo operibus suis iustus reputandũ, & meritis suis æternam salutẽ consecuturꝫ.

Sed quòd nonnulli sentiunt, hominẽ posse in hac uita eò peruenire, ut non tantum impleat suis operibus Decalogum, uerum etiã possit plura & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt, quæ uocant opera supererogationis, alienũ est à Prophetica & Apostolica doctrina, & pugnat cum sententia uerè Catholicæ Ecclesiæ.

Decalogus enim non est ad hunc ũsum datus, ut significet hominem posse præcepta eius in hac uita perfectè implere, sed ut ostendat homini suam imperfectionem, & ferat testimonium de iniusticia hominis, ac de ira Dei aduersus omnes homines, ac excitet eos ad quærendam remissionem peccatorum, iusticiam & salutẽ, in solo filio Dei Domino nostro Iesu Christo per fidẽ.

Ad Romanos 3.

Per Legem agnitio peccati.

Et capite 7.

Lex spiritualis est, ego autem carnalis, uẽditus sub peccatum.

Et capite 8.

Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum: Nam Legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem.

Ad Galatas 3.

Scriptum est: Maledictus omnis, qui non permãserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

Augustinus de spiritu & litera cap.36.

Hoc primum præceptum iusticiæ,quo iubemur diligere Dominũ ex toto corde,ex tota anima,& tota mente,cui est de proximo diligendo alterum cõsequens,in illa uita implebimus,ubi uidebimus facie ad faciem.Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptũ est,ut admoneremur,quid fide exposcere,quò spem præmittere,& obliuiscendo quæ retro sunt,in quæ anteriora nos extendere debeamus.Ac per hoc,quantũ mihi uidetur,in ea quæ perficienda est iusticia,multum in hac uita ille proficit,qui, quàm lõgè sit à perfectione iusticiæ,proficiendo cognoscit.

Et rursus Augustinus ad Hieronymum epist.26.

Charitas est uirtus,qua id quod diligendum est diligitur.Hęc in alijs maior,in alijs minor,in alijs nulla est. Plenissima uero, quæ iam non potest augeri,quandiu hîc homo uiuit, est in nemine:quandiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est q̃ debet,ex uitio est.Ex quo uitio non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.Ex quo uitio nõ iustificabitur in conspectu Dei omnis uiuens.Propter quod uitiũ si dixerimus quia peccatum non habemus,nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est.Propter quod etiam,quantumlibet profecerimus, necessariũ est nobis dicere:Dimitte nobis debita nostra, cùm iam omnia in Baptismo dicta,facta,cogitata, dimissa sunt.

Et iterum lib.1.Retract.cap.19.

Omnia mandata Dei facta deputãtur, quando quicquid non fit,ignoscitur.

Hieronymus.

Hæc hoĩbus sola perfectio est, si imperfectos se esse nouerint.

Hæc est hominis uera sapientia,imperfectum esse se nosse:atque(ut ita loquar)cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.

DE BONIS OPERIBVS.

DOcemus bona opera diuinitùs præcepta, necessariò facienda esse, & mereri gratuita Dei clementia sua quædam,siue corporalia siue spiritualia præmia.

Non est autem sentiendum,quód ijs bonis operibus,quę nos facimus,in iudicio Dei,ubi agitur de expiatione peccatorum, & placatione diuinæ iræ, ac merito æternæ salutis, confidendũ sit.

Omnia enim bona opera,quæ nos facimus, sunt imperfecta, nec possunt seueritatem diuini iudicij ferre: Sed omnis fiducia nostra collocanda est in SOLA Misericordia Dei, propter filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

Psal.142.

Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Ad

Ad Gala.5.

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc autem inter ſe mutuo aduerſantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis.

Ad Roman.7.

Noui quòd non habitet in me, hoc eſt, in carne mea bonum.

Daniel.9.

Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.

Auguſt.confeſs.lib.9.cap.13.

Væ hominum uitæ, quantumuis laudabili, ſi remota miſericordia diſcutias eam.

Et rurſus in Manuali cap.22.

Tota ſpes mea in morte Domini mei. Mors eius meritum meum eſt, refugium meum, ſalus, uita & reſurrectio mea: Meritum meum miſeratio Domini: Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum Dominus non defuerit. Et ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ego ſum in meritis.

Gregor.lib.1.ſuper Ezech.hom.7.in fine.

Iuſtus ergo Aduocatus noſter, iuſtos nos defendet in iudicio, quia noſmetipſos cognoſcimus & accuſamus iniuſtos. Non ergo in fletibus, non in actibus noſtris, ſed in Aduocati noſtri allegatione confidamus.

Bernardus in ſermone 1.de annunciat.beatæ Mariæ.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſciētiæ noſtræ. Non quidem tale teſtimonium, quale ille ſuperbus Phariſæus habebat, ſeducta & ſeductrice cogitatione, teſtimonium perhibens de ſe ipſo, & teſtimonium eius uerum non erat, ſed cùm ſpiritus ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro. Porrò hoc teſtimonium in tribus conſiſtere credo. Neceſſe enim eſt primò omnium credere, quòd remiſsionem peccatorum habere non poſsis, niſi per indulgentiam Dei. Deinde quòd nihil prorſus habere queas boni operis, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremò quòd æternã uitam nullis poſsis operibus promereri, niſi GRATIS detur & illa.

DE EVANGELIO CHRISTI.

ETſi in ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum cõtinentur multa præcepta diuinæ legis, & Chriſtus ipſe docet, non eſſe malum malo reddendum, nec mulierem impudicè aſpiciendam, & id genus alia, tamen non eſt ſentiendum, quòd Euangelion Chriſti ſit noua lex, qua, ſicut olim Patres in ueteri Teſtamento ueteri lege ſaluati ſunt, ita nunc homines in nouo Teſtamento noua lege ſaluentur.

Niſi enim nomen Legis generaliter pro doctrina accipias, quemadmodũ Prophetæ aliquoties nomine legis uſi ſunt, certè

Euangelion Christi propriè nõ est lex, sicut Paulus legis nomine uti solet, sed est bona & læta annũciatio de filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, placator iræ Dei, & redemptor ac seruator noster.

Nec præcepta legis, quæ continentur in scriptis Apostolicis, sunt noua lex, sed sunt ueteris legis, iuxta sententiam spiritus sancti, explicatio, quæ & ipsa haud obscurè antea in Propheticis scriptis extant. Repetuntur autem in prædicatione Euangelij Christi, ut ostensa diuinæ legis seueritate, & naturæ nostræ corruptione, ad quęrendum & amplectendum Christum Euãgelio suo reuelatum excitemur, & ut cognoscamus, ad quam regulã uita nostra ex fide in Christũ sit dirigenda. Quare si propriè de lege Dei & Euangelio Christi loquendum est: Sicut nec ex Christo faciendus est nouus legislator, cùm nec nouam legem tulerit, nec nouum politicum regnum in his terris instituerit: ita nec ex Euangelio facienda est noua lex, quæ durioribus & seuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem. Sed pro certo habendũ esse existimamus, quòd una & eadẽ sit lex Naturalis seu Moralis ueteris & noui Testamenti, & q̃ nec ueteris nec noui Testamenti hominibus contingat ęterna salus propter merita operũ legis, sed tãtum propter meritum Dñi nostri Iesu Christi per fidẽ.

Lucæ 4.

Recitat Christus ex Esaia officium suum, ad quod in hanc terram missus sit: Spiritus Domini, inquiẽs, super me, eo quòd unxit me, ad Euangelisandum pauperibus misit me, &c. Hic docet Christus, proprium suum officium esse, nõ ferre nouam legem, quæ terreat & occidat miseros peccatores, sed adnunciare Euangelion, quod peccatores consoletur & uiuificet.

Ad Galat. 4.

Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus.

Act. 15.

Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq̃ Patres nostri neq̃ nos portare potuimus? sed per Gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi.

Augustin. contra Adimantium Manichęi discipulum cap. 3.

Certis quibusdam umbris & figuris rerum, ante Domini aduentum, secundum mirabilẽ & ordinatissimam distributionem temporum, populus ille tenebat, qui Testamẽtum uetus accepit: Tamen in eo tãta prędicatio & prænunciatio est noui Testamẽti, ut nulla in Euangelica atq̃ Apostolica disciplina reperiant, quãuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiã libris ueteribus desint.

DE

DE SACRAMENTIS.

NOmen Sacramenti, ſicut & nomen Myſterij (quod interpretes Sacramentum exponunt) latiſsimè patet. Sed quia uiſum eſt quibuſdam numerū Sacramentorum in ſeptem contrahere, percurremus ſingula, ut oſtendamus quid in doctrina quorundam ſcriptorum deſideremus, & quid cum ſententia uerè Catholicæ & Orthodoxæ Eccleſiæ pugnare uideatur.

DE BAPTISMO.

AGnoſcimus Baptiſmū tam infantibus quàm adultis in Eccleſia uſq; ad nouiſsimum huius ſeculi diem, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ex inſtitutione Chriſti diſpenſandum, & ipſo utendum eſſe.

Credimus etiam & cōfitemur, quòd Baptiſmus ſit mare illud, in cuius profundum, ſicut Propheta ait, Deus proijciat omnia peccata noſtra, & cōdonet ea propter Chriſtū filiū ſuū, per fidē.

Sed quòd aliqui docent, peccatum remanēs poſt Baptiſmum in homine, non eſſe natura ſua uerè peccatum, exiſtimamus pernicioſiorem eſſe errorem, quàm ùulgus hominum iudicat. Etſi enim non dubitamus, peccatum, quod poſt Baptiſmum remanet, credenti condonari propter Chriſtum, & ex gratuita clementia Dei non amplius corā tribunali Dei imputari, tamen ſi naturam eius expendas, uerè eſt in ſe peccatum, propter quod, ut Auguſtinus ſuprà dixit, Non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis uiuēs, & non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Ad Roman. 7.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Hìc loquitur Paulus de peccato remanēte poſt Baptiſmum, & affirmat illud repugnare legi mentis ſuę: hoc eſt, affectui ſpiritus ſancti. Quod autem repugnat ſpiritui ſancto, certè re ipſa uerè peccatum ſit neceſſe eſt. Nam hæc eſt natura peccati, ut pugnet cum ſpiritu ſancto.

Ad Galat. 5.

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim inter ſe mutuo aduerſantur, ut non quęcunq; uolueritis, eadem faciatis. Hìc iterū loquitur Paulus de peccato remanente poſt baptiſmum, & tribuit ei manifeſtè naturam peccati, uidelicet cōcupiſcere aduerſus ſpiritum, & aduerſari ſpiritui, ac impedire ne perfecta iuſticia in homine fiat. Quare peccatum poſt baptiſmum remanens, natura ſua uerè eſt peccatum, etſi credenti non imputatur, ſed propter Chriſtum condonatur.

Auguſt. de nupt. & concub. ad Valer. lib. 1. cap. 25.

Reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur Quamuis autē

REATV ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra,&c.

Et iterum de Baptiſmo paruulorum,& de conſ. diſt.4.cap.per baptiſmum.

Per baptiſmum id agit̃,ut caro peccati euacuetur. Non aũt ſic euacuatur,ut in carne concupiſcentia innata non ſit,ſed ne obſit.

Deinde docemus eũ qui baptiſat̃ in nomine Patris, & Filĩ,& Spiritus ſancti,ungi ſpirituali chriſmate,hoc eſt,fieri membrum Chriſti per fidem,& donari ſpiritu ſancto, ut ad percipienda cœleſtia aures mentis eius aperiantur,& oculi cordis illuſtrentur.

Ac manifeſtum quidem eſt,quòd uſus externi Chriſmatis fuerit in politia Moſaica legitimus, & quod externum chriſma ſit etiam in Eccleſia,poſt diuulgatum Euangelion,uſitatum.

Sed manifeſtum etiã eſt, quòd in lege Moſi fuerit tempus umbrarum:nunc autem reuelato Chriſto ſit tempus ueritatis.

Et uſus externi chriſmatis pertinet ad elementa mundi.De abrogatione autem horum elementorum dicit Paulus:

Ad Coloſſen.2.

Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi,quid ad huc tanquàm uiuentes in mundo his decretis tenemini?

Et Dionyſius quem Areopagitam uocant,& quem putant deſcripſiſſe ritus Eccleſiæ ab Apoſtolis traditos, ſignificat quidem externum chriſma fuiſſe in Eccleſia uſitatum, ſed ſignificat etiam haud obſcurè,hunc ritum partim ab athleticis unctionibus Ethnicorum,partim ex lege Moſaica ſumptum eſſe. Qua uero autoritate & utilitate petantur exempla colendi Dei, & adminiſtrandi ſacramenta ab Ethnicis,teſtatur dictum illud Moſi, Deute.12. Caue ne imiteris gentes, & requiras cęremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos,ita & ego colam. Non facietis ſimiliter Domino Deo ueſtro.

Et illud dictum Chriſti Matth.15.

Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Et non eſt obſcurum,quòd cęremoniæ Moſaicę,quarum una pars eſt externi chriſmatis uſus, pertineant ad elementa huius mundi,quorum decretis Paulus ſuprà dixit nos non teneri,& de quibus aliâs dicit:Poſteaq̃ cognouiſtis Deum, quin potius cogniti eſtis à Deo,quomodo conuertimini denuo ad infirma & egena elementa,quibus iterum ab integro ſeruire uultis?

Præterea quomodo confectio ſeu ritus externi chriſmatis, ab Apoſtolis ipſis traditus eſſe, ut Fabianus ſcribit, uerè affirmari poſſet,cùm acta conciliorũ teſtentur,hunc ritum inſtitutum eſſe à Sylueſtro?

Et Eccleſiaſtica hiſtoria tradit,non fuiſſe propoſitum Apoſtolorum,ut conderent leges de diebus feſtis,ſed ut docerẽt rectam

conuerſationem

conuersationem & ueram pietatem: quanto minus propositum eorum fuit, externas unctiones in Ecclesia instituere, & umbras in exortum clarissimi solis splendorem inducere.

Accesserunt Baptismo etiam aliæ quædam cæremoniæ salis, luti, uestium: sed quia hæ non iudicantur necessariæ, etiam ab ijs ipsis, apud quos sunt usitatę, & sunt aliqua ex parte ociosa, eorum rituum, quibus Christus aliquoties in edēdis miraculis usus est, imitatio, non est cur de ipsis aliquam curam in occupatione tot necessariarum rerum suscipiamus.

DE CONFIRMATIONE.

NON est nobis dubium, quin Apostoli initio reuelati & confirmati in die Pentecostes Euangelij, contulerint impositione manuum admirandum donum Spiritus sancti credentibus in Christum, ut uarijs linguis loquerentur.

Et sentimus utilissimum esse, ut pueri & adolescentes à pastoribus Ecclesiæ suæ in Catechismo examinentur, & siquidem piè ac rectè fuerint eruditi, approbentur: si uerò praue, emendentur.

Sed ex personali & temporali facto Apostolorum non est absque certo mandato Dei generale & perpetuum sacramentum in Ecclesia statuendum. Et horribile auditu est, quòd Sacramentum Confirmationis, quale Episcopi Suffraganei solent pueris impertiri, excellat dignitate sua sacramentum Baptismi. Sic enim nonnulli de sacramento Confirmationis scribere non uerentur. Sicut unum (inquiunt) à maioribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest: ita & maiori uenerationе uenerandum & tenendum est.

Apostolis enim diuinitùs concessum fuit, ut impositione manuum conferrent credētibus in Christum dona Spiritus sancti. Hoc autem non est propriè intelligendum de priuatis illis Spiritus sancti donis, quæ unicuiuis ad salutem necessaria sunt, Hæc enim accipiunt credentes per prædicationē Euangelij & per Baptismum: sed intelligendum est de publicis donis Spiritus sancti, uidelicet loqui uarijs linguis, & alia, quæ tum ad publicā confirmationem Euangelij de Christo necessaria erant.

Postquàm igitur autoritas Euangelij talibus miraculis satis confirmata est, sicut desijt admirandum illud donum linguarū, ita & ritus imponendæ manus, quo donum illud conferebatur, factus est, quod quidem ad hanc rem attinet, ociosus. Alioqui faciendum erit generale sacramentum Ecclesię ex umbra, & obumbrandi sunt ægroti, propterea quòd multi consecuti sint sanitatem per umbram Petri.

Similiter faciendum erit generale sacramentum ex impositione sudariorum, propterea quòd aliqui liberati sint à morbis suis, cū ipsis imponerent sudaria Pauli. Et incumbēdum erit super

mortuos, quòd Paulus incubitu ſuſcitauit adoleſcẽtem à morte.

Et tamen non eſt paſtoribus Eccleſiarum permittendum, ut nullam habeant rationem erudiendæ puericiæ ac iuuentutis in uerè pia doctrina, ſed exigendum eſt ab eis, ut Catechiſmum diligentiſsimè doceant.

DE POENITENTIA.

CVm ſemper nobis agnoſcenda ſint peccata noſtra, & credẽdum, quòd remittantur nobis peccata propter Chriſtum, ſentimus ſemper etiam in hac uita nobis agendam eſſe pœnitentiam.

Sed pœnitentiam alij aliter explicant. Vulgo enumerantur tres partes pœnitentiæ, Contritio, Cõfeſsio, Satisfactio. Has partes ſingulatim ac breuiter percurremus, ut exponamus quid nobis in hac doctrina de pœnitentia uerè Catholicum & Apoſtolicum uideatur.

DE CONTRITIONE.

COntritionem uocamus ſenſum diuinę iræ, ſeu dolorem aut pauorem animi, ex agnitione magnitudinis peccatorum & grauitatis iræ Dei ortum. Talem contritionem arbitramur quidem neceſſariam eſſe in uera pœnitẽtia, quam contritionem lex Dei in homine excitare ſolet: ſed docere eam mereri remiſsionem peccatorum, & eſſe expiationem peccatorum coram Deo, exiſtimamus ab Apoſtolica doctrina alienum eſſe. Deus enim non deſpicit quidem cor cõtritum & humiliatum, ſicut Pſalmus loquitur, ſed idcirco non deſpicit, quia filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuſcepit cor cõtritum & humiliatum, cuius ſolius contritione & humiliatione peccata noſtra coram Deo expiata ſunt, & placata eſt ira Dei. Huius placationis nos participes efficimur, cum contrito & humiliato corde credimus, ſolum Ieſum Chriſtum eſſe propiciatorem noſtrum apud Patrem cœleſtem.

Eſaiæ 53. Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtrę ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

1. Ioann. 2. Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Actorum 10.

Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionẽ peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eũ.

Et teſtantur exempla Cain, Eſau, Saulis, Iudæ Iſchariotis, & aliorum, quòd contritio non ſit meritum remiſsionis peccatorũ. Hi enim etſi tantam habuerunt contritionem, ut tolerabilius ipſis uiſum fuerit, uitam ſibi aut laqueis, aut gladijs abrumpere, quàm horribiles illos dolores perferre, tamen non ſunt remiſsionem peccatorum conſecuti.

Gloſs. de pœnit. diſt. 1. cap. 1.

Si ſubtiliter

Si ſubtiliter intueamur, gratiæ Dei, non contritioni attribuẽda eſt peccatorum remiſsio.

Quare fatemur, Contritionem ad agendam ueram pœnitentiam neceſſariam quidem eſſe, non autem in hunc uſum, ut ſit meritum ſeu expiatio peccatorum coram Deo, ſed ut homo agnita magnitudine peccatorum, & grauitate iræ Dei, deteſtetur peccata, & excitetur ad quærendam remiſsionem peccatorum ac ſalutem in ſola gratuita clemẽtia & miſericordia Dei, propter ſolum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, per fidem.

DE CONFESSIONE.

CONfeſsionem uocant enumerationem peccatorum coram ſacerdote. Talis igitur confeſsio, qualis hactenus fuit uſitata, ſicut nõ eſt diuinitus præcepta, ita manifeſtum eſt, quòd uetus Eccleſia non exegerit eam tanta ſeueritate, perinde ac ſi ad conſequendam æternam ſalutem neceſſaria eſſet.

Ac dubium quidem non eſt, quin debeamus nos coram Deo peccatores agnoſcere, & Deo peccata noſtra confiteri: ſed ea coram homine (niſi ſi quid in ipſum peccauerimus, & ueritas legitima ac diuina uocatione dicenda fuerit) enumerare liberum eſſe concedunt, etiam ueterum Eccleſiaſticorum ſcripta.

Chryſo. in cap. 12. Hebr. homi. 13.

Non dico tibi ut te prodas in publicum, neq; ut te apud alios accuſes, ſed obedire te uolo Prophetæ dicenti, Reuela Domino uiam tuam.

Et iterum in Pſalmum Miſerere.

Si confundaris alicui dicere, quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut cõfitearis conſeruo tuo, ut exprobret, dicito Deo, qui ea curat.

Etſi autem hæc Chryſoſtomi uerba ſolent èxponi de peccatis, quæ antea ſacerdoti confeſſa ſunt, tamen hæc expoſitio eſt manifeſta deprauatio ſententiæ Chryſoſtomi. Et teſtatur Eccleſiaſtica hiſtoria perſpicuè, morem confitendi ſacerdotibus abrogatum fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana.

Auguſt. libro 10. confeſ. cap. 3.

Quid mihi eſt cum hominibus, ut audiant confeſsiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? Curioſum genus ad cognoſcẽdam alienã uitam, deſidioſum ad corrigendã ſuam.

Ambr. ſuper Luc. de pœn. diſt. 1. cap. Petrus.

Petrus doluit et fleuit, quia errauit ut homo. Nõ inuenio quid dixerit, ſcio q; fleuit: lacrymas eius lego, ſatisfactionẽ non lego.

Etſi autem ſentimus, enumerationẽ peccatorum coram ſacerdote non eſſe neceſſariam ad ſalutem, nec eſſe aliquod meritũ remiſsionis peccatorũ, tamen damus operã, ut generalis confeſsio peccatorũ, quantum fieri poteſt & licet, in Eccleſijs noſtris con

ſeruet̃,idq; duabus de cauſis. Vna eſt,ut hoc priuato colloquio rudiores de rebus neceſſarijs admoneantur & erudiantur. Altera,ut hac occaſione priuatim audiatur Euangelion Chriſti de remiſsione peccatorum,quod Euãgelion eſt uera clauis regni cœlorum,& abſolutio à peccatis,& ut per auditum Euangelij ſeu abſolutionis fides uel concipiatur uel confirmetur.

In agenda enim uera pœnitentia nihil certius nihil firmius iudicamus,quàm quòd omnino neceſſaria ſit FIDES,uidelicet,ut quod Euangelion Chriſti adnunciat, credamus nobis certò remitti & condonari peccata gratis, propter ſolum Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum.

Non ignoramus quidẽ,quòd ſi opera noſtra reſpicimus,nõ tantum nobis dubitandum,uerum etiam de ſalute noſtra deſperandum ſit,quippe quòd noſtra opera,quantumuis bona uideãtur,non poſsint coram ſeuero tribunali Dei conſiſtere.

Nec obſcurum nobis eſt,quòd carni noſtræ in hac corporali uita ſemper adhæreat dubitatio de miſericordia & clemẽtia Dei.

Sed cum Deus promittit nobis gratuitam ſuam clementiam, propter Chriſtum filium ſuum,& exigit ut Euãgelio filij ſui obedienter credamus,exigit etiam eo ipſo,ut dubitationẽ carnis noſtræ mortificemus,ac certiſsimam de miſericordia ſua fiduciam concipiamus, ne nos promiſsionem eius tanti mendacij accuſemus,quantam dubitationem de ea habeamus.

Et ut poſsimus certam fiduciam concipere,collocauit ſalutem noſtram non in meritis noſtræ iuſticiæ, quæ eſt imperfecta, ſed tantum in meritis Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius iuſticia ut eſt perfectiſsima,ita & in iudicio Dei firmiſsima & conſtãtiſsima. Marci 1.

Pœnitentiam agite,& credite Euangelio.

Iubet nos Euangelio,quod annunciat nobis certum fauorem Dei erga nos,propter Chriſtum,credere.Ergo non uult ut de fauore eius erga nos dubitemus,ſed ut certam de eo fiduciam concipiamus. Ioan.6.

Hoc eſt opus Dei,ut credatis in eum,quem miſit ille.

Si Deus exigit ut credamus in filiũ ſuum, certè non uult ut dubitemus,ſed ut firmam fiduciam in eo collocemus.

Iacobi 1.

Si cui ueſtrum deeſt ſapientia, poſtulet ab eo,qui dat,nempe Deo,qui dat,inquam,omnibus ſimpliciter,nec exprobrat,ac dabitur ei,ſed poſtulet cum fiducia,nihil hæſitans.

Hilar.in Matt.cap.5.

Regnum cœlorꝝ,quod Prophetę nunciauerunt, Ioannes prędicauit,Dñs noſter in ſe eſſe poſitũ eſt profeſſus,uult ſine aliqua incertæ uolũtatis ambiguitate ſperari. Alioqui iuſtificatio ex fide nulla eſt,ſi ipſa fides ſit ambigua. Auguſt.

Auguſt.in Manuali,cap.23.

Qui de uenia peccatorum ſuorum deſperat,negat Deum eſſe miſericordem,magnam iniuriã Deo facit:qui de eius miſericordia diffidit,quãtum in ſe eſt,negat Deum habere charitatem,ueritatem & poteſtatem,in quibus TOTA ſpes mea conſiſtit.

Sixtus Pontifex Tomo 1. Concilio. in 1.epiſt.Sixti Pontificis.

Dubius in fide,infidelis eſt.

Quare exiſtimamus eos,qui iubẽt nos de fauore Dei erga nos dubitare,non ſolum pugnare cum uera ſententia Catholicæ Eccleſiæ,ſed etiam ſaluti Eccleſiæ peſsimè conſulere.

DE SATISFACTIONE.

DE Satisfactione credimus & confitemur, quòd ſola paſsio & mors unigeniti filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti,ſit ſatisfactio pro peccatis noſtris, Et quòd hæc ſatisfactio Chriſti offeratur & applicetur nobis miniſterio Euangelij,excipiatur autem à nobis FIDE.

Confitemur etiam,quòd poſtquàm Satisfactio Chriſti nobis applicata,& per Fidem accepta ſit,neceſſariò debeamus bona opera,quæ à Deo præcepta ſunt,facere,non ut ijs expiemus peccata coram Deo,ſed ut ad declarandam obedientiam noſtram bonos fructus pœnitentiæ proferamus, & gratitudinem noſtram teſtificemur.

Nam de oratione,ieiunio,eleemoſyna,& alijs id genus operibus,ſentimus ea diligentiſsimè ſectanda eſſe, ſed longè alium habere uſum,quàm quòd uel meritis ſuis ſatisfaciant Deo pro peccatis noſtris,uel applicent nobis meritum Chriſti.

DE ORATIONE.

ORatione Deus inuocatur: Vera autem inuocatio eſt opus fidei,nec poteſt ſine fide fieri. Fides autẽ intuetur Chriſtum, & nititur ſolis meritis Chriſti. Quare niſi applicaueris tibi meritum Chriſti fide,oratio nullius eſt coram Deo momenti.

Exigitur autem oratio in hunc uſum,ut cõſideratione diuinarum promiſsionũ,fides in nobis excitetur & inflammetur. Itaq; non abſurdè quidem dicitur, Oratiõe deleri peccata,non autem hoc ſenſu, quòd opus ipſum orationis ſit merito ſuo ſatisfactio pro peccatis coram Deo,ſed quòd oratione excitetur & accendatur fides,qua fide participamus meritum Chriſti,& habemus remiſsionem peccatorum,propter ſolum Chriſtum.

Priusq; enim Deum oratione inuocamus,neceſſarium erit, ut meritum Chriſti ſit nobis applicatum, & fide acceptum. Quare fieri nõ poteſt,ut oratio ſit tale opus,propter cuius meritum conſequamur coram Deo remiſsionem peccatorum.

Pſalm.108.

Oratio eius fiat in peccatum. Non poſſet autem fieri pecca-

tum,ſi per ſe eſſet opus tam dignum,quo peccatum expiaretur.

Eſaiæ 1.

Cùm extenderitis manus ueſtras, auertam oculos meos à uobis,& cùm multiplicaueritis orationem,non exaudiam.Deus autem non auerteret oculos & aures ab oratione, ſi eſſet dignitate ſua ſatisfactio pro peccatis noſtris.

Auguſt.in Pſalm.108.

Oratio quæ non fit per Chriſtum,non ſolum non delet peccatum,ſed etiam fit ipſa peccatum.

Bernhardus de Quadrageſima ſer.5.

Sed & uitam æternam aliqui fortaſsis,non in humilitate quærunt,ſed tanquam in fiducia ſuorum meritorum: Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, ſed nõ oportet, ut in ea conſtituat quiſquam fiduciam impetrandi. Hoc ſolum conferunt hæc præmiſſa dona,ut ab ea miſericordia, quæ tribuit hæc, ſperentur etiam ampliora.Sit ergo oratio quę pro temporalibus eſt,circa ſolas neceſsitates reſtricta.Sit oratio quę pro uirtutibus eſt animæ,etiam ab omni impuritate libera,& circa ſolum beneplacitum Dei intenta:ſit ea, quæ fit pro æterna uita, in omni humilitate,pręſumẽs de SOLA,ut dignũ eſt,miſeratione diuina.

DE IEIVNIO.

IEiunium ſentimus utile eſſe,non in hoc,ut uel operis ſui merito expiet peccata coram Deo: uel applicet ieiunanti meritum Chriſti,ſed ut ſobrietate inſpiciat carni frenum, ne homo crapula & ebrietate impeditus,uocatiõi Dei minus obſequatur,& ſuo officio oſcitanter defungat.Sed ieiunio ſuus poſtea dabit locus.

DE ELEEMOSYNA.

ELeemoſynam diligenter commendamus,& hortamur Eccleſiam,ut proximum quiſq; ſuum, quoquo officio poteſt,adiuuet,ac charitatem ſuam teſtificetur.

Sed quod alicubi dicitur, Eleemoſynam delere peccatũ, ſicut aqua extinguit ignem,iuxta fidei analogiam intelligimus. Quid enim opus fuiſſet ad delenda peccata, paſsione & morte Chriſti filij Dei, ſi peccata delerẽtur merito eleemoſynæ? Et quis uſus eſſet miniſterij Euangelij,ſi eleemoſyna diuinitùs fuiſſet ordinata pro organo,quo applicaretur nobis meritum Chriſti? Quare ut maneat Chriſto ſuus honor inuiolatus,& miniſterio Euãgelij ſuus legitimus uſus,docemus eleemoſynam ſic delere peccatũ,non q̃ per ſe ſit dignum opus,quòd uel peccatum expietur, uel meritum Chriſti applicetur,ſed quòd ſit opus & fructus charitatis erga proximum,quo opere teſtificamur fidem & obedientiam noſtram,quam debemus Deo. Vbi autem eſt fides,ibi ſolus Chriſtus agnoſcitur peccatorum expiator.Itaq; cùm eleemoſyna teſtificetur,ſuo quodã modo, Chriſtum habitare in pijs, teſtificatur

etiam

etiam eos habere peccatorum remiſsionem. Niſi enim Eleemoſyna ſit opus charitatis, quæ teſtificetur fidem in Chriſtum, tantum abeſt ut ſignificet hominem habere peccatorum remiſsionem, propter Chriſtum, ut planè coram Deo ſordeat. Si diſtribuero (inquit Paulus) omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Docemus igitur bona opera neceſſariò facienda, Deum oratione inuocandum, piè ieiunandum, & eleemoſynam dandam eſſe, ut fidem & charitatem noſtrã teſtificemur, & uocationi Dei obediamus. Sed in agenda uera pœnitentia docemus, remiſsionem peccatorum contingere nobis tantum propter filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, per fidem, iuxta illud quod Petrus dicit: Huic omnes Prophetę teſtimonium ferunt, quòd remiſsionem peccatorum accipiat per nomen eius, quiſquis crediderit in eum.

DE EVCHARISTIA.

CRedimus & confitemur, Euchariſtiam (ſic enim libuit maioribus noſtris Cœnam Dominicam uocare) eſſe ſacramentum à Chriſto ipſo inſtitutum, & uſum eius uſq; ad nouiſsimum huius ſeculi diem Eccleſiæ commendatum eſſe.

Sed quia aliud eſt ſubſtantia, aliud uſus eius, idcirco de his ordine dicemus.

De ſubſtantia Euchariſtię ſentimus & docemus, quòd ũerum corpus Chriſti & uerus ſanguis eius in euchariſtia diſtribuatur, & refutamus eos qui dicunt, panem & uinum euchariſtiæ eſſe tãtum abſentis corporis & ſanguinis Chriſti ſigna.

Credimus etiam omnipotentiam Dei tantam eſſe, ut poſsit in Euchariſtia ſubſtantiam panis & uini uel annihilare, uel in corpus & ſanguinem Chriſti mutare.

Sed quòd Deus hanc ſuam abſolutam omnipotentiam in Euchariſtia exerceat, non uidetur eſſe certo uerbo Dei traditum, & apparet ueteri Eccleſiæ fuiſſe ignotum. Sicut enim cum in Ezechiele de urbe Hieruſalem in latere deſcripta dicit, ISTA EST Hieruſalem, non neceſſe fuit ut ſubſtantia lateris mutaret in ſubſtantiam urbis Hieruſalem: ita cùm de pane dicitur, Hoc eſt corpus meum, non eſt neceſſe ut ſubſtantia panis mutetur in ſubſtãtiam corporis Chriſti: ſed ad ueritatem ſacramenti ſufficit, quòd corpus Chriſti uerè ſit cũ pane præſens, atq; adeo neceſsitas ipſa ueritatis ſacramenti exigere uidetur, ut cũ uera præſentia corporis Chriſti uerus panis maneat. Nam quemadmodum ad ueritatem ſacramenti Baptiſmi neceſſarium eſt ut in uſu eius aqua ſit & maneat uera aqua: ita neceſſarium eſt in Cœna Dominica, ut panis in uſu eius ſit & maneat uerus panis, cùm mutata panis ſubſtantia non conſtaret ueritas ſacramenti. Vnde & Paulus & uete

res Ecclesiastici scriptores panem Eucharistiæ etiam post conse-
crationem panem uocant.

1.ad Corinth.11.Probet seipsum homo,& sic de pane illo edat, &c.Et:Quicunq; manducauerit PANEM HVNC, & biberit calicem Domini indignè,&c.

Augustinus in sermon.ad infantes.

Quod uidistis PANIS est & calix, quod uobis etiã oculi ue-
stri renunciant. Quod autem fides uestra postulat instruenda, PANIS est corpus Christi,Calix sanguis.

Quod autem ad Eucharistiæ usum attinet, primùm, etsi non negamus quin totus Christus tam pane quàm uino Eucharistiæ dispensetur,tamẽ docemus usum utriusq; partis debere uniuer-
sæ Ecclesiæ communem esse. Manifestum enim est,quòd Chri-
stus ipse nihil periculis,quæ postea humana superstitione exco-
gitata sunt, aut alijs commentis, deterritus, tradiderit Ecclesiæ utranq; partem utendam.

Manifestum etiam est, quòd uetus Ecclesia usa sit utraq; par-
te multis annis.Et testantur aliquot scriptores perspicuè,eos qui solum panem accipiunt,non accipere plenum sacramentũ sacra-
mentaliter (sic enim loquuntur) & diuisionẽ unius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio fieri non posse.

Quare sentimus usum utriusq; partis esse uerè Catholicum & Apostolicum,nec licere ulli homini hanc Christi institutionem & tam diuturnũ ueteris & ueræ Ecclesiæ ritum pro sua libidine mutare,& Laicis, ut uocant,alterã partem Eucharistiæ auferre.

Ac mirandum est, q; hi, qui profitentur se ritus ueteris Eccle-
się propugnare, tam procul hac in parte à ueteri Ecclesia recedãt.

Deinde cum sacrificij nomen latissimè pateat,ac generaliter si-
gnificet sacrum cultum, libenter concedimus,uerum & legiti-
mum usum Eucharistię posse hoc modo sacrificium dici.Et si Eu-
charistia iuxta institutionem Christi ita celebratur, ut in ea adnũ-
cietur mors Christi,& dispensetur Ecclesiæ sacramentum corpo-
ris & sanguinis Christi, rectè uocatur Applicatio meriti passio-
nis Christi,his uidelicet,qui sacramentum sumunt.

Nec damnandæ sunt piæ lectiones & precationes,quæ Con-
secrationem,ut uocant,& dispensationem Eucharistiæ præcede-
re & sequi solent.

Sed interea non licet nobis errores,qui ad hoc sacrum,imperi-
tia magis priuatorum hominum, quàm legitimo consensu ueræ Catholicæ Ecclesiæ accesserunt,dissimulare & approbare.

Vnus error est,quòd ex cultu,qui debet Ecclesiæ est commu-
nis,fiat priuata unius sacrificuli actio,qui ut solus sibi legit uerba Cœnæ Dominicæ,ita etiam solus panem & uinum sumit.

Nam Christus instituit Eucharistiam, non ut esset priuata u-

nius

nius actio, sed ut esset Ecclesiæ communio. Itaq; ad rectam Eucharistiæ actionem requiruntur ad minus duo, uidelicet, minister Eucharistiæ benedicens, & is cui Eucharistiæ sacramentum dispensetur. Cùm enim Christus hoc sacramentum institueret, nõ ipse solus uescebatur, sed dispẽsabat Ecclesiæ suæ, quantum præsentem habebat: Accipite (inquiẽs) manducate, &c. Et: Bibite ex hoc omnes, &c.

Hoc Christi institutum, uetus & uera Catholica Ecclesia tam seueriter obseruauit, ut eos, qui in hoc sacro præsentes non communicarent, excommunicauerit.

Anacletus in prima epistola.

Peracta consecratione OMNES communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Et addit: Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Concilium Antiochenum cap. 2.

OMNES qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non autem cùm populo in oratione communicãt, & auersant sanctam assumptionem Dominici sacramenti, secundũ aliquam propriam disciplinam, hos ab Ecclesia abijci oportet.

Dionys. de Eccles. Hierar.

Põtifex, cum diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, uenerandis operta atq; abdita signis in conspectum agit, diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum COMMVNIONEM & ipse conuertit, & reliquos ut COMMVNICENT hortatur: sumpta deniq;, atq; OMNIBVS TRADITA cõmunione diuina, gratias referens, finẽ mysterijs imponit.

Arbitramur igitur necessarium esse, ut ad conseruandam in celebratione Eucharistiæ institutionem Christi, & ad sectãdum exemplum ueteris ac uerè Catholicæ Ecclesiæ abrogentur priuatæ sacrificulorum Missæ, & restituatur publica Cœnæ Dominicæ communio.

Alius error est, quòd Eucharistia sit tale sacrificium, quod deleat iugiter in Ecclesia, ad expianda peccata uiuorum & mortuorũ, & pro impetrandis alijs beneficijs, tam corporalibus quàm spiritualibus, offerri.

Hic error manifestè pugnat cum Euangelio Christi, quod testificatur, Christum VNA oblatione, semel tantum facta, consummasse in sempiternum sanctificatos.

Et quia Christus Passione ac Morte sua impetrauit nobis remissionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelion in nouo Testamento adnunciatur, idcirco non licet amplius pro peccato sacrificare. Dicit enim epistola ad Hebræos: Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato.

Nam quod Christus dicit: Hoc facite in mei commemorationem, nō iubet corpus & sanguinem suum in Cœna Deo, sed Ecclesiæ offerre, ut Ecclesia edendo corpus & bibendo sanguinem Christi, ac prędicādo beneficium mortis eius, admoneatur de ea corporis & sanguinis Christi oblatione, quę semel tantum in cruce in expiationem peccatorū nostrorum facta est. Sic enim Paulus hoc dictum Christi interpretatur: Quotiescunq; (inquiens) manducabitis (non ait obtuleritis) panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini prædicate, donec ueniat.

Ac fatemur quidem, quòd ueteres Ecclesiastici scriptores uocauerint Eucharistiam sacrificium & oblationem, sed se ipsi exponunt, q̄ nomine sacrificij intelligant memoriam, adnunciationē seu prędicationē sacrificij q̄d Christus semel in cruce peregit. Sicut & memoriā Paschę & Pētecostes, uocāt Pascha & Pentecostē.

Alius error est, quòd nonnulli sentiunt oblationem (quam ita uocant) Eucharistię, non esse quidem per se propiciationem pro peccatis, applicare autem propiciationem & meritum Christi uiuis & mortuis.

Sed iam demonstratum est, quòd Eucharistia propriè non sit oblatio, sed sic uocetur quòd sit memoria oblationis semel in cruce factæ. Deinde applicatio meriti Christi non fit alio externo organo, quàm prædicatione Euangelij Christi, & dispensatione eorum sacramentorū, quæ Christus in hunc usum instituit. Et meritum Christi oblatum & applicatum non recipitur nisi fide.

Marci ultimo.

Prædicate Euangelion omni creaturæ. Ministerio enim Euangelij offeruntur & applicantur creaturis, hoc est, siue Iudæis siue Gentibus, beneficia Christi. Et sequitur: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: quia sumptione sacramentorum & fide accipiuntur oblata & applicata beneficia.

Ad Romanos primo.

Euangelion est potētia Dei, ad salutē omni credēti: hoc est, ministeriū Euāgelij est organum diuinitùs institutū, quò Deus est potēs & efficax ad saluandos oēs eos, qui Euāgelio credunt. Itaq; prædicatio Euangelij offert, aut si ita loqui libet, applicat omnibus salutem: Fides autem oblatam & applicatā salutem accipit.

In priuata autem Missa panis & uinum ita tractātur, ut sacrificulus neq; adnunciet publicè Euāgelion Christi, sed sibīpsi quædam, ac præsertim uerba Cœnæ seu consecrationis, tacitè recenseat, neq; dispenset alīs panem & uinum, sed solus ipse ea sumat. Quare nulla potest esse applicatio meriti Christi in priuata Missa. Hoc senserunt ueri Catholici maiores nostri, qui tam seueriter, quemadmodum suprà indicauimus, exegerūt, ut qui in Missa præsens non communicauerit, excommunicetur.

Alius

Alius error est,quem iam attigimus,ꝙ exigit, ut uerba cœnæ seu consecrationis,in Eucharistia tacitè recitent,cũ hęc uerba sint pars Euangelij, quod iuxta mandatũ Christi omnibus creaturis est prædicandũ.Etsi enim maiores nostri uocârũt aliquoties Eucharistiam mysterium, non tamen hoc consilio sic uocârunt, ꝙ uerba Cœnæ non sint coram Ecclesia in Eucharistia publicè & lingua uulgo nota,recitanda,sed quòd in Eucharistia aliud uideatur,aliud intelligatur.Nam & Christus ipse uocatur Mysteriũ, qui tamen nõ est occultãdus,sed omnibus creaturis prędicãdus.

Et quia in sumenda Eucharistia exigitur fides,Fides autem est ex auditu,Auditus autem per uerbum Dei,maximè omnium necessarium est in Eucharistia,ut uerbum Cœnę,quod est uerbum filij Dei,publicè recitetur.Hoc enim uerbum est prædicatio Euãgelij,& adnunciatio mortis Christi. Quare ut Ecclesia intelligat quid in Eucharistia agatur, & quid ipsi sumendum offeratur, & ut fidem suam confirmet,necessaria est in Eucharistia publica recitatio uerborum Cœnæ Dominicæ.

Alius error est,quòd una pars Eucharistiæ soleat in singularẽ cultum Dei circũgestari & reponi. Vetat autem spiritus sanctus, ne cultus Dei,sine certo Dei mandato,instituatur.

Deuteronom.12.

Non facietis singuli,quod sibi rectum uidetur.

Et iterum.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas.

Matth.15.

Frustra colunt me docentes doctrinas,mandata hominum.

Clemens epist.2. ad Iacobum, & de conse.
dist.2.cap.Tribus.

Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint in CRASTINVM, non reseruentur,sed cum timore & tremore,Clericorum diligẽtia,consumantur.

Non ignoramus,quomodo hæc Clementis uerba eludi soleant,confícto discrimine inter opus morientium & opus consecrantium.Sed manifestum est,quòd panis, qui circumgestari & in adorationem reponi solet,non reseruetur pro infirmis,sed tãdem à consecrantibus ipsis sumatur.

Cyrillus,uel ut alij sentiunt, Origines,in
Leuit.cap.7.

Nam & Dominus panem,quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite & manducate &c.non distulit, nec seruari iussit in crastinum.Hoc fortasse mysterij continetur etiã in eo, ꝙ panem nõ iubet portari in uia,ut semper recentes,quos intra te geris, uerbi Dei panes proferas.

DE ORDINE.

NON est obscurum è sacris literis, quòd omnes ferè Christiani consecrentur in Baptismo per Christum filium Dei, in spirituales sacerdotes, & debeant semper offerre Deo spiritualia sacrificia.

Nec est obscurum, ꝙ Christus instituerit in Ecclesia sua ministros, q adnunciẽt Euangelion suũ, & dispẽsent sacramenta eius.

Nec permittendum est cuiuis, quamuis spirituali sacerdoti, ut sine legitima uocatione usurpet publicum ministerium in Ecclesia. Dicit enim Paulus: Omnia honestè & decẽter fiant inter uos. Et iterum: Nemini cito manus imponas. Quare non inutile iudicamus, ut fides eorum, qui ad publicum ministerium Euangelij̃ accessuri sunt, quasi gradibus quibusdam, probetur.

Et inter ministros Ecclesiæ, suum seruare ordinem, uidetur concordiam nonnihil adiuuare.

Sed sacra Scriptura non tradit, quòd Christus instituerit in ecclesia sua tales sacerdotes, qui sint mediatores inter Deum & homines, & placent iram Dei erga homines sacrificijs suis, aut applicent meritum Christi uiuis ac mortuis, absq; prędicatione Euangelij̃, & dispensatione sacramentorum.

Nam si de summo & uero mediatore dicendum est, Vnus solus est mediator inter Deũ & homines, Iesus Christus filius Dei.

Si loquendum est de mediatore precationis, unusquisq; pius factus est alterius mediator per Iesum Christũ, propterea quòd officium exigit, ut alter alterius salutem precibus suis Deo commendet: quod etiam officium tunc singuli exercent, cùm recitant ex fide orationem Dominicam.

Si loquendum est de sacrificijs expiantibus peccata nostra, & placantibus iram Dei, tunc unum solum est sacrificium expiatorium & placatorium, uidelicet, sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quod semel in cruce peractum est. Et sicut Christus non amplius moritur, mors illi amplius non dominatur: ita hoc sacrificium eius nunquam amplius peragetur, sed effecit unica oblatione, quemadmodum epistola ad Hebræos scribit, perfectos in perpetuum eos qui sanctificantur.

Si loquẽdum est de cõmemoratione huius unius sacrificij̃, & de applicatione meriti eius, tunc publici ministri Ecclesiæ, qui Euangelion publicè docent, & sacramenta iuxta institutionẽ Christi dispensant, nõ solum faciunt ueram & rectam expiatorij̃ sacrificij̃ commemorationem, sed etiam applicant, dispensatione sua, meritum huius sacrificij̃, omnibus ijs, qui Euangelion & sacramenta FIDE accipiunt.

Nõ possumus igitur uidere, quis sit usus id genus hominũ in ecclesia, qui in hoc instituuntur, ut habeant potestatem sacrificandi pro uiuis & mortuis.

Paulus

Paulus cũ ad Corinthios & Ephesios recenset officia & ministeria ad ædificationem & conseruationem ecclesiæ necessaria, recenset Prophetas, Apostolos, Euãgelistas, Pastores, Doctores & id genus alios: sed in hoc catalogo nullam prorsus facit mentionem taliũ priuatorum sacerdotũ, qualium nũc plenus est orbis.

Nec uerisimile est, quòd omisisset hoc genus sacerdotũ, si uel Christus instituisset, uel Ecclesiæ utile ac necessarium esset.

Et scribit Paulus, Episcopum oportere esse didacticon. Docet autem Hieronymus eundem esse Episcopum & presbyterum.

Quare manifestum est, quòd nisi Presbyter instituatur in Ecclesia ad ministeriũ docendi, nec presbyteri nec Episcopi nomen rectè usurpare queat.

DE CONIVGIO.

FAtemur Coniugium esse genus uitæ diuinitùs institutum & approbatum, & esse mysteriũ, hoc est, ut uulgo exponi solet, sacramentum magnũ in Christo & Ecclesia, sicut Paulus ait. Et quia Christus palàm affirmat, coniugium pertinere ad hoc præsens seculum, administratio autem rerum huius seculi cõstat politicis legibus, recta & probabili ratione cõstitutis, idcirco docemus, ꝙ liceat Coniugium inire in his gradibus consanguinitatis & affinitatis, quos politicæ leges, quæ sunt diuinæ ordinationes, permittunt.

Docemus etiam, quòd iuuenes non debeant temerè, sine parẽtum suorum autoritate Coniugium inire, & quòd coniugium temerario & illegitimo iuuenum consensu, absq; eorum, in quorũ potestate sunt, autoritate contractum, nondum habendum sit ratum. Etsi enim nonnulli casus sunt, in quibus licitum est Coniugium absq; parentum consensu contrahere, tamen non uidetur facienda generalis regula, quòd quiuis iuuenum consensus faciat contractum matrimonij ratum, & clãdestina matrimonia simpliciter sint approbanda.

Non solum enim diuinum præceptum exigit, ut liberi honorent parentes suos, uerum etiam naturalis ratio iubet, in contrahendo matrimonio consensum parentum requirere. Huc uocantur etiam liberi legibus politicis. Et extat decretum Põtificis Euaristi, cuius hæc uerba scribuntur: Aliter legitimum, ut à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumq́ successoribus traditum inuenimus, non fit Cõiugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere uidentur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus propinquioribus sponsetur.

Præterea non dubitamus, quin qui sunt ueræ honestatis amantes, sentiant coniugium non tantũ Laicis, ut uocant, uerum etiam ministris Ecclesiæ liberum esse. Dicit enim epistola ad Hebræos: Honorabile connubiũ in OMNIBVS, & thorus immaculatus.

Et Paulus probat Coniugium in episcopo, & adfirmat prohibitionem coniugij esse spiritum erroris, & doctrinam dæmoniorum. Etsi enim hoc Pauli dictum exponi solet de Tacianis & Encratitis, qui Coniugium nihil à scortatione differre sentiebant, tamen cùm Coniugium prohibetur in decretis Pontificijs, prohibetur ijs rationibus, quibus Coniugium non in uno tantum hominum genere, sed in uniuersum damnatur. Allegatur enim illud Leuitici: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Et illud Pauli: Non in cubilibus ac lasciuijs. Et iterum: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Cùm autem hæc scripturæ dicta ad omnes pertineant, certè arcerent omnes pios à Coniugio, si rectè ad prohibendum sacerdotibus coniugium accommodarentur.

Sed speramus bonos quosq; uiros de cõiugio honestius senti re, & quod in Ecclesia ipsa probant, in ministris eius non improbare, præsertim cùm manifesta sint exempla recentis & adhuc purioris Ecclesiæ, in qua & Apostolis, qui fuit summus gradus in Ecclesia, & Episcopis licuit habere uxores. Hoc autem ita intelligendum existimamus, q; ministris Ecclesiæ non solum licuerit coniugio ante ordinationem inito uti, uerumetiam coniugium post ordinationem inire, cuius sententiæ haud obscura argumẽta extant.

Nec obstarè debet uotum castitatis, propterea quòd tale uotũ humana superstitione, sine autoritate uerbi Dei, & contra fidem susceptum, non agnoscatur à Deo, & in coniugio sua quoq; sit castitas, ut qui cum antea castitatem uouerit, uxorem in Domino ducit, castitatis uotum uerè adimpleat.

Cùm igitur manifestum sit uerbum Dei de honestate coniugij, manifesta sint exempla Apostolorũm, & Episcoporum recentis Ecclesiæ, manifesta sit imbecillitas humanæ naturæ, manifesta sint pericula cœlibatus, manifesta sint offendicula, quæ præbent impuri sacerdotes, omnino futurum speramus, ut hi qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent, non pergant hanc de Coniugio sacerdotum constitutionem, seueriter tueri & propugnare, sed clemẽter interpretari. Sic enim fiet, ut & minora & pauciora sint in Ecclesia offendicula, & multorum optimorum uirorum cõscientijs succurratur. Speramus etiam futurum, ut optimi quiq; Episcopi & Principes permittant ijs, qui ab adulteris suis coniugibus, legitimo diuortio, separati sunt, ea contrahendi iterum in Domino Coniugij libertate uti, quam concesit eis filius Dei Dominus noster Iesus Christus, Matth. 5. & 19.

DE EXTREMA VNCTIONE.

FAtemur Apostolos unxisse ægros oleo, qui & corporalem sanitatem consecuti sunt. Fatemur etiam epistolam, quæ inscribitur Iacobo, iubere presbyteros Ecclesiæ ad ægrotos uocari,

cari,ut ungant eos oleo,& orent pro ipsis, ad cõsequendam sanitatem.Sed hæc tum utiliter exercebantur, cum ministri Ecclesiæ adhuc ornati erãt dono, ęgrotos corporaliter & admirabiliter sanandi. Postquàm autem hoc donum, confirmato Euangelio in Ecclesia desijt,res ipsa testatur, hanc unctionis cærimoniam ociosè nunc & inutiliter usurpari.Qui enim nunc unguntur,non solent ex hac unctione corporalem sanitatem consequi, imò hæc unctio non solet adhiberi nisi his, de quorum corporali uita desperatum est. Nec extat ullum uerbum Dei, quod promittat,diuulgato Euangelio Christi, externam unctionem ualere ad delenda peccata,& ad conferendam spiritualem ac cœlestem sanitatem. Nihilominus tamen officium exigit, ut ministri Ecclesiæ ægrotos uisitent, ac orent unà cum Ecclesia pro salute eorum, & consolentur ipsos tam prædicatione Euangelij, quàm dispensatione Cœnæ Dominicæ. Hæc est uerè pia unctio, qua Spiritus sanctus efficax est in credentibus.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

NON est dubium, quin memoria eorum sanctorum, qui cùm essent in hac corporali uita, Ecclesiam uel doctrina, uel scriptis, uel miraculis, uel exemplis iuuerunt, & siue martyrio testificati sunt ueritatem Euangelij,siue trãquillo mortis genere in Christo obdormierunt,debeat apud omnes pios sacrosancta esse:& commendandi sint Ecclesiæ,ut doctrina & exẽplis ipsorum,in uera fide confirmemur, & ad sectandam ueram pietatem inflammemur.

Fatemur etiam ꝙ sancti in cœlis,suo quodã modo,pro nobis corã Deo orent,sicut & angeli pro nobis sunt solliciti: & omnes creaturæ pro salute nostra cœlesti quodammodo ingemiscunt, & nobiscum,quemadmodum Paulus loquitur,parturiunt.

Sed sicut ex gemitu reliquarum creaturarum non est instituendus cultus inuocandi eas: ita ex oratione sanctorum in cœlis non est approbandus cultus inuocandi sanctos: de his enim inuocandis nullum extat in sacris literis uel mandatum, uel exemplum.Cùm enim omnis spes salutis nostræ collocanda sit non in Sãctis,sed in solo Domino Deo nostro, per filium eius Iesum Christum,manifestum est, quòd non Sancti, sed solus Deus sit inuocandus. Quomodo inuocabunt (inquit Paulus) in quem non credunt? Non est autem in Sanctos credendum, Quomodo igitur essent inuocandi?

Et cùm necesse sit ut qui inuocatur,sit scrutator cordis,non debent Sancti inuocari,quia non sunt cordis scrutatores.

Epiphanius contra Collyridianos.

Reuera sanctum erat corpus Mariæ,non tamen Deus: reuera

uirgo erat ipsa uirgo, & honorata, non autem proposita est ad adorationem, sed ipsa adorans eum, qui carne genitus est ex ea.

August. de uera Religione cap. ult.

Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè uixerint, non sic habentur, ut tales quærãt honores, sed illum à nobis coli uolunt, quo illuminati lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.

Et iterum ibidem.

Honoramus eos charitate non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templum summi Dei esse nouerunt.

Ac rursus de ciuitate Dei libro 8. cap. 27.

Nec tamen nos ijsdem martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quum non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus &c. Martyribus nostris neq; sacerdotes instituimus, neque offerimus sacrificia.

Ambrosius ad Roman. cap. 1.

Solent misera uti excusatione, dicentes: Per istos posse iri ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis uendicet Comiti &c. Et mox: Isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant.

At enim non adoramus (inquiunt) sanctos, sed tantum petimus orationibus eorum apud Deum iuuari. Sic autem petere, quemadmodum cultus Litaniarum ostendit, & uulgo usitatum est, nihil aliud est quàm inuocare & adorare sanctos. Talis enim petitio exigit, ut is qui rogatur, sit ubiq; præsens & exaudiat petitionem. Hæc autem maiestas soli Deo competit, & si tribuitur creaturæ, creatura adoratur.

Fingunt quidam, sanctos uidere in uerbo Dei, quæ Deus promittit, & quæ nobis utilia uidentur. Quod etsi diuinæ maiestati non est impossibile, tamen Esaias manifestè affirmat: Abraham nescire nos, & Israelem ignorare nos, ubi glossa ordinaria citat Augustinum dicentem, quòd mortui etiam sancti, nesciant quid agant uiui, &c.

Nam quòd ueteres Scriptores uertunt se aliquoties precibus suis ad Sanctos, isti aut uulgi errorem, sine exacto iudicio, simpliciter secuti sunt, aut usi sunt tali forma loquendi, nõ ut cultu Theologico, sed ut figura Grammatica, quam Prosopopœiam uocant: Qua homines pij & diserti non significant se colere & inuocare sanctos, sed exprimere inenarrabilem illum gemitum sanctorum, & omnium creaturarum, pro nostra salute: & significant

cant pias preces, quas ſancti in hoc ſeculo è Spiritu ſancto coram Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei ſonare, ſicut & ſanguis Abel poſt mortem eius coram Deo adhuc uociferabatur. Et in Apocalypſi clamant animę ſanctorum interfectorum, ut ſanguis ipſorum uindicetur, non quòd iam in Domino quieſcentes, cupidi ſint uindictæ pro humano more, ſed quòd Dominus etiam poſt mortem ipſorum, memor ſit precū, quas dum adhuc in hac terra uiuerent, pro ſua & totius Eccleſiæ liberatione effuderunt.

Epiphanius contra Aërium.

Etſi & ipſe nonnihil hæret in cōmuni errore, tamen perſpicuè docet, ſanctorę mentionē in eccleſia fieri, nō ut inuocent̄, ſed potius ut nō inuocent̄, nec Chriſto in honore æquent̄. Mentionē, inquit, facimus, iuſtorum Patrę, Patriarcharę, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum & Anachoretarum, ac totius agminis, ut Dominum Ieſum Chriſtum ſeparemus ab hominum agmine, per honorem, quem ipſi exhibemus, & ut præſtemus ei cultum, quo ſentire nos ſigni ficemus, quòd Dominus non ſit æquādus ūlli hominum, etiamſi unuſquiſqȝ eorum millies, aut ultra, in iuſticia exiſtat.

DE MEMORIA DEFVNCTORVM

ETſi reipſa idem ſunt, ſanctus in Chriſto quieſcens, & fidelis defunctus. Omnis enim qui in fide Chriſti hac uita defungitur, ſanctus eſt: tamen quia libuit nonnullis diſcrimen inter hos ponere, uiſum eſt & nobis duo diuerſa capita de his adſcribere.

Ac primum ſentimus piæ mentis eſſe, maiorum ſuorum in fide Chriſti defunctorum honeſtam mentionem facere, & gratitudinem ijs beneficijs, quæ ab ipſis accepimus, debitam, erga poſteros & amicos eorum adhuc ſuperſtites, quibus poſſumus officijs declarare.

Deinde exigit fides, ut ſentiamus mortuos non eſſe nihil, ſed uerè coram Deo uiuere, pios quidem in Chriſto fœliciter, impios autem in horribili expectatione reuelationis diuini iudicij.

Exigit etiam charitas, ut optemus defunctis omnem in Chriſto tranquillitatem & fœlicitatem.

Accedit & hoc, quod debeamus defunctos noſtros honeſtæ ſepulturę, quod ad eius fieri poteſt, & tempus ac hominū cōditiones ferunt, ad teſtificandam ſpem reſurrectionis noſtræ, mandare. Itaqȝ iudicamus utile eſſe, ut in funeribus ea è ſacris literis recitentur & explicent̄, quæ ad corroborandam fidem in horrore mortis, & ad confirmandam ſpem reſurrectionis conducunt.

Sed quòd mortui iuuentur uſitatis illis uigilijs, precationibus & ſacrificijs, ac meritis horum aut è pœnis liberentur, aut maiorem fœlicitatem in cœlis conſequantur, nullum extat teſtimo-

nium uerè Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ.

Vnum enim tantū eſt meritum æternæ uitæ, una ſola eſt redẽptio & liberatio noſtra, uidelicet, Paſsio & mors Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Et hoc meritum fit noſtrum, cùm credimus in Chriſtū: fit autem à nobis alienum, cum Euãgelio Chriſti non credimus.

Ioannis 3.

Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mũdum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non condemnatur: Qui autem non credit, iam condemnatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.

Quare ſi quis ex hac uita in fide Chriſti exceſſerit, omne habet meritum Chriſti, nec indiget alieno. Deus enim, qui donat filium ſuum, donat etiam cum eo omnia, ut Paulus ait: Qui autem hinc emigrauerit ſine Chriſto, nullis poteſt hominum meritis iuuari: quia ſine Chriſto nulla eſt ſalus.

Cyprianus contra Demet. tract. 1.

Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatisfactionis effectus: hîc uita aut amittitur, aut tenetur: hîc ſaluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur.

Hieron. in epiſtolam ad Gal. cap. 6.

Obſcurè licet docemur per hanc ſententiolam nouum dogma quod latitat, dum in præſenti ſeculo ſumus, ſiue orationibus ſiue conſilijs poſſe nos inuicem coadiuuare. Cùm autem ante tribunal Chriſti uenerimus, nõ Iob, non Daniel, nec Noe, rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemq; portare onus ſuum.

Nam quod ex Machabæis citatur, ſacrificia pro peccatis mortuorum eſſe oblata, dubitat autor ipſe libri in fine eius num rectè ſcripſerit, ac precatur ueniam, ſicubi errauerit. Demus ergo ei ueniam, quòd ſine ulla diuinæ ſcripturæ autoritate affirmet, mortuos ſolui à peccatis, ſacrificijs & orationibus uiuorum. Et Tertullianus dicit, oblationes pro defunctis annua die fieri, ſed hoc aut receptum fuit ſine autoritate uerbi Dei ex moribus Ethnicorum, ſicut multa alia: aut nomine oblationis intelligenda eſt publica commemoratio defunctorum in fide Chriſti, & gratiarum actio pro beneficijs, quæ Deus in ipſos contulerit.

DE PVRGATORIO.

ETSI dubitari non debet, quin ſuus ſit ſanctis in hac uita purgatorius ignis, quemadmodum teſtantur exempla Dauidis, Ezechiæ, Ionæ, & aliorum, tamen haud immeritò dubitatur, num poſt hanc uitam tale ſit purgatorium, quale uulgus hominum putat, in quo animæ tantiſper crucientur, dum uel ſupplicio ſatis pro peccatis faciant, uel indulgentijs redimant: Si. n. tale eſt purgatorium, ualde mirandum uidetur, quòd nec Prophetica nec Apoſtolica ſcripta aliquid certi & perſpicui de eo tradiderint,

derint,ſed pōtius diuerſum haud obſcurè doceant.

Marci ultimo:Prædicate Euangelion omni creaturæ,qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Hîc ponuntur duo ordines hominum: unus eorum,qui credunt Euangelio,& hi pronunciantur ſalui:alter eorum,qui non credunt Euangelio,& hi pronunciantur damnati. Inter hos non eſt aliquod medium. Aut enim excedis ex hac uita in fide Ieſu Chriſti,tunc habes remiſsionem omnium peccatorum propter Chriſtum,& imputatur tibi iuſticia Chriſti. Quare qui Chriſto comitatus in mortem ingreditur,ei nihil deeſt ad conſequendā ueram & æternam uitam. Qui autem hinc ſine Chriſto emigrat, ingreditur in perpetuas tenebras.

Ac ſi præter hos duos ordines alius eſſet quiſpiam tertius ſtatus animarum in altero ſeculo,certè Paulus qui ad Paradiſum & in tertium cœlum raptus erat,& multa arcana uiderat,non inuidiſſet Eccleſiæ hanc cognitionem. Ecce autem cùm ad Theſſalonicenſes ex profeſſo de Chriſtianis dormientibus ſcriberet, nullam prorſus facit mentionem alicuius purgatorij, ſed iubet potius ne contriſtemur,ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Itaque ſi talis eſſet quiſpiam animarum ſtatus in altero ſeculo, qualem uulgus cogitat,non potuiſſet Paulus teneri,quo minus loco tam opportuno hunc animarum ſtatum perſpicuè explicuiſſet,& Eccleſiæ rationem præſcripſiſſet, qua poſſet miſeras animas à cruciatu ſuo liberare. Sed & uetus ac uerè Catholica Eccleſia apertè ſignificauit,ſibi de hoc tertio genere ſtatus animarum in altero ſeculo nihil certi conſtare.

Chryſoſtomus in concione ſecunda de Lazaro.

Si quid cūi rapuiſti,redde,& dicito iuxta Zachæum: do quadruplum ſi quid rapui:ſi cui factus es inimicus,reconciliare priuſquam ueneris ad iudicium. Omnia hîc diſſolue, ut citra moleſtiam illud uideas tribunal. Donec hic fuerimus ſpes habemus præclaras: ſimul atq; uero diſceſſerimus illac, non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere,neq; commiſſa diluere.

Et iterum.

Neq; enim qui in præſenti uita peccata non abluerit, poſtea conſolationem aliquam inuenturus eſt.

Auguſtinus etſi ponit inter ualde bonos & ualde malos, medios quoſdam,quorum alteris uidetur locum purgatorium aſſignare,tamen de ea re aliâs dubitat,nec quicquam certi definit. De hac igitur ſententia Auguſt.ſentiēdum erit quod ipſe exigit, uidelicet ut id recipiamus,quod uel autoritate ſcripturę,uel probabili ratione confirmatum fuerit. Manifeſtum autem eſt, quòd

quæ dicta ſcripturæ ad ſtabiliendum purgatorium citari ſolent, à genuino ſuo ſenſu ad alienum torqueantur, & ab ipſis etiam ueteribus interpretibus longè aliter exponantur. Et quas Auguſtinus habet ſententię ſuæ rationes, hoc fundamento niti uidentur, quòd conſequamur remiſsionem peccatorum & uitam, non tantum propter Chriſtum per fidem, ſed etiam propter merita noſtrorum operum. Sed quàm conueniat hoc cum uera Apoſtolica doctrina, ſuprà indicauimus. Quare arbitramur hanc theoriam de igne purgatorio ſuis autoribus relinquendam eſſe, & hoc maximè omnium agendum, ut quod Paulus monet, confirmemus nos inuicem ſermonibus de certa ſpe reſurrectionis & ſanctis noſtrę in Chriſto Ieſu, propter quē Deus credentib. ita fauet, ut cōſeruet ipſos in media morte, & donet eos uera trāquillitate.

DE VOTIS MONASTICIS.

NOn eſt dubium, quin uota pia, iuſta & legitima ſint ſeruanda ac ſoluenda, & uota impia ſint reſcindenda.

Sed haud immeritò diſputatur, in quo uotorum genere collocanda ſint uota Monachorum, de uirginitate ſeu cœlibatu, paupertate & obedientia.

Nam manifeſtum eſt, quòd cœlibatus non ſit uerbo Dei præceptus, Manifeſtum etiam eſt, ꝙ etſi cœlibum ſtatus ſit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica miniſteria Eccleſiæ his, qui non uruntur, aptior & accommodatior, tamen non eſt ſentiendum, quòd hoc genus uitæ per ſe ſit coram tribunali Dei excellentius & ſanctius, quàm coniugium.

Sicut enim in Chriſto non eſt Iudæus neqꝫ Græcus, non ſeruus neqꝫ liber, ut Paulus ait: ita in Chriſto nec eſt cœlebs, nec maritus. Et quemadmodum in Chriſto Ieſu circunciſio nihil eſt, præpucium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei & noua creatura: ita & cœlibatus nihil eſt, coniugium nihil eſt, ſed in Chriſto Ieſu renatum eſſe, & Chriſti uocationi obedire.

In concilio Gangrenſi extat Canon: Si quis, inquiens, ex his qui uirginitatem propter Dominum ſeruant, extollitur aduerſus coniugatos, anathema ſit.

Et alius Canon dicit: Si quis uirorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij utitur, quaſi per hoc ſe habere iuſticiam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia birris, & alijs cō munibus & ſolitis utuntur, anathema ſit.

Et Auguſt. de bono coniugali cap. 21.

Non audet uirginitatem Baptiſtæ pręferre cōiugio Abrahę. Quare qui uouet uirginitatem, uel cœlibatum, aut uouet eum ut ſingularem cultum Dei, tunc quia ſtatus cœlibum non eſt uerbo Dei mandatus, pertinet hoc uotū ad mandata hominum, de quibus Chriſtus dicit: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, præcepta

cepta hominum. Aut uouet eum, ut meritum remissionis peccatorum & uitæ æternæ, & tunc est manifestè impium uotum, cui nullus est obnoxius.

Nihilo rectius est paupertatem uouere. Aut enim conditione pauper es, & nihil terrenarum facultatum possides, tũc hæc crux diuinitùs tibi imposita, patienter est ferenda, quam si præterea uoues, nihil aliud facis, quàm si in morbo uoueas te perpetuò ægrotaturum, uel in infamia te perpetuò fore infamem. Quod genus uoti furor magis est quàm pietas. Aut possides facultates, & uoues te ijs relictis acturum uitam pauperem, ut uictum quæras mendicitate, & consequaris huius uoti merito uitam æternam: tunc hoc uotum, primum quidem pugnat cum charitate proximi, quæ exigit, ne cui sis præter necessitatem mendicimonio molestus. Deinde pugnat cum fide in Christum, quòd is solus sit meritum æternæ uitę. Manifestum igitur est, hoc genus uoti esse illegitimum & impium.

Facultates autem tuas sic deserere, ut eas in commune conferas, non est paupertatem sectari, sed de certiori & copiosiori uictu tibi prospicere. Qui qualis sit coram Deo cultus, obscurum esse non potest.

Obedientia uero aut refertur ad Deum, tunc non est arbitrarij uoti, sed debitæ necessitatis, de qua obedientia dicitur: melior est obedientia quàm uictimæ. Aut refertur ad hominem, tũc sua sunt obedientiæ officia, quæ subditus magistratui, liberi parentibus, serui dominis, discipuli præceptoribus debent. Hęc siue uoueantur siue non uoueantur, certè diuinitùs exiguntur, sed hac conditione, ut semper Deo magis obediamus q̃ hominibus.

Vouere autem homini obediẽtiam sine certa uocatione Dei, ut operibus talis obedientiæ non solum præstes Deo singularẽ cultum, sed etiam expies coram Deo peccata tua, superuacaneum est, quia Christus dicit frustra se coli humanis traditionibus: & impium, quia solius Christi obedientia, quam præstitit Deo Patri suo, expiauit peccata nostra, & reconciliauit nos cum Deo.

Ex his omnibus manifestum est, quòd genus uouẽdi cœlibatus, paupertatis & obedientiæ non consentiat cum doctrina uerè Catholica, præsertim cùm quidam non sint ueriti hoc uouendi genus æquare Baptismo.

DE HORIS CANONICIS.

AVgustinus scribit alicubi, Ambrosium Episcopum Mediolanẽsem instituisse, ut cœtus Ecclesię cantaret Psalmos, quibus sese mutuo in expectatione malorum consolarentur, & ad ferendam crucem excitarent, ne populus (inquit) mœroris tædio contabesceret. Hic cantus, quia factus est lingua uulgo nota, & habuit pium usum, commendatione dignissimus erat. Et

ex Decretis Canonicis apparet,horas quas uocant Canonicas fu isse ordinationes temporum, quibus percurrenda esset publicè singulis annis uniuersa sacra scriptura, quemadmodum in scholis suæ solent horæ explicationibus autorum constitui. Talis horarum distributio fuit fortasis suo tempore non inutilis, & per se non est damnanda.

Sed instituere singulare genus sacerdotum ad cantandas horas Canonicas,& canere eas aliena lingua,quę uulgo Ecclesię nō sit nota,aut uernacula,& quidem alicubi noctu diuq; sine ulla intermissione,succedentibus subinde sibi alijs atq; alijs cātoribus, ac facere hoc sacrum,non ut per patientiam & consolationē scripturarum spem habeamus, quemadmodū Paulus ait, sed ut merito huius operis mitiges iram Dei,& expies peccata hominum corā Deo,hoc demū pugnat cū sententia uerę catholicę Ecclesię.

1.Corinth.14.

Cum conuenitis,unusquisq; uestrum Psalmum habet,doctrinam habet,apocalypsin habet,linguam habet,interpretationem habet,OMNIA ad AEDIFICATIONEM fiant.

Hieron.in epist.ad Ephe.cap.5.

Cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Audiāt hæc adolescentuli,audiant hi,quibus psallendi in Ecclesia officium est,Deo non uoce sed corde psallēdum, nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, &c.

Quod autem iam dictum est de usu linguæ uulgo notæ, intelligendum est non tantum de cantu Psalmorum, sed etiam de omnibus partibus Ecclesiastici ministerij. Sicut enim conciones & precationes lingua Ecclesiæ nota habendæ sunt, ita & sacramēta noto sermone dispēsanda sunt. Etsi enim licebit aliquoties peregrina lingua propter studiosos uti,tamen consensus Catholicæ Ecclesiæ hoc exigit,ut necessaria ministeria Ecclesiæ fiant sermone uernaculo.

1. Corinth.14.

In Ecclesia uolo quinq; uerba mente mea loqui, ut & alios instituam, potius quàm decem millia uerborum lingua.

Innocentius 3.de offi.iud.ord.c.quoniam.

Quoniam in plerisq; partibus infra eandem ciuitatem atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub una fide uarios ritus & mores,districtè præcipimus ut Pōtifices huiusmodi ciuitatum siue diœcesium prouideant uiros idoneos,qui secūdum diuersitates rituum et linguarum,diuina illis officia celebrent,Ecclesiastica sacramenta ministrent,instruendo eos uerbo pariter & exemplo. Quare piè & Catholicè facere dicendi sunt hi, qui dispensationem sacramentorum, carmina Psalmorum, & lectiones sacræ Scripturæ sic constituunt, ut Ecclesia

cleſia intelligat quod dicitur, legitur & canitur, & fructum ſpiritus ad conſolandam mentem, & confirmandam fidem, ac excitandam charitatem capiat.

DE IEIVNIO.

IEiunium habet ſuam laudem & uſum. Non eſt autem nobis nūc ſermo uel de neceſſario ieiunio, cùm neceſſe habes ob inopiam cibi ieiunare: uel de allegorico ieiunio, quod eſt ab omnibus uicijs abſtinere, ſed eſt ſermo de duobus uſitatis generibus ieiunij, quorum aliud eſt ieiunium perpetuum: hęc eſt ſobrietas, quæ ſemper toto uitæ tempore in cibo & potu ſeruanda eſt: nunquam enim licet helluari, & crapulam ac ebrietatem ſectari. Aliud eſt ieiunium diarium, cum aliquoties toto die abſtinetur à cibo, quale uſitatum fuit in ueteri Teſtamento, Leuit. 16. Et teſtantur exempla Ioſaphat, Niniuitarum & alia. Hoc genus ieiunij receptum eſt etiam in uſum poſt diuulgationem Euangelij, ut apparet ex Actis Apoſtolicis cap. 13. & 14. Secuta autem eſt poſtea magna uarietas obſeruationis id genus ieiunij in Eccleſijs. Sed hæc uarietas ſicut non attulit Eccleſiæ ullum incommodum, ita teſtificata eſt, libertatem uſus huius ieiunij. Et extat apud ueteres obſeruabile dictum de hac uarietate: Ieiuniorum, inquiūt, diſcrepantia non rumpit fidei conſonantiam.

Etſi autem nonnulli ſentiūt, Chriſtum dedicaſſe exemplo ſuo ieiunium quadrageſimale, tamē manifeſtum eſt, quòd Chriſtus non mandauerit hoc ieiunium, nec rerum natura ferat, ut exemplum ieiunij Chriſti, qui totis quadraginta diebus & noctibus ab omni cibo & potu abſtinuit, imitemur.

Et nō obſcurè ſignificat Euſebius, uſum huius quadrageſimalis ieiunij fuiſſe in Eccleſia liberrimum.

Dicit & Chryſoſt. in Gen. cap. 2. homi. 11. Si ieiunare non potes, potes tamen abſtinere à delictis, Hoc autem non minimum eſt, nec à ieiunio multum diſtans, ſed ipſum quoq; Diaboli furorem proſternere idoneum. Nec erat inſtitutus delectus ciborū, quod Apoſtolus dixiſſet: Mundis omnia eſſe munda.

Sed in talium ieiuniorūm obſeruatiōe maximè omnium cōſiderādus eſt finis. Veteres ieiunarunt aliquoties totis diebus, ut uacarent publicæ precationi, & hac diſciplina admonerent Eccleſiam ſuam, ac præſertim iuuentutem, de præteritis, uel de preſentibus, uel de imminentibus periculis, ac excitarent eam ad agendam pœnitentiam, qua ira Dei mitigaretur. Hic eſt pius & utilis horum ieiuniorum finis.

Alij ieiunant, ut merito huius operis expient peccata coram Deo, uel, ſicut nonnulli loquuntur, applicent ſibi ieiunio ſuo meritū Chriſti. Sed hic finis omnino refutandus eſt. Primùm enim, ſola mors Chriſti eſt expiatio peccatorum noſtrorum. Deinde

ieiunium nõ eſt in hunc uſum ordinatum, ut ſit opus, quõ applicetur nobis meritum Chriſti. Aut enim ieiunium cõiunctum eſt cum uera pœnitentia, tunc meritum Chriſti applicatum eſt pœnitenti per fidem, quæ eſt præcipua pars pœnitentiæ, antequam ſuſcipiat uel perficiat ieiunium. Aut ieiunium eſt ſine pœnitẽtia, tunc eſt in conſpectu Dei abominandum, tantum abeſt, ut applicet ieiunanti meritum Chriſti.

Eſaiæ. 58. Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum?

Auguſtinus epiſtola 86. ad Caſulanum.

Ego in Euãgelicis & Apoſtolicis literis, totoq; inſtrumento, quod appellant Teſtamentum nouum, animo id reuoluens, uideo præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini uel Apoſtolorum non inuenio definitum. At per hoc ſentio, non quidem ad obtinendum, quam Fides obtinet, IVSTICIAM, in qua eſt pulchritudo filiæ regis intrinſecus.

Chryſoſt. tom. 4. de ieiunio Quadrageſ. hom. 73.

Si quotidie huc conuenimus, ac totam ieiunemus quadrageſimam, & nõ Mutamus uitam in melius, maioris damnationis occaſio nobis fieret. Ex his manifeſtum eſt, quòd ſentire ieiunium eſſe opus, quo uel peccata coram Deo expientur, uel meritum Chriſti applicetur, nec ſit Apoſtolicum nec Catholicum.

DE CONSECRATIONE AQVÆ, SALIS, Vini, Herbarum, & aliarum rerum.

AGnoſcimus in ueteri Teſtamento diuinitùs fuiſſe inſtitutã aquam aſperſionis, qua Leuiticę immundiciæ purgabant.

Agnoſcimus etiã miraculum, quo Propheta Elizæus ſanauit ſteriles aquas Iericho, iniecto ſale. Et amplectimur, quod Paulus ad Timotheum ſcribens: omnis, inquit, creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum Dei & precationem.

Sed quod conſecret in nouo Teſtamento aqua, quam uocant benedictam, cuius aſperſione deleantur peccata uenialia, & pellantur dæmones, ac conſecretur etiam ſal, qui faciat res alioqui noxias ſalutares, non uidetur nec Apoſtolicum nec Catholicum eſſe. Nam imitatio Leuiticæ aſperſionis, & miraculi Elizæi, non eſt uerbo Domini mandata, ſed humano arbitrio uſitata: pertinet igitur ad hoc dictum Chriſti, Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum. Et manifeſtum eſt, quòd aſperſio ſanguinis Chriſti, quæ fit per uerbum Euangelij, per Baptiſmũ & Cœnam Dominicã, excipitur autem per fidem, emundet nos à peccatis. Quod igit eſt ſolius ſanguinis Chriſti, diuina

ordinatione

ordinatione pro peccatis nostris effusi, hoc non debet tribui aquæ, humana ordinatione consecratæ.

Quòd autem Elizæus sanauit aquas steriles sale, proponitur nobis admirandum, ut confirmemus ex eo fidem, quam debemus Propheticæ concioni adhibere, non proponitur nobis sine certa uocatione Dei imitandum: propterea quòd miracula sanctorum non soleant esse generalia, sed personalia.

Quòd autem Paulus dicit, creaturas sanctificari uerbo Dei, & precatione, non sentit creaturas, exempli gratia, salem, carnem, oua, herbas, esse exorcizandas, ut usu earum fugetur Satan, sed quòd omnes creaturæ sint uerbo Dei in suum quæq; externum usum ordinatæ, quæ nobis tunc in bonum cedunt, cum ipsis ex fide & inuocatione Dei rectè utimur. Sic creauit Deus salem ad condiendum cibum, & ad conseruandam carnem à putrefactione, aquam ad potum, aut lauationem, aut rigationem, non ad fugandum dæmonem. Ordinauit quidem in Baptismo aquam ad abluenda peccata, hæc autem nõ est generalis creatio Dei, sed specialis ordinatio, certo uerbo Dei definita. Nam quantum attinet ad generalem Dei creationem & sanctificationem, non extat uerbum Dei, quod testificetur creaturas, quas antea commemorauimus, exorcismis ad hoc utiles fieri, ut deleant peccata, & fugent dæmones. Quod autẽ suscipitur sine uerbo Dei, in alienum à diuina ordinatione usum, non potest fieri ex fide, sed fit abusus, & adfert magis perniciem quàm salutem.

Ad Roman. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Cyprianus epistola 3. libro 2.

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciẽdum putârit, sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei ueritatem.

DE SACRA SCRIPTVRA.

SAcram scripturam uocamus eos Canonicos libros Veteris & Noui Testamenti, de quorum autoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est. Hanc scripturam credimus & confitemur esse oraculũ Spiritus sancti, cœlestibus testimonijs ita confirmatum, ut si angelus de cœlo aliud prędicauerit, anathema sit. Quare detestamur omnem doctrinam, cultum & religionem pugnantem cum hac scriptura.

Sed quod nonnulli sentiunt in hac scriptura non contineri omnem doctrinam, nobis ad ueram & perpetuam salutem cognitu necessariã: & ius interpretandæ huius scripturæ in potestate summorum Põtificum ita situm esse, ut quod hi pro suo arbitrio pronunciant, amplectendum sit pro sententia Spiritus sancti, uidetur facilius posse dici quàm probari.

2.ad Timoth.3.

Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, & utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſticia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

Ioan.15. Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota uobis feci. Quę autem Apoſtoli acceperunt à Chriſto, ea uulgauerunt prædicatione ſua in toto orbe terrarũ, & tradiderunt ea poſteritati ſcriptis ſuis. Manifeſtum igitur eſt, quòd omnia quæ ad ſalutẽ cognitu neceſſaria ſunt, in ſcriptis Prophe-ticis & Apoſtolicis contineantur.

Chryſoſt. ad Titũm, homi.1.

Manifeſtauit temporibus ſuis uerbum ſuum in prędicatione, quæ credita eſt mihi. Hæc eſt prædicatio. Omnia enim Euange-lion continet & præſentia & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia prædicationis uerbo concluſit.

Hieronymus ad Titum cap.1.

Sine autoritate ſcripturarum, garrulitas non habet fidem.

Auguſt. ſuper Ioan. cap.11. tract.49.

Nam cùm Dominus Ieſus multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Dominũ Chriſtum & dixiſſe & feciſſe, quę ſcripta non ſunt, ELECTA autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ Saluti credentium ſufficere uidebantur. Nam quod aiunt, Ius interpretandæ ſcripturæ eſſe penes ſummos Pontifices, non eſt obſcurum, quòd donum interpretandæ ſcripturæ non ſit humanæ prudentiæ, ſed ſancti ſpiritus. Vnicuiq;, inquit Paulus, datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alĩ quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. Spiritus ſanctus autem eſt liberrimus, nec eſt ad certum genus hominum alligatus, ſed diſtribuit dona hominibus pro ſuo ipſius beneplacito.

Numeri 11. Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritũm ſuum?

Iud.4. Debora, mulier, uxor Lapidoth, excitat in Propheram.

Amos 7. Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, uellicans ſycomoros, &c. Et tamen Amos accepit Spiritum ſanctum, & factus eſt Propheta.

1.ad Corinth.12. Hæc omnia operatur unus & idem ſpiritus, diſtribuens unicuiq; prout VVLT.

Teſtantur etiam exempla, quòd ſummi Põtifices ſæpe ac multum fœdè errauerint.

Quare donum interpretandæ ſcripturæ, non eſt in ordinem ſummorum Pontificum ita cõcludendum, ut quiſquis Pontifex fuerit, ſcripturã rectè interpretet. Sed uera ſentẽtia ſcripturę quærẽda eſt in ipſa ſcriptura, & apud eos, qui diuino ſpiritu excitati, ſcripturam per ſcripturam interpretantur. DE

DE SVMMO PONTIFICE.

SVnt qui tribuunt Romano Pontifici, quòd sit caput uniuersalis Ecclesiæ, & habeat potestatem non in terris tantum constituendi regna Politica, & gubernandi Ecclesiastica, uerum etiam in cœlis mandandi angelis, liberandi animas è purgatorio, & beandi aut damnandi quos libet.

Nos autem agnoscimus, quòd siquidem Romanus Pontifex fuerit uir pius, & docuerit Euangelion Christi, iuxta Prophetica & Apostolica scripta, habeat ministerium summę in hac terra po testatis, uidelicet ministerium remittendi & retinendi peccata: quo ministerio non est in his terris nec maius nec excellentius. Habet autem hoc ministerium non solus, sed habet commune cum omnibus ijs, qui legitima uocatione adnunciant Euangelion Christi. Ministerium enim remittendi aut retinendi peccata, quod aliâs uocatur clauis regni cœlorum, non est liberæ potesta ti personæ hominum traditum: sed est in ipsum Euangelij uerbum ita inclusum, ut quotquot Euangelion adnunciant, dicantur uerè peccata remittere & retinere, illud quidem his, qui Euan gelion fide accipiunt, hoc aũt his, qui Euangelion contemnunt.

Marci ultimo. Prædicate Euangelion omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Hilar. de Trinitate lib. 6. Petro reuelauit Pater ut diceret, Tu es filius Dei. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est: hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: hæc fides quæ in terra soluerit aut ligauerit, ea ligata sunt in cœlis & soluta.

Chrysostomus.

Clauicularij sunt sacerdotes, quibus creditum est uerbum docendi, & interpretandi scripturas. Clauis aũt est Verbum scientiæ scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua ueritatis.

August. de doctrina Christ. lib. 1. cap. 18.

Has claues dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo, quæ ligaret in terra, ligata essent in cœlo. Scilicet, ut quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quisquis autem crederet, secq; ab his correctus auerteret, in eiusdẽ Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atq; correctione sanaretur.

Ambrosius: Peccata per Verbum dimittũtur, cuius interpres seu expositor est Leuita.

Bernardus in Epistola ad Eug.

Verus successor Pauli dicet cum Paulo, Non quod dominemur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij. Petri hæres audiet Petrum dicentem, Neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis.

Thomas in Summa ſua, parte 3. in additi. q. 6. ar. 6.

Quia Eccleſia fundatur in fide & in ſacramentis, ideo ad miniſtros Eccleſiæ, nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua ſacramenta inſtituere, aut inſtituta remouere, non pertinet: ſed hoc eſt poteſtatis excellẽtiæ, quæ ſoli debetur Chriſto, qui eſt Eccleſiæ fundamentum. Et ideo, ſicut Papa non poteſt diſpenſare, ut aliquis ſine Baptiſmo ſaluetur, ita nec quòd ſaluetur ſine confeſsione, ſecundum quòd obligat uis ſacramenti.

Etſi autem Thomas ſuas habet opiniones de confeſsione, tamen hoc, quod dicit, ad miniſtros Eccleſiæ (inter quos etiam Papam numerat) non pertinere, nouos Articulos fidei condere, & noua ſacramenta inſtituere, uerè eſt Apoſtolica & Catholica ſententia. Nã ad miniſtros Eccleſię non pertinet, ex uocatione Chriſti, aliud miniſterium, quàm quod ſuprà de remittendis & retinendis peccatis commemorauimus, & quo Apoſtoli ipſi functi ſunt. Quòd ſi prẽter hoc miniſterium, aliquid amplius Romano Pontifici tribuitur, hoc aut conceditur ei humanis ordinationibus, aut confictum eſt à Monachis & adulatoribus, contra uerbi Dei autoritatem.

DE ECCLESIA.

CRedimus & confitemur, cp una ſit ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, iuxta ſymbolum Apoſtolorum & Nicęnũ.

2. Quòd hæc Eccleſia, à Spiritu ſancto ita gubernetur, ut etſi ſinit eam eſſe in his terris imbecillem, conſeruet tamen eam perpetuò, ne uel erroribus, uel peccatis pereat.

3. Quod huic Eccleſiæ in hac terra multi mali & hypocritæ admixti ſint.

4. Quòd hi mali & hypocritæ, ſi miniſterium Eccleſiæ legitima uocatione ſuſceperint, ueritati ſacramentorum per ſe nihil incommodi afferant, niſi inſtitutionem Chriſti peruertant, & impia doceant.

5. Quòd in hac Eccleſia ſit uera peccatorum remiſsio.

6. Quòd hęc Eccleſia habeat ius teſtificandi de ſacra ſcriptura.

7. Quòd hęc Eccleſia habeat ius iudicandi de omnibus doctrinis, iuxta illud, Probate ſpũs nũ ex Deo ſint. Et, Cęteri dĩjudicẽt.

8. Quòd hæc Eccleſia habeat ius interpretandę ſcripturę.

Sed ubi hæc Eccleſia ſit quęrenda, & an iura eius ſint certis terminis circumſcripta, alĩj aliter ſentiunt. Arbitramur autem autoritate ſacræ ſcripturæ, & ueterum Patrum ſentiendum eſſe, uerè Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, non ad unum certũ locum aut gentem, nec ad unum certum hominum genus, alligatam eſſe: ſed in eo eſſe loco aut gente, ubi Euãgelion Chriſti ſynceriter prædicatur, & ſacramenta eius rectè, iuxta inſtitutionem Chriſti, adminiſtrantur.

Ioan.10.Scriptū eſt,Ego dixi,dij eſtis.Illos dixit deos, ad quos factus eſt ſermo Dei, &c. Ergo ibi eſt populus ſeu Eccleſia Dei, ubi ſermo Dei prædicatur.

Ioan.15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis.Sermo igitur Chriſti,qui eſt Euangelion,demonſtrat ubi ſit Eccleſia,quæ coram Deo ſit munda.

Ad Rom.1.Euangelion eſt potentia Dei,ad ſalutem omni credenti. Vbi igitur eſt Euangelion,quod agnoſcitur fide,ibi Deus habet Eccleſiam,in qua eſt efficax ad æternam ſalutem.

Chryſoſt.in commen.in Euangelion Matth.cap.24.hom.49. Quare hoc tēpore omnes Chriſtiani conferre ſe ad ſcripturas debent.Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias,nulla probatio poteſt eſſe ueræ Chriſtianitatis, neq; refugiū poteſt eſſe Chriſtianorum aliud,uolentium cognoſcere fidei ueritatem,niſi ſcripturæ diuinæ.

Et poſtea:Qui ergo uult cognoſcere,quę ſit uera eccleſia Chriſti,unde cognoſcat, niſi tantummodo per ſcripturas?

Auguſtinus tom.2.Epiſt.166.

In ſcripturis didicimus Chriſtum,in ſcripturis didicimus Eccleſiam,has ſcripturas communiter habemus,quare non in eis et Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus?

Et iterum Tom.7.in epiſtola contra epiſtolam Petiliani Donatiſtæ cap.2.3.& 4.

Inter nos & Donatiſtas quæſtio eſt,ubi ſit Eccleſia:quid ergo facturi ſumus?In uerbis noſtris eam quæſituri,an in uerbis capitis ſui,Domini noſtri Ieſu Chriſti?Puto q̄ in illius potius uerbis quærere debemus,qui ueritas eſt,& optimè nouit corpus ſuum. Quod aūt affirmat̄,Eccleſiam habere ius teſtificandi de ſacra ſcriptura,interpretandi ſcripturam,& iudicandi de omnibus doctrinis,non ſic intelligendū eſt,q̄ Eccleſia habeat liberam poteſtatē quiduis ſtatuendi,ac etiam,ſi libeat,mutandi ſcripturam,& fingendi nouam doctrinam,ac inſtituendi nouos cultus Dei,ſed q̄ Eccleſia,ut ſponſa Chriſti,agnoſcat uocem ſponſi ſui,& acceperit à ſponſo ſuo certam regulam,Propheticam uidelicet & Apoſtolicam prædicationem, cœleſtibus miraculis confirmatam, iuxta quam debeat,obſcura,ſi quæ uidentur,loca ſcripturæ interpretari,& de doctrinis iudicare.

Pſal.118.Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Ad Rom.12.Habentes dona,iuxta gratiā datam nobis,uaria, ſiue prophetiā,iuxta analogiam fidei.

2.Petri 1.

Habemus firmiorem ſermonem propheticum,cui dum attenditis,ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco,rectè facitis &c.

Origenes inHiere. ho.1. Neceſſe eſt nobis ſcripturas ſanctas

in testimonium uocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus, non habent fidem.

Hierony. in Matth. 23. Quod sine autoritate scripturæ dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur.

August. de nup. & concupis. lib. 2. cap. 23. Ista controuersia iudicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat. Hic est, inquit, sanguis meus.

Et mox.

Iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus, clamat & dicit de Deo Patre: qui proprio filio, &c.

Quare Ecclesia sic habet autoritatem iudicãdi de doctrinis, ut tamen contineat se intra metas sacræ scripturæ, quæ est uox spõsi sui, à qua uoce nulli, ne angelo quidem, fas est recedere.

DE CONCILIIS.

FAtemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatis & sacris iudicia, & magnam esse legitimorum Conciliorum autoritatem. Sed longè omnium maxima sit autoritas uerbi Dei, necesse est. Etsi enim Ecclesia habet certam promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernetur à Spiritu sancto, tamen non quiuis hominum cœtus, pro uera Ecclesia haberi potest. Et ut maximè multi aliquoties in nomine Christi conuenire uidentur, tamen pauci sunt electi, & non est omnium fides. Et quod in politicis, idem & in Ecclesiasticis cœtibus fieri solet, ut plerumq; maior pars, uincat meliorem. Huc accedit quòd Spiritus sanctus non faciat populum suum in hac uita ἀναμάρτητον, hoc est, impeccabilem, sed relinquat in ipso multas & uarias imbecillitates.

Testantur quoq; exempla, non Pontifices tantum, sed etiam Concilia errasse. Quare postquàm Prophetica & Apostolica doctrina diuinitùs confirmata est, nullius uel hominis uel hominũ cœtus sententia, simpliciter pro oraculo Spiritus sancti, sine iudicio recipienda est: sed exigenda ad normam doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, ut quod cum hac conuenit, agnoscatur, quod cum hac pugnat, refutetur.

Ad Gala. 1. Si nos, aut angelus de cœlo, prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit.

1. Ioannis 4. Nolite cuiuis spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint.

1. ad Thessal. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete.

August. contra Maxi. Ariano. Epis. lib. 3. cap. 14.

Sed nunc nec nego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquàm præiudicaturus, proferre concilium, nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris, scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cũ re, causa cum causa, ratio cum ratione, utriq;, &c.

Panormitanus

Panormitanus in c. significasti ex. de electio.

In concernentibus fidem, etiã dictum unius priuati esset præferẽdum dicto Papæ, si ille moueretur melioribus autoritatibus Noui & Veteris Testamenti, quàm Papa.

Gerson parte 1. de examinatione doctrinarum.

Prima ueritas staret, quòd aliquis simplex, nõ autorizatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, q̃ plus esset credendum, in casu doctrinali, suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus ueritatem aliquã in Euangelio contineri, ubi & Papa nesciret, uel ultro erraret, patet cuius præferendum sit iudicium.

Et mox, Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale cõcilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem partem ad oppositum Euangelij, malicia uel ignorantia declinare.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

COram cano capite, inquit scriptura, assurge, & personam senis uenerare. Veneramur igitur caniciem maiorum nostrorum, qui iam inde ab initio reuelati & propagati Euangelij, in orbe terrarum susceperunt studium iuuandæ Ecclesiæ non solum uocali prædicatione, sed etiam publicis scriptis, ut posteritas habeat, ab Apostolicis temporibus usq̃ ad hæc tempora, manifesta & certa piæ doctrinæ testimonia. Horum autem scripta sic amplectimur, quemadmodum & sacra Scriptura permittit nobis humana autoritate uti, & sua ipsi scripta agnosci uoluerunt.

Iob. 12. (Vos amici dicitis) quod in antiquis sit sapientia, & in multo tempore prudentia (Ego autem dico uobis) apud ipsum, uidelicet DOMINVM Deum nostrum, est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.

1. ad Corinth. 14. Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent.

1. ad Thessal. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Tertullianus in libel. de prę̃scriptionib. hęreticorum.

Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerũt, sed acceptam à Christo fideliter disciplinam, nationibus assignarunt.

Augustin. in Epistola ad Fortunatum dist. 8.

Nec̃q quorumlibet disputationes, quanquam Catholicorum & laudatorũ hominum, uelut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis nõ liceat, salua honorificẽtia, quæ illis debet̃ homi

nibus,aliquid in ſcriptis eorum improbare atq; reſpuere, ſi fortè inuenerimus,quòd aliter ſenſerint,quàm ueritas habet,diuino adiutorio ab alijs intellecta,uel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum,quales uolo eſſe intellectores meorum.

Et iterum in proh.lib.3.de Trinit.

Noli meis literis quaſi Canonicis ſcripturis inſeruire, ſed in illis,& q̃d non credebas,cũ inueneris,incunctanter crede. In iſtis aũt,quod certũ habebas,niſi certũ intellexeris,noli firmè tenere.

Ac rurſus ad Vincentium lib.2.

Negare nõ poſſum,nec debeo,ſicut in ipſis MAIORIBVS, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio,& nulla temeritate,culpari.

Et iterum in epiſtola ad Hieronymum.

Ego ſolis eis ſcriptoribus,qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem. Ac mox, Alios autem ita lego,ut quantalibet ſanctitate,quantaue doctrina polleant, non ideo uerum putem, quia ipſi ita ſenſerunt,ſed quia mihi per alios autores,uel per Canonicas,uel probabiles rationes,quæ à uero nõ abhorreant,perſuadere potuerunt.

Et aliâs de unico Baptiſmo in epiſtola ad Vincent.

Quis neſciat ſanctã ſcripturã,&c. Et: Noli frater contra diuina tã multa,&c. Nã hi loci,uel ex ipſis Põtificum decretis,noti ſunt.

DE CÆRIMONIIS ECCLESIASTICIS.

AGnoſcimus à Chriſto filio Dei duas cærimonias, in Eccleſia inſtitutas eſſe,Baptiſmum & Cœnam Dominicam,quę & iuxta inſtitutionem Chriſti, neceſſariò ſunt obſeruandę. Fatemur etiam Apoſtolos inſtituiſſe quaſdam ordinationes in Eccleſia,ut omnia decenter & ſecundum ordinem, ſicut Paulus loquitur,fierent,quales ſunt quæ deſcribuntur 1.ad Corinth.14. & 1. ad Timotheum 2.

Vſurparunt quoq; Apoſtoli in deſignandis miniſtris Eccleſiæ impoſitionem manuum,quæ retenta ex conſuetudine ueteris legis,non autem mandata Eccleſiæ,liberè ſeruari poteſt.

Inſtituerunt in Actis Apoſtolicis, ut gentes cauerent ab eſu ſuffocatorum,& ſanguinis,non ut hæc obſeruatio eſſet inter gentes perpetuò,ſed temporalis, & tantiſper duratura, dum hic eſus non eſſet amplius offendiculum.

Fatemur & hoc,quòd Epiſcopis liceat,cum Eccleſiæ ſuæ conſenſu,ordinatiões dierum,feſtorum & lectionum ſeu concionũ, ad ædificationẽ & eruditionẽ ueræ fidei in Chriſtum, inſtituere.

Sed non licet obtrudere Eccleſiæ ritus ueteris legis pro ſacro diuino, quo Deus ſingulariter per ſe colatur.

Nec licet uel ueteres ritus legis reſtaurare, uel nouos comminiſci ad adumbrandam ueritatem Euangelio iam patefactam & illuſtratam:

illustratam: quales sunt interdiu accendere cereos, ad significandam lucem Euangelij, aut uti uexillis & crucibus, ad significandã uictoriam Christi per crucem: Quod genus est uniuersa panoplia uestium missalium, quam aiunt adumbrare totam Passionẽ Christi. Et multa id genus alia.

Multo minus licet instituere cærimonias aut sacra, quorũ meritis expientur peccata, & accipiatur regnum cœleste.

Nam de priori illo genere cærimoniarum & sacrorum, Christus ex Esaia concionatur, Frustra, inquiens, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Paulus. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij &c. His accedunt testimonia Augustini & aliorum, de libera talium cærimoniarum obseruatione.

De posteriori autem genere cærimoniarum, manifestum est quòd sint impia sacra, & contumelioſa in mortem & resurrectionem Christi, cuius solius merito habemus expiationem peccatorum, & hæreditatem æternæ uitæ per fidem.

Recensuimus quæ uidentur in doctrina Ecclesiastica, & uniuersa Ercleſiæ administratione tum probanda, tum refutãda, aut emendanda. Ac si quid breuius aut obscurius, quàm res tãta postulet, dictum est, recipiunt se concionatores nostri, copioſius & magis perspicuè explicaturos.

Quod reliquum est oramus per Iesum Christum filium Dei, unicum seruatorem nostrum, omnes pios, ut quod ipsos sua spõte facere speramus, pro suo quisq; officio & uocatione uerum ac serium instaurandæ Ecclesiæ studium suscipiat. Negari non potest, quin hactenus multis annis nõ solum disciplina Ecclesię collapsa sit, & mores eius magnis & horribilib. uitijs corrupti sint, ac à maiorum nostrorum honestate plurimum degenerauerint, uerum etiam doctrina Ecclesiæ intolerandis corruptelis depraua ta fuerit. Quæ si deinceps aut dissimulantur aut confirmãtur, cogitare quisq;, uel mediocri prudentia prędituſ, potest, quanta mala sint in Ecclesia Domini secutura.

Notæ sunt diræ & maledictiones, quibus diuina lex uiolatores uerbi Dei deuouet. Et Iosias Rex Iudæ, in instaurãda Ecclesia planè heroico animo præditus, etsi inuento & perspecto libro legis, pia sua pœnitẽtia & obedientia iram Dei ita mitigabat, ut supplicia quæ tunc Ecclesia Dei, neglectione uerbi eius & impietate, merita erat, in aliud tempus reijcerentur, ea tamen fuit seueritas Dei, aduersus contemptores uerbi sui & impœnitentes, ut Rex, quantumuis pius, non potuerit eam prorsus è medio tollere & placare. Existimamus autem iram Dei his temporibus propter tot horrendas impietates, propter tot infanda scelera & offendicula, quæ in populo ipso, qui DEI nomine gloriatur, ma-

nifestiora sunt, quàm ut negari, & illustriora sunt, quàm ut excusari queant, non minus, imò multo grauius aduersus cœtum Ecclesiæ suæ accensam & inflammatam esse, quam olim, cum filius Dei nondum esset per Euangelion suum orbi patefactus. Ac tanto seuerius erit iudicium Dei, quanto maiora sunt beneficia, quę & superioribus, & his præsentibus temporibus in ingratos contulisse uidetur.

Sed cùm alia multa in Ecclesia & ministerio eius, correctione indigent, tum præcipuè doctrina de pœnitentia, iustificatione: usus item sacramentorum, & cœlibatus ministrorum Ecclesiæ, piam exigunt emendationem. Hæc si iuxta Prophetica & Apostolica scripta, ac iuxta uerè Catholicum ueteris & purioris Ecclesiæ consensum, beneficio Dei, ac diligentia & cura optimorum quorumcę uirorum, restituta fuerint, non solum præstabitur cultus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratissimus, uerum etiam uniuersus Christianus orbis excitabitur, ut, quibus possit officijs, gratitudinem & obedientiam suam sit declaraturus. Nos quidem, non sumus de nostris concionatoribus alicuius erroris, uel in doctrina, uel in reliqua Ecclesiæ administratione, conscij: attamen non dubitamus, eos tanta modestia & pietate prædi tos, quin si testimonijs cœlestis doctrinæ, & uero consensu Catholicæ Ecclesiæ admoniti fuerint, ædificationi Ecclesiæ haud quaquam sint defuturi. Quod autem in nobis & in nostra est gubernatione, summam dabimus operam, ut, adiuuante diuina clementia, nihil eorum officiorum à nobis prætermittatur, quibus speramus ueram Ecclesiæ tranquillitatem & salutem in filio Dei conseruari posse.

FINIS CONFESSIONIS VVIRTENBERGEN.

ASSERTIO

ASSERTIO

Catholicæ fidei circa articulos CONFESSIONIS NOMINE ILLVSTRISSIMI DVCIS VVIRTENBERGENSIS OBLATÆ PER Legatos eius Concilio Tridentino, XXIIII. Ianuarij Anni M. D. LII.

AVCTORE F. PETRO A SOTO, ORdinis Sancti Dominici, professore Theologiæ.

QVÆ LIBER CONTINEAT, ET QVIS sit Index utriusq; confessionis, reperies in fine Assertionis Catholicæ fidei.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC

DOMINO D. CHRISTOPHORO DVCI VVIR-

tenbergenſi, & Teccenſi, ac Comiti Montis Beligardi, F. Petrus de Soto. S. D.

MIraberis optime Princeps, q̃ non ſolùm tibi ſcribere, ſed & has qualeſcũque meas lucubratiunculas nomini tuo dicare a uſim, homo & ignotus & aduena: ſed audi obſecro paucis, quid ad hoc agendum conſilium, & audaciam mihi ſubmini ſtrauerit, ſpero pro tua ſingulari humanitate, prudentia, candore animi, & cæteris dignis principe uirtutib. non futurũ tibi animum meũ ingratũ, etſi opus ipſum quantũ probaturus ſis, ꝓmittere mihi non audeam. Hoc duntaxat poſſum certò teſtari, omnia mea in hoc opere ex bona cõſcientia, & animo in tua obſequia promptiſsimo, exardentis ſalutis tuæ deſiderio, ꝓficiſci. Audi igitur conſilij mei rationẽ. Circumfertur per omnium manus libellus, non latinè ſolùm editus: ſed, ut audio, etiam Germanicè, cui hic eſt titulus: Confeſsio piæ doctrinæ, quæ nomine illuſtriſsimi Principis, ac domini D. Chriſtophori Ducis Vuirtenbergẽſis, & Teccenſis, ac Comitis Montis Beligardi, per Legatos ſuos die xxiiij. menſis Ianuarij, Anno M. D. LII. cõgregationi Tridentini concilij propoſita eſt. Poſt hunc titulum in p̃fatione libri, tu ipſe loquẽs, inſinuas iuſſu tuo, ditionis tuæ concionatores ſummam doctrinæ, quam in Eccleſijs docent, conſcripſiſſe. Quã tibi placuit publicè etiam proponi, atq; edi, non ſolùm ut Cæſari, ac reliqs Romani imperij ſtatib. quibus uiſum eſt, ut ſinguli cõmemorarent ſi quid haberent quod ad pacẽ Eccleſiæ, uel tranquillitatẽ conſcientiæ pertineret, morẽ gereres: ſed etiã ut oſtenderes eo libello uniuerſę piorũ Eccleſiæ, nihil eſſe in ueſtris Eccleſijs, q̃d non conſentiat cũ ſcripturis Propheticis, & Apoſtolicis, & ſenſu uerè catholicæ Eccleſiæ. Hic igitur libellus ut primùm in manus uenit, uiſus eſt mihi, ab omnibus ad quos deueniret, ꝓprię fidei cõfeſsionem exigere, atq; adeò ad eam profitẽdam oẽs aſtringere. Eſt enim, dum hac ſpe ꝓponitur, q̃ probandus ſit ab omnibus pijs, quaſi interrogatio quædam de fide, nec interrogatio ſolùm, ſed exactio etiam talis, cui ſi ſemel perlectæ non contradixeris, uidearis conſentire. Quia igitur fides ad ſalutem confitenda eſt: nec cuiquam licet interrogato de fide, uel metu, uel uerecũdia, non eam fateri: putaui mihi, ut qui ea legiſſem, & unus eſſe cuperẽ ueræ Eccleſiæ filius, incumbere, ut reſponderẽ de fide, non ſingulariter mea, ſed catholicæ Eccleſiæ, in cuius unione, Deo propitio, ab ipſis incunabulis uixi, cuiuſq; doctrina inter antiquos eius doctores ſum ab adoleſcentia enutritus. Hoc itaq; illi me debere putabam, ut quod certò didici, eam ſentire circa illa, de quibus liber hic interrogat, dicerem, & pro captu meo confirmarẽ, præcipuè dum alij alijs intenti hoc non agunt. Hoc conſilium tibi optime Princeps non probari nõ debet, in quo propter illa, quæ de confitenda uera fide ſacræ literę nos docent, tuum exemplum & exhortationem ſecutus ſim. Tu enim ſecularis Princeps, & ab Eccleſiæ functione, ut ipſemet fateris, diſcretus, putaſti hoc nomine & Deo, & Eccleſiæ tua ſtudia probata efficere, ſi curam piæ doctrinę inſtaurandæ & propagandæ impenderes, quum non deſint tibi multa, & priuata, & publica, quibus tuam pietatẽ erga Deum, & Eccleſiam manifeſtes. Quod cùm ita ſit, quo iure reprehendere poteris Eccleſiaſticũ hominẽ, & unius ſcripturæ, & ſanæ doctrinæ ſtudijs duntaxat per totã uitam deditum, q̃ non ultrò, ſed interrogatus reſpondeat de fide tibi, Eccleſijs tuis, omnibus deniq; ad quoſcunq; peruenerint hæc ſcripta, pro catholica Eccleſia? Hoc eſt enim, q̃d nos exemplo ſuo dignus ille Deo Rex, & Eccleſiæ Pſaltes docuit, ad Dei miſericordiã conciliandam unicè prodeſſe: Annunciaui, inquit, iuſticiam tuam in Eccleſia magna: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti: Iuſticiam tuã non abſcondi in corde meo: ueritatẽ tuam, & ſalutare tuũ dixi: & mox, quid ſibi propter hoc à Deo ſperandũ ſit ſubiungens ait: Tu aũt Domine ne longè facias miſerationes tuas à me. Miſericordia tua, & ueritas tua ſemper ſuſceperũt me. Sed & illud Princeps illuſtriſsime conſideraui in tuo hoc edendi, Confeſsionẽ hanc, coram totius Eccleſiæ cõuentu exhibitam, ꝓpoſito, q̃ cupias ad eam recipiendam alios adducere, hoc eſt, ea quæ tibi perſuaſa ſunt, cæteris pſuadere: nec enim ſatis tibi uiſum eſt, ſi fidem tuã teſtareris corã Eccleſia, q̃d eſt Principis ingenui, & Chriſtiani, teſtimoniũ conſcientiæ ſuæ audientis. Sed addidiſti, ut exhiberes omnibus uulgari etiã lingua legendam, q̃d non aliò reuerà tendit, quàm ut pſuadeat, ubi urgentior iam cauſa, & inſtantior nobis oblata eſt reſpõdendi. Quũ enim agatur cõmunis cauſa ſalutis omniũ, dum agitur cauſa fidei, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, qs dubitat ad oẽs Chriſtianos pertinere, ut pro uirili ſua corã ijs maximè ueram fidem aſſerant, quibus alia ꝓponuntur, quiq; iudices conſtituuntur reijciendi antiqua, recipiendi noua, ubi ſeipſos etiam iudicaturi ſunt, ſi ut ſcriptũ eſt: Qui nõ credit iã iudicatus eſt, q aũt credit nõ iudicatur. Quia igitur lectores cõfeſsionis huiꝰ iudices

efficiun-

efficiuntur etiam à te ipso generosissime Princeps fidei, & salutis suæ, par est, & æquũ, ut quod nosti, & præstas in prophanis iudicijs, non patiaris modò, sed gratissimum habeas in hoc tanto iudicio, ut non desit aduocatus alterius, ut ita dicam, partis, quæ agitur rea. Tui concionatores te auctore causam proponunt contra Ecclesiam catholicam, pro ut illi dicunt, probandam à legentibus. Non igitur æquum est, ut desit qui pro catholica Ecclesia respõdeat. Et tibi certè Dux inclyte, non contemnendum, neque exiguum exhibet officium, qui hoc agit. Nam & tu ipse unus es ex ijs, qui iudicium istud assumunt, atq; de fide, & salute sua nũc denuò decernunt. Quomodo ergo non omnibus modis tibi obsequium præstat, & in te officiosissimus est, (quod nos teste conscientia ardenter etiam cupimus) qui hoc conatur, & agit, ut de salute tua æterna non censeas, nisi auditis omnibus, quæ in utranq; partem, non dicam adduci possunt, sed saltem modestè adducuntur? Tua in primis causa agitur Dux optime, & omnium quotquot Christiano nomine censemur. Necesse est enim omnes catholicæ Ecclesiæ præsules, principes, & populos, atque adeò proauos ipsos tuos, & tuorum in æternum perire, aut te, tuosq;, si uerum est, prout non potest non uerum esse, quod Christus inquit: Qui non est mecum, contrà me est: qui non colligit mecũ, dispergit. Hoc cùm utrinq; confiteamur, necesse est omnium testimonio maximam esse hanc causam, summam, & arduam, in qua de re summa omnium simul à Christo usq; ad finem seculi, fidelium agitur, & quod ad singulos attinet, de eo, quo amisso, omnia amissa sunt, quo habito, nihil potest amitti, animæ uidelicet æternæ salute. In hac causa iam diu anteà re uera definita, qui antiquæ Ecclesiæ coniuncti sunt, qui eius unica auctoritate contenti nolunt nouum instituere iudiciũ, nolunt denuò sedere ut iudices, sed alijs tantæ rei summam deferentes, eos malunt sequi. Qui uerò noua audire libenter cœperint, quid aliud, quàm ut ipsi de nouo iudicent, agunt? Quod si ita placet, si ita demum tibi etiam inter reliquos uisum est, ut iudicem te constituas propriæ salutis, libeat saltem audire utramque, quod aiunt, partem. Nec enim ignoras, quum neq; iudiciũ nec studium uera agnoscendi tibi desit, hãc rem controuersam esse. Hinc tuos, & similes omnes post Lutherum hæc docentes stare, inde uerò multò plures, & nunc præsentes, & ante Lutherum ortum à trecentis ut minimùm annis, ut uestri asserunt, & ut nos credimus, à mille & quingentis omnes fideles sese opponere. In hac igitur tanta causa, & ob rem de qua agitur, & ob eos, quos respicit, & ob testes, atq; aduocatos per quos agitur, quæ omnia summa sunt, audi obsecro per Christum, & per tuam ipsius æternam salutem, sapientissime Princeps audi, non me duntaxat, qui, ingenuè fateor, parũ præstare possum, sed doctiores quosq; & magis pios, undiq; etiam, si opus est aduoca, require absentes multò seriùs, quàm in causis grauissimis temporalibus agis: audi, inquam, illos quietè seorsum: absq; arbitris expende cuncta in uero timore Dei, quasi ante tribunal Christi ora ipsum, ne permittat te in tanta causa errare. Tum si placet iterum audi tuos, & ita deniq; inter utrosq; sede arbiter, non enim eorum est causa, sed tua. Noli sedẽs apud teipsum, & inter tuos duntaxat, recenti huic, & nouæ causæ addictos, aut quod magis timendum est, sensu, solicitudinibus, & delitijs seculi huius occupato, facilè censere de salute tua. Quod si à te obtinuero generosissime Princeps, gratulabor tibi certè multò magis, q̃ mihi, & mihi quantũ de ulla, quæ contingere posset, felicitate. Quod ut obtineam, offero tibi animũ meũ salutis tuæ cupidissimum offero studium omne, uigilias, & otia, atq; negotia, in tuam salutem precibus corã Deo promouendam. Quid enim potest tanto Principi paupercu lus monachus offerre? aut cur hoc ingratũ sit tibi futurum, quoniam alia, quàm tu, sentio, alia sequor, & doceo, quàm tui: non potest iudicij hæc, & sensus diuersitas extinguere charitatem Christi, aut contrahere Christiana uiscera, & quod ueraciter coram Deo fateri possum, mea quanquam angusta satis, & pro Christi in nos omnes beneficijs, quod uehementer doleo, nimiùm exigua, & tamen ea quantulacunq; non se continẽt, quin tota gestiant, in tuã se effundere amandam, desiderandamq; gloriam, & felicitatẽ. In quorũ omnium testimoniũ, quia aliud non habeo, suscipe hunc libellũ, de tua Confessione, pro tua salute, à tantillo hoc, sed tibi deditissimo, seruulo. Non uerò hoc agit libellus iste, ut oppositæ sententiæ satis putes te audisse causas, quasi is sufficiat tantæ rei dignè agendæ, cui ipse eius auctor non sufficio, sed ut saltẽ eo, si ita dignaberis, perlecto, monearis ad audiendam maturiùs hãc causam. Ideo enim ita scriptus est, ut ex una facie concionatorum tuorũ confessionem ostendat, ex altera catholicam, & doctrinæ tuorum catholicam doctrinam, auctoritatibus scripturæ, auctoritates nõ pauciores, testimonijs patrum, testimonia pariter opponat. quæ si quasi in bilance utrinq; appenderis, spero agnosces saltem non omnia manifesta, indubitata, certa esse, quæ tui talia affirmant. Atq; ita suspendendum saltem esse iudicium. Quod si neq; hoc obtinere possum, quod tamen pro tua nõ satis prædicata æquitate obtinerẽ in causa, quæ subditum aliquẽ tuũ contingeret, Hoc tamen obtineam, ut per te liceat alijs hoc agere, ut sicut in prouerbio est, uni unã, alij alteram præbeant aurẽ. Vale optime Princeps, & boni cõsule, quæ nullo fuco, nullo supercilio, nullã aut eloquentiæ, aut sapientię, ppriæ fiduciã, sed syncero animo tuę salutis, & aliorum auido, simpliciùs fortè, & ueriùs quàm prudentiùs sunt dicta.

Hunc habuit ordinẽ in Colonienſi prima editione, quẽ iustis de causis in hac secundarepudiauimus.

AD LECTOREM.

HAbes in hoc libro, candide Lector, breuẽ Catholicæ doctrinæ, circa ea, quæ hoc tempore controuertuntur, explicationem, & confirmationem. In qua quod contra fidem Orthodoxam in Confessione Vuirtenbergensi est, ostenditur, & confutatur. Idq; sit catholicæ fidei dilucida duntaxat assertione, scripturæ, & patrum testimonijs roborata. Ea autem habes hoc ordine: Primo loco præcedenti folio, Epistolam ad illustrissimum Ducem, de necessaria ratione hanc assertionem edendi, & de periculo nouis his doctrinis sese credentiũ.

Secundo, præfationem ipsius ducis Vuirtenbergensis de ratione illius in publicum euulgandæ, & deinde præfationem huius assertionis, de modestia præcipuè, mensuraq; Principum circa fidei doctrinam.

Tertio, habes ordine singula capita Confessionis Vuirtenbergensis, & posteà Catholicam circa illa sententiam, ut dictum est, confirmatam.

Quarto deniq;, in quaq; pagina scholia catholica, siue ad Vuirtenbergensem Confessionem, siue ad nostram catholicam Assertionem pertinentia: quibus & breuiter deteguntur, & diluuntur, quę illi cõtra catholicam fidem aut apertè, aut clàm moliuntur, & multa scripturæ, & patrum loca explicantur.

CONFESSIONIS VVIRTENBERGENSIS Præfatio.

CVM agnoscamus, nos diuina clementia ad gubernaculum nostræ regionis ac Reip. *uocatos, nihil prius hactenus duximus, quàm ut corã Deo Patre domini nostri Iesu Christi, & uniuersa eius Ecclesia, studium nostrum in excitanda & propaganda uerè* [a] *pia doctrina, quibuscunq; possemus officijs testificaremur. Etsi enim non ignoramus,* [b] *suũ esse discrimẽ inter Politicã & Ecclesiasticam functionẽ, tamen cùm Psalmus nos grauissimè hortetur: Nunc reges (inquiens) intelligite, erudimini qui iudicatis terrã, seruite domino in timore & tremore: non debuimus cœlestem uocem contemnere, sed omnem conatum & operam nostram, ad iuuandum* [c] *ueram Ecclesiam filij Dei, pro uirili nostra cõferre. Alij alias quidem rationes inire solent, quibus cogitant se filio Dei & Ecclesiæ eius studium suum probare. Nos autem iudicauimus, ad ueram Ecclesiæ salutem, aut constituendam, aut conseruandam nihil esse nec utilius, nec Deo acceptius, quàm ut ministeri um cœlestis ac* [d] *uerè piæ doctrinæ officijs tum publicis tum priuatis iuuetur. Et quia propter immẽsam clementiã Dei, quã fecit nobis in Iesu Christo filio suo testatissimam, nõ* [e] *dubitemus quin nos ut uera membra sua complectatur, debuimus ei uicissim hoc obsequium, ut quoquo-*

CATHOLICA SCHOLIA.

a Dignum Christiano Principe studium in propaganda uerè pia doctrina impensum, sed priùs illa est agnoscenda, quia enim inquit uerè pia doctrina, significat aliquã esse quæ non sit uerè pia, etsi appareat: quod si ita est, illud primò statuendũ erat, ut ea doctrina, cui propagandæ datur opera, sit uerè pia: maximè nunc cùm constet omnibus, in dubium uerti, quæ sit uera doctrina. Qui ergo sine legitimo & sufficienti iudicio, alteri parti fauet, ut minimùm periculo se exponit, fauendi impiæ doctrinæ: quo nihil principe indignius. Igitur nõ te lateat Princeps optime, quòd sicut tui impiam doctrinam iudicant, quam catholici sequuntur, ita & catholici hanc, cui tu propagandę operam das. Nec sunt apud eos pauciores, aut minus digni fide testes, quàm apud uestros, ut quàm modestissimè loquamur: ut minimùm ergo non ueræ & piæ doctrinæ propagandę das operam, sed aut impiæ, testibus catholicis, aut certè dubiæ necessaria ratione. Nónne igitur satius est ab hoc studio cessare, & uel saltem suspendere iudiciũ, & expectare humiliter à Deo illustrari, idq; exigere pijs operibus & precibus apud Deum?

b Quod uerò sit hoc discrimen, oportebit bene exploratum habere, quod nos ostendimus in præfatione nostra. Illud est certum, alienum esse à principe Remp. administrante, definire dubia erga fidem, hoc uerò pertinere ad eos qui ecclesiam gubernant: ab illis ergò oportet principes accipere, & illorũ expectare sententiam, alioqui timere debẽt quod sequitur post uerba hìc citata: nequãdo scilicet irascatur dominus contra eos, & pereant de uia iusta: hoc enim cõminatur principibus qui nõ apprehendunt disciplinam. Quid uerò magis indisciplinatum & inordinatum, quàm dubiam doctrinam sequi, & intrudere subditis ante iudicium ecclesiæ?

c Prudentissimè quidẽ, ut nõ illa adiuuetur, quæ est synagoga sathanæ, quã sicut uestri nostram ecclesiam iudicant esse, scilicet synagogam sathanæ, ita nos uestram, & ut minimùm sub iudice lis est, expectanda ergo definitio.

d Cautè semper uerè piam doctrinam dicit iuuandam, non igitur impiam promoueas, sed nec dubiam qualis hæc tua, inimicorum etiam iudicio sit, necesse est.

e Possumus quidem hoc sobriè accipere: non dubitamus pro certitudine spei Christianæ, uehementer scilicet & firmiter putamus: at uerò quia fidem certissimam exigunt uestri, qua quisq; credat, uerũ se membrum Christi esse, timendum est, ne uerba hæc ex eo sensu procedant, quod non est aliud quàm dulcedine quadam securitatis

modo

modo possemus, benevolentiam nostram erga a sponsam eius Ecclesiam, qua nihil ei est in his terris, aut amabilius, aut preciosius, declaremus. Iussit nos alius Psalmus, b portas nostras aperire Regi Gloriæ. Existimauimus autem portas tanto Regi uerè tum patêre, cùm cœlesti doctrinæ eius in Ecclesijs locus conceditur. Sed cùm inciderint uariæ de doctrina Ecclesiastica c dissensiones, & uisum est inuictissimo domino Imperatori Carolo, eius nominis quinto, Domino nostro clementissimo, ac reliquis statibus sacri Romani imperij, si quid habemus quod uel ad publicam Ecclesiæ pacem, uel ad priuatam conscientiæ tranquillitatem pertinere uideatur, d commemorare. Iussimus concionatores e nostros, summam doctrinæ ipsorum conscribere, ut palàm f testarentur in nostris Ecclesijs non nisi uerè Apostolicæ, Catholicæ, & Orthodoxæ doctrinæ locum datum esse. Voluimus igitur ut hoc scriptum concionatorum nostrorum g publicè proponeretur, & speramus futurum, ut h uniuersa Ecclesia piorum re ipsa uideat, nihil à nostris Ecclesijs alienius esse, quàm ut in ijs quidquam quod cum scriptis Propheticis, & Apostolicis, ac cõsensu ueræ Catholicæ Ecclesiæ pugnet, uel in doctrina prædicandum, uel in ritibus sacrorum administrandum i susceptum fuerit.

SCHOLIA CATHOLICA.

nimia delectatum, pro affectu & absq; iudicio ei fauere parti, quæ dulcius poculũ subministret, nondum certũ, an salubre, an lethiferum potiùs. Non miramur si ardentissimi sint in huius nouæ doctrinæ defensione, qui sibi persuadẽt, per eam omni dubio posthabito, imò omni timore damnationis, certos effici salutis suæ, hoc est, quod maximè afficit nimium credulos, sed timendum eis, ne hæc tanta suauitas in amaritudinem conuertatur.

a Optimè quidem, sed uidendum ne contra sponsam, potiùs beneuolentiam ostendãt adulteræ & meretrici, qua nihil est Christo odibilius.

b Verissimum est, cùm doctrinæ eius datur locus in Ecclesia, quid uerò magis Deo Portas occludit, quàm cùm datur locus doctrinæ Sathanæ? quantum enim obsequiũ præstatur Deo per piam doctrinam, tantum è contrariò peccatur per impiam: uestra uerò hæc dubia est: qui igitur illi fauet, quid aliud agit, quàm ut uel animo, uel prætextu placendi Deo id aggrediatur, ubi fortè sum mè ei displiceat? Quis uerò prudens hoc nõ abhorreat? quis uidens quòd ei, quẽ amat, & cui prodesse cupit, non potest præstare bonum aliquod, nisi cum periculo multò magis nocendi, nõ abstineat potiùs, & quiescat, quàm ut tali discrimini & se, & amicũ exponat? quiescant igitur, & cessent saltem, qui uerè Deum amant à fauendo huic doctrinæ, ut minimùm dubiæ.

c Nostis igitur controuersam esse rem hanc, non certam, sed & illud non potest ignorari, dissensiones has à Luthero, & uestris exortas. Ipsi cœperunt dissentire à receptis in Ecclesia dogmatibus, & consuetudinibus: dicunt quidem illi, illa omnia irrepsisse à trecentis annis, sed & hoc etiam constat, quòd dissentiunt ab ijs, quæ à mille trecentis, aut quingentis annis in Ecclesia certa habita sunt. Si itaque dissensiones agnoscunt, agnoscant etiam originem, & causas, atq; rationes, quicunq; prudenter uolunt alterutris adhærere. Nos uerò, qui stabilita tanta diuturnitate annorum, & tot patrum testimonijs sequimur in consensu Ecclesiæ nihil est, q̃d amplius expẽdere debeamus.

d Ex hoc loco incipimus desiderare in his erga causam hanc fidei, synceritatẽ, ut apertè manifestent quod sentiant: uisum, inquiunt, fuisse Imperatori & statibus, ut commemorent, &c. Sed quorsum hoc uisum est, maximè congregato concilio? nunquid ut cõmemoratione hac contenti, etiam si in ea manifestetur, non conuenire omnes in causa fidei, liberum permittant cuilibet, quod uelit sentire? Frustra certè id fieret, nisi futurum esset iudicium aliquod, cui omnes oporteret subdi.

e At poterimus nos meritò ijs concionatoribus dicere quod Tertullianus inquit: Qui estis uos, & unde uenistis, qua auctoritate irrepsistis in Ecclesiam? certè principis Christiani est, à legitimis prælatis fidem suscipere, & agere ut sui suscipiant: sed coacer uare sibi impios, uel eos audire, qui non legitima missione & auctoritate ab Apostolis deriuata docent, quid aliud est quàm fures & latrones, qui non ueniunt nisi ut mactẽt & perdant, admittere?

f Hic etiam cupimus manifestiùs ostendi, quò hæc tendant, ut testarentur inquit, soli ueræ doctrinæ datum locum esse. Quid uerò si quod ipsi testantur, alijs & pluribus falsum uidebitur? quid deniq; si toti concilio? si parati estis cedere, pacificus est hic animus: quòd si contrarium decreuistis, ingenuè fatemini, & non in causa hac fidei tam frigidè & obscurioribus uerbis loquentes, omnia dubia relinquatis, ut olim egerunt dæmonum uates.

g Sed non dicitur quibus, uel quàm publicè sit propositum. nam si in concilio, quando causa hæc agebatur legitimè, expectandum erat iudiciũ, nec ante illud obtrudendum omnibus, quasi certum uel ab omnibus probatum.

h Qui ergo hoc non probauerint, dicetis esse eos de Ecclesia impiorum, & alienos à uera catholica Ecclesia? nos uerò idem dicimus de ijs qui probauerint multa horum: omnia igitur hæc uerba sunt ambigua, quibus nihil aliud agitur, quàm operã ludere.

i Quæ susceptа fuerint, reipsa ostendemus in sequentibus, & circa ea consensum catholicæ Ecclesiæ, testimonijs fide dignorum patrum.

ASSERTIONIS CATHOLICÆ PRÆFATIO.

Sicut dubium non est, sed certissimis scripturæ & uerbis & exemplis confirmatum, debere Christianos omnes & pios pro gradu suo, studium omne & operam, Christi gloriæ, à quo redemptos, & tranquillitati Ecclesiæ eius, à qua enutritos se agnoscunt, præstare: atq; ideo gratissimum obsequium esse Deo, quod in doctrina pietatis inquirenda, elucidanda, & ad omniũ noticiam deducenda exhibetur: eosq; ad hoc maximè teneri, quibus summa rerum in Rep. commissa est, quosq;, is, qui rex regum & Dominus dominantium est, populo suo præfecit: sic hoc etiã non minus est certũ, quod in hac tanta re uel tantillum excessisse, & proprij gradus limitem fuisse transgressum, grauissimi sit periculi: certè quo fides, ueraq; Dei cognitio, res altior est, Deoq; propinquior: quò magis excedit infirmitatis humanæ, ingenijq; uires: eò etiã in ea maiore timore, & diffidentia sui, deniq; tanquam paruulos oportet omnes ita pendere à Deo, & ab ijs quos ipse præposuit, ita expectare, & sequi eorum ductum: ut ne latum unguem ausis deflectere à constituto termino. Quare nihil maiore discretione moderandum est, quàm zelus ille agnoscendæ & retinendæ ueritatis, qui quò maior fuerit, eò in grauiora pericula & discrimina deducet hominem, nisi discretionis freno temperetur, ut testis est Paulus supra modum æmulator paternarum suarum traditionum, atq; ideo iam expertus correctionem uerè paternam Dei, qui de alijs dicit: Testimonium illis perhibeo, quòd zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, ideoq; pro illis tristitiam magnam & continuum dolorem cordi suo inesse asserit. Debet igitur quisq; primò gradum suum agnoscere, & iuxta illum sequi, & nõ præire, duci & non ad se ducere Dei spiritum & ordinationem, ne dicatur illi: Vade post me Sathana, scandalum mihi es, non enim sapis quæ Dei sunt. Hoc uerò eò magis Christiano principi necessarium est, quò minus habet inter homines à quo iudicetur, si se metiri noluerit, cuius rei exemplum in Ozia Rege scriptura nobis ostendit: Legimus enim illum lepra grauissima percussum, non quòd quidquam detraheret diuino cultui, sed quòd potius nimio pietatis zelo sacerdotum munus præoccuparet, uelleq; incensum offerre, quem magis decebat expectare, ut pro eo sacerdotes offerrent. Sed & exemplum Ozæ deterrere debet eò uehementius, quò simplicius ille, & præter omnem temeritatem manum admouere, ut arcam Dei iamiam se inclinantem ad ruinam teneret, credidit sibi licere, sed tamen occisus est à domino, qui docere hoc exemplo uoluit, neminem ita pro Deo æmulari debere, ut transgrediatur terminum suum: Nunquid, inquit Paulus, fortiores illo sumus? Ruente itaq; etiam & iamiam in oculis nostris cassura Ecclesia, nos agamus quod nostrum est, neq; efferamus manum ultra metas proprias, illi nõ deerit ratio, & modus fidem, suã Ecclesiam, & gloriã seruãdi, eò magis, quo magis periclitari uidebitur. Vt uerò hoc seriò fiat, figendũ est animis Ecclesiã Christi ordinatissimam esse: quum enim multitudinis cuiusq; maximum bonum ordo sit, quo præcipuè & decoratur & roboratur, id Ecclesiæ à Deo super omnes mirabiliter ædificatæ Reip. necessarium est ut conueniat, de qua meritò dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata. In hac porrò ordinatione Ecclesiæ, semper, ut Paulus nos docet, præcipuè curata sunt, quæ unitatem & doctrinã concernunt: Dedit enim, inquit ipse, quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & doctores, & tandem inquit: ut iam non simus paruuli, & circumferamur omni uento doctrinæ. Tolle itaq; ordinẽ in docendo, & necesse est tot esse doctrinæ diuersitates, quot auræ flatus: quibus non minus instabiliter circumferantur paruuli, quàm arundo à uento agitatur. Propterea grauissimè ipse Paulus admonet non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, & unicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei: & subiungens mox rationem: Sicut, inquit, in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: statimq; latiùs hoc explicans: Habentes ait donationes secundum gratiã, quæ data est nobis, differentes, &c. Audi igitur iam in lege gradum, quem & Reges & populi & sacerdotes ipsi erga doctrinam teneant: ibi enim cùm gubernatio populi stabilitur, mox in ipsa potestatis regiæ constitutione ostenditur Regi terminus suus: Quum, inquit, ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, &c. & dixeris: Constituam super me regem, eum constitues, quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in uolumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitici generis, & habebit secũ, legetq; illud, &c. Vbi quid aliud Principi quod ad se attinet præscribitur, quàm ut nouerit discipulum se esse legis, non doctorem, suscipiendam sibi esse legem & discendam: Vt discat, inquit, timorem Domini, idq; à sacerdotibus legitimis Leuiticæ, inquit, tribus. Ad eos etiam, nõ ad Reges aut principes mittit eo loco Deus difficilia omnia & ambigua circa legem definienda. Ascende, inquit, ad locum quem elegerit dominus Deus tuus, ueniesq; ad sacerdotem Leuitici generis, & iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis: qui indicabunt tibi iudicij ueritatẽ. Vbi & aptissimè quis sit locus non tantùm Principum, sed & populi circa legis do-

Deuter. 17.

Eodẽ cap.

gis doctrinam, ostensum est: Et facies, inquit, quodcunq; dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legẽ eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexterã neq; ad sinistram. Hic igitur est gradus populi, dubia fidei inquirere à legitimis templi ministris, eorum doctrinam sequi: non quòd tam eorum sapientiæ & pietati inniti debeant (illi enim homines erant, fallere & falli poterant) q̃ diuinæ promissioni, cui non difficilẽ est uera docere suos, per quoscunq; demum ministros. Iam ne quid desit Principi, audiamus quid circa subditos illi incumbat in doctrina legis. Qui autem, inquit, superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, moriatur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctus populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia Hoc igitur restat Principi erga populũ, superbiam & inobedientiam eius, erga Dei ministros & doctores legis, cõpescere, atq; seueritate legum sententiam illorum exequi, ne uidelicet in contemptum ueniat. Ita quidem Lex. Quæsi ad Ecclesiam referamus, cuius synagoga umbra erat, apertè nos docent, q̃ in ea non potest deesse legitima sacerdotũ successio, nec in illis doctrinæ ueritas: & deniq; hanc successionem sacerdotum in Ecclesia certã esse. Illic quidẽ generatione carnali sacerdotium propagabatur, in Ecclesia uerò
Psalm. 44. (de qua dictum est, pro patribus tuis nati sunt tibi filij) spirituali generatione, doctrina scilicet, legitima electione atq; ordinatione. Quod ut certum sit, ab uno opus est deriuetur & terminetur in unum, teste ipsa Lege: Ad iudicem, inquit, qui fuerit eo tempore. Igitur Principum hoc sit munus ita distribuente lege, ut legitimos sacerdotes agnoscant, tradita ab eis, & ipsi teneant & populos sibi commissos seruare curent, atq; ita utrique & principes & populi satisfacient muneri suo. At uerò sibi proprios magistros & doctores assciscere, aut quacunq; demum ratione nothos
Hier. 15. & spurios ministros, (de quibus loquitur Dominus: Non mittebam eos & ipsi currebant) uel sustinere, uel sequi, quid aliud est quàm totum ordinem Ecclesiæ confudisse? Quod ut exẽplo fiat manifestum, audiamus Theodosium illum Christianissimum Imperatorem, qui cum Gratiano &
L.P.C.de Sum. Trinit. & fide Catholica. Valentiniano ita lege decernit: Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali uolumus religione uersari, quam diuum Petrũ Apostolum tradidisse Romanis religio usq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamq; Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum. Vides itaq; ut bonus ille princeps legitimos agnoscebat sacerdotes, & curabat ut eosdẽ sequerentur populi sibi commissi. Et meritò quidem hæc statuit, qui Ambrosij admonitione publicam pœnitentiam in Ecclesia non dedignatus est, iacens in pauimento, & lacrymans ostendere & cum populo extra cancellos expectare libenter sustinuit, ac post omnia uix (inquit) potui discere quæ sit differentia Imperatoris & sacerdotis, uix enim inueni ueritatis magistrum, ut habes hist. Trip. libr. 9. cap. 30. Quod utinam nunc uos omnes & Germani maximè discere uellent, si nõ docentibus suis, saltem docente Ambrosio. Denique Theodosius ne quid deesset officio suo, eadẽ lege iustissimè etiam statuit nomina ipsa & notas, quibus in Ecclesia quisq; insigniri debeat: Hanc inquiens legem sequentes Christianorum Catholicorũ nomen iubemus amplecti, reliquos uerò dementes uesanosq; iudicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere: digna certè tanto Imperatore lex, qua iustè hæreticorum nomine denotantur, quotquot sedi Apostolicæ, Romanæ scilicet Ecclesiæ, & ei participãtibus, alijs Ecclesijs non communicant, & meritò quidem catholicorum nomine priuantur, qui à prima illa unde cæteræ deriuantur, recedunt: in quo & secutus est patrum antiquorum doctrinã. Quod in hoc principio præfationis loco admonuisse sufficiat, & reddidisse præfationi Confessionis huius, cui respondere instituimus. Ne uerò eorum quæ dicimus transgressores simus, hoc primum uolumus esse testatum, nos hic loqui in Catholicæ Ecclesiæ consessu, legitimorum Prælatorũ, sub quibus militamus, iudicio & auctoritati omnia subijciẽtes & permittentes:

DE DEO ET TRIBVS IN VNA DIVINITATE PERSONIS. VVIRTENB.

CRedimus a & confitemur unum solum, uerum, æternum, immensum esse Deum, omnipotentem creatorem omnium uisibilium & inuisibilium, & in hac una ac æterna diuinitate tres esse per se subsistentes proprietates seu personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum: sicut docet Prophetica & Apostolica scriptura, & b explicant tria symbola, Apostolicum, Nicænũ, & Athanasij.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Tria hæc prima capita certam & catholicam doctrinam continent, utpote de rebus, de quibus nulla est inter nos controuersia, ubi, cùm sine affectu illo uincendi loquuntur, syncerè catholicam fidem paucis explicant: & dant catholicis arma, contra sẽ quidem, si obstinati elegerint permanere: sed pro se, si ueritati à se syncerè prolatæ, maluerint credere.

b Igitur dogmata fidei & scripturæ canonicæ explicantur alijs scripturis extra canonem, rursum ergo & efficaces sunt scripturæ, quæ sunt extra canonem: tria enim hæc symbola constat nõ pertinere ad canonem sacræ scripturæ.

DE DEO ET TRIBVS IN una diuinitate personis. CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, unum, solum, æternum, & immensum Deum, rerum omnium creatarum unicum principium esse: Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: tres quidem realiter distinctas personas, unius & eiusdem essentiæ, ideo non plures Deos, uel plures omnipotentes: anathematizans æqualiter omnes, quacunq; ratione plures Deos ponentes, uel personarum æqualitatẽ & consubstantialitatem negantes: sicut eos, qui in altero extremo ueram Trinitatem personarum negant: recipiens symbolum Apostolorum, & Patrum, siue in Nicæno, & Constantinopolitano, siue in alijs concilijs explicatum: similiter & Athanasij, non minus firmiter, quàm sacræ scripturæ dogmata.

SCHOLIA.

Hæc non quasi contraria, aut aliena ponimus: nec certè quasi explicare uelimus, quidquid circa hæc summa fidei mysteria Ecclesia docet: sed ob hoc tantùm, ut cognoscat prudens lector, alia etiam concilia, præter IIII. illa susципienda esse, ubi scilicet de duabus uolũtatibus, & operationibus Christi: de processione Spiritus sancti à Filio, & similibus, quæ in Ecclesia certissima auctoritate constant, definitũ est. Si enim illa negentur, omnia hæc uertentur in dubium: q; si illa, & reliqua omnia uniuersalia susципi debent, quæ in Ecclesia recepta sunt.

DE FILIO DEI. VVIRTENB.

CRedimus, & confitemur, filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ab æterno à Patre a suo genitum, uerum & æternum Deum, Patri suo consubstantialem, & in plenitudine temporis factum hominẽ, ad expianda peccata, & procurandam æternam salutem humani generis. Vt Iesus Christus uerus Deus & uerus homo, sit una tantum persona, non duæ: & in una persona sint duæ naturæ, b non una tantùm, sicut testimonijs sacræ scripturæ exposuerũt sancti patres in concilio Nicæno, Ephesino primo, & Chalcedonẽsi. Itaq; detestamur omnem hæresim cum hac doctrina de filio Dei pugnantem.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Obserua nomen consubstantialis, sicut personæ, & proprietatis subsistentis, in scriptura nusquam inueniri: de quo Arriani sæpe conquesti sunt, quòd cogerentur aliquid extra scripturam recipere: sed quia ita patres in concilio Nicæno ex scriptura, & traditione definierunt, hanc fidem tota semper catholica Ecclesia suscepit.

b Expositionẽ igitur recipit scriptura etiã in ꝑcipuis fidei dogmatibus: dubia ergo est, & ambigua etiã in his, quæ substantiã fidei cernunt, iuxta hanc confessionem; & iuxta eandem, auctoritas est in concilijs patrũ, ad exponendam scripturam sacram.

DE FILIO DEI. CATHOLICA:

CRedit catholica Ecclesia in filium, coæternum, & consubstantialem patri: non de nihilo, sed ex patris substantia uerè genitũ. Hunc confitetur naturã humanã assumpsisse sine confusione, uel permistione cum diuina, in unitatẽ suppositi: damnans omnes accidentalẽ unionẽ cum Nestorio ponentes: aut naturarum confusionẽ cum Euticete, in Ephesino, & Chalcedonensi concilijs damnatis. Deniq; omnes unam aut uoluntatem, aut operationem tantùm in Christo asserentes, reijcit eadem catholica Ecclesia, quintæ, & sextæ, Synodis consentiens.

DE SPIRITV SANCTO. VVIRTENBERG.

CRedimus & confitemur, Spiritum sanctum ab æterno procedere, à Deo Patre, & Filio, & esse eiusdem cum Patre, & Filio essentiæ, maiestatis, & gloriæ: uerũ, ac æternũ Deum: sicut auctoritate sacræ scripturæ a rectè explicuerunt sancti patres in b concilio Constantinopolitano aduersus Macedonium.

SCHOLIA CATHOLICA.

a At non iudicio Macedonij, sicut nec in Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, iudicijs Arrij, Nestorij, Euticetis. Non igitur audiendi in Ecclesia, qui explicationi concilij contradicunt, explicuerũt rectè auctoritate scripturæ, inquiunt: uerum est iudicio uestro, & Catholicorum omnium: credimus rectè & auctoritati scripturæ consonè explicuisse illa patres. Quid si alicui, aut pluribus uidetur aliter: essent ne illi audiendi? rederent ne hi suo sensu minus firmam concilij definitionem? Certè & in Nicæno, & in alijs concilijs non defuerunt, qui contradicerent definitioni: Terminandę igitur sunt controuersiæ de fide, iudicio publico, & communi Ecclesiæ, cui non licet alicui contradicere.

b At ibi nihil de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio est definitum: recipienda ergo alia concilia, & nouæ Ecclesiæ definitiones: cùm de nouo aliquid cœperit in dubium reuocari.

DE SPIRITV SANCTO. CATHOLICA.

CRedit Catholica Ecclesia, Spiritum sanctum uerum Deum, Patri, & Filio coæternum, consubstantialem, & coadorandũ: ab eis procedentem: pariter damnans Macedonium, creaturam ipsum dicentem in concilio Constantinopolitano, & Græcos omnes, negãtes ipsum à Filio procedere, susципiens in his omnibus quatuor illa cõcilia, sicut quatuor Euangelij libros: quintam etiam & sextam Synodum, & cætera quæ deinceps à patribus celebrata sunt, ob causas necessarias, uniuersalia Concilia.

DE

DE PECCATO. VVIRTENBERG.

CRedimus, & cõfitemur, hominẽ, initio iuſtũ, ſapientẽ, libero arbitrio prædituũ, a Spiritu ſancto ornatũ, ac felicẽ à Deo conditum eſſe. Poſteà autem propter inobedientiam Spiritu ſancto priuatum: factum mancipium Sathanæ: & obnoxium tam corporali, quàm æternæ damnationi. Idq; malum non in uno tantùm Adamo conſtitiſſe: ſed propagari in omnẽ poſteritatẽ eius. Quòd aũt nonnulli affirmãt, homini poſt lapſum tantam animi integritatem relictam, ut poſsit ſeſe b naturalibus ſuis uiribus, & bonis operibus ad fidem, & inuocationem Dei conuertere, & præparare: haud obſcurè pugnat cum Apoſtolica doctrina, & c cum uero catholicæ Eccleſiæ conſenſu. Ad Romanos 5. Per unius delictum propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem. Ad Epheſ. ſecundo: Cùm eſſetis mortui delictis, ac peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis, iuxta ſeculum mundi huius, iuxta principem, &c. Et mox: Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Mortui, inquit, peccatis, & filij iræ, hoc eſt, alieni à gratia Dei. Sicut autem homo corporaliter mortuus, non poteſt ſeſe ſuis uiribus præparare, aut conuertere ad accipiendam uitam corporalem: ita mortuus ſpiritualiter, non poteſt ſeſe d ſua uirtute conuertere ad accipiendam uitam ſpiritualem. Auguſt. tomo. 7. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonifacium libro 2. capite 8. Dominus ut reſponderet futuro Pelagio, non ait: Sine me difficilè poteſtis quidquam facere. Sed ait: Sine me nihil poteſtis facere. Et ut reſponderet futuris etiam iſtis, in eadem ipſa Euangelica ſententia non ait: ſine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt: ſed ad perficiendum eſſe Dei adiutorium neceſſarium. Et mox: Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ. Non bene intelligendo fallũtur, ut exiſtiment cor præparare, hoc eſt, bonum inchoare, ſine adiutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere. Abſit ut ſic intelligant filij promiſsionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil poteſtis facere, quaſi conuincant eum dicentes: Ecce ſine te poſſumus cor præparare. Aut cùm audierint à Paulo Apoſtolo, Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, tanquam & ipſum conuincant dicentes: Ecce idonei ſumus ex nobiſmetipſis præparare cor, ac per hoc, & boni aliquid cogitare. Et iterum tomo nono in Ioannẽ tractatu quadrageſimonono. Nemo ſe palpet, de ſuo Sathanas eſt, de Deo beatus eſt, quid eſt enim de ſuo, niſi de peccato ſuo? tolle peccatum, quod eſt tuum. Iuſtitia, inquit, de meo eſt: quid enim habes quod non accepiſti? Ambroſius de uocatione gentium, lib. 1. cap. 9. Licet inſit homini, malum uelle, tamen, niſi donatum, non habet bonum uelle. illud contraxit natura per culpam: hoc recipit natura per gratiam. Bernardus in Homilia 1. de Annunciatione Beatæ Mariæ: Si ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minùs potuit per e ſe ipſam reſurgere tam f corrupta.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc nec in ſcriptura ſacra alicubi apertè dicitur: neq; colligitur aliqua neceſſaria ratiocinatione: nec eſt per Eccleſiam unquã certò definitũ, non igitur miſcendum cum his, quæ fidei ſunt: multò uerò minus dici propriè poteſt felicem creatum hominem, cùm tam breui ceciderit.

b Si addas, ſine gratia, nulla erit ambiguitas, dicatur itaque, ut poſsit ſeſe naturalibus ſuis uiribus, abſq; diuinę gratię dono, quam quam ſatis hæc locutio id explicet.

c Verus igitur catholicæ Eccleſiæ conſenſus, ut minimùm, proximum locũ tenet in confirmanda fide poſt Apoſtolicam doctrinam: Porrò obſeruabimus deinceps, qbus teſtibus hunc ſenſum Eccleſiæ probant.

d Abſq; gratiæ Dei adiutorio excitante, & hoc ipſum in eo operante, uerum eſt.

e Niſi hoc dederit Deus, ſic enim inquit ipſe Bernardus in hoc loco, neceſſe eſt credere, quòd nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe Deus, & in huius confirmationem hæc addidit, quę hîc citantur uerba.

f Obſerua, ex omnibus citatis teſtimonijs in hoc capite, Auguſtinum, Ambroſium, & Bernardum, idoneos teſtes eſſe ad probandum Eccleſię conſenſum: & meritò quidẽ, utpote qui à Deo Eccleſiæ & doctrina, & ſanctitate, & miraculis commendati ſunt. Cùm igitur non ſententiam ſuam, ſed Eccleſiæ referunt, credendum eſt eis. Nec prætermittas, tres ſuffeciſſe illis teſtes ad hoc probandum, iuſtè quidem: Nam in ore duorum, uel trium, &c.

DE PECCATO. CATHOLICA.

CRedit catholica Eccleſia, Adã in tanta rectitudine, atq; integritate animi, et corporis creatũ à Deo, ut inferiores oẽs uires, rationi, q̃ diu illa Deo ſubdita eſſet, obedirent, corpori uerò nihil deeſſet, quo poſſet à morte, & infirmitate ſemper ſeruari: libertate etiã arbitrij ita donatũ, ut cũ Dei gratia hæc dona ſeruare poſſet ſibi, & ſuis. Sed cùm per hanc libertatem peccauit, priuatus eſt & ipſe, & filij omnibus his donis, incurrimuſq; iram Dei, & damnationis æternæ reatum. Quòd autem nonnulli affirmãt, per peccatũ libero arbitrio omnino priuatos nos eſſe, id manifeſtè cũ ſcriptura ſacra, & uero catholicæ Eccleſiæ cõſenſu pugnat. Infirmũ tamẽ fatetur uera fides eſſe noſtrũ liberũ arbitriũ: ſic ut nec ad credendũ, uel inuocandũ Deũ ſe conuertere

Probãt hæc liberũ arbi trium,quia iudicãdi di cuntur illi, nõ creden- tes, quorũ tamen ocu los excæca- tos fatetur.

uertere,nec ad Dei gratiam ſe præparare, nec boni aliquid ad ſalutem pertinens efficere, ſine ipſa gratia poſſit. Ioan.cap.12. Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Eſaiæ impleretur: Domine quis credidit,&c.Et ſtatim: propterea non poterant credere,quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum,&c.Et poſt pauca Chriſtus illis dicit: Si quis audierit uerba mea,& non cuſtodierit, ego non iudico eum,&c.Qui ſpernit me,& non accipit uerba mea,habet qui iudicet eum.Sermo quẽ locutus ſum,ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Iacobi cap. 1. Nemo cùm tentatur dicat quòd à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: Vnuſquiſq; autem tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcẽtia, cùm conceperit,parit peccatum. Cùm ergo apertè ſuo arbitrio peccare hominem,& à ſua concupiſcentia abſtrahi Iacobus doceat,non ſimilitudine corporaliter mortui utendum eſt in hac parte, in qua plus eſt diuerſitatis quàm conuenientiæ:ille enim ſimpliciter, & abſolutè non poteſt ad uitam ſe præparare: ſpiritualiter uerò mortuus poteſt per gratiam ad uitam ſpiritualem animæ ſe præparare. Propterea illi non imputatur, quòd non uiuat,huic uerò imputatur. Auguſtin. in Epiſtol.ad Bonifacium, ſiue ad Paulinum, eſt 106, Refert iudicium in Palæſtino Concilio factum contra Pelagium,& obiecta,inquit, eſſe ei quædam,quæ niſi anathematizaſſet,remota omni tergiuerſatione,ipſe anathematizatus eſſet,et inter hæc ita dicit, Obiectum eſt eum dicere: Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio.Et poſt pauca ita ait: Conſequens eſt, ut, quiſquis ſequitur illius Epiſcopalis iudicij auctoritatem,hæc tenere debeat, quæ ſemper tenuit catholica Eccleſia & inter alia etiam hoc addit: Fateatur eſſe liberum arbitrium,etiamſi diuino indigeat auxilio.Idem ſequenti Epiſtola ad Vitalem: Ita fit,ut nec fideles fiant, niſi libero arbitrio: & tamen illius gratia fideles fiant qui eorũ à poteſtate tenebrarum liberauit arbitrium. Et poſt pauca,inter duodecim ſententias,quas contra Pelagianos adfert,ita dicens: Quoniam ergo propicio Chriſto Chriſtiani Catholici ſumus, ſcimus hoc,& illud,&c.inter quæ (ait)Scimus eos, qui corde proprio credunt in Deum,ſua id facere uoluntate,ac libero arbitrio. Scimus pro eis qui nolunt credere,nos, qui credimus, recta fide agere,cùm oramus,ut uelint. Scimus pro eis, qui ex illis crediderint,tanquam de beneficijs rectè, & ueraciter debere nos Deo gratias agere, & ſolere.Idem ad Valentinum Epiſtola 49. Quantum ergo potuimus,egimus cum iſtis, & ueſtris, & noſtris fratribus: ut in fide ſana, & Catholica perſeuerent,quæ neq; liberum arbitrium negat,ſiue in uitam malam, ſiue bonam: neq; tantum ei tribuit,ut ſine gratia Dei ualeat aliquid, ſiue ut ex malo conuertatur in bonum, ſiue ut in bono perſeueranter proficiat: ſiue ut ad bonum ſempiternum perueniat. Ambroſium (ut illi dicunt) eodem libro primo,de uocatione gentiũ, cap.30.De eo,qui per Dei gratiam à malis, quæ in Adam incurrimus,liberatus benè operatur,ſic ait: Neq; quia ſpiritu Dei agitur,ideo ſe putet liberum arbitrium non habere, quod nec tunc

SCHOLIA.

Hęc tria Auguſtini loca,nõ contraria tribus,quæ illi adducunt,ideo adduximus: ut conuincamus debere eos,cum tanta neceſſitate gratiæ,quam Auguſtinus illis locis docet,& nos fatemur: ſimul libertatem arbitrij ſimpliciter confiteri,quam cùm Lutherus,& ſui omnes apertè negauerint: hi hæreticorum more diſſimulant, ante peccatũ apertè confitentes liberum arbitrium, poſt peccatum uerò ponentes ob oculos neceſsitatem gratiæ: tacentes uerò omnino de libero arbitrio. Quod ſi non induſtria factũ eſt,fateantur illud ſimpliciter cum catholica fide,& Eccleſia: ut Auguſtinus his tribus locis apertiſsimè dicit, atq; ita in hoc articulo,nulla erit inter nos controuerſia, qui nõ minus certò,cum Eccleſia,& fide,catholicis neceſsitatem gratiæ,quam Auguſtinus illis locis,& à nobis etiam citatis apertiſsimè docet,confitemur.

quidem perdidit, quando Diabolo uoluntate ſe ſubdidit,à quo iudicium uoluntatis deprauatum eſt,non ablatum.Bernardus lib.de gratia, & libero arbitrio. Centies apertè libertatẽ arbitrij, & gratiæ neceſsitatem confitetur,ſtatim in principio citatis pro neceſsitate gratiæ locis ſcripturæ: Non ex operibus iuſticiæ,&c. Sine me nihil poteſtis,&c.Non eſt uolentis,neq; currẽtis,&c. opponit: Quid igitur ais liberum arbitrium? & ita dicit: breuiter reſpondeo,Saluatur, tolle liberum arbitrium,non erit, quod ſaluetur: tolle gratiam, non erit, unde ſaluetur: opus hoc ſine duobus effici non poteſt, &c. Et poſt nonnulla de hoc diſputata inferiùs concludit: Manet ergo libertas uoluntatis,etiam ubi ſit captiuitas mentis,tam bene quidem in malis,quàm in bonis: ſed ordinatior in bonis: tam integra quoq; pro ſuo modo in creatura,ſicut in creatore,ſed in illo potentior.In cõcilio Araufiſcano ſecundo cap. 25. Secundum ſuprà ſcriptas ſanctarum ſcripturarum ſententias,uel antiquorum patrum definitiones,Deo propitiante,& prædicare debemus, & credere,quòd per peccatum primi hominis, ita[a] inclinatum,& attenuatum fuerit liberũ arbitrium,ut nullus poſteà aut diligere Deum,ſicut oportuit,aut credere in Deum,aut operari aliquid propter Deum,quod bonum eſt, poſſit,niſi gratia eum,& miſericordia diuina præuenerit.

SCHOLIA.

a Ecce, non, inquit, ablatum, ſed manet infirmum.

DE IVSTIFICATIONE.

VVIRTENBERG.

CRedimus, & confitemur, quòd ad faciendam, & exercendam iusticiam Deo gratam, necessariæ sint hæ uirtutes, fides, spes, & charitas, & quòd homo, has uirtutes non ex se cõcipere possit: sed accipiat ex fauore & gratia Dei, quodq; fides operetur per dilectionem: sed sentimus à uerè Apostòlica, & catholica doctrina longissimè abhorrere eorum sententiam, qui docent, hominem fieri Deo acceptum, & reputari [a] *coram Deo iustum, propter has uirtutes, ac in iudicio Dei meritis harum uirtutum confidendum esse. Homo enim fit Deo acceptus, & reputatur corã eo iustus, propter* [b] *solum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem: & in iudicio Dei, non est ullo earum uirtutũ, quas nos habemus,* [c] *merito: sed solo merito domini nostri Iesu Christi, quod fit nostrum* [d] *per fidem, confidendum. Et quia coram tribunali Dei, ubi de uera, & æterna iusticia, ac salute agitur:* [e] *nullus planè locus est meritis hominum, sed tantùm misericordiæ Dei, & meritis solius domini nostri Iesu Christi, qui fide à nobis accipitur: idcirco sentimus, ueteres ac maiores nostros rectè dixisse: nos coram Deo sola fide iustificari. Ad Roman. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Iustificati autem gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorẽ* [f] *per fidem in sanguine ipsius. Ad Galat. cap. 4. Concluſit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex* [g] *fide Iesu Christi daretur credentibus. Et cap. 5. Nos spiritu ex fide spẽ iusticiæ expectamus: nam in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed fides per dilectionem* [h] *operans. Hilarius in Matthæum Cap. 8. Mouet scribas, remissum ab homine peccatum, hominem enim tantùm in Christo contuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim* [i] *sola iustificat. Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 3. Iustificati sunt gratis, quia* [k] *nihil operantes neq; uicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei. Et iterum cap. 4. ad Romanos. Manifestè beati sunt, quibus sine labore uel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi* [l] *tantùm, ut credant. Possunt autẽ multa loca tam è scriptis Propheticis, & Apostolicis, quàm ex ipsius Christi sermonibus, & Euangelio, ad hanc rem adduci, quæ omnia breuitatis studio hoc loco omittimus.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Caue hîc, & in sequentibus. Acceptũ Deo fatẽtur hominem esse: iustum uerò esse dissimulant dicere: & pro esse, reputari ponũt. Itaq; fateantur apertè, iusticiam inhærentẽ, & hominem ueraciter esse iustum, cum fide catholica, & Paulo dicente: Hæc aliquando fuistis, scilicet fures, auari, &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, &c. 1. Corinth. 6. Aut apertè negent: ut non uerint simplices, quid sibi cauendum sit in eorum uerbis.

b Solum cùm dicimus, excluditur quicquid, aut cõtrarium, aut alienum est à Christo. Propter solum ipsum iustificamur: non aliquo contrario, uel alieno ab ipso. At uerò uirtutes hæ ab ipso sunt: neq; eis fidimus, nisi propter ipsum: ipsi, ut causæ: atque ita priùs: illis, ut effectibus, & posteriùs.

c Paulus dicit: Spe saluati sumus: Christus in Euangelio: Fides tua te saluam fecit: & Petrus: Charitas (inquit) cooperit multitudinem peccatorũ. Cur non fidendum illis, quibus saluamur, quibus cooperiuntur peccata? Sed solo, inquiunt, merito Christi. Fatemur: Hoc est, nullo, quod non ex eius merito in nobis sit: Sed nec meritum Christi excludit uirtutes, nec uirtutes, meritum Christi: quin potius coniuncta sunt. Paulus Roman. 5. de Christo: Per quem, inquit, habemus accessum per fidem in gratiã istam: Semper coniungit Christum, & fidem, & fidei charitatem: quare uos ista separatis?

d Apertiùs & scripturę sacrę, patrumq; doctrinæ congruentiùs dicerent, participatur à nobis, & communicatur. Non inquit Ioannes, plenitudinẽ eius accepimus: sed de plenitudine eius. Per fidem uerò, quæ per dilectionem operatur: ut ipsi uerbo Pauli confirmant.

e Sine Christo. Verum est: Meritis, inquã, quæ à Christo non habentur, quæ illi non innituntur.

f Quæ per dilectionem operatur. Alia enim omnia nihil ualent, ex uerbo ipso Pauli, quod tertio loco citatur ab eis: & ita intelige semper, quoties Paulus de fide iustificante loquitur.

g Quæ per dilectionem operatur.

h Hîc est omnium explicatio: postquam nihil est, quod desideretur, nec cur uerbum sola fide apponatur, cùm charitas cõiuncta habeat opera, dicente Christo: Si quis diligit me, mandata mea seruabit, Ioann. 14.

i Fides sola, quia nihil sine illa. Ibi enim Hilarius, ut ipse contextus ostendit, rationẽ reddit: quare lex non poterit laxare peccata. Ita enim inquit: Fides enim sola, quę ergo ante fidem sunt, aut ab illa aliena: illa excluduntur à iustificatione: non fidei opera, non illa, quę Paulus dicit, Sanctos per fidem fecisse: inter quæ & charitas, & cæterarum uirtutum opera sunt.

k Eorum scilicet quæ lex iubet: circumcisionẽ, lotiones, & sabbata. Ita enim ipse Ambrosius apertè se intelligere ostendit. Nam post pauca in eodem capite hæc exponens: Arbitramur iustificari hominẽ per fidem, absq; operibus legis, ita inquit: Gentilem dicit hominem pro certo habere, quod iustificetur, nulla faciens opera legis, id est, sine circumcisione, aut noemenijs, aut ueneratione sabbati.

l Hîc apertè ostenditur, locum hunc Ambrosij inspiciẽti, aperta aut malitia, aut ignorantia adducentium illum. In hoc loco Am

licis, quàm è sanctis patribus commemorari: quibus probatur non solùm initio gratuita Dei clementia donari nobis has uirtutes, fidem, spem, & charitatem: uerùm etiam posteà per omnem uitam, adeoq; in extrema necessitate, haud quaquã nos coram seuero tribunali Dei constare posse, nisi fiducia [a] *solius gratuitæ clementiæ Dei, in Christo, filio Dei, nobis exhibitæ. Hoc enim est, quod & Paulus docet, & Ecclesiastici scriptores exponunt: nos coram Deo* [b] *sola fide iustificari.*

SCHOLIA CATHOLICA.

brosius exponit illa uerba Psalmi: Beati quorum remissæ sunt, &c. Et in principio dicit: hæc, quæ hîc referuntur uerba, & hanc expositionem prosequens dicit, quæ nos in oppositum in catholica confessione adferimus, in quibus apertè inquit, uerba illa Psalmi nec de pœnitentibus, nec de martyribus intelligenda esse, sed tantùm de baptismo, qui ut ille alibi inquit, nec planctum, nec gemitum requirit. Itaq; cùm hîc dicit manifestè: Beati sunt quibus, &c. non de omnibus loquitur, qui iustificantur: sed de his, qui per baptismũ, quod ut apertiùs fiat, ultima tantùm uerba huius expositionis lege post illa, quę nos citauimus de pœnitentibus, & martyribus. Ita inquit: Propheta autem tempus felix præuidens in saluatoris aduentu, beatos nuncupat, quibus sine labore, uel aliquo opere per lauacrum remittuntur, & tegũtur: nõ imputantur peccata. Cùm ergo tam apertus sit sensus Ambrosij, quorsum citatur ad ea probanda, quorum contrariũ tam apertè eo loco dicit, scilicet, sola fide iustificari omnes, & huiusmodi alia. Vbi uideãt omnes æqui, & boni uiri, quid sentiendum de his hominibus, & quales sunt hi fructus huius Euãgelij, ut, ubi sensit catholicus doctor in baptismo non requiri alia opera: illi ita adducunt eius uerba, ut quicunq; simpliciter legerit, putet uniuersaliter dictum. Nõnne hoc est peruertere sensum patrum & decipere simplices? Cæterũ de sententia ipsa Ambrosij & quid ad baptismũ requiratur, dicitur alibi: hîc satis sit, eius mentem apertè uidisse.

a Non excluduntur propterea ea, quæ ex ipsa gratia in nobis sunt, uirtutes scilicet, & opera, de quibus diximus.

b Quia nihil sine illa, ut dictum est, sed nõ ista sine dilectione, q̃ mãdata seruat, & operatur magna, ut in assertione catholica habes.

DE IVSTIFICATIONE. CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, quòd iustificatio impij, qua scilicet ex peccatore fit iustus, sola Dei gratia per Christum, nullo nostro merito fiat. Idq; occulta inspiratione, & infusione fidei, spei, & charitatis, cooperante in ratione utentibus libero arbitrio, per ueram pœnitentiam, uel conuersionem in Deum & Sacramenta, ut à Christo præceptum est, re uel uoto susceptа. Propter has igitur uirtutes intrepidè catholica fides, hominẽ iustum esse coram Deo confitetur, & earum meritis sibi esse fidendum. Sentit etiam uera fides catholica, hominem ita iustificatum, non reputatione tantùm, sed ueritate etiam coram Deo iustum esse, & gratia Dei continuò egere, ad exercendam pietatem, implendamq; iusticiam. Qua simul cum libero arbitrio opera fidei, spei, & charitatis exercet: quibus corã Deo proficit in iusticia, & his meritis in iudicio Dei sibi ueraciter fidendum esse. Secundum quæ iudicandi sunt omnes ad salutem: sicut propter mala opera impij damnandi. Etsi enim propter solùm filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, nos iustificari à peccatis, & iustificatos proficere, & deniq; peruenire ad finem, certò credamus, non tamen propterea, & uirtutes, & earum opera, quæ eius meritis, & gratia Dei, per ipsum in nobis sunt excludenda. Idcirco maiores nostri rectè dixerunt: Nos non sola fide iustificari. Loca scripturæ de iustificatione impij Luc. 7. Ezech. 18. Act. 2. Luc. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ezech. Si autem impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis, quæ operatus est: & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, & non morietur: omniũ iniquitatũ eius, quas operatus est, non recordabor: In iusticia, quam operatus est, uiuet. Petrus in Actibus: Pœnitentiam agite: & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine domini nostri Iesu Christi, & accipietis remissionem peccatorum uestrorum. Iterum sequenti capite: Pœnitemini igitur & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Iacobi secundo, De bonorum operum iustificatione. Abraham pater noster nõnne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac? &c. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus consummata est: Et iterum, citata scriptura: Credidit Abraham, & reputatum est ei ad iusticiam, & amicus Dei appellatus est. Vides quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter & Rhaab meretrix nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios & alia uia eijciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Roman. secundo, de eadem iustificatione: De Deo, ita inquit, Reddet unicuiq; secundum opera eius, &c. Deinde: Ira & indignatio, & tribulatio in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci, gloria autẽ, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Et omnia concludens tandem inquit: Non enim auditores legis iusti sunt ante Deum, [a] *sed factores legis iustificabuntur*

SCHOLIA.

a Si aduersatiuæ particulæ uim agnoscas, apertus sensus est: iustificabuntur apud

Et se-

Et secunda ad Corinthios quinto: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Hilarius in Matthæum Cant. 6. in illa uerba: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. Ita inquit, de nostro igitur est beata illa æternitas promerenda: præstandumq; est aliquid ex a proprio, ut bonum uelimus, malum omne uitemus, totoq; affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, ac talibus officijs cogniti Deo simus: agamusq; potius quod uult, quàm quod potest, gloriemur. Ambrosius ad Galatas quinto in illum locum: In Christo Iesu nec circumcisio, &c. Nec præputium, inquit, ualet quicquam, nec circumcisio: sed sola fide opus est in charitate ad iustificationẽ. Fides.n. b charitate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis. Et citatis uerbis Christi, Matthæi uigesimo secundo, in his duobus mandatis, &c. ait, Imperfecta sunt itaq; cætera, quando in his duobus mandatis perfectio contineatur. Et iterum Romanorum quarto, in eo ipso loco quem citant. Exponens illud: Beati quorum remissæ sunt, &c. Quemadmodum autem (inquit) ad pœnitentium personam potest pertinere cùm dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata, cùm constet pœnitentes labore, ac gemitu remissionem peccatorum c acquirere? Aut, Quomodo martyrio congruit quod dicitur: Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum, cùm sciamus gloriam martyrij passionibus & pressuris acquiri? Possunt autem innumera loca, ex Prophetis, & Apostolis, atq; antiquioribus patribus afferri, quibus apertè docetur: ita nobis soli gratuitæ Dei clementiæ semper fidendum esse, ut tamen nouerimus, iudicandos nos fore coram tribunali suo ex operibus. Nec unquam Paulus uel Ecclesiastici auctores, sola fide nos iustificari dicentes, charitatem, pœnitentiam, & alia negarunt.

SCHOLIA.

Deum proculdubio. Quod enim priùs negauerat de auditoribus legis, esse scilicet iustos coram Deo, id nunc affirmat de factoribus, iustificari scilicet: Igitur coram Deo: alioquin non rectè aduersatiua illa responderet cæteris. Quod cùm ex alijs locis etiam hìc adductis satis constet, non est opus coniecturis agere.

a Ex proprio & nostro cùm dicit: non putes, quòd gratiam excludat, sed quia nostra etiam sunt, quæ gratiæ: facit enim gratia ut nos faciamus: significat tamen Hilarius apertè, nos, pmereri beatitudinẽ nostris operibus, quæ tamen nõ ideo non sunt gratiæ.

b Quoties igitur Ambrosius de fide iustificante loquitur, etiam si addat uerbũ, sola, ex hoc loco habes, qualiter accipiendum sit, quòd uidelicet non excludatur charitas & cætera illi coniuncta.

c quòd acquirere dicit remissionem, non significat quòd eam mereantur: nec nos hoc intelligi uolumus, sed ut aduertas Ambrosium apertè asserentem illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, de Baptismo, non de pœnitentia accipiendum: nec tamen hanc expositionem ideo sequimur, qa aliter alij patres exponunt: Sed doctrina ipsa Catholica est pœnitentẽ gemitu suo remissionẽ acqrere peccati, nõ tamenmereri.

DE LEGE. VVIRTENBERG.

AGnoscimus legem Dei, cuius epitome est Decalogus, præcipere optima, iustissima, & perfectissima opera: & hominem non solùm obligatum esse ad obediendum moralibus præceptis Decalogi: uerumetiam, si faceret opera Decalogi, a ea perfectione & integritate, quam Lex exigit: uerè coram Deo operibus suis iustum b reputandum: & c meritis suis æternam salutem consequuturum. Sed quod nonnulli sentiunt, d hominem posse in hac uita eò peruenire, ut non tantùm impleat suis operibus Decalogum, uerumetiam possit plura, & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt: quæ uocant opera supererogationis: alienum est à e Prophetica, & Apostolica doctrina, & pugnat cum sententia uerè catholicæ Ecclesiæ. Decalogus enim non est ad hunc usum datus, ut significet hominem posse præcepta eius in hac uita

SCHOLIA CATHOLICA.

a Ea perfectione, quam Lex exigit pro statu huius uitæ, & non solùm quam simpliciter exigit, sic enim Christus inquit adolescẽti: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata.

b Cauendum uerbum, non sola reputatione sumus iusti, sed ueritate.

c Suis meritis uel operibus, sed diuinę gratiæ auxilio peractis, fatetur catholica fides iustum quem esse, & salutem æternam consequi, reddet unicuiq; iuxta opera sua, inquit Paulus de ultimo iudicio.

d Proprijs uiribus catholica fides hæc fieri posse negat, gratiæ uerò auxilio credit fieri omnia, dicente Christo de hoc ipso discipulis admirantibus quod audierant, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum, &c. & dicentibus, quis ergo poterit saluus fieri? apud homines hoc est impossibile, apud Deũ aũt oĩa possibilia sunt, Matt. 19.

e Ab Apostolica quidem doctrina, quia scribit Matthæ. eodem capite: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ habes, &c. & Paulus, ut diximus: De uirginibus præceptum Domini non habeo, &c. A prophetica, quoniam Esaias de spadonibus, inquit, illis, scilicet de quibus Christus ait, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, dabo eis in domo mea, & in muris meis nomen melius, à filijs & filiabus, nomẽ ęternũ dabo eis. Vide ut exponit hunc locum Augustinus libro de sancta uirginitate, cap. 25.

a perfectè implerè: ſed, ut oſtendat homini ſuam imperfectionem, & ferat teſtimonium de iniuſtitia hominis, ac de ira Dei aduerſus omnes homines, ac excitet eos ad b *quærendam remiſſionem peccatorum, iuſticiam, & ſalutem in ſolo filio Dei, domino noſtro Ieſu Chriſto, per fidem.* Ad Romanos 3. *Per legem* c *agnitio peccati.* Et *capite ſeptimo. Lex ſpiritualis eſt:* d *ego autem carnalis, uenditus ſub peccatum.* Et *capite octauo. Affectus carnis* e *inimicitia eſt aduerſus Deum, nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem nec poteſt.* Ad Galatas 3. *Scriptum eſt:* f *. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.* Auguſtinus *de ſpiritu, & litera capite trigeſimoſexto. Hoc primum præceptum iuſtitiæ, quo iubemur diligere Dominum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente: cui eſt de proximo diligendo alterum conſequens: in illa uita implebimus, ubi uidebimus facie ad faciem: ſed ideo nobis hoc etiã nunc præceptum eſt, ut admoneremur: quid fide expoſcere, quo ſpem præmittere, & obliuiſcendo, quæ retro ſunt: in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi uidetur, in ea, quæ* g *perficienda eſt iuſtitia, multum in hac uita ille proficit, qui, quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognoſcit.* Et *rurſum* Aug. *ad Hieron. Epiſt. 26. Charitas eſt uirtus, qua id quod diligendum eſt, diligitur. Hæc in aliis* h *maior, in aliis minor, in aliis nulla. Pleniſſima uerò, quæ iam non poteſt augeri, quàm diu hîc homo uiuit, eſt in nemine. Quàmdiu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt quàm debet, ex* i *uitio eſt: Ex quo uitio non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo uitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis uiuens. Propter quod uitium, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere: dimitte nobis debita noſtra, cùm iam omnia in Baptiſmo dicta, facta, cogitata, dimiſſa ſunt:* Et *iterum lib. 1. retract. cap. 19 Omnia mandata facta deputantur,* k *quando quicquid nõ fit ignoſcitur.* Hieronymus: *Hæc hominibus ſola* l *perfectio eſt, ſi imperfectos ſe eſſe nouerint. Hæc eſt hominis uera ſapientia, imperfectum eſſe ſe noſſe: atq; (ut ita loquar) cunctorum in carne iuſtorum, imperfecta perfectio eſt.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Perfectionem huius uitæ, & per gratiæ auxilium dicimus impleri poſſe, idq; ſignificari decalogo.

b Verum eſt, remiſsionem peccatorum, uel lethalium & grauium, qualia qui faciũt regnum Dei non poſsidebunt, uel leuium etiam, ut otioſa uerba & huiuſmodi, nec enim de omnibus dixit Paulus qui talia agunt regnum Dei non poſsidebunt, ad Galatas quinto.

c Sed per gratiam impletio legis, uide Auguſtinum libr. 3. contra duas epiſtolas Pelagia. capite primo, & probauimus hoc in catholica confeſsione, auctoritatibus Pauli: Non etiam inquit Paulus, per legem ſola cognitio peccati.

d Sed mox ibidem inquiens: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? reſpondet, gratia Dei per Ieſum Chriſtum.

e Sed ſtatim ibi dicitur, uos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in uobis.

f At ibi ſtatim: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, & rurſum: Iam non ſumus ſub pædagogo, omnes enim filij Dei eſtis, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

g Eſt ergo in hac uita aliqua iuſtitía perficienda: ſed non tanta eſt hæc perfectio, quãta patriæ, ut habes in locis Auguſtini & Hieronymi quæ citamus in catholica confeſsione.

h Eſt ergo charitas in nobis: illa uerò eſt plenitudo legis, ut Paulus inquit Romanorum decimotertio. Sed pleniſsima, inquit Auguſtinus, qualis ſcilicet in patria, in nullo eſt.

i Ex uitio innatæ concupiſcentiæ, & motuum, atque operum eius, quibus ſi non conſentiatur, non excludimur à regno, uide ipſum Auguſtinum duo hæc ſcripturæ loca concordantem, omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: &, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. li. 2. de peccato. merit. & remiſsio. cap. 1.

k Certiſsimum eſt, remiſsione peccati fieri, ut conſequamur præmium quod impletione præceptorum. uerùm eſt etiam, nullum eſſe, qui non egeat orare: dimitte nobis debita noſtra: & ideo nullum ſine peccato, & tamen non propterea nullum eſſe iuſtum, ſatis probant, quæ adduximus in catholica confeſsione.

l Hæc duo Hieronymi loca ex epiſtola ad Cteſip. perfectionem in hac uita aliquam dicunt, quod aſſerimus: qualis uerò, & quanta ſit illa, & unde, oſtendunt quę ex ipſo Hieronymo eadem epiſtola, & ex libro 12. dialogorum contra Pelag. in catholica confeſsione ſunt adducta.

DE LEGE. CATHOLICA.

Credit catholica Eccleſia, quòd lex naturæ à Deo ipſi naturæ congenita ſit in omnibus, & à Moyſe deinceps explicata & ſcripta, & Decalogo aptiſsimè collecta, breuiusq; ab ipſo ſaluatore duobus mandatis dilectionis. quòdq; hæc lex ad ſui obſeruantiam omnes aſtringat, & obſeruatores ſuos corã Deo iuſtos reddat, ſaluteq; æterna dignos, quæ & per gratiã Dei, quam per Chriſtum habemus, impletur ea integritate, quã exigit ab hominibus in hac uita. Sentit itaq; Catholica

tholica Ecclesia, quòd etsi præceptum dilectionis Dei tantam integritatem & perfectionẽ exigat, ut in hac uita semper restet, quo proficiendum sit in eius obseruatione: impletur tamen per gratiam, quantum pro huius uitæ modulo à Deo exigitur: Sed illi nullus quicquam superaddere potest. At uerò quod ad rerũ externarum usum attinet, habet uera fides iuxta Propheticam & Apostolicam doctrinam quædam iuberi uel prohiberi præceptis, quibus non obedire peccatum est, quædam uerò proponi sub consilio, cui non parere nullum peccatum est, sed minus bonum, obedientia uerò illorum gratior, per quam uidelicet supererogamus nonnihil his, ad quæ ex necessitate tenemur. Decalogus ergo etsi ui sua non tradat hominibus uirtutem implendi quæ præcipiuntur, quia tamen per gratiam impletur, est etiam in hunc usum, ut eius præcepta impleamus, pro impletione eorum agamus gratias ei, cuius gratia scimus fieri, & cùm difficultatem patimur, ipsam imploremus gratiam, sine qua scimus impleri non posse, deniq; pro transgressione ueniam precemur. Romanorum octauo, Lex spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis, nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritũ. 2. Tim. 4. Apertè dicit se iusticiam implesse legis. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c. In quibus si non est impletio iustitiæ, quare statim inquit, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Et 1. Cor. 9. dicit: se supererogasse quædam ultra ea, quæ necessariò imposita erant: adductis enim scripturæ auctoritatibus, ubi licitum sit doctoribus Euangelij uictum accipere, subiungit: Ego autem nullo horum usus sum, non autem hæc scripsi, ut ita fiant in me, bonum est mihi magis mori, quàm ut gloriã meam quis euacuet. Et mox quæ sit gloria ostendens: Nam si Euangelizauero (inquit) non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, &c. & statim: quæ ergo merces mea? Cui respondet: ut Euangelium prædicans, sine sumptu ponã Euangelium. Ecce Pauli supererogationem. Et eiusdem 7. apertè omnibus suadet cœlibatum: Præceptum Domini non habeo, consilium autem do, de uirginibus, &c. Ezec. 36. Spiritũ meum ponã in medio uestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Iac 1. Estote factores legis, & non auditores tantùm, fallentes uosmetipsos, quia si quis auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo, consideranit enim, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legẽ perfectæ libertatis, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Augustinus libro tertio contra duas Epistolas Pelagij, cap. septimo iuxta finem. Locũ illum Pauli tractans diligenter ad Ephes. cap. 3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum habeo ut detrimenta, &c. Adductis illis uerbis, me non arbitror comprehendisse. Et tandem illis: Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus, ita inquit exponens, tanquam diceret, si secundum hominis mortalis capacitatem, pro huius uitæ modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoq; pertinere intelligamus, ut angelica illa, quæ in Christi manifestatione nobis erit iustitia, nondum nos perfectos esse sentiamus. Idem de peccat. merit. & remissione, libro secundo cap. 15. ipsum locum Pauli tractans, ex Apostolo testimonium, inquit, paulò antè posui, ubi se fatetur in acceptione iustitiæ, quam desiderat, nondum esse perfectum, & tamen continuò dicit: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus. Quod utrunq; non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset, uelut si iam quispiam sit perfectus sapientiæ auditor, cuius nondum sit perfectus doctor, &c. Ita & superiori loco inquit, sicut possumus dicere perfectum esse uiatorem, cuius bene promouetur acceßio, quamuis non perficiatur intentio, nisi fuerit facta peruentio. Idem de sancta uirginitate, cap. 14. Proinde, quia uxorem ducere, uel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset, præcepto uetaretur. Propterea de uirginibus præceptum Domini nullum est, sed quoniam deuitatis, remißisúe peccatis, adeunda est uita æterna, in qua est quædam egregia gloria, nõ omnibus sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ, parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori uoueatur, quod non sit criminis, non uouisse, sed uouisse, & reddidisse sit laudis, consilium, inquit, do. Idem libro primo de adult. coniugis capite decimoquarto, multa sunt autem facienda, non iubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cùm liceret nobis, etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Hieronym. Epistola ad Ctesiphontem, ubi ipsi citant. Referens hæreticorum obiectionem, possibilia, inquit, mandata dedit Deus, & respondens ait: Quis hoc negat? sed quomodo hæc sit intelligenda sententia, uas electionis apertißimè docet, ait enim: quod ergo impoßibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, &c. Vbi adductis multis auctoritatibus Pauli, sine gratia confirmat hoc fieri non posse. Idem libro primo Dialogorum contra Pelagianum. Parum post uerba, quæ ipsi citant, adducto illo testimonio Pauli, quod suprà Augustin. Quotquot perfecti, &c. ita ait, ex quo perspicuum est, duas in scri-

ptura ſacra eſſe perfectiones, primam quidem incomparabilem ueritatem, perfectamq; iuſtitiam, Dei uirtutibus coaptandam, ſecundam autem, quæ competit noſtræ fragilitati, iuxta illud, quod in Pſalmo dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis uiuens, ad eam iuſticiam quæ non comparatione, ſed Dei ſcientia dicitur eſſe perfecta. Iob quoq;, Zacharias, Elizabeth, iuſti dicti ſunt, ſecundum eam iuſticiam, quæ poſſit aliquando in iniuſticiam mutari.

DE BONIS OPERIBVS. VVIRTENBERG.

Docemus, bona opera diuinitùs præcepta, neceſſariò facienda eſſe, & mereri, gratuita Dei clementia ſua a *quædam, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia præmia. Non eſt autem ſentiendum, quòd ijs bonis operibus, quæ nos facimus, in iudicio Dei, ubi agitur de expiatione peccatorum, & placatione diuinæ iræ, ac merito æternæ ſalutis,* b *confidendum ſit: Omnia enim bona opera, quæ nos facimus, ſunt* c *imperfecta, nec poſſunt ſeueritatem diuini diuinii iudicij ferre. Sed omnis fiducia noſtra collocanda eſt in* d *ſola miſericordia Dei, propter Filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Pſalmo centeſimo quadrageſimoſecundo: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non* e *iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc autem inter ſe mutuò aduerſantur, ut* f *non quæcunq; uolueritis eadem faciatis. Roman. 7. Noui quòd non habitet in me, hoc eſt, in* g *carne mea, bonũ. Daniel. 9.* h *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuã, ſed in miſerationibus tuis multis. Auguſt. confeſſ. libro 9. cap. 13 Væ hominũ uitæ quantumuis laudabili, ſi* i *remota miſericordia diſcutias eam.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Cur non æterna, & cœleſtia, Deum ſcilicet ipſum, uide loca ſcripturæ, quæ ultimo attulimus in hoc capite.

b Vt ex afflatu gratiæ, & ſpiritus ſancti, in cordibus noſtris impulſu facta ſunt, fidimus illis, ut Paulus fidebat cùm diceret: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potẽs eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem, 2. Timo. 1. Præmiſit enim iſtis: ob quam cauſam hæc etiã patior, ob Euangeliũ ſcilicet perſecutiones, ſed nõ confundor inqt: Scio enim cui credidi, &c. ubi aduerte, non confundi, apud Paulum ſpei tribui. Spes, inquit, non confundit, propter eam igitur, nũc, inquit, non confundor: & tamen cauſa, quare non confunditur, hoc eſt, ſperet, depoſitũ eſt bonorum operum.

c Ex eo quod à nobis habent, & ut à nobis ſunt, fatemur, ex eo uerò quod à diuino Spiritu, multa ſunt perfecta, nõ ultima illa beatitudinis perfectione, ſed pro menſura huius uiæ, alioqui cur Paulus inquit, confidẽs hoc ipſum, quia qui cœpit in uobis opus bonum perficiet, uſq; in diem Chriſti Ieſu, ad Philip. 1. & 2. eiuſdem, qui operatur in nobis & uelle, & perficere.

d Sola, uerum eſt, ſed non excludit, quæ ex ipſa miſericordia ſunt in nobis, bona opera, de quibus dictum: reddet unicuique iuxta opera ſua, &c.

e Comparatione (inquit Hieronymus ut ſuprà uidimus) iuſtitiæ illius conſummatæ, quæ eſt in beatitudine, alioqui ſcriptum eſt, ſunt iuſti, atq; ſapientes. Eccleſiaſt. cap. 9.

f Quæcunq;, inquit, hoc eſt, omnia quę uolumus: uolunt ſancti, non cõcupiſcere, ſed non poſſunt. Cæterùm multa alia bona uolunt, quæ & poſſunt: dante eo, qui operatur & uelle, & perficere, de quibus dicitur ſanctis, qui in terris ſunt eius: mirificauit omnes uoluntates meas in eis. Sunt enim bonorum uoluntates Chriſti in eis uoluntas, undo Hieronymi translatio habet: oĩs uoluntas mea in eis impletur, ſcilicet, & perficitur.

g Sed ſtatim ſubiungit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & reſpondet: Gratia Dei per Ieſum Chriſtũ, & ne putes de liberatione ultima in beatitudine, infert ſtatim in principio octaui cap. Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, nunc inquit, nihil eſt in eis dãnationis, & nõ tantũ tũc cùm ſcilicet mortale hoc induerit immortalitatem, &c.

h At Ezechiel inquit: In iuſtitia ſua uiuet, & in hoc ipſo loco prophetæ Danieli promittitur, abbreuiatas eſſe ſeptuaginta hebdomadas, ut conſummatur præuaricatio, et finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna: hæc omnia ad tempus gratiæ pertinent, igitur per illam adducta eſt iuſtitia ſempiterna, uiuit in nobis uera iuſtitia. Obſerua rurſus, q; inter miſerationes Dei ſunt & opera noſtra, à quibus fit, ut illa faciamus, non ergo in iuſtificationibus noſtris, ut noſtris, & à nobis, ſed in miſerationibus tuis multis, hoc eſt, inter cætera, in ipſis operibus noſtris, ut à tuis miſerationibus, proſternimus preces noſtras.

i Hæc dicit propter multa, ſine quibus nõ uiuitur, peccata, & incertum bonorum operum, propter quod Paulus inquit, nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus, &c. Loquitur Auguſtinus eo loco de matre ſua, & orat pro ea, ita inquiens: Fundo tibi Deus noſter pro illa famula tua longè aliud lacrymarum genus, quod manat de cõcuſſo ſpiritu, conſideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur; non audeo, ait, dicere, nullum uerbum exijſſe ab ore eius contra præceptum tuum, & dictum eſt à ueritate Filio tuo: Si quis dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit Gehennę ignis: poſt hæc ſequuntur uerba hĩc citata: uæ hominum

Et rursum in Manuali, capite uigesimo secundo, Tota spes mea in morte Domini mei. Mors eius meritum meum est, refugium meum, salus, uita, & resurrectio mea. Meritum meum, [a] *miseratio Domini, non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Gregorius libro primo super Ezechielem, Homilia septima: iustus ergo aduocatus noster,* [b] *iustos nos defendet in iudicio, quia & nosmetipsos cognoscimus, & accusamus iniustos: non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri* [c] *allegatione confidamus. Bernardus in sermone primo, de Adnunciatione beatæ Mariæ. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta, & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de seipso, & testimonium eius uerum non erat: sed cùm spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porrò hoc testimonium in tribus consistere credo, necesse est enim primò omniũ credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quòd nihil prorsus habere queas boni operis,* [d] *nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quòd æternam uitã nullis possis operibus promereri,* [e] *nisi gratis detur & illa.*

SCHOLIA CATHOLICA.

uitæ, &c. ut uideas quid in illis Augustinus intelligit. Secundò etiam quod dicit: Si remota misericordia discutias, potest meritò intelligi, eò quòd ex misericordia sunt omnia merita nostra, sine illa ergo uæ uitæ hominum, quia nulla sunt opera bona, quem sensum quæ proximè sequũtur, ostendunt, nam statim sequitur post uerba hîc adducta: quia uerò non exquiris delicta, uehementer fiducialiter speramus aliquem locum apud te inuenire indulgentię, quisquis autem tibi enumerat merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? ô si cognoscant se homines, & qui gloriantur, in Domino gloriarentur.

a Quia non nisi ex miseratione Domini habetur, quod Augustin. sentire satis ostendunt, quæ proximè adduximus, ex lib. confess. & quæ in catholica confessione posuimus, ex lib. de spiritu & litera: tota ergo spes in morte Christi, & in misericordia, quia ab his omnia nostra opera.

b Fatetur itaq; Gregorius nos iustos esse, non sine aliquo peccato, cuius remissio aduocati nostri meritis fit, sicut & quidquid boni est, non est hoc negare merita, aut asserere omnia opera peccata esse, patent hæc apertiùs in ipsis uerbis Gregorij, quę ex eodem loco in catholica confessione ponimus.

c Hoc ideo, quia nec fletus nostri, nec alia quæuis opera, quidquam sunt, nisi præcesserit nostri aduocati allegatio, ex meritis itaque Christi illa prosunt, ideo illis fidimus, sicut superiùs in uerbis Augustini ostendimus.

d Dante igitur ipso habemus aliquid boni operis, quod scilicet ad salutẽ pertineat: de his enim loquitur Bernardus: non itaque negat bona opera, sed ex gratia dicit esse, quod catholica fides tenet.

e Gratis, primò, quia Deus nullí debitor est, & ab illo nihil nisi gratis datur. Secundò gratis, comparatione eius, quod à nobis pro æterna remuneratione fit, ut à nobis est. Tertiò gratis, quia omnia merita nostra dona eius sunt: cùm igitur gratis illa dentur, in illis similiter ipsa beatitudo gratis datur, hæc omnia B. Bernar: eo loco explicat: sic enim dicit: Nec enim talia sunt merita, ut propter ea uita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi ea donaret: ecce primum quod diximus. Sequitur, Bernardus: Nam ut taceã, quòd merita omnia dona Dei sunt, & ita propter ipsa magis homo Deo debitor est, quàm Deus homini, hoc est tertium quod diximus. Iam addit & secundum, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam, & priùs illud Pauli citauerat, Non sunt condignæ passiones huius temporis: ubi rursus aduerte, quòd & bona opera, & merita Bernardus apertè cõfitetur, sed omnia ex gratia, quare etsi hæc sufficere possunt, tamen non omittam, quòd in suspicionem ducor, literam hanc fortè corruptam esse, aut inscitia, aut inaduertentia. facilè enim fieri potuit, ut ubi dicendum fuerat dentur in plurali, scilicet, quòd referebatur ad opera, & relatiuum illa plurale erat: sic enim inquit, Postremò quòd æternam uitam nullis possis operibus promereri, nisi gratis, tum si legas in plurali, dentur & illa, scilicet, opera, uides certissimam doctrinam cunctis quæ diximus consonam, tamen si legatur nisi gratis, detur & illa, scilicet, uita æterna, uisum est etiam qualiter sanè intelligi debeat, ut nec merita, nec bona opera negentur, ut diximus. Confirmat hoc concilium Arausticum. 1. cap. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

DE BONIS OPERIBVS. CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, quòd bona opera quæ à Deo præcipiuntur, necessaria sunt ad salutem, & gratia eius fieri à nobis, atque ita habent proprium suum præmium, æternam gloriam. Nec inferiùs aliquid illa, uerum est, & proprium horum bonorum operum præmium. Sentiendum itaque, iuxta catholicæ Ecclesiæ hunc sensum, bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt ita esse fidendum, ut & ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam necessaria sint, & utilia: nec pro-

pterea nobis, sed diuinæ gratiæ propter Christum fidimus. Quanquàm enim omnia opera nostra perfectioni gloriæ comparata imperfecta sint, non tamen omnia sunt peccata, sed multa iusta, perfecta, & plena coram Deo inueniuntur humana opera, sed non aliunde, quàm à misericordia Dei, & Christi meritis in nobis. Quare his solis fidimus, non nobis, nec tamen sine aliquo, uel leuiori peccato, propterea credimus iustos in hac uita esse. Genes. capite septimo. Iob 1. & 2. Luc. 1. Dicit Dominus ad Noë, te uidi iustum coram me in generatione hac. De Iob dicitur, quòd erat simplex, & rectus, & timens Deum, & rursum in omnibus his non peccauit. De Zacharia, & Elizabeth dicitur, erant iusti ambo ante Deũ. Rom. cap. 8. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in uobis. Et statim: Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uerò uiuit propter iustificationem. Ibidem: Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus: Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis: quicunq; enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Ezechiel. 18. De impio pœnitentiam agente, quod suprà citauimus, dicitur: In iustitia sua quam operatus est uiuet. Et mox: cùm auerterit impius ab impietate, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iusticiam, ipse animam suam uiuificabit, &c. Matt. capite quinto. Genesis decimoquinto, secundæ Corinth. quarto. Primo loco: Gaudete, & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlo. Secundo loco, dicitur Abrahæ: Ego merces tua magna nimis. Tertio, inquit Paulus: id quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum, in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis. Augustinus libro primo contra duas Epistolas Pelagian. capite decimoquarto. Citatis illis locis Pauli, de ordinatione ministrorum Ecclesiæ. Tit. primo: Si quis sine crimine est. Iterum: Oportet Episcopum sine crimine esse. Multi quippe, inquit, Baptizati fideles sine crimine sunt, sine peccato autem in hac uita neminem dixerint, quantumlibet Pelagiani, quia hæc dicimus, inflentur, & dirumpantur insania, non quia peccati aliquid remanet, quod in baptismate non remittatur, sed quia in nobis, in huius uitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus, & misericorditer operantibus, quotidie remittantur. Hæc est fidei catholicæ sanitas, quam sanctus ubiq; seminat Spiritus, non prauitatis hæreticæ uanitas, & præsumptio spiritus. Idem libro de gratia, & libero arbitrio, capite septimo. Si ergo dona Dei sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Quod ibi ex uerbis Pauli efficaciter probat, ostendens cuncta, quæ ille dicit, secundæ Timoth. quarto: Bonum certamen certaui, &c. propter quæ dicit: reposita est mihi corona iustitiæ, eadem inquam ipsa dona Dei esse, Paulo teste. Gregorius ipsa Homilia septima in Ezechielem, quam ipsi citant. Iustos asserit esse in hac uita, & perfectos: quilibet, inquit, peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam, iam per lacrymas sæuit: Paulò antè, necesse est, inquit, ut nos qui paruuli sumus, perfectorum semper & uirtutes, & lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus. Augustinus de gratia, & libero arbitrio, cap. nono. a Cùm Apostolus priùs dixisset: stipendium peccati mors, meritò enim stipendiũ, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè diceret: Stipendium autem iustitiæ, uita æterna, maluit dicere: gratia autem Dei uita æterna, ut hinc intelligeremus, non pro nostris meritis, Deum nos ad æternam uitam, sed pro sua miseratione, perducere, de quo Psalm. dicit: Homo animæ suæ, qui coronat te in misericordia, & miseratione, nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa opera bona ille in bonis operatur, de quo dictum est: Deus est enim, qui operatur in nobis & uelle, & operari pro bona uoluntate, ideo dixit Psalm. Coronat te in misericordia, & miseratione, quia ex eius miseratione bona operamus, quibus corona redditur.

SCHOLIA.

a Hanc reddimus, illi Bernardi, quia apertè Augustinus hîc ostendit & merita nostra, & Dei gratiam, & certè Bernardus etiam illo sermone, & libro de gratia, & libero arbitrio non negat merita, sed ex gratia illa esse inquit: ut hîc Augustinus tam apertis uerbis docet.

DE EVANGELIO CHRISTI.

VVIRTENBERG.

Et si in scriptis Euangelistarum, & Apostolorum continentur multa præcepta diuinæ legis, & Christus ipse docet, non esse malum malo reddendum, nec mulierem impudicè aspiciendam, & id genus alia: tamen non est sentiendum, quòd Euangelion Christi sit a noua lex, qua si-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Testamentum, & lex pro eodem à Paulo frequentissimè accipiuntur, unde sicut ponit ueterem, & nouam legem, ita uetus, & nouum testamentum, ad Galat. 4. & Hebr. cap. 9. & 10. ita etiam Hieremias ipse, cùm te-

cui olim patres in ueteri testamento, a ueteri lege saluati sunt, ita nunc homines in nouo testamento, noua lege saluentur. Nisi enim nomen legis generaliter pro doctrina accipias, quemadmodũ Prophetæ aliquoties nomine legis usi sunt, certè Euãgelion Christi propriè nõ est lex, sicut Paulus legis nomine uti solet, sed est bona, & læta adnunciatio de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, placator iræ Dei, & redemptor, ac seruator b noster. Nec præcepta legis, quæ continentur in scriptis Apostolicis, sunt c noua lex, sed sunt ueteris legis, iuxta sententiam Spiritus sancti, explicatio, quæ & ipsa haud obscurè antè in propheticis scriptis extant. Repetuntur autem in prædicatione Euangelij Christi, ut offensa diuinæ legis seueritate, & naturæ nostræ corruptione, ad quærendum, & amplectendum Christum. Euangelio suo reuelatum, excitemur, & ut cognoscamus, ad quam rẽgulam, uita nostra ex fide in Christum, sit d dirigenda Quare si propriè de lege Dei, & Euangelio Christi loquendũ est, sicut nec ex Christo faciendus est e nouus legis lator, cùm nec nouam legem tulerit, nec nouum politicum regnum in his terris instituerit: Ita nec ex Euangelio facienda est noua lex, quæ f durioribus, & seuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem. Sed pro certo habendum esse existimamus, quòd una, & eadem sit lex naturalis, seu moralis ueteris, & & noui testamenti, & quod nec ueteris, nec noui testamenti hominibus contingat æterna salus h propter merita operũ legis, sed i tantùm propter meritũ Domini nostri Iesu Christi per fidẽ. Lucæ 4. Recitat Christus ex Esaia officiũ suũ, ad quod in hãc ter-

SCHOLIA CATHOLICA.

stamentum promitteret nouum, dabo inquit statim leges meas: euangelium uerò, quod & Christus, & Apostoli adnunciauerunt, certè non aliud est, quàm ipsum testamentum nouum, & lex noua.

a Nullus orthodoxorum patrum dicit lege ueteri saluatos aliquos, hoc est, eius uirtute: quod significat hoc uerbum, nõ enim tantùm dicunt confitentes nostri in ueteri testamẽto, sed etiam lege ueteri, de qua Paulus apertè inquit, quòd nihil ad perfectum adduxit, Hebr. cap. 7.

b Quod ad nomina hęc attinet Euãgelij, & legis, certum est Paulum legem ueterem, & mortis, atq; literæ occidentis, opponere legi nouæ, quam & legem spiritus uitæ uocat. ut patet ad Romanos 7. Iam ut Augustinus libro de spiritu, & litera, & docet, & efficaciter probat, ad literam occidentem, scriptura omnis, & quidquid exteriùs proponitur, pertinet, ad legem uerò nouam, unctio illa, & charitas diffusa in cordibus, illa enim astringimur ad aliquod agendum, & efficimur rei si non agamus, per istam uerò Spiritus sancti unctionẽ, fit ut operemur, ex hoc fit ut in Euangelio, siue in nouo testamento aliud sit scriptura ipsa, uel adnunciatio Euãgelij, aliud uerò lex ipsa spiritus, & noua. Itaq; si apertè sine inuolucris loquendum est, distinguamus legem nouam, testamentum nouum, Euangelium, à scriptura siue libris noui testamenti, siue cùm scribuntur, siue cùm adnunciatur, & sic nulla est ambiguitas. Euangelium, & nouum testamentũ sunt noua lex, indita cordibus, quæ est propriè noua lex, scriptura uerò ad hæc pertinens, siue prædicatio, nõ propriè lex noua, sed ad eã pertinens scriptura dicenda est.

c Non est dubium in Euangelicis literis, & Apostolicis, explicata esse multa præcepta ueteris legis iuxta Spiritus sancti sensum, ut patet toto illo loco Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis, non occides, &c. sed sunt quædam alia, quibus ea, quæ ueteris legis erant, siue permissiones, siue præcepta reuocantur, ut lex repudij. Matth. 19. & circuncisio, & aliæ cæremoniæ, de qua Paulus inquit: Si circuncidamini, Christus uobis non proderit. Alia denique sunt propria nouæ legis: nisi quis natus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, & similia. Hæc scripta non sunt propriè noua lex, sed sunt exterior explicatio eius, sed cùm per gratiã Spiritus sancti cordibus persuadentur, hæc est ueraciter noua lex: hæc tamen omnia, & in quibus reuocantur quædam legis, & in quibus eduntur noua, nec aliena sunt, neq; contraria, sed in ea etiã adũbrata erãt.

d Adde ut etiam per gratiam impleãtur.

e Contraria horum omnium habes in locis scripturæ in catholica cõfessione citatis.

f Durioribus, & seuerioribus, non certè, sed suauioribus. & placidioribus: quia à Spiritu sancto unctione sua persuadentur, quæ est uera lex noua, sed si aspicias ad exteriorem doctrinam, uel scripturam, duriora certè sunt non nulla, ut illud propter quod dixerunt Apostoli, Matt. 19. Si ita est causa hominis cum uxore, melius est non nubere, & similia. Propter quæ etiam intelligi potest, illud dictum: Nisi abundauerit iusticia uestra plus q̃ scribarũ, & Pharisæorũ, &c. quam quã non negemus & aliter posse intelligi.

e Non est dubiũ, q̃ lex naturalis cùm à natura sit, semper manet, & obligat, siue tempore legis ueteris, siue nouæ, sed est lex cęremonialis, in qua scilicet de cultu, & ratione eius statuitur, & est lex iudicialis, in qua de ratione aut puniẽdi peccata, aut medẽdi ipsis: hęc duo diuersa sunt in lege noua, & ueteri.

f Vt à nobis sunt, uerum est: ut ex Dei gratia & Spiritus sancti cooperatione, falsum, ut satis probatum est.

g Non propterea excluduntur opera, quæ merito & uirtute eius in nobis fiunt, sicut palmes, inquit, non potest ferre fructum à semetipso, ita nec nos, &c

ram missus sit, Spiritus Domini, inquiens, super me, eò quòd unxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me, &c. Hîc docet Christus proprium suum officium esse non a *ferre nouam legem, quæ terreat, & occidat miseros peccatores: sed adnunciare Euangelion, quod peccatores consoletur, & uiuificet. Galat. quarto. Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut* b *eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Actorum decimoquinto, Quid* c *tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. August. contra Adimantium Manichæi discipulum, capite tertio. Certis quibusdam umbris, & figuris rerum, ante Domini aduentum, secundum mirabilem, & ordinatißimam distributionem temporum, populus ille tenebatur, qui testamentum uetus accepit, tamen in eo tanta prædicatio, & prænunciatio est* d *noui testamenti, ut nulla in Euangelica, atq; Apostolica disciplina reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris ueteribus desint.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quę terreat, & occidat, uerum est, tamen quæ alliciat & uiuificet, legē ferre, ipsius esse, hoc etiā loco Esaiæ probatur, & alijs quæ adduximus.

b Sub lege, proculdubio ueteri, de ea loquitur apertè, ut totus contextus ostendit, ſub illa erant per timorem, redimuntur uerò infusa luce charitatis, qua agnoscantur, & impleantur omnia, prout necesse est.

c Legalia non esse imponenda gentibus probat hîc locus, nec necessaria esse, sed non aufert præceptum baptismi, & alia propria nouæ legis, & Christianæ fidei, quæ omnia per gratiam implentur, & ideo meritò dicitur: per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quia per illum implentur præcepta.

d Hîc habes ab Augustino distingui nouum, & uetus testamentum, quæ certè idem sunt, quod noua, & uetus lex. Nec aliud probat hîc locus, quàm quòd nulla reperiantur in doctrina Euangelij, & Apostolorum, quę non sint in libris ueteris legis uel adumbrata, uel alia ratione tacta, etsi non apertè. Vnde non esse Euangelium contrarium, uel alienum à lege ueteri habetur: sed differūt, sicut perfectio ab imperfecto in eodem genere. Quanquam & Augustinus hoc quod dicit, nulla esse in Euangelijs, aut Apostolorum literis, quæ non reperiantur in ueteri lege, retractauerit, non ut omnino falsa, sed minus modesta. Modestiùs, inquit, dicere-

tur, penè, nulla. Ita libro retractat. capite uigesimosecundo.

DE EVANGELIO CHRISTI.

CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, à Christo nouam legem datam, nouúmque testamentum conditum. Legem, inquam, spiritus uitæ, à lege ueteri, & mortis distinctam, & testamentum æternum in sanguine suo, aliud à ueteri illo testamento in seruitutem generante. Quam legem, & testamentum euangelizauit ipse, præeunte Ioanne Baptista, & sequentibus Apostolis, & Prophetæ promiserunt. Et quanquam hæc noua lex, & testamentum, propriè nulla est exterior aut prædicatio, aut scriptura: opus tamen est & prædicatione, dicente Paulo: quomodo audient sine prædicante? & scriptura etiam opus fuit, quatenus Spiritui sancto placuit: Hæc spiritualia, & noua, lex, & testamentum, continent & alia præcepta, & alia Sacramenta ab his, quæ erant ueteris legis, & testamenti, quibus nouis, nouus populus in noua, & cœlesti politia, atque spirituali, quæ humanas politias, legitimas quidem in se conuertit, illegitimas damnat, sub nouo sacerdotio, & nouis ritibus, & nouo genere gubernationis, congregatur. Non tamen hæc uel contraria, uel aliena sunt ab illis ueteribus, sed in illis figurata, & incluſa, nunc uerò manifestè reuelata, & ostensa. Nec noua hæc, propterea uera fides ideo iudicat, quasi posteriùs cœperint, & utilia fuerint hominibus, cùm nullum ab initio ipso humani generis, nisi ad nouum hoc testamentum, & legem pertinentem, saluum fuisse asserat, sed noua sunt hæc, quòd nouum hominem faciant, & posteriùs reuelata fuerint, & quæ ad ea pertinent, exteriora Sacramenta uidelicet, & politica instituta. Esaiæ triceſimotertio. a *De tempore aduentus Meßiæ ita inquit: Dominus enim iudex noster, Dominus magister noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos. Et rursus eiusdē decimosexto: Et præparabitur in misericordia soliū, & sedebit super eum in tabernaculo Dauid iudicans, & c. Danielis 2. In diebus autem regnorū*

SCHOLIA

a His auctoritatibus Christus, nouus legis lator ostenditur: quòd ab eo sit noua lex, nouum regnum politicum, nouus populus, noua gubernatio, quare mirandum, cur hæc negent noui Euangelistæ, maximè cùm ad sua fulcienda nec adiuuant, quę de eis dicunt, nec nobis quidquam detrahunt.

illorum

illorum fuscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, commmuet autem, & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundum quod uidisti, quod abscisus est lapis de monte sine manibus, &c. Ioann. 18. non negat se Christus regnum habere, sed non est, inquit, de hoc mundo. Matt. 16. ædificaturum se promittit Ecclesiam, cui posteà 18. cap auctoritatem tradidit iudicandi de peccatis: Si peccauerit in te frater, &c. Dic Ecclesiæ, &c. Et soluendi atq; ligandi. Quicquid solueritis, &c. Matth. 5. Nisi abundauerit iusticia uestra plus quàm Scribarũ, & Pharisæorum, &c. Et 15. cap. abrogat legem ueterem de discretione ciborum: non quòd intrat per os coinquinat hominẽ. Et apertius Actu. 10. Quod Deus sanctificauit, &c. Et Matt. 19 legem de permittendo libellum repudij abrogat Ioan. 3 promulgat legem de necessitate baptismi, & multa alia noua præcepta, & noua Sacramenta ad salutem necessaria tradidit Christus. Gal. 4. Abraham duos filios habuit, &c. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sion, in seruitutem generans quæ est Agar, &c. Et post omnia concludit: Itaq; non sumus ancillæ filij, sed liberæ, secundæ Cor. 3. idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera .n. occidit, spiritus autem uiuificat. Et ibi statim literam occidentem ad Moysis legem refert, uocãs illam administrationẽ mortis. Rom. 8. dicit: Lex spiritus uitæ in Christo liberauit me, à lege peccati, & mortis. Et ubi non Paulus ista disertissimè docet: nam deniq; hæc omnia prophetia etiam cõfirmat. Ad Heb. 10. 9. & 8. adducens uerba Hierem. 31. cap. Consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, &c. Et post pauca: Dabo leges meas in cordibus eorũ, &c. unde primò arguit dicendo inquiens nouũ, ueterauit prius, & deinde noui testamenti mediatorem dicit Christum, ut morte, inquit, intercedente, in redemptionem earum præuaricationũ, quæ erant sub priori testamento, & ibidem 7. capite reprobatio fit prioris mandati, propter infirmitatem, & mutilitatem eius, nihil enim ad perfectum adduxit lex. Galat. capite tertio. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem: nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Et post pauca: Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur: at ubi uenit fides, iam non sumus sub pædagogo. Et secundo cap. Per legem legi mortuus sum, ut Deo uiuam. Et multis alijs locis idem Augustinus de spiritu, & litera, cap. decimonono in fine usque ad caput 25. Quàm disertis uerbis discrimen ponit noui & ueteris testamenti, citato etiam loco Hiere. tricesimoprimo cap. consummabo super domum Israël testamentum nouũ, &c. ait statim 20. cap. ergo illud uetus erat, hoc nouum est. Vnde igitur illud uetus hoc nouum? cùm lex eadem impleatur per testamentum nouum, quæ dixit in ueteri: non concupisces, &c. Et concludens inquit: Ergo propter ueteris hominis, noxam, quæ per literam iubentem, & minantem minimè sanabatur, dicitur illud testamentum uetus, hoc autem nouum, propter nouitatem spiritus, quæ hominem nouum sanat à uitio uetustatis. Et sequenti capite: Quid sunt ergo leges Dei ab ipso descriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei? Tandem uigesimoquinto capite, ita inquit: Cùm testamentum nouum propheta promitteret, &c. nihil eum de sacrificiorum, uel quorumcunque Sacramentorum mutatione dixisse, quamuis & ipsa proculdubio fuerant secutura, sicut secuta uidemus, quod multis alijs locis eadem prophetica scriptura testatur, sed tantummodo istam cõmendasse distantiam, quòd leges suas daturus esset Deus in mentibus eorũ, qui pertinent ad hoc testamentum. Item libro tertio, cõtra duas Epist. Pelagian. cap. 4. statim in principio. De ueteri testamento loquens, ita inquit: sed quia in eo præfigurabatur nouum, qui hoc intelligebant: tunc homines Dei secundum distributionem temporum, ueteris quidem testamenti dispensatores, & gestatores, sed noui demonstrantur hæredes. An uerò illum ad testamentum nouum negabimus pertinere: qui dicit: Cor mundum crea in me Deus, & deinde, exceptis quippe librorum ueterum Sacramentis, quæ solum significandi ratione præcepta sunt, cætera certè ad pietatem, bonosq; mores pertinentia, non ad aliquam significationem, ulla interpretatione referenda, sed prorsus ut sunt dicta, facienda sunt.

DE SACRAMENTIS. VVIRTENBERG.

NOmen Sacramenti, sicut & nomen mysterij, (quod interpretes Sacramentũ exponũt) latissimè patet.[a] Sed quia uisum est quibusdã, numerũ Sacramentorũ in septem contrahere, percurre-

SCHOLIA CATHOLICA.

[a] Nullus catholicorum est, qui nomen sacramenti contrahat ad septem ista, sed ecclesia septem agnoscit, à Christo domino instituta, ex rebus sensibilibus remedia, & sanctificationes animarum, quæ sacramenta etiã dici meritò asserit eadem catholica Ecclesia: nec esse plures rerum uisibilium sanctificationes, à Christo ecclesiæ suæ dimissas, per quas, tanquam per certa instrumenta gratia suæ, ille operetur salutem.

mus singula, ut ostendamus quid in doctrina quorundam scriptorum desideremus, & quid cum sententia uerè catholicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ pugnare uideatur.

DE SACRAMENTIS. CATHOLICA

CRedit certò catholica Ecclesia, septem esse Sacramenta, hoc est septem quædam corporea elemẽta, quæ ex rebus materialibus uisibiliter perficiuntur, à Deo instituta, ad gratiam suam, nostræ saluti necessariam, in nobis operandum, atq; ita ad nos perficiendum, in cultu suo, secundum Christianæ religionis ritum. Septem, inquã, nec plura, nec pauciora. Hæc Sacramenta ita dicimus: ut tamen nomen Sacramenti ad multa alia non dubitemus extendi.

DE BAPTISMO. VVIRTENBERG.

AGnoscimus Baptismum tam infantibus, quàm adultis, in Ecclesia usq; ad nouissimum huius seculi diem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, a ex institutione Christi dispensandum, & ipso utendum esse. Credimus etiam, & confitemur, quòd Baptismus, sit mare illud, in cuius profundum, sicut Propheta ait, Deus proiiciat omnia peccata nostra, & condonet ea propter Christum filium suum b per fidem. Sed quòd aliqui docent, peccatum c remanens post baptismum in homine, non esse natura sua uerè peccatum, existimamus d perniciosiorem esse errorem, quàm uulgus hominum iudicat. Etsi enim non dubitamus, peccatum, quod post baptismum remanet, e credenti condonari propter Christum, & ex gratuita clementia Dei, non amplius coram tribunali Dei f imputari, tamen si naturam eius expendas, uerè est in se g peccatum, propter quod, h ut Augustinus suprà dixit: Non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens, & non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ad Rom 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hìc loquitur Paulus de peccato i remanente post baptismum, & affirmat illud k repugnare legi mentis suæ, hoc est, affectui Spiritus sancti. Quod autem repugnat Spiritui sancto, certè reipsa uerè l peccatum sit, necesse est: nam hæc est natura peccati, ut pugnet cum Spiritu sancto. Ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunque uolueritis eadem faciatis. Hìc iterum loquitur Paulus de m peccato remanente post baptismum, & tribuit ei manifestè naturã peccati, uidelicet concupiscere aduersus spiritũ, & aduersari spiritui, ac impedire, ne perfecta iustitia in ho-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Adde, dispensandum in remissionem peccatorum, ut sit integra fides, iuxta illud Petri: baptizetur unusquisq; uestrum in remissionem peccatorum.

b Adde, uel sacramentum fidei, propter paruulos, & incapaces fidei.

c Quomodo remanens, si omnia peccata condonata sunt, ut iam dixistis. Catholica igitur fides, nullum remanere dicit peccatum, ut in eius confessione habes.

d Si errarunt Petrus, & Paulus dicentes in remissionem peccatorum nos baptizari, & per baptismum mori peccato.

e Addite, uel suscipienti fidei sacramentum, non satis est paruulis, dicere ministrandum esse baptismum, nisi & remitti eis simpliciter peccata dicatis, sed ex hoc uerbo, neq; condonari conceditis, cùm reuera non credant.

f Verum est, sed non solum, hoc enim, nõ imputari, reuera est aboleri, & non manere ut ex Augustino inferiùs ostendemus.

g Augustinus oppositum omnino dicit, ut in primo loco eius, quem adduximus habes, est peccatum iuxta tropum, iuxta quem scriptura dicitur manus, uel frigus pigrum.

h Augustinus propter concupiscentiæ actus, in quos si illa prorumpit, qui nonnulla peccata sunt, etiam cum eis non consenti tur, illud apertissimè, & disertissimè dicit, patet apertè capite trigesimonono libro primo, de peccat. merit. & remiss. ubi quia non huic concupiscentiæ totis uoluntatis uiribus, uel per ignorantiam, uel infirmitatem resistimus, dictum fuisse, inquit, ab eo qui hoc nouit, quòd non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens.

i Melius diceret, de concupiscentia remanente: nam peccatum Paul. ibi non uocat, & cùm uocat, audiuimus qualiter intelligendum sit, figuratè, scilicet, non propriè.

k Hoc itaque Paulus uocat peccatum, ipsum appetitus actum, in contraria legis. Cæterùm concupiscentia ipsa cùm quiescit post baptismum, iam non est peccatum.

l Diabolus ergo peccatum est, & hæreticus, & peruersus homo peccatum, hęc enim repugnant Spiritui sancto: sed peccata sunt priuationes ipsæ, & defectus, quibus repugnamus nos Spiritus sancti operationibus in nobis, ut cæcitas uisui repugnat.

m Verius diceretis de peccato, quod committitur post baptismum, quando, scilicet, caro concupiscit contra spiritum, non uerò de peccato, quod manet in eo, qui nihil concupiscit contra spiritum, quale uos dicitis, & uera fides negat.

mine

minè fiat. Quare peccatum post baptismum remanens, natura sua uerè est peccatum, etsi credenti non imputatur, sed propter Christum condonatur. Aug. *de nupt. & concu. ad Valer. libr. 1. capite 25. Respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum* a *non imputetur. Quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, &c.* Et iter. *de Baptis. parulorum, & de cons. dist. 4. capite per Baptismum. Per baptismum id agitur, ut caro peccati euacuetur, non autem sic euacuatur, ut in carne concupiscentia innata non sit, sed* b *ne obsit. Deinde docemus eum, qui baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ungi spirituali Chrismate, hoc est, fieri membrum Christi per fidem, & donari Spiritu sancto, ut ad percipienda cœlestia aures mentis eius aperiantur, oculi cordis illustrentur. Ac manifestum quidem est, quòd usus externi Chrismatis fuerit in politia Mosaica legitimus, & quod externum Chrisma sit etiã in* c *Ecclesia post diuulgatum Euangelium usitatum. Sed manifestum etiam est, quòd in lege Moysi fuerit tempus umbrarum, nunc autem reuelato Christo, sit tempus ueritatis. Et usus externi Chrismatis pertinet ad* d *elementa mundi. De abrogatione autem horum elementorum dicit Paulus, ad Colossenses secundo. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc, tanquam uiuentes in mundo, his decretis* e *tenemini? Et Dionysius, quem Areopagitam uocant, & quem* f *putant descripsisse ritus Ecclesiæ ab Apostolis traditos, significat quidem externum Chrisma fuisse in Ecclesia usitatum: sed significat etiam haud obscurè, hanc ritum partim ab athleticis unctionibus Ethnicorum, partim ex lege Mosaica sumptũ esse. Qua uerò auctoritate, & utilitate* g *petantur exemplo colendi Dei, & administrandi Sacramenta ab Ethnicis, testatur dictum illud Moysi: Deut. cap. 12.* h *Caue ne imiteris Gentes, & requiras cæ-*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Mira impostura, uide ꝗd sequitur post paucas lineas sequenti 5. capite explicat ipse August. quid sit hæc non imputatio, scilicet, nõ esse reum peccati in his, ergo inquit, qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorũ, utiq; necesse est, ut reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Vide rogo, primò habes Augustinũ remissionem omnium prorsus peccatorum docentem fieri in baptismo. Secundò hanc remissionem esse non imputationem peccati, quod statim ita explicat ex actualibus peccatis: nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt, præ-

tereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur in æternũ manebit; sic illius cõcupiscentiæ quando remittitur reatus aufertur, hoc est enim nõ habere peccatũ, reum non esse peccati. Itaq; apud Augustinũ remitti, est reatum auferri, non manere reũ peccati: quod ipse uocat non imputari, quod certè probat apertissimè in his, quæ diximus: nam actuale peccatum manere nõ est actu fieri, uel esse, sed reatum tantum, ex quo è contrario arguit statim cap. 27. Ita enim concludit de actualibus peccatis in fine cap. 26. Sed quomodo manent si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu: & statim sic: itaque inqt fieri è cõtrario potest, ut etiã illud maneat actu, prætereat reatu: quod de concupiscentia dicit, ex quibus, quę hîc referuntur uerba, satis possunt intelligi.

b Iam apertè uidimus Augustin. asserere simpliciter non esse peccatũ, sed in hoc ipso loco, quem citant lib. uidelicet 1. de peccato merit. & remiss. cap, ultimo apertè eadem docet, de adultis, ita dicens: ipsa uerò, scilicet, concupiscentia solutos reatus uinculo, quo illam Diabolus animam retinebat interclusione destructa, quę hominem à suo creatore separabat maneat in certamen, quo corpus castigamus, scilicet, &c.

c In ecclesia, inquã, uniuersali, cuius Amb. testis est, 1. lib. de his, qui initiantur cap. 6. & 2. cap. libr. de Sacrament. ubi de unctione quæ fit in capite loquitur, & Diony. Areoquem grauissima antiquorum auctoritate constat librũ de Ecclesiast. Hierar. scripsisse. Is igitur cap. 1. illius libri apertè dicit, inungi baptizandũ, sed & aquã ipsam baptismatis Chrismate, ꝗd unguentũ uocat, perfundi, & cap. 4. hoc unguẽto uti Pontificem ad omnem sacerdotalis officij functionẽ. Contra hos igitur, & Ecclesiam pugnant, quĩ hæc negant.

d Non magis certè quam prohibitio sanguinis, & suffocati, quæ tamen Apostoli seruare iubent decreto Spiritus sancti.

e Teneri, non est ea seruare, quia conuenientia Christiano cultui à prælatis Ecclesiæ iudicata sunt, lege loca, quæ adduximus Leonis: teneri igitur est, tanquam ex lege necessaria obseruare.

f Imò ipsum Dionysium Areop. illos scripsisse, & septima synodus, ut habes cap. Omnes, 38. d. testatur, ex eo libro auctoritatem adferens & Gregor. & Damasc. & multi alij agnoscunt, citantes testimonia ex alijs eius libris.

g Errauit igitur Ecclesia, errarunt Apostoli, templa construentes, habentes sacerdotes & multa alia, quæ & gentiles habent: at certum est, hæc omnia à Spiritu sancto, qui omnem docuit ueritatem fuisse, quanquã in gentibus lumine quodam naturali simile aliquid obseruetur, tale est Chrisma hoc Diony. Ambro. & Fabiano testibus, ut suprà diximus.

h Non imitamur gentes, sed Spiritus san-

remonias eorum, dicens: Sicut coluerunt Gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facietis similiter domino Deo uestro. Et illud dictum Christi, Matth. 15. Frustrà colunt me docentes doctrinas, & præcepta [a] *hominum. Et non est obscurum, quòd cæremoniæ Mosaicæ, quarũ una pars est externi Chrismatis usus, pertineant ad elementa huius mundi, quorum decretis, Paulus suprà dixit, nos non teneri, & de quibus aliàs dicit: Posteaquam cognouistis Deum, quin potius cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma, & egena elementa, quibus iterũ ab integro* [b] *seruire uultis? Præterea, quomodo confectio, seu ritus externi Chrismatis ab Apostolis ipsis traditus esse, ut Fabianus scribit, uerè affirmari posset, cùm acta conciliorũ* [c] *testentur, hunc ritum institutum esse à Sylueſtro? Et Ecclesiastica historia tradit, non fuisse propositum Apostolorum, ut conderent Leges de diebus festis, sed ut docerent rectam conuersationem, & ueram pietatem,* [d] *quantò minus propositum eorum fuit, externas unctiones in Ecclesia instituere, & umbras in exortum clarissimi solis splendorem inducere. Accesserũt baptismo etiam aliæ quædam cæremoniæ salis, luti, uestium, sed quia hæ non iudicantur necessariæ, etiam ab ijs ipsis, apud quos sunt usitatæ, & quia sunt aliqua ex parte ociosa, eorum rituum, quibus Christus aliquoties in edendis miraculis usus est, imitatio: non est* [e] *cur de ipsis aliquam curam, in occupatione tot necessariarum rerum,* [f] *suscipiamus.*

SCHOLIA CATHOLICA.

cti, & Apostolorum magisteria quæ in ipsis sunt rationi naturali, & religioni nostræ cõsona, tanquam ab iniquis possessoribus auferimus, seruitura in tabernaculo Domini, habemus fide dignos testes horum, quos citauimus.

a Non sunt hominum, sed Spiritus sancti, quæ constat Ecclesiam seruare.

b Seruire, est illis, tanquam quibus tenemur subiacere, non uerò assumere ex eis, quod fidei, & cultui Christiano conuenit, aut certè iuxta Augustin. lib. 3. de doctri. Christi. cap. 9. sub signis seruire, est uenerari ea, ignorantes, quid significent, & tamen, eodẽ teste, etiam qui non intelligit quod significat, sed tamen esse signum agnoscit, non premitur seruitute, quare cauendũ fuit his doctoribus, ne ut (ibi Augustin. inquit) à iugo seruitutis erectam ceruicem laqueis erroris insererent, quod certè fecerunt, tam temere reijcientes, quæ tanta auctoritate recepta sunt in Ecclesia.

c Imò quomodo fieri potest, ut Sylueſter instituerit ritũ Chrismatis, cùm constet Dionysium, & Fabianũ multò antiquiores eo, dicere, ab Apostolis traditum, & Fabianum nominatim, ecclesias, Romanam, Antiochenam, Hierosolymorum, & Ephesianorum, in quibus Apostoli præfuerũt, hoc ab ipsorum tempore custodisse: quod igitur de Sylueſtro à quibusdam refertur, de usu Chrismatis in consecratione altarium, aut templorum, illa non quasi de nouo instituta ab eo, necesse est credi: sed uel fortassis explicata magis, aut restaurata, si alicubi obliterata erant, uel si hoc de nouo institutum fuit, nõ propterea in uniuersum usus Chrismatis ab eo institutus dici debet.

d Ipsa Ecclesiastica historia, Cornelij Papæ auctoritate, Chrismatis usum ponit, de quo inferiùs, de cõfirmatione dicemus, denique Dionysius, & Fabianus testãtur, ab Apostolis hoc institutum, quantum ergo ualet hæc uestra coniectura tam leuis?

e Vultis igitur Ecclesiæ sensui uestrũ præferre? quàm hoc sit temerarium quis nõ uidet? ostendimus ex Augustin. quanti sint hæc facienda, quæ tota seruat Ecclesia, & nũc speciatim de his audiamus Fabianum sanctissimum martyrem, de quo Eusebius sexto lib. Eccle. hist. cap. 21. narrat, quod indicio columbæ fuerit electus. Is in epistola 1. ad omnes orientales Episcopos ita loquitur: illa autem quæ circa diuina mysteria, & erga baptizandos in uniuerso mundo sancta Ecclesia conformiter agit, non otioso contẽplanda sunt intuitu.

f Et tamen multa horum suscepistis, abiurationes uidelicet, lectiones Euangelij, & quædam alia, nisi fortè uobis Vuirtenbergensibus nunc placet à cæteris separari.

DE BAPTISMO. CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, per Baptismum, qui adultis, & paruulis necessarius est, ueraciter, & plenè omnium peccatorum remissionem, ac abolitionem fieri, non per fidem solùm uel tradentis, uel suscipientis, & cuiuscunq; deniq;, quanquam in adultis ad hoc sit necessaria, sed per ipsam uirtutem Sacramenti, diuinamq; promissionem. Quòd uerò contentiosissimè hodie aduersarij Ecclesiæ contendunt, concupiscentiam, quæ post baptismum manet, uerè esse peccatum, manifestissimus est error, contra scripturam & patrũ sensum. Roman. cap. 6. Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, &c. Et post pauca: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Ecce quàm apertè Paulus abolitionem peccati, mortificationem eius, & hominis iustificationem per baptismum, docet. Ezech. cap. 36. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos. Et Paulus iterum: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundè per Iesum Christum Timoth. 3

stum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, &c. Hîc apertè Paulus ueram iustificationem docet, & ueram peccati remissionem. August. lib. secundo de peccat. merit. & rem. cap. 27. Illud nãq; præcipuè propter quæstiones, quæ de hac re motæ sunt, uel moueri adhuc possunt, attendere, ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam, perfectamq; remissionem in baptismo fieri, hominis uerò ipsius qualitatem non totam continuò commutari. Et eo ipso libro primo de nupt. & concu. unde ipsi citant cap 23. duobus uidelicet capitibus ante illud, quod citant, ita inquit: Nam ipsa quidem cõcupiscentia iam non est peccatum in regeneratis. Et post pauca (dicit enim ibi multa de hac sententia) sic autem uocatur peccatum (inquit) quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut uocatur lingua, locutio, quam facit lingua, & manus uocatur scriptura, quam facit manus: itemq; sic uocatur peccatum, quia peccatum, si uincit, facit: sicut uocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. Idem libro tertio contra duas Epist. Pelagian. cap. 3. a Refert calumniam Pelagianorum in Catholicos, ita ex eorum persona inquiens: Baptisma quoq; non uerè homines nouos facere asserunt, (Catholici uidelicet) id est, non plenam dare remissionem peccatorum, &c. His respondens statim in principio ait: mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur, & postquàm quibusdam aliis respondit, tandem ad baptismum accedens sic ait: Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit. Et libro sexto contra Iulianum Pelagian. cap. quinto prope finem: Tu autem qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptisatur, multum erras, omni enim peccato caret, non omni malo, quod planiùs ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis: nunquid enim caret corruptione corporis? nunquid caret ignorantiæ malo? Idem posteà dicit de concupiscentia, quæ peior quidem est quàm ignorantia, manet tamen sicut illa & corruptio. Credit etiã & tota catholica Ecclesia, externi Chrismatis usum, sicut exorcismos, & reliquas cærimonias, quas tota per orbem terrarum seruat Ecclesia, ab Apostolis, familiari Spiritus sancti, & speciali directione traditas esse, uel à plenarijs & uniuersalibus concilijs. Habet enim uera fides, Apostolos potestatem habuisse ritus Christianæ religionis iuxta fidem explicandi, & tradendi, & quædam iussu Christi tradidisse, atq; ab eo accepisse, alia deinde Spiritus sancti magisterio superaddiderunt, siue ex cærimonijs ueteris legis, siue ex rituum, gentium similitudine, & ratione naturali aliquid trahẽtes. In quibus & Ecclesiæ ipsi, prælatisq; eius, potestas etiam est, modò Apostolorum magisterio regatur, ut uidelicet quædam superaddant. Non solùm itaq; scripta ab Apostolis, sed tradita etiam pari fide suscipienda sunt: Ea maximè, quæ consensu totius Ecclesiæ seruata constat testimonijs Orthodoxorum Patrum, quos constat semper in Ecclesiæ unitate permansisse. Hanc Ecclesiæ autoritatem, & traditionem apertissimè confirmat Paulus 1. Timo. cap. 3. Vt scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei uiui, columna, & firmamentum ueritatis. Et ad Thessalon. Quotiès meminit traditionum, primæ quarto: Rogamus uos, & obsecramus in Domino, ut quemadmodum accepistis à nobis, &c. Et apertiùs secundæ 3. admonet, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Et 2. eiusdem: Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram: Hanc ipsam potestatem frequenter exercuit Paulus, & exercuerunt Apostoli. 2. Corinth. 11. Cætera (inquit) cùm uenero ipse disponam: & ibidem consuetudinem Ecclesiæ contentiosis obijcit: nos talem cõsuetudinem non habemus. Et deniq; Actu. cap. 15. in priori illo concilio Hierosolymitano, Apostoli, & Seniores cum omni Ecclesia definientes, scribunt Antiochenis: Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, quàm hæc ne

SCHOLIA CATHOLICA.

a Ex hoc loco Augustini apertè ostenditur, confitentes hos, & suos omnes, in hac assertione, quòd peccatum manet post baptismum, extremum errorem, contra Pelagianos, sequutos esse. Illi nullum peccatum etiam ante Baptismum agnoscebant in paruulis, deuitantes etiam in extremo Manichæos, qui naturam malam asserebant, & ideo non imputari peccatum. Lutherani uerò etiam in baptizatis uolunt esse peccatum, sed catholica Ecclesia utrunq; damnat, ut Augustin. imitemur. Illis Pelagianis necessitatem baptismi negãtibus dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Istis uerò Lutheranis dicit: Effundam super uos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Sed & hoc aduertendum, quòd Lutherani asserunt hoc ipsum, quod Pelagiani catholicis imponebant, quòd baptismus non faceret nouos homines, nec omnino deleret peccatũ, quod ut blasphemiam maximam contra baptismum Aug. reijcit cum catholica Ecclesia, (ut ipse inquit) Quare nihil hîc habent nisi contentionem quandam nominis.

ceſſaria, ut abſtineatis uos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, et ſuffocato. Hæc nonne ex politia erant Moſi, & ex cærimonijs ueteris legis? Meritò igitur hoſtes Eccleſiæ iudicandi ſunt, qui uſum Chriſmatis in Eccleſia ſeruatum agnoſcentes, Dionyſij Areopagitæ, Clementis, qui ambo Apoſtolorum fuerunt diſcipuli, Auguſtini et Hieronymi, & reliquorum Patrum teſtimonijs reijciunt, & damnant, tanquam ſubijcientem nos elementis mundi. Claudamus igitur illorum ora, Auguſtini, & Leonis 1. ſanctiſſimi, & doctiſſimi Pontificis auctoritatibus. August. Epiſtola prima ad Ianuarium, quæ eſt 118. Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ qui dem toto terrarum orbe ſeruantur, dantur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenarijs conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata, atq; ſtatuta, retineri ſicuti q. Domini Paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo ſpiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Deinde de iſtis ipſis ita ait, reſpondens quibuſdam quæſtionibus, ad hæc reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ ſcripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ſimiliter etiam, ſi quid horũ totum per orbem frequentat Eccleſia, nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Leo primus ſermone 7. de ieiunijs ſeptimi menſis. Apoſtolica inſtitutio, dilectiſſimi, quæ Dominum Ieſum Chriſtum ad hoc ueniſſe in hunc mundum nouerat, ut legem non ſolueret, ſed impleret, ita Veteris teſtamenti Sacramẽta diſtinxit, ut quædam ex eis, ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura, decerperet, & quæ dudum fuerant cõſuetudinis iudaicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtianæ, & tandem poſt multa ibidẽ ita inquit: Quòd igitur, dilectiſſimi, ex ueteris prædicatione doctrinæ, ad purificationem animarum, corporumq; noſtrorum, ieiunium ſeptimi menſis aſſumimus, non legalibus nos oneribus ſubijcimus, ſed utilitatem continentiæ, quæ Chriſti Euangelio ſeruit, amplectimur. Idem inquit ſermo 5 & 4. de eodem. Igitur non ſolum Chriſma, ſed reliquas cærimonias, ſalis, ſaliuæ, & ueſtium, quæ omnia conſtat in Eccleſia ſemper reuerenter ſeruata, amplectitur Catholica Eccleſia, quodlibet iuxta gradum ſuum, ſic tamen ut apertum ſit, propria auctoritate aliquid mutantem, hoc ipſo ab Eccleſiæ unitate ſecedere, & ſchiſmaticum eſſe.

DE CONFIRMATIONE, VVIRTENBERG.

NON eſt nobis dubium, quin Apoſtoli imitio reuelati, & confirmati in die Pentecoſtes Euangelij, contulerint impoſitione manuum admirandum donum Spiritus ſancti, credentibus in Chriſtum, ut uarijs linguis loquerentur. Et ſentimus a utiliſſimum eſſe, ut pueri, & adoleſcentes à paſtoribus Eccleſiæ ſuæ in Catechiſmo examinentur, & ſiquidem piè, ac rectè fuerint eruditi, approbentur, ſi uerò praue, emendentur. Sed ex perſonali, & temporali facto Apoſtolorum, non eſt abſq; certo b mandato Dei generale, & perpetuum Sacramentum in Eccleſia ſtatuendum. Et horribile auditu eſt, quòd Sacramentum confirmationis, quale Epiſcopi ſuffraganei ſolent pueris impertiri, excellat dignitate ſua Sacramentum Baptiſmi: ſic enim nonnulli de Sacramento confirmationis ſcribere non c uerentur: Sicut unum, inquiunt, à maioribus fit, id eſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfi-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Verum eſt, ſed hoc nihil ad ſacramentũ Confirmationis pertinet, quod paruulis etiam ratione carentibus exhibendum eſt, cùm facultas adeſt, non itaq; in hoc ſacramento agitur, ut fidem ſuam cõfirmet, quĩ in baptiſmo ipſam profeſſus eſt, ſed potius ut hoc ſacramento confirmet Deus, ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt, quod in Baptiſmo operari cœpit, nempe, ut perfectum efficiat Chriſtianum, ut habes in teſtimonijs Clementis, & Vrbani. Nullum eſt in antiquitate Eccleſiæ teſtimoniũ, quo probetur Chriſtianorum liberos in infantia baptizatos, ad Epiſcopũ adductos, ut cum eis ſicut cũ catechumenis ageretur, ut quidam horum doctorum falſè docent, multò uerò minùs, quod alij etiam nouitatum amatores ſcripſerunt, & hi uidentur inſinuare, audiendum eſt, quòd expediat baptizatis in infantia, cùm adoleuerunt, fidem proponi, quaſi optio illis tunc danda, aut permittenda ſit, inſtruendi tamen ſunt ut aſtricti iam fidei.

b Nos hoc mandatum accepimus ab Apoſtolis, de quo habes euidentiſſima teſtimonia in catholica aſſertione.

c Scripſit hoc Melchiades ante concilium Nicænum, ut habes in epiſtola illa citata in cath. confeſs. probauit uerò ex excellentia proprij miniſtri, baptiſmi. n. eſt ſacerdos, confirmationis Epiſcopus, probatur etiam manifeſtè ex effectu ipſo, cõfertur enim in eo plenitudo gratiæ, & ad perfectum Chriſtianę uitę perducitur, q in baptiſmo principium accepit: Itaq; ex baptiſmo manet baptizatus, ut paruulus, ex confirmatione fit uir. Quid hoc horribile auditu? ultima perfectio effectus, & uirtus ad quam illa pertinet: quis dubitat maiora eſſe his quæ circa inchoationẽ uerſantur? aut quis horret audire, Apoſtolos ampliori donatos gratia in aduentu ſpiritus ſancti in die Pentecoſtes, quàm cùm baptizati fuerũt? Quid horribile dicere, diuerſos eſſe gradus gratiæ, & diuerſis articulis, atq; celebrationibus ſacramentorũ à Deo diſpenſari: & paulatim hominem ab inferioribus ad ſuperiora, & perfectiora erigi?

ci non

ci non potest: ita & maiori ueneratione uenerã dum, & tenendum est. Apostolis enim diuinitùs concessum fuit, ut impositione manuum conferrent credentibus in Christum dona spiritus sancti. Hoc autem non est a *propriè intelligendum de priuatis illis spiritus sancti donis, quæ unicuique ad salutem necessaria sunt: Hæc enim accipiunt credentes per prædicationem Euangelij, & per baptismum, sed intelligendum est de publicis donis spiritus sancti, uidelicet loqui uarijs linguis, & alia, quæ tum ad publicam confirmationem Euangelij de Christo necessaria erant. Post quàm igitur auctoritas Euangelij talibus miraculis satis confirmata est, sicut desijt admirandum illud donum linguarum,* b *ita & ritus imponendæ manus, quo donum illud conferebatur, factus est, quod quidem ad hanc rem attinet, otiosus. alioqui* c *faciendum erit generale sacramentum Ecclesiæ ex umbra, & obumbrandi sunt ægroti, propterea quòd multi consecuti sint sanitatem per umbram Petri. Similiter* d *faciendum erit generale sacramentum ex impositione sudariorum, propterea quòd aliqui liberati sunt à morbis suis, cùm ipsis imponerẽtur sudaria Pauli. Et incumbendum erit super mortuos, quòd Paulus incubitu suscitauit adolescentem à morte. Et tamen non est* e *pastoribus Ecclesiarũ permittendum, ut nullam habeant rationem erudiendæ pueritiæ, ac iuuentutis in uerè pia doctrina: sed exigendum est ab eis, ut Catechismum diligenter doceant.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Imò docet nos Ecclesia ipsa, dona spiritus sancti, & gratiam ad salutem cuiuslibet necessariam, aucta fuisse impositione manuum Apostolorum, & augeri sacramento confirmationis, ut habes in testimonijs cõfessionis cath. ad confirmandum uerò fidẽ istã inuisibilis illius gratiæ, dona illa publica uariarum linguarum miraculo dabantur, sed non illud præcipuum erat, uerùm quod illis confirmabatur.

b Si ad hoc tantum manus imponerẽtur, uerũ est, nunc uerò constat ad perficiẽdum hominem in uita, & militia Christiana factum fuisse, donum uerò linguarum ad id testificandum, quod fiebat interiùs.

c Nos nullum sacramẽtum facimus, hoc est, nullum ad conferendam gratiam diuinum instrumentum, nisi quod Apostoli à Christo esse nobis tradiderũt, quale hoc sacramentum esse probamus fide dignis testimonijs in oppositа confess.

d Nos nullum facimus sacramentum, nisi quod Christus fecit, & Apostoli docuerũt, uerum scimus cum Dionys. Areop. in cap. 1. Eccles. Hier. consultò, & necessario multa Apostolos non scripsisse, sed uerbo tantùm tradidisse, tale est hoc sacramentum.

e Hæc nihil ad sacramentũ pertinẽt, non doctrina pastorum, sed robur spiritus, & augmentum gratiæ illo traditur: doctrina alium locum habet necessarium etiam.

DE CONFIRMATIONE CATHOLICA.

CRedit Catholica Ecclesia, q̃ sicut Apostoli baptizati sunt, cùm Christus baptismũ instituit, & per ipsos alijs tradidit, ita & confirmati in aduẽtu spiritus sancti, in quo non tantùm exteriùs illud donum linguarũ, & miraculorũ receperunt, sed augmentum etiam gratiæ ipsius, spiritus sancti, & lucis, atq; feruoris erga Christũ, & mysteria eius, & hanc ipsam confirmationem illi tradiderunt, per impositionẽ manuum, baptizatis, ut lectio actuum Apost. 8. & 19. capitibus ostendit. Et hoc Sacramentum à Christo institutũ, & ipsis collatum, sicut baptismũm, ipsi docuerunt in Ecclesia perpetuò retinendum. Quãquam enim nec in aduentu spiritus sancti in die Pentecostes, nec deinceps in principio Ecclesiæ, Chrismate usi fuerint Apostoli, cùm eo tẽpore alijs manifestis, & uisibilibus signis, atq; miraculis spiritus sanctus suam præsentiam testaretur, docuerunt tamen Chrismate insigniendos esse ab Episcopis, sub certa uerborum forma, baptizatos, cuius doctrinæ, non scripto, sed uerbo traditæ, sunt certissima testimonia, Clemens Epistol. quarta, Iulio, & Iulia no scripta. Omnibus ergo festimandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam spiritus sancti percipere. Et post pauca: Quia aliter perfectus esse Christianus nequaquàm poterit, si non necessitate, sed incuria, & uoluntate remanserit, ut à beato Petro accepimus, & cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt, hoc ipsum Vrbanus à Petro decimus quintus in Epistola ad omnes Episcopos scripta, testatur, opus, scilicet, esse spiritum sanctum accipere per manus impositionem Episcoporum. De Fabiano diximus. Eusebius epistola tertia, uniuersis Episcopis Tussiæ, & Campaniæ scripta, manus impositionis Sacramentum magna ueneratione tenendum est, inquit, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum legitur, aut scitur ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis peractum esse. Melchiades proximus Syluestro, & concilio Nicæno, Epistol. ad omnes Hispaniæ Episcopos, multa de hoc Sacramento loquitur, & inter cætera, duo hæc Sacramenta, inquit, Baptismi, & confirmationis, separãda non sunt. Dicit alia, quæ nostri illi doctores spiritu suo turgidi irridẽt. Respondimus illis in scholijs. Sed quis non uideat quinq; horum Pontificum, & Martyrum, qui omnes ante concilium Nicænum fuerũt, quo tempore, nihil de quo Ecclesiam Romanam crimentur, habent, testimonia meritò ab omnibus esse suscipiẽda? Sed ne quid desit ex illis temporibus, Dionysius cap. 4. Ecclesiast. Hierar. &

de ipsa confectione unguenti loquitur, & usu eius ad omnem firmè sacerdotalis officij functionem. Et *cap. secundo, de baptismo:* a *Baptizatum (inquit) sacerdotes induunt, ueste congrua mundiciæ, & ad Pontificem ducunt, ille uerò diuino, atq; Deifico prorsus unguento uirum signans, sacratissimæ communionis participem facit.* Deniq; *Eusebius libro sexto Ecclesiasti. histor. cap. tricesimotertio: Ex Cornelio Papa, & Martyre Cypriano contemporaneo refert, quod de Nouato Hæretico scripserit, quòd spiritum sanctum promereri non potuit, quia baptizatus, in graui ægritudine signaculo Chrismatis signatus non est,* Et *prius inquit: Quòd reliqua, quæ baptismum sequi solent, in eo solenniter adimpleta non sunt. Videant igitur quid agant noui VVirtenbergenses doctores, hæc tam apertè negantes, & reijcientes, & caueant ne sibi & suis subtrahant hoc tam necessarium Sacramentum, multò certè & maiori incommodo, quàm Nouatus, qui tantum non suscepit, non uerò negauit. Ambrosius, & Augustinus. Hæc eadem sequens Ecclesia semper tenuit, de quo nunc Ambrosij, & Augustini auctoritates sufficiant, qui de hac re tanquam certa in Ecclesia manifestè loquuntur. Ambrosius quidem libro de his, qui initiantur, cap. septimo: loquens baptizato de his, quæ post baptismum fiunt,* b *Repete, inquit, quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ, & intellectus, &c. Serua quod accepisti, signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus. Et libro secundo de Sacramentis capite septimo, eiusdem apertam facit mentionem. Mersisti, inquit, uenisti ad sacerdotẽ, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu sancto, concessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in uitam æternam. August. uerò lib. 2. cõtra literas Petiliani Donatistæ, ca. 104. De uerbo illo Psal. Sicut unguentũ in capite, loquens, quod hæreticus citauerat, ita inquit, in hoc unguento Sacramẽtum Chrismatis uult interpretari, quod quidẽ in genere uisibiliũ signaculorum sacrosanctum est, sicut baptismus.*

SCHOLIA.

a Vide quòd de duplici unctione loquitur, altera, quæ præcedit baptismum, altera, quæ sequitur, quæ manifesta est in cõfirmatione: de priori uerò diximus superius de Baptismo.

b In his locis Ambrosius duplicis unctionis mentionem facit, sicut diximus de Dionysio.

DE POENITENTIA. VVIRTENBERG.

CVm *semper nobis agnoscẽda sint peccata, & credendum quòd remittantur nobis* a *peccata propter Christum, sentimus* b *semper etiam in hac uita nobis agẽdam esse pœnitentiam. Sed pœnitentiam alij aliter* c *explicant,* d *Vulgo enumerantur tres partes pœnitentiæ, Contritio, Confessio, Satisfactio, has partes singulatim, & breuiter percurremus, ut exponamus quid nobis in hac doctrina de pœnitẽtia uerè catholicum & Apostolicum uideatur.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nobis, inquã, ex corde, & ueraciter pœnitentibus, non aliter, iuxta illud: Nisi pœnitentiam egeritis, &c.

b De quotidianis, leuibusq; peccatis, sine quibus hæc uita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, ut August. inquit in Enchiridio ad Laurentium, cap. 71. sed nefanda illa crimina, inquit ille, non putandum est quotidie committenda esse, & quotidie redimenda, &c. 70. Quare necesse est pœnitentiæ, quæ pro grauioribus fit maximè, quæq; sacramentum est, studium, & tẽpus à studio & tempore aliorum piorum operum, discernere. Paulus ad Hebr. cap. 6. Ad perfectionem, inquit, feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ, ab operibus mortuis. Itaq; omnem pœnitẽtiam confundere, eam, scilicet, quę fit pro leuioribus & grauioribus, & ipsam toti uitæ tribuere, est ueraciter, maximè doctrinam necessariam de ratione scilicet remissionis grauium lethalium peccatorum post baptismum, obscurare, & dum omnia etiam leuiora peccata pensantur quasi parum à grauioribus distantia, docere, uti dum semper dicitur agendã pœnitentiã, nunquã perfectè, quæ maximè necessaria est, agatur, ad hanc enim, ut August. eo loco inquit, uitæ mutatio necessaria est.

c Explícent alij ut uolunt, sacra, & Ecclesiastica doctrina id certo cõtinet, quod breuiter, & apertè satis in catholica confessione habes, de pœnitentia in genere.

d Illæ tres partes à grauibus doctoribus ponuntur, & si à posterioribus certa tamen auctoritate scripturæ, & antiquiorũ, ut habes in catholica doctrina circa singulas.

DE POENITENTIA. CATHOLICA.

CRedit *catholica Ecclesia, quòd pœnitentia, quam ratio naturalis docet, & Lex Mosi prædicat, in Euangelio, sub certa ratione, & externis signis peccantibus lethaliter, post baptismum iubeatur, cum subiectione, scilicet, clauibus Ecclesiæ, & sententiæ remittenti, uel retinenti earum auctoritate pronunciatæ, promittitur etiam illi peccatorum remissio, quare uerè, & propriè Sacramentum est, sicut baptismus, & confirmatio. Meritò itaq; graues ecclesiast. doctores, tres partes, ex quibus integratur, & cõstat, assignarunt, contritionem, scilicet, confessionẽ, & satisfactionem, quod à posterioribus quidem doctoribus explicatius traditum est. Sed antiquorum quoq;, & scripturæ auctoritatibus confirmatur, de quibus singulatim dicendum est.*

DE

DE CONTRITIONE. VVIRTENBERG.

CONtritionẽ uocamus, ſenſum Diuinæ iræ, ſeu dolorem, aut pauorem animi a ex agnitione magnitudinis peccatorum, & grauitatis iræ Dei ortum. Talem contritionem arbitramur quidem neceſſariam eſſe in uera pœnitentia, quam contritionem b lex Dei in homine excitare ſolet: ſed docere eam c mereri remiſſionem peccatorum, & eſſe expiationem peccatorum coram Deo, exiſtimamus ab Apoſtolica doctrina alienum eſſe: Deus enim non deſpicit quidem cor contritum, & humiliatũ, ſicut Pſalmus loquitur, ſed idcirco non deſpicit, quia filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus d ſuſcepit cor contritum, & humiliatum, cuius e ſolius contritione, & humiliatione peccata noſtra coram Deo expiata ſunt, & placata eſt ira Dei. Huius placationis nos participes efficimur, cum contrito, & humiliato corde f credimus, g ſolum Ieſum Chriſtum eſſe propiciatorem noſtrum apud Patrem cœleſtem. Eſaiæ 53. Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelerà noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuore h eius ſanati ſumus. primæ Ioannis ſecun-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Adde, & uera Dei dilectiõe, ipſum ſuper omnia bona æſtimãte, ſine hac uerò, de qua dictum eſt Lucę cap. 7. dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum, cõtritio non uera eſt.

b Imò re uera, ſola gratia cõcedere, iuxtà illud Pauli, 2. Tim. 2. ne quãdo Deus det illis pœnitentiã, etc. Sed hîc oſtẽdunt iſti doctores, ſe non intelligere neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmãt. Primò non intelligunt catholicam doctrinã de contritione, quam nos intelligimus, uerã illam conuerſionem cordis à peccato, quã petit ſibi dari à Deo, qui dicit, conuerte me Domine, & conuertar, & tã frequenter in Pſalmis: conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Ipſi uerò cõtritionem, uel certè doloré huic coniunctũ humanũ quoddam opus uiriũ, ſcilicet, humanarũ putantes, primùm indignè ſentiũt de illa, quæ tã prædicata eſt & tã neceſſaria: deinde magni aſſertores gratiæ, non docẽt gratiã quærere, tunc cũ maximè neceſſaria eſt peccatori, ſcilicet, cupienti remiſsionem obtinere peccati.

c Remiſsionem peccatorum ipſorum, uidelicet de quibus eſt & quæ remittuntur à Deo, per illam non dicimus ipſam mereri, cũ & peccatum gratis dimittatur, & ante remiſſum peccatum illa nõ ſit, ſed eſt effectus gratiæ ipſius remittentis peccatum, ut in catholica doctrina habes. Eſt tamen præparatio neceſſaria ad remiſsionẽ peccati, quę per gratiã fit in nobis, quidqd uerò ante remiſſum peccatum in nobis eſt doloris, & pœnitudinis, illud præuia quædã diſpoſitio eſt, & remota, qua paulatim gratia hominẽ ducit ad Deum. Quod uerò nonnulli aſſerant meritum quoddam deficiens quidem, & ſecundum quãdam duntaxat congruitatem, qua diuinæ bonitati congruit quod cœpit in nobis perficere, & homini conanti ad ſe redire manũ præbere, non reijcimus: quanquam non minus placet, bene conſideranti rem, & doctrinam Patrum, ante remiſſum peccatũ, nullum eſſe aliud meritum, quàm damnationis propter permanẽtem adhuc in eo affectum peccati.

d Verbum tamen illud Pſalmi, nulla ratio, nec auctoritas habet, ut de ſolo Chriſto intelligatur, cuiuſcunq; cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit: etiam Achab illius de quo dicitur, quod uenundatus eſt ut faceret malum, ut habes 3. Regum cap. 29. Nonne uidiſti humiliatum Achab coram me, ſed non omnia eodem modo, & æqualiter reſpicit, aliorum enim ad uitam æternam, & hoc quidẽ propter Chriſti meritum, cui nihil detrahimus, aliorum, ad cõmoda aliqua temporalia, ubi etiam meritis Chriſti tribui uolumus quidquid boni in illis eſt, uel propter hoc à Deo illis datur.

e Memor eſto excluſionem illam non negare, quod ex ea Chriſti contritione in nobis eſt, & hæc eſt noſtra contritio, ut probatum eſt.

f Vtcunq; dixeritis, quantumuis conemini occultare, tamen nõ fidem ſolam, ſed contritionem fatemini neceſſariam, ut effi ciamur participes placationis Chriſti, cur enim non licebit mihi dicere, nos participes effici placationis Chriſti, cum corde fideli cõterimur, & humiliamur coram Deo propter peccatum?

g Primò caue uerbum ſolum, Non excludantur noſtra, ut à Chriſto ſunt, noſtra contritio propicium nobis reddit Deum, imò & aliorum oratio, ſicut de Moyſe dicitur, quòd placatus eſt Dominus oratione eius. Exodi 38. & de Iob ca. 48. Iob autem ſeruus meus orabit pro uobis, faciem eius ſuſcipiam, ut non uobis imputetur ſtultitia, ſed hæc omnia propter Chriſtum, & ex Chriſto. Nihil ei detrahimus, ſed potiùs glorificamus, maximè ex hoc. Deinde & hoc aduerte, non ſolum hoc credendum eſſe, ut iuſtificemur, quod hîc dicitur, ſed totam integrè catholicam fidem, nõ ſolum Chriſtum eſſe propiciatorem apud Patrẽ tantùm, ſed etiam cætera omnia, claues datas Eccleſiæ, illam eſſe unam, & ſub uno Chriſti uicario ſucceſſore Petri, & omnia dogmata, ut uides q̃ longè iſti abſint à iuſtificatione, & doleas eorum uicem, qui ſe illuſtratores fidei, & doctrinæ iuſtificationis putant. Itaq; meritò diximus, primò cor fidele requiri tanquam fundamẽtum, deinde contritionem, hæc actu eſſe debet, fides uerò tãquam fundamentum uirtute.

h Verum eſt, ſanati ſumus in uera fide, & catholica Eccleſia pœnitentes, quod etiam ex meritis eius fatemur nos habere: nam idem Eſaias pœnitentiã docet, ut oratio Eze

a *Ipse est propiciatio pro peccatis nostris*. Acto.cap.10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibẽt, remissionem peccatorum accipere per nomen eius*, b *omnes qui credunt in eum. Et testantur exempla Cain, Esau, Saulis, Iudæ Iscariotis, & aliorum, quòd contritio non sit meritum remissionis peccatorum, hi enim & si* c *tantam habuerunt contritionem, ut tolerabiliùs ipsis uisum fuerit, uitam sibi aut laqueis, aut gladijs abrumpere, quàm horribiles illos dolores perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti. Glos. de pœnitent. dist. 1. cap. 1. Si subtiliter intueamur,* d *gratiæ Dei, non contritioni, attribuenda est peccatorum remissio.* e *Quare fatemur, contritionem ad agendam ueram pœnitentiam necessariam quidem esse, non autem in hunc usum, ut sit meritum, seu expiatio peccatorum coram Deo, sed ut homo agnita magnitudine peccatorum, & grauitate iræ Dei, detestetur peccata, & excitetur ad quærendam remissionem peccatorum, ac salutem à* f *sola gratuita clemẽtia, & misericordia Dei, propter solum Iesum Christum Dominum nostrum per fidem.*

SCHOLIA CATHOLICA.

chiæ ostendit: Sicut pullus, sic clamabo.

a Sed idem inquit: si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, ut dimittat, sed ex propiciatione Christi fatemur esse.

b Hoc Petrus dixit in domo Cornelij, idem ipse tamen, Actorum 2. quærentibus quid facerent, ad salutem dixit pœnitentiam agite, utrunque igitur necessarium, & susceptа fide hæc pœnitentia maximè prædicanda.

c Hîc ostendunt quàm præposterè de contritione loquantur, contritio illa fuit, sed qualis in damnatis, non certè quæ uoluntatem, qua peccatum est, frangeret, & comminueret coram Deo, Nullus catholicus sensus unquam horum ueram contritionem putauit, uel in contritionem esse meritum remissionis peccati dixit, ut superiori annotatione diximus, sed quod nunc etiam dicendum est, perfecta illa contritio, qualis descripta est, ex gratia procedens, meritum est uitæ æternæ, & quoties remisso peccato in eundem prorumpimus contritionis actum, ex charitate & gratiam & uitam æternam meremur, & integriorem etiam remissionem peccati: nam siue à pœna, siue quacunque alia ratione. Verissimè clamat Psalmista: Amplius laua me à peccato, &c. iam lotus erat: sed ait, magis, magisq; laua me, hoc operatur iterata contritio ex gratia.

d Optimè, nam ipsa contritio gratiæ Dei est effectus, meritò igitur tribuetur causæ remissio peccati, non effectui, nisi ut ab illa est, & eam in se habet.

e Si hanc doctrinam inspicias, certè uidebis miras tenebras, in his qui elucidatores dicuntur doctrinæ huius, fatentur contritionem ad agendam pœnitentiam necessariam esse: ueriſsimũ est ut integrè agatur pœnitentia, ut à Christo præcipitur in noua lege, ut fructus illi, quos petit, producantur, à contritione incipiendum est, Est itaq; contritio necessaria ad integritatem totius pœnitentiæ, & ita ad remissionem peccati, sed addunt non in hunc usum, ut sit meritoria, seu expiatio, uerũ est ut diximus, sed ut homo (inquiũt) agnita magnitudine pctõrum etc. detestetur pctã. Quid aliud cõtritio, q̃ detestatio peccati? Cõtritio itaq; necessaria est in hũc usum, ut cõteramur de peccato, hoc est, contritio ad seipsam necessaria est: quòd si contritionem quãdam solam dicunt animi anxietatem, non intelligunt contritionem de qua doctrina Ecclesiæ in hoc loco loquitur, quæ non est aliud, quàm quod diximus. Cùm uerò contra hãc doctrinam loquuntur, opus erat, ut eam intelligerẽt. Deinde si mordicus hoc tenere uelint, ut aliud cõtritio sit, quàm detestatio peccati, qualis ostensa est in doctrina catholica, certè illa quidquid sit, non est necessaria ad remissionem peccati, uel ad ueram pœnitentiam, cùm certum sit eam non esse fidem, uel charitatem, uide itaq; an meritò dixerimus, hîc esse tenebras, & caue.

f Omnes illas exclusiones intellige, ut dictum est, non excludũtur dispositiones nostræ, & præparationes eiusdem gratiæ effectus, alioqui exclusio apposita uerbo gratiæ excluderet meritum Christi, & eadem addita merito Christi excluderet gratiã: sed neutrum re uera est, gratia Dei est meritũ Christi: ita etiam, & eiusdem gratiæ, & meriti Christi sunt dispositiones nostræ.

DE CONTRITIONE. CATHOLICA.

Contritionem uocat catholica Ecclesia, perfectum animi dolorem de peccato, uoluntati illi, qua peccare libuit oppositum, frangentemq; duritiam illam cordis, qua peccantes diuinis præceptis, & bonitati resistimus. Dolor quidem peccati imperfectus est, ex quantacunq;, aut qualicunq; fide procedens, & quantascunq; lacrymas, & sensum doloris habeat, quousq; ex Dei charitate, quæ ueram fidem prærequirit, sine qua impossibile est placere Deo, charitate, inquam, dilectioneq; illius super omnia bona, & amabilia procedat, atq; ita peccata, tanquam Deo opposita, super omnia, quæ odio habet, detestetur, idq; uerè in diuinis oculis. Hæc contritio, semper, & ante legem, & sub lege, & reuelatæ gratiæ tempore, ad remissionem peccati lethalis necessaria est in adultis, quam iuxta catholicam fidem, solus Deus gratuita sua bonitate, amorem suum diffundens in cordibus nostris, atq; ita nobiscum a-

gens,

gens, operatur in nobis, merito, & uirtute paſsionis, & ſanguinis Chriſti, quæ cùm talis, & tam perfecta fuerit, non tamen iuxta fidem, creditur remiſsionem peccatorum mereri, ſed eſſe propriam diſpoſitionem ad illam, ſine qua nunquam, & per quã ſemper peccatum mortale remittitur. itaq; et remiſsio peccati, et pœnitẽtia diuinæ gratiæ effectus ſunt, non cauſæ, non aliter quàm in generatione naturali, forma geniti, & ultima diſpoſitio ad illã effectus ſunt generantis. Ezech. cap. 18. a Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris, & non erit uobis in ruinam iniquitas, proijcite à uobis omnes iniquitates ueſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite uobis cor nouũ, et ſpiritũ nouũ. Quare moriemini Dominus Iſrael, quia nolo mortẽ moriẽtis dicit Dominus, reuertimini, & uiuite. Sũt innumeræ aliæ Prophetarũ auctoritates de hoc. cap. 3. Hier. ſub typo adulteræ loquẽs peccatori q̃ plenè hæc tradit: Tu fornicata es cũ amatoribus multis, tamẽ reuertere ad me dicit Dominus. Leua in directum oculos tuos, & uide ubi nũc proſtrata ſis, &c. Caput 31. eiuſdẽ, & gratia Dei, & ipſius doloris inſignia habet teſtimonia: Conuerte me Domine, & conuertar, poſtq̃ conuertiſti me, egi pœnitentiã, & cætera multa. Caput 16. Ezechielis: Notas fac Hieruſalem abominationes ſuas, &c. totam continet doctrinam pœnitentiæ. Oratio Danielis, cap. 9. hoc ipſum continet: Peccauimus, inquit, iniquitatẽ fecimus, etc. Deniq; tota doctrina Prophetarũ magna ex parte hoc docet. Matt. 3. & 4. Marci 1. Pœnitentiã agite dicit Ioãnes, & Chriſtus, & inde incipiunt prædicationem ſuam. Et Lucæ cap. 13. Niſi pœnitentiã habueritis, omnes ſimul peribitis. Eiuſdem cap. 18. Publicanus orans: Deus propitius eſto mihi peccatori, iuſtificatur. Et ca. 7. mulier peccatrix fundens lacrymas ad pedes Chriſti, audit: Remittuntur tibi peccata. Deniq; & magna pars Euangelicæ doctrinæ apertè hoc docet. 2. Cor. 7. Quæ ſecundum Deum triſticia eſt, pœnitentiã in ſalutẽ ſtabilem operatur, unde & ait: nõ pœnitet q̃uos contriſtauerim in Epiſtola, cõtriſtati enim eſtis ad pœnitentiam. Petrus in prima cõcione ſtatim pœnitentiam prædicat, & tota Apoſtolorũ doctrina plena eſt hac prædicatione. Hoc ipſum exemplis ſcripturæ fit manifeſtum in David ueraciter pœnitente, in Manaſſe, & ſimilibus oſtẽditur utilitas pœnitentiæ, ſicut ecõtrariò, in Cain, Saule, Iuda, et ſimilibus infructuoſa, & falſa pœnitentia oſtenditur non prodeſſe. Auguſt. Tract. 72. ſuper Ioannem. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipſe faciet, prius ego facio, deinde ipſe faciet, quia facio ut faciat, quæ opera? niſi ut ex impio fiat iuſtus, & maiora horum faciat: quorum obſecro? nunquid omnium operum Chriſti maiora facit, qui cum timore, & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur? quod utiq; in illo, ſed non ſine illo, Chriſtus operatur. Itaque uera catholica Eccleſia, contritionem non meritum remiſsionis peccati, ſed diſpoſitionẽ neceſſariam credit, atq; ut per eam iuſticiam ueram conſequamur, & participes efficiamur meritorum Chriſti, docet exercendam eſſe, quæ tamen cùm effectus ſit gratiæ & meriti Chriſti, & fidei illius, quæ per dilectionem operatur, non ab illis ſeparanda eſt, nec per eam gratiæ quidquam detrahitur, aut Chriſti meritis.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hic locus ſi rectè penſetur, & dolorem & mutationem cordis oppoſitam peccato & charitatem Dei, docet.

DE CONFESSIONE. VVIRTENBERG.

Confeſsionem uocant enumerationem peccatorum coram ſacerdote. Talis igitur confeſsio, qualis hactenus fuit uſitata a ſicut non eſt diuinitùs præcepta, ita manifeſtum eſt, quòd uetus Eccleſia non exegerit eam tanta ſeueritate, perinde ac ſi ad conſequendam æternam ſalutem neceſſaria eſſet. Ac dubium quidem non eſt, quin debeamus nos coram Deo peccatores agnoſcere, & Deo peccata noſtra confiteri: ſed ea coram homine (niſi ſi quid in ipſum peccauerimus, & ueritas legitima, ac diuina uocatione dicenda fuerit,) enumerare liberum eſſe, concedunt etiam b ueterum Eccleſiaſticorum ſcripta. Chryſoſtomus in capite duodecimo, ad Hebræ. Homil. trigeſima prima. Non dico tibi, ut te prodas in c publicum, neque ut te apud alios accuſes, ſed obedire te uolo Prophetæ dicenti: reuela Domino uiam tuã. Et iterũ in Pſal. Miſerere. Si confundaris alicui dicere, quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua, nõ dico ut confitearis cõſeruo tuo,

SCHOLIA CATHOLICA.

a Optimè inquiunt, ita eſt manifeſtum, quòd uetus Eccleſia non exegerit eam. Sicut quòd non eſt diuinitùs præcepta, utrũque enim in catholica aſſertione ex ſcriptura, & patribus falſum oſtenditur.

b Non Origenis, non Hieronymi, non Auguſt. ueterum ergo Eccleſiaſticorum quorundam minus aperta eſſe, & rara teſtimonia, non quidem liberum eſſe concedentia, ſed obſcurius de ea re fortè, ob infirmitatem audientium loquentia, dici poteſt, ſi ueraciter, & modeſtè loquendum ſit.

c Publicam igitur, quæ tunc apud multos in uſu erat, peccatorum confeſsionem

ut a *exprobret, dicito Deo, qui ea curat. Etsi autem hæc Chrysostomi uerba* b *solent exponi de peccatis, quæ anteà sacerdoti confessa sunt, tamen hæc expositio est manifesta deprauatio sententiæ Chrysostomi. Et testatur Ecclesiastica historia perspicuè, morem confitendi sacerdotibus* c *abrogatum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana. Augustin. in libro decimo confess. cap. 3. Quid mihi est cum hominibus ut audiant* d *confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos. Curiosum genus ad cognoscendam alienam uitam, desidiosum ad corrigendum suam. Ambrosius super Lucam de pœnit. distinct. 1. cap. Pet. Petrus doluit, & fleuit, quia, ut homo, errauit. Non inuenio* e *quid dixerit, scio quòd fleuit, lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Etsi autem sentimus, enumerationem peccatorum coram sacerdote non esse necessariam ad salutem, nec esse aliquod meritum remissionis peccatorum, tamen damus operam, ut generalis confessio peccatorum, quantum fieri potest, & licet, in Ecclesijs nostris conseruetur, idq; duabus de causis. Vna est, ut hoc priuato colloquio rudiores de rebus necessarijs admoneantur, & erudiantur. Altera, ut hac occasione priuatim audiatur Euangelion Christi de remissione peccatorum, quod Euangelion est* f *uera clauis re-*

SCHOLIA CATHOLICA.

occultorum, ut testimonio Origenis in assertione catholica probatum est, Chrysost. dicit se non exigere, hoc enim significant uerba: publicum te prodas, & apud alios accuses, plures. n. significat dictio non unum tantùm. in assertione uerò catholica, habes Basilij, Chrysost. studiorum, & uitæ socij, apertum testimonium, de confessione quæ tunc in usu erat, imò ipsius Chrys.

a Hîc locus nõ apertè re uera docet confitendũ homini, nec tamen negat. Lenit quidem difficultatem confitendi, dicens primò, non ei cõfitendum, qui exprobret, hoc est, à quo hoc timere possit, dicat igitur Chrysost. si meritò times exprobrandum tibi à conseruo peccatum, tunc cõfitere Domino, qui ea curat. Et rursum cùm dicit: dic Deo, intelligi potest, in arcano illo iudicio, in quo reuera Deo dicitur, quia locum Dei tenenti homini illud confitetur. Hoc constat Chrysostomo agnoscenti infirmitatem suorum, difficilè fuisse uisum persuadere peccatoribus submittere se sacerdotibus, & ideo artificiosè putat esse agendum, ut illi sibijpsis hoc persuadeant, non à sacerdotibus imperiosè audiant, ita ipse dicit in 2. lib. de sacer. Multa, inquiẽs, arte opus est, ut qui laborant Christiani ultrò sibijpsis persuadeant, sacerdotum se curationibus submittere oportere. Vides quia oportere hoc dicit tamen artificiosè agẽdum, ut hoc sibi persuadeant. Ita igitur putauerim ego Chrysost. hic artificiosè locutum, non aperte asseruisse corãm his, quos uidebat fortè magis offendi, quàm inde ædificari posse, nec tamen negat, quod alibi dicit oportere.

b Possunt quidem expositionem, si non hanc, saltem illam quam adduximus, aut aliam habere, sed nullam mordicus tenemus. Chryso. unum uerbum aut minus apertè, aut condescendendo infirmitati audientium, dispensatiuè fortè dictũ, & suis, & aliorum testimonijs, quę in catholica doctrina habes, meritò nõ debet præiudicare.

c Testatur tamen idem eodem loco, morem confitendi seruatum antiquitus fuisse in Constantinopolitana Ecclesia, & in occidentalibus maximeq; Romana usq; ad ea tempora seruari, imò ibi, inquit, necessariã esse, qui confiteri, ait, refugit, maius peccatorum onus acquirit, antiquam ergo hanc cõsuetudinem, nos meritò præferimus unius Nectarij auctoritati, qui fortè scandalo populi coactus permisit magis abrogari consuetudinem, dabit ipse Deo rationem operis sui, nec enim tãti est, ut illius opus in exemplum sit trahendum, nec etiam eum reprehendimus, certè ipsa historia Ecclesiastica non probat, sed arbitratur minora antea peccata fuisse commissa, pro pudore cõfessionis, & subtilitate examinantium. Aduerte tamen in hoc loco, hoc factum fuisse à Nectario, qui proximè præcesit Chry. Ex quo colligitur, Chrysostomum auersum inuenisse populum à cõfessione, & unumquemque à Nectario relictum suæ conscientiæ iudicio, non mirum igitur, si ipse mitiùs fuerit de hac re locutus, prudẽter cogitans paulatim agendum esse, quæ ex his, quæ citauimus, satis patent.

d Hoc apertè est uelle decipere eos, q hæc non legerũt, nihil apertiùs q̃ Augustin. ibi nõ loqui de cõfessione hac, quæ sacerdotibus, fit, sed de suis illis confessionibus, quas ad se excitãdum, in laudem Dei & ædificãdos proximos conscripsit, & in publicum edidit, uitam etiam suam ante Baptismum, & leuiora quæq; peccata manifestans. Cur ergo isti doctores, ex uno uerbo confessionis, ita uolunt simplices decipere, ut non uideant ab his, qui tantillũ legerunt meritò posse mẽdacij argui.

e Si hoc uerbũ ad cõfessionem sacerdoti faciendã referamus, nihil habet dubij: Primò, tũc nõ erat instituta cõfessio, nec dictũ, quorũ remiseritis peccata, nec si esset instituta apud Christũ fuisset necessaria: ille sine sacramentis contulit sacramentorũ gratiã, sed re uera hoc uerbũ dixit, nõ est cur ad cõfessionẽ referatur, magis uidetur ad uerba aliqua orationis, quæ potuisset Petrus pro remissiõe peccati dicere. Vt igitur Ambr. lacrymarũ, & pudoris efficaciã commẽdaret, scio, inqt, quod fleuerit, sed nõ inuenio qd dixerit, unde in sequentib. lachrymas eius, inqt, lego, satisfactionẽ nõ lego, ostẽdẽs supplere efficaciã doloris satisfactiõis defectũ.

f Vera clauis est, quæ aperit, & claudit, absoluit, & retinet, dicente Christo: quo-

gni

gni cœlorum, & absolutio à peccatis, & ut per auditum Euangelij, seu absolutionis, fides uel cõcipiatur, uel confirmetur. In agenda enim uera pœnitẽtia, nihil certiùs, nihil firmiùs iudicamus, quàm quòd omnino a necessaria sit fides, uidelicet ut quod Euangelion Christi annũciat credamus, b nobis certò remitti, & condonari peccata c gratis propter d solum Iesum Christum Dominum nostrum. Non ignoramus quidem, quòd si e opera nostra respicimus, non tantum nobis dubitandum, uerùm etiam de salute nostra desperandum sit, quippe quòd nostra opera quantumuis bona uideantur, non possint f coram seuero tribunali Dei cõsistere. Nec obscurum nobis est, quòd carni nostræ in hac corporali uita semper adhæreat g dubitatio de misericordia & clemẽtia Dei. Sed cùm Deus promittit nobis gratuitam suam clementiam, propter Christum filium suũ, & exigit, ut Euangelio filij sui obedienter credamus, exigit etiam eo ipso, ut h dubitationem carnis nostræ mortificemus, ac certissimam de misericordia sua i fiduciam concipiamus, ne nos promissionem eius tanti mendacij accusemus, quantã k dubitationẽ de ea habeamus. Et ut possimus certam fiduciã concipere, collocauit salutem nostrã non in meritis nostræ iusticiæ, quæ l est imperfecta, sed m tantùm in meritis Filij sui Domini nostri Iesu Christi, cuius iustitia ut est perfectissima, ita & in iudicio Dei firmissima & constantissima. Mar. 1. n Pœnitentiam agite, & credite Euangelio, Iubet nos Euangelio, quod annunciat nobis certũ o fauorem Dei erga nos pro-

SCHOLIA CATHOLICA.

rum remiseritis, & quorum retinueritis, & quidquid ligaueritis, uel solueritis, non ergo Euãgelium, siue eius prædicatio, sed potestas quæ aperte ibi data est à Christo, clauis dicitur, quæ exercere non potest actum sine iudicio, & cognitione eorum, quæ retinenda, uel remittenda sunt.

a Fatemur & nos hoc, sed non sola sufficit, etsi enim habuero, inquit Paulus, omnẽ fidem, charitatem non habuero, nihil sum, fides ergo, quæ per dilectionem operatur, est necessaria.

b Euangelium annunciat remitti peccata pœnitẽtibus, ipsum annũciat multos nõ uerè pœnitere: & scriptura omnib. dubitandũ esse dicit, ut habes in catholica assertiõe.

c Non tamen sine operibus nostris. Nam nisi pœnitentiam egeritis, &c. sed quia hæc ex gratia in nobis est, dicente Hiere. Postquàm enim conuertisti me, egi pœnitentiã, ca. 31. meritò gratis dicitur remitti peccatũ.

d Nõ excludit quod ab ipso in nobis est, propter solum Christum promerentem, & efficientem, sed propter contritionem nostram, qua disponimur ab ipso Christo, remittuntur peccata, sic enim dictum est: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

e Vt à nobis sunt, & sine diuina gratia, uerum est, ut uerò à Deo sunt, spei nostræ sunt testimonia, Paulo dicẽte, 1. Cor. 1. Gloria nostra est testimoniũ conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate &c. conuersati sumus in hoc mundo.

f Paulus inquit 2. ad Cor. 5, Oẽs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, pro ut gessit siue bonum, siue malum. Et rursum idẽ ad Rom. 2. In die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, dicit unicuiq; reddendum secundũ opera eius, quomodo ergo non possunt opera nostra coram Dei tribunali stare? Denicq; ipse Christus Luc. 2. Vigilate, ait, omni tempore, orantes, ut digni habeamini stare ante Filium hominis. Quid ergo hac specie pietatis ita amicè imponitis simpliciori-bus? Digni efficimur stare ante Filium hominis, & opera nostra digna sunt, sed eius gratia, non nostris uiribus.

g Quod in nobis semper sit dubitatio diuinæ bonitatis, & clementiæ, motus, scilicet, aliquis infidelitatis, uoluntariè dicitur, nullibi probatur ex scriptura: sed insurgere in nobis aliquando huiusmodi motus uerum est, cauendũ tamen hîc, quod dubitationem non qua dubitemus, an Deus clemens sit, & misericors (hæc enim peccatum est & ex cæcitate carnalis nostri hominis) sed qua dubitamus an nobis illa cõtingat, isti dubitationem carnis uocant, & peccatum, cũ re uera sit timor Domini sanctus, quia scriptũ est: nemo scit utrum odio, uel amore dignus sit, & quos uult indurat.

h Verum est, carnis non uerò humilitatis, & timoris dubitationem docet nos mortificare fides, ut ex proximè dictis patet.

i Sed cum timore, ut Paulus iubet nostrã salutem operari, inquit, hic enim timor nõ repugnat misericordiæ diuinæ.

k Promissiones diuinæ, quæ de remissione peccatorum est & conditionalis: si impius egerit pœnitentiam, nõ recordabor peccatorum eius, nulla est nobis dubitatio, cũ de ueritate nostræ pœnitentiæ dubitamus, gratia uerò pœnitendi nulli in speciali promissa est, nec omnibus, sed misericordiam, inquit, præstabo cui uoluero, ut ad Roma. 9. scriptum est.

l Ex nobis uerum est, sed ex Diuina gratia uerum est illud Eccles. 9. Sunt iusti, atq; sapientes, & perfecti, etiam dicente Paulo: quicunque perfecti sumus perfectione uidelicet huius uitæ, nondum tamen patriæ, de qua ibidem: non me arbitror comprehendisse &c.

m Si millies particulam exclusiuam apposueritis, millies addã non excludit, quod ab illis in nobis est, non ergo pœnitentiam, nec alia opera gratiæ.

n Non ergo sola fides exigitur, sed præcipitur etiam pœnitentia, ostendite ergo ubi hæc omnibus promittatur.

o Erga nos pœnitentes, & credentes uerum est, sed fauorẽ ad rectè pœnitendũ de

pter Christum, credere. Ergo non uult ut de fauore eius erga nos dubitemus, sed ut certam de eo fiduciam concipiamus. Ioan. 6. Hoc est opus Dei, ut a *credatis in eum, quem misit ille. Si Deus* b *exigit, ut credamus in Filium suum, certè non uult, ut dubitemus, sed ut firmam fiduciam in eo collocemus. Iacob. 1. Si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo, qui dat, nempe Deo, qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei, sed postulet cum* c *fiducia, nihil hæsitans. Hilarius in Matth. cap. 5. Regnum cœlorum quod Prophetæ nunciauerunt, Ioannes prædicauit, Dominus noster in se esse positum est professus, uult sine aliqua incertæ uolũtatis* d *ambiguitate sperari. Alioqui iustificatio ex fide nulla est, si ipsa fides fiat* e *ambigua. Augustin. in Manuali cap. 23. Qui de uenia peccatorum suorum* f *desperat, negat Deum esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit, quantum in se est, negat Deum habere charitatem, ueritatem, & potestatem, in quibus tota spes mea consistit. Sixtus Pontifex Tomo 1. Concilio, in 1. Epist. Sixti Pontificis. Dubius* g *in fide, infidelis est. Quare existimamus eos, qui iubent nos de fauore* h *Dei erga nos dubitare, non solùm pugnare cum uera sententia* i *catholicæ Ecclesiæ, sed etiam saluti* k *Ecclesiæ pessimè consulere.*

SCHOLIA CATHOLICA.

peccatis non annunciat certò, sed sub dubio expectandum, & desiderandum, atq; orationibus pro omnibus petendum, nequãdo, inquit Paul. 2. Timoth. 2. Deus det illis pœnitentiam, &c. De fauore ergo eius ad nos, donoq; pœnitentiæ non uult nos non dubitare, sed fiduciam admistam timori habere & pro illa semper augenda orare.

a Fide, proculdubio, quæ per dilectionẽ operatur, sine qua Paulo teste cætera nihil ualent.

b Certè nõ uult, ut dubitemus de his, quę credenda proponuntur, nõ dubitamus, sed de dono pœnitentiæ: fiduciam uerò firmã, sed non sine timore collocamus in eum.

c Nihil, inquam hæsitans de Diuina omnipotentia, & misericordia, quod Christus exigebat à cęcis, quos illuminare uoluit: creditis quia hoc possum facere uobis? non uerò, inquit, quia hoc facturus sim uobis.

d Si Hilarium attentè legas, ambiguitatẽ, quæ fidei, & spei contraria est, intelligit, sic enim incipit hanc sententiam: Confirmare nos in spem bonorum æternorum, laborat: Plures enim, & amor præsentium, & desperatio futurorum, incertos facit, & aut illecebris capit, aut infidelitate confundit, & mox sequuntur quæ hîc posita sunt: Cùm igitur, inquit, sine incertæ uoluntatis ambiguitate, de ea incertitudine loquitur, quàm superiùs arguerat non timoris, sed desperationis, & hoc ipsum paulò pòst eodem capite apertiùs exponit, & huic proposito conuenientiùs, cùm exponens hæc uerba: nolite iudicare, ita inquit: Iudicare desponsionibus suis uetuit, quia ante iudicia ex incertis rebus inter homines sumuntur: Ita hoc iudicium aduersus Deum, ex sentiendi, atque opinandi ambiguitate susc ipitur. Vide itaque de promissionibus tantum Dei Hilarium uelle nos non dubitare, at uerò, quòd sæpiùs dicendum est, pœnitentia nulli est promissa, nec perseuerantia.

e Hęc confirmant, nostra fides, inquit, nõ sit ambigua, sed fides de Diuinis tantum promissionibus esse debet.

f Desperationem omnes damnamus peccatum & grauissimum, & periculosissimũ, eam confitentes, desperantes, inquit Paulus ad Ephe. 4. semetipsos tradiderunt in operationem omnis immunditiæ, sed prę-sumptionem, & temeritatem non minùs dicimus esse uitandam, Paulo dicente Roman. 11. Noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis nõ pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vestra uerò certitudo, quid aliud, quàm temeritas, & contraria est huic Pauli admonitioni.

g Cùm, scilicet, integro consensu de his, quæ iubemur credere dubitat, sed hoc satis patet nihil probare, non iubemur credere, dandum nobis donum pœnitentiæ.

h Caue iterum lector, de fauore Dei erga nos pœnitentes, & implentes eius præcepta iubemur non dubitare, sed fauor ad hæc agenda, aut in his perseuerandum, non est promissus alicui, Quid rogo apertiùs?

i Catholicæ Ecclesiæ sententia consentit scripturæ, quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, ut habes in doctrina catholica.

k Imò optimè consulit, qui securitatem temerariam adimit, torporem excutit, & timoris stimulo, de quo dictũ est, qui timet Deum, nihil negligit, desides excitat.

DE CONFESSIONE. CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, quòd peccata à Regno Dei excludentia, post baptismum commissa, etiam occulta, & solius cordis, & reseruata fuerint à Christo iudicio clauium Ecclesiæ, & potestati illorum, quibus dixit: quorũ remiseritis peccata, &c. quibus dedit unicum hoc remedium noui Testamenti, proprium peccantibus post baptismum, iudicium scilicet, & sententiam uel remittentem, uel retinentem peccatum. Quia igitur hoc iudicium sine cognitione exerceri non potest, nec omnium occultorum etiam haberi potest ab his iudicibus, quos præfecit Christus, nisi confessione eorum, qui commiserunt, nec absoluere possunt, nisi quem ad id paratum agnoscunt, necessariam esse peccatorum horum, & omnium quidem, lachrymabilem Confessionem,

uera

uera fides agnoſcit, ex præceptis Euangelicis, & Apoſtolicis, uſu ipſius primitiuæ Eccleſiæ, & totius deinde catholicæ, atq; ueteris, quæ ſeuerius multò illam exegit quàm nunc, ut teſtimonijs Patrum oſtenditur, in quibus ſi aliqua, quæ in faciem huic fidei uideantur aduerſa, inueniantur, nouit eadem nõ inde ſcandalizari, nec alijs offendiculũ ponere, ſed uel prudẽter exponere, iuxta intentionem loquẽtium, & certam hãc regulam fidei: uel agnoſcit non efficacia eſſe, ſed uel reijcienda, uel referenda ad ſpeciales ieges diſpenſationis prælatorum. Ioan. cap. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Iacobus cap. quinto: Confitemini, inquit, alterutrum peccata uestra, cùm prius de ſacerdotibus fuiſſet loquutus. In primitiua Eccleſia, ſub Pauli Apoſtoli diſciplina, Actu. quinto, legimus, quòd multi credentium ueniebant confitẽtes, & adnunciantes actus ſuos. Clemens, Dionyſius, Apoſtolorum diſcipuli, Origenes, Tertullianus, & Cyprianus. Poſt Apoſtolorum gubernationem, in eorum diſcipulis, confeſſionis & uſus eius ſunt aperta teſtimonia, & deinde in Patribus illis proximis. Clemens Epiſtol prima inter ea, quæ à Petro dicit ſe accepiſſe, quòd ſi fortè (ait) alicuius cor, uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod malum ex his irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præeſt. Dionyſius uerò Epiſtol. ad Demophilum, conſuetudinem iam oſtendit fuiſſe peccatoribus, ſua manifeſtandi peccata ſacerdotibus, arguit enim durè monachum, quòd contempſerit, & ab Eccleſia calce expulerit impium ſacerdoti procidentem, cùm ille, inquit, uerecundè (quòd oportuit) fateretur ſe ad remedia peccatorum quærenda uenisſe. Origenes in Pſalm. 38. Homilia ſecunda, exponens illud: Quoniam iniquitatem meam pronunciabo, ita inquit: Pronunciationem iniquitatis, id eſt, confeſſionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos ſcriptura diuina, quid oportet non celare peccata intrinſecus tantummodo, circunſpice diligentius, cui debes confiteri peccatum tuum. Et poſt pauca: qui ſi intellexerit, & præuiderit languorem tuum talem eſſe, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, multa hoc deliberatione, & medici illius conſilio procurandum eſt. Idem Homilia ſecunda in Leuiticum apertè de eodem loquitur, & illud Iacobi: inducat preſbyteros Eccleſiæ, de confeſſione exponit Tertullianus lib. de pœnitentia, inter cæteras partes exomologeſis quam uocat, ponit presbyteris aduolui, quod de confeſſione eſſe ſequentia oſtendunt, in quibus exhortatur ad ſuperandum pudorem confitendi. Cyprianus ſermone de lapſis, arguit temeritatem illorum, qui poſt negatam, inquit, fidem ante exomologeſin factam criminis acceſſerunt ad altare, dicens deinde: quantò maiores fide ſunt, & timore meliores, qui quamuis nulli ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc uel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt. Poſt priores illos ſecuti, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Baſilius, qui quanta auctoritate in ſcriptura exponenda, & docenda fide, quàm in Eccleſia conſtantes fuerint, notum eſt, omnes apertè confeſſionis neceſsitatem docent: Hieronymus in locum illum Matthæi decimo ſexto. Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c. Quanquam quorundam ſupercilium arguens, ibi nonnihil uideatur detrahere auctoritati ſacerdotum, ſed non detrahit uerè, ita inquit, ligat, uel ſoluit Epiſcopus, uel presbyter, non eos qui ſontes ſunt, & noxij, ſed pro officio ſuo, cùm audierit peccatorum uarietates, ſcit quis ligandus ſit, quis ſoluendus. Idem capite decimo, Eccleſiaſtes illud uerbum: Si momorderit Serpens in ſilentio, &c. ita exponit: ſi quem Diabolus occultè momorderit, qui percuſſus eſt, ſi non egerit pœnitentiam, nec uulnus ſuum fratri, & magiſtro uoluerit confiteri, &c: Vbi uide quòd de confeſſione tanquam re certa illum locum ſcripturæ exponit, non uerò laborat, ut neceſsitatem confeſſionis probet. Ambroſius libro ſecundo de pœnitentia, capite ſexto: Soluit, inquit, criminum nexus uerecunda confeſſio peccatorum, ubi ſtatim admonet nõ erubeſcendum eſſe in Eccleſia confiteri peccata, libri illi ab omnibus citantur ut Ambroſij, quanquam nobis certè non uidentur nec ſtylo, nec ſententijs Ambroſio conuenire, & cui ita uidetur, ſi aliud Ambroſij uerbum de confeſſione non habet, ſit contẽtus teſtimonio operis, quod maius eſt, q̃ uerbi. Scribit Paulinus in uita Ambroſij, quòd quotieſcunq; illi aliquis lapſus ſuos confeſſus eſſet, ſic flebat, ut illum flere compelleret, cauſas autem criminum, quæ illi confitebatur, nulli niſi Domino ſoli, apud quẽ intercedebat, loquebatur. Itaq; Ambroſij tempore in Eccleſia confeſsio criminũ in uſu erat. Auguſtinus etiam in libro primo de doctrina Chriſtiana, capite decimoſeptimo, & decimooctauo: Peccata (inquit) niſi ſubiectione clauibus Eccleſiæ non putat dimitti. Et Tractat: quadrageſimonono, ſuper Ioannem in Lazari reſurrectione, apertè docet miniſtros Chriſti ſoluere à peccatis. Sed de confeſsione ſpecialiter, Pſalmo 66. in uerba: Confiteantur tibi populi DEVS, & quæ ſequuntur. Lætentur, & exultent Gentes, ita loquitur: Quid times confiteri, ſi non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis, ubi multa alia de neceſsitate confeſsionis, ad hoc, inquit, exigit

Hieronymus.

Ambroſius.

Auguſtinus?

Deus confessionem, ut liberet humilem, ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbos. Ergo tristis esto antea quàm confitearis, confessus exulta, saluaberis. Chrysostomus libro tertio de sacerdotio, de potestate clauiũ multa loquitur, ubi conferens auctoritatem sacerdotum nouæ legis auctoritati sacerdotum ueteris, ita inquit, sacerdotibus nostris non corporis lepra, uerùm animæ sordes, nõ dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Et libro secundo apertiùs de confessione loquens, admonet sacerdotes, ne importuniùs aut sua sola auctoritate premant peccantes, sed multa, inquit, arte opus est, ut qui laborant Christiani ultro sibijpsis persuadeant, sacerdotũ curationi sese submittere oportere. Vbi multa in hanc sententiam loquutus, quãta etiam diligentia examinare debet Episcopus pœnitentis conscientiam, docet. De Basilio manifestum est, quid de confessione sentiat, cuius sensum Chrysostomi etiam possumus meritò æstimare, ut qui & studiorum, & uitæ fuerint socij. Igitur ille in regula monachorũ, cap. 31. iuxta trãslationem Ruffini, quæstioni an omnibus confitenda sint peccata? respondens apertè dicit, illis confitenda esse, quibus dispensatio Dei commissa est. Vbi multa de necessitate confessionis ex uerbis Matthæi & Actuum Apostolorum loquitur, & frequenter in alijs locis eiusdem libri. Posteriores omnes à quadringentis, & octingentis annis de ea manifestissimè loquuntur, Beda, Rabanus, Hugo de sancto Victore, Bernardus, Magister Sententiarum, & cæteri omnes, qui eum sequuntur. Ex quibus, & multis alijs sentit catholica Ecclesia, enumerationem peccatorum corã sacerdote ita ad salutem necessariam, nisi necessitas eam excludat, ut generalis nullo modo sufficiat. Confessio enim nec ob instructionem tãtum eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, nec ad audiendum Euangelium necessaria est, sed ad participandum meritum, & uirtutem passionis Christi per Sacramentum eius. Quare etsi in agenda pœnitentia necessaria sit primò omnium fides, quæ per dilectionem operatur, specialis tamen illa, qua nobis certò remitti peccata gratis propter solum Christum statuimus, adeò necessaria non est, ut sit contraria ueræ fidei, & scripturæ, quæ ita sperare iubet remissionem peccatorum, & Dei erga nos gratiam, atq; fauorem, ut de ijsdem timere iubeat, quare sequitur de his non esse fidem, cùm uera fides omnem timorem contrarij eius quod creditur auferat. Nec dubitamus de omnipotẽtia Dei, superabundãtiq; Christi merito, de quo dictum: copiosa apud eum redemptio, certos nos esse debere. Quia uerò peccatorum remissio, non nisi pœnitentibus promittitur, & sub conditione: Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et ipsa pœnitentia præcipitur, dicente Christo: Nisi pœnitẽtiam egeritis, omnes simul peribitis. Quæ pro culdubio nostrum liberum arbitrium respiciũt, & cor: quod prauum, & inscrutabile, soliq; Deo notum est: meritò de propiciato peccato non sumus sine metu. Nec tamen, quia pœnitentiam, & liberi nostri arbitrij actũ requiri dicimus ad remissionem peccati, collocamus spem salutis, et remissionis peccati in operibus nostris, aut libero nostro arbitrio, nisi præuento à gratia, & fauore Dei, quidquam tribuimus, multò minùs remissionem peccatorum mereri posse ab aliquo, asserimus. Cùm ipsam pœnitentiam non nisi ex gratuito Dei munere remittente peccatum, & ad eam mouente liberum arbitrium esse in nobis fateamur, & Deum absq; meritis præcedentibus, scilicet, iuxta Pauli sententiam, accepto ferre iustitiam, & remittere, atq; tegere peccata, confiteamur. Sed quia hanc gratiam ad pœnitentiam mouentem in speciali nulli à Deo promissam esse, sed Deum quorum uult misereri, & quos uult indurare, Paulo docente, didicimus: asserit catholica fides, nullum in speciali, præter nouam reuelationem, credere posse, hanc gratiam, & Dei fauorem sibi concessum esse, quare nec remissionẽ peccati. Ad Philippenses 2. Cum metu, & tremore uestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in nobis, & uelle, & perficere, pro bona uoluntate. Cùm itaq; timere nos iubeat de salute nostra, fidem excludit, in qua Dominus ipse timorem reprehendit: Quid timidi estis modicæ fidei? Vbi tam longè est à ueritate, ut bonæ uoluntatis, & gratiæ diuinæ erga nos debeamus esse certi, ut hac sola ratione, quia Diuinæ gratiæ est nostrum uelle, & operari, & non uiriũ nostrarum naturalium, iubeat Paulus nos timere, quia Deus, inquit, pro bona uoluntate sua operatur uelle, & perficere, atq; ideo sicut hoc nulli debet, ita nulli promisit, sed quorũ uult misereatur, & quos uult indurat, id est, non misereatur, ut Augustinus exponit. 1. Corinth. 4. Nec me ipsum iudico, nihil enim mihi cõscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est: itaq; nolite ante tempus iudicare, quo aduscq; ueniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiũ. Ecce quod Paulus præcipit de absconditis cordis etiam proprij, & de iustificatione nostra, nõ iudicare, nec certos esse. Dubitare igitur nos uult de incerto cordis nostri, non de immensitate gratiæ Dei, & meritorum Christi, quibus tamen non repugnat iusticia illa, qua, quos uult, indurat. Ionæ 3. Iohelis 2. Ex ore pœnitentium dicitur: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ? & tamen hæc pœnitentia placuit Deo. Sic enim dicitur: Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt, & misertus est super malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret, & ueram constat eos habuisse fidem, & ad

Chrysostomus.

Basilius.

Roman. 4.

Roman. 9.

Matth. 8.

Primo loco.

Exod. 18.

Lucæ 13.

ad pœnitentiam ſufficientem, cùm ſcriptum ſit: & crediderunt uiri Niniuitæ Domino, & prædicauerunt ieiunium, &c. Eadem ferè uerba Iohel Propheta ad pœnitentiam exhortans dicit: Conuertimini ad Dominum Deum ueſtrum, quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malicia. Ecce fides miſericordiæ, & ſtatim: Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Dominus, ubi ſub dubio ponens, an Deus ſit remiſſurus peccata, oſtendit fidei ad pœnitentiam neceſſariè dubium illud non ſolùm non repugnare, ſed etiam coniunctum eſſe debere. Hieronymus in utrunque locum. In Ionam quidem: Ideo (ait) ambiguum ponit, & incertum, ut dum homines dubij ſunt de ſalute, fortiùs agant pœnitentiam, & magis ad miſericordiam prouocent Deum. Et in Iohelem ita dicit: Ego, inquit Propheta, hortor quod meum eſt ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui eſſe clementem dicente Dauid: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam, &c. Sed quia profundum diuitiarum & ſapientiæ, & ſcientiæ Dei noſſe non poſſumus, ſententiam tempero, & opto potiùs, quàm præſumo, dicens: quis ſcit, ſi conuertatur, &c. Quod autem dicit quis, aut impoſſibile, aut difficile ſentiendum eſt. uide hîc quàm certam hanc doctrinam habuerit Hieronymus, & quàm planum putauerit eſſe hunc ſenſum Prophetarum. Bernardus in ſermone octauo Paſchæ. Quæ nam electis poterat eſſe conſolatio inter ſpem, & metum, ſolicitudine anxia fluctuantibus, ſi nullum omnino electionis ſuæ habere teſtimonium mererentur? nouit Dominus qui ſunt eius, & ſolus ipſe nouit quos elegit à principio, quis uerò ſcit hominum, ſi eſt dignus amore, uel odio? quòd ſi, ut certum eſt, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantò delectabiliora erunt ſigna, ſi qua poſſumus inuenire? Loquitur uerò toto ſermone de incertitudine remiſſionis peccatorum, & ſignis eius. Innocentius tertius in capite, Accepimus de purga. Canoni. De Archiepiſcopo Biſuntinenſi refert, quòd iuramentum purgationis ſub hac forma obtulit, quòd immunis erat ab illis crimimibus, ſuper quibus ſe purgare debebat. Et poſt parum infert: Præſumimus fortè, quòd ſub præſcripta forma iurare uolebat, quòd immunis erat ab illis crimibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimiſſis per pœnitentiam iam eſſet immunis ab illis. Sed hoc iurare non paruæ temeritatis exiſteret, cùm beatus Iob dicat: Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.

DE SATISFACTIONE. VVIRTENBERG.

DE ſatisfactione credimus, & confitemur, quòd [a] ſola paſſio, & mors unigeniti filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſatisfactio pro peccatis noſtris, & quòd hæc ſatisfactio Chriſti offeratur, & applicetur nobis [b] miniſterio Euangelij, [c] excipiatur autem à nobis fide. Confitemur etiam, quòd poſtquàm ſatisfactio Chriſti nobis applicata, & per fidem accepta ſit, neceſſariò debeamus bona opera, quæ à Deo præcepta ſunt, facere, non ut ijs [d] expiemus peccata coram Deo, ſed ad declarandam obedientiam noſtram, bonos fructus pœnitentiæ proferamus, & gratitudinē noſtram [e] teſtificemur. Nam de oratione, ieiunio, eleemoſyna, & alijs id genus operibus ſentimus, ea diligentiſſimè ſectanda eſſe, ſed longè aliū habere uſum, quàm quòd uel [f] meritis ſuis ſatisfaciant Deo pro peccatis noſtris, uel applicēt [g] nobis meritum Chriſti.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nihil uidelicet ab ea alienum, opera uerò ſatisfactoria, effectus ſunt eius.

b Non tamen ſolum, nam & uirtute cluium, & Sacramentis in hoc à Chriſto inſtitutis, offertur, & applicatur nobis ſatisfactio Chriſti.

c Fide, quæ per dilectionem operatur, ut ſuprà diximus.

d Quid ergo eſt quod per Eſaiam clamat Deus: Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite uiduā, & uenite, & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata ueſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, quomodo explicari poſſit apertiùs expiatio peccatorum? Deniq; lege præconia eleemoſynæ, & effectus apud eundem 58. cap.

e Cur non, & ut apud Deum ampliora mereamur præmia, & illi ſimus gratiores, ut habes in catholica aſſertione.

f Meritis ſuis, quæ ex gratia habent, quæ uidelicet ſunt à ſpiritu Chriſti in nobis producta, & eius operante merito, cur ergo non ſatisfaciant? quod in catholica doctrina etiam docetur.

g Paulus inquit futuros nos cohæredes Chriſti, ſi tamen compatimur, ut conglorificemur, quò igitur ampliùs compatimur Chriſto, magis eius meritum nobis applicamus, quod eleemoſynis, & oratione, & ieiunijs certum eſt fieri. Fidelis, inquit, ſermo, 2. Tim. 2. quia ſi commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.

DE SATISFACTIONE. CATHOLICA.

DE ſatisfactione credit fides catholica, quòd quia remiſſo peccato per gratiam, & meritum Chriſti, reſtat nonnunquàm exſoluenda aliqua pœna temporalis, ſicut in Dauid, & multis alijs oſtendit ſcriptura, manet & frequenter infirmitas animæ, & praua conſuetudo ex peccato: neceſſarium ſit orationibus, ieiunijs & eleemoſynis ſatisfacere Deo pro pœna (dicēte Greg. in Homi.

Euangelij ouis perditæ: nam cogitandum summoperè est, ut qui se illicita meminit commisisse à quibusdam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat) & ijsdem etiam animam contra infirmitatem peccati roborare. Credit uerò eadem fides catholicæ Ecclesiæ, passionem Christi ita sufficientem esse satisfactionem pro peccatis omnibus, ut nullum opus nostrum nisi ab ipsa uirtute satisfaciendi habeat, à qua & gratiam ut id operemur accipimus, atque idem de uirtute meriti, & cæteris quæ de laude operum nostrorum dici possunt confitemur, esse uidelicet omnia à merito, & gratia Christi. Hæc igitur opera gratia, & meritis Christi producta, & pro peccatis satisfaciunt, & meritum ipsum Christi magis, magisq; nobis applicant, ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc, quare nõ fructus tantùm sunt & signa, quibus testamur, & declaramus obedientiam, & gratitudinem nostram, sed etiam prouentus, atque augmenta uirtutum, & meritorum, & spirituales profectus animarum, quod cùm dicimus, non solum nihil detrahimus uirtuti Christi, sed plurimum tribuimus, illustramusq; eius gratiã, dum non solum ipse, sed & nos per ipsum satisfacimus, proficimus, & apud Dei iusticiam operamur digna præmio.

DE ORATIONE. VVIRTENB.

ORatione Deus inuocatur. Vera autem inuocatio est opus fidei, nec potest sine fide fieri. Fides autem intuetur Christum, & nititur solis a meritis Christi. Quare nisi applicaueris tibi meritum Christi fide, oratio nullius est b coram Deo momenti. Exigitur autem oratio in hunc usum, ut consideratione diuinarum promissionum, fides in nobis excitetur, & inflammetur. Itaque non absurdè quidem dicitur, oratione deleri peccata, non autem hoc sensu, quòd opus ipsum orationis, sit merito c suo satisfactio pro peccatis, coram Deo, sed quòd oratione excitetur, & accendatur fides, qua fide participamus meritum Christi, & habemus remissionem peccatorum, propter d solum Christum. e Priusquã enim Deum oratione inuocamus, necessarium erit, ut meritum Christi sit nobis applicatum, & fide acceptum. Quare fieri non potest, ut oratio sit tale opus, propter cuius meritum consequamur coram Deo remissionem peccatorum. Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatũ. Non posset autem fieri peccatum, si f per se esset opus tam dignum, quo peccatum expiaretur. Esaiæ 1. Cùm extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam. Deus autem g non auerteret oculos, & aures ab oratione, si esset dignitate sua satisfactio pro peccatis nostris. August. in Psal. 103. Oratio quæ h non fit per Christum, non solum non delet peccatum, sed etiam fit ipsa peccatum. Bernardus in quadragesima, sermo. 5. Sed & uitam æternam aliqui fortassis non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet ut in ea constituat quisquam i fiduciam impetrandi. Hoc solum conferunt hæc præmissa dona, ut ab ea misericordia, quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est circa so-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Non excludit pœnitentiam nostram, & cętera opera, quibus fides tanquã quæ sunt per Christi merita nobis donata nititur ad beatitudinem sperandam: qui facit uoluntatem Patris mei, intrabit in regnum cœlorum, dicit Dominus in Euangelio.

b Certum est orationem sine fide ineffica cem esse, sed non propterea nihil operatur ultra, quàm fides præcedens, sicut enim iubemur orantes credere, ita præcipimur credentes orare, nisi enim oremus, & instanter à Deo salutem petamus, fides sola non satis erit, dicente Domino: oportet semper orare. Fidei actus est orare, sed alius ab actu credendi, & utriq; est suus locus tribuendus, ut scriptura docet.

c Merito suo, quod & gratia Christi habet, cur nõ sacrificiũ illud & cordis affectuumq; omnium immolatio, de qua dicitur: In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & renuit consolari anima mea, satisfactio erit pro peccatis?

d Vide quoties hac exclusiua particula se decipiunt & alios, nõ hoc aufert pœnitentiã, & fructus eius, quæ à Christo in nobis sunt.

e Ante orationem necesse esse, ut meritũ Christi applicetur nobis, atque ita iustificemur, nec auctoritas, nec ratio ulla docet, imò & scriptura, & patres, peccatores orando remissionem obtinere docent: patet in publicano orante, non ascendit in templũ iustificatus, non orauit iustificatus, sed descendit post orationẽ iustificatus: Et si priùs semper iustificatur homo, quàm oret, quomodo peccator orare posset, cum Chrys. dicat in illum locum Matt. Omnis, qui petit, accipit, siue iustus, siue peccator sit.

f Per se quidem ex gratia, & fide digna est oratio, cæterum sine his nullum tam bonũ opus est, quod apud Deum quidquam ualet, quod uerò catholica doctrina de oratione docet, non de reproba oratione, sed de ea quæ Christo grata, est accipiendum.

g Verum est, aliquam orationem non bene fieri, sed quæ, ut à Christo præcipitur, fit, Deo gratissima est, & satisfactio, ut in doctrina catholica habetur.

h Hoc quis neget? aliena est oratio, quæ non fit per Christum.

i In ea non est constituenda fiducia, sed in summa Dei misericordia.

las neceßitates reſtricta: ſit oratio quæ pro uirtutibus eſt animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta: ſit ea, quæ ſit pro æterna uita, in omni humilitate, præſumens a de ſola, ut dignum eſt, miſeratione Diuina.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hæc Bernardus dicit, quibus catholica doctrina confirmatur, in ſola præſumendũ miſericordia eſt, à qua ut ipſe inqt, reliqua omnia habent ut ſint, & efficacia ſint.

DE ORATIONE.
CATHOLICA.

ORatio ergo, qualem Chriſtus docet, diuinæ gratiæ opus eſt, à qua datur nobis, ut ſicut oportet oremus: & meritò opus fidei dicitur, eſtq; frequenter & applicationis meritorum Chriſti, & iuſtificationis, cæterorumq; bonorum in nobis principium maximum, qua ſcilicet illa impetramus, non uirtuti alicui noſtræ, ſed Chriſto in oratione innitentes, unde Eccleſia ab ipſo edocta claudit orationes, Per Dominum noſtrum, &c. Non itaque ſolùm exigitur oratio in ſcriptura, ut excitetur fides, ſed etiam ut remißionem peccatorum obtineat, & poſt remißionem ſatisfaciat reſiduæ pœnæ, perſeuerantiam impetret, & apud Deum mereatur æternam remuneratio nem. Matthæi ſexto, Lucæ decimooctauo, Iohan. decimoſexto. Primo loco inquit Chriſtus, ora Patrem tuum, &c. Et Pater tuus cœleſtis reddet tibi. Ecce meritum orationis apud Deum. Secundo loco, Publicanum orantem: Deus propitius eſto mihi peccatori, proponit Chriſtus, & hac oratione iuſtificatum dicit, quod ſecundo Regum duodecimo in Dauid apertiùs oſtenditur, ecce impetratio iuſtificationis. Tertio loco, dicit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Et Lucæ undecimo: Omnis qui petit accipit, & innumera ſunt de hac re Euangelij loca. Hæc de impetratione, quæ omnia maximè oratio Dominica confirmat, in qua petimus ipſo iubente: dimitte nobis debita: & ne nos inducas. Danielis tertio: Pſalmo quinquageſimo, Hebræorum tertio. Primo loco dicitur, non eſt in tempore hoc holocauſtum, nec ſacrificium, &c. ut poſimus inuenire miſericordiam tuam, ſed in anima contrita, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur, ſicut in holocauſto arietum, & taurorum, & cæt. Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi. Offerebat uerò Azarias oratione eo loco, illa ergo acceptißimum eſt ſacrificium pro peccato, de quo Pſalm. Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus. Vnde & Paulus: Offeramus, inquiens, hoſtiam laudis Deo, ſtatim addit, id eſt, fructum labiorum confitentium nommi eius, & quoties in ſcriptura oratione etiam aliorum placatus dicitur Deus? Exod. trigeſimo ſecundo. Placatusq; eſt Dominus ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum, oratione ſcilicet Moyſi, ut ibi patet. Chryſoſtomus duobus libr. de Oratione. De efficatia, & utilitate orationis tanta dicit, ut non poßint hic referri, unum tantùm uerbum adducimus, ſic ait: Nec enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri, ut qui poſtulant à Deo pudicitiam, iuſticiã &c. non aſſequantur id quod petunt, ad quod probandum, ſtatim ex Matth. & Luc. plurima adfert teſtimonia. Bernardus 4. ſermon. Quadrageſimæ. De temeraria, & tepida oratione loquutus, ſubiungit: quæ uerò fidelis, & humilis, & feruens oratio eſt, cœlum ſine dubio penetrabit, unde certum eſt, quòd uacua redire non poterit, deniq; de efficacia, & laude orationis pleni ſunt libri ſanctorum.

DE IEIVNIO.
VVIRTENBERG.

IEiunium ſentimus utile eſſe non in hoc, ut uel operis ſui meritò a expiet peccata coram Deo, uel applicet ieiunanti meritum Chriſti, ſed ut ſobrietate inijciat carni frenum, ne homo crapula, & ebrietate impeditus, uocationi Dei minùs obſequatur, & ſuo officio oſcitanter defungatur. Sed ieiunio ſuus poſteà dabitur locus.

SCHOLIA.

a At ieiunium inter prima opera pœnitentiæ ponitur: Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, &c. Ioh. 2. Pœnitentia uerò expiat peccata, & applicat meritum Chriſti, idq; ut ſæpe dictum eſt, ex uirtute Chriſti, & gratiæ, ſine qua fieri non poteſt.

DE IEIVNIO.
CATHOLICA.

IEiunium non ſolum ad carnem ſubijciendam ſpiritui, ſed ad placandum etiam Deum, ſatisfaciendumq; ipſi pro peccatis, & Chriſti meritum nobis magis, magisq;, quo ſcilicet ampliùs affligimur, & ei crucifixo conformamur, applicandum neceſſarium eſſe, Niniuitarum exemplum oſtendit, & Catholici patres docent, dicente Chryſoſtomo in locum tertij cap. Matt. facite fructus dignos pœnitentiæ: delitijs, & temulentia defluentibus, ieiunio, & aquæ potu utrunq; compenſa. Et Bernard. in ſerm. 1. Quadrageſimæ. Non eſt magnum, ſi ieiunet cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam Patris cum ipſo: non magnum, ſi compatiatur membrũ capiti, cũ quo & conglorificandũ eſt. cætera de hoc relinquimus in locũ, in quo placuit his confitentibus de ieiunio exactiùs dicere.

DE ELEEMOSYNA.
VVIRTENB.

ELeemosynam diligenter commendamus, & hortamur Ecclesiam, ut proximum quisq; suum quoquo officio potest adiuuet, ac charitatē suam a testificetur. Sed quod alicubi dicitur: Eleemosynam delere peccatum, sicut aqua extinguit ignem, iuxta fidei b analogiam intelligimus. Quid enim c opus fuisset ad delenda peccata passione, & morte Christi filij Dei, si peccata delentur merito eleemosynæ? Et quis d usus esset ministerij Euangelij, si eleemosyna diuinitus fuisset ordinata, pro organo quo applicaretur nobis meritum Christi? Quare, ut maneat Christo suus honor inuiolatus, & ministerio Euangelij suus legitimus usus, docemus eleemosynam sic delere peccatum, non quòd per se sit e dignum opus, quo uel peccatum expietur, uel meritum Christi applicetur, sed quòd sit opus & f fructus charitatis erga proximum, quo opere g testificamur fidem, & obedientiam nostram, quam debemus Deo, Vbi autem est fides, ibi h solus Christus agnoscitur peccatorum expiator. Itaque cum eleemosyna testificetur, suo quodam modo Christum habitare in pijs, i testificatur etiam eos habere peccatorum remissionem. Nisi enim eleemosyna sit opus charitatis, quæ testificetur fidem in Christum, tantum abest, ut significet hominem habere peccatorum remissionem propter Christum, ut planè coram Deo sordeat. k Si distribuero, inquit Paulus, omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Docemus igitur bona opera necessariò facienda. Deum oratione inuocandum, piè ieiunandum, & eleemosynam dandam esse, ut fidem, & charitatem nostram l testificemur, & uocationi Dei obediamus. Sed in agenda uera pœnitentia, docemus remissionem peccatorum contingere nobis m tantùm propter filium Dei Dominum nostrum esum Christum per fidem, iuxta illud quod Petrus dicit: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat, per nomen eius n quisquis crediderit in eum.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Et exerceat etiam, atq; perficiat, dicente Paulo, diuitibus huius seculi præcipe diuites fieri in operibus bonis: ditescunt itaque bene operantes.

b Imò iuxta proprietatem, & ueritatem rerum, cum nihil absurditatis habeat, quod dicit peccatum compensari eleemosyna, ut oporteat secundum analogiam intelligi.

c Pulchra ratiocinatio, ita dicam: Quid opus passione Christi si fides necessaria est, qd si dicas, fide nos excipere passionis Christi meritū, ita & nos dicimus idem fieri bonis operibus, quibus illi crucifixo configuramur, est ergo passio Christi necessaria, quia per illā eleemosyna est efficax, & ab illa habemus, ut omnia bona opera agamus.

d Imò, cur non passio Christi multis modis nobis applicari potest, certè ministerio Euangelij annunciatur nobis ut credamus, sed sacramentis Christi exhibetur, & cunctis nostris bonis operibus, aut de nouo suscipitur, aut suscepta magis, & magis participatur, quid rogo ex hoc detrahitur prædicationi Euangelij?

e Per se sine gratia, uerū est, sed ex ea cùm producitur, dignitatem delendi peccatū, & applicandi meritum Christi habet.

f Fructus, inquā, quo Deū promeremur, dicente Christo, Pater tuus reddet tibi.

g Testificamur non tantùm, sed implemus etiam obedientiā, quam debemus Diuinis præceptis, quare est ipsa eleemosyna obedientia illius præcepti: Date eleemosynam, & non tantùm signum.

h Solus, ut frequenter explicatum est, nihil alienum ab eo, nihil quod non uirtute illius hoc habeat, significat.

i Fit etiam eleemosyna à peccatore, nec est ingrata Deo, si impetrandæ eius misericordiæ gratia fiat: Frange esurienti panem tuū, inquit Propheta, tunc erumpet quasi mane lumen tuū & sanitas tua citiùs orietur. Non ergo significat eleemosyna remissa esse peccata, sed desiderium saltem, quod habemus, ut remittantur nobis, uel pietatem aliquam in Deum, uel in proximos.

k Idem etiam de ipsa fide Paul. dicit, sed re uera uerba hæc non probant, eleemosynam sine uirtute charitatis factam sordere apud Deum, sed non sufficere ad salutem: Nihil, inquit, sum: sordet uerò, quando finistra intentione fit.

l Et ut iustificemur etiam, aut, pficiamus in iusticia, ideo de his operibus dicit Dominus, Attendite ne iusticiam uestram faciatis coram hominibus, &c.

m Verū est, sed non excluditur pœnitentia, & satisfactio, & reliqua, quæ ab illo sunt.

n Fide quę per dilectionem operatur, ut Paul. explicauit, ubi reliquà bona opera, pro ut necessaria, uel expedientia sunt, claudun tur, dicente Paul. Charitas omnia credit.

DE ELEEMOSYNA.
CATHOLICA.

ELeemosynam scriptura, & catholica Ecclesia docet primùm redemptionem esse peccatorum, dicente Daniele: Peccata tua eleemosynis redime, & Tobia: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Docet deinde, meritum esse æternæ uitæ, dicente Christo: Sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus reddet tibi, & rursum: Venite benedicti Patris mei, percipite regnū, &c. Non ergo (quod sæpe repetendum est, quia non piget aduersarios fidei contrarium repetere) hæc bona opera, ut fructus solùm ad arborē sunt conferenda, sed ut prouētus ad arboris

Domi-

Dominum, nec signa sunt solùm, & testimonia uir tutum, sed augmenta etiam, & profectus, & uir tutum, & meritorum. Nec quod tribuitur fidei, scilicet meritum Christi in nobis applicare, charitati auferendum est, cùm fidei, quæ per charitatem operatur, solùm hoc conueniat, & quod fidei, & charitati tribuitur, non est auferendum aliis piis operibus, quæ etiam charitatis, & fidei sunt opera, ut Paulus apertè docet 1. Corinth. 13. Et ad Hebræos undecimo. Docet etiam catholica fides, nihil hinc detrahi Christi meritis, aut Euangelio suum locum auferri: à Christo enim, ab eius meritis, & uirtute est in nobis, & fides quæ prædicatione Euangelij instruitur, & gratia, qua eleemosyna, & reliqua bona opera fiant & efficacia sint. In agenda ergo pœnitentia, & cæteris Christianæ uitæ operibus, Christo totum tribuit fides catholica, & propter eũ tantùm nobis contingere remissionem peccati, & meritum æternæ uitæ, & perseuerantiam, à quo habemus ut hæc faciamus, ipso dicente: Sine me nihil potestis facere, & sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c.

DE EVCHARISTIA.

VVIRTENBERG.

Credimus, & confitemur, Eucharistiam (sic enim libuit maioribus nostris cœnam Dominicam uocare) esse Sacramentum à Christo ipso institutum, & usum eius usque ad nouissimum huius seculi diem Ecclesiæ commendatum esse. Sed quia aliud est substantia, aliud usus eius, idcirco de his ordine dicemus. De substantia Eucharistiæ sentimus, & docemus, quòd uerum corpus Christi, & uerus sanguis eius in Eucharistia a *distribuatur. & refutamus eos, qui dicũt, panem, & uinum Eucharistiæ esse tantùm absentis corporis, & sanguinis Christi signa. Credimus etiam, omnipotentiam Dei tantam esse, ut posit in Eucharistia substantiam panis, & uini, uel annihilare, uel in corpus, & sanguinem Christi mutare. Sed quòd Deus hanc suam absolutam potentiam in Eucharistia exerceat, non uidetur esse* b *certo uerbo Dei traditum, & apparet ueteri Ecclesiæ* c *ignotum fuisse. Sicut enim cùm in Ezechiele de urbe Hierusalem, in latere descripta, dicitur: Ista est Hierusalem, non necesse fuit, ut substantia lateris mutaretur in substantiam urbis Hierusalem. ita* d *cùm de pane dicitur: Hoc est corpus meum, non est necesse, ut substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi, sed ad ueritatem Sacramenti sufficit, quòd corpus Christi uerè sit cũ pane præsens, atq; adeò* e *necessitas ipsa ueritatis Sacramẽti exigere uidetur, ut cum uera præsentia corporis Christi, uerus panis maneat. Nam quemadmodum ad ueritatem Sacramenti baptismi neces-*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Amici addite, & realiter cõtineatur post consecrationem, etiam cùm non distribuitur, aut explicate apertè solùm in distributione esse, nam cùm multi hoc moueãt hoc tempore, an perpetuo maneat corpus Christi, an tantum in distributione, confitenda est apertè fides, non sub inuolucris.

b Certum uerbum est, hoc est corpus, hic est sanguis, &c. ita tota Ecclesia, nõ dubium quin Apostolorum traditione intelligente, esse, scilicet, in hoc sacramento unam tãtùm demonstratam substantiam corporis, scilicet, Christi, quare eodem sensu semper intellexit, non esse ibi panem.

c Adeo ignotum fuit, ut nunquam de hoc dubitatum fuerit, non esse panem post consecrationem mille integris annis, post quos, mox ut in dubium uerti cœpit, tribus, aut quatuor concilijs, consentiente tota Ecclesia, damnatum est, asserere esse in hoc Sacramento panem, uide in assertione catholica.

d Hîc amici rursus expostulamus uobiscum, quòd non apertè fidem uestram explicetis, certè cùm in Ezechiele dicitur: ista est Hierusalem, apertum est non de uera ciuitate, sed de figura tantùm eius dici, quòd si ita intelligatis in pṡenti: Hoc est corpus meũ, non de uero corpore Christi, sed de figura quadam eius (quod uestra obscuriùs subindicare uidentur cùm dicitis: ad ueritatem Sacramenti sufficit, quòd corpus Christi uerè sit cum pane præsens) falsum omnino est, ideoq; uerbum uerè cuperemus magis explicatum, substantialiter scilicet, & realiter esse ibi corpus Christi, sed quia uerè tantùm dicitis, & exemplum adducitis Ezechielis, timemus ne dicatis ita uerè ibi esse corpus Christi, sicut in latere Hierusalem, non enim falsè erat descripta, sed uerè, & superiùs iterum damnatis dicentes: Panem, & uinum tantùm esse absentis corporis, & sanguinis Christi signa, non itaq; negatis signa esse, sed negatis signa absentium rerum, ita igitur iuxta fidem uestrã, satis est, ut sint signa rerum præsentium, sicut ciuitas Hierusalem præsens erat lateri. Quòd si ueram fidem tenetis realiter, & substantialiter ibi esse corpus, & sanguinem Christi, cur tam alienum exemplũ adducitis? nam primò cùm dicitur: hæc est Hierusalem, non substantia lateris, aut aliud aliquid ostendebatur, sed figura in eo descripta, unde nulla opus erat ibi conuersione. Secundò, esse illud nõ reale aliquod significat, sed figuratiuum tantùm, quod uera fides in Sacramento non admittit.

e Exigit ut ante consecrationem sit uerus panis: post consecrationem uerò exigit, ut iam non sit, qua consecratione mutatur, ut habes in catholica assertione.

ſarium eſt, ut in uſu eius aqua ſit, & maneat a *uera aqua, ita neceſſarium eſt in cœna Dominica, ut panis in uſu eius ſit, & maneat uerus panis, cùm mutata panis ſubſtantia non conſtaret ueritas Sacramenti. Vnde & Paulus, & ueteres Eccleſiaſtici ſcriptores, panem Euchariſtiæ etiam poſt conſecrationē* b *panem uocant, 1. ad Corin. 11. Probet ſeipſum homo, & ſic de* c *pane illo edat, &c. & quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, &c. Auguſt. in ſermon. ad infantes. Quod uidiſtis, panis eſt, & calix, quod uobis etiam oculi ueſtri renunciant, Quod autem fides ueſtra poſtulat inſtruenda,* d *Panis, eſt corpus Chriſti, calix, ſanguis. Quod autem ad Euchariſtiæ uſum attinet, primùm etſi non negamus, quin totus Chriſtus, tam pane, quàm uino Euchariſtiæ* e *diſpenſetur, tamen docemus, uſum utriuſq; partis debere* f *uniuerſæ Eccleſiæ communem eſſe. Manifeſtum enim eſt, q. Chriſtum ipſe nihil periculis, quæ poſteà humana ſuperſtitione excogitata ſunt, aut alijs cōmentis deterritus,* g *tradiderit Eccleſiæ utramq; partem utendam. Manifeſtum etiam eſt, q. uetus* h *Eccleſia uſa ſit utraq; parte multis annis. Et teſtantur aliquot ſcriptores perſpicuè, eos, qui ſolum panem accipiunt, non accipere plenum Sacramentum* i *ſacramentaliter, (ſic enim loquuntur) & diuiſionē unius, eiuſdemq; myſterij, ſine*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Ibi nulla tranſmutatio ſignificatur per uerba ſacramentalia, ſed uſus tantùm aquę, hìc uerò apertum eſt mutationē ſignificari.

b At non materialem, uel corporalem, ſed illum qui dixit: ego ſum panis uiuus, & pater meus dat uobis panem de cœlo uerum, nam ſi ibi eſt panis, eſt ne illud etiã corpus Chriſti? nam Paulus dicit eo loco, nos corpus Chriſti edere, quod ſi panis eſt corpus Chriſti, oportet unionem fieri, qualis in incarnatione creditur, ut ſicut Deus eſt homo, ita Chriſtus ſit panis ille materialis, & contrà ille panis Chriſtus, quod non putamus catholicas aures paſſuras, non igitur aliud eſt ibi, quàm corpus Chriſti, ut uerum ſit illud, hoc eſt corpus meum.

c Dupliciter cõſtat hoc intelligi, primùm, ut panem uocet ſpecies illas, quæ uera ſigna ſunt panis, ſicut figura dicitur figuratum. Secundò, ut panem uocet, nõ materialem, ſed ſpiritualem, Chriſtum uidelicet ipſum, qui ita ſe uocat, unde non inquit, ille de pane edat, ſed de pane illo, cœleſti, ſcilicet, & poſtea panem, & calicem Domini, uocat non abſolutè panem, & calicem.

d Quod panem uocat, conſtat uerè ad ſpecies panis referendum, ſecundum tropum illũ, quo figura dicitur res figurata, alioqui Augu. non aſſerit unionē inter corpus Chriſti, & panem, qualem inter humanam naturam, & uerbum. Poteſt & intelligi panis eſt corpus Chriſti, cœleſtis, ſcilicet, ita ipſe Aug. de uerbis Domini, ſermone 33. inquit: Quis eſt panis de regno Dei, niſi q dicit, ego ſum panis uiuus, nolite parare fauces, ſed cor. Ecce credimus in Chriſtũ cùm fide accipimus, nam in accipiendo nouimus, quid accipimus: modicum accipimus, & in corde ſagi namur, nõ ergo quod uidetur, ſed quod creditur paſcit, quod ſi apertiùs uis cognoſcere, quẽ panem Aug. intelligit, uide eodem loco, ſermon. 28. ubi exponens panẽ noſtrum quotidianũ de Sacramẽto hoc ita loquitur: cum de Sacramentis tractarem, dixi uobis, quod ante uerba Chriſti, quod offertur, panis dicatur, ubi uerba Chriſti deprompta fuerint, iam non panis dicitur: Deinde quęrit, quare ergo in oratione Dominica panis quotidianus dicatur: Reſpondet panẽ quidem dicit, ſed ἐπιούσιον, id eſt, ſuper ſubſtantialem, non iſte panis qui uadit in corpus, ſed ille panis uitæ æternæ, qui animæ noſtræ fulcit ſubſtantiam, ecce de quo pane dicit Auguſt. panis eſt corpus Chriſti.

e De uſu quidem rectè dicitur, cuperemus tamen realem exiſtentiam eos aliquando explicaſſe.

f Si ſingulis Eccleſiæ membris uultis eſſe commune, idq; neceſſarium ad ſalutem ſingulorum, probandum eſt auctoritate, & ratione certa, nam nos commune dicimus Eccleſiæ, quod etſi non ſingulis, quibuſdam tamen eius membris conuenit, & per eos redundat utilitas in alios, quod in uſu Euchariſtiæ agnoſcimus.

g Fatemur, tradidit, ſed ad uſum utriuſq; partis Eccleſiam ſic obligaſſe, ut quilibet teneatur ita ſumere, Eccleſia nunquam ſenſit, ut in aſſertione catholica eſt, ſenſus autẽ eius, eſt uerè ſenſus Chriſti: quod igitur rationes, quibus Eccleſiæ uiſum eſt populum altera ſpecie debere contentum eſſe, commenta, & humana ſuperſtitione excogitata dicunt, non caret contumelia, certè nimiũ ſibi tribuunt, qui in re dubia & conſenſu ſapientum, in hanc partem definita, ſenſum ſuum tanti faciunt, ut aliorum commenta eſſe dicant.

h Eadem Eccleſia ſub unâ ſpecie ſæpe uſa eſt, pro infirmis maximè, quo oſtenditur nunquam utramque ſpeciem omnibus ſumentibus putaſſe neceſſariam.

i Fatemur hoc, ſed accipit plenum, & totum Chriſtum, nam quia ſacramentaliter accipere, eſt ſub ipſis ſpeciebus ſacramentalibus accipere, qui utramque non accipit, non plenum Sacramentum ſacramentaliter accipit, & ideo in celebratione Sacramenti, ubi integritas requiritur ſacramentalis, utrumque neceſſariò eſt ſumendum, peracta uerò celebratione, & integrè conſecrato Sacramento, ſicut non poteſt probare, neceſſarium eſſe, ut ab alio ſumatur, ita nec probare poteſt, ſumendum ſub utraq; ſpecie, & perſpicua ſunt teſtimonia, quod antiqua Eccleſia ita ſenſit.

grandi

grandi sacrilegio fieri non posse: Quare sentimus, usum utriusque partis esse uerè catholicũ, & Apostolicum, nec licere ulli homini, a hanc Christi institutionem, & tam diuturnum ueteris, & ueræ Ecclesiæ ritum, pro sua libidine mutare, & laicis ut uocant, alteram partem Eucharistiæ auferre. Ac mirandum est, quòd hi, qui profitentur se ritus b ueteris Ecclesiæ propugnare, tam procul hac in parte à ueteri Ecclesia recedant. Deinde cum sacrificij nomen latissimè pateat, ac generaliter significet sacrum cultum, libenter concedimus uerum, & legitimũ usum Eucharistiæ posse hoc c modo sacrificium dici, et si Eucharistia iuxta institutionẽ Christi ita celebratur, ut in ea adnuncietur mors Christi, & d dispensetur Ecclesiæ Sacramentũ corporis, & sanguinis Christi, rectè uocatur applicatio meriti passionis Christi e his uidelicet, qui Sacramentũ sumunt. Nec damnandæ sunt piæ lectiones, & precationes, quæ consecrationem ut uocant & f dispensationem Eucharistiæ præcedere, & sequi solent. Sed interea non licet nobis errores, qui ad hoc sacrum, imperitia magis priuatorum hominum, quàm legitimo consensu ueræ catholicæ Ecclesiæ, accesserunt, dissimulare, & approbare. Vnus error est, quòd ex cultu, qui debet Ecclesiæ esse communis, fiat priuata unius g sacrificuli actio, qui ut solus sibi legit uerba cœnæ Dominicæ, ita etiam solus panem, & uinum sumit. Nam Christus instituit Eucharistiam, non ut esset priuata unius actio, sed ut esset Ecclesiæ communio. Itaque ad rectam Eucharistiæ actionem requiruntur ad minus duo, uidelicet minister Eucharistiæ benedicens, & is, h cui Eucharistiæ Sacramentum dispensetur. Cùm enim Christus hoc Sacramentum institueret, non ipse solus uescebatur, sed dispensabat Ecclesiæ i suæ, quam tum præsentem habebat. Accipite, inquiens, manducate, &c. Et bibite ex hoc omnes, &c. Hoc Christi institutũ, k uetus, & uera catholica Ecclesia, tam seueriter obseruauit, ut eos, qui in hoc sacro præsentes non communicarent, excommunicauerit. l Anacletus in 1. Epistol. Peracta consecratione

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nec probatum est, esse Christi institutum, nec ritum perpetuum ueræ Ecclesiæ: sed potiùs contrarium, ut habes in catholica assertione.

b Ritus quos illa necessarios credidit, aut fidei consonos, eodem gradu tenemus, qui uerò pro temporum diuersitate diuersimodè seruati sunt, uel secundum aliquam temporalem rationem, quia agnoscimus eos nõ ut necessarios fuisse seruatos, asserimus mutari posse ab eadem Ecclesia, cùm ita expedire iudicauerit. Ritus antiquæ Ecclesiæ fuit, ut abstinerent gentes à sanguine, & suffocato, sed non dubitamus ritè iam abrogatum, ita communio utriusq; speciei non semper habita fuit necessaria.

c Nos uerò propriè, & uerè cum Ecclesia catholica sacrificium dicimus, in quo uidelicet (licet incruentè) offerimus Christũ Patri.

d Cur si ab uno tantùm suscipiatur, non sufficiet ad institutionẽ Christi seruandam, sed illum fortè dicetis personam tenere Ecclesiæ. Ita enim alicui dispensandum esse Sacramentum, & non toti Ecclesiæ, uidemini asserere, sed cur non satis erit, ut sacerdos ipse sumat?

e Imò his etiã, qui offerũt, uel pro quibus offertur, ut in catholica assertione habes.

f Nõ tantùm cõsecratio, & dispensatio, sed oblatio etiã fit in celebratione huius sacramẽti, cuius nolũt meminisse isti cõfitentes.

g Si unus nomine Ecclesiæ agat, & iuxta eius ordinationem, quare non erit communis actio, etiamsi non adsit Ecclesia, aut quare Ecclesia congreganda est, quoties aliquid eius nomine fieri debet? Paulus absens etiã à Corinthijs dicit, congregatis uobis & meo spiritu cum uirtute domini Iesu, ita etiam minister Ecclesiæ, spiritu congregatus est cum tota Ecclesia, & totã habet præsentẽ in officio missæ, ut ex arcanis precibus patet.

h Si unus solus, suscipiendæ tenet personam Ecclesiæ, cur non & ipse minister: qui ex persona Christi, & uices eius gerens, consecrat, sumere poterit in persona Ecclesiæ, ut mediator ille sacerdos utriusq; agat causam, atq; omnem Ecclesiam adiuuet, non solum orationibus, & oblationibus, sed etiam sumptione ipsa, se perficiẽs, qui membrum Ecclesiæ est.

i Si ex hoc Christi opere colligitis necessitatem ita faciendi, toti igitur præsenti Ecclesiæ semper est dispensandum Sacramentũ, quod cum ipsi non asseratis, permittitur etiam catholicę Ecclesiæ, hæc exempla Christi imitari, prout iudicat filijs suis cõuenire.

k Libenter hoc à uobis audimus, agnoscite ueterem illam, & ueram Ecclesiam, & satis est nobis, illam enim sequimur, audiemus uerò libenter, quibus testibus illius probatis sensum.

l Anacletum agnoscimus legitimũ testem consuetudinis Ecclesiæ, sed expendite testimonium eius, ita igitur inquit: Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures, quàm alius sacerdos, in solennioribus quippe diebus septem, aut quinq;, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos reliquosq; ministros secum habeat, qui sacris induti uestimentis in fronte, & à tergo, presbyteri è regione, dextera, leuaq; contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stent uultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius præbeãt sacrificio, peracta autem consecratione omnes communicent. Vbi primò aduertendũ hoc ad omnes ministros tantùm referendum esse, de ijs enim mentio proximè facta fuerat. Secundò hanc esse legem de solenniori ritu celebrandi: in solennioribus,

omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, & addit: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. a *Concilium Antiochenum capite secundo: Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, & auersantur sanctam assumptionem Dominici Sacramenti, secundum aliquam propriam disciplinam, hos ab Ecclesia abijci oportet.* b *Dionys. de Ecclesiast. Hierarchia. Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit sacrosancta, & augustima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, uenerandis operta, atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos ut communicent hortatur, sumpta* c *denique, atque omnibus tradita communione Diuina, gratias referens, finem mysterijs imponit. Arbitramur itaque necessarium esse, ut ad conseruãdam in celebratione Eucharistiæ institutionem Christi, & ad sectandum exemplum ueteris, ac uerè catholicæ Ecclesiæ,* d *abrogentur priuatæ sacrificulorum missæ, restituatur publica cœnæ Dominicæ communio. Alius error est, quòd Eucharistia sit tale sacrificium, quod debeat iugiter in Ecclesia ad* e *expianda peccata uiuorum, & mortuorum, & pro impetrandis alijs beneficijs tam corporalibus, quàm spiritualibus, offerri. Hic error manifestè pugnat cum Euangelio Christi, quod testificatur, Christum una* f *oblatione, semel tantùm facta, consummasse in sempiternum sanctificatos. Et quia Christus passione, ac morte sua impetrauit nobis remissionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelion in nouo testamento adnunciatur, idcirco non* g *licet amplius pro peccato sacrificare. Dicit enim Epistola ad Hebræ Vbi est peccatorũ remissio, iam non est* h *oblatio pro peccato. Nam quod Christus dicit: Hoc facite in mei commemorationẽ, non iubet corpus, & sanguinẽ suũ in* i *cœna Deo, sed Ecclesiæ offerre, ut Ecclesia edendo corpus, & bibẽdo sanguinẽ Christi, ac pdicãdo beneficiũ mortis eius, admoneatur de* k *ea corporis &*

SCHOLIA CATHOLICA.

inquit, diebus, in quo certum est multa mutata esse ab Ecclesia, & quotidie mutari posse, nihil ergo hîc, quod ad necessitatem Sacramenti, uel præcepti immutabilis pertineat est, sed ritus est, & cærimoniæ.

a Agnoscimus & hoc sanctum Episcoporum catholicorum concilium, in eo uerò non hi, qui non communicant Sacramento excommunicantur, sed qui auersantur sanctam assumptionem Dominici Sacramenti, secundum aliquam propriam disciplinam, & hos constat hæreticos, & scismaticos esse.

b Hic absq; dubitatione Dion. dicunt auctorem de Ecclesiast. Hierar. Alibi ponunt sub dubio, quem dicunt scripsisse ritus ab Apostolis, nos uerò cum antiquis patribus, & Ecclesia fatemur, Dionys. illos libros esse, iam quid afferat audiamus.

c Ibi similiter de ministris tantùm mentio præcesserit, quare de his fortè tantùm intelligendum, aut certè, quod mos ipse loquendi satis ostendit, omnibus qui communicarunt, non enim prius gratias refert, & finem imponit mysterijs, quàm omnes communicauerint, non quòd nullum non communicet, sed quòd omnes, qui ad id parati sunt prius communicant, sicut August. aliquando dicit de uno tantùm unius ciuitatis magistro dici posse, hic docet oẽs pueros.

d Certè nulla auctoritate, aut ratione, nullo fructu Ecclesiæ: cur si solus sacerdos in pago paratus sit cõmunicare, auferetur ab eo celebrãdi facultas, ubi & p Ecclesia orat, & non dubium, quin eius nomine orationes, & oblatio accepta sit Deo, cur ergo his omnibus priuabitur Ecclesia? Certè qui agnoscunt sacrificium missæ, & eius utilitatem, nolunt ea priuari Ecclesiam, modò nõ indecenter, & inordinatè fiat, sed seruentur quæ ad hoc Ecclesia seruanda constituit.

e Hoc quod errorem dicitis, omnis antiqua Ecclesia fatetur, quia enim quotidie peccamus; quotidie egemus expiari à peccatis, & quia quotidie periclitamur, quotidie nobis Dei beneficia impetrãda sunt, quod maximè facimus fistentes Christum patri, & eius merita coram eo offerentes, ut propter ea nobis placetur.

f Nec nos post illam aliam offerimus, illã agnoscimus consummatam in acceptatione Diuina, & sufficere pro peccatis omnibus, sed quia nos post illam peccamus quotidie, eius necesse est quotidie de nouo participes fieri, q̃d hac oblatione contendimus.

g Certè nec licet ampliùs peccare, uerùm quia illicita facimus, & non obstante passionis Christi efficacia peccamus, & ipsam quãtum in nobis est euacuamus in nobis ipsis, cur posteà non licebit pœnitere, flere peccata, ieiunare? Cur non ipsi passioni Christi, qua nos frustrauimus peccantes, rursum uniri? Cur non Patri filium sistere in hoc Sacramento?

h Oblatio secunda, siue alia, dicitur non necessaria, ut ad Hebr. 10. inquit Chrysosto. nos uerò nõ aliud offerimus, quàm ipsum, quod ille obtulit.

i Ita uobis uidetur, sed neq; contextus, neque Patres ita intelligunt, ipse Christus se obtulit Patri, & hac commemorata oblatione dixit: hoc facite in meam commemorationem.

k Cur non ut efficiatur magis, magisq; particeps? cur non ut patri sua deuotione, & fide offerat Christum? nec enim qd offertur aliud est, quàm q̃d in passione: & opus ipsum, atque deuotio offerentium, non aliunde uirtutẽ habet, quàm ab ipso Christo,

sangui-

sanguinis Christi oblatione, quæ semel tantum in cruce, in expiationem peccatorum facta est. Sic enim Paulus hoc dictum Christi interpretatur, quotiescunq;, inquiens, manducabitis (non a ait obtuleritis) panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini prædicate, donec ueniat. Ac fatemur quidem, quòd ueteres Ecclesiastici scriptores uocauerint Eucharistiam sacrificium, & oblationem, sed se ipsi exponunt, quòd nomine sacrificij intelligant b *memoriam, adnunciationem seu prædicationem sacrificij, quod Christus semel in cruce peregit, sicut & memoriam Paschæ, & Pentecostes, uocat Pascha, & Pentecosten. Alius error est, quòd nonnulli sentiunt oblationem (quam ita uocant) Eucharistiæ, non esse quidem per se propitiationem pro peccatis,* c *applicare autem propitiationem, & meritum Christi uiuis ac mortuis. Sed iam demonstratum est, quòd Eucharistia* d *propriè non sit oblatio, sed sic uocetur, quòd sit memoria oblationis semel in cruce factæ. Deinde applicatio meriti Christi, non fit alio externo organo, quàm prædicatione Euangelij Christi, &* e *dispensatione eorum Sacramentorum, quæ Christus in hunc usum instituit, & meritum Christi oblatum, & applicatum, non* f *recipitur nisi fide. Marci ultimo. Prædicate Euangelium omni creaturæ: ministerio enim Euangelij offeruntur, & applicantur creaturis, hoc est, siue Iudæis, siue Gentibus, beneficia Christi, & sequitur, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, quia sumptione* g *Sacramentorum, & fide accipiuntur oblata, & applicata beneficia: Ad Roman. primo, Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti, hoc est, ministerium Euangelij est organon diuinitùs institutum, quo Deus est potens, & efficax ad saluandos omnes eos, qui Euangelio credunt. Itaque* h *prædicatio Euangelij offert, aut si ita loqui libet, applicat omnibus salutem. Fides autem oblatam, & applicatam salutem accipit. In priuata autem Missa, panis & uinum ita tractantur, ut sacrificulus neque adnunciet publicè Euangelium Christi, sed sibiipsi quædam, ac præsertim uerba cœnæ, seu consecrationis, tacitè recenseat, neque dispenset aliis panem & uinum, sed solus ipse ea sumat. Quare nulla potest esse* i *applicatio meriti Christi in priuata missa. Hoc senserunt ueri catholici maiores nostri, qui tam seueriter quemadmodum superiùs indicauimus exegerunt, ut qui in Missa præsens non communicauerit, excõmunicetur. Alius error est, quem iam attigimus, quòd exigitur, ut uerba cœnæ, seu consecrationis in Eucharistia tacitè* k *recitentur, cùm hæc uerba sint pars Euan-*

SCHOLIA CATHOLICA.

qui in omni opere pro Ecclesia tanquam caput operatur.

a Non propterea negat offerri, nam & nos fatemur non esse peragendum hoc mysterium, nec offerendum sacrificium, nisi ut sumatur, ut Paul. inquit: Nonne qui immolant hostias participes sunt altaris? sed quia sumitur aliquando sine oblatione, ut ab infirmis, & alijs post celebrationem accedentibus, etiam tunc dicit Paulus mortem Christi annunciari, quia in memoriam mortis eius sumitur.

b Memoriam, seu prædicationem factam populo, siue faciendam non dicunt, sed memoriam coram Patre, unde dicunt nos quotidie offerre debere.

c Ita omnino dicimus, & propterea, quia meritum Christi applicant uiuis, & defunctis, meritò hac oblatione propiciatur Deus peccatis.

d Imò nunquam hoc probatum est: commemorationem uocant patres oblationes non coram populo tantùm, ut uos estis interpretati, sed etiam coram Deo, & hæc est uera ratio sacrificij.

e Primùm oblatio dici potest dispensatiò Sacramenti, cùm enim Christus iusserit offerre hoc sacrificium, & sumi (ut probatum est) utrumq; pertinet ad dispensationem, deinde nulla ratione probatur oratione meritum Christi non applicari & deuotione fidelium, uel ipsis, qui per se hoc orant, aut alijs, pro quibus hoc petunt, multò magis orationibus Ecclesiæ.

f Fide, & operibus eius, ut martyrio susceptо pro Christo, ita & alijs operibus, quibus ei configuramur, & deuotione ipsa, sed hæc omnia, & reliqua pia opera fidei sunt.

g Vt proximè explicatum est omnibus pietatis Christianæ operibus accipimus Dei beneficia oblata.

h Prædicatio Euangelij ad externam doctrinam pertinet, atq; ita ad literam occidentem. proponit enim, & obligat ad suscipienda, quæ proponuntur, quo facto alij credũt, alij non, dum alij per gratiam illuminantur, alij deseruntur. Prædicatio ergo ipsa Euangelij dici potest offerre omnibus salutem, sed non applicare, unde quòd Euangelium dicitur uirtus Dei ad salutem, non ad externam prædicationem referendum est, sed ad ea, quæ in Euangelio prædicãtur, crucem scilicet, resurrectionem, & gratiam Christi.

i Ostensum est illa omnia nomine Ecclesiæ fieri, & ita applicari meritũ Christi, eius iussu, & intentione Ecclesiæ.

k Nunquam probatum est, hunc esse errorem, fatemur q; sunt pars Euangelij, quod quidem prædicãdum est, cùm hoc agimus, ut populus doceatur, in celebratione uerò Eucharistiæ longò aliud fit, nam sicut aliud est baptizare, aliud prædicare, quamuis uerba baptismi sint pars Euangelij: ita aliud est conficere Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, quod cùm fit, reuerentiùs, & deuotiùs, tacitè & secretè fit, aliud est prædicatio Euangelij.

gelij, quod iuxta mandatum Christi omnibus creaturis est prædicandum. Etsi enim maioresnostri uocarunt aliquoties Eucharistiam mysterium, non tamen hoc consilio sic uocarunt, quòd uerba cœnæ non sint coram Ecclesia in Eucharistia publicè, & [a] lingua uulgo nota, recitanda: sed quòd in Eucharistia aliud uideatur, aliud intelligatur. Nam & Christus ipse uocatur mysterium, qui tamen non est occultandus, sed omnibus creaturis prædicandus. Et quia in sumenda Eucharistia exigitur fides, fides autem ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, maximè omnium necessarium est in Eucharistia, ut uerbum cœnæ, quod est uerbum filij Dei [b] publicè recitetur. Hoc enim uerbum, est prædicatio Euangelij, & adnunciatio mortis Christi. Quare ut Ecclesia intelligat, quid in Eucharistia agatur, & quid ipsi sumendum offeratur, & ut fidem suam confirmet, necessaria est [c] in Eucharistia publica recitatio uerborum cœnæ Dominicæ. Alius error est, quòd una pars Eucharistiæ soleat in singularem cultum Dei, circumgestari, & reponi. Vetat autem Spiritus sanctus, ne cultus Dei sine [d] certo Dei mandato instituatur. Deuteronom. duodecimo: Non facietis [e] singuli, quod sibi rectum uidetur. Et iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quidquam, [f] nec minuas. Matthæ. decimoquinto. Frustrà colunt me docentes doctrinas, [g] mandata hominum. Clemens Epistol. 2. ad Iacobum & de conse. distinctio. 2. capite. Tribus. Certè [h] tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quòd si remanserint in crastinum, non reseruentur, sed cum timore, & tremore clericorum diligentia consumãtur. Non ignoramus quomodo hæc Clementis uerba eludi soleant, confecto discrimine inter opus morientium, & opus consecrantium. Sed manifestum est, quòd panis, qui circumgestari, & in adorationem reponi solet, non [i] reseruetur pro infirmis: sed tandem à consecrantibus ipsis sumatur. Cyrillus uel ut alij sentiunt Origenes in Leuit. cap. septimo. Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite, & manducate, &c. non distulit, nec seruari [k] iussit in crastinum. Hoc fortasse mysterij cõtinetur etiam in eo, quòd panem non iubet portari in uia, ut semper recentes, quos intra te geris, uerbi Dei panes proferas.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Publicè fatemur esse prædicandum, sed non in ipso ritu Missæ, ubi magis laus Dei, & cultus agitur, atque eleuatio cordium, & conuersio ad secretiores orationes, quàm prædicatio.

b Hoc agitur in prædicatione, ut dictum est, non in ritu Missæ.

c Quod necessarium sit, ut in Ecclesia intelligatur, atq; ideo ut prędicetur illi, uerum est, sed potest, & debet extra actionem ipsam consecrationis id fieri.

d Certum est mandatum, ut adoreturChristus ubicunq; demum ueracitet fuerit, ut Paulus illud interpretatur: adorent eum omnes Angeli Dei.

e Singuli hoc agunt, qui priuatum suum sensum sequuntur, non uerò qui communẽ Ecclesiæ, deinde hoc faciunt, qui, quod sibi uidetur, id docent, quod uos facitis, non uerò qui rectam fidem Ecclesiæ cultu externo testantur, quod agimus adorantes Eucharistiam.

f Primum hoc pertinet ad seruitutem legis, in qua omnia erant ex præscripto tradita, tanquam pueris, non uerò ad libertatem nouæ legis, in qua ad magisterium Spiritus sancti missi sunt Apostoli: docebit, inquit, uos omnem ueritatem. In qua pauciſsima de ritibus præscripta sunt, & multa deinceps uel prælatorum ordinatione, uel consuetudine, uel certè priuata deuotione susceptа: sed omnia consona fidei: deinde substantiæ religionis, & fidei nihil addimus, dum quod exterius fit, certe illi fidei attestatur: Vnde qui hæc dicunt sub nomine Euangelicorum, & libertatis Euangelicæ, Iudaicam seruitutem, imò certè maiorem imponunt Christianis.

g Hominum mandata ea sunt, quę neque scriptura, neque tradita ab Apostolis habentur, nec inde certa ratione sequuntur, nec eis consonant, sed adoratio Eucharistiæ ex ea fide sequitur, qua creditur ibi esse Christus.

h Hæ sunt ordinationes prędatorum, quę mutari pro diuersitate temporum possunt, prout Ecclesiæ uidebitur. Tempore Nicæni cõcilij uidímus iam seruari Eucharistiam: & certè in ipsa epistola Clemens satis ostendit nonnunq; asseruatã fuisse Eucharistiam.

i Seruari posse, imò debere seruari pro infirmis certum est ex omni antiquitate Ecclesiæ. In qua uerò quantitate, & forma non est ad rem. Adorandum uerò ibi esse Christum, & nostram deuotionem excitandam ad illum in Sacramento præsentem fides docet.

k Cyrillus eo loco magis loquitur mysticè: nõ enim refert illud ad hanc Sacramenti reseruationem, quanquam ibi tantùm dicat non esse præceptum à Christo: sed non inde sequitur esse prohibitum. Quod uerò Cyrillus intendit, hoc tantùm est, ut ex illis uerbis Leuitici colligat, nostram deuotionem semper renouandam erga Christum.

DE EVCHARISTIA.

CATHOLICA.

CRedit, & confitetur catholica Ecclesia, Sacramentum Eucharistiæ à Christo Domino institutũ, consecratione, oblatione, & sumptione perfici: con-

ri: consecratio ad substantiam, quam illi uocant, oblatio, & sumptio ad usum pertinent. Quia uerò circa hæc tria diuersi sunt errores, quid circa singula catholica fides teneat, est ordine dicendum. De consecratione credit catholica Ecclesia, uerbis illis mysticis à ministro, iuxta Christi institutionem prolatis, panem, & uinum, sine quibus hoc Sacramentum perfici non potest, ita in uerum corpus, & sanguinem Christi mutari, ut post consecrationem non amplius ibi sint panis, & uinum, quod ueritas uerborum Christi requirit, & antiqua semper docuit Ecclesia. Credit etiam eadem fides, ex omnipotentia Dei potuisse in hoc Sacramento simul substantiam panis, & uini cum uero corpore Christi manere, sed id nequaquam esse posse, cum ueritate uerborum Christi, quare triplicem errorem hæc uera fides reijcit. Primus est, manere panem, & uinum post consecrationem. Secundus, corpus, & sanguinem Christi esse tantùm ibi ut in signo. Tertius denique, non in hoc Sacramento permanere corpus, & sanguinem Christi, quàm diu permanent illæ species, sed in distributione solum, nec post consecrationem, in scriptura, aut patribus panis, & uinum in Sacramento nominantur, nisi secundum tropum, & mysticam significationem, iuxta quam Christus dicitur uerus panis, aut secundum quod species, & figuræ illæ res esse dicuntur, quarum sunt species, dicitur panis, & uinum species illorum, quæ ibi manent. Lucæ 22. & apud alios Euangelistas, & Paulum. Accepto pane dedit dicens: Hoc est corpus meum. Similiter & calicem, &c. Vbi quid demonstratur nobis illis uerbis: Hoc, &c. si bene consideretur, necessario probat ibi non esse substantiam aliam, quàm corpus Christi, tota Ecclesia ita sentiente, cuius sensus sufficiant nunc duo fide digni testes. Ambrosius lib: quarto de Sanctis cap. quarto. Tu fortè dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante uerba Sacramentorum, ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Et rursum: Si ergo tanta uis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud conuertantur? Vbi obserua, quod in aliud dicit conuerti, quod hic astruimus, quod uerò dicit esse, quæ erant, quamuis Lanfrancus Cantuariensis Ambrosij nolit esse, nec in libris Ambrosij tale reperiri uerbum, intelligatur tamen ideo dicta, quia manent in aliud mutata. Illud constat certò, Ambrosium apertè docere conuersionem panis in corpus Christi, & in alijs locis, & libro de his qui initiantur mysterijs: Probemus ait, non hoc esse, quod natura creauit, sed quod benedictio consecrauit, nec id docet, ut sensum suum, sed totius Ecclesiæ. Eusebius Emissenus apud Gratianum de consecratione distinctione 2. capite, Quia corpus. Recedat omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis ueritatis, nam inuisibilis sacerdos, uisibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui uerbi secreta potestate conuertit, dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, &c. Hæc denique fides totis mille annis in Ecclesia absque ambiguitate inuiolata permansit, eodem tenore consentientibus patribus, ibi realiter esse corpus Christi, & nullam aliam substantiam, idque ex ipsis demonstratiuis uerbis, Hoc, &c. colligentibus, quæ unam tantùm demonstratam substantiam ostendunt ibi esse. Vnde cùm primùm cœpit in Ecclesia sub Leone nono, Victore secundo, & Nicolao etiam secundo, post integros mille annos, à Berengario Archidiacono Andeganensi in dubium uocari, & negari ueritas corporis Christi in Sacramento, simul etiam panem, & uinum ibi esse asserui, duo enim hæc semper in opinione omnium sese consequuntur, ueritas corporis Christi, & absentia panis, & è contra, præsentia realis panis, & figura tantùm corporis Christi, & utrunque multis Concilijs sub tribus illis Pontificibus damnatum est, iuxta fidem totius temporis præcedentis, quæ certa semper fuerunt in Ecclesia, uideantur de his Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, Bertranni, & Pascalis opuscula, ubi huius fidei certissima sunt testimonia. a De sumptione uerò quam usum illi nocant, tenet catholica Ecclesia, non celebran-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Aduersarij nihil hîc antiquitatis Ecclesiæ adducunt: sed simpliciter aiunt, sumptionem utriusque speciei, multis annis seruatam in Ecclesia, & necessariam esse, ueteris, & ueræ Ecclesiæ auctoritatem: sed ut aduertant & ipsi, & catholici, non temerè in Ecclesia iam definitum, non esse necessarium, & ideo propter pericula non permittenda toti populo, sufficiat hîc duo antiquitatis fide digna testimonia adferre, primum ex concilio Nicæno, ubi cap. 14. ita dicitur. Peruenit ad sanctum concilium, quod in quibusdam locis, & ciuitatibus, presbyteris diaconi Sacramenta porrigãt, & statim hoc damnans, inquit, hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs qui offerunt, Sacramenta porrigant. Vbi obiter etiã uidè oblationem sacrificij in concilio Nicæno affirmari, iam sequitur: Sed illud innotuit, quòd quidam diaconi ante Episcopos sumunt Sacramenta, hæc ergo omnia amputentur, & accipiant secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo, uel presbytero, sacram communionem, quòd si non fuerit in præsenti uel Episcopus, uel presbyter,

dum

dum esse hoc Sacramentum sine utriusque speciei sumptione, ut seruetur Christi præceptum, hoc facite in meam commemorationem, & integritas Sacramenti. Sed utriusque speciei sumptionem ab omnibus, post integram Sacramenti celebrationem, accedentibus, siue tunc cùm celebratur, siue posteà, ad integritatem Sacramenti, ex ipsa eius natura, & Ecclesiæ antiquæ consensu, constat non esse necessariam, nec præceptum aliquod, omni sumenti, ut utramque accipiat speciem, in scriptura esse, nec in consuetudine Ecclesiæ, uera fides agnoscit: sed sunt certa testimonia, quibus ostenditur, diuersas de hoc fuisse consuetudines, unam tamen hanc constantem semper fidem, non utranq; speciem necessariò sumendam esse ab omni communicante. Qui ergo sentiunt, utriusque speciei sumptionem omnibus necessariam esse, ex institutione Christi, & catholico, atque Apostolico usu, nec alicui licere eam mutare, toti Ecclesiæ apertè repugnant. De oblatione similiter credit uera fides, hoc Sacramentum non tantùm cultum Dei, sed peculiariter, & propriè sacrificium esse uniuersale Christianorum omnium, ubi ita commemoramus unicam illam, & cruentam oblationem, quam Christus Patri obtulit in cruce, ut etiam eandem eius institutione, & præcepto, incruentè quidem, sed ueraciter offerat tota Ecclesia Patri, qua oblatione meritum passionis Christi applicatur, non tantum his, qui sumunt Sacramentum, sed his etiam, qui offerunt, uel pro quibus offertur, modò illi capaces sint. Huic ergo perfectioni Sacramenti, quæ his tribus peragitur, sacras lectiones, & precationes pias, & ornatum uasorum, & uestium, aliasq; cæremonias, & ritus superaddidit Ecclesia, quorum quædam accepta sunt ab ipsis Apostolis, aut plenarijs concilijs, quæ uidelicet per totum orbem seruat Ecclesia, alia uerò ab Episcopis, & alijs particularibus prælatis suis Ecclesijs superaddita consonè ad scripturam, & traditiones. Quare nulli inferiorum licet pro sua libidine quidquam illorum mutare, maximè secularibus potestatibus, sine schismatis periculo. Sed quia circa hæc, imperitia quorundam, & aliorum negligentia, abusus aliquos irrepsisse fatemur, non propterea illorum nimium zelum, quo erroris damnant & hæreseos, quæ aut mala non sunt, aut certè multò minora, probare possumus, sed magis quàm ipsi nostra cogimur eorum dogmata reijcere. Quòd ergo errorem dicunt, quòd unus legat uerba cœnæ, & consecret, & idem solus sibi sumat, quasi propterea communis cultus Ecclesiæ priuatus fiat, & ut minimum necessarium esse alium aliquem cui Sacramentum dispensetur, uanum est, nullam habet auctoritatem, imò contrarium ex usu ipso Ecclesiæ manifestè conuincitur, qui diuersus fuit, & uarius, & pro diuersitate temporum mutatus, quo ostenditur nihil in hoc esse ex institutione, aut præcepto Christi, sed ad frequentem communionem exhortabantur patres fideles omnes, propter salutem suam, non autem Sacramenti perfectionem. Concilium Agathense capite quadragesimoseptimo, & de consecrat. distinct. 1. capit. Missas, & cap. 18. & 2. dist. capit. Seculares. Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Seculares qui in natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Vide quòd præcipiuntur omni die Dominico audire Missam, nullus uerò præcipitur communicare, nisi illis tribus diebus, & hoc quidem ante annos mille in Ecclesia statuebatur, nõ ergo putabatur necessarium, ut alicui dispensare tur Sacramentum. Fabianus de consecrat. distinction. secunda capit. Etsi non frequenter. Etsi nõ frequenter, saltem in anno ter homines communicent, in Pascha, Pentecoste, & Natali Do-

SCHOLIA CATHOLICA.

tunc ipsa proferant, & edant Vide itaque tempore Nicæni concilij seruatam Eucharistiam, & quidem sub altera specie tantùm, quod ratio postulat, nec enim species uini in aliquot præcipuè dies seruari posset sine periculo, cuius rei etiam ipsi aduersarij testes sunt, qui uel ex hoc quod utranque speciem necessariam putant, aut nulla ratione seruari uolunt: sed celebrari etiam cœnam quoties infirmus communicandus est, seruabatur itaq; sub altera specie, & ea tantùm sumi permittebatur à diaconis in absentia sacerdotum, proferãt, inquit, & edant, quare concilium Nicænum non dicit hunc esse abusum, ut seruetur Sacramentum, cùm nõ nisi una species seruari possit, nec solùm nõ reprehendit, sed concedit unius speciei sumptionem Sed ueniamus ad secundum non minùs apertum solius Ambrosij testimonium, is in oratione funebri Satyri fratris sui, illum commendat, quod in naufragio constitutus petierit fidelium Sacramentũ, & in orario ligari fecit, & orarium inuoluit in collo, atq; ita se deiecit in mare, nõ requirens, inquit, tabulam, cui supernatans iuuaretur, deniq; quod à tempestate liberatus, sacramentum ipsum quod inuolutum orario gestabat, non nisi à catholico Episcopo, & qui cum Romana Ecclesia consentiret, suscipere uoluit, quod demum, inquit, ubi primum copia fuit, suscipere non distulit: itaq; hic una tantùm specie uti potuit, nec detestatus est hoc Ambros. tanquam contra Christi institutum, sed laudat potiùs fratris fidem, & ostendit unius speciei sumptionẽ, nec nouam tunc, nec insolitam fuisse, non itaq; tam facilè putent aduersarij hoc esse in Ecclesia decretum, quin priùs antiquitatis sensus fuerit cognitus.

mini,

mini, inter eiusdem decreta & hoc etiam habetur: decernimus, ut in omnibus Dominicis diebus, oblatio ab omnibus uiris, & mulieribus fiat, tam panis, quàm uini, ubi apertè de Missa loquitur. Idem igitur hic Pontifex multò antiquior illo cõcilio statuit, quo colligitur, quòd si aliquando ab omnibus astantibus, aut à pluribus communicatum est, nunquam tamen iudicatum est ab Ecclesia necessarium, nec id multo tempore fuisse. Igitur qui arbitrantur necessarium esse, abrogare priuatas Missas, contra omnem antiquitatem Ecclesiæ loquuntur, nec bene consulunt Ecclesiæ, nec certè id assererent, si agnoscerent ueritatem sacrificij, & utilitatem ex eo, & ex orationibus ecclesiæ, quæ omnia, quãquam ab uno fiant, cùm tamẽ totius Ecclesiæ nomine aguntur: Missa communis est totius Ecclesiæ actio. illud fatemur, non sine abusu esse, nec consuetudine aliqua excusari, quòd nullo præsente, nec respondente, aut audiente, sacerdos peragat officium Missæ. Stat Soteris Pontificis decretum Consecrat. distinction. prima capit. Hoc quoq; statuens ut non nisi duobus præsentibus, & respondentibus celebretur Missa, & ad minus requiritur unus, qui locum tenet totius Ecclesiæ, ut omittamus interim obliuiones, quæ accidere possunt sacerdoti, & alia, propter, quæ meritò sit obseruandum. Maior etiam error est illorũ qui reprehendunt, quòd Eucharistia ut sacrificium semper in Ecclesia, pro uiuorum, & defunctorum peccatis offeratur, atq; ad impetranda alia spiritualia, & corporalia beneficia, hæc enim uera fides est Ecclesiæ, satis indicata à Christo Domino dicente: Hoc facite in meam commemorationem, cùm præceßisset, non tantùm de cõsecratione, sed etiam de oblatione mẽtio: Hoc est (inquit) corpus, quod pro uobis tradetur, & sanguis, qui pro uobis effundetur, & posteà: Hoc facite. Quod ergo hìc indicatum est, tota Ecclesia explicatiùs multò intellexit, nõ dubium quin ab Apostolis, & plenarijs concilijs accipiens, cùm hæc fides in omnibus totius orbis Ecclesijs semper fuerit. Etsi enim certò credamus oblationem Christi in cruce fuisse completam, nec opus esse iam alia, quoniam tamen nos quotidie peccamus, illius oblationis nos priuamus fructu, necesse est eandem semper, non aliam offerri in Ecclesia, ipsumq; Christum, eiusq; merita præsentari Patri pro reconciliatione consequẽda & perseuerantia, alijsq; ad salutem necessarijs, sicut necesse habemus reconciliari Patri, & eius inuenire gratiam, non certè alio merito, nec propiciatione, quàm filij eius. Quod igitur Christus iubet, & Veteres scriptores dicunt: Eucharistiam sacrificium esse, peruersè exponitur ab his, qui dicunt, esse tantùm commemorationem, & prædicationem eius, quod Christus in cruce peregit, sacrificij. Et reuera commemoratio illius sacrificij coram Deo, & repræsentatio. Concilium Ephesinum in Epist. ad Nestorium. Adnunciantes enim secundum carnem mortem unigeniti filij Dei, &c. incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: loquitur autem aperte de hoc Sacramento, cùm statim de sumptione addat: Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus. Alexander primus in Epistola prima ad Omnes Orthodox. Ipsa ueritas nos instruit calicem, & panem in Sacramento offerre, quando ait: Accepit Iesus panem, &c. Et post parùm: nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit, & parùm anteà: crimina, inquit, & peccata, oblatis his Domino sacrificijs, delentur. Innumera sunt Patrum apertißima, de hoc sacrificio, oblatione, & fructu eius, testimonia, uideatur interim Epist. 8. Cypriani libro secundo: Vbi multa de hoc, & inter cætera ita inquit: Nam si Iesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificiũ Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, ille sacerdos uice Christi fungitur, qui quod Christus præcepit, imitatur, & sacrificium uerum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, &c. si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum uideat obtulisse. Nec omittendus Augustinus in decimo de ciuitate Dei, ubi cap. tertio, quarto, & quinto, de ratione sacrificij diligenter disputans, cap. sexto, opera misericordiæ sacrificia esse docet, & tandem totam congregationem, societatemq; sanctorum, uerum esse sacrificium, & uniuersale Christianorum, quod Christus simul cum se offerret in cruce, tanquam caput etiam obtulit, ultimo addit hæc uerba, quod Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei ostenditur, quòd in ea oblatione, quam offert, ipse offeratur. Quæ oblatione non dubitamus propiciationem, & meritum Christi applicari uiuis, & mortuis, quare maior est error asserentium, sola prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum applicari meritum Christi nobis, nam ut dictum est, omni Christiano opere ex gratia, scilicet, prodeunte applicatur nobis meritum Passionis Christi, & hæc oblatio dispensatio etiam est Sacramenti. Nulla igitur scripturæ auctoritate, aut ratione probari potest, sola prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum, quæ in hunc usum sunt instituta, meritum Christi applicari nobis, & sola fide accipi, quum re uera omni pio opere, quod scilicet ex fide, & charitate, atq; ideo ex Diuina gratia fit, cõformemur Christo, facientes scilicet uoluntatem Patris. Ex hac uerò ad Christum conformitate, prouenit nobis participatio meritorum eius. Ad Romanos 8. Cohæredes, inquit, Christi, si tamen & compati-

mur, ut & glorificemur, quòd ait cohæredes Christi, nonne apertè significat, participatione meritorum eius nos peruenire ad beatitudinem? Sed tamen addit: Si tamen compatimur, ut significet meritum eius participari hac configuratione, quæ autem compassio proprior, quàm ea, de qua ibidem: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, & iterum: Mortificantes membra uestra, quæ sunt super terram. Idem etiam 2. Timoth. 2 inquit, postquàm de suis uinculis dixerat: fidelis sermo, quia si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus. Ad Philip. 3. Propter Christum, inquit, omnia arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iusticiam, sed eam, quæ ex fide est, &c. Configuratus, inquit, morti eius, si quando occurramus ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Vera igitur iusticia illa per configurationem Christi habetur, atq; ita per ea, quibus ei cõformamur. In priuata igitur, quam uocant, Missa, cùm nihil omittatur eorum, quæ ad ueritatem Sacramenti pertinent, ipsa primo utilis est omnibus modis ipsi celebranti, & toti Ecclesiæ, quatenus in ea & passio, atq; merita Christi offeruntur Patri, simul etiam orationes, atq; pia desideria totius Ecclesiæ, quæ nõ dubiũ est magnæ efficaciæ esse apud Deum, & ualde utilia fidelibus. Est etiam & alius illorum error, qui errorem iudicant, uerba consecrationis tacitè proferre, & lingua uulgo ignota, nec enim ad huius Sacramenti perfectionem unquam Ecclesia iudicauit necessarium esse tunc prædicari populis mortem Christi, cùm cõsecratur, quod alijs locis, & temporibus in Ecclesia fieri debet, cùm populus instruitur. In celebratione uerò huius Sacramenti agitur præcipuè, & necessariò ut placetur Deus, consecratione Sacramenti, & oblatione, cæterisq; orationibus, & sumentes sanctificentur. Est & alius horum iudicantium alienos errores error, quòd sit illicitum unam Eucharistiæ partem seruare, & circumgestare ob specialem cultum. Primò enim reseruari Eucharistiam pro necessitatibus infirmorum, aut alijs quibusuis populi utilitatibus, antiquissima est cõsuetudo Ecclesiæ, & si fortè aliquando, aut alicubi factum non fuerit. Adorandum uerò esse Christum in hoc Sacramento, certa ratio, & Patrum auctoritas docet: Quare cùm deuotioni populi id expedit, circumgestari sanctum est, nec est cultus Dei sine certo uerbo. Concilium Nicænum capite decimoquarto, aut secundum aliam translationem 18. ut superiùs adduximus. Refert abusum quendam in dispensatione Sacramenti, & permittit Diaconis, ut si non fuerit præsens Episcopus, uel presbyter, ipsi sacram communionem proferant, & edant: constat itaq; asseruatam fuisse, nec hoc concilium reprehendit, cuius rei multa sunt testimonia in antiqua Ecclesia. Augustinus in Psalm. 98. Exponens hunc uersum: adorate scabellum pedum eius, ita de Christo dicit: inuenio, inquit, in Christo quomodo terra sine impietate adoretur, suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem mãducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

DE ORDINE: VVIRTENBERG.

NOn est obscurum è sacris literis, quòd omnes uerè Christiani consecrentur in Baptismo, per Christum filium Dei, in spirituales [a] sacerdotes, & debeant semper offerre Deo [b] spiritualia sacrificia. Nec est obscurum, quòd Christus instituerit in Ecclesia sua ministros, qui adnuncient Euangelion suum, & dispensent Sacramenta eius. Nec permittendum est cuiuis, quamuis spirituali sacerdoti, ut sine [c] legitima uocatione usurpet publicum ministerium in Ecclesia. Dicit enim Paulus: Omnia honestè, & decenter fiant inter uos. Et iterum: Nemini citò manus imponas. Quare non inutile iudicamus, ut fides eorũ, qui ad publicum ministerium Euangelij accessuri sunt, quasi [d] gradibus quibusdam probetur. Et inter ministros Ecclesiæ suum ser-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Sed sacerdotiũ illud, mysticum est, non proprium.

b Meritò spiritualia, hoc est, mystica, sic enim omne bonum opus in Deum ordinatum sacrificium est: sed sunt quædam peculiaria religionis opera, & sacrificia, Ecclesiæ nomine ab his, qui in hoc munus deputati sunt offerenda, & hi sunt proprij Ecclesiæ sacerdotes, iuxta illud Pauli: omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccato, quos Ecclesia semper habuit ex traditione procul dubio Apostolorum, ut habes in assertione catholica.

c Non solùm uocatio, sed & collatio potestatis, signis uisibilibus, ut ab Ecclesia fit, est necessaria, in quo ratio Sacramenti Ordinis consistit.

d Gradus in ordine Ecclesiastico sunt ex institutione procul dubio Christi, non solum ad probandos ministros, sed etiam ad ornatè, & decenter ministeria Ecclesiastica implenda, pro dignitate uidelicet eorum, nec hoc est priuatum iudicium, sed totius antiquæ Ecclesiæ sensus.

uare ordinem, uidetur a concordiam nonnihil adiuuare. Sed sacra scriptura b non tradit, quòd Christus instituerit in Ecclesia sua tales sacerdotes, qui sint mediatores inter Deum, & homines, & placent iram Dei erga homines sacrificijs suis, aut applicent meritum Christi uiuis, & mortuis, absq; prædicatione c Euangelij, & dispensatione Sacramentorum. Nam si de summo, & uero mediatore dicendum est, unus solus est mediator inter Deum & homines Iesus Christus filius Dei. Si loquendum est de mediatore precationis, unusquisq; d pius factus est alterius mediator per Iesum Christum, propterea quòd officium exigit, ut alter alterius salutem precibus Deo commẽdet, quod etiam officium tunc singuli exercent, cùm recitant ex fide orationem Dominicam. Sin loquendum est de sacrificijs expiantibus peccata nostra, & placantibus iram Dei, tunc unum solum est sacrificium expiatorium, & placatorium, uidelicet sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quod semel in e cruce peractum est. Et sicut Christus nõ amplius moritur, mors illi amplius non dominatur: ita hoc sacrificium eius nunquam f amplius perageture: sed effecit unica oblatione, quemadmodum Epist. ad Hebræ. scribit, perfectos in perpetuum eos, qui sanctificantur. Si loquendum est de commemoratione huius sacrificij, & de applicatiõe meriti eius, tunc publici ministri Ecclesiæ, qui Euangelion publicè docent, & Sacramenta iuxta institutionem Christi dispensant, non solum faciunt ueram, & rectam expiatorij sacrificij commemorationem, sed etiam applicant, dispensatione sua, meritum huius sacrificij omnibus ijs, qui Euangelion, & Sacramenta g fide accipiunt. Non h possumus igitur uidere, quis sit usus id genus hominum in Ecclesia, qui in hoc instituuntur, ut habeant potestatem sacrificandi pro uiuis, & mortuis. Paulus cùm ad Corinthios & Ephesios recenseret officia, & ministeria ad ædificationem, & conseruationem Ecclesiæ necessaria, recenset Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores & id genus alios: sed in hoc catalogo i nullam prorsus facit mentionem talium priuatorum sacerdotum, qualium nunc plenus est orbis. Nec k uerisimile est, quòd omisisset hoc genus sacerdotum, si uel Christus instituisset, uel Ecclesiæ utile, ac necessarium esset. Et l scribit Paulus Episcopum oportere esse didacticon, docet autem Hieronymus eundem esse Episcopum, & presbyterum. Quare manifestum est, quòd nisi presbyter instituatur in Ecclesia ad m ministerium docendi, nec presbyteri, nec Episcopi nomen rectè usurpari queat.

a Imò ex institutione Christi id est necessarium, qui suam Ecclesiam sapientissimè, & potentissimè ædificauit, hi uerò omnia referunt ad humanum iudicium, quasi nihil in Ordine sit Diuinæ institutionis.

b Tradidit quidem scriptura Ordinationem Apostolorum, sed apertissimè eam habet totius Ecclesiæ consensus ab Apostolis usq; ad nos.

c Hoc superiùs dixerunt, ubi respondimus, & probatum est sacrificio altaris applicari meritum Christi uiuis, & mortuis.

d Pius quilibet mediator est, cùm orationibus agit, sed necessarij sunt publici mediatores, qui id ex officio habeant, ut sint ministri Christi, sicut Paulus inquit, Dei adiutores: & hoc institutum à Christo Ecclesia semper docuit.

e Fatemur, sed illud ipsum nos quotidie offerimus, iuxta catholicæ ecclesiæ sensum.

f Cruentè, & ut à Christo actum est, fatemur, at uerò à nobis illud ipsum incruentè offertur, nec aliquid addimus eius perfectioni.

g Sed etiam ostensum est applicari hoc meritum CHRISTI oblatione, & precibus Ecclesiæ.

h Miramur certè, quòd non apertè uideritis in lectione antiquorum, quorum pauca citauimus in assertione Catholica, & certè in antiquorum lectione nihil frequentius, quàm oblatio altaris, & potestas offerendi.

i Constat Paulum multa uerbo tradidisse, & hæc maximè, quæ ad ministeria Ecclesiæ pertinent, conueniens fuit non omnia scripta relinqui: pauca quidem dixit Apostolus de Sacramento Eucharistiæ, & posteà addidit, cætera cùm uenero disponam, & de Ordinatione sacerdotum non desunt multa in Paulo.

k In doctrina sua non dubitamus eum non omisisse: sed scripsisse non erat opus, plura docebat discipulos, quàm scripserit, unde dicit Timotheo, quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, 2. Timoth. 2.

l Sed certum est ordine, & gradu non esse eundem, ut in catholica assertione habes, quãquam nomina fuerint promiscua, ut Hiero. dicit.

m Habes in assertione catholica, alios etiam esse actus presbyteri, & Episcopi, & ipsi confitentur dispensationem Sacramentorum ad eos pertinere, hæc uerò aliud sunt à doctrina.

SCHOLIA CATHOLICA.

DE ORDINE: CATHOLICA.

Docet apertè uera fides, et ex sacris literis, & traditione Apostolorum, cui consonat etiam

naturalis ratio, quòd & si Christiani omnes spirituales, & mystici sacerdotes ex unguento capitis fiant, ut hostias spirituales Deo offerant, tamen ueri, & proprij sacerdotes, soli illi sunt, qui ab Episcopis Sacramento Ordinis initiati legitimè sacerdotij potestatem acceperunt. Non solùm itaq; publica uocatio, & probatio futurorũ ministrorum quibusdã quasi gradibus facta, necessaria est, ut in Ecclesia ministerijs Christi fungantur: sed Ordinatio, quæ impositione manus, & Sacramẽto perficitur, ut tota semper testata est Ecclesia, ex traditione procul dubio Apostolorum. Sub sacerdotibus uerò alios esse inferiores ministros scilicet hostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, diaconos, subdiaconos, super sacerdotes uerò Episcopos, certa fides credit, qui omnes non solùm hoc exigente concordia, aut aliqua politica ratione scilicet ex Sacramento Ordinis quod suscipiunt, & institutione Christi diuersas habent in Ecclesia functiones, atq; potestates. Tradidit quidem sacra scriptura, quantum satis est, ut agnoscant obedientes filij institutos à Christo sacerdotes, qui perpetuò in Ecclesia medij sint inter Deum, & populum, & offerant sacrificia ad placandam Dei iram, & meritum Christi uiuis, & mortuis applicandum. Docet quidem hoc scriptura, sed distinctiùs, & manifestiùs tota semper id tenuit Christiana Ecclesia, ex traditione procul dubio Apostolorum. Nec dubium est, sub uno illo summo mediatore Christo, necessarios esse alios mediatores, qui ex officio uices eius gerant, sicut sub illo summo pastore speciales pastores, dicente ipso: Pasce oues meas: Et tibi dabo claues Regni cœlorum: Et quidquid solueritis super terram, &c. Ita enim perfectio, & decor Ecclesiæ exigunt, & huius uitæ status, ut plura ministeria à pluribus, & publica à publicis ministris fiant. Licet etiam unicum illud sacrificium Christi expiatiuum sit omnium peccatorum, nec opus sit aliud iam offerri, ipsum tamen commemorari, & repræsentari Patri in Ecclesiæ persona, & nomine, per eos, qui uices eius gerunt, necessarium esse ostendunt quotidiana peccata nostra, & natura ipsa, atque status huius uitæ, quæ ut sacrificent Deo, qui nondum ad eius apertam uisionem peruenerunt, postulant, & tota Ecclesia, quæ est unicum fundamentum fidei, hoc tenet. Qui igitur uidere non possunt, quis sit usus sacedotum in Ecclesia, aut potestas sacrificandi pro uiuis, & mortuis quorsum detur, aduertant ne, aut propriæ sententiæ amore nolint, quod contra eam est, aliquid uidere, aut pluris se, quàm totam Ecclesiam, faciant. Obedientes filij Ecclesiæ, & sacerdotalis Ordinis, & reliquorum omnium, & ipsius Sacramenti Ordinis necessitatem, uirtutem, & institutionem, testimonio certissimo omnium Patrum agnoscunt, ex quibus pauca hæc sufficere possunt. Ambrosius quarto capite Epist. ad Ephesios. Nam primo Ambrosius in locum illum quarti capitis ad Ephesios, quem ipsi citant, nomine Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, Pastorum & Magistrorum, quæ ibi ipse legit, intelligi docet sacerdotes, & reliquos ministros, per Apostolos scilicet Episcopos, per Prophetas primos post illos, qui Ordo, inquit, potest esse presbyteri, pastores, inquit, possunt esse lectores, qui populum lectionibus sagiment, ubi & de diaconis, & de ratione quare Paulus hæc non ita explicitè docuerit loquitur. Vanum itaq; est argumentari, Paulum non omissurum sacerdotes in illo loco, si Christus eos instituisset. Est concilium Carthaginense quartum, testis locupletissimus omnium Ordinum Ecclesiasticorum, & rationis, qua illa traduntur sub signis uidelicet, & uerbis, quod concilium ducentorum & 14. Episcoporum fuit, inter quos Legati Sozimi Papæ & Augustinus etiam interfuerunt, in quo ante mille annos illa omnia ut certissima & in Ecclesia absq; controuersia recepta tradita sunt. Et Augustinus ipse libro secundo contra epistolam Permeniani, cap. decimotertio de baptismo, & potestate baptizandi ita inquit: Vtrũque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur. Ideo in Catholica utrũque non licet iterari, uide apertissimam fidem ecclesiæ de Sacramento Ordinis. Ambrosius etiam primæ ad Timothe. quarto exponens illa uerba: noli negligere gratiã, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Prophetia, inquit, est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus, manus uerò impositiones uerba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, ut audeat uice Domini sacrificium Deo offerre. Hæc non fingebat Ambrosius, sed ut certa in Ecclesia docebat. Qui igitur ad ministerium docendi institui solùm Episcopos, & presbyteros dicunt, contradicunt Ecclesiæ, & testimonio Ambrosij. Qui uerò presbyteri, & Episcopi non esse diuersos gradus in Ecclesia asserunt, inter hæreticos Arrianos ab Augustino computantur, libro de hæresibus.

DE CONIVGIO. VVIRTENBERG.

FAtemur coniugium esse genus uitæ diuinitùs institutum, & approbatum, & esse mysterium, hoc est, ut uulgò exponi solet [a] Sacramen-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Est reuera propriè Sacramẽtum illorũ septem unum, quę Ecclesia habet tanquàm signa, & instrumenta diuinæ gratię operantis, quæ salutaria sunt eidem Ecclesiæ suæ, unde externa illa, quæ cum significatione supernaturalis alicuius gratiæ effectum

tum

tum magnum in Christo, & Ecclesia, sicut Paulus ait. Et quia Christus palàm affirmat Coniugium pertinere ad hoc præsens a seculum, administratio aũt rerũ huius seculi cõstat politicis legibus, recta & probabili ratione constitutis. Idcirco docemus, quòd liceat Coniugium inire in his gradibus consanguinitatis, & affinitatis, quos politicæ leges, quæ sunt Diuinæ ordinationes, permittunt. Docemus etiam, quòd iuuenes non debeant temerè sine parentum suorum auctoritate Coniugium inire, & quòd Coniugium temerario, & illegitimo iuuenum cõsensu, absq; eorum, in quorum potestate sunt, auctoritate contractum, b nondum habendum sit ratum. Etsi enim nonnulli casus sunt, in quibus licitum est Coniugium absq; parentum consensu contrahere, tamen non uidetur faciẽda generalis regula, quòd quiuis iuuenum consensus faciat contractum matrimonij ratum, & clandestina matrimonia simpliciter sint approbanda. Non solum enim Diuinum præceptum exigit, ut liberi honorent parentes suos, uerùm etiam naturalis ratio iubet in contrahendo matrimonio consensum c parentũ requirere. Huc uocantur etiam liberi legibus politicis. Et d extat decretum Pontificis Euaristi, cuius hæc uerba scribuntur, aliter legitimum, ut à Patribus accepimus, & sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum inuenimus, non sit Coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere uidentur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus propinquioribus sponsetur. Præterea non dubitamus, quin qui sunt uerè honestatis amantes, sentiant Coniugium non tantùm Laicis, ut uocant, ue-

SCHOLIA CATHOLICA.

habent, naturam omnem excedententem, Sacramenta meritò appellantur, nec de hoc prudens aliquis meritò contendere debet: Coniugium uerò legitimè contractum à fidelibus, tãtam indissolubilitatem habet, ut neq; consensu eorum, neq; omnium legum auctoritate dissolui possit, quod non nisi à Deo supra naturã operante est, dicente ipso Christo: quod Deus coniunxit, homo nõ separet, id quod ex significatione alicuius supernaturalis rei, cõiunctionis scilicet Christi, & Ecclesiæ, Paulus docuit esse. Nihil itaq; est, quod desit matrimonio de ratiõe Sacramenti, quod Aug. in lib. de bono coniugali diligentissimè probat, uide cap. 7. & 23. Vbi de indissolubilitate coniugij ita inqt: quod nequaquam puto tantum ualere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramẽtum adhiberetur, & 24. cap. Bonum igitur, inquit, nuptiarum per omnes gẽtes atq; omnes homines in causa est generãdi, & in fide castitatis, quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti sit, &c. Quæ ibi latiùs loquitur, nec sanctitas, & effectus gratiæ cõiugio deest: de qua Paulus etiam, sanctificatur, inquit, uir infidelis per mulierem fidelem, nõ enim dubitamus dari gratiam, qua sanctè utantur matrimonio Coniuges, quæ ideo hoc loco annotãda duximus, ut agnoscas, optimè lector, quàm rationabiliter, & quàm ueraciter Sacramentũ matrimoniũ uocemus, & q̃ indignè de eo loquantur ij confitentes in hoc loco, posteà uerò cũ de cœlibatu loquuntur, sanctius est illo matrimonium, sed de hoc ibi.

a Non autem ad hoc tantùm seculũ pertinet matrimonium, quasi seculariter solũ sit transigẽdum, sed pertinet ad uitã in hoc seculo iuxta religionem Christianam, & ad eam propagandam, & conseruandam, transigẽdam, nam etiam Ecclesia cursum suum agit in hoc seculo, alioqui etiã baptismus, pœnitentia, & cætera Sacramenta, & omnes Ecclesiasticæ functiones ad præsens seculũ pertinerent, etiã diceret Christianus, in cœlo nec baptizant, nec baptizãtur, igitur non magis matrimonij Sacramentũ est subtrahendum Ecclesiæ, q̃ alia Sacramenta, quare igitur amici plus in eo secularibus legibus, q̃ ecclesiasticis permittitur, ut gradus tantũ cõsanguinitatis, quę politicæ leges inhibẽt, excipiatis, cur nõ etiã & in illis gradibus cõtrahi nõ potest, quos Ecclesiasticæ leges prohibent, & similiter de alijs impedimentis: cur Ecclesiam hoc iure priuatis, quod huc usq; leges ipsæ politicæ, & principes omnes permiserunt?

b Oportebat igitur distingui, quando habendum sit ratum, quando non, quum fateamini in nõnullis casibus esse licitũ. At uerò Ecclesia, quæ in ijs pro tẽpore multa mutauit, nunc iudicat liberum consensum inter eos, qui contrahere possunt, sufficere, etiam inscijs parentibus, & clandestinè, q; si aliquid sit mutandũ, eius arbitrio relinquẽdum est, & certè multũ pensanda sunt, quæ pluriũ exigũt consensum, & deliberationẽ.

c Ita omnino sentimus, requirẽdus est cõsensus parentum honestus, & iustus, nec dubitamus peccare grauiter præter illum contrahentes, sed durum, & inhumanum consensum nonnunq̃ cum periculo salutis animæ nõ est cur debeant requírere, propterea igitur quia dubium poterat esse q̃ iustè parẽtes non consentiãt, Ecclesia fauet filijs legitimam ætatem habẽtibus, & leges etiam ipsæ seculares.

d Fatemur hoc esse Euaristi decretum, ex hoc primum aduertant isti confitentes, Apostolos, & Episcopos multa de matrimonio statuisse, cùm ipsi superiùs legibus politicis omnia tribuãt, deinde obseruandum, traditionem hanc Apostolorum, quoniam ad gubernationem Ecclesiæ pertinebat, nõ ad fidem, neq; ad Sacramentorum integritatem mutari potuisse, cùm id magis uideretur conuenire moribus, tale est de sanguine, & suffocato non comedentis, quod cùm Apostoli statuissent, ob concordiam Iudæorum, & Gentium, postea meritò mutari debuit, ne legalibus uideremur teneri. Nõ de-

rum etiam ministris Ecclesiæ a liberum esse b Dicit enim Epistola ad Hebræos, honorabile Cõnubium in omnibus, & thorus immaculatus. c Et Paulus probat Coniugium in Episcopo, & adfirmat prohibitionem Coniugij esse spiritum erroris, & doctrinam d Dæmoniorum. Etsi enim hoc Pauli dictum exponi solet de Tacianis, & Encratis, qui Coniugium nihil à scortatione differre sentiebant, tamen cùm Coniugium prohibetur in decretis e Pontificijs, prohibetur ijs rationibus, quibus Coniugium non in uno tantùm hominum genere, sed in uniuersum damnatur. Allegatur enim illud Leuitici. Sancti estote, quia ego sanctus sum, & illud Pauli: non in cubilibus, ac lasciuijs. Et iterum: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Cùm autem hæc scripturæ dicta ad f omnes pertineant, certè arcerent omnes pios à Coniugio, si rectè ad prohibendum sacerdotibus Cõiugium accommodarentur. Sed speramus bonos quosq; uiros de Cõiugio honestiùs sentire, & quod in Ecclesia ipsa probant, & in ministris eius non improbare, præsertim cũ manifesta sint exẽpla rectè tis, et adhuc purioris ecclesiæ, in qua & Apostolis, q fuit summus gradus in Ecclesia,

SCHOLIA CATHOLICA.

sunt multi prudentes, qui cuperent restitutum hoc decretum Euaristi, & quidem nõ paucæ inde uidentur utilitates ad tranquillitatem animarum posse sequi, sed nec desunt pericula, expectandum itaque iudiciũ Ecclesiæ.

a Post emissum uotum castitatis, & Ecclesiæ ordinationem, non admittentis aliter ad tres sacros ordines nisi id permittentes, quam constat ante mille annos in Ecclesia fuisse testantibus August. Hiero. & Ambro. & antiquissimis multis concilijs, nullus nisi qui uelit pertinaciter omni rationi repugnare, potest ita sentire.

b Idem etiam dicit de uiduis, quæ castitatem promiserant in Ecclesia, quę cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere uolunt, habẽtes damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt, 1. ad Timoth. 5. In omnibus ergo honorabile connubium, &c. qui illo sanctè utuntur, non qui primam fidem irritam fecerunt.

c Quanquam illud magis ad prohibitionem digamiæ pertineat: tamẽ etiam si hoc admittamus, modestè tantùm dici potest, Paulus non improbat Coniugium ante Episcopatum contractum, nam illud probare quasi cõueniens Episcopo, quod hoc uerbum significare uidetur, & multi ex uobis docent, quomodo potest Paulus cũ hoc dissuadeat omnibus? cũ dicat, uolo omnes esse sicut meipsum, quomodo probat in Episcopo, quẽ uult totum liberũ à secularibus negocijs, intentum esse orationi, atq; lectioni? quomodo, inquam, probat matrimonium, de quo dicit, quòd q cũ uxore est, quæ sunt mũdi cogitat, quomodo placeat uxori, & diuisus est, & ibidẽ, tribulationem carnis patientur: egõ aũt uobis parco, & deniq; quod apertè docet impedimentũ esse Dominum obsecrandi, & à cuius actu separari docet ipsos debere coniugatos ad tempus, ut orationi uacent.

d Verum est, doctrinas Dæmoniorũ Paulum dicere in uniuersum prohibere Cõiugium, non post uotum, uel alicui statui, & ordini minus cõueniens iudicare: utrumq; enim ipse Paulus fecit, ut ex proximis citatis auctoritatibus patet.

e Scimus de Siritio, & Innocentio primo eos hæc dicere, qui ante mille annos nõ nouam legem cœlibatus ediderũt, sed editam iam in Ecclesia ostendentes abusus contra eum damnant. Extat de hoc epistola Siritij ad Himerium Tara. 7. & Innocentij ad Victricium Rotomagensem Epis. cap. 9. & ad Exuperium Tolosanum cap. 1. his locis sancti illi pontifices usum matrimonij ministris Ecclesiæ ea ratione prohibẽt, qua legis ueteris sacerdotib. accessus ad domus proprias tẽpore uicis suæ prohibebatur, & ea etiam, qua Paulus coniugatis dicit, ut ad tẽpus abstineãt, ut orationi uacent, inter hæc uerò uerbum illud, sancti estote, de speciali sanctitate sacerdotum intelligentes, ad prohibitionem matrimonij referunt, & quędã alia in reprehensionem eorum, qui contra uotũ fecerant loquũtur, sed nihil est, quod non possit optimè in bonum interpretari, non est aũt boni uiri maiorũ uerba magis uelle carpere, q̃ exponere. Hæc uerò cœlibatus lex: & à quo tẽpore, & à quibus sit unius concilij testimonio duntaxat ostendamus, ita igitur in concilio Carthaginẽsi cap. 1. dicitur: Aurelius dixit, cũ in præterito cõcilio de continentia, & monogamia castitatis tractaretur, gradus isti tres conscriptiõe quadã castitatis per cõsecrationes annexi sunt Episcopos, presbyteros, & diaconos, ita placuit, & post quædam alia, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus, ab uniuersis Episcopis dictum est, omnibus placet, &c. Et rursum ab omnib. dictũ est, placet ut ab omnib. & in omnibus custodiatur, q altari seruiũt, pudicitia: quare ergo, ijs tam apertis testimonijs omissis, detrahitis amici, cœlibatui?

f Ad omnes pertinent carnis delectationibus illicitè uacantes, contra quos sancti illi pontifices loquebãtur, qui scilicet post susceptos sacros ordines, & uotum non continent, isti nõ sunt sancti, sunt in lasciuijs, & in carne, hoc deterret omnes pios à Coniugio post uotũ castitatis, & ostendit inter sacros actus ab usu Cõiugij abstinendũ esse.

g Nõ improbamus in ministris, nisi post uotũ castitatis uolũtariè ab ipsis emissum, & dicimus ideo hoc uotum in Ecclesia requiri à susципientibus sacros ordines, quia conueniens est ministerijs Ecclesiasticis.

Episcopis.

& Episcopis licuit habere uxores. Hoc aũt ita intelligendum existimamus, quòd ministris Ecclesiæ non solùm licuerit Coniugio ante ordinationem inito uti, uerum etiam Coniugium post ordinationem inire, cuius sententiæ haud a obscura argumenta extant. Nec obstare debet uotum castitatis, propterea q; tale uotum humana superstitione, sine auctoritate uerbi Dei, & contra b fidem susceptum, non agnoscatur à Deo, & in Coniugio sua quoq; sit castitas, ut, qui cùm anteà castitatem uouerit, uxorẽ in Domino ducit, c castitatis uotũ uerè adimpleat. Cùm igitur manifestum sit uerbum Dei, de honestate coniugij, manifesta sint exempla Apostolorum, & Episcoporum recentis Ecclesiæ, manifesta sit imbecillitas humanæ naturæ, manifesta sint pericula cœlibatus, manifesta sint offendicula, quæ præbẽt impuri sacerdotes, omnimo d futurum speramus, ut hi qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent, non pergant hanc de Coniugio sacerdotum constitutionem seueriter tueri, & propugnare, sed clementer interpretari. e Sic enim fiet, ut & minora, & pauciora sint in Ecclesia offendicula, & multorum optimorum uirorum cõscientijs succurratur. Speramus etiam futurum, ut optimi quiq; Episcopi, & principes permittant ijs, qui ab adulteris suis coniugibus legitimo diuortio separati sunt, ea contrahendi iterum in Domino coniugij libertate uti, f quam concessit eis filius Dei Dominus noster Iesus Christus Matthæi quinto, & & decimonono.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc omnino negamus, sed sunt apertissima cõtra hæc omnia testimonia in Clemente ipso discipulo, & successore Petri: Epistola 2. est apertum cœlibatus testimonium, quòd si post ordinationem, inquit, ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile uxoris, sacrarij non intret limina, &c. idem etiam in pluribus alijs illorum tẽporum pontificibus ostenditur.

b Votũ facere de re Deo grata nec est contra fidem, nec sine uerbo, ideo nec humana superstitio. Vouete, inquit Psalmus, & reddite Domino Deo uestro, &c. Esa. Vota uouent Domino, & soluent, exẽpla sunt multa sanctorũ Patrum de gratissimis Deo uotis. Iacob uouit decimas, Dauid templi ædificationem, castitas uerò, & cœlibatus, atq; uirginitas quàm sint Deo grata Paulus ostẽdit, qui matrimonio, inquit, iungit uirginẽ suam, bene facit, qui non iungit, meliùs facit. Et rursus: dico autem non nuptis, & uiduis, bonum est illis si sic permãserint, sicut & ego: quod si non se continent, nubant, de niq; ipsum uotum probat, quum, ut superiùs uidimus, damnat eas, quæ primam fidẽ irritã fecerũt, quare miramur si possunt prudẽtes, & honesti uerba hæc uestra sustinere.

c Si castitatem cõiugalem uoueat uerum est, si uerò omnimodam continentiã à contactu fœminæ, quis non uideat falsum esse? imò quis non uideat hæc dicere esse nolle intelligere, nec ut alij intelligant.

d Quod hoc speretis nõ reprehendimus, quandoquidem uobis fortè hoc utilius uidetur, nec negamus Ecclesiam posse in futurum hanc constitutionem aut mutare, uel parum laxare, sed Ecclesiam præuenisse, & propria auctoritate fregisse uota, & damnare quod sanctissimum semper iudicatum est, & contra legem Ecclesiæ fecisse, quis nõ reprehendet, & quis non inuerecundiæ arguet post tantã temeritatẽ, & posteaquam debacchati estis in sanctos pontifices, nunc tam comptis uerbis clementiam sperare ab ijs, q sedẽt ad gubernacula Ecclesię, quos opere reijcitis, & contẽnitis: amici hęc est uia mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum.

e Certè & in contrarium, nõ pauca offendicula, & pericula inuenientur, si omnibus ministris concedatur matrimonium, maximè cùm multi uestrum uelint curam administrationis rerum temporalium ab ijs auferri, quæ certè minor est, quàm onera matrimonij, quare nos hoc dicimus egere examinatione diligenti uniuersalis Ecclesiæ.

f Hanc illi non solùm non concesit, sed abstulit omnino, nam omissis alijs uerbis Euangelistarum Lucas sic apertè dicit cap. 16. Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à uiro duxerit mœchatur, uide quæ in catholica assertione allata sunt.

DE CONIVGIO. CATHOLICA.

Confitetur uera, et catholica fides, Coniugium inter Christianos non solùm officium esse naturæ, & genus uitæ politicæ, atq; ciuilis, & mysterium quoddam, ut Paulus dicit, ad Christi, & Ecclesiæ coniunctionem pertinere: sed propriè, & uerè legis nouæ Sacramentum uisibile, scilicet signum gratiæ Dei in eo operantis per naturalem quidem uoluntatem contrahentium, sed supra omnem naturam inseparabile uinculum, & ad id seruandum, rectéq; eo utendum conferentis auxilium. itaq; non inter res præsentis seculi, & tẽporales tãtum coniugiũ est censendũ, ut alij legitimi humani contractus, sed est etiã gratiæ Christi instrumentum, prærequirens quidem, quæ legitimè humani cõtractus sunt, atq; ideo fatemur, in eo Reipub. humanæ, leges plurimum posse, plus Ecclesiasticas omnes: tamen hæ leges sub illa prima naturali in prima creatione indita, & sub Euangelica eã reformante, cũ dicit, quod Deus coniunxit, &c. & Apostolicis literis ampliùs explicata, ita sunt constitutæ, ut contra has nihil illæ possint: sed præter eas nonnihil, quantum scilicet illis consonat, & saluti hominum expedit. Docet igitur catholica fides, quòd in coniugio, cuius ordinatio maximè ad Ecclesiæ gubernationẽ pertinet, multa mutari, addi, uel tolli possunt

per Ecclesiam, prout moribus, & tẽporibus magis uidebitur expedire, unde olim multò restrictior fuit facultas contrahendi inter consanguineos, & affines, nec desunt, quibus uideatur remittenda esse multa ex rigore præsenti, qui pro culdubio minor est, quàm antiquæ Ecclesiæ: sed in ijs omnibus nouerunt obedientes filij, & qui modestè sapientes sunt, expectandum esse iudicium Ecclesiæ, apud quam cùm requisiti fuerint, & nonnunquam anteà, licet modestè sensum suum proferre, nunquam tamen passim in uulgus obloqui, aut reprehendere leges maiorum. Inter hæc igitur est, quod de matrimonio à iuuenibus sine parentum consensu contracto dicitur: similiter & de clandestino, in quibus olim Ecclesia districtiorem seruauit regulam, ab Apostolis scilicet receptam: sed quia ad regimen pertinebat populi, mutata deinde fuit, ut uidelicet infirmitati, & saluti prospiceretur iuuentutis, & nonnunquam uerecundiæ. Itaq; considerans Ecclesia, quòd in his, quæ ad corpus pertinent, & propagationem naturæ, ipsum etiam ius naturæ, non uult filios omnino parentum uoluntati subiectos esse, maximè si durior fuerit, considerans etiam nec animarum saluti conducere, ut nimium contra ingenium, & naturalem propensionem, uel supra ætatem ad continentiã coganiur, & multa alia, quæ huius sunt considerationis cõdescendit, ut si cõtraxerint inscijs parentibus filij, non rescindatur contractus, atque idem in clandestino matrimonio. Sed docemus peccare filios, qui in hoc iustæ, & honestæ uoluntati non obediunt, sicut qui clandestinè contrahunt, nec tamen propterea rescinditur contractus, quia iudicat Ecclesia sic melius consuli honestati, & famæ mulierum. Verum est in utraq; parte non deesse incõuenientia, quare nõ facilè est inter ea iudicandum. Coniugium prætereà sicut omnibus Laicis, & Clericis, quantum est ex Diuino iure, liberũ est, ita eodem modo nulli est necessarium, sed omnibus sub consilio proponitur continentia, dicente Paulo: De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autẽ do. Quare Ecclesia spiritu Christi, ex traditione procul dubio Apostolorum, ad maiores ordines non admittit, quibus coniugium placet, quiq; omnimodam continentiam non uouent. Neq; Paulus iuxta saniorem sensum Patrum coniugium, multò uerò minùs usum eius probat in Episcopo, sed tantum digamiam damnat, coniugium uerò damnare tanquam rem de se illicitam, ad doctrinas Dæmoniorum meritò dicit pertinere. Sed q, ipsum matrimonium, & usus eius minùs conueniat ijs, qui spiritualibus lectionibus, & orationibus semper debent uacare, aut quàm minimè fieri potest, ab eorum intentione auerti, atque ad Sacramenta tractanda & administranda semper esse parati, satis ipse ostendit primæ ad Corint. septimo: Qui cũ uxore, inquit, est, solicitus est, quæ mundi sunt, &c. Et mulier innupta et uirgo cogitat, quæ Domini sunt, etc. quapotißimùm ratione lex cœlibatus cõstituta est ab Ecclesia, ex traditione Apostolorum, ut dictum est, non quòd coniugium damnet, aut laqueum inijciat animabus, sed ut ad id, quod honestũ est, & facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi, ut Paulus inquit, suos præcipuè ministros exhortetur. Nec ullis antiquæ Ecclesiæ exemplis ostendi potest, usum matrimonij concessum esse Episcopis, & sacerdotibus, multò uerò minùs, quòd licuerit post hos ordines inire Cõiugium, sed sunt manifesta in contrarium argumenta. Fatemur tamen hæc non ex ipso iure Diuino, sed consuetudine, & cõsensu Ecclesiæ esse. Quare non mirum si uel alicubi, uel aliquando aut usurpatum, aut permissum fuerit. Votum autem castitatis, quod Prophetæ & Christus probant, Apostoli docuerunt, & tota Ecclesia semper in precio habuit, humana superstitione sine auctoritate uerbi, & contra fidem suscipi, asserre, magis repugnat sanæ fidei, quàm Iouiniani error. Et mirandum est, quòd Christianus sensus uotum castitatis reijciat, quod etiam Ethnici summopere probarunt. Nec negamus in Coniugio suam esse castitatem, non tamen propterea, quia omnimodam castitatem uouent licitè Coniugium inire possunt, uel in ipso eam seruare, ut constantißimè omnium Patrum habet doctrina. At uerò sicut proponere ecclesiæ imbecillitatem humanæ naturæ, & cõsuetudinis uim, nostrorumq; temporum pericula, & offendicula, quæ præbẽt impuri sacerdotes, ut ijs remedia adhibeãtur, ea ratione, qua ipsi Ecclesiæ in timore Dei diligenter omnia expendenti uidebitur, eiusq; expectare iudicium, ut modestum, & sanum est: ita præsumptuosum nimis propriam sententiam mordicus in re tam dubia tenere: importuniß. uerò, ac ab omni modestia alienißimum tam petulantes de ijs definitiones in uulgi aures infundere. His uerò, qui ab adulteris Cõiugibus legitimo diuortio separantur, Christus nũquam libertatẽ aliud contrahendi concessit, imò omnem apertè ademit, sicut Augustinus ex Euangelij, & Apostoli uerbis, in libro de adulterinis Coniugijs euincit, quòd si aliquando, aut à quibusdam hoc in dubiũ fuerit uersum, aut contrarium etiam ut uerius habitum, hoc tamen iam ita certa definitione Ecclesiæ firmatum est, ut de eo nulli catholico liceat dubitare. Cuius testes sint nobis, primus, Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, ubi & consuetudinis Romanæ Ecclesiæ perhibet testimoniũ, deinde Innocẽtius primus in Epistola ad Exsuperiũ Tolosanũ Episcopũ, deniq; conciliũ Mileuitanum, cui etiã Augustinus interfuit cap. 17:

DE EXTREMA VNCTIONE.
VVIRTENBERG.

FAtemur

FAtemur Apostolos unxisse ægrotos oleo, qui & corporalem sanitatẽ consecuti sunt. Fatemur etiam Epistolam, quæ inscribitur Iacobo, iubere presbyteros Ecclesiæ ad ægrotos uocari, ut ungãt eos oleo, & orent pro ipsis ad consequendã sanitatem. Sed hæc tum utiliter exercebantur, cùm ministri ecclesiæ adhuc a *ornati erant dono, ægrotos corporaliter, & admirabiliter, sanandi. Postquàm autem hoc donum confirmato Euangelio in Ecclesia desijt, res ipsa testatur hãc unctionis cærimoniam* b *ociosè nunc, & inutiliter usurpari. Qui enim nunc unguntur, non solent ex hac unctione corporalem sanitatem consequi, imò hæc unctio non solet adhiberi, nisi his, de* c *quorum corporali uita desperatum est.* d *Nec extat ullum uerbum Dei, quod promittat, diuulgato Euangelio Christi, externam unctionem ualere ad delenda peccata, & ad conferendam spiritualem, ac cœlestem sanitatem.* e *Nihilominus tamen officium exigit, ut ministri Ecclesiæ ægrotos uisitent, ac orent unà cum Ecclesia pro salute eorum, & consolentur ipsos tam prædicatione Euangelij, quàm dispensatione Cœnæ Dominicæ. Hæc est uerè pia unctio, qua Spiritus sanctus efficax est in credentibus.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Primo non tantùm ad corporalem sanitatem, sed ad leuamen etiam, & consolationem animæ, & remissionem peccatorũ Iacob. dicit ungendos infirmos, deinde nec tempore Apostolorũ omnes presbyteri donum sanitatis habebant, & tamen Iacobus de omnibus presbyteris loquitur, magis itaque munus ipsum sacerdotale, quàm miraculà sanitatis respicit, nec tamẽ dubitamus multos infirmos hoc beneficio liberari, quum ita uidelicet Diuinæ misericordiæ placet, si non aperto miraculo, saltem Diuinæ prouidentiæ ordine.

b Imò res ipsa pijs ostendit, magno fructu, & utilitate eam tradi, multi conualuerunt corpore, multi animo susceptа unctione, & quis nisi impius non agnoscat orationes Ecclesiæ, eius nomine ad Deum fusas, & lectiones sacras, & sacri olei unctionem, quæ in hoc officio adhibentur, non esse & apud Deum utiles, & infirmis ipsis consolatorias.

c Vera Ecclesiæ regula hoc non habet, ut solũ inungãtur, de quorũ uita desperatur, sed omnes etiam, quibus probabiliter timetur imminere mortem.

d Iacobus ipse apertè hoc dicit, cuius epistola canonica habetur in Ecclesia, nec est in ea, unde colligi possit uerba illa referenda tantùm ad tempus ante diuulgationem Euangelij, sed Ecclesia ad totum tempus retulit, ut testimonijs fide dignis, & in assertione catholica probamus.

e Fatemur hæc esse agenda; sed non propterea omittẽdum, quod Iacobus docet, & catholica Ecclesiá probat, ubi uos in omni charitate admonemus, ut cõsideretis, quod Apostoli multa eorum, quæ docuerunt, nõ scripserunt, ne uidelicet irrisioni paterent infidelium, ut Dionysius cap. 1. Ecclesiasticę Hierarch. dicit, unde & Paulus ad traditiones nos mittit, & nõ ad scripta solùm, quod maximè in Sacramentis euenisse constat, quorum cognitio nec ad historiã pertinet, nec omnibus passim erat necessaria, sed Põtificibus, & ministris. Re uera enim de Sacramentis rectè sentire non possumus, nisi consensum Ecclesiæ audiamus, meritò itaque Lucius tertius omnes, qui de Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, perpetuò anathemate dãnauit, quod dignum est, ut uobis timeatis, si ulla est Ecclesiæ auctoritas excommunicandi, si ullus ordo, si ulla ratio disciplinæ, si deniq; in subditis ullus honestatis, & modestiæ sensus.

DE EXTREMA VNCTIONE. CATHOLICA.

CRedit catholica fides infirmos, quibus periculum mortis imminet, & exemplo Apostolorum Christi, & Iacobi manifesto uerbo ungendos esse sacro oleo, cum oratione, uerbiq; ab Ecclesia ad id ordinatis, à sacerdotibus iuxta apertissima Iacobi de ea re uerba, quibus sensus Ecclesiæ consentit, cuius testis est Innocentius primus in Epistola ad Decentium, & Eulibimum Episcopum cap. octauo: Vbi Sacramentum hoc esse apertè dicit. Chrysostomus etiam tertio libro de sacerdotio eandem auctoritatem Iacobi ita intelligit, ut illis precibus sacerdotum peccata remittantur. Deniq; & Beda in ipsum locum Iacobi, & Marci 6. idem asserit ex consuetudine Ecclesiæ, & auctoritate Innocentij. Hæc igitur unctio & si in principio Ecclesiæ corporale miraculum sanitatis frequenter coniunctum haberet, quod iam in Ecclesia cessauit, non tamẽ propterea ociosè iam agi dici potest, quandoquidem alios, & quidem utiliores effectus Iacobus illi tribuit: Oratio, inquiẽs, fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est dimittentur ei. Nõ igitur hæc duo tam necessaria ultimæ infirmitati consolatio scilicet & corroboratio, contra infirmitatis ultimæ imbecillitatem, & imminentis mortis, iudicijq; Diuini timorẽ, & reliquiarum peccati ultima remissio omittenda sunt, etiamsi sanitas corporalis non sequatur. Quamuis & hanc frequenter experiantur pij, restitui si non manifesto miraculo, certè Diuinæ prouidentiæ opere, cùm id magis saluti piorum expedit.

DE INVOCATIONE SANCTORVM. VVIRTENBERG.

NOn est dubium quin memoria eorum Sancto

rum, qui cùm essent in hac corporali uita, Ecclesiam uel doctrina, uel scriptis, uel miraculis, uel exemplis iuuerunt, & siue martyrio testificati sunt ueritatem Euangelij, siue tranquillo mortis genere in Christo obdormierunt, debeat apud omnes pios sacrosancta esse: & commendandi sint Ecclesiæ, ut doctrina, & exemplis ipsorum in uera fide confirmemur, & ad sectandam ueram pietatem a inflammemur. Fatemur etiam q, sancti in b cœlis suo quodam modo pro nobis coram Deo orẽt, c sicut & Angeli pro nobis sunt solliciti, & d omnes creaturæ pro salute nostra cœlesti quodam modo ingemiscunt, & nobiscũ, quemadmodum Paulus loquitur, parturiunt. Sed sicut ex gemitu reliquarum creaturarum nõ est instituendus cultus e inuocandi eas, ita ex oratione sanctorum in cœlis non est approbandus cultus inuocandi sanctos, de his enim inuocãdis nullum f extat in sacris literis uel mandatum, uel exemplum. Cùm enim omnis spes salutis nostræ collocanda sit non in sanctis: g sed in solo Domino Deo nostro per filium eius Iesum Christum, manifestum est, quòd non sancti, sed solus Deus sit inuocandus. h Quomodo inuocabunt, inquit Paulus, in quem non credunt? Non est autem in sanctos credendum, quomodo ergo essent inuocandi? Et cùm necesse sit, ut qui inuocatur, i sit scrutator cordis, non debẽt sancti inuocari, quia non sunt cordis scrutatores. Epiphanius contra Collyridianos. Re uera sanctum erat corpus Mariæ, non k tamen Deus, re uera uirgo erat, ipsa uirgo, & honorata, non autem proposita est ad

SCHOLIA CATHOLICA.

a Verum est, honorandi sunt sancti, & in exemplum, & confirmationẽ fidei sumendi, uerùm non solùm, sed etiam in patronos, & aduocatos apud Deum adhibendi, ut in assertione catholica confirmamus.

b Cur non proprio, & perfecto modo, sicut cum hic essent, si enim uiuentes orabãt, & orationibus apud Deum tanta poterant, nunc mutire non poterunt, (ut Hieron. inquit con. Vigilantium) ante Deum?

c Propria est hæc similitudo. Angeli etiã orant propriè pro nobis ut in assertione catholica ex 1. cap. Zacha. habes, & Tobiæ 12. Raphael inquit, ego obtuli orationem tuã ante Dominum, quod quid aliud est, quàm sua illam commendasse.

d Hoc longè est ab alijs, Paulus non dicit modò cœlestes ingemiscere creaturas, sed re uera terrestres, nam illa metaphora continuam mutationem creaturarum significat, qua seruiunt magis corpori nostro corruptibili, & hac ratione etiã animæ, quàm aliquid ad cœlestem pertinẽs beatitudinẽ.

e Vide diuersam similitudinem, quomodo inuocandæ insensibiles creaturæ, & expertes honoris sint & ueræ honestatis: sancti apud Deum uiuentes illi familiares, & grati quare non inuocandi? nisi dicatis eos non magis agnoscere nostra, quàm arbores, aut elementa ipsa, sed hoc alienum est ab omni catholico sensu, Hiero. contra Vigilantiũ, nec uult quidem mortuos eos appellari, sed dormientes, & uerè uiuentes apud Deum, Nam si ratio ista quidquam probaret, eodem modo contra uos ipsos dicere mus, sicut creaturæ insensibiles nõ sunt honorandæ, ita nec sancti.

f Extat uniuersalis Ecclesiæ consensus, & exempla quidem in sacris literis habemus orantium uiuentium pro alijs, in socru Simonis, & paralytico ab alijs deportato Lucæ 4. & 5. ubi uide Bedam, & Ambrosiũ, habemus etiam exempla Abrahæ, & Iob, & aliorum multorum, nec quidquam detrahitur sanctis per mortem, sed potius confirmatur plurimum orandi facultas.

g Solo, inquam, sed non solitario, nulli fidimus quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs, qui ab eo uirtutem cooperandi salutem nostram habent, quo multum tribuimus Deo, & Christo, ut scilicet per infima sua membra operetur etiam nõnunquam maiora, quàm per se.

h Certum est Paulum de inuocatione, in qua salus quæritur ab eius uirtute, qui inuocatur, loqui: præcesit illud, omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: ubi nomen, uirtutem, & auctoritatem, significat, ut alibi ipse inquit, nũquid Paulus pro uobis mortuus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? non igitur inuocamus nomen Petri, aut Pauli, sed in eis, & per eos nomen Domini, sicut non ipsos, sed Christum in eis adoramus, ut inquit Hier. contra Vigilantium.

i Satis est, ut qui inuocatur agnoscat cor diuina uirtute, etiamsi sua nõ sit scrutator. Helizeus non erat scrutator cordium, sed dicit Giezi. 4. Reg. 3. Nonne cor meũ in præsenti erat quando homo, &c. nouit enim absentia: non erat scrutator cordium Samuel, & tamen dicit Saul, omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi, 2. Regum 9. & multi sanctorum in hac uita mira uirtute agnoscendorum cordium claruerunt. Scribit Athanasius in uita B. Anthonij tãtam in hoc consequutum fuisse Dei gratiam, ut si alicuius rei ignarus esset, mox oranti reuelaretur illi à Deo: quid igitur dubitamus de beatis, ut Hiero. inquit contra Vigilantium, ut habes in assertione catholica.

k Quis Deum dicit corpus uirginis, aut sanctum aliquem, quis dixit unquam corpùs Mariæ adorandum, & ut uerbis Hiero. ad Vigilantium dicam, quis enim aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit esse Deum? hæc itaq; non est opus ut nobis dicantur, qui sanctis non honores Diuinos, nec quidquam propriũ Dei eis tribuimus, sed agnoscimus diuina in ipsis. Collyridiani, quæ est 79. hæresis apud Epiphanium, sacrificabant B. Marię. sacrificium uerò unum est eorum, quæ soli Deo debita sunt.

adorationem,

adorationem, sed ipsa adorans eum, qui carne genitus est ex ea. August. de uera religione capite ultimo. Non sit nobis religio cultus hominũ mortuorum, quia si piè uixerint, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli uolunt, quo illa mante lætantur meriti sui nos esse conseruos. a Honorandi ergo sunt propter imitationem, nõ adorandi propter Religionem. Et iterum ibidem: Honoramus eos charitate, nõ seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nosipsos cùm boni sumus templum summi Dei esse nouerunt. Ac rursus de Ciuita. Dei lib. 8. cap. 27. Nec tamẽ nos ipsi dẽ martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quum non ipsi, sed Deus eorum, nobis est b Deus, &c. Martyribus nostris neq; sacerdotes instituimus, neq; offerimus sacrificia. Ambros. ad Roman. cap. 1. Solent misera uti c excusatione dicẽtes: per istos posse iri ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age nũ quid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis uendicet comiti? &c. Et mox: isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deserunt creaturæ, & d relicto Domino conseruos adorant. At enim non adoramus, inquiunt, sanctos, sed tantùm petimus orationibus eorum apud Deum iuuari. Sic autẽ petere quemadmodum cultus Litaniarum ostendit, & uulgo usitatum est, nihil aliud est, quàm e inuocare, & adorare Sanctos. Talis enim petitio exigit, ut is, qui rogatur sit f ubique præsens, & exaudiat petitionem. Hæc autem maiestas soli Deo cõpetit, et si tribuitur creaturæ, creatura adoratur. g Fingũt quidã sanctos uidere in uerbo Dei, quæ Deus permittit, & quæ nobis utilia uidẽtur. Quod etsi Diuinæ maiestati nõ est impossibile, tamẽ Esaias manifestè affirmat, Abrahã

SCHOLIA CATHOLICA.

a Eo loco Aug. apertè idolloatras reijcit, est. n. ultimũ caput illius libri, ubi oĩa colligens inquit: nõ sit nobis religio cultus mortuorũ hominum, & postea: nõ sit nobis religio cultus Dęmonum, nõ terrarum cultus, & aquarũ, non aeris, non corporũ æthereorum, non arborũ, nõ animę rationalis, itaq; satis patet cõtra quos loquatur Aug. ubi dicit non esse adorandos homines, apertè explicans, sicut Deũ, nõ construẽda eis tẽpla, ut hîc habes, quia hoc est propriũ Dei, orandos uerò, ut patroni sint, & aduocati, nõ negat, imò in fine illius capitis, & libri, unum, inquit, colo Deũ, unum omniũ principiũ, quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire in illo, me exaudit, quisqs ipsum habet bonũ suum, in ipso me adiuuat, uide itaque apertè & exaudiri, & adiuuari nos à sanctis, & quod dixit quasi sub dubio, qui sentire potest, nõ aliud significat, q̃ quo nouerit certam, & uniuersalẽ regulam huius dare, agnoscunt quidem frequenter sanctorum preces nostras, quod ex miraculis, uel alijs Diuinis testimonijs ostenditur, aut ex motibus ipsis animorum nostrorum, quos credimus sæpe à Deo moueri ad inuocandos sanctos, qui motus non est credendus frustrà esse, ut in libro de cura pro mortuis gerenda Paulinus inquit, & confirmat Augu. de orationibus pro defunctis.

b Augu. in eo loco, & plurimis alijs eiusdem operis hoc agit, ut nullus honor Deo proprius sanctis tribuatur, quidquid uerò post hoc est docet tribuẽdum martyribus, uide 10. cap. 22. libri, Nobis, inquit, martyres non sunt Dij, non templa sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum uiuus est Spiritus, fabricamus, ita altaria, & sacrificia non eis, sed Deo in eorum nomine, erigi, & offerri dicit.

c Hæc Ambr. dicit in eos, de quibus Paulus dixerat, quòd quum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, usq; ad illud: putantes se esse sapientes, stulti facti sunt, quorsum ergo contra catholicæ Ecclesiæ consensum in sanctis inuocãdis hoc adducitur?

e Iam sæpe dictum est, nos non adoramus sanctos, deinde Ambr. explicatiùs dixit, relicto Domino conseruos adorãt, nos uerò in illis adoramus Dominum, ut ex Hieron. contra Vigilant. superiùs adduximus, deinde apertè ipse Ambr. ostendit, adoratione cultum Deo proprium, & maximum se intelligere, statim enim post illa uerba: conseruos adorant, addit quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo: nos uerò tantùm oramus sanctos, ut orent pro nobis, quod etiam à peccatoribus petímus, Deo uerò dicimus: salua nos, & miserere nobis.

e Adorare, si bene expendatur, non aliud est, quàm externa corporis reuerentia testari quòd in animo agnoscamus Deum esse, quem sic honoramus: non enim certus aliquis motus est corporis, qui sit adoratio Deo debita, Vnde in scriptura legimus quòd Nathan adorauit Dauid, & similia, ubi adorationis nomine reuerentiã, sed non diuinam significauit scriptura, ex motu igitur animi magis fit adoratio, quàm corpore, at nos nihil facimus in reuerentiam sanctorum, ut testemur illos esse Deos, neq; inuocamus, nisi ut intercessores: orate pro nobis.

f Ita fatetur Hiero. contra Vigilant. ut citauimus in catholica doctrina, si agnus, inquit, ubiq; est, ergo & ij, qui cum agno sunt ubiq; esse credendi sunt, sed neq; hoc asseri mus neq; hoc dicentes aliud intelligimus, quàm quòd non sua, sed diuina uirtute, & operatione facilè sit sanctis nostras orationes uidere.

g Nihil fingimus, sed hoc tantùm dicimus, non esse difficilè, neq; certè mirandũ, quòd beatis Deus abscondita reuelet, quæ Prophetis sæpe legimus reuelata.

neſcire nos, & Iſraelem ignorare nos, ubi [a] *gloſſa ordinaria citat Auguſt. dicentem, quòd mortui, etiam ſancti, neſciant quid agant uiui, &c. Nam quòd ueteres ſcriptores uertunt ſe aliquoties precibus ſuis ad ſanctos, iſti aut uulgi errore, ſine exacto iudicio,* [b] *ſimpliciter ſecuti ſunt, aut uſi ſunt tali forma loquendi, non ut cultu theologico, ſed ut figura Grammatica, quam* [c] *proſopopœiam uocant, qua homines pij & diſerti non ſignificant ſe colere, & inuocare ſanctos, ſed exprimere inenarrabilem illum gemitum ſanctorum, & omnium creaturarum pro noſtra ſalute: & ſignificant pias preces, quas* [d] *ſancti in hoc ſeculo è ſpiritu ſancto corã Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei ſonare, ſicut & ſanguis Abel poſt mortem eius coram Deo adhuc uociferabatur. Et in Apocalypſi clamant animæ ſanctorũ interfectorum, ut ſanguis ipſorum uindicetur, non quòd iam in Domino quieſcentes, cupidi ſint uindictæ pro humano more, ſed quòd Dominus etiam poſt mortem ipſorum memor ſit precum, quas dum adhuc in hac terra uiuerent pro ſua, & totius Eccleſiæ liberatione effuderunt. Epiphanius contra Aerium. Etſi & ipſe* [e] *nonnunquàm hæret in communi errore, tamen perſpicuè docet, ſanctorum mentionem in Eccleſia fieri, non ut inuocentur, ſed potiùs ut non* [f] *inuocẽtur, nec Chriſto in honore æquentur. Mentionẽ, inquit, facimus iuſtorum Patrum, Patriarcharũ, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Epiſcoporum, & Anachoretarum, ac totius agminis, ut Dominum Ieſum Chriſtum ſeparemus ab hominum agmine, per honorem, quem ipſi exhibemus, & ut præſtemus ei cultum, quo ſentire nos ſignificemus, quòd Dominus non ſit æquandus ulli hominum, etiamſi unuſquiſq; eorum millies, aut ultra, in iuſticia exiſtat.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Gloſſa ordinaria nihil habet Auguſt. niſi uos plura habeatis, quàm nos, deinde ſatis conſtat, quàm alius ſit ſenſus illius loci ex toto contextu. Hieronymus interpretatur quòd ſancti non agnoſcunt peccatores, ut filios, nec pro eis orant, uel certè quia prius dicitur: Pater noſter es tu, Abraham neſciuit nos, hoc uidetur ſignificare, quòd illi quanquam Patres fuerint populi, id tamen non ſua ſapientia, ſed diuina factum eſſe, cùm illi neq; ipſos poſt futuros potuerunt agnoſcere dum uiuerent, non dicit in præſenti, neſcit, aut ignorat, ſed neſciuit, aut ignorauit, in præteritò.

b Ita Vigilantius imponebat catholicis, quòd cum mulierculis ſuperſtitioſiùs baſilicas martyrum reuererentur, unde Hiero. inquit illi: Rides forſitã, & mulierculârum deliramenta ſubſannas, & reſpondet, ego non erubeſco earum fidem, ſed heus amice, non eſt uulgi error, ſed conſenſus Eccleſiæ, ut fide dignis teſtibus in catholica aſſertione docemus.

c Itaq; inſenſatos eos facitis, & Patres præſentes eos reputant ſuis precibus, iam uidimus ſuperiùs, quantum inter preces ſanctorum, & gemitum creaturarum interſit.

d Non ſolùm in hoc ſeculo, ſed tum etiã effundunt multò gratiùs, ut in aſſertione catholica ex Hier. habes.

e Bene agnoſcitis Epiphanium contrariũ uobis, nec uos latere poſſunt, quæ eo loco dicit de auctoritate conſenſus Eccleſiæ, quę adduximus in aſſertione catholica, de defunctorum memoria.

f Nõ inquit Epipha. ut nõ inuocẽtur, ſed ut Chriſto in honore nõ æquẽtur: nõ æquãtur uerò ut ſuprà dictũ eſt, quãdo inuocantur ut interceſſores, nõ ut ſaluatores. Quare ut iam hoc ultimo loco non omittamus, cũ inter Chriſtianos omnes tam conſtans ſit ſanctos, nec Deos, nec Deo, aut Chriſto æquales ulla ratione eſſe, & certum ſit, nullo opere, aut uerbo contrarium Chriſtianos profiteri, non eſt cur tanto zelo contra hũc errorem accendamini, quem nec ſuſpicari quidem prudens poteſt. In cultu enim ſanctorum, poſtquàm in Eccleſia tam certo cõſtat eorum differentia, adeò prudentiores magis putant, quædam aut toleranda, aut interpretanda modeſtiùs, quàm reprehendenda. Hieron. contra Vigilant. clamãtem, quòd cereas clara luce accenderent ad reliquias martyrum gentili ſuperſtitione, reſpondet inter cætera: quòd ſi alicui propter imperitiam, & ſeculariũ hominum ſimplicitatem, religioſarum fœminarum, de quibus uerè poſſumus dicere, confiteor quòd zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiã, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Vbi adducto exemplo mulieris ungentis Chriſtum, & Apoſtolorum murmurantium, tandem inquit: nec enim Chriſtus indigebat unguento, nec martyres lumine cerearum, & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur. Hæc eſt Patrum Eccleſiæ modeſtia, hæc pietas piorum filiorum, & non irreuerentis Cham irriſio.

DE INVOCATIONE SANCTORVM. CATHOLICA.

SAnctos, qui aut gloriosa morte pro fide ſuſcepta, aut puritate uitæ, aut deniq; miraculis Eccleſiæ commendati ſunt, honorandos eſſe, & laudãdos in Eccleſia, nõ quidem cultu, & laudibus Diuinis, non tanquam Deos, ſed proximo gradu, tanquam Dei amicos & filios, uera fides agnoſcit, & ſcripturæ Sacræ teſtimonijs, & conſenſu Eccleſiæ, in quo & Deo ipſi gratum præſtamus obſequium, & nos non tantùm ad imitandos eos prouocamus, ſed etiam plurimum conſequimur auxilij, & gratiæ diuinæ eorũ patrocinio. Quare orare ipſos pro nobis propriè quidem & uerè, ſicut

rè, sicut cùm hîc uiuerent, nisi quòd nunc multò instantiùs, & ardentiùs, agnoscit uera fides, ut contra Vigilantium eumcit Hieronymus: ita ut sanctorum orationes nullo modo gemitibus creaturarum pro salute nostra, quos secundum metaphoram Paulus dixit, sint cõparandæ, plus quàm irrationabiles, & insensibiles creaturæ conferendæ sunt ijs, qui beatißimè, & felicißimè secundum rationem utuunt. Illæ itaque neque coli, neque inuocari possint, in quibus neque sensus, neque uirtus est. Isti uerò, qui participes effecti sunt Dei, meritò, & inuocandi, & adhibendi sunt intercessores, & mediatores nostri apud Deum, idq; exemplis, & mandatis scripturæ, & uniuersalis Ecclesiæ consuetudine, & apertißima etiam ratione fidei ita tenemus, ut de hoc dubitare non contentiosum solùm, sed inhumanum sit. Sicut igitur nihil aut Deo, aut Christo detrahimus, quum Dei coadiutores, & cooperatores in opere salutis nostræ sanctos credimus, sed plurimum inde commendatur Diuinæ bonitatis largitas, cui ita placet honorare suos, & colligamur magis inter nos homines, erigimurq; ad desiderandã, & participanda Diuina. Ita & per sanctorum inuocationem nihil detrahimus illi salutis nostræ spei, quæ in solo Deo tanquam primo auctore, per filium eius Iesum Christum, tanquã unum sufficientem mediatorem, sita est, cùm Sancti non nisi sub Christo, & uirtute eius possint pro nobis intercedere. Nec igitur in illos credimus, sed in solum Deum, sicut nec templa illis dedicamus, nec sacrificia offerimus, sed uni Deo. Neque scrutatores cordis cogitamus ipsos, sed tantùm amicos Dei, familiares Deo & ipsi præsentes, cui uni fidimus, quòd eis, ut pro nobis orent, inspiret, & ostendat etiam pia nostra desiderio, & supplices subditosq; ipsis propter Deũ animos manifestet. Damascenus libro quarto Orthodoxæ fidei, cap. 16. Honorare decet Sanctos, ut amicos Christi, ut filios, & hæredes Dei. Vbi postquàm amicos Dei, & hæredes eos probat esse, ita inquit: Si Rex regnantium, & Dominus dominantium, & Deus Deorum, conditor omnium, & Dominus dicitur, omnino & sancti Dij, & dommi, & reges. Et deinde: Quomodo igitur non honorandi sunt, qui cultores, & amici, & filij Dei existunt? nam honor erga gratos, & benignos conseruos beneuolentiæ erga communem dominum indicium est. Cyprianus serm. de nece Innocentum. Euigilarunt sensus, quos sopor infantiæ opprimebat, & post multa in eam sententiam, ita ut in ordine sanctorum pro martyres primum habeant locum, & secretorum conscij diuinorum, propinquitate familiarißima perclementiam Dei, pro nostris exorant laboribus, &c. Facti sunt superni capitolij senatores, & iudices, nonnullis ueniam obtinentes in meritis. Hieronymus contra Vigilantium. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quantò magis post coronas, uictorias, & triumphos? Vbi adductis exemplis orationum sanctorum, tandem ad Paulum ueniens inquit: Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex animas dicit sibi in mari condonatas, & postquàm resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est? & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Et quòd pro nobis orant sancti, præterlocum 2. Machabæor. 15. Hic est, qui multũ orat pro populo Dei, &c. est etiam aperta auctoritas Zach. 1. Et respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituum usquequo tu non miserebaris Hierusalem, & urbium Iuda, &c. Nobis uerò promittitur à Christo, quòd in cœlo similes erimus Angelis. Orabunt igitur sancti, sicut & Angeli. Et rursum ibidem dicit Vigilantio: Ait, uel sinu Abrahæ, uel in loco refrigerij, uel subter arã Dei animas Apostolorum, & Martyrum consedisse, ubi post multa in irrisionem eius dicta ait: tu Deo leges ponis? tu Apostolis uincula inijcies, ut usque ad diem iudicij teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: sequuntur agnum quocunque ierit: si agnus ubique, ergo qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt? Bernardus in sermon. uigiliæ Apostolorum. Oremus ergo eos, ut ipsi nobis propitium reddant amicum suum iudicem nostrum, qui est Deus benedictus in secula. Huic ueritati attestantur orationes totius Ecclesiæ, quæ clamant, sancta Maria, & sancte Petre, &c. Ora pro nobis, cuius consuetudinis magna est antiquitas, & sunt non pauca antiqua concilia eam probantia, & habemus in scriptura, petendas esse orationes piorum. Seruus meus Iob orabit pro uobis, faciem eius suscipiã dicit Dominus, Iob 42. Paulus semper dicit se orare pro alijs, & alios exhortatur, ut pro se orent, ad Colossenses quarto: Orationi instate, orantes simul & pro nobis, &c. Iam uerò probatum est, statui sanctorum non repugnare, quòd eos ad orandum pro nobis prouocemus. Nec dubium est, hoc ipsum, quod in nobis reprehendunt noui isti confitentes, Vigilantium olim Hieronymi tempore reprehendisse in catholica Ecclesia, quòd uidelicet Martyres adorarent, quòd Diuinos eis exhiberent honores, eò maximè quòd putarent ipsos nostras agnoscere orationes. Vnde eodem modo nos illis respondemus, nouis uidelicet Vigilantijs, quod Hieronymus illis: non illos, sed Deum adoramus, non ipsos ubique præsentes, sed Deo tantùm, eiusq; uultui aßistere credimus, qui cùm ipse ubiq; præsens sit, per eum sunt & sancti. Nec fingimus quidquam, quum nostras orationes, & quæ nobis utilia sunt, eos Dei dispensatione agnoscere asserimus, sed docemus, quod credit Ecclesia, quod mul

tis exemplis scripturæ, & sanctorum patrum etiam de sanctis uiuentibus legimus, & quod Diuinæ bonitati, & omnipotentiæ conuenit. Nec uerum est scriptores ueteres errasse, quum oratione ad sanctos se conuerterent, aut per prosopopœian finxisse personam, cui loquerentur, sed reuera ipsos præsentes suis precibus agnouerunt, & multò uerius ipsis apud Deum uiuentibus, quàm in hoc mundo constitutis loquebantur. Nec præteritas eorum orationes, & merita tantùm apud Deum putarunt efficacia, sed nunc etiam quum apud Deum sunt instantiùs orare, ut Hieronymus contra Vigilantium dixit, ut superiùs habuimus. Hieronymus contra Vigilantium, adducit eius calumniam, primò, quòd diceret contra reliquias sanctorum, quid pulucrem linteamine circundatum adorando oscularis? & ita respondit: Quis enim (ô insanum caput) aliquando Martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum: Vbi adductis exemplis Pauli, & Barnabæ, deinde & Petri prohibentium se adorari, ad temporum suorum exempla se conuertens, quòd Constantinus reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei Constantinopolim trãstulit, & Arcadius Samuelis ossa in Thraciam concurrentibus & Episcopis, & populis, quorum consensum pro magna auctoritate ibi affert, & tandem inquit: Occurrerunt sacris reliquijs, & tanta lætitia, adeò quasi uidentẽ, præsentemq; prophetam cernerent, susceperunt, uidelicet, adorabant Samuelem, & non Christum. Deinde & aliam eius blasphemiam adducens, audes, inquit, dicere, ergo cineres suos amant animæ martyrum, & circumuolant eos, semperq; præsentes sunt, ne fortè si aliquis peccator aduenìat, absentes audire non possint. Vbi hoc tanquã blasphemiam detestatus, ô, inquit, portentum in terras ultimas deportandum, ubi uide quòd & sanctos orare consuetum in Ecclesia fuit, & quòd eos non locis, sed Deo præsentes orationes audire credebant, utrumq; enim Vigilantius blasphemabat, utrumq; probat Hieronymus.

DE MEMORIA DEFVNCTORVM.

VVIRTENBERG.

ET si re ipsa idem sunt sanctus in Christo quiescens, & fidelis defunctus, omnis enim, qui in a fide Christi hac uita defungitur, sanctus est: tamen quia libuit nonnullis discrimen inter hos ponere, uisum est & nobis duo diuersa capita de his adscribere. Ac b primum sentimus piæ mentis esse, maiorum suorum in fide Christi defunctorum honestam mentionem facere, & gratitudinem ijs beneficijs, quæ ab ipsis accepimus debitã: erga posteros, & amicos eorum adhuc superstites, quibus possumus officijs declarare. Deinde c exigit fides, ut sentiamus mortuos non esse nihil, sed uerè coram Deo uiuere, pios quidem in Christo feliciter, impios autem in horribili expectatione reuelationis Diuini iudicij. Exigit etiam charitas, ut d optemus defunctis omnem in Christo tranquillitatẽ & felicitatem. Accedit & hoc, quòd debeamus defunctos e nostros honestæ sepulturæ, quo ad eius fieri potest, & tempus, ac hominum conditiones ferunt, ad testificandam spem resurrectionis nostræ, mandare. Itaque iudicamus utile esse, ut in funeribus ea è sacris literis recitentur, & explicentur, quæ ad corroborandam fidem in horrore mortis, & ad confirmandam spem resurrectionis conducunt. Sed quòd mortui iuuentur usitatis illis uigilijs, precationibus, & sacrificijs, ac meritis horum, aut è pœnis liberentur, aut f maiorem felicitatem in cœ-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Coniuncta charitate uerum est quod dicitis sanctus est, sed non omnino ab omni peccato immunis, ut in assertione catholica probamus.

b Hæc omnia uera quidem, sed Ethnicorũ etiam, & Gentium sunt, quæ ad Christianã pietatem pertinent hîc tradenda erant.

c Hoc fidei est, sed neq; id satis ad eam doctrinam, quæ hîc quæritur: qualiter scilicet iuxta religionem Christianam erga defunctos nos habere debeamus.

d Miror quòd optemus dixerint, quũ iuxta eos omnem in Christo defunctum felicem constat esse. Itaq; dicẽdum erat magis, iuxta hæc exigit charitas, ut cõgratulemur, fœlicitati defunctorum omnium in Christo. Nos catholici, qui semper ob infirmitatẽ humanam & uitiis, & defunctis timemus, optamus eis remissionẽ, uos qui certos uos esse iactatis de uiuorũ, & mortuorũ iusticia, idq; fide tenetis, non est cur optare debeatis tranquillitatẽ uestris in Christo defunctis.

e Et hoc etiam quod plurium fuit Ethnicorum, non tam Christianæ religionis cultus, quàm humanæ pietatis opus est, de cultu itaq; Christiano in sepultura nobis dicite, quod si nõ uultis, Dionysium audite quẽ uos rectè citastis lib. Eccles. Hierar. Is igitur cap. 7. mysterium, quod super ijs, qui sanctè quieuerunt fit referens, lectiones sacras ad confirmãdam resurrectionis fidem fatetur dici, sed addit etiam, quod deinde ueneran dus antistes precem sacram super mortuũ peragit, & deinde precatur oratione illa Diuinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanã admissa peccata defuncto, cumq; in luce statuat, & regione uiuorum, in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco unde aufugit dolor, tristitia, & gemitus.

f Maiorem fœlicitatem non dicimus precibus uiuorum mortuos consequi, sed liberationem celeriorem, testimonia uerò huius adducta sunt in catholica assertione.

lis consequantur, nullum extat testimonium uerae Propheticae, & Apostolicae doctrinae: Vnum [a] *enim tantùm est meritum aeternae uitae, una sola est redemptio, & liberatio nostra, uidelicet Passio, & mors Domini nostri Iesu Christi. Et hoc meritum fit nostrum, cùm credimus in Christum: fit autem à nobis alienum, cùm Euangelio Christi non credimus. Ioan. 5. Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* [b] *Qui credit in eum non condemnatur, qui autem non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Quare si quis ex hac uita in fide Christi* [c] *excesserit, omne habet meritũ Christi, nec indiget alieno. Deus enim, qui donat Filium suum, donat etiam cum eo omnia, ut Paulus ait. Qui autem hinc* [d] *emigrauerit sine Christo, nullis potest hominum meritis iuuari, quia sine Christo nulla est salus. Cyprianus contra Demetri. Tract. 1. Quando istinc excessum fuerit,* [e] *nullus iam locus pœnitentiae est, nullus satisfactionis effectus, hìc uita aut amittitur, aut tenetur, hìc saluti aeternae cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Hieronym. in Epistolam ad Gal. cap. 6. Obscurè licet docemur, per hanc sententiolam nouum dogma, quod latitat, dum in præsenti seculo summus, siue orationibus, siue consilijs posse nos imicem coadiuuari. Cùm* [f] *autẽ ante tribunal Christi uenerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemq; portare onus suum. Nam quòd ex Machabæis citatur, sacrificia pro peccatis mortuorum esse oblata, dubitat auctor ipse libri in fine eius, num rectè scripserit, ac precatur ueniam si cubi errauerit.* [g] *Demus ergo ei ueniam, quòd sine ulla Diuinæ scripturæ auctoritate affirmet, mortuos solui à peccatis sacrificijs, & orationibus uiuorum. Et Tertullianus dicit, oblationes pro defunctis annua die fieri, sed hoc aut receptum fuit sine auctoritate uerbi* [h] *Dei, ex moribus Ethnicorum, sicut multa alia: aut nomine oblationis intelligenda est publica* [i] *commemoratio defunctorum in fide Christi: & gratiarum actio pro beneficijs, quæ Deus in ipsos contulerit.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Fatemur, unum est tantum meritum & una redemptio, passio scilicet Christi, quia prẽter eam nullum meritum aut satisfactio est, sed ab illa, & per illam sunt & merita & satisfactiones omnium, qui post usum rationis iustificantur.

b Fide per charitatem operante constat intelligi.

c Primùm qui ex hac uita in fide, & charitate Christi excesserit, fatemur habere omne meritum Christi, & cum Christo habere omnia, quæ ad salutem uidelicet pertinent: sed non ideo ab omni culpa, & reatu immunis est, nam qui in hac uita omne meritum Christi habẽt, & in illo omnia, si in eius charitate sint, manent tamen obnoxij & culpis, & reatibus, ut in assertione catholica dicimus. Deinde habet quidem omne meritum Christi, qui ab eo iustificatur: sed non omni modè uerum, participat pro suo captu, non quidem plenitudinem, sed gradum aliquem uel meriti, uel satisfactionis, unde diuersitas illa, de qua Christus: In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

d Hoc certissimum fatemur, sed tertium quoddam genus decedentium omittitis, quod in illo priori fatemur esse, sed explicandum fuit, decedunt in Christo alij omni no liberi, alij obnoxij fragilitatis humanæ reatibus, nisi uos probetis, ut sæpe dictũ est, nullum posse decedere nisi omnino purgatum, nam purgari multos à leuioribus illis ipso mortis cruciatu, credit Christiana pietas, de omnibus tamen nulla est ratio, nulla est auctoritas, sed sunt contrariæ auctoritates patrum, quas adduximus, & uniuersalis Ecclesiæ oratio pro peccatis defunctorum, ut in assertione catholica habes.

e Certissimè hæc omnia fatemur, nulli potest contingere salus post hanc uitam, quiin ea non egerit pœnitentiam à peccatis, nec satisfactioni, quæ hìc agitur, locus est, de qua Cypri. loquitur, nam ut Aug. inquit ex uerbo Pauli, ut referat unusquisq;, prout gessit in corpore in hac uita, comparatur etiã meritum illud, quo post uitam meretur quis adiuuari.

f Hæc Hier. in locum illum: unusquisq; onus suum portabit, quæ proculdubio manifestè significant eum, cui peccata grauiora non sunt in hac uita remissa, nullis meritis iuuari posse, remissis tamen illis, non frustrà Ecclesia pro remissione peccatorum eorum, qui defuncti sunt, orat.

g Liber ille, ut in assertione catholica habes, in Christiana Ecclesia in auctoritate tanta est, ut magnæ sit temeritatis ueniam dare tanto scriptori, sed res ipsa, solui scilicet orationibus, & sacrificijs uiuentium defunctorum animas, consensu totius Ecclesiæ patet, ut habes in assertione catholica.

h Magnæ auctoritatis patres, & certè tota antiquitas asserit, esse ex traditione Apostolorum, sicut multa alia, hoc est calumniari Ecclesiam: si quæ ex illis recepta sunt, ea non sine rationabili causa, & fructu, legitimaq; auctoritate recepit Ecclesia.

i Sed ut in assertione catholica habes, orat Ecclesia, ut remittantur defunctorum peccata.

DE MEMORIA DEFVNCTORVM.

CATHOLICA.

Defunctos fideles, de quorum felicitate, ob hu-

manæ fragilitatis incertum: solum dubitatur, qui scilicet in communione Ecclesiæ nullo manifesto iudicio ab ea excommunicati discesserunt, commendandos esse pijs uiuorum orationibus, & sacrificio altaris, atque eleemosynis, ijs apud Dei misericordiam adiuuari, ut è pœnis purgatorij citius liberentur, credit catholica fides, uniuersalis Ecclesiæ auctoritate, quæ in hac parte manifestissima est. Etsi igitur sanctus dici possit omnis in Christi charitate defunctus, imò in hac uita degens in Christo, non tamen propterea sine peccato, uel reatu aliquo in hac uita aliquos esse credimus, neque in altera omnes. Quare non solùm defunctorum esse memores ob gratitudinem, eosq; propter fidem coram Deo uiuere cogitare, & ornare eorum funera, atque in eis sacras lectiones ad corroborandam fidem, & spem resurrectionis legere debemus, sed etiam pro eis Dei misericordiam implorare, atque per charitatem cum eis uniti orationes nostras illis communicare, atque alia pia opera eiusdem uniuersalis Ecclesiæ consuetudines nos debere, docemur. Liberationem itaque à reatu pœnæ, & purgationem leuiorem putamus nostris suffragijs comparari defunctis fidelibus, non meritum æternæ beatitudinis, nec augmentum aliquod eius, nam omne meritum in hac uita comparatur etiam hoc, quo fit ut prosint defunctis uiuorum
Cap. 1. 10 preces, ut Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, & in principio libri de cura agenda pro mortuis docet. Vnam igitur confitemur redemptionem, & liberationem à peccatis, & unum meritum æternæ uitæ Christi, scilicet extra quẽ nulla est satisfactio, nullum meritum, sed nostra opera, quum illi per gratiam uniti sumus, illius ueraciter sunt, illius spiritu & uirtute & fiunt, & efficacia sunt, uel pro nobis, uel pro alijs, secundum uidelicet quòd eo inspirante, secundum charitatis ordinem, ad nostram, uel proximorum salutem ea dirigimus. Secund. ad Corinth. quart. Licet, is qui fòris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renouatur de die in diem, quòd si renouatur, habet igitur aliquid uetustatis, atque ita peccati, ut Augustinus argumentatur. Et tamen loquitur Paulus de se iam iustificato. Iam igitur per fidem habebat meritum Christi, non tamen erat sine peccato. Ex hoc ergo quòd Christi meritum habent, non sequitur nihil habere peccati dum uiuunt, quare neq; dum moriuntur, nisi aliunde id probent. Rursum eiusdem septimo inquit Paulus, has ergo habẽtes promissiones charissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem. Stat igitur iustificatis aliquid deesse sanctificationis. Quid si ante eam consummatam subtrahantur, nunquid proderit eis mors, ut post illam tam liberi sint, ut sunt, qui sanctificationem impleuerunt? Quid si non exoluta pœna, ad quam remisso peccatum confestim obligatum quandoq; manere, ut in Dauid patet, nunquid illa, non persoluta, peruenient ad Deũ? Aut igitur probent ex scriptura non posse aliquem non plenè sanctificatum, aut nõ plenè persolata pœna, ex hac uita discedere: neq; enim ex eo quòd in Christo quis moritur, & meritum eius per fidem accepit, & iustificatus est, id sequitur, cùm hæc omnia possint cum peccato, & reatu esse, aut intelligant se, qui scripturam iactant, multa sine illa contra sensum patrum, & piorũ omnium inuehere in Ecclesiam. Augustinus libro de cura pro mortuis agenda, capite primo. In Machabæ. libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua est uniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum. Damascenus in proprio sermon. de hoc. Diui autem Apostoli, discipuli Saluatoris, in tremendis, & impollutis, uitalibusq; Sacramentis, memoriam, eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt, quod adhuc firmiter, atq; adeò sine contradictione obseruat Apostolica, & catholica Ecclesia Christi & Dei, à finibus usq; ad fines terræ, ab eo tempore usq; in præsens, & in finem mundi usq;, omnino hoc neq; uanè, neq; surdè, neq; temerè fortuitóue ordinatum est: quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè uana sunt, sed utilia, Deo placita, salutiq; nostræ conducibilia plurimum, hæc Damascen, eo loco iuxta translationem Oecolampadij, ubi Dionysij, Gregorij Nazianzeni, Chrysostomi, & Gregorij Nysseni apertissimis testimonijs hoc probat. Quòd ergo liber Machab. reijcitur ab ijs confitentibus, primò contra plura concilia, & multarum Ecclesiarum auctoritatẽ est, quæ meritò præferri potest illis, & certè à pluribus creditur, etsi non à Iudæis, à Christianis tamen, canonicos haberi, & ut minimum, si non in primo gradu canonicorum librorum, de quibus scilicet nunquam dubitatum est, tamen in secundo gradu eorum, scilicet qui à pluribus, & maioris auctoritatis Ecclesijs suscipiũtur. Meritò itaq; auctoritati horum omnium confitentium præferendus est liber ille. Sed dogma ipsum de orando pro defunctis certius est, traditione Apostolorum, quàm ut opus habeat alia auctoritate. Tertulliani etiam uerbum de oblationibus pro defunctis, quas in Ecclesia fieri annua die affirmat, nec ex moribus Ethnicorum, neque sine auctoritate uerbi, sed traditione Apostolorum, uerbo scilicet Dei non scripto, susceptum esse probat morem pro mortuis orandi, non tantùm eorum agendi memoriam, aut gratias pro beneficijs in ipsos collatis referendi Deo. Quum Augustinus in-

ter

ter hæreſes damnatas Aërij hoc enumeret, quòd dixit ille: Orare, uel offerre pro mortuis oblationē non oportere. Et Epiphanius contra ipſum Aërium, quam 75. hæreſim ponit, aperte inquit, de mortuis loquens, pro iuſtis, & peccatoribus memoriam facimus, pro peccatoribus quidem miſericordiam Dei implorantes, & in fine omnium Eccleſia neceſſariò hoc perficit traditione à patribus accepta, quis autem poterit ſtatutum matris diſſoluere, aut legem patris? Vel ut Salomon dicit: Audi fili ſermones patris tui, ne repudies ſtatuta matris tuæ, oſtendēs per hoc quod in ſcriptis, & ſine ſcriptis docuit pater, hoc eſt, Deus, mater autem noſtra Eccleſia, habet ſtatuta in ſe poſita indiſſolubilia. Cùm itaq; in Eccleſia ordinata ſint ſtatuta, & bene ſe habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus eſt rurſus etiam hic ſeductor. Quæ omnia hic adduximus, ut ſi non ij confitentes, ſaltem qui ea legerint aduertant, quanta temeritate, & præſumptione tantis patribus, & toti Eccleſiæ ſe opponant, ſimulq; omnes uideant, quanta ſit auctoritas Eccleſiæ, & quàm neceſſaria ſit ad agnoſcendam ueram doctrinam.

DE PVRGATORIO: VVIRTENBERG.

Erſi dubitari non debet, quin [a] ſuus ſit ſanctis in hac uita purgatorius ignis, quemadmodum teſtantur exempla Dauidis, Ezechiæ, Ionæ, & aliorum, tamen haud immeritò dubitatur, num poſt hanc uitam tale ſit purgatorium, quale uulgus hominum putat, in quo animæ tantiſper crucientur, dum uel ſupplicio ſatis pro peccatis faciant, uel indulgentijs redimantur. Si enim tale eſt purgatorium, [b] ualde mirandum uidetur, quòd nec Prophetica, nec Apoſtolica ſcripta aliquid certi, & perſpicui de eo tradiderint, ſed potiùs [c] diuerſum haud obſcurè doceant. Marci ultimo. Prædicate Euangelion omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. [d] Hîc ponuntur duo ordines hominum, unus eorum, qui credunt Euangelio, & hi pronunciantur ſalui, alter eorum, qui non credunt Euangelio, & hi pronunciantur damnati. Inter hos non eſt aliquod medium; aut enim excedis ex hac uita in fide Ieſu Chriſti, tunc habes remiſſionem omnium peccatorum propter Chriſtum, & [e] imputatur tibi iuſticia Chriſti. Quare qui Chriſto comitatus in mortem ingreditur, ei nihil deeſt ad conſequendam ueram, & æternam uitam: qui autem hinc ſine Chriſto emigrat, ingreditur in perpetuas tenebras. Ac ſi præter hos duos ordines alius eſſet quiſpiam tertius ſtatus animarum in altero ſeculo, certè Paulus, qui ad paradiſum, & in tertium cœlum raptus erat, & multa arcana uiderat, non [f] inuidiſſet Eccleſiæ hanc cognitionem: Ecce autem, cùm ad Theſſalonicenſes ex profeſſo de Chriſtianis dormientibus ſcriberet, nullam prorſus facit mentionē alicuius purgatorij, ſed iubet potiùs ne contriſtemur, ſicut & cæteri qui ſpem non habent: Itaq; ſi talis eſſet quiſpiam animarum ſtatus in altero ſeculo, qualem uulgus cogitat, & non potuiſſet Paulus teneri quò minùs loco tam oportuno hunc animarum ſtatum perſpicuè explicuiſſet, & Eccleſiæ rationē præſcri-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc non dubitamus, ſed neq; id dubiū eſt, nec ratione, nec ulla certa auctoritate probari, omnem fidelem, & iuſtum, qui ex hac uita decedit, plenè purgatum decedere, ut ſuperiore cap. in aſſertione catholica habes, quòd ſi non plenè purgati decedunt ali qui, ſtatim ſequitur poſt hanc uitā purgandos, neq; enim intrabit aliquid coinquinatum in cœleſtem Hieruſalem.

b Non eſt cur mirari debeamus, cùm certum ſit multa ſine ſcriptura tradita eſſe, ut ſæpe in aſſertione catholica dictum eſt.

c Quare ergo non citatis locum ubi contrarium docetur, ſed tantùm negatiuè argumentamini, quia nec Chriſtus, nec Paulus dixit.

d Iam oſtenſum eſt, in primo hoc ordine credentium eſſe duos gradus, alius purgatorum omnino, alius uerò adhuc culpis, aut reatibus ſubiacentium, quæ tamen non excludunt à regno Dei.

e Participatur potiùs pro menſura quadam dicendum eſt, ut ſuperiùs de iuſtificatione, in aſſertione catholica dictum eſt, ſed nunc uide, quàm illa imputatio ab eis excogitata aliena ſit à catholica doctrina, ex ea enim uentum eſt ad negandum purgatorium, ſicut omnium ſatisfactionum merita: obſerua ſimiliter, hos duos ordines, & hanc rationem ex eis ſumptam eandem eſſe, quam proximo ſuperiore capite poſuerunt, ubi reſpondimus, conſtat itaque ex illis præcedentibus hoc ſequi, & ita ex contrarijs orationibus ſcilicet pro defunctis, neceſſariò ſequi purgatorium.

f Paul. non inuidit hoc Eccleſiæ, ſed id ſcripſit quod Spiritus ſanctus per eas literas ſignificatum eſſe uoluit: ſcimus uerò Paulū prædicationi, & uerbo magis deditū, quàm ſcripturæ, & ideo plura uerbo, quàm ſcripto tradidiſſe, unde Timotheo dicit, quæ audiſti à me per multos teſtes, non uerò quæ ſcripſi, hæc commenda fidelibus hominibus, & non inquit hæc ſcribe, non itaque eſt ſpiritus Euangelici, ſolí ſcripturę intentum eſſe.

g Pulchra ſcilicet diuinatio. præſcribitis igitur uos ſcriptoribus ſacris, imo ipſi Spiri tui ſancto, ſatis fuerit audire, aut ſcribentem per ſanctos, aut docentē per Eccleſiam, quæ eſt columna, & firmamentum ueritatis.

pſiſſet, qua poſſet miseras animas à cruciatu ſuo liberare. Sed & a uetus ac uera catholica Eccleſia apertè ſignificauit, ſibi de hoc tertio genere ſtatus animarum in altero ſeculo nihil certi conſtare. Chryſoſt. in concione 2. de Lazaro. Si quid cui rapuiſti, redde, & dicito iuxta Zachæum, do quadruplum ſi quid rapui: ſi cui factus es inimicus, reconciliare priuſquam ueneris ad iudicium. Omnia hîc diſſolue, ut citra moleſtiam illud uideas tribunal. Donec hîc fuerimus ſpes habemus præclaras, ſimulatq; uerò diſceſſerimus illac, non eſt poſteà in nobis b ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere. Et iterum: Neq; c enim, qui in præſenti uita peccata non abluerit, poſteà conſolationem aliquam inuenturus eſt. Auguſtinus etſi ponit inter ualde bonos, & ualde malos medios quoſdam, quorum tertio ſtatui uidetur locum purgatorium aſſignare, d tamen de ea re aliâs dubitat, nec quidquam certi definit. De hac igitur ſententia Augu. ſentiendum erit, quod ipſe exigit, uidelicet ut id recipiamus, quod uel auctoritate ſcripturæ, uel e probabili ratione confirmatum fuerit. Manifeſtum autẽ eſt, quòd quæ dicta ſcripturæ ad ſtabiliendum purgatorium citari ſolent, à f genuino ſuo ſenſu ad alienũ torqueantur, & ab ipſis etiam ueteribus interpretibus longè aliter exponantur. Et quas Auguſt. habet ſententiæ ſuæ rationes hoc fundamento niti uidentur, quòd conſequamur remiſſionem peccatorum, & uitam, non tantum propter Chriſtũ per fidem, ſed etiam g propter merita noſtrorum operum. Sed quàm conueniat hoc cum uera Apoſtolica doctrina ſuprà indicauimus. Quare arbitramur hanc theoriam de igne purgatorio ſuis auctoribus relinquendam eſſe, & hoc maximè omnium agendum, ut quod Paulus monet, confirmemus nos inuicem ſermonibus de certa ſpe reſurrectionis, & ſalutis noſtræ in Chriſto Ieſu, propter quem Deus credentibus ita fauet, ut conſeruet ipſos in media morte, & donet eos uera tranquillitate.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quum illa orat, ut remittantur defunctis peccata, quomodo nihil certi ei conſtitit de hoc tertio ſtatu, pro quo ſcil. ſolo orationes iſtæ funduntur?

b Vide quàm apertè Chry. locum poſt hãc uitam pœnitendi, & luendi ipſa peccata cõmiſſa adimit. Cæterùm Damaſ. in ſermone illo defunctorum, Chryſoſt. certiſsima teſtimonia refert, aſſerentis poſt hanc uitam iuuari defunctos, & inter cætera hæc uerba: Excogitemus quomodo defunctis proſimus, deniq; eis præſens ſubſidium, eleemoſynam, inquam, & oblationes, quæ res ipſis commodum, & lucrum, & utilitatem magnam adferent, non enim temerè in Eccleſia à ſapientiſsimis ſuis diſcipulis ſancita ſunt hæc & traditâ, Sacerdos in tremendis myſterijs preces facit, p fidelibus defunctis.

c Quid ſentiat Chryſoſt. habes in proxima annotatione.

d Tertius ille ordo conſtantiſsimé ponitur ab Auguſt. ex certa ratione orationũ Eccleſiæ, & quod dicitis eum dubitare de hoc medio ſtatu, certè non eſt unde id probari poſsit. In Enchiridio cap. 6. locũ illum Paul. de ſuperædificante, lignum, fœnum, ſtipulam pertractans, ignem illum de quo Paul. loquitur, tribulationem huius uitæ eſſe dicit, & mox ſequenti cap. ſub dubio proponit, an poſt hanc uitam tale aliquid fiat, & inueniri, inquit, aut latere poteſt, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorĩ ſaluari, ſimiliter & cap. 26. 2. libr. de ciuitate Dei latiùs hunc locum Pauli explicans, eodem modo ſub dubio relinquit, de igne illo alterius uitæ, itaq; de qualitate purgationis, non de ipſa purgatione dubitat.

e Quare non totius Eccleſiæ conſenſu, & traditione Apoſtolorum quibus apertè purgatorium probatur.

f Illis locis ſcripturæ fatemur non apertè purgatorium probari, ſed quòd ex certa regula fidei credimus, id auctoritatibus illis aduertimus indicari.

g Hoc qualiter intelligendum ſit ſatis ſuperiùs oſtenſum eſt, remiſsio peccatorum non fit ex meritis, ſed remiſſo peccato, per opera remiſsionem ſequentia, quæ ex gratia Chriſti manant, ſatisfacimus pro temporalibus pœnis, quibus obnoxij ſæpe poſt remiſſum peccatũ manemus, quæ omnia certiſsima, & ueriſsima eſſe ex ipſa ſcriptura oſtenditur, ex quibus Aug. ſtatum illum medium, & uiuorum ſuffragia illis, qui in eo ſunt utilia, certiſsima ratione intulit. Igitur aſſertio de igni purgatorio relinquatur utcunq; ſuis auctoribus, ſed purgatio animarum poſt hanc uitã certiſsima fide tenetur, illud tamen non eſt hîc omittendum, quod boni iſti uiri doctrinam, quam obſcurare Chriſti gloriam, & alienam eſſe à ſcriptura dixerunt, nunc tribuunt Auguſt. non igitur monachi à trecentis annis obſcurarunt doctrinam hanc de uera iuſtificatione per fidem, cum apud eos hoc Auguſt. dixerit, & remiſsionem peccatorum, & uitam propter merita operum noſtrorum contingere nobis, ſed re uera imponunt Auguſt. quod attinet ad remiſsionem peccatorum, nullus enim manifeſtiùs quàm ipſe peccata gratis remitti docet

DE PVRGATORIO. CATHOLICA.

Ex aſſerta de oratione pro defunctis tã manifeſta ſententia, neceſſariò ſequitur manere poſt hanc uitam purgatorium, ubi cruciantur, & ita purgantur illæ defunctorum animæ, quæ in hac uita non plenè à culpis, uel reatibus fuerunt liberatæ, ſed in uera charitate Chriſti è corpore

pore sunt solutæ, quæ purgatio cùm perpetua esse non possit, absoluitur tandem uel satisfactione, uel suffragijs uiuentium, inter quæ Christiana pietas indulgentias iusta de causa dispensatorum Ecclesiæ auctoritate factas, nouit etiam collocare. Nec eorum, qui hoc negant argumenta efficacia sunt, sumpta ex eo maximè quòd in scriptura sacra nihil perspicuè de eo traditur, cùm constet tam multa non scripta fuisse eorum, quæ credenda sunt, sed auctoritas Ecclesiæ satis est, quæ orat pro illis, frustrà enim hæc fieret oratio, si post hanc uitam nihil aliud restat, quàm æterna uel beatitudo, uel damnatio. Quòd igitur Marci ultimo duo ordines tantùm distinctè ponuntur, aliorum qui saluantur, aliorum qui damnantur: & quòd Paulus ad Thessalonicen. de dormientibus locutus, non memmerit purgatorij, nihil aliud probat, quàm non placuisse Spiritui sancto illis locis hoc explicare, sed in doctrina Ecclesiæ apertè explicatum est, & sunt loca scripturæ, quibus id satis insinuatur. Matt. 12. Qui dixerit uerbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neq; in futuro. Ex quo, inquit Gregorius quarto dialogorum capite 39. intelligi datur, quasdam culpas in futuro seculo remitti, sed tamen hoc de paruis, minimisq; peccatis fieri posse credendum est. Sed neque quòd per fidem Christi, & charitatem peccata remittuntur, & iusticia Christi uel imputatur, uel participatur à nobis, quidquam præiudicat fidei de purgatorio, constat enim ut proxima ostensum est, etiam post illa omnia reos teneri iam iustificatos. Hieronymus in primum caput Ezechielis. Exponens illud in fine capitis: & uidi quasi speciem electri, &cæt. ita inquit post alia, ex quo ostenditur, post pœnas, atq; supplicia & purgationem peccatorum futuram misericordiam, dum taxat in ijs, qui Deum meruerint uidere regnantem. Vbi ex contextu satis apparet, quòd de purgatione post hanc uitam loquatur. Idem Esaiæ ultimo: Referens errorem illorum, qui uolunt supplicia aliquando finiri, tandem post multa ità inquit: quod nos solius Dei debemus scientiæ derelinquere, cuius non solùm misericordia, sed & tormenta in pondere sunt: & nouit quem, quomodo, aut quàm diu debeat iudicare, solumq; dicamus, quod humanæ conueniat fragilitati: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et sicut Diaboli, & omnium negatorum, atq; impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum, atq; impiorum tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atq; purganda, moderatam arbitramur, & mistam clementiæ sententiam iudicis. Obserua itaque Hieronymum apertè de supplicijs post hanc uitam loquentem, quorundam æterna dicere, aliorum uerò, quorum opera probanda sunt, & purganda iuxta clementiam, ex quo ostendit non æterna futura eorum supplicia, præcipuè cùm dicat, purganda esse eorum opera. Iam igitur non duos tantum ordines defunctorum constat eum ponere. Augustini sententia & in Enchiridio, & in libro de cura pro mortuis gerenda constantissima est, & in consuetudine Ecclesiæ fundata, quæ pro illis orat, nec de hoc unquam Augustinus dubitauit, quanquam qualis sit illa purgatio, uel ille ignis sub dubio reliquit, nec remissionem peccatorum propterea meritis nostris tribuit, sed gratiæ Christi, satisfactionem uerò necessariâ frequenter post remissum peccatum esse, & operibus nostris, sed ex Christi gratia perfectis, fieri, iam suprà probatum est: Quare qui purgatorij reijciunt fidem, apertè Ecclesiæ repugnant.

DE VOTIS MONASTICIS.

VVIRTENBERG.

NOn est dubium, quin uota pia, iusta, & legitima seruanda, ac soluenda, & uota impia sint rescindenda. Sed haud immeritò disputatur, in quo uotorum genere collocanda uota sint Monachorum, De [a] uirginitate, seu cœlibatu, paupertate, & obedientia. [b] Nam manifestum est, quòd cœlibatus non sit uerbo Dei præceptum. Manifestum etiam est, quòd etsi cœlibum status sit [c] in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica ministeria Ecclesiæ bis, [d] qui non

SCHOLIA CATHOLICA.

a A quibus rogo hoc disputatur, nisi ab ijs, qui non audierunt: de uirginibus consilium do. Et: uade, & uende omnia, quæ habes, &c. Et illud deniq; si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, &c. itaq; nunquam in Ecclesia catholica hoc uersum est in dubium, sed addunt non immeritò disputatur, ubi meritò etiã quærendũ, quo mèrito, & fructu hæc excluduntur ab Ecclesia.

b Distinguendum est inter præceptum, & consilium, ut Paulus apertè distinguit: præceptum, inquit, Domini non habeo, cõsilium autem do, etsi ergo non præcipitur uerbo, nõ ideo ab hominibus, sed à Deo profectum censeri debet quod consulitur, & commendatur.

c Ita Iouinianus locutus est, ut Augũ. lib. de Hæresibus refert, & refellit etiam lib. de sancta uirginitate, cap. 1. usq; ad 5.

d Hoc, prium uestrũ est, ex peruerso Pauli sensu, Paulus cùm dixisset non nuptis, & uiduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, quo significauit ueram continentiam, statim addit: quòd si non se continent, nubant, melius est enim nubere quàm uri. Quod quum ijs, qui se non continent dixerit, non est cur intelligendum sit uerbo illo uri Paulum intellexisse tentari, aut molestijs carnis incitari ad libidinẽ, hoc enim docet

utuntur, aptior, & accommodatior, tamen non est sentiendum, quòd hoc genus uitæ per se sit a coram tribunali Dei excellentius, & sanctius, quàm coniugium. Sicut enim in Christo non est Iudæus, neq; Græcus, non seruus, neque liber, ut Paulus ait: b *ita in Christo, nec est cœlebs, nec maritus. Et quemadmodum in Christo Iesu circumcisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, & noua creatura: ita* c *& cœlibatus nihil est, coniugium nihil est, sed in Christo Iesu renatum esse, & Christi uocationi obedire. In concilio* d *Gangrensi extat Canon: Si quis, inquiens, ex his, qui uirginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Et alius Canon dicit: Si* e *quis uirorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij utitur, quasi per hoc se habere iusticiam credens, & despicit eos, qui cum reuerentia binis, & alijs communibus, & solitis utuntur, anathema sit. Et Augustus de bono coniugali capite uigesimoprimo. Non* f *audet uirginitatē Baptistæ præferre coniugio Abrahæ. Quare qui uouet uirginitatem, uel cœlibatum, aut* g *uouet eum, ut singularē cultum Dei, tunc quia status cœlibum non est uerbo Dei mandatus, pertinet hoc uotum ad mandata hominū, de quibus Christus dicit: Frustrà colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum.* h *Aut uouet eum ut meritum remissionis peccatorum, & uitæ æternæ, tunc est manifestè impium uotum, cui nullus est obnoxius. Nihilo rectius est paupertatem uouere. Aut enim conditione pauper es, & nihil terrenarum facultatum possides, tunc hæc crux, diuinitus tibi imposita, patienter est ferenda, quam si* i *prætereà uoues, nihil aliud facis, quàm si in morbo uoucas, te perpetuo ægrotaturum, uel in infamia, te perpetuò fore infamem. Quod genus uoti furor magis est, quàm pietas. Aut possides facultates, & uoues te, ijs relictis, acturum uitam pauperem, ut uictum quæras mendicitate, & consequaris, huius uoti merito, uitam æternam: tunc hoc uotum primùm quidem* k *pugnat cum charitate proximi, quæ exigit,*

SCHOLIA CATHOLICA.

ipse alibi, castigatione corporis reprimendam esse, non matrimonio. Itaq; ex eo solo melius est nubere, quàm uri, tantum habes melius esse nubere, quàm peccare, aut damnari, non uerò tentari.

a Hoc asseruit Iouinianus, & impugnat in eo maximè Hierony. & August. si non est excellentior, & sanctior cœlibatus, quare Paulus inquit, melius est? cur per Esaiam promittit Dominus tam apertè Eunuchis, de quibus scilicet Christus dixit: qui se castrauerunt propter regnum, Dei dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis. Vide August. lib. de S. uirg. cap. 24. & 26.

b Aliena omnino similitudo: nā Iudęus, aut Græcus, seruus, aut liber, non ad uirtutē pertinet, cœlibatus uerò pertinet.

c Quomodo nihil est, quum pertineat ad nouam creaturam, dicente in Apocal. Ioanne: quòd qui cum mulieribus non fuerint coinquinati, cantant canticum nouum? Vide etiam August. cap. 27. lib de sanct. uirginitate, & sequentibus.

d Quid concilium Gangren. definiat habes in assertione catholica, ibi uirginitas, & cœlibatus maximè commendantur, necuerba hîc citata quidquam detrahunt, sed superbia tantùm uirginum reprimitur, unde & alia litera habet, in coniugio positos per arrogantiam uituperauerit.

e Primùm hîc non de castitate, sed ueste tantùm agitur, unde alia editio ita habet: si quis putauerit sancto proposito, id est, continentię conuenire, ut pallio utatur. deinde non usus ille, sed superstitio in eo reprehenditur, & superbia alios iudicandi, sic enim statim dicitur, tanquam ex eo iusticiam habiturus, & reprehendat, & iudicet alios.

f Quid Augu. sentiat, secundum regulam sanæ fidei, in eodem ipso loco habes in confessione catholica: Res enim ipsas apertè in se docet, differre, & præstare cœlibatum, sed non personas, nam ponit Abraham non minorem castitatem in animo habuisse, quàm Ioānes, q eius etiā ordinatione hō cōtraxit.

g Libenter hoc damus uobis, quod uerò dicitis pertinere ad mandata hominum, in doctrina catholica ostēdimus, quàm sit alienum à ueritate. Aug. cum in toto libr. de S. uirg. hoc præcipuè agat, ut uotum eius commendet, specialiter tamen cap: 14. ita dicit: sicut superiùs cùm de præceptis ageretur ei tauimus. Primò proponens in æterna uita egregiam quandam esse gloriam, cui consequendæ parum est liberatū esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori uoueatur, quod non sit criminis non uouisse, sed uouisse, ac reddidisse sit laudis: consilium, inquit, do, tanquam, &c.

h Etiam hoc damus, & ut dicamus uerbis Augu. cap. 22. de S. uir. an uerò qui frangit panem suū esurienti, si tantùm ,ppter hanc uitam faciat, stultus est, & ille erit prudens, qui castigat corpus sua usq; ad continentiā, qua neq; coniugio misceatur, si ei nihil proderit in regno cœlorū? Vides ergo nihil auferendum cœlibatui, quod eleemosynæ tribuimus, ergo est satisfactio peccatorum, & meritum æternæ uitæ.

i Indigna non Christiano solùm, sed prudente ratio, morbum, & infamiā tenemur propulsare, non habemus in Euangelio consilium de morbo suscipiendo, aut infamia quærenda, sed tantùm de ijs patienter sustinendis, sed habemus consilium quærendi, & amandi paupertatem: & hoc fecerunt Apostoli etsi pauperes.

k Faciunt ergo contra charitatem proxi-

git,

git, ne cui sis præter necessitatem mendicimonio molestus: deinde a *pugnat cum fide in Christum, quòd is solus sit meritum æternæ uitæ. Manifestum igitur est hoc genus uoti esse illegitimũ, & impium. Facultates autem tuas sic deserere, ut eas in commune* b *conferas, non est paupertatem sectari, sed de certiori, & copiosiori uictu tibi prospicere. Qui qualis sit coram Deo* c *cultus, obscurum esse non potest. Obedientia uerò, aut refertur ad Deum, tunc non est arbitrarij uoti, sed debitæ necessitatis, de qua obedientia dicitur, Melior est obedientia, quàm uictimæ. Aut refertur ad hominem, tunc sua sunt obedientiæ officia, quæ subditus magistratui, liberi parentibus, seruui dominis, discipuli præceptoribus debent. Hæc siue uoueantur, siue non uoueantur, certè diuinitùs exiguntur, sed hac conditione, ut semper Deo magis obediamus, quàm hominibus. Voueri autem homini obedientiam sine* d *certa uocatione Dei, ut operibus talis obedientiæ, non solùm præstes* e *Deo singularem cultum, sed etiam expies coram Deo peccata tua, superuacaneum est, quia Christus dicit, frustrà se coli humanis traditionibus, &* f *impium, quia solius Christi obedientia, quam præstitit Deo patri suo, expiauit peccata nostra, & reconciliauit nos cum Deo. Ex his* g *omnibus manifestum est, quòd genus uouendi cœlibatus, paupertatis, & obedientiæ, non consentiat cum doctrina uerè Catholica, præsertim cùm quidam non sint ueriti, hoc uouendi genus* h *æquare baptismo.*

SCHOLIA CATHOLICA.

mi, qui à diuitibus eleemosynam mendicãt, & hoc nomine dant eis materiam exercendæ uirtutis, fortè ab egente extorquere esset contra charitatem, aut ociosum, & Ecclesiæ inutile ex eleemosynis uelle uiuere.

a Ipse Christus inquit: uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, nõ ergo repugnat Christo, paupertatem uoluntariam meritum uitæ æternę dicere, quod uerò solus Christus, eiusq; passio sit meritum uitæ æternæ, sæpe expositum est qualiter sit intelligendum, nihil scilicet quod ab eo sit alienum.

b Cur qui in commune confert diuitias per alium, non in suos tantùm, sed in omnium usus expendendas, ut ipse nõ tanquã de suo, nec pro suo arbitrio, sed ut de Ecclesiæ peculio, & pro eius, qui præest, dispensatione alatur, non meritò dici potest pauperatem sectari, uel quid amplius fecerunt in primitiua Ecclesia fideles?

c Certè non est obscurum, si exemplum primitiuæ Ecclesiæ attendamus: quotquot, inquit, erant possessores agrorum aut domorum, uendentes afferebant precia, & ponebant ad pedes apostolorum, Act. 4. uide ibi quàm sit commendatus Ioseph, qui cognominatus est Barsabas, qui hoc fecit.

d Si certam uocationem Dei intelligunt aliquam iuris naturalis obligationem, quales sunt de quibus proximè dixerunt, filij uidelicet ad patrẽ, aut ciuis ad magistratũ, &c. non est cur uoueri non possit, præcipuè cum uota propriè de ijs ad quæ non tenemur sint, sine certa uero Dei uocatione, hoc est, nisi certo cognoscamus hoc esse ei gratũ, fatemur non esse uouendum quicquam, ut ita præstetur Deo gratus cultus, sed hoc habemus in illo uerbo: abneget semetipsum.

e Eodem modo hoc asserimus uerũ, quo superiùs idem diximus de paupertate, & cœlibatu. Quid in scriptura ostẽditur Deo gratius, quàm obedientia, & ea maximè, quę uoluntariè sine præcepto exhibetur? uel cuius rei habemus manifestiora exempla in Christo, quàm obedientiæ? ut Paulus inquit ad Philip. 2.

f Verum est, nullum est meritum, uel satisfactio nisi uirtute huius.

g Prius dixerunt non immeritò in dubiũ uerti, iam manifestum dicunt, quòd hæc uota pugnẽt cum doctrina uerè catholica, sed qua auctoritate, & ratione uidisti: nũc uide an doctrina uerè catholica indulgeat carni, & diuitijs cõgregandis, & ppriæ uoluntati.

h Nullus hoc uotũ æquat baptismo, quoad uirtutem, & efficaciam Sacramenti: sed quòd hoc sit magna satisfactio peccatorum, nullus qui rectè considerat, negare poterit, unde quandoq;, & frequentiùs quidem, plena omnium satisfactio esse poterit.

DE VOTIS MONASTICIS.

CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, inter pia, & Deo grata uota, quæ non dubium est obligare eos, qui uouerint, sub grauissimi sacrilegij peccato, ad sui impletionem, tria illa Monachorum uota, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ, potissima esse ex fontibus ipsis Euangelicis ab Apostolorum tempore simul cum statu ipso Monachali desumpta, & patrum omnium consensu commendata Ecclesiæ. Hæc quidem in communi sint dicta, iam in speciali de singulis quid uera fides habeat subiungamus. Castitas igitur omnimoda, quæ scilicet ab omni contactu Venereo abstinet, non præcipitur in scripturis sanctis, sed laudatur, & sub consilio proponitur omnibus, in Euangelicis maximè, & Apostolicis literis, nõ solùm ob tranquillitatem præsentis temporis, sed propter futuram etiam beatitudinem. Quare uirtus est propriè Euangelica, uoluntariè custodita, coram Dei tribunali magni meriti excellentior, & sanctior coniugio. Quod Ecclesia semper docuit, ita ut uix ullus fuerit error, qui minùs persuaderi potuerit Christianis, quàm touimtani contrarium asserentis. Votum igitur illius & gratissimũ Deo, & semper in Ecclesia magni habitum fuisse constat. Longè igitur cœlibatus hic, siue uoto pro-

missus, siue sola uoluntate obseruatus, distat ab ijs, quæ uel nõ uoluntaria sunt, sed naturalia, uel in se nihil habentia laudis Quare falsum est, quòd sicut in Christo non est Iudæus, neq; Græcus, & sicut circumcisio nihil est, & præputium nihil, quibus significatur nobilitas, aut ignobilitas gentis, ita non est in eo cœlebs, uel nihil est cœlibatus, sed re uera sicut obseruatio mandatorũ Dei, & noua creatura aliquid est in Christo, ita uoluntaria hæc omnimoda castitas plurimum est. In Concilio Gangrensi, Post damnatam superbiã illorum, qui matrimonio, & possessioni propriarum rerum detrahebant, inter quæ, ea sunt decreta, quæ habes in aduersariorum confessione, tandem ita concludit: hæc autem scripsimus non uituperantes eos, qui in Ecclesia Dei secundum scripturas sanctum continentiæ propositum eligunt, sed eos, qui abutuntur proposito in superbiam, &c. Et paulò post: Nos autem uirginitatem cum humilitate admiramur: & continentiam cum castitate, & religione Deo acceptissimam dicimus: & renunciationem secularium negotiorum cum humilitate laudamus: & nuptiarum uinculum castum honoramus: & diuites cum iustitia, & bonis operibus non abijcimus. Vbi si hæc, & reliqua illius concilij consideres, quod ante mille ducentos annos celebratũ est, utrumq; extremum Eustachij scilicet, contra quem tunc agebant, & aliorum, qui nuptijs detrahunt, & Iouiniani, qui posteà exortus est, matrimonium æquantis uirginitati, quod in contraria confessione apertè habes, nisi quòd in ea additur etiam Iouiniani errori cùm damnetur cœlibatus ipse. Augustinus libro de bono coniugali capite uigesimotertio. Quamuis in 21. dixerit, non fuisse impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genera uit. Et 22. capite, Continentes temporis Euangelij, non meliores esse sanctis coniugatis legis ueteris docuerit, tandem inquit: Res ergo ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum, meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitatem nuptialem, cùm tamen utrumq; sit bonum, homines uerò cùm comparamus, ille est melior, qui bonum aliquod amplius, quàm alius habet, quod adhibitis exemplis ibidem explicat. Docet ergo sana, & catholica fides, & uirginitatem & cœlibatum cultum esse Deo gratissimum, amplissimas habentem Dei promissiones, eius maximè quæ futura est æternæ uitæ. Quare sunt & satisfactio maxima peccatorum, & meritũ uitæ æternæ. Quæ omnia ideo præcipuè habent, quoniam ut Paulus inquit: Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt: & ijs omnibus rationibus, de eis sanctissimè Deo fiunt uota, uerbi ipsius auctoritate. Paupertas etiam uoluntaria, omnimoda scilicet temporalium rerum abdicatio, & exemplo, & uerbis Christi, Apostolorumq; eius commendatur, & ita, ut non sine magna blasphemia reprehendi possit, & non maximè laudari, ille qui ex quacunq; conditione diues scilicet, uel pauper, rebus omnibus & habitis, & quæ habere potest, abrenunciat, propter æternæ uitæ propositum, ad quemcunq; demum statum, quem Ecclesia non damnat, siue monachatus, siue cuiuscunq; alterius rationis uiuendi, transeat. Nihil ergo merito Christi detrahit, sed consentit ueritati, qui hanc uoluntariam paupertatem, & uotum eius, & satisfactionem dicit esse peccatorum, & meritum uitæ æternæ, & consequendæ perfectionis non minimum instrumentum. Nec mendicare humilitatis amore contrarium est charitati proximi, modò non otiosè, & sine utilitate Ecclesiæ mendicans uiuat, sicut etiam in commune conferre propria, dispensanda scilicet in omnes, non solùm paupertati illi, quæ ob imitationem Christi suscipitur, non derogat, sed auctoritate Apostolorum, & exemplo primæ Ecclesiæ probatur. Obedientia quidem alia est ad salutem necessaria, sub præcepto uidelicet imposita, cuius diuersæ sunt partes, secundum diuersas principatus rationes, alia est enim serui ad dominum, alia filij ad parentes, alia uxoris ad uirum, alia ciuis ad magistratum siue principem, alia denique ad Episcopos & pastores animarum. Inter omnes tamen prima & maxima illa est, qua Deo tenemur eiusq; præceptis obedire. Altera uerò est obedientia, non præcepti, sed consilij, ideoq; non necessaria, sed supererogationis, qua uidelicet ad ea quæ nobis per diuinam legem licita sunt, alicuius hominis arbitrio nos submittimus, propter Deum regnumq; cælorum. Sicut constat fieri in religionibus, ubi uoto professionis astringũtur profitentes obedire usq; ad mortem, in cunctis scilicet illis rebus, quæ ad uitæ studia & actiones, denique ad omnia quæ in uita occurrunt, lege Dei non prohibita, pertinent, ut in regulis sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & cæterorum aliorum monachorum manifestissimè patet. Quum igitur hoc obedientiæ uotum, omnem propriam uoluntatem, quæ reliqua est homini à diuinis præceptis, per quam de tota uita actionibusq; eius homo disponit, relinquat propter Deum, idq; & doctrinæ & exemplis Christi, & Apostolorum maximè consentiat, non est dubium, illud singulare esse Dei cultum, & maximi meriti satisfactionisq;, & aptissimum medium ad perfectionẽ consequendam, quo uerissimè illud impletur: abneget semetipsum, & cæt. Quod etiam optimũ eorum quæ habemus, & quo solo domini sumus omnium, uoluntatem scilicet ipsam propter Deum relinquit. Vnde eo non potest ex ratione sua aliud maius esse, quàm uitæ totius propter Deum amissio, qualis est in martyribus. Ex quibus omnibus manifestum fit, eos, qui uota hæc paupertatis, cœlibatus, & obedientiæ cum doctrina uera catholica

tholica consentire negant, ipsáq; impugnant, non solùm contradicere scripturæ sacræ, consensui Ecclesiæ, & sanctitati multorum à Deo miraculis apertißimis in Ecclesia confirmatæ, sed etiam rationi ipsi, nobilitatiq; humanæ naturæ, & ei quã habet ad diuina assurgendi propensioni iniuriam facere. Nec reprehendendi sunt, qui probabili quadam ratione per ingressum religionis satisfieri peccatis omnibus ita putant, ut quod ad immunitatem à pœna futuri seculi pertinet, æquiualeat baptismo professio, nõ uerò quo ad gratiam, & uirtutem baptismi, sed hoc tantùm dicitur, quòd iura ipsa & Pontificis omnem pœnitentiã, & publicam satisfactionẽ pro quantumuis enormi peccato in uotum, quod fit in religione, commutant, ut testimonio Stephani quinti patet in capite, Admonere, 33. Quæst. secund. Neq; hoc ut certum, sed Diuinæ potiùs misericordiæ committendum asseritur.

DE HORIS CANONICIS.

VVIRTENBERG.

Avgust. a scribit alicubi Ambrosium Episcopum Mediolanensem instituisse, ut cœtus Ecclesiæ cantaret psalmos, quibus sese mutuò in expectatione malorum consolarentur, & ad ferendam crucem excusitarent, ne populus, inquit, mœroris tædio cõtabesceret. Hic cantus, quia factus est lingua uulgo nota, & b habuit pium usum, commendatione dignißimus erat. Et ex decretis Canonicis apparet, horas quas uocant Canonicas, fuisse ordinationes temporum, quibus percurrenda esset publicè, singulis annis, c uniuersa sacra scriptura, quemadmodum in scholis suæ solent horæ explicationibus auctorum constitui. Talis horarũ distributio fuit fortaßis suo tempore nõ inutilis, & per d se non est damnanda. Sed e instituere singulare genus sacerdotum ad cantandas horas Canonicas, & f canere eas aliena lingua, quæ uulgo Ecclesiæ non sit nota, aut uernacula, & quidem alicubi noctu, diuq;, sine ulla intermißione, succedentibus subinde sibi alijs atq; alijs cantoribus, ac facere hoc sacrum, non ut g per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus, quemadmodum Paulus ait, sed ut merito h huius operis mitiges iram Dei, & expies peccata hominum coram Deo, hoc demum pugnat cum sententia uerè catholicæ Ecclesiæ. 1. Corint. 14. Cùm conuenitis, unusquisq; uestrum Psalmum habet, doctrinã habet, Apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet, i omnia ad ædificationem fiant. Hieronym. in Epist. ad Ephes. capite quinto. Cantantes, & psallentes in cordibus uestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia offi-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Sed id apertè testantur, Mediolani hoc tunc institutũ de nouo, quod alibi iam antè fiebat, & sunt exempla, & præcepta huius à Christo, & Apostolis, ut habes in assertione catholica.

b Sit ille pius usus, cõsolatio populi in aduersis, cur erit impius impetratio Diuinæ gratiæ ad perferenda aduersa, sicut & cõuersio persecutorum, & laus Dei.

c Hoc fatemur curatũ fuisse in Ecclesia, ut p diuersitate temporũ legantur diuersi libri scripturæ, totã tamen fuisse lectam non constat, neq; ea lectione solùm q̃rebatur doctrina populi, sed etiã deuotio, & exhortatio ad orandum, & placandum Deum, &c.

d Quare non apertè dicendum est commendandam esse, & plurimũ utilem scripturæ sacræ, psalmorum q; lectionem, etiamsi aliquando non intelligitur, modò semper suscipiatur cum reuerentia.

e Non ad hoc tantùm sacerdotes, & alij ministri instituti sunt, sed ex quo ministri sunt Ecclesiæ, cur non per illos Ecclesia agit, quæ sui muneris esse cognoscit, intercedere orationibus pro populo apud Deum? Constat & ex concilio Laodiceno cap. 15. & maximè ex concilio Carthaginensiũ 4. fuisse semper in Ecclesia lectores, quorũ erat in canonicis horis cantare, siue legere scripturas.

f Aliena non ab Ecclesia, sed à uulgo, non est cur reprehendi possit, cum, ut habes in assertione catholica, uix sine magna difficultate, & periculo in tot linguas trãsferri possit scriptura. Olim uulgus Latinè utcunque intelligebat, iam uerò quando cœpit deficere, & corrumpi hæc lingua non putauit Ecclesia expedire, ut maiestas scripturæ, facile in Barbaras linguas translata, minueretur, & certè ueniret in contemptum, quanquã constet eodem etiam tempore nonnullos nec Latinè intellexisse.

g Hoc non excludimus, scripturæ, & psalmorum cantus consolatur, & excitat spem, sed non hoc solùm efficit.

h Quis dubitat oratione Ecclesiæ irã Dei mitigari, & expiari peccata hominum, nónne hoc fecit Moyses, & prophetæ? nónne Iacobus inquit: orate pro inuicem & saluemini, multum enim ualet deprecatio iusti assidua: non est opus referre quanta sint de his in scriptura.

i Non est alienum ab ędificatione, cùm aliquid diuinum, pfertur, quod etsi non plenè intellectum reuerenter auditur, & hac re uerentia excitatur deuotio, &c. sed illud hîc est considerãdum, Paulum apertè hoc loco ut linguam loquerentur permittere, linguam, inquit, habet, quo significatur, ut apertè ibi patet, ignota ijs, qui audiebant loqui, sed uult, ut posteà non desit interpretatio, quod in Ecclesia etiam dicimus esse agendum.

cium est, a Deo non uoce, sed corde psallendum, nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, &c. Quod autē iam dictum est, de usu linguæ uulgo notæ, intelligendum est, non tantum de cantu Psalmorum, sed etiam de omnibus b partibus Ecclesiastici ministerij. Sicut enim conciones, & precationes lingua Ecclesiæ nota habendæ sunt, ita & Sacramenta noto sermone dispensanda sunt. Etsi enim licebit aliquoties peregrina lingua propter studiosos uti, tamen consensus Catholicæ Ecclesiæ hoc exigit, ut necessaria ministeria Ecclesiæ fiant sermone uernaculo. 1. Corinth. 14. In Ecclesia uolo quinque uerba mente mea loqui, ut & c alios instituam potiùs, quàm decies millia uerborum lingua, &c. Innocentius tertius de offic. iud. ord. C. Quoniam. Quoniam d in plerisq; partibus, infrà eandem ciuitatem, atq; diœcesim, permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub una fide uarios ritus, & mores: districtè præcipimus, ut Pontifices huiusmodi ciuitatū, siue diœcesium prouideant uiros idoneos, qui secundum diuersitates rituum, & linguarum Diuina illis officia celebrent, Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos uerbo pariter, & exemplo. Quare piè & catholicè facere dicendi sunt hi, qui dispensationem Sacramentorum, carmina psalmorum, & lectiones sacræ scripturæ sic constituunt, f ut Ecclesia intelligat quod dicitur, legitur, & canitur, & fructū spiritus ad consolandā mentē, & confirmandā fidē, ac excitandā charitatē capiat.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Solum intellige, neq; enim uocalis cantus reprehenditur, sed docetur magis curanda cordis attentio, unde in consequentibus excessum modulationis reprehendit, non modulationem ipsam.

b Hoc multò minùs probari potest, maximè in Sacramentorū administratione, ubi præcedere, aut sequi potest doctrina. Sed in ipso Sacramento non prædicatio Euangelij quæritur, ut absq; ulla ratione isti confitentes contendunt, sed consummatio tantùm Sacramēti, ubi quod attinet ad consensum Ecclesiæ, satis est ut intelligat Ecclesiæ Sacramentum agi, atque ita consentiat.

c Apertè hîc loquitur de eo tempore, quo docendus est populus, ubi sicut Ambr. inquit, magis expedit breuis, & aperta oratio, quàm confusa.

d Hoc Innocentius statuit in concilio generali, ubi nihil de lingua uernacula nouū, sed prouidet ne desit etiā diuersitas linguarum, ubi necessaria est, constat enim in Sacramento pœnitentiæ, & multis alijs Ecclesiasticis ministerijs, necessariam esse uernaculam linguam.

e Propria auctoritate, priuatus, is scil. ad quem non pertinet gubernatio ecclesiæ, temerè magis hoc agit, quàm piè, & schismaticè magis, quàm catholicè: nec fructus est admodum manifestus, ut in catholica assertione habes.

DE HORIS CANONICIS. CATHOLICA.

Constat certè etiam Augustini testimonio morem cantandi hymnos, & Psalmos habere Christi, & Apostolorū documenta, exempla & præcepta, & longè ante Augustinum, & Ambrosiū maximè in Ecclesijs orientalibus consuetum, & iam eorum patrum tempore in toto orbe obseruatum, g & multis sanctorum patrum concilijs distinctas horas, quas Canonicas uocant, & diligenter cantum quid, & à quibus legendum in Ecclesiæ conuentibus. Ex quibus omnibus constat non solùm instructionem populi, & doctrinam lectionibus illis quæsitam esse, sed etiam Dei iram placare, orationibus Diuinam impetrare gratiā, pro peccatis satisfacere, & populi animos ad cœlestia deuotè cogitanda, & desideranda erigere, lectionem illam hymnorum, & psalmorum Ecclesia curauit, edocta magisterio Christi, & Apostolorum. Instituere itaq; certos ministros ad cantandas statutis horis Dei laudes, persoluendasq; cæteras orationes, Ecclesiæ nomine, pro ea, & pro quibus ipsa orare intendit, constat ex consuetudine, ex sensu catholicæ Ecclesiæ esse. & hoc instituto non solùm quæritur, ut per patientiam consolationis scripturarū spem habeamus, sed etiam ut iram Dei mitigemus, & pro peccatis satisfaciamus, idq; merito, & efficacia orationis, est etiam uera scripturæ sacræ, & Ecclesiæ doctrina. 1. ad Timoth. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Iacobus etiā admonet: Orate pro inuicem, ut saluemini. Et quantùm oratio totius Ecclesiæ prosit, docuit Christus apud Matth. 28. Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo. Quis ergo rectè potest dicere, solam instructionem, & doctrinam intendi debere in Ecclesia? Celestinus Papa in Epistola ad omnes Galliæ Episcopos, cap. 11. Obsecrationum quoq; sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atq; in omni Ecclesiæ catholica uniformiter celebrantur, & cæt. Loqui

Epistola ad Ianuarium 119. cap. 18.

9. Confess. lib. capit. 7.

SCHOLIA.

a Concil. Loadicen. cap. 15. usq; ad uigesimum nonum de precibus nona, & uespera, & tēpore oblationis meminit. Agathen. de hymnis uespertinis, & matutinis, & missarū etiam, atq; orationū meminit cap. 30. & concilium Vasense cap. 3. consuetudinis frequentius cantandi Kyrieeleison, meminit & matutini missæ, & uesperarum.

tur

cur enim de orationibus, quæ à sacerdotibus fiũt, pro infidelibus, pro Iudæis, pro hæreticis. Nulla itaq; ratione dici potest, in publicis conuentibus Ecclesiæ institutionem tantùm, & consolationẽ esse quærendam. Iam ex his etiam sequitur quid sentiẽdum sit de lingua, in qua Psalmi, orationes, & Sacramentorum administratio peragi debent in Ecclesia, nam illud primò constat curandum esse diligentißimè ut populus instruatur, deinde hoc plenè fieri non posse sola lectione scripturæ in quacunq; lingua etiam uulgari, sed necessariã esse uiuam doctoris uocẽ, quare hæc semper lingua uulgari fieri debet. Cæterùm, in alijs omnibus, ubi erectio cordium populi in Deum, deuotio, & sancta desideria quæruntur, non est cur lingua uulgaris necessaria sit, maximè si attendatur, quanta difficultas sit in transferenda scriptura, tenendoq; uero eius sensu, in tot Barbaras etiam linguas, & quòd non minus obscura sit scriptura in uulgarẽ linguã trãslata, ppter res ipsas, & phrases locutionis, unde fit ut uulgus sæpe errores colligat. Ad Rom. 12. Dico enim per gratiã Dei, q̃ data est mihi, nõ plus sapere, q̃ oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei, lege cætera quæ ibi, & 1. ad Corint. 12. loquitur. Ex quibus constat simplicioribus maximè, & inferioribus populis, non adeò quærendam esse eruditionem, quàm pietatem, & feruorem deuotionis. Spiritu, inquit, feruentes, orationi instantes, nõ alta sapientes, &c. Dionysius primo capite Ecclesiastic. Hierarchiæ. Et ipsi quoque sanctißimi principes nostri, dum sacra publicè agenda instituerunt, non apertis, ac patulis sensibus, sed signis augustioribus tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neq; omniũ scientia est, ut sacra testantur eloquia. Multa itaque constat ex hoc uerbo Dionysij abscondenda esse eorum, quæ in Ecclesia aguntur, quod toto eo capite diligenter docet, unde & in principio & in fine admonet Timotheum, ne sancta sanctorum efferat, aut profanis luminibus uiolanda permittat, neq; ea passim rudibus tradat, sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentiam sacratius pandat. Hæc enim ferè sunt uerba eius. Qui igitur omnia uolunt uulgari lingua in Ecclesia fieri, uideant, ne hac re curiositati magis seruiãt, quàm pietati, hæc enim contenta ijs, quæ manifesta sunt, passione scilicet, resurrectione, & cæteris mysterijs, quæ in Ecclesia celebrantur, alia quæ intelligit ueneratur, & proficit non parum hac humilitate. Curiositas uerò semper cognita fastidit, & contemnit, quærit uerò incognita, unde magis inflatio, quàm ædificatio sequitur. Quòd si neq; ijs rationibus quieuerit hic euulgandi, & agnoscendi omnia appetitus, proponendum est Ecclesiæ, & expectanda eius sententia, non propria temeritate audendum aliquid.

DE IEIVNIO.

VVIRTENBERG.

IEiunium habet suam laudem, & usum. Non est autem nobis nunc sermo, uel de necessario ieiunio, cùm necesse habes ob inopiam cibi ieiunare, uel de allegorico ieiunio, quod est ab omnibus uitijs abstinere, sed est sermo de duobus usitatis generibus ieiunij, quorum aliud est ieiunium perpetuum. Hæc est sobrietas, quæ semper, toto uitæ tempore, in cibo, & potu seruanda est. Nunquam enim licet helluari, & crapulam, ac ebrietatem sectari. Aliud est ieiunium diarium, cùm aliquoties toto die abstinetur à cibo, quale usitatum fuit in ueteri testamento, Leuitici decimosexto, & testantur exemplа Iosaphat, Niniuitarum, & alia. Hoc [a] genus ieiunij receptum est etiam in usum, post diuulgationẽ Euangelij, ut apparet ex actis Apostolicis, cap. 13. & 14. Secuta autem est posteà magna uarietas obseruationis id genus ieiunij in Ecclesijs. Sed hæc uarietas, sicut non attulit Ecclesiæ ullum incommodum, [b] ita testificata est libertatem usus huius ieiunij. Et extat apud ueteres obseruabile dictum de hac uarietate, [c] Ieiuniorum, inquiunt, discrepantia non rumpit fidei consonantiam. Etsi autem nonnulli sentiunt, [d] Christum dedicasse exemplo suo ieiunium quadragesimale, tamen manifestum est, quòd Christus non mandauerit hoc ieiunium, nec rerum natura ferat, ut exemplum ieiunij Christi, qui totis 40. diebus, & noctibus ab omni cibo, & po-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Placet hæc distinctio ieiunij, & quæ de eius uarietate dicuntur, sunt certa ex antiqs historijs Ecclesiæ.

b Libertatem in usu ieiunij antiquitus satis constat fuisse in arbitrio Episcoporum, cæterùm populis necessarium fuit instituta ieiunia tenere, ut in assertione catholica probatur, damnatus est enim Aërius contrariũ docens, & in concilio Gangrensi, cap. 19. anathemate damnatur, ieiunia communia totius Ecclesiæ præter necessitatem corporalem dissoluere.

c Auctoritate prælatorum, & consuetudine non rumpit consonantiam fidei, obligat tamẽ mos, & cõsuetudo ad sui obseruantiã.

d Hoc & Amb. & Chrys. & patres omnes, & tota Ecclesia semper sensit, cõtra quod temerè, & nulla ratione loquimini, nam quod non possumus totos 40. dies sine cibo transire, atq; ita integrè & plenè Christi ieiuniũ assequi, quomodo infert, propterea non debere præstare quod possimus, ut scilicet more fragilitatis humanę ieiunemus, atq; ita sequamur licet à longè Christum, sicut etiam sequimur exemplum passionis eius: Vide in catholica assertione de hac re patrum testimonia.

tu abſtinuit, imitemur. Et non obſcurè ſignificat Euſebium uſum huius quadrageſimalis ieiunij a fuiſſe in Eccleſia liberrimum. Dicit & Chryſoſtomus in Gene. capite, 2. Hom. 11. Si b ieiunare non potes, potes tamen abſtinere à delictis. Hoc autem non minimum eſt, nec à ieiunio multum diſtans, ſed ipſum quoq; Diaboli furorẽ proſternere idoneum. c Nec erat inſtitutus delectus ciborum, quòd Apoſtolis dixiſſet: Mundis omnia eſſe munda. Sed in talium ieiuniorum obſeruatione, maximè omnium conſiderandus eſt finis. Veteres ieiunarunt aliquoties totis diebus, ut uacarent publicæ precationi, d & hac diſciplina admonerent Eccleſiam ſuam, ac præſertim iuuentutem, de præteritis, uel de præſentibus, uel de imminentibus periculis, ac e excitarent eam ad agendam pœnitentiam, qua ira Dei mitigaretur. Hic eſt pius, & utilis horum ieiuniorũ finis. Alij ieiunant, ut merito f huius operis expient peccata coram Deo, g uel ſicut nonnulli loquuntur, applicent ſibi ieiunio ſuo meritum Chriſti, ſed hic finis omnino refutandus eſt. Primùm h enim, ſola mors Chriſti eſt expiatio peccatorum noſtrorum. Deinde, ieiunium non eſt in hunc uſum ordinatum, ut ſit opus, quo applicetur nobis meritum Chriſti. Aut i enim ieiunium coniunctũ eſt cum uera pœnitentia, tunc meritum Chriſti applicatum eſt pœnitenti per fidem, quæ eſt præcipua pars pœnitentiæ, antequam ſuſcipiat uel perficiat ieiunium. Aut ieiunium eſt ſine pœnitentia, tunc eſt in conſpectu Dei abominandum, tantum abeſt, ut applicet ieiunanti meritũ Chriſti. Eſaiæ 58. Nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuũ? Auguſtin. Epiſt. 86 ad Caſulanum. Ego in Euangelicis, & Apoſtolicis literis, totoq; inſtrumento, quod appellant teſtamentum nouum, animo id reuoluens, k uideo præceptum eſſe ieiunium.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Non cuilibet, ut probatum eſt, ſed prælatis liberum fuit diſpenſare, quod & nũc etiam non eſt dubitandum fieri poſſe. Hoc loco habet annotatio quædam in margine: Duobus tantũ diebus in hebdomada ieiunabant per quadrageſimam, & citatur hom. 11. in Geneſ. Chryſoſtomi, ubi aduerte contrarium omnino haberi, ait enim, allata ſimilitudine ſtationum, & diuerticulorum, quæ ſunt in uia, ita nunc is, qui in hac quadrageſima ieiunij curſum ſuſceperunt, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus eſt. Itaque docet duobus diebus remiſſum fuiſſe ieiunium in Eccleſia ſua, non uerò duobus diebus ieiunatum fuiſſe. Itaq; ſolum probant diuerſitatem conſuetudinis ieiunandi in quadrageſima, quod confitemur, & tamen idem Chryſoſtomus exigit, ut neceſſarium, ipſum ieiunium.

b Hoc omnes aſſerimus, nulli ſupra uires, & ualetudinem imponitur ieiunium, Concilium Gangren. illis indicit anathema, qui præter neceſsitatem corpoream ieiunium diſſoluunt.

c Delectus quidem ciborum, quaſi aliqui eſſent immundi, non erat, ſed ad affligendũ corpus certum eſt, ut in aſſertione catholica habes, ex concilio Laodiceno, cibis abſtinentiæ conuenientibus, & leuioribus uſos fuiſſe Chriſtianos.

d Quare non ut placarem Deum ipſo ieiunio, exemplo Niniuitarum? quare ieiunium tantùm propter homines faciendum dicitis, dicente Chriſto: ut uideari patri tuo ieiunans? &c.

e Nunquid ipſi non agebant id, ad quod Eccleſiam excitabant. Ieiunabant uerò illi ieiuniũ, ergo iram Dei mitigat, alioqui cur Eccleſię exemplum dabant ieiunandi in imminentibus periculis?

f Non dubitamus ieiunium ſatisfacere, p peccatis, ut probatũ eſt in aſſertione catholica, & ſuperiùs de ſatisfactione, & hic.

g Et hoc aſſerimus, ſi compatimur, inquit Paul. & conregnabimus, ſi commortui ſumus, & conuiuemus, ieiunium uerò mortificatio eſt corporis.

h Vetus cantilena eſt, nihil ab ea alienum, ſed Chriſtianum, ieiuniũ imitatio eſt eius, & eius uirtute à nobis fit, ut iam de cunctis píjs operibus dictum eſt.

i Ita fatemur, ieiunium coniunctum uerę pœnitentiæ, applicare nobis meritum Chriſti. Sed aiunt, iam per fidem eſſe applicatũ, uerum eſt, per fidem, quæ per dilectionem operatur (ut Paulus inquit) quæ habet coniunctam ueram pœnitentiam. Quid uerò impedit, ut applicato ſemel merito Chriſti, per pœnitentiam cordis accedens ieiuniũ, quod eſt fructus eius, id magis, ac magis applicet? Nec enim ſemel applicatum minus poteſt rurſum applicari, quàm qui ſanctus eſt, adhuc ſanctificari. Tota ſiquidem ſanctificatio non aliundè eſt, quàm ex applicatione meriti Chriſti. Sicut ergo in ſanctificatione ſunt gradus, ita in applicatione meriti Chriſti. Quòd uerò de altero membro dicunt, ieiunium ſine pœnitentia ſordidum eſſe in oculis Dei, eſt magis ſobriè dicendũ. Peccatores ieiunantes, aut alia ex ſuo genere bona opera facientes, etiam ſine uera pœnitentia, modò non peruerſa intentione, nõ parum promouẽt eo ieiunio. Implent enim præceptum, atq; ad pia opera promptiores fiunt, & nonnihil ſe diſponũt. Itaq; fatemur, ieiunium ſine pœnitentia, eius ſcilicet, qui eſt in peccato, non eſſe dignum remuneratione uitæ æternæ, non tamen eſt peccatũ, nec omnino ingratum Deo, modo non adſit peruerſa intentio.

k Hoc aduertite & apertè id confitemini, præceptum eſſe ieiunium, nam & hoc loco deſideramus in uobis ſynceritatem, cum ueſtri ferè omnes ieiunium quadrageſimę re-

Quibus

Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, uel Apostolorũ non a inuenio definitum. At per hoc sentio, non quidem ad obtinendum, quam fides obtinet iusticiam, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus. Chrysosto. tom. 4. de ieiunio Quadragesimali, Hom. 73. Si b quotidie huc conuenimus, ac totam ieiunemus Quadragesimam, & non mutamus uitam in melius, maioris damnationis occasio nobis fieret. Ex his manifestum est, quòd sentire ieiunium esse opus, quo uel peccata coram Deo expientur, uel meritum Christi applicetur, nec sit Apostolicum c nec catholicum.

SCHOLIA CATHOLICA.

ijciant, & alia ab Ecclesia statuta, cum Aërio, & uos etiam quantum intelligo re ipsa non teneatis illa. Cur ergo id non apertè dicitis? quod si hoc uultis significare, cùm docetis liberrimum fuisse usum ieiunij, dicite apertè reijciendam quadragesimam, & omnia instituta ieiunia, & reijcite hoc uerbum Aug. & consentite Aërio, aut si hoc non sentitis, apertè dicite obseruanda esse illa ieiunia, & opere id præstate.

a August. apertè eo loco disputat contra Vrbium quendam, qui ieiunandum esse necessario omnibus sabbatis docebat. In eadẽ epistola maximè docet seruandum esse morem cuiusq; Ecclesiæ, quod etiam facit alijs locis, ut habes in assertione catholica.

b Quid hîc aliud Chry. docet, quàm quòd uel impium ieiunium non placeat Deo, uel quòd Quadragesimam transegisse sine mutatione uitæ sit magis peccasse, quod certum est propter abusum sacri temporis, & transgressionem intentionis Ecclesiæ præcepti, scilicet quo in Quadragesima ad pœnitentiam tenemur.

c Ex quibus rogo hoc sequitur, an quia ieiunium impium reijcitur, & exigitur mutatio uitæ à ieiunantibus? uel quia impotentibus non imponitur, uel fortè ex loco Augu. ad Casulanum citato, ubi dicit in Euangelicis, & Apostolicis literis, totoq; nouo testamento se uidere præceptum esse ieiunium, nam non uideo quid aliud adduxeritis præter unicum illud uerbum, quòd sola passio Christi sit meritum, & quòd applicetur per fidem pœnitentiæ, sed hoc quàm sit uanum, ostensum est, nec mirari possumus, qua audacia hoc inferri potest inter Christianos, qui nouerunt, quàm sit prædicatum ieiunium, potius itaq; inuerte, non est Iouinianum, neq; est Epicureũ, hos enim duos Hieron. coniungit.

DE IEIVNIO.

CATHOLICA.

Ieiunium illud speciale, quo uidelicet non tantùm sobriè cibo, & potu utimur, quod totius uitæ esse debet, sed quò speciali abstinentia ciborum siue toto die, siue usq; ad certam horam corpus affligimus, non dubium est consuetum fuisse semper in Ecclesia. Quanquam similiter, & modus eius, & tempus, diuersimodè pro temporibus, et locis constet fuisse in usu, sed ut Augustinus inquit in Epist. 86. ad Casulanum, hoc ueritati fidei nihil detrahit, obseruationes, inquit, quæ uariè celebrantur, in ueste filiæ regis intelliguntur. Vt de dicitur in fimbrijs aureis circumamicta uarietatibus, sed ea quoq; uestis ita diuersis celebrationibus uarietur, ut non aduersis contentionibus dissipetur. Illud etiam in hac diuersitate certò constat, statuta in qualibet Ecclesia, aut consuetudine, aut prælatorum auctoritate ieiunia, ita obseruata fuisse, & exacta, ut hæreseos etiam iudicati sint Aërius, Manichæus, & alij, quòd ieiunia, quæ in Ecclesia statuuntur, contemnenda docerent. Inter quæ ieiunium Quadragesimæ constat omnium patrum consensu ab Apostolis traditum Ecclesiæ, & deriuatum à Christo, cuius quadragesimale ieiunium non dubitant asserere nobis esse imitandum. Ambr. in serm. de Quadragesi. 25. & 34. Non enim fratres leue peccatum, fidelibus indictam Quadragesimam à Domino non ieiunare, & ieiunia cõsecrata uentris uoracitate dissoluere. Scriptum est, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Si uis ergo Christianus esse, debes quod Christus ille, qui non habebat peccatum, Quadragesimam ieiunauit. Tu non uis Quadragesimam ieiunare qui peccas? Latiùs & hoc ipsum secundo loco prosequitur, hanc, inquit, Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Ibi nec unum diem ex quadraginta omittendum docet, sicut 23. sermone sine intermissione omnes quadraginta dies ieiunandos docet. Non quòd dubitemus alibi fortè aliquam fuisse remissionem, sed apud omnes præconia quadragesimalis ieiunij manifestissima sunt. Vide Chrysostom. in Homil. super Gen. & in alijs de Quadragesima. Leonem similiter in sermonibus de Quadragesima, & de ieiunio septimi mensis, Ibi sermon. octauo, de ieiunijs quatuor temporum anni, & de ieiunio decimi mensis hoc apertiùs. Augustinus in Epistola 119. ad Ianuarium 2. capite 15. Vbi Quadragesima, inquit, ieiuniorum habet auctoritatem & in lege uetere, & in Euangelio. In qua ergo parte congruentiùs constitueretur, nisi confini, atq; contiguæ Dominipassioni? Et concilium Agathen. capite duodecimo: Placuit, inquit, ut omnes Ecclesiæ filij, exceptis diebus Dominicis, etiam die sabbato sacerdotali ordinatione, & districtionis commina tione ieiunent, & hoc quidem tempore Celestini ante mille integros annos. Nam & delectus cẽborum, etsi nõ ita præscriptus fuerit ut iam, proculdubio tamen seueriùs multò seruabatur. Vnde in Concilio Laodiceno primo, capite 50. Om-

nem quadrageſimam dicitur oportere deſtricto uenerari ieiunio. Vbi alia litera habet: & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt, aridioribus uti. Finem uerò ieiuniorum Eccleſiæ, certum eſt ex doctrina Patrum, non tantùm fuiſſe, ut admonerentur fideles imminentium periculorum, ſed ut peccata expiarentur, mitigareturq; Dei ira, & Deo gratiores efficeremur. Vnde non uerentur patres, citatis iam locis, miris laudibus ieiunium cõmendare, præcipuè Ambroſius, Chryſoſt: & Leo. Non itaq; quòd ieiunium meritum Chriſti nobis applicet, falſitatis argui poteſt, ſed magis, negare ieiunium opus eſſe, quo æternam uitam meremur, & ſatisfacimus pro peccatis, error eſt apertiſſimus. Secundæ ad Corinth. ſexto: Paulus inter cætera miniſtrorum Dei exercitia, in uigilijs, inquit, in ieiunijs, in caſtitate. Et Actu. 13. De cæteris, qui Antiochiæ erant, & ipſo Paulo ſcriptum eſt, quòd miniſtrãtibus illis Domino, & ieiunantibus, & cæt. & ipſo, atq; ſequenti capite ſunt exempla clariſſima ieiunij, Eccleſiarum inſtitutarum ab Apoſtolis: & Chriſtus dominus, inquit de ieiunio, Pater tuus reddet tibi. Leo ſermon. 4. de ieiunio decimi menſis. Ieiuniorum utilitatem noui teſtamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atq; animæ ſemper profuturam pia obſeruatione ſuſcepit, quoniam ſicut permanet apud intelligentiam Chriſtianam: Dominum Deum tuum adorabis, & diliges proximum tuum atq; teipſum, & cætera talium mandatorum, ita quòd in ijſdem libris de ſanctificatione ieiuniorum & curatione præceptum eſt, nulla interpretatione uacuetur, in omni enim tempore, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores. Similiter & ſermone undecimo de Quadrageſima apertè inquit: adeſt maximum ſacratiſſimumq; ieiunium, quod obſeruantiam uniuerſis fidelibus ſine exceptione denunciat. Et innumera ſunt in eo & cæteris patribus de hoc teſtimonia. Chryſoſtomus Homilia prima in Geneſim: Si medici pharmaca dare uolentes, ut putridum humorem expurgent, à corporali uoluptate abſtinere præcipiunt, multò magis nobis ſpirituale hoc remedium, id eſt, utilitatem, quæ ex ieiunio eſt, ſuſcepturis, tenuitate uictus noſtram mentem expurgare conuenit. Et tota ea Homilia, & pluribus alijs eiuſdem operis, miras annectit laudes, & uirtutes ieiunij. Qui ergo ieiunij laudibus detrahit efficaciam, atq; meritum, illoq; nos Chriſto configurari, atq; ita magis, magisq; eius meriti participes fieri negat, contrarius eſt catholicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ, cum Iouiniano, Aërio, & alijs ſchiſmaticis damnatus. Concilium Gangrenſe, capite decimonono: Si quis eorum, qui continentiæ ſtudent, abſq; neceſsitate corporea, tradita in communi, ieiunia & ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſoluit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, uel ut habet alia translatio, perſectam in ſcientia uindicans rationem, anathema ſit, hoc ibi ante annos 1200.

DE CONSECRATIONE AQVÆ, Salis, Vini, Herbarum, & aliarum rerum.

VVIRTENBERG.

AGnoſcimus a in ueteri teſtamento diuinitùs fuiſſe inſtitutam aquam aſperſionis, qua Leuiticæ immunditiæ purgabantur. Agnoſcimus etiam miraculum, quo Propheta Elizæus ſanauit ſteriles aquas Iericho, iniecto ſale. Et amplectimur quod Paulus ad Timotheum ſcribens: Omnis, inquit, creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per uerbum Dei & precationem. Sed quòd conſecretur in nouo teſtamento aqua, quam uocant benedictam, cuius aſperſione deleantur b peccata uenialia, & pellantur Dæmones, ac conſecretur etiam ſal, qui c faciat res alioqui noxias ſalutares, non uidetur nec Apoſtolicum nec catholicum eſſe. Nam imitatio b Leuiticæ aſperſionis, & miraculi Elizæi, non eſt uerbo Domini mandata, ſed humano arbitrio uſitata: pertimet igitur ad hoc dictũ Chriſti: fruſtrà colunt me, docẽtes doctrinas, mandata

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hæc omnia catholica ſunt, & præter controuerſiam & nobis, & uobis communia, ſed quales imponitis nobis ſenſus horum, & quales uos habetis, cùm dixeritis, reſpondebimus: nam quod ultra hæc deſideremus in uobis, quod ad rem inſtitutam attinet, in aſſertione catholica oſtendimus.

b Motu potiùs deuotionis in Deũ, & pœnitentiæ, ad quę ſigno illo exteriori aſperſionis aquæ excitamur, remittuntur peccata, adiuuante etiam Eccleſiæ oratione, cui ſe coniungit ſuſcipiens aquam.

c Hoc non ſentit catholica Eccleſia, ſal ſcilicet benedictum facere ex rebus noxijs uel corpori, uel animæ ſalutares, ſolùm intenditur, quod orationes Eccleſiæ habent, ut ſcilicet ſale illo benedicto, & aqua, & oratione Eccleſiæ, qua illa benedicta ſunt, aduerſæ poteſtates comprimantur.

d Fatemur, ſed neq; eſt prohibita, nam uerbum hoc, quod ſemper in ore habetis, fruſtrà colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum, & ex ipſa Chriſti doctrina, & maximè ex Auguſtini uerbis, quæ citauimus, de ijs, quæ ſunt uel contra fidem, uel bonos mores conſtat intelligendum, Alioqui quæ exhortationem habent melioris uitæ nuſquã in lege noua prohibita ſunt, etiã ſi uel ex uetere lege, uel ex ritu Gentium ueniant, in ueram tamen fidem relata, nec ſine ædificatione aliqua, de quo ſuperiùs etiam plura dicta ſunt.

homi-

hominum. Et manifestũ est, quòd a *aspersio sanguinis Christi, quæ fit per uerbum Euãgelij, per baptismum, & cœnam Dominicam (excipitur autem per fidem) emundet nos à peccatis. Quod igitur est solius sanguinis Christi diuina ordinatione pro peccatis nostris effusi, hoc non debet tribui aquæ humanæ cõditione cõsecratæ. Quod autem Elizæus sanauit aquas steriles sale, proponitur nobis admirandum, ut confirmemus ex eo fidem, quam debemus propheticæ concioni adhibere, non proponitur nobis sine certa uocatione Dei* b *imitandum, propterea quòd miracula sanctorum non soleant esse generalia, sed personalia. Quòd autem Paulus dicit, creaturas sanctificari uerbo Dei, & precatione, non* c *sentit creaturas, exempli gratia, salem, carnẽ, oua, herbas esse exorcizãdas, ut usu earum fugetur Sathan, sed quòd omnes creaturæ sint uerbo Dei in suũ quæq; externum usum ordinatæ, quæ nobis tunc in bonum cedunt, cùm ipsis ex fide, & inuocatione Dei rectè utimur. Sic Deus creauit salem ad condiendum cibum, & conseruandam carnem à putrefactiõe, aquam ad potum, aut lauationem, aut rigationem, non ad fugandam Dæmonem. Ordinauit quidem in baptismo aquam ad abluenda peccata, hæc autem non est generalis creatio Dei, sed specialis ordinatio certo uerbo Dei definita. Nam quãtum attinet ad generalem Dei creationem, & sanctificationem, non extat uerbum Dei, quòd testificetur creaturas, quas antè cõmemorauimus,* d *exorcismis ad hoc utiles fieri, ut deleãt peccata, & fugent Dæmones. Quod autem suscipitur sine* e *uerbo Dei in* f *alienum à Diuina ordinatione usum, non potest fieri ex fide, sed fit abusus, & adfert magis perniciem, quàm salutem. Ad Roma. 14. Omne quod non est ex fide* g *peccatum est. Cyprianus Epistola 3 lib. 2. Si solus Christus audiendus est, nõ debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putarit, sed quid* h *prior Christus, qui ante omnes est, fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei ueritatem.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Meritum passionis Christi fatemur offerri nobis, quum prædicatur Euangelium, & quum ministrãtur Sacramenta, quod nõ pertinet ad prædicationem Euangelij, & suscipi ab adultis quidem per fidem quæ per dilectionem operatur, & omnibus etiam pijs operibus, ut dictum est, fatemur, & sola hac uirtute sanguinis Christi remitti peccata, sola, inquam, quia nulla re ab hac aliena, aut separata, neq; hoc tribuimus aquæ benedictæ, sed precibus Ecclesię, & deuotionimentis, quæ omnia à merito Christi sunt, si aliqua sunt. Quòd uerò humana consecratione consecretur aqua, fatemur, sed pijs, & humilibus Ecclesiæ precibus, quibus Deum deesse non est credendum.

b Neq; nos in Ecclesia illud imitari uolumus, ut scilicet sale aquæ amaritudinem auferamus, sed illud mysticè intelligentes factum, nos etiam mysticè sal coniungimus aquæ, significãtes, diuina gratia humanam omnem insipientiam sanari, & precamur Deum, ut piè utentibus illis gratię suæ non deneget auxilium.

c Neq; nos sentimus germano sensu Paulum hoc significasse, sed quod Augustinus dicit 2. lib. de peccat. merit. & remiss. cap. 16. sanctificari cibos, quibus ad necessitatem uitę utimur, per uerbum Dei, & orationem, quam scilicet oramus nostra corpora refecturi, sed creaturas posse ita exorcizari fatemur nusquam prohibitum, nihil habere contra fidem, aut bonos mores, sed habere potius aliquid ædificationis. Admonemur enim malitiæ Diaboli, qua semper nobis insidiatur, infirmitatiq; nostræ, & docemur semper ad orationẽ confugere, maximeq; ecclesiæ, quę nunquam non potest efficax esse apud Deum. Itaq; sicut licet adiurare ipsum Sathanã immediatè, ut ita dicamus, ita per has creaturas idem facimus.

d Qualiter deleant peccata, & fugent Dæmones dictum est, Quòd uerò non sit uerbum Dei hæc testificans, etiam si fateamur, nihil obest, satis est, quòd non sit contrarium: deinde est uerbum, quo testificatur actionibus Ecclesiæ suæ pijs, in quibus nihil contra fidem, aut bonos mores est, adesse Deum, eiusq; audire preces.

e Contra uerbum Dei dicendum esset, id est, cõtra fidem, aut bonos mores: hoc enim adfert perniciem.

f Sed non est alienum à Diuina ordinatione, ut in usu creaturæ eius inuocemus uirtutem, & confidamus adfuturam nobis, atque hac ratione nos ad eam percipiendam excitemus: quam ergo hoc adfert perniciẽ?

g Quod repugnat fidei, & alienum est ab ea, fatemur esse peccatum, quid inde habetur, an non ex fide est audire Deum orationes Ecclesiæ?

h Cypria. hoc loco agit contra eos, qui nõ miscent in calice aquam uino, ubi primum uos conuenio, an hoc fit ullo uerbo scripturæ traditum, & tamen hoc Cyprian. à Christo docet esse factum, & contrarium ait esse Christo, qui illam omittit. Quod utinam audiretis, multa scilicet non scripta tenenda esse non minus, quàm scripta: quod igitur inquit, solus Christus audiendus est, apertè significat, quod nullus cõtra illa, quæ contraria sunt scripturæ, uel traditioni, sit audiendus, in his uerò nihil est simile.

DE CONSECRATIONE AQVÆ, SALIS, VINI, HERBARVM ET ALIARVM RERVM. CATHOLICA.

August. epist. ad Ianuari. 1. quæ est numero 118. & cap. 2. & 3. & epist. sequenti cap. 18. & 19.

AGnoscit uera fides & modestia Christiana, quòd ea, quæ neq; contra fidem, neq; contra bonos mores faciunt, pro eorum, inter quos uiuitur, societate seruanda sunt, nec ob indifferentem aliquem ritum turbãdæ sint simplicium conscientiæ, aut excitandi ad contentionem turbulenti, multò minus schisma faciendum in Ecclesia. Et hoc quidem etiam in illis rebus, quæ aut uix, aut omnino nihil habere ad ædificationem inueniuntur, multò igitur magis in ijs, quæ aliquid habent exhortationis ad pietatem. Illud Augustini certissimum est, quòd mos populi Dei pro lege est habendus. Illud etiam ex sacra scriptura constat, corporeas has creaturas in usum hominibus datas, uerbo Dei, & mysticis Ecclesiæ precibus rectè benedici, & exorcizari, quò aduersariarũ potestatum malicia, quæ per illas nocere poterat fidelibus compescatur, & ipsæ creaturæ utiliores ipsis efficiantur. Agnoscit etiam pietas Christiana, & ex Christi promissione, & ex traditione Apostolorum, à sacerdotio ipso Christi deriuari unguentum illud sanctificationis, non solum in sacerdotes, & sacramenta, sed etiam in ipsa inanimata, quorũ in Sacramentis est usus, ut altaria, uasa, uestes, & deniq; in omnia, quæ Ecclesiæ precibus, uel ad usum Sacramentorum, uel ad præparandos fideles consecrata sunt. Aquæ igitur benedictæ cõsecratio habet quidem exemplum, & ueluti analogiam in aqua lustrationis legis ueteris, sicut admistio salis, atque benedictio in Helizæo, sed non hæc quasi necessariò obseruanda in lege noua suscepta sunt, sed uel ex fiducia in Christum, qui sacerdotibus suis deesse non potest, antiquissima traditione in salutem fidelium consecratur, uel certè ex consuetudine & Iudæorum, & Gẽtium translatum, aut permissum in Ecclesia propter infirmos, qui omnino carere externis quibusdam cærimonijs non possunt, quibus multò infirmiores sunt, qui ijs offenduntur, & nec hoc illis condonare possunt. Peccatorum uerò etiam uenialium deletio (quam nõ nisi uirtute sanguinis Christi fieri credimus, & concurrente proprio deuotionis, uel pœnitentiæ motu, in adultis) non aliter tribuitur aquæ benedictæ, quàm secundum propriam deuotionem, quæ scilicet in eius aspersione habetur, quisq; se disponit ad illam. Atq; idem dicimus de effugandis Dæmonijs, ex deuotione uidelicet, uel Ecclesiæ hoc orantis Deum, uel ipsorum etiam, qui utuntur, in quibus omnibus nihil est quòd derogemus uirtuti Christi, quum quidquid in eis fit, totum uirtuti passionis eius tribuamus. Et quidem cùm hæc uirtus passionis Christi, non semel tantùm, sed omni etiam momento nobis necessaria sit, non tantùm per baptismum, & alia Sacramenta, sed per omnia pia opera, & desideria applicatur nobis, ut superiùs satis ostensum est. Aqua uerò benedicta, uel ingressu Ecclesiæ, aut alijs huiusmodi, non certa fide tenemus hoc fieri, ut sint quasi Sacramenta, certo Dei uerbo instituta: sed pietate quadam, & fiducia diuinæ bonitatis speramus, bono desiderio cordis nostri, & multò magis Ecclesiæ affuturã Dei uirtutem, quæ nos excitet, & magis participes faciat passionis Christi, cùm frequenter ipse sine aliquo horum id soleat efficere, ad quod usu horum nos excitamus. Ad Hebræos 13. Obedite præpositis uestris, & subiacete eis, & Christus in Euangelio: Qui uos audit, inquit, me audit. Augustinus 2. Epistola ad Ianuarium 119. cap. 18. de uarijs ritibus. Vna in his saluberrima regula tenenda est, ut quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunq; institui uidemus, uel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur: si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius timendum sit. Alexander primus Epistola prima ad omnes Orthodoxos: Aquam enim salem conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciẽdum esse mandamus, ubi adducto exemplo aquæ ex cineribus uitulæ ueteris legis, & salis, quo Elizæus aquæ sterilitatem sanauit, & deniq; fimbriæ uestimenti saluatoris, cuius tactu infirmi sanati sunt, quanto, inquiunt, magis elementa Diuinis precibus sacrata, sanctificanti? & cætera multa, quæ in hanc sententiam ibi dicuntur. In quibus fide maxima, sanctus ille Põtifex, Diuinis precibus cuncta necessaria infirmitati humanæ uult à sacerdotibus perfici, etiam miracula.

DE SACRA SCRIPTVRA. VVIRTENBERG.

SAcram scripturam uocamus, eos canonicos libros ueteris, & Noui testamenti, de quorum auctoritate in Ecclesia a nunquam dubitatum est. Hanc scripturã credimus, & confitemur esse oraculum spiritus sancti, cœlestibus testimonijs ita confirmatum, ut si Angelus de cœlo aliud prædicauerit, anathema sit. Quare detestamur omnem

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quare nõ etiam eos, de quibus etsi aliquando dubitatũ fuit, posteà tamen in concilijs Patrum diligẽti examine constat esse receptos? Nam & cõcilium Nicænum refertur censuisse de libris canonicis, & multa sequentia concilia, multosq; pontifices constat idem fecisse, & multi de quibus dubitabatur libri sunt recepti, uultis igitur nullũ unquam dubiũ finiri in Ecclesia, sed quidquid demum aliquando dubiũ fuerit, semper futurum dubiũ? Vbi ergo dubium Cypriani, imò eius cum 70. Episcopis sententia de rebaptizandis ijs, qui apud hæreticos baptizati sunt? Cuius contrarium iam præter omnem dubitationem catholicum do-

doctrinam,

doctrinam, cultum, & religionem a *pugnantem cum hac ſcriptura. Sed quòd nonnulli ſentiunt, in hac ſcriptura non contineri omnem doctrinam, nobis ad ueram, & perpetuam ſalutem* b *cognitu neceſſariam, & ius interpretandi huius ſcripturæ in poteſtate ſummorum Pontificum ita ſitum eſſe, ut* c *quod hi pro ſuo arbitrio pronuncient, amplectendum ſit* d *pro ſententia ſpiritus ſancti, uidetur facilius poſſe dici, quàm probari. Secundæ ad Timotheum tertio. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata & utilis* e *eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſticia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Ioannis 15. Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota uobis feci. Quæ autem Apoſtoli acceperunt à Chriſto, ea uulgauerunt prædicatione ſua in toto orbe terrarum, &* f *tradiderunt ea poſteritati ſcriptis ſuis. Manifeſtum igitur eſt, quòd omnia, quæ ad ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis contineantur. Chryſoſtomus ad Titum Hom. 1: Manifeſtabit temporibus ſuis uerbum ſuum, in prædicatione quæ credita eſt mihi. Hæc eſt prædicatio, & Omnia enim Euangelion con-*

SCHOLIA CATHOLICA.

gma habetur, ut Aug. in lib. 7. de baptiſmo cõtra Donatiſtas dicit. Re uera uelle adhuc libros illos Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, Tobiæ, & in Nouo teſtamento epiſtolam Iacobi, & deniq; reliquos, de quibus aliquando dubitatum eſt, à canone reijcere, proteruia eſt nimis inuerecunda. Quis præferat tot cõciliorum, & patrum auctoritati, & tanto cõſenſui Eccleſiæ, non modernæ tantùm, ſed antiquæ, ſenſum ſuum? Sed neq; id magnopere ad rem pertinet, quum dogmata ipſa, quæ ex ijs libris probari poſſunt, propter quæ negari fortè poterant, certa Eccleſiæ auctoritate cõſtent, gratis igitur, uultis de hac re adhuc contendere.

a Hoc certiſsimum eſt, & loco illo Pauli euidẽter probatur: Si Angelus de cœlo, &c. Sed uidendum ne facilè iudicetur aliquid pugnare cum ſcriptura, quod non niſi certa ratione, uel auctoritate fieri debet, uos enim, quod alibi dictum eſt, inuocationem ſanctorum, uel adorationẽ Euchariſtiæ iudicatis pugnare cũ ſcriptura. Qua uerò auctoritate uel ratione, uiſum eſt.

b Omnem quidem doctrinam in genere, & uniuerſali quadã ratione ad ſalutem neceſſariam fatemur cõtineri, dum docemur Eccleſiam eſſe columnam, & firmamẽtum ueritatis, & obſeruanda eſſe quæ ab Apoſtolis, uel per ſcripturã, uel per ſermonem præcepta ſunt. At uerò hæc oĩa in ſpeciali non continentur in ſcriptura, ſed in traditione Apoſtolorum, uel in explicatione poſteriorum conciliorũ, ut nomẽ homouſion, Chriſma, atq; unctiones, quæ adhibentur in baptiſmo, & eiuſmodi alia. Alioqui, qui nihil uultis recipere, niſi quod ſcriptũ eſt, ipſum Euangelium Matthæi ubi ſcriptum ſit, à ſpiritu ſancto eſſe, & non Thomæ, uel Nicodemi iudicate, idemq; de cęteris omnib. libris ſcripturæ. Quòd ſi in his ſtatis iudicio Eccleſiæ, quæ fundamentũ ſunt fidei, cur non in cæteris eius ſtabitur auctoritati?

c Nullus catholicus arbitrio alicuius hominis permittit interpretationẽ ſcripturæ, ſed conſenſui Eccleſiæ, & traditioni Apoſtolorum, iuxta quam ſummi pontifices interpretari debent ſacram ſcripturam.

d Pro ſententia ſpiritus ſancti nullius hominis ſententiam amplectimur, niſi cõſtat ſpiritum ſanctum per eum locutũ: at cõſenſum eccleſiæ nõ dubitamus à ſpiritu ſancto eſſe, qui habitare facit unanimes in domo.

e Vtilis, inquit, eſt, ſed non inde habetur quòd omnia cõtineat, quod ſi dixeris, ex illis uerbis ut perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonũ inſtructus, quia ſi perficit, & inſtruit ad omne opus, nihil reſtat. Reſpondemus ita eſſe, quia inſtruit ſcriptura traditiones ipſas ſequendas eſſe, ut Paulus ipſe Theſ. teſtatur, & eidem etiam Timoth. ut habes in aſſertione catholica.

f Mirandum eſt, q; tam audacter hoc aſſeratis, & tam facilè, meritoq; eadem facilitate contemnendũ, nam primum conſtat, nõ oẽs Apoſtolos ſcripſiſſe, & tamẽ prædicauerunt omnes, deinde neq; ipſi, qui ſcripſerũt probãtur omnia ſcripſiſſe. Imò Paulus apertè contrariũ dicit ad Timotheum, ut habes in aſſertione catholica, & teſtatur Dion. Euſeb. & antiquorũ plurimi, pauca eſſe ſcripta ab Apoſtolis, nec Chriſtus unq; pręcepit eis, ut ſcriberent, ſed prædicate inquit. Et q; indignè ſentit de animis hominũ, de Eccleſię firmitate, de operatione ſpiritus ſancti, qui non putat ſolidiùs, & firmiùs teneri poſſe, quæ cordibus mandantur fideliũ, dicente Paulo, hęc cõmenda, &c. q; quę membranis, aut tabulis? Deniq; Euãgelica lex, teſtãte Ezechiele propheta, nõ ſcripta, ſed indita eſt cordibus, nec ad eius eſſentiã pertinet ſcriptura aliqua, quanto. n. tẽpore ſine ſcriptura Euangelica lex fuit enũciata? Imò ut antiquiſsimus Irenęus li. 3. aduerſus hæreticos, cap. 4. diligẽtiſsimè & ueriſsimè conſidera uit, uſq; hodie apud oẽs Barbaros ſine ſcriptura eſt lex Euangelica, neq;. n. quidquam Apoſtoli ipſis ſcripſerunt, ſicut. n. Grecè loquens, aut Hebraicè nõ loquitur Barbaris, ita eiſdẽ linguis ſcribens, ordinationi, inqt ille Apoſtolorũ aſſentiunt, multæ Barbarorũ gentes, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, uel atramẽto ſcriptã habentes, per ſpũm in cordib. ſuis ſalutẽ, &c. multa eo loco prędictus pater ſanctiſsimè docet quę aliàs etiam citamus in catholica noſtra aſſertione.

g Euãgelium uerum eſt, ſed non ſcriptura Euangelica, ubi ſtatim obſerua Chryſ. nihil hìc de ſcriptura Euangelij dixiſſe, imò magis de prædicatione tantũ loqui: noſtri

timet, & præsentia & futura, honorem, pietatẽ, fidem, simul omnia prædicationis uerbo concluſit. Hieronymus ad Titum cap. 1. Sine a auctoritate ſcripturarum b garrulitas non habet fidem. Auguſt. ſuper Ioan. cap. undecimo, tract. 49 Nã cùm Dominus Ieſus multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & dixiſſe, & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, c electa autem ſunt, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium d ſufficere uidebantur. Nam quòd aiunt, ius interpretandæ ſcripturæ eſſe penes ſummos pontifices, non eſt obſcurum, quòd donum interpretandæ ſcripturæ non ſit humanæ prudentiæ, ſed ſancti e ſpiritus. Vnicuiq; inquit Paulus, datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, &c f ſpiritus ſanctus autem eſt liberrimus, nec eſt ad certũ genus hominũ alligatus, ſed diſtribuit dona hominibus, pro ſuo ipſius beneplacito. Num. undecim. Quis g tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus ſpiritum ſuum? Iudicũ 4. Debora, mulier, uxor Lapidoth, h excitatur in Prophetam.

SCHOLIA CATHOLICA.

uerò ij doctores conſuetudine illa, qua Euangelium ad ſcripturã ſemper referunt, ita cæcutiunt, ut ubicunq; uerbum hoc Euangelij audierint, mox quaſi ſcripturam audiant, putant ſe triumphaſſe. Sed quis non uideat, quàm longè hæc diuerſa ſunt. Et quis non intelligat ex tantis teſtimonijs in aſſertiõe catholica, multa tradita eſſe uerbo, quę non ſunt ſcripta. Chryſo. hîc, inquit, omnia uerbo prædicationis concluſit, nihil dixit de ſcriptura.

a Hîc apertiùs nominat ſcripturã, ſed reijciamus ergo ex hoc uerbo traditiones Apoſtolorum, ſi non habent auctoritatẽ ſcripturæ, at uerò & Paulus iubet ſeruari tradita etiam uerbo ſine ſcriptura, & Timotheo præcipit, quæ audiuit à ſe commẽdare fidelibus hominibus, non ſcribere, ut habes in aſſertione catholica.

b Bene inquit garrulitas, ſed non grauitas Patrum, teſtimõia ſcilicet eorum, quos Apoſtoli docuerunt, non auctoritas Eccleſiæ, non deniq; certa ratio, hæc enim omnia fidem habent, etiamſi ea, quæ aſſerunt non ſint in ſcriptura: eſt. n. in ſcriptura Eccleſiã eſſe columnam, & firmamentũm ueritatis, audiendos Patres, & obtemperandum rationi, quicquid ſine ijs eſt, garrulitas eſt. Videat quiſq; ne garriat in rebus tam ſerijs.

c Vide electa dicere Auguſt. fuiſſe ex geſtis ſaluatoris, quæ ſufficerent, ut ſcriberentur, non uerò ex omnibus alijs. Igitur quantum attinet ad ea quæ reſpiciunt Chriſti præſentiam in mundo, fatemur ex hoc uerbo Auguſt. ſcripta eſſe, quæ ſufficerent, ſunt uerò præter hæc multa alia, de quibus Auguſt. non loquitur.

d Sufficiunt quidem, ſed ut diximus, in uniuerſali, ibi enim ſcriptum eſt de firmitate Eccleſiæ: portæ inferi, &c. de auctoritate Petri, & Prælatorum, in gubernandis hominibus ad ſalutem æternam: tibi dabo claues, &c. Et quidquid ſolueritis, &c. hæc mittunt nos ad ſuſcipienda ea, quæ ab Eccleſia, & Patribus tradita ſunt.

e Verum eſt, Spiritus ſancti eſſe, ut rectè interpretetur quis ſcripturam, poteſt nihilominus ſtudio, & diligentia, atque lectione acquiri hæc ſcientia, ut quis nouerit qualiter interpretati ſunt ſcripturam Patres, quos Eccleſia recepit, & quia ſpiritus probandi ſunt, ad hanc Patrum ſententiam exigenda eſt illa Spiritus ſancti reuelatio, quam quiſque poteſt ſibi putare factam, & cùm de hoc dubium eſt, Patrum ſcilicet, & Eccleſiæ ſenſum indicare, debet neceſſariò à maioribus, ut tandem ſit unitas in Eccleſia.

f Verum eſt, ſed idem ipſe non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis, ſicut Paulus ait, ſe omnibus Eccleſijs ſanctorum docere, primæ Corinthiorum decimoquarto, & propterea ait, quòd ſpiritus prophetarum prophetis ſubditus eſt, quare ibi ordinat, ut alíj loquantur, & alij iudicent, & omnia præcepit ordinatè fieri in Eccleſia, non igitur libertas hæc ſpiritus ſancti aufert Eccleſiaſticum ordinem, nec facit, ut non dederit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, Secundò prophetas, Tertiò doctores, ut ſint diuerſi gradus, nec aufert auctoritatem prælatorum, quare meritò in Eccleſia ſtatutum, ne quis indifferenter docendi officium uſurpet, ubi certum eſt contineri interpretationem ſcripturæ, nemo, inquit, uſurpet niſi ſit miſſus, nec inuiſibilis ſpiritus ſancti miſsio credenda eſt, niſi uiſibilibus ſignis oſtendatur, ut hæc omnia Innocent. 3. ſanctiſsimè quidem, & neceſſariò declarat, in cap. Cùm ex iniuncto, de hęreticis in decretalibus.

g Hoc magis eſt affectus quidã hominis non quærentis propriam gloriam, ſed animarum ſalutẽ, at uerò non hîc ſignificatur efficax uoluntas, uel ordinatio Dei, aut Prophetæ, nã eo ipſo loco ſeptuaginta uiros de ſenioribus iubet Dominus eligi, quos tu, inquit, noſti, quia ſenes populi ſunt & magiſtri, quibus detur de ſpiritu Moſi, unde Gregor. ut habes apud gloſſam ordinariã: Fidelis, inquit, prædicator optat, ſi fieri ualeat, ut ueritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent, ſi fieri, inquit, ualeat, quia ſcilicet Dei, & eccleſiæ ordinatio aliud exigit.

h Hoc & in ueteri, & in lege noua conſtat fuiſſe mulieres prophetiſſas, ſed Paulus omnibus inhibet in Eccleſia loqui, & uult, ut ij prophetarum ſpiritus ordinentur eccleſiã, & iudicentur, intereà uerò, Deborã ſpeciali lege cõſtat non ſolùm prophetam, ſed & iudicem fuiſſe, nec dubitamus ſpiritum ſanctum hoc poſſe, & facere quidem, quãdo id

Amos 7. Non a sum propheta, & non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum, uellicans sycomoros, &c. Et tamen Amos accepit spiritum sanctum, & factus est Propheta. 1. ad Corinth. 12. Hæc omnia operatur unus, & idem spiritus, distribuens unicuiq; b prout uult. Testantur etiam exempla, quòd summi Pontifices c sæpe, ac multum fœdè errauerint. Quare donũ interpretandæ scripturæ non est in ordinem summorum Pontificum ita d concludendum, ut quisquis pontifex fuerit, scripturam rectè interpretetur. Sed uera sententia scripturæ quærẽda est in ipsa scriptura, & apud e eos, qui diuino spiritu excitati, f scripturam per scripturam interpretantur.

SCHOLIA CATHOLICA.

apertè manifestat Ecclesiæ.

a Hoc figura quædam est eorũ, quæ in ecclesia geruntur, in qua non successione generis, sed electione ministeria Ecclesiastica traduntur, cum in lege ueteri sacerdotia, & frequenter prophetiæ donum generatione traduceretur. Quot sunt hodie in Ecclesia episcopi, doctores, spirituales uiri, qui dicere possunt, non sum filius prophetæ, sed pastor? Aduerte tamẽ non hinc haberi quidq̃ cõtra ordinem Ecclesiasticum: uerè. n. Amos constitutus est propheta, quanq̃ nõ ex genere prophetarũ, sicut cõstituũtur hodie sacerdotes. At uerò si uos amici uultis hinc colligere, licere pastori, aut alicui ex uulgo usurpare sibi doctoris, uel ministri nomen, uel officium, quid aliud est q̃ adulari, & ita decipere simplices absq; ulla certa ratiõe. Nos fatemur in ecclesia ex genere pastorũ, & simplicium hominum fieri ministros, & dispẽsatores legitima uocatione, & electiõe ecclesiæ: Quòd si dixerit quis, à Deo se eligi, opus est manifestatione spiritus ad utilitatẽ ecclesiæ, alioqui magis timendum est illi, ne sit de quibus dicitur: non mittebã eos, & ipsi currebant. Deinde si hinc uultis colligere, minoris faciendum esse studium scripturæ, & expectandã esse hanc inspirationem, quæ satis sit. Respondeat uobis Aug. in prologo de doctrina Christiana, & Apostolos, & sanctorum multos, à Deo sine humano ministerio didicisse Euangelium, omnesq; linguas, non tamẽ propterea nobis licet ita Deum tentare, ut nolimus in ecclesiam ire audituri Euangelium, aut eos, qui exposuerũt legere. Caueamus, inquit ille, tales tẽtationes superbissimas, & periculosissimas, multis. n. exemplis scripturæ, ut ipse ibi ostendit, ordo hic ecclesiæ, & ratio suscipiendi Diuina à ministris confirmatur.

b Sed nũquid propterea turbandus ecclesię ordo, aut est Deus dissensionis: habes ibi quod superiùs diximus, subditum hũc esse spiritum prophetis, & ecclesię ordinationi: itaq; ipsi ecclesiæ primo est manifestandus, ab ea probandus: deinde collocandus in ordine suo, & gubernandus, hoc aũt uelle auferre, quid est aliud q̃ omnia confundere?

c Fatemur hoc, quia nullum uult Deus se curum reddere in hac uita, sed omnibus dicitur, qui se putat stare, uideat ne cadat, cæterùm aliud est, ut priuatum hominem, errare, aliud, ut uicariũ caput ecclesiæ, pro Christo definire dubia: in quo non est Deo difficile per malos, & errantes uerum, & iustum definire, quod in Balaam, & Caiapha in scriptura uidemus, uel saltem errorẽ hunc ecclesiæ manifestare, ut tãdem & uniuersalis ipsa Ecclesia, & Romana etiã sedes uel emẽdet, uel electo errante, ueram, & sinceram teneat fidem. Quod inter ipsos pontificum errores, quos nimium certè exaggeratis, experientia nos docuit usq; in hodiernum diem. Erranit Marcellinus Papa idolis thurificans, sed pœnituit, & cedere uolens, non est permissus, ita etiam usq; in hodiernum diem, nullus pontificum error potuit aut ecclesiæ, aut dignitati ipsi, & sedi pontificis detrahere fidei stabilitatem, quam confirmat Christus.

d Concludendum donum Dei non dicimus, sed auctoritatem, & potestatem definiendi publicè controuersias, si quilibet haberet in ecclesia, aut incertum esset ad quẽ pertineat, quis dubitat omnia confusa fore in ecclesia, multò magis si nullus hanc auctoritatem haberet, expẽdite itaq; ista. Si ita est, quòd oportet in ecclesia nũquam deesse certum iudicem, quî cogitari potest nõ esse hoc prouisum à Christo? Quod si ita est, cui putare debemus eum hoc contulisse, q̃ cui dixit: Pasce oues meas, &c. & quæ latiùs in assertione catholica sequenti cap. habes.

e Quid hoc uerbo rogo intelligitis, an Lutherum, & uestros doctores, hos fortè asseritis excitatos spiritu, sed quàm sit hoc incertum, ne falsum dicam, non potestis negare, reijcit ille patres, & cõcilia, quibus uerò magis adhibenda fides, istis an illi? Ergo apud excitatos Diuino spiritu quærẽdus scripturæ sensus, sed ita ut spiritus ostendatur Ecclesiæ testimonio. Rectius itaq; diceretur apud orthodoxos patres, in eorum cõsensu qui ecclesiæ & sanctitate, & miraculis sunt commendati, de quo aliàs diximus, quęrendum sensum scripturæ.

f Potest quidem nonnunquam ex una scriptura altera explicari, uerùm id aut nõ semper, aut certè non ita, ut non possit etiã aliter præcipuè à contentiosis intelligi. Ita ut nisi certum iudicium sit, nunquam dubia terminari possint: quare nolle extra scripturam quidquam audire, est ipsam etiam scripturam negare, quæ Ecclesiæ tribuit auctoritatem, est spiritum eius auferre, qui in Ecclesia semper uiuit, & operatur. Deniq; multa etiam sunt extra scripturam in traditione quærenda, & maximè ea, quæ ad scripturæ intellectum pertinent. Certè Augu. 3. de doctrina Christiana, cap. 8. in uerbis scripturæ ambiguis, quæ scilicet distingui, aut pronũciari diuersimodè possint, primò dicit consulendã regulã fidei, ut si quę pronũ

tiatio, aut distinctio illi sit contraria, reijciatur, ut in illo loco: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, Aduerbiũ hodie, nõ ad uerbum dico, sed ad uerbum eris referendũ est. Iam uerò regula fidei unde sumenda sit docet. Ex scripturarum, inquiẽs, planioribus locis, & Ecclesię auctoritate, ubi apertè uide intellexisse August. non sem per scripturã sufficere, ut seipsam interpretetur, sed confugiendum esse etiam ad auctoritatem Ecclesiæ.

DE SACRA SCRIPTVRA. CATHOLICA.

Scripturam sacram catholica fides illam agnoscit, quæ continet nouæ, & ueteris instrumenti libros, quos à spiritu sancto editos Ecclesia agnoscit, & uenerat'ur. Et quãquam inter hos illi primum locum teneant, de quibus nunquam dubitatum est, quosq; semper omnes susceperunt Ecclesiæ, nec tamen propterea quos non omnes susceperunt extra canonicos habere debent consentientes Ecclesiæ filij, si eos posteriori tẽpore constat susceptos esse in Ecclesia, ut canonicos. Hanc sacram scripturam non dubitamus spiritus sancti esse reuelationem, sic Ecclesiam, omnesq; ad plenam sibi adhibendam fidem obligantem, ut non dubium sit, omnem doctrinam illi contrariã reijciendam esse. Hanc scripturam agnoscit uera fides admirabili spiritus sancti consilio scriptam, ut maximè salati hominum conueniebat. Quare multa in ea & difficilia, & obscura: partim hoc ipsum intendente spiritu sancto, ad exercendos pios, & repellendos impios, partim permittente malitiæ hominum constat mueniri, quo fit ut ad unitatem fidei tenẽdam necesse sit in Ecclesia esse ius, & potestatem certam, & constantem ad interpretanda hæc dubia, & hæc apud summos eius gubernatores, non ut quisq; pro arbitrio suo id faciat, sed pro ipsius spiritus sancti sensu. Eadem quoq; spiritus sancti dispensatione mirabili ita in hac scriptura iacta sunt fundamenta omnium, quæ ad salutẽ sunt necessaria, ut tamen multa extra eam credenda tradita sint Ecclesiæ. 2. ad Thessalonicenses 2. Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram: non itaq; omnia scripta sunt, & de traditionibus frequens est in ijs Pauli ad Thessalonicenses epistolis mentio. Et in Pauli doctrina. Actu. 17. de Paulo, & qui cum illo erant dicitur: quum transirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus. 2. Ad Timotheũ 2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, non dixit quæ scripsi, uel scripto tradidi, sed uerbo tantùm, quæ audisti, non dixit tu commenda monimentis literarum, sed hominibus fidelibus. Lex Euangelica magis est cordibus indita spiritu sancto interiùs docente, docebit uos omnem ueritatem. Apostoli huic spiritus sancti interiori instinctui innixi sunt, unde secundæ ad Corinthios tertio, ita inquit Paulus: Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quare iniuriam facit dignitati Euangelicæ, & Apostolicæ, & apertè imponit, qui docet Apostolos scripto tradidisse posteritati cuncta, quæ uerbo docuerunt, & acceperunt à Christo. Dionysius primo capite de Ecclesiastica Hierarchia: Substantia sacerdotij nostri scriptura sacra est, nobis diuinitùs tradita. Porrò huiusmodi, plena uenerationis eloquia dicimus, quæq; à beatissimis Patribus nostris, à quibus sacris mysterijs imbuti sumus, in sanctis, ac Theologicis commendata sunt libris. Ac præterea, quæq; ab ijsdem sanctissimis uiris, sacratiore, & purgatiore, & propinquia quodammodo cœlesti Hierarchiæ doctrina, sancti duces, ac præceptores nostri didicerunt, ex animo in animum, medio intercurrente uerbo, corporali quidem, sed quod carnis penitùs exceda sensum, sine literis transfusa sunt. Eusebius libro tertio Ecclesiasticæ Historiæ capit. uicesimoquarto: Venerabiles, & Deo digni Apostoli Christi, quum essent in omnibus puritate uitæ, & animæ uirtutibus clari, non magni pendebant sermonis ornatum, & cæt. Parui ducentes plures libros condere, quòd huiusmodi prædicationis assertio, non argumento humani sermonis, sed adstipulatiõe Diuinæ uirtutis indigeat. Postea dicit de Paulo quàm pauca scripserit: sed & reliqui, ait, Domini Saluatoris discipuli, si qui sermonem aliquem diuinitùs inspirati memoriæ reliquerunt, breuem hunc, & succinctum esse uoluerunt. Augustinus in Epistola prima ad Ianuariũ, quæ est 118. cap primo, & quinto. Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruãtur, dãtur intelligi uel ab ipsis Apostolis, uel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, ac statuta retineri: Vbi ponit exempla quædam, & secundo loco ita inquit, interrogatus de quibusdam obseruantijs: Ad hæc itaq; ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si Diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, & cæt. Et post pauca: Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, nam hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est. Fatetur igitur uera fides, rectam interpretationem scripturæ non nisi à spiritu sancto illuminante corda hominum esse, & eundem nulli generi hominum alligatum. Quia tamen una omnium Christianorum esse debet fides, & unica confessio, ne quisq; sensum suum sequatur, necessarium est publicum magisterium, & certos ministros, ad

quos

quos pertineat docere in Ecclesia, inter quos, quum ordinem oporteat esse, non dubitamus ad summos pertinere, quæ inter alios de scripturæ sensu, & fide dubia sunt definire, auctoritate scilicet, cui non liceat repugnare. Ad Ephesios quarto. De Christo ita inquit Paulus: Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Vide itaq; apertè & necessitatem certi generis ministrorum, & rationem eius, ad uitandam scilicet doctrinarum uarietatem. Primæ ad Corinthios decimoquarto: Itaq; fratres mei æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere, omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant in uobis, unde ibi ordinat qualiter in conuentu Ecclesiæ, & Prophetæ, & cæteri dona habentes proponere, & loqui debeant, ne alij alios impediant. Non est, inquit, dissensionis Deus, sed pacis, sicut in omnibus Ecclesijs sanctorum docco. Absit itaq; ab Ecclesia confusio Babylonica, quam ponunt ordinem omnem in definiendis dubijs auferentes. Primæ Ioannis quarto. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Et Dominus in Euangelio non solùm attendi iubet à falsis Prophetis, qui ueniunt in uestimentis ouium, sed apertius posteà de diebus ultimis admonet: surgent pseudoprophetæ, & pseudochristi, & seducent multos. Et de uero admonens remedio, si dixerint, inquit, uobis: Ecce in deserto est, nolite exire. Manifestè docens non in conuenticulis priuatis, sed in Ecclesiæ unitate quærendam esse ueritatem. Primæ ad Corinthios duodecimo. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? & cæt. nunquid omnes interpretantur? negans apertè in Ecclesia hanc esse confusionem, sed quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm quidem Apostolos, secundò Prophetas, & cæt. Absit uerò ut sine ordine iam reliquerit Deus Ecclesiam. Quòd igitur summi Pontifices quandoq; errauerint, nec negare, nec excusare uolumus, qui non dubitamus eos homines esse, qui fallere, & falli possunt. Hoc tamen certa experientia agnoscimus, & firma fide tenemus, cathedram illam Petri, quæ à Christo stabilita est usq; ad consummationem seculi, nunquam ita fuisse erroris alicuius labe maculatam, ut non semper ab ea doctrinæ ueritas emanauerit in omnes alias Ecclesias, implente perpetuò Petro per successores, quod etiam propter illos ei præcipitur à Christo: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Donum igitur interpretandi scripturam, infusum scilicet à Spiritu sancto, & scientiam acquisitam, & humano studio ad hoc ipsum agendum, non ita tribuimus summo Pontifici, ut alijs auferamus, sed non dubitat fidei pietas, uel spiritum sanctum non defuturum illis, quos primos constituit doctores in Ecclesia sua, si illi non restiterint, uel si per eos steterit non defuturum Ecclesiæ. Cæterùm auctoritas, & potestas definiendi dubia fidei ne sit perpetua confusio in Ecclesia, & incertitudo, in unum tandem collocata est, non ut solus ille hoc agat, sed ut illius auctoritate fiat, adhibito consilio conuenienti. Modus itaque quærendi ueram scripturæ sententiam, in ipsa scriptura, & apud eos, qui per spiritum sanctum scripturam per scripturam exponunt, primò incertus est: quilibet enim dicet se excitari Diuino spiritu, deinde neq; Ecclesiæ sufficiens & unitati fidei, sed aptus ut unusquisque sensu suo abundet. Vnde Clemens discipulus, & successor Petri epistola quinta ita inquit: Multas enim, quidam, ut audiuimus, uestrarum partium, secundum ingenium hominum, ex ijs, quæ legunt, ueri similitudines capiunt, & ideo diligenter obseruandum, ut Lex Dei quum legitur non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, uel doceatur, &c. Et post multa in hanc sententiam tandem ita ait: & ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum ueritatem sibi traditã seruauit, ut & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competèter asserere. Hæc quidem ille de discendo scripturæ sensu, cùm scilicet priuatim quæritur, cùm autẽ publicè controuertitur in Ecclesia, publicum est iudiciũ, & summũ, ad summum etiã Pontificẽ pertinere testantur multi Patres, & res ipsa docet.

DE SVMMO PONTIFICE. VVIRTENBERG.

SVnt qui tribuunt Romano Pontifici, a q, sit caput uniuersalis Ecclesiæ, & habeat potestatem

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc illi tribuit consensus ecclesiæ, testãtibus etiã, primis illis summæ auctoritatis concilijs, nam in Ephesino, & in Chalcedo. apertè & legati Roman. pontificis suscipiuntur primo loco, & hæc eius auctoritas in omni Ecclesia cognita fuit. Imò Nicænum, & Constãtinopolitanum hoc agnouerunt, & Episcopi qui eis præsentes fuerunt, nam ex Niceno Athana. posteà iniquè damnatus, ad sedem Romanam appellat, & ad eam tanq̃ ad superiorem recurrit. Vide epistolam Iulij ad Episcopos Ægypti, & librum 4. historiæ tripartitæ, maximè 15. cap. ubi reclamantibus licet schismaticis, tamen Athanasius & Iulius prævalent. Con-

non in terris tantùm constituendi a *regna politica, & gubernãdi Ecclesiastica, uerùm etiam in cœlis* b *mandandi Angelis,* c *liberandi animas è purgatorio, &* d *beandi, aut damnandi quos libet. Nos autem agnoscimus, quòd siquidem Roman. pont. fuerit uir* e *pius, & docuerit Euangelion Christi, iuxta Prophetica et Apostolica scripta, habeat ministerium summæ in hac terra potestatis, uidelicet ministerium remittendi, & retinendi peccata, quo ministerio non est in his terris nec maius, nec excellentius. Habet autem hoc ministerium non solus, sed habet* f *commune cum omnibus ijs, qui legitima uocatione adnunciãt Euangelion Christi. Ministerium enim remittendi, aut retinendi peccata,* g *quod aliàs uocatur clauis Regni cœlorum, non est liberæ potestati personæ hominum traditum: sed est in ipsum Euangelij uerbum ita inclusum, ut quotquot Euangelion adnunciant, dicantur uerè peccata remittere, & retinere, illud quidem his, qui Euangelion fide accipiunt, hoc autem his, qui Euangelion contemnunt. Marci ultimo.* h *Prædicate Euangelion omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur. Hilar. de Trinitate lib. 6. Petro reuelauit Pater, ut diceret: Tu es Filius Dei.* i *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est: Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: hæc fides regni cœlestis habet claues: hæc fides quæ in terra soluerit, aut ligauerit, ea ligata sunt in cœlis, & soluta. Chrysostomus.* k *Clauicularij sunt sacerdotes, quibus creditum est uerbum docendi, & interpretandi scripturas.* l *Clauis autem est uerbum scientiæ scripturarum,*

SCHOLIA CATHOLICA.

stantinopolitana etiam synodus idipsum confessa est, ut in literis etiam ipsius ad Damasum papã patet, quam habes lib. 9. historiæ tripartitæ, cap. 9. habes etiam in assertione catholica fide digna patrum testimonia.

a Legimus nõnunquàm aliqua circa hæc acta esse à Pontificibus, consentientibus regnis ipsis, Zacharias Pipino regnũ Franciæ adiudicauit: Leo 3. imperiũ Carolo magno concesit: Innocent. 4. Reg. Portugaliæ minus idoneo fratrem coadiutorẽ constituit, ut habes in cap. Grandi de supple. negligẽt. in 6. Hęc igitur iustè, & sanctè facta esse ostẽdit consensus omnium seculorum, quo etiãm fit manifestum, quàm digni fuerunt ueneratione pontifices illi. Cùm itaq; non dubium sit, tẽporalia omnia ad spiritualia ordinari, qui summam erga illa potestatẽ habet, necesse est, ut tãquam architectus & de temporalibus iudicet, secundum quod ad spiritualia necessarium est, & constat ex historijs, hanc auctoritatem utilem fuisse Ecclesijs, qua pontifices rarò usi sunt, & nõ nisi in manifestis causis.

b Hoc iam apertè calũnia est, & sycophantia, super terram fatemur papam potestatẽ habere, in hac tantùm Christi uicarius est, Paulus dixit angelos iudicabimus, sed illud ad Dæmones magis referunt Patres.

c Et hoc nullus modestè loquens tribuit pontifici, potest quidem de thesauro satisfactionis Christi, & sanctorum suffragium aliquod defunctis cõferre, ut habet Ecclesiæ cõsuetudo, & pietas Christiana, neq; hoc iustè negare potest, qui cùm ecclesia agnoscit, pijs operib. uiuentiũ adiuuari defunctos.

d Hoc iam non tantùm calumnia, sed irrisio, & re uera conciliatio inuidiæ populorum in pontifices. At bonorum erat, scandala potiùs auferre, quàm obijcere paruulis.

e At uos ipsi conceditis, & fides catholica probat, per malos ministros perfici Sacramenta Christi: cur in summo pontifice exigitis pietatẽ, nisi ut omnia reddatis incerta?

f Commune quidem fatemur, sed multò superiùs, ut in assertione catholica habes.

g Hîc omnia cõfunditis, primùm clauis plura continet, quàm remittere, aut retinere peccata, nam condere Ecclesiasticas leges ad salutem populi, damnare hæreses, definire dubia, ordinare ministros, & multa alia ad potestatem pertinent clauium: deinde, & ipsa potestas remittendi, & retinendi peccata, nec tota, nec reuera propriè in prędicatione Euãgelij collocanda est, ut superiùs iam ostẽdimus: nam illa ad iudiciũ confessionis propriè pertinent, quod instituitur ad cognoscendũ an retineri, uel remitti debeant, de quo superiùs satis, & in ijs rationibus omnibus uera fides summo pontifici primatum tribuit.

h Hoc aliud est ab illo: quorum remiseritis peccata, ut superiùs ostensum est, prædicatio ad doctrinam, remissio peccatorum ad Sacramentum, & iudicium pertinet.

i Fatemur & uerum esse, & Hilarium asseruisse: super hanc fidem ædificari Ecclesiam, & ei tribui claues, eamq; soluere, & ligare, quoniam primò nullus uerum Ecclesiæ membrũ est sine hac fide, potestas uerò soluendi, non nisi in Ecclesia est, quæ, ut dicimus, hac fide subsistit, sed non ex ijs sequitur Petrum non esse fundamentum, aut illi non conferri claues, utrumq; enim ipse Hilarius fatetur, ut in catholica assertione habes, non itaq; illa contraria sunt, sed in altero alterum est intelligendum. Petrus est fundamentum, fundatus ipse primò in fide, & fides est fundamentum, in qua & Petrus, & omnes subsistimus.

k Fatemur, sed Petrus supremus, ut ipse fatetur Chrysost. & habes in assertione catholica.

l Aduerte tamen de claui singulari loqui Chrysost. dixisseq; quod posteriores iam apertiùs docent, primam clauem esse scientiam, quæ præcedere debet: primò enim cognoscenda est ueritas à prælatis, siue ministris, & docenda, deinde utendum est potestate, quam secundam clauem meritò dixe

per

per quam aperitur hominibus ianua ueritatis: Augustin. de doctrina Christi. lib. 1. cap. 18. Has a claues dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo, quæ ligaret in terra, ligata essent in cœlo, scilicet ut quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quisquis autem crederet, seq; ab his correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide, atq; correctione sanaretur. Ambrosius: b Peccata per uerbum dimittuntur, cuius c interpres, seu expositor est Leuita. Bernardus in Epist. ad Eug. Verus successor Pauli dicet cum Paulo: nõ quòd d domemur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij. Petri hæres audiet Petrum dicentem: neq; ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Thomas e in summa sua parte 3. in additione quæ. 6. ar. 6. Quia Ecclesia fundatur in fide, & in Sacramentis, ideo ad ministros Ecclesiæ nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua Sacramenta instituere, aut instituta remouere non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum. Et ideo sicut Papa non potest dispensare, ut aliquis sine baptismo saluetur, ita nec quòd saluetur sine confessione, secundum quod obligatuis Sacramenti. Etsi f autem Thomas suas habet opiniones de confessione, tamen hoc quod dicit: ad ministros Ecclesiæ, (inter quos etiam Papam numerat) non pertinere nouos articulos fidei condere, & noua Sacramenta instituere, g uerè est Apostolica, & catholica sententia. Nam ad ministros Ecclesiæ non pertinet ex uocatio-

SCHOLIA CATHOLICA.

runt Theologi: ueritas igitur aperitur per scientiam, ut hîc Chrysost. inquit, at uerò post cognitã ueritatem gratia remissionis sacramentorũ administratione confertur.

a At non promiscuè per singula eius mẽbra exercendas, sed per ministros, si uerum est eos in Ecclesia esse, quod iam frequenter probauimus. Quis itaq; non uidet, quod uni membro datur, rectè dici toti corpori dari, Aut quis non intelligat, propterea quòd dicatur dari aliquid corpori, non intelligendum esse singulis membris datum esse? itaq; claues dari Ecclesiæ, nihil habet unde auctoritas ministrorum auferri possit, inter eas uerò suprema est summorum pontificum, quam August. confirmat, ut habes in assertione catholica.

b Verissimum est peccata dimitti per uerbum, dum per uerbum ad pœnitentiam excitantur audientes & ad orandum, & tandem remissio peccati, postea per uerbum ipsum sacramentale, non ergo in sola prædicatione remissio peccati.

c Fatemur Leuitam expositorem esse, siue ad diaconum referatur, siue ad sacerdotem, nam & ille adnunciare potest Euangelium, ut ipse Ambrosius inquit in quarto capite epistolæ ad Ephesios. Exponat igitur uterque & diaconus, & sacerdos uerbum, sed potestatem remittendi per Sacramentum habet solus sacerdos. sed quid hęc omnia ad auctoritatem summi pontificis negandam? Habent omnes hanc potestatem, sed quibus in Ecclesia confertur, sed ordine, ita ut unus supremus sit, quod ipse Ambrosius fatetur, ut habes in catholica assertione, in qua Hilarium, Chrysostomũ, Ambrosium, Bernardum, citamus confitentes apertè summi Pontificis auctoritatem, quos uos etiam hîc citastis quasi negantes, ut appareat primum conferenda esse doctorum inter se dicta, nec facilè esse apparentibus uerbis iudicandum quid illi senserint. Deinde quod prætermittere non possumus, ut uos syncerè admoneamus iustè ac cusari aut negligentiæ nimiæ quòd non legatis tam aperta Patrum testimonia, aut certè maliciæ, quòd data opera abscondatis tam certa, quæ nos adduximus horum quinque Patrum testimonia, certissima sunt, & syncerissima, quæ uerò uos adducitis non nisi collectione quadam, & infirma quidquam probant, non semper Patres meminerunt auctoritatis pontificis, nec oportebat omni loco eius fieri mentionem, non tamen propterea negasse censendi sunt, cùm maximè ostenderimus eos alibi disertè id docuisse.

d Sanctissimè Bernard. admonet pontificem, ut non se dominum, sed ministrum arbitretur, hoc non est adulatoris, sed tamẽ de suprema eius auctoritate quod sentiat, & quàm manifestè habes in assertione catholica, non hæc contraria sunt, quòd sum mã habeat potestatẽ, & quòd non sit dominus, est. n. suprema ministerialis potestas.

e Hæc beati Thomæ doctrina non minus omnib. nobis catholicis placet, & probatur, quàm uobis: declaratio solùm articulorum fidei, & explicatio maior fieri potest à Romano pontifice, & de ratione administrandorum sacramentorum, salua Christi institutione, aliquid censere, sed nouum aliquid erga hæc fieri nequaquam.

f Hoc superiùs ostendimus, non esse opinionem, sed catholicam sententiam, de necessitate scilicet confessionis.

g Hoc pariter omnes uolumus, sed inde nihil contra auctoritatem pontificis, qui superioritatem habet in explicandis fidei articulis, administrandis sacramentis, & disponendi de ratione administrationis eorum, quod si hoc recipitis, beati Thomæ solius, de optima ratione fundatum uerbum, recipite etiã quod de primatu Romani põtificis, auctoritate plurimorum Patrum docet, ut habetis in assertione catholica, suscipite quod q. 1. art. 10. in 2. 2. affirmat, quòd quęstio fidei exorta terminari debet per eũ, qui præest toti Ecclesiæ, ut sit totius una fi-

ne Christi aliud a ministerium, quàm quod suprà de remittendis, & retinendis peccatis commemorauimus, & quo Apostoli ipsi functi sunt. Quòd si præter hoc ministeriũ aliquid amplius Rom.pont.tribuitur, hoc aut conceditur ei humanis b ordinationibus, aut confictum est à monachis, & adulatoribus, contra uerbi Dei auctoritatem.

SCHOLIA CATHOLICA.

des, atq; ideo ad summum pontificem pertinere editionẽ symboli, & omnia alia, quæ concernunt totam Ecclesiam, ut synodi cõgregatio.

a Imò ostensum est, plura alia ad eos pertinere ministeria, quàm Euangelij prædicationem, neq; ipsum ministerium remittendi, & retinẽdi peccata est Euangelij prędicatio, ut uos asseritis, quod satis probauimus.

b Suprema potestas omnium, quæ saluti fidelium conueniunt, à Christo creditur data summo pontifici, ab ijs Patribus, quos citauimus, imò ab omnibus alijs orthodoxis, & concilijs etiam, ut superiùs ostendimus, ite igitur, & uocate Hilarium, August. Amb. Athana. Cyril. aut monachos, aut adulatores, & dicite eos contra auctoritatem uerbi ista confinxisse.

DE SVMMO PONTIFICE. CATHOLICA.

AGnoscit uera, & catholica fides, certa scripturæ autoritate, & Patrum omnium cõsensu, atq; conuenientißima ratione, quòd Christus Dominus, qui Ecclesiam suam unicè dilexit, & firmißimè usq; ad finem seculi duraturam fundauit, nec quidquam quod ad bene institutã Rempublicam pertinere potest non concesßit, eidem Petrum uicarium suum, atq; uisibile caput loco sui, ut curã uniuersalis Ecclesiæ in corpore hîc peregrinantis gereret, constituit, ita ut hoc in perpetuum in Ecclesia permaneret. Quare in Petro etiam eius successores Romani scilicet Põtifices hoc ipsum acceperunt, ut caput sint uniuersalis Ecclesiæ, & summam habeant potestatem in ijs, quæ ad gubernandam Ecclesiæ, & fideles ad pietatẽ, & salutem dirigendos, pertinent. Etsi autem ad eos pertineat prædicatio Euangelij, quod summum est Ecclesiæ ministerium, non tamen hoc solùm esse muneris Petri, & successorum, neq; hoc solo eos remittere, & retinere peccata, sed etiã administratione Sacramentorum, & legum conuenientium editione, deniq; cura, & solicitudine auertendi à malis, & promouẽdi ad bona populũ Christianũ, uera etiã fides agnoscit. Simulq; confitetur, quòd quanquàm ad hæc omnia dignè Deo agenda necessaria sit pietas uera, atq; adeò sanctitas, non tamen si hæc defuerit, aut gradum suũ amittit, aut minùs efficacia sunt, quæ ex officio operantur ij uicarij Christi, sicut & cæteri ministri. Hanc igitur potestatẽ, quæ nomine clauium regni cœlorum à Christo domino significata est, agnoscit uera fides, quòd nõ solùm successores Petri habent, sed cæteri etiam Episcopi, et sacerdotes, iuxta gradum suum. At uerò isti in ecclesia, aut plebe aliqua sibi cõmissa, illi in omnes populos Christianos, atq; ita superiorem quàm reliqui omnes Episcopi, quos tanquam oues etiam gubernare habent, non quòd hoc sit liberæ suæ potestati commissum, multò uerò minus permissum uolũtati, aut libidini, sed in ædificationẽ solùm, iustáq; ratione omnia ita tenetur agere, ut si secus fecerit, & se, & alios peccato inuoluat. Matth.16. & Ioan.21. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersum eam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: Pasce oues meas: In ultimis igitur ijs uerbis intelligunt Patres, omnes oues commissas Petro, & ibi impletum quod promissum fuerat priori loco apud Matthæum: Et hæc omnia non uni Petro, sed ijs, qui illi successuri erant in hoc munere Ecclesiæ necessario. Hilarius in locũ Matth. 16. Tu es Petrus, &c: Dignum planè confeßio Petri præmium cõsequuta est, & post pauca Petro loquens: ô in nuncupatione noui nominis, felix Ecclesiæ fundamentum, dignáq; ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant in cœlo. Chrysostomus in locum eundem Matth. Homil. 55. Quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remißionem, & ut futura Ecclesia tot, tantisq; fluctibus impetu irrũpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator, homo, atq; ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt se pollicetur daturum. Et mox adductis ijs, quæ ad Hieremiam dicuntur: Sicut columnã ferream posui te, &c. Ita inquit: Sed ipsum quidem genti uni pater, hunc autem uniuerso terrarum orbi Christus præposuit, & tãdem omnia concludens, ita inquit: tu uerò mecum ex ijs omnibus quanta sit potestas eius intelige, ego tibi dico, inquit: Tu es Petrus, et ego super te ædificabo Ecclesiã meam. Et ego tibi dabo claues regni cœlorum. Similiter idẽ in locũ Ioan.21. Hom.87. exponens illud: a Se

Hic apertè Petrum uocat fundamentum, & eidem asserit data claues.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Idem quod Hilarius asserit Chry. super eum ædificari Ecclesiã, ipsi dari claues, pastorem esse, & caput totius Ecclesiæ, & toti terrarum orbi præpositum.

quere me,

quere me, ita ait: quibus uerbis iterum curam, & familiarem affectum in eum ostendit, quòd si quis percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit, responderem hunc totius orbis magistrum præposuisse, & posteà quum magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandauit, &c. Augustinus libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, capite primo: Quum uerò non desinant fremere ad Dominici gregis cauas, atq; ad diripiendas tanto precio redemptas oues, aditus undicunq; rimari, communisq; sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis. Secundo etiam libro de Baptismo contra Donatistas, capite primo, & Cypriani, & suum sensum manifestißimè explicans ita inquit: Magnum meritum Cypriani Episcopi, & martyris, sed nunquid maius, quàm Petri Apostoli, & Martyris, de quo idem Cyprianus in Epistola ad Quintum ita loquitur: Nam neque Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circuncisione disceptaret, uendicauit sibi aliquid insolenter, & cæt. Posteà ipse Augustinus ita loquitur, cæterùm magis uereri debeo, ne in Petrum contumelioſus existam: quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum? Deniq; extant tres epistolæ ad Innocentium, ex concilijs Africanis duæ, tertia familiaris quinque Episcoporum, quibus omnibus Augustinus subscribit, ubi agnoscunt auctoritatem Romani Pontificis, ut Innocentius ipse illis respondit, de quo & ipse Augustinus Epistola 106. uel Bonifacio, uel Paulmo scripta, meminit: Missæ sunt, inquiēs, de hac re relationes ad Apostolicam sedem ex duobus concilijs, scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium literas familiares, ad omnia nobis ille rescripsit, eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem. Ambrosius in locum Pauli: quæ est columna, & firmamentum ueritatis, primæ ad Timoth. 3. Cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Et idem in sermone de fide Petri, denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petro dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat, &c. Bernardus libro secundo de Consideratione. Quàm apertè catholicam hanc fidem confitea-tur non est opus referre, cùm ex professo de hoc speciale habeat tractatum, ita igitur inquit in principio Eugenio Pōtifici: Quis es? sacerdos magnus, summus pōtifex, tu princeps Episcoporum, & inter multa alia: potestate Petrus, tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ, sunt quidē et alij cœli ianitores, & gregū pastores, habent illi sibi aßignatos greges singuli singulos, tibi uniuersi crediti, uni unus, nec modò ouium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Thomas in opuscu lo contra errores Græcorum. Quòd Roman. pont. successor Petri, & Christi uicarius, sit primus, & maximus omnium Episcoporum, & in totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem obtineat, ostendendum est auctoritatibus doctorum Græcorum, quod ibi facit adductis auctoritatibus Chalcedonensis concilij, Chrysostomi, Cyrilli, Maximi, & tandem ita concludit. Hæc negantes, auctoritatem scilicet plenariam Roman. Pontificis, peccant contra unitatem corporis mystici, quæ certè non est minus catholica, & Apostolica sententia, quàm illa, quòd nec nouos articulos fidei edere, uel noua instituere Sacramenta, aut aliquid de ijs remouere possit, quod nullus rectè intelligens unquam negauit, aut si negauit, semper in catholica Ecclesia reiectus est. Ex ijs igitur, quale sit ministerium summi pontificis, iuxta Patrum sensum, satis ostenditur, etsi enim in usu clauium retinendis scilicet, & remittendis peccatis, & in pastu omnium ouium rectè includatur, multa tamen alia continet præter prædicationem Euangelij, de quibus dictum est, quæ & si alijs ministris conueniunt, singulariter, & excellenter non adulatores, sed catholici Patres illi tribuunt.

DE ECCLESIA. VVIRTENBERG.

CREDIMVS, & confitemur [a] quòd una sit sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, iuxta Symbolū Apostolorū, et Nicænū. II. Quòd [b] hæc Ecclesia à Spiritu sancto ita gubernetur, ut etsi finit eam esse in his terris imbecillem, conseruet tamen eam perpetuò, ne uel erroribus, uel peccatis pereat. III. Quòd [c] huic Ecclesiæ in hac terra multi mali, & hypocritæ admixti sint. IIII. Quòd hi mali, & hypocritæ, si ministerium Ecclesiæ legitima [d] uocatione susce-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hic est certissimus articulus fidei, quem utinam ueraciter confiteamini, fiet autem, si probè, & unitatem eius, & ipsum nomen Ecclesiæ agnoueritis, quod sequentia nobis ostendent, ne diuinemus.

b Hæc quæ ad sanctitatē pertinent Ecclesię sufficienter explicatis, & certissima sunt.

c Hæc etiam similiter fatemur, nec propterea detrahitur sanctitati Ecclesiæ, est area paleam, & triticum continens, est sagena ex malis & bonis piscibus congregans.

d Igitur etiam impius pontifex non caret potestate clauium, quod superius uisi estis negare. Iam uerò illud etiam aduertite, fateri uos legitimam uocatio-

rint, ueritati Sacramentorũm per se nihil incommodi afferant, nisi institutionem Christi peruertant, & impia doceant. V. *Quòd in hac Ecclesia* b *sit uera peccatorum remissio.* VI. *Quòd hæc* Ecclesia *habeat ius testificãdi de sacra scriptura.* VII. *Quòd hæc ecclesia habeat ius iudicãdi de omnibus doctrinis, iuxta illud:* Probate spiritus num ex Deo *sint, & cæteri dijudicent.* VIII. *Quòd hæc* c Ecclesia *habeat ius interpretandæ scripturæ. Sed ubi hæc* Ecclesia d *sit quærenda, & an iura* e *eius sint certis terminis circumscripta, alij aliter sentiunt. Arbitramur autem auctoritate sacræ scripturæ, & ueterum Patrum sentiendum esse, uerè catholicã, & Apostolicam* Ecclesiam f *non ad unum certũ lo*

SCHOLIA CATHOLICA.

nem esse necessariã, & meritò quidem illud dicatur, Nõ mittebam eos, sed, &c. Legitima uerò an sit uocatio, quæ non deriuatur continua successione à primis Patribus uocatis à Christo, ipsi iudicate, aut certè audite iudicium Tertull. in libro de præscriptionibus hæreticorum: Edant inquit ille, Pseudoapostolis, & hæreticis loquens. Origenes Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ab Apostolis, uel Apostolicis uiris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctoritatem, & antecessorem, hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ sensus suos deferunt, sicut Smyrnorum Ecclesia Polycarpum, à Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem, ordinatum à Petro, id & proinde, utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apolici seminis traduces habeant, confingant tale aliquid hæretici, hæc itaque propter legitimam uocationem, quàm fatemini, ex Tertullia. hîc adducenda putauimus.

a Etiam & hîc, quia confunditis doctrinam cum Sacramentis, impia docentem, ueritatem Sacramentorum dicitis auferre, quum tamen tota Ecclesia à schismaticis, & hæreticis perfici non dubitet.

b In Ecclesia quidem, sed per ministros exhibetur, ut satis superiùs ostensum est.

c Hæc tria cupimus uos reipsa, & nõ uerbis tantùm fateri, nam ita erunt pacata omnia, primũ itaq; si nullis hoc promiscuè ecclesiæ cõcessum, & omnibus eius membris, ut per omnes exerceatur, ubi & ordo, quem Paulus tam apertè docet in Ecclesia? quòd si uerè ordinatè hoc ad ecclesiã pertinet, per prælatos opus est ut fiat, qui omnes quum à summo dependeant, habemus iam certum iudicium, quòd quia nullo modo pati uultis, uidete in quæ cogamini inconueniẽtia?

d Christus nos admonet, ut ecclesiam nõ nisi in manifesto agnoscamus, est ciuitas supra mõtem posita, & candelabrũ, non itaq; opus est alio lumine, q̃ ipsa, quæ alia illuminet, Nec certè rationẽ ipsam ecclesiæ aduertitis, est. n. collectio hominum, atq; ideo manifesta opus est, ut sit sensibus. Deinde est una, & mutua eius primaq; membra certissima sunt, quia ergo iã dubitari potest, quæ sit, nisi quę ab illa prima deriuatur, & illi cõsentit in fidei confessione, & sacramentorũ usu uisibiliter, & manifestè, ob hoc desideramus in uobis synceram confessionem & unitatis, & collectionis fidelium.

e Si dubitandum putatis, an quidquid cõueniat ecclesiæ per omnia eius membra exerceatur, ut scilicet eius iura non sint certis terminis circũscripta, iterũ confunditis ecclesiã, & ex ea facitis Babylonem, quare hoc nõ est in dubiũ uertendũ, nec illud certè ab aliquo uertitur in dubiũ, non ad unam tantùm gentem limitatã ecclesiam, ut olim Iudæorum synagoga fuerat, sed ad fines orbis terræ extendi, & in Christo Iesu nõ esse Iudæũ, aut gentilẽ, sed oẽs unũ in ipso. Itaq; uestra hęc quęstio, & sententiarum diuersitas, eorũ est, qui manifestè omnia tenebris conantur obducere, fateamini unam collectionẽ hominum esse ecclesiam, eamq; ordinatissimam, & perfectissimam, & nihil est de quo dubitetis in ea agnoscenda.

f Hoc certissimũ est, ut Aug. cõtra Donatis. frequẽter euincit ex propheticis ꝓmissiõib. ex semine tuo benedicẽtur oẽs gẽtes, & illud: dominabitur à mari usq; ad mare. & rursum: magnũ est nomẽ meũ in gentib. & in omni loco offertur, &c. Et Esaias pręcipuè frequenter de hoc loquitur: Dedi te in lucem gentiũ, ut sis salus usq; ad extremum terræ, & uidebunt gentes iustũ tuum, & cũcti reges inclytũ tuũ, &c. His testimonijs cõfutati sint illi, in Africa tantũ, & inter se uolẽtes esse ecclesiã Christi, quoniã ab illa uniuersali se separabant, & certè arguũtur oẽs, qui in Ecclesia Christi, ex diuersitate nationũ, aut conditionũ, inuidiã aliorũ in alios, aut excitant, aut augent, aut deniq; pro uiribus nõ extinguũt, quod utinam nõ aliquã do apud uestros uideremus. Si oẽs unũ sumus in Christo, q̃rsum illa noĩa Romani, Itali, & similia? imò cur & conciliũ nationale, q̃d nõ pendeat à supremo capite & uniatur cæteris Christiani orbis nationibus. Quod nõ aliter fieri potest, q̃ per illã subordinationem, qua uni capiti uicario Christi successori Petri obedimus oẽs, ut ficut Paulus inqt: Ex Christo totum corpus cõpactum, & connexũ, per oẽm iuncturã subministrationis, secundũ operationẽ in mẽsuram uniuscuiusq; membri, augmentũ corporis faciat in ædificationẽ sui, in charitate, quæ ideo dicimus, ut aduertatis eos, hanc Ecclesiæ Christi uniuersitatẽ, hoc nomẽ catholicum, maximè impugnare, qui in nationes uolũt eã diuidere, quod faciunt qui nationalia concilia, non communicantia cæteris Ecclesijs, cogitant.

a Si hoc uerbo intelligatis cognationẽ, aut familiã, certũ est, sicut prę cedentia. Interim

cum

cum aut gentem, nec ad a unum certum hominũ genus alligatã esse, sed in eo esse loco, aut gente, ubi Euangelion Christi b synceriter prædicatur, & Sacramẽta eius rectè, iuxta institutionẽ Christi c administrantur. Ioan. 10. scriptũ est: Ego dixi, Dij estis. Illos dixit Deos, ad quos factus est sermo Dei, etc. Ergo ibi est populus, seu Ecclesia Dei, ubi sermo Dei d prædicatur. Ioan. 15. Iã uos mũdi estis propter sermonẽ, quẽ locutus sum uobis. Sermo igitur Christi, q est Euãgelion, demonstrat ubi sit ecclesia, quæ e corã Deo sit mũda. Ad

SCHOLIA CATHOLICA.

tamẽ ecclesia Christi alligata est ad Christianos, ad eos uidelicet, qui uerã profitentur fidem. Itaq; est hoc certum genus hominũ, quanq̃ melius dici potest, certa religio, à Mahumetica, & cæteris distincta, capit tamẽ & Turcas, & Scythas, & cæteras nationes cùm ad Christũ uenerint. Itaq; hac ratione fatemur non alligatã ecclesiã ad certum hominum genus, hîc tamẽ admonemus simplicores, ut caueant absconditũ laqueũ, quẽ nisi aliàs apertè ab ijs confitentibus positũ aduerteremus, liceret hic prætexere, ecclesia igitur, quia ut diximus, humana est congregatio, habet prælatos, & superiores suos, ij sunt ministri Christi, & dispẽsatores, ministeriorũ Dei, ut Paulus inquit, ijs alligata est ecclesia, tenetur eos totus populus audire docentes, & dirigẽtes ad salutẽ, alligata est ijs totã ecclesiã non minùs, q̃ quælibet alia Respub. suis capitibus, & gubernatorib. ut quod illi fecerint dicatur tota ecclesia facere. Quis. n. ita desipiat, ut cũ irrideat, & pro nihilo ducat, quidquid populus tumultuãs seditiosè agit, separatus à suorũ principũ obediẽtia, irrideat etiã, si ille populus alios sibi libidine sua præficiat magistratus, putet in Ecclesia ordinatissima Repub. & maximè una ratum esse, q̃ uel populi, uel priuati aliqui separati à ministris Christi fecerint, & probet tanq̃ ministros legitimos, quos pro sua uolũtate populus à prioribus separatus exerit. Cùm igitur hoc alienũ sit ab omni ratione, fateamur ecclesiã alligatam certo generi hominum scilicet ministris Christi legitimis, ut sine illis nõ sit ecclesia, quæ ideo latiùs prosecuti sumus, quia ostẽdunt radices schismatis.

b His satis respõsum est in assertione catholica, Arriani dicebant se synceriter prædicare Euangeliũ, reliquos oẽs corrupisse, & ita cæteri oẽs hæretici, quomodo igitur hoc potest esse ecclesiæ manifestatio quod maximè obscurũ est? Ecclesiã uerò oporteat esse certam. Fatemur hęc duo semper esse coniuncta, ueram ecclesiam, & syncerã prædicationem uerbi, at uerò synceritas uerbi magis agnoscitur ex ueritate ecclesiæ, q̃ è cõtra, quod præcipuè Irenęus & Tertul. notarunt in illis locis, ex quibus nonnulla adduximus in assertione catholica, apud solã ueram ecclesiã est uera sacra scriptura, inquiunt illi, & uera traditio.

c Idem & de hoc dicimus, ut etiã habes in assertione catholica, uos dicitis sacramentũ baptismi nõ rectè, & iuxta Christi institutionẽ tradi, nisi in sola aqua sine chrismate ullo, nos contrarium dicimus, nos accepisse à Patribus cõtinua successione, quomodo igitur hoc signo decernetur ecclesia? nam uos plus q̃ oẽs alij in oĩbus Sacramentis separationẽ feciſtis, alia omnino negantes, paucioribus quæ recipitis, aliter utentes. Adducitis itaq; signa, quæ apertè agnoscitis maximè incerta esse, quid ergo agitis, quàm ut nunq̃ inueniatur ecclesia, & ita nulla cõtrouersia terminetur? Miserrima certè cõditio esset ecclesię, si ita sentiamus. Igitur cõsugite, ut in assertiõe catholica dicimus, ad originẽ ecclesię, ad successionem nõ interruptã, quã constat relinquere eos, qui hæreses sequũtur, nouas scilicet doctrinas, quę Apostolorũ tẽpore nõ sunt auditę. Nã ut Cypri. inquit lib. de simplicitate prælatorũ, non. n. nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cũ hæreses, & schismata postmodũ nata sint, cũ conuenticula sibi diuersa constituũt, ueritatis caput, atq; originẽ reliquerunt, inueniamus igitur originẽ doctrinæ, & potestatis ministrorũ, & ueram agnoscemus ecclesiã.

d Prædicatur, inquã, à legitimis ministris, alioquin non intrant per ostium, sed aliunde ascẽdunt, rapere quærunt, & occidere, separare ab unitate, quare nos meritò putamus, satiùs locutionem hanc conuertendã, ut dicamus, ibi sermo Dei legitimè prædicatur, ubi est populus, siue Ecclesia Dei. Priùs itaq; est illa agnoscẽda, & ex ea iudicãda auctoritas, & ueritas prædicãtis, nunc scilicet stabilita iam per Apostolos ecclesia, nam à principio ibi erat uera ecclesia, ubi Apostoli docebãt, nunc uerò quãdo alij docent, ut agnoscamus an fures sint, illud cogitandũ est, an ad ecclesiã pertineãt, q̃d cognoscimus uerè ex successione, ut dictũ est. Itaq; ubi est hęc ecclesia Apostolis succedẽs, ibi est uerũ Dei uerbũ, re uera ut superiùs diximus, hęc duo simul cõiuncta sunt, sed in cognitione nostra ecclesię ueritas prægredit, iuxta primũ sensum, quem in assertione catho. ciuauimus, q̃d etiã nõ piget frequẽter admonere, quia ad fundamentũ pertinet, & radicẽ præsentiũ malorũ, & illorũ remedium ostẽdit.

e Pulchra collectio, sermo mũdat audientes, inqt Christus, sed ecclesia est munda coram Deo, ita enim assumunt, ergo sermo, qui est Euangelium demonstrat, ubi sit Ecclesia. Si demonstrat, quia mundat, ergo ei demonstrat coram quo mundat: At dicitis uos corã Deo, ergo Deo demõstrat, non nobis, re uera munditia nõ potest signum esse ecclesiæ, quæ absc̃dita est, meritò. n. clamat ecclesia: Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, &c. q̃ si sanctitas non est signum ecclesiæ, nec uerbum Dei propterea erit signum, quia sanctificat, sed destituebãtur in hoc loco scripturæ auctoritatibus, & ideo confugerunt ad communia loca.

Roman. 1. a *Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Vbi igitur est Euangelion quod agnoscitur fide, ibi Deus habet Ecclesiam, in qua est efficax ad æternam salutem. Chrysost. b in comment. in Euangelion Matthæi capite 24. Homil. 49. Quare hoc tempore omnes Christiani conferre se ad scripturas debent, quia in tẽpore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse uerę Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, uolentium cognoscere fidei ueritatẽ, nisi scripturæ Diuinæ. Et postea: Qui ergo uult cognoscere, quæ sit uera Ecclesia Christi, unde c cognoscat, nisi tantummodo per scripturas? August. Tom. 2. Epist. 166. in d scripturis didicimus Christum: in scripturis didicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus, & quare nõ in eis & Christũ, & Ecclesiã communiter retinemus? Et iterum Tom. 7. in epist. contra Epistolam Petiliani Donatistæ, cap 2 3 & 4. Inter nos, & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia, Quid ergo facturi sumus? in uerbis nostris eam quæsturi, f an in uerbis capitis sui Domini nostri ei su Christi? Puto quòd in illius potius uerbis quærere debemus, qui ueritas est, & optimè nouit corpus suum. Quòd autem affirmatur, Ecclesiam ha*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hîc est etiam locus cõmunis, quod colligunt, uerissimum est, ubi est Euãgelium, est uera ecclesia, quòd sępe iam fassi sumus, sed ubi est uerum Euangelium? dicunt fortè, fide agnoscitur, eadem etiam agnoscitur Ecclesia, sed quid prius? certè Ecclesia, si Patribus credimus, ut sæpe dictum est.

b Primo, hoc est secundo commentario Chrysostomi in Matthæum, qui & si multa contineat arguta, continet multa apertè hæretica, & Arriana, quare à multis creditur hæretici alicuius esse potiùs, quàm Chrysostomi, aut certè admista sunt Chrysostomi uerbis aliena aliqua, igitur illud semper fuit moris hæreticis, ad scripturas prouocare, ut Tertullianus inquit, quia facilè trahi possunt in diuersos sensus, hoc facit iste in uerbis citatis, quare magis reijcienda sunt, & uocandus ipse ad traditionem, & successionem agnoscendam, & hoc omnino nobis uidetur, Quoniam hæc uerba nullam esse probationem Christianitatis, nullum refugium ad cognoscendam ueritatem fidei, nisi scripturæ Diuinæ, non consonant Patribus, nec antiquis concilijs, quæ, ut sæpe diximus, ad traditionem, & consensum doctorum semper confugiunt. Quòd si omnino uerba hæc Chrysostomi aut Catholici alicuius sunt, possunt uerum habere sensum, ut dicta sint contra eos, qui ratiocinationibus philosophicis, & argutijs humanis fidem tractãt, tales erant plurimi Arrianorũ: hoc igitur docet relinquendum, quod sæpe Chrysostomus solet admonere, & in scriptura uera fides quærenda: sed in scriptura, prout à Patrib. traditur, & explicatur in Ecclesia.

c Per scripturas, inquit, non propterea q scriptura nõ sit nisi apud Ecclesiam, est etiã apud hæreticos, quanq; non rectè intelligatur. Quis uerò rectus sit sensus ex Ecclesia habemus, per scripturã ergo Ecclesiã cognoscitur, tantummodo quoniam ibi probatur eius ueritas, probatur origo, ex quibus non potest non agnosci: nam si una est, & in Apostolis primò incepit, necesse est ut ab eis deriuetur, continua, & nunquam interrupta successione, sicut riuus à fonte, ut Cyprian. inquit.

d Apertus est sensus Augustini, in eo loco agit, ut probet Ecclesiam uniuersalem esse, & in omnibus gentibus, quod ex scriptura dicit probari pluribus locis citatis de CHRISTO capite, & totidem de hac Ecclesia, quæ corpus eius est per omnes gentes diffusa. Igitur certissimum est, testimonijs scripturarum ostendendum esse ubi sit Ecclesia, quod iam facimus, ostendentes eam Catholicam, & Apostolicam esse, & ab Apostolis deriuari.

e Hoc nũc etiam & nos dicere possumus, Quare cùm Christum apertè in scripturis agnoscamus, non etiam Ecclesiam agnoscimus, potestis quidem uos in nos hanc culpam reijcere, & certabimus uerbis, sed nos cum Augustino eo loco dicimus uobis: ubi agnouimus Curistum in eo, quod scriptum est: ego sum ueritas: ibi agnouimus Ecclesiam, ubi dictum est: quòd sit columna, & firmamentum ueritatis: ubi agnouimus CHRISTVM, ubi scriptum: uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominauit: ibi agnouimus Ecclesiam, in eo quod scriptum: superædificati super fundamentum Apostolorum: ubi agnouimus Christum, in eo quod scriptum: quod uidentibus discipulis suis eleuatus est: ibi agnouimus Ecclesiam, in eo quod scriptum est, apparuisse Apostolis dispertitas linguas, sediſſęq; super singulos eorum Spiritum sanctum, & appositas esse illa die animas circiter tria millia, quæ omnes erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Dominus augebat, qui salui fierent quotidie in idipsum. Agnoscamus idipsum illud, de quo loquitur, agnoscamus congregationem, cui nos coniunctos esse, & à qua deriuari oportet omnia membra.

f Hæc frequenter Augustinus contra Donatistas, sicut præcedente loco dicit, in uerbis CHRISTI ostenditur Ecclesia, non quòd illa sit, ubicunque prædicantur, sed quòd ex auctoritatibus scripturæ uniuersalitas Ecclesiæ, origo eius ab Apostolis, & unitas ostendantur, quæ sunt certè eius signa, ut dictum est.

bere ius testificandi de sacra scriptura, interpretandi scripturam, & iudicãdi de omnibus doctrinis, non sic intelligendum est, quòd Ecclesia habeat liberam potestatem quiduis statuendi, ac etiã si libeat mutandi scripturam, & fingendi nouam doctrinam, ac a instituendi nouos cultus Dei: sed q̃ Ecclesia ut sponsa Christi agnoscat uocem spõsi sui, & acceperit à sponso suo certam regulam propheticam b uidelicet, & Apostolicam prædicationẽ, cœlestibus miraculis cõfirmatam, iuxta quam debeat obscura, si quæ uidentur loca scripturæ, interpretari, & de doctrinis iudicare. Psal. 118. Lucerna pedibus meis uerbum c tuum. Ad Rom. 12. Habentes dona, iuxta gratiam datã nobis, uaria, siue d Prophetiam, iuxta analogiã fidei. 2. Pet. 2. Habemus e firmiorẽ sermonẽ Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, &c. Origenes in Hieremiam Homil. 1. Necesse est nobis scripturas f sanctas in testimoniũ uocare, & sensus quippe nostri, & enarrationes sine his testibus nõ habent fidem. Hieronymus in Matt. 23. Quod sine auctoritate scripturæ dicitur, eadẽ facilitate cõtẽnitur, qua dicitur. August. de nupt. & concupis. lib. 2. cap. 23. Ista controuersia iudicem quærit, i iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus, &c. Et mox: Iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus, clamat, & dicit de Deo patre, qui proprio Filio, etc. Quare Ecclesia sic habet auctoritatẽ iudicã

SCHOLIA CATHOLICA.

a His omnibus consentimus, & consenserunt semper omnes sobriè loquentes: uos ipsi citastis superiore cap. B. Thomæ sententiam de hac re, quare quod hoc admoneatis libenter accipimus, agnoscite tamen uos primũ à nobis admonitos fuisse, quòd hic sit sensus sobrius catholicorum doctorum.

b Hoc secũdum etiam ualde probamus, & agnoscimus optimè explicari Ecclesię auctoritatem circa hæc, huius tamẽ cupimus uos etiã admonitos, ut q̃ propriè, & uerè dixistis: Propheticam, & Apostolicam prædicationem, regulã esse interpretandi scripturam, & iudicandi de doctrinis, ita etiã prudenter sentiatis, hanc propheticam & Apostolicam prędicationẽ non idem esse, quod scripturam, latiùs patet prædicatio, q̃ scriptura, de quo sæpius superiùs diximus, quod solum si aduerteritis, facilè erit in omnibus conuenire.

c Verbum inquit, non scriptura, unde & Ioãnes, ut habes in assertiõe catholica, quod audistis, inquit, ab initio, &c.

d Si hoc adducitis, quo probetur, prophetiam, hoc est, uel reuelationem, uel interpretationem scripturæ, fide esse regulãdam, uerissimum est, & ita fatemur, quidquid in ijs non consonat regulæ fidei, alienũ est. At fides non tantũ de scripturis est, sed etiam de traditionibus: Ex auditu inquit Paulus.

e Sermonẽ inquit, non scripturã, semper enim hæc uidemini confundere, quũ sæpe etiam ostenderimus, quanta sit differentia sermonum, habemus non tãtum in scriptura, sed etiam memoria, & cogitatione, quæ sunt tabulæ cordis carnalis.

f Ita fatemur ex scripturis confirmanda esse omnia. Inde auctoritas ecclesiæ, inde & traditionis Apostolicæ auctoritas, quum igitur cõsensu omnium Patrum probamus traditionem, iam ex scriptura sequitur recipiendam eam esse.

g Igitur sensum propriũ hic reijcit, cõtrà eos, qui illi innitũtur loquitur, at sensus ecclesiæ, & enarratio non est priuata, nec est sine scripturis testibus, ex quibus firmitas ecclesiæ in fide probata est.

h Verissimum est, sed quorsum hoc, uultis ne intelligi contemnendum esse etiamsi ostẽdatur Apostolica traditio? nõ puto uos credere Hieron. hæc sensisse, loquitur ibi Hier. de historijs, uel narrationibus Iudæorũ. Ex quibus quidam exponũt locum illũ, sanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ, &c. de Zacharia patre Ioan. Baptistæ. Illa, inquit, pariri facilitate, qua dicuntur, & contẽnuntur, longè ab ijs consensus omnium Patrum, & Apostolica traditio de chrismate baptismatis, de oratione pro uiuis, & defunctis. Hæc frequenter uobis dicimus, quoniam si hæc sobriè aliquãtum expenderetis, magna esset nobis aperta concordiæ uia.

i Caue ne intelligas Aug. sentire in cõtro uersijs esse quærendum iudicium Christi, quasi in ecclesia non sit iudex, absit hoc, uoluit Aug. probare paruulos reos nasci peccati, eò quòd pro illis mortuus fuerit Christus, quod Pelag. negabãt. Hoc probat Aug. ex illo loco Christi: Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, quo significatur, nullum participem sanguinis Christi, nisi qui peccato obnoxius est, adducturus ergo hanc auctoritatem, dicit, Iudicet Christus, sicut mox adducturus auctoritatem Pauli, dicit: iudicet: Paulus. Hinc igitur colligamus, quòd ubi est auctoritas apertæ scripturæ, per eam iudicanda sunt dubia, ubi uerò non est, aut est obscura, ex traditione, & Patrum consensu iudicat Ecclesia. Est uerò locus uterq; 33. cap. secund. lib. de nuptijs, & cõcupis. ad Valerianum. Et ne hîc uideamur Augu. auctoritate destitui, & agnoscatis nos synceriter quærere Patrũ sensum, uidete quanti ipse Aug. faciat traditionem. Eodem lib. ca. 29. in fine, citatis quibusdam Patribus, qui paruulos peccato obnoxios docent, ita inquit contra Iulianũ: Hoc iste audet dicere Manichęos, & antiquissimę ecclesię traditionẽ isto nefariocrimine spargit, qua exorcizãtur, & ut dixi exufflãtur paruuli, ut in re-

di de doctrinis, ut tamen contineat se intra a metas sacræ scripturæ, quæ est uox sponsi sui, à qua uoce nulli, ne Angelo quidem, fas est recedere.

SCHOLIA CATHOLICA.

gnum Christi à potestate tenebrarum eruti transferantur: nos autem paratiores sumus, cum istis uiris, & cum Ecclesia Christi, in huius fidei antiquitate firmata quælibet maledicta, & cõtumelias perpeti, quàm Pelagiani cuiuslibet eloquij prædicatione laudari, de qua traditione Ecclesię, exorcismorum, & abiurationis in baptismate lib. 2. contra Pelag. & Celesti. cap. 40. ita loquitur: Deniq; ipsa Ecclesiæ Sacramenta, quæ tam priscæ traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti quãuis in paruulis existimẽt simulatoriè potiùs, quàm ueraciter fieri, nõ tamen audent aperta improbatione respuere. Ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant, paruulos à partu etiam recentissimos, per gratiam Christi à Diaboli seruitio liberari, excepto enim quòd in remissionem peccatorum non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, priùs exorcizantur etiam, in eis & exufflatur potestas contraria, cui etiã uerbis eorum à quibus portantur se renunciare respondent. Vide itaq; quanti August. facit traditionem, & qualiter ex ea tanquam certissima regula dubia fidei confirmat, nam hoc idem lib. 1. de nuptijs, & concupis. ad Valerium cap. 20. eisdẽ ferè uerbis prosequitur, ubi de ueritate sacramentorum ita inquit, quæ nulla hæretica nouitas auferre, uel mutare permittitur, regente, atq; adiuuante capite totum corpus suum.

a Hoc itaq; est quod moliebamini, ut ex uerbo Dei, uel sermone transferatis nos ad scripturam, cùm tamen includat etiam traditionem, quare uos in charitate Christi obsecramus, nolite hæc surdis auribus pertrãsire, agnoscite traditiones certissimum fidei fudamentum, eas omnes pariter, & humiliter quæramus in confessu Patrum, ubi & quid sit nouum ostenditur, & congratulabimur breui de Ecclesiæ pace, & saluteuestra. Quòd si non uultis, per ipsa Christi uiscera eos, qui hæc legerint oramus, ut uelint, si nolunt salutem suam perditioni, uel certè graui periculo exponere.

DE ECCLESIA. CATHOLICA.

CONfitetur uera fides, iuxta scripturam, & symbolum Apostolorum, & Patrum, quòd una sit Ecclesia, hoc est congregatio omnium hominum in uera fide, & cultu unius Dei, ab initio ipso seculi usq; ad finem conuenientiũ, quanquam habuerit diuersos status. Hæc uerò Ecclesia nũc solùm est in eis, qui Christi fidem tenent, & secũdum eam Deum colunt, ita ut quidquid de Ecclesia dicitur in scriptura, iam ad Christi Ecclesiam sit referendum. Quare & Apostolicam meritò illam credimus, quòd ab illis cœperit, & ab eis congregata, & instituta sit, dicente Paulo: quòd superædificati sumus super fundamentum Apostolorum. Catholicam etiam meritò eam confitemur, quòd ad nullam sit gentem, aut prouinciam restricta, sed in fines terræ extendatur, iubente Christo Apostolu: Euntes in mũdum uniuersum, etc. Habet hæc Ecclesia præsentiæ spiritus sancti, atq; ipsius Christi secundum spiritum promissionem, ipso dicente: Ego uobiscum sum, & cæt. Et iterum: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, à quo fit, ut etsi in ea mali admisti sint bonis, nunquam tamen uel peccatis, uel erroribus fieri possit, ut non perpetuò in ea integritas fidei, & sanctitas uitæ permaneat, promittente Christo: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Vnde sanctam etiam meritò confitemur. Quia igitur hæc Ecclesia hominum est congregatio, & quanquam in cœlestem, & diuinum finem, atq; ideo uirtute super humana, & uerè diuina conueniant, humano tamen more necesse est eos conuenire. Quare oportet Ecclesiam ipsam certam esse, uisibilem scilicet & sensibus ipsis corporeis perspectam, non minùs quàm sunt aliæ humanæ Respub. Auctoritas etiam ministrorum, & gubernatorum eius certa, & manifesta esse debet. Quare nec gratia, nec certè interior aliqua uirtus occulta, requirenda est uel in membris, uel in ministris eius, præter publicam, & legitimam professionem fidei, & uocationem, ut ad eam pertineãt, & ut eius munera integrà perficiant. Neq; enim qui plantat aliquid est, neq; qui rigat, ut inquit Paulus, in hac Ecclesia, sed qui crementum dat Deus. In una hac Ecclesia fatemur solum esse remissionem peccatorum, siue per Sacramenta, siue per uotum eorum, & pœnitentiam, extra eam uerò nullo modo, etiamsi Sacramenta extra eam perfici non negemus, non tamẽ habetur fructus eorũ, sed in peccatum potius conuertuntur. Habet & hæc Ecclesia magisterium unum, & præsens omnium eorum, quæ pertinent ad salutem æternam, quam meritò Paulus uocat columnam, & firmamentum ueritatis, unde & ipsa tradit nobis sacram scripturam, alia extra eam fidei dogmata, & interpretatur dubia circa hæc, & deniq; iudicat, & censet de omnibus doctrinis eadem concernentibus, in quibus si erraret, præualerent aduersus eam portæ inferi, quod cùm sit contra promissionem Christi, consequens est, ipsam neq; errasse unquam circa hæc, neq; erraturam. Quare qui in ijs Ecclesiæ non parent, manifestè ad inferi portas declinant. Quærentibus igitur ubi sit hæc uera Ecclesia, quasi difficilius sit

lis sit cognitu, maximè cùm sicut olim Donatistarum, & omnium hæreticorum tempore, ita & nunc diuersarum factionum homines contendãt, asserente quolibet, apud se, & suos, & nõ in contraria factione esse Ecclesiam. Hoc itaq; inquirentibus, quod sit signum Ecclesiæ ueræ: respondemus primò, fraudulenter, & subdolè dici signa certa, quibus Ecclesia dignosci potest, esse syncerum Euangelij prædicationem, & rectam, atque secundum Christi institutionem administrationẽ Sacramentorum. Constat enim de utroq; eorum, aut de altero semper controuersum esse inter diuersa docentes. Nec illa manifestiora esse possunt, quàm Ecclesia, ut ipsa nunc experientia ostendit. Noui enim Euangelici dicunt, se uerum Euangelium docere, & rectè administrare Sacramenta, nos utrumque peruersè agere: è contrario uerò nos, ut ueritatem omittamus, ex consuetudine, & præscriptione asserimus, non posse priuari nos apud ullum æquum iudicem hoc nomine, quòd rectam, & synceram fidem, ac Sacramenta teneamus, quæ enim à patribus accepimus, illa tenemus. Deinde quærentibus ueram agnoscere Ecclesiam, & qui ad eam uerè pertineant, respondemus apertè, non hoc minus certum esse, & perspectum, quàm quæ sit uera Respublica Venetorum, aut uerum regnum Galliæ, siue Hispaniæ, uel qui ad has pertineant Respublicas, cùm certa fides nos docuerit, non esse minus manifestam Ecclesiam, quàm sint humanæ aliæ Respublicæ. Nihil igitur aliud ad agnoscendam ueram Ecclesiam certum est necesse fore, quàm ut unitatem eius attendamus, ex qua necesse est statim agnosci, qui se ab ea separant, quare sola hæc certissima signa sunt Ecclesiæ ueræ & falsæ, perseuerantia in unitate, & discessio ab ea, quod Ioannes apertissimè nos docuit, qui de Antichristis loquens, Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non erãt ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Vides itaq; discessionem ab unione, & perseuerantiam in ea consideratam præcipuè à Ioanne ad discernendos Antichristos à Christianis. Quia uerò unitas hæc Ecclesiæ nõ ex loco primo, & principali est, ut aliarum politiarum humanarum, quæ ex loco considerantur: Res hæc difficilis sit imbecillioribus ingenijs, ut igitur id agnoscant, uera fides, & historia certa cogitandæ sunt, hæc nos docent Ecclesiam Christi primò fuisse in centum ferè illis Apostolis, & discipulis, qui post eius ascensionem Hierosolymis congregati acceperunt Spiritum sanctum, ijs coniuncti sunt fide, & animorum consensu, omnes quotquot conuersi sunt in Hierusalem primùm, deinde Antiochiæ, Cæsareæ, Corinthij, Ephesi, & deniq; quocunque terrarum peruenit hæc Euangelij prædicatio, & in diuersis nationibus, atque gentibus diuersas esse fundatas Ecclesias, sed animis primæ illi congregationi coniunctas fuisse, & ab illa suam agnouisse originem, eadem fide, & historia agnoscimus. Inter has igitur diuersarum nationum Ecclesias, illæ Apostolicæ sedes maximè dictæ sunt, quas per se instituerunt Apostoli, ut Hierosolymitana, Ephesina, Antiochena, & similes, fuit uerò inter has & cæteras omnes Christianas conseruata unio, cunctis inter se & orationibus, & Sacramentis, atq; doctrina ita communicantibus, ut nihil eorum, quæ ad fidem, & necessarium cultum pertinerent, aliæ alijs inscijs agerent. Quod ita demum tota historia, & certa fides nos docent, maximè seruatum fuisse, agnoscentibus omnibus primatum auctoritatis Romanæ Ecclesiæ. Illi igitur, qui ubicunque terrarum sunt, si à primis illis Ecclesiæ fundatoribus Apostolis ita deriuantur, ut ab eis Sacramenta, & potestatem ministeriorum Ecclesiastica corum susceperunt, per medios uidelicet successores eorum, ut tandem redire possint, usque ad Apostolos, non interrupta serie legitimorum ministrorum, & eandem tenent pietatis doctrinam, quam illos in Ecclesijs suis constat tradidisse, isti permanent in unitate: qui uerò uel potestatem deriuatam ab ijs non habent, qua Sacramenta administrantur, uel non tenent consonam traditionem omnium Ecclesiarum primarum, discesserunt proculdubio ab unitate, inter quas traditiones cùm superiùs constiterit, non minimam esse de primatu auctoritatis Romanæ Ecclesiæ, meritò certè discedit ab unitate, qui ab ea se separat. Matthæi decimooctauo: Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo, uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Concordia igitur, & unanimitas uera signa Ecclesiæ: sed ut Cyprianus inquit in libro de simplicitate prælatorum: Quomodo potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum uniuersa fraternitate non conuenit? Ad Ephesios quarto: Soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis, & multis de hac unitate, & diuersitate graduum Ecclesiæ additis, tandem inquit, Postquam de gentium cæcitate locutus est, uos autẽ non ita didicistis Christum, si tamen illum nouistis, & in ipso edocti estis, sicut est ueritas in Iesu. Igitur unitatis conseruatio est uerum Ecclesiæ Christi signum. Iudas in Canone. Vos autem charissimi, memores estote uerborum, quæ prædicta sunt uobis ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant uobis: quoniam in nouissimis temporibus uenient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, ij sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes. Discessio igitur proprium signum est hæretici, quam ex ipsa nouitate efficacissimè conuincit Cyprianus libro de simplicitate prælatorum, non ait, Nos ab illis, sed illi à nobis recess-

ſerunt, & cùm hæreſes, & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt, dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, ueritatis caput, atque originem reliquerunt. Irenæus libro tertio aduerſus hæreſes, capite tertio. Traditionem itaq; Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in Eccleſia, adeſt perſpicere omnibus, qui uera uelint audire, & habemus enumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum uſque ad nos Et poſt nonnulla: Sed quoniam ualde longum eſt in hoc tali uolumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceßiones, maximè & antiquißimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſißimis duobus Apoſtolis, Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceßiones Epiſcoporum peruenientem uſq; ad nos indicantes, confundimus omnes, &c. Et poſtea capite quarto: Tantæ igitur oſtenſiones quum ſint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere ueritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere, quum Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues, pleniſſimè in ea contulerint ea, quæ ſunt ueritatis, ut omnis quicunq; uelit ſumat ex ea potum uitæ. Hæc eſt enim uitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt & latrones. Quid enim etſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquißimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſente quæſtione ſumere quod certum, & re liquidum eſt? Hæc Irenæus Lugdunenſis, de quo Euſebius libro quinto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ magna cum laude meminit, Quiq; Polycarpi Ioannis diſcipuli, fuit diſcipulus, à quo diligentißimè cuncta ſe memoria tenere, ut refert Euſebius memorato loco, affirmat. Cyprian. libro de ſimplicitate prælatorum. Per Apoſtolum præmonet Spiritus ſanctus, & dicit: oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti ſint in uobis, ſic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur, ij ſunt, qui ſe ultro apud temerarios, & conuiuas ſine Diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ullo ordinationis lege conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumũt. Idem in Epiſtola ad Cornelium, quæ eſt libri primi epiſtola 3. Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex uice Chriſti cogitatur. Itaque qui ſobriè de Eccleſiæ huius auctoritate ſentiunt, non illi tribuunt liberam poteſtatem circa ea, quæ fidei, & diuini cultus ſunt, ut uidelicet poßit uel mutare ſcripturã, uel nouos recipere libros, aut noua dogmata docere, ſed agnoſcunt Spiritum ſanctum in ea manentem hoc agere, ut agnoſcat, & teneat Apoſtolorum doctrinam, & iuxta eam ſcripturam interpretetur, & de nouis doctrinis iudicet. Nec tamen contrahit catholica fides hanc prædicationem Apoſtolicam, & Euangelium ad ea, quæ ſcripta ſunt tantùm, ſed traditiones non minoris auctoritatis eſſe, nec minùs efficaciter retineri in cordibus fidelium ſcriptas ſpiritu Dei uiui, quàm in membranis ipſa ſcripta, aſſerit. Primæ Ioannis ſecundo: Vos quod audiſtis ab initio in uobis permaneat, quia ſi in uobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & uos in Filio, & Patre manebitis. Ecce quòd Ioannes uocat uerbum Dei non ſcripta ſolùm, ſed audita potiùs, in quibus permanere exhortatur. Primæ ad Timotheũ primo: Sicut rogaui te, inquit Paulus, ut remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam, ut denunciares quibuſdam ne aliter, ſiue ne diuerſa docerent. Apertè uidelicet ad eam, quam ipſe tradiderat doctrinam cætera exigenda præcipiens, nihil uerò de ſcriptura meminit, quam uſq; tunc fortè nullam ſcripſerat. Eiuſdem ſexto. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt, & nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas uerborum. Hîc nihil de ſcripturis, ſed de uerbis tantùm, & doctrina. Vnde ſecunda Epiſtola ad eundem capite tertio dicit eidem: Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, &c. ubi manifeſtè docuiſſe ſe uerbo, & exemplo dicit, & hæc ſuo commendat diſcipulo, de ſcriptis uerò nulla eſt mentio. Irenæus libro tertio, capite quarto: Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturam reliquiſſent, nobis nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias? & mox efficaciſſima ratione confirmat, quàm ſit traditio ſcriptura & antiquior, & efficacior, ita inquiẽs: cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, uel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & ueterem traditionem diligenter cuſtodientes. Et mox præcipuis capitulis fidei enarratis. hanc inquit, fidem, qui ſine literis crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum Barbari ſunt, quantum ad ſententiam, & conſuetudinem ſapientißimi. Vbi manifeſtè docet, quòd cùm multis Barbaris Apoſtoli prædicauerint, multò pluribus tradiderunt fidem, & in eis conſtituerunt Eccleſias, quàm quibus ſit aliquid ſcriptum, cùm non niſi Græcè ſcripſerint. Tertullianus de præſcriptionibus aduerſus hæreticos. Primo adducto loco Pauli, hæreticum poſt unam correptionem deuita, & cætera ait: Non poſt diſputationem adeò interdixit diſputationem, & aßignata quadam ratione addit alteram, ſic dicens: Deinde quoniam nihil proficiet congreſſus ſcripturarum, iſta, inquit, hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi recipit, non recipit integras, & ſi aliquatenus integras,

præſtat

præstat nihilominus diuersas expositiones, commentata conuertit, & tandem concludit: Non ergo ad *scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus nulla, aut incerta uictoria est. Et mox se conuertit, ut inquirat, quomodo sint confutandi errores, & concludit ad traditionem, & consensum Ecclesiarum confugiendum esse, dicens Apostolos primùm in Iudæa constitutis Ecclesijs, deinde per orbē profectos, eandem fidem prædicasse, & constituisse apud unamquanque ciuitatem Ecclesias. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ unam esse illam ab Apostolis primam, ex qua omnes esse necesse est, sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem, & tandem omnia concludens ita inquit:* Dirigimus *præscriptionem, si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit, quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribant, non aliter probari debere, quàm per illas Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, si hæc ita sunt, constat proinde omnē doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspirat, ueritati deputandam, & sine dubio tenentes, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit. Reliquam uerò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat cōtra ueritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Idem post nonnulla:* Age iam *qui uoles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes uocem, repræsentantes faciem, proxima est tibi Achaia, habes Corinthum: si non longè es à Macedonia, habes Philippos: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adieceris, habes Romanam, unde nobis quoque auctoritas præsto est statuta, fœlix Ecclesia, cui tantam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt. Videamus quid dixerit, quid docuerit. Origenes in principio Periarch. Quum multi sint, qui se putant sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur uerò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usq; ad præsens in Ecclesijs permanens, illa sola credenda est ueritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Qui igitur Ecclesiam ad limites sacræ scripturæ coartant in iudicandis doctrinis, cæteriśq; definiendis, quæ ad fidem, & salutem pertinent, repugnant apertè tantis testimonijs antiquorū, & non admittentes traditionis auctoritatē, & consensum patrū atq; Ecclesiarū catholicarum, manifestè se ostendunt contentionum amatores, & alienos ab Ecclesia.*

DE CONCILIIS.

VVIRTENBERG.

FAtemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatis, & sacris iudicia, & a magnam esse legitimorum conciliorum auctoritatem. Sed b longè omnium maxima sit auctoritas uerbi Dei necesse est. Etsi enim c Ecclesia habet certam promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernetur à Spiritu sancto, tamen non d quiuis hominum cœtus pro uera Ecclesia haberi potest. Et ut maximè multi aliquoties in nomine Christi conuenire uidentur, tamen pauci e sunt electi, & non

SCHOLIA CATHOLICA.

a Sed oportebat explicari quantam, dicamus ergo supremā illam esse in ea parte, aut Ecclesia ubi celebrantur, si in prouincia, supra totam prouinciam, similiter si in natione, supra totam nationem. Igitur si uniuersalia sunt supra totam Ecclesiam, illud enim certum est, quod etiam hîc pertransistis, legitima concilia esse, in quibus conueniunt omnes populi, doctores, & pastores, iuxta dispositionem canonum, conueniunt, inquā, si non corpore, saltem Spiritu. Itaq; hoc loco nihil dicimus de quocunque concilio à suo uero capite se separante, sed integra illa, & pfecta concilia supremā habere auctoritatē asserimus, ut habes in assertione catholica.

b Et hoc fatemur, p uerbū Dei sunt cōcilia gubernāda, sed sicut Ecclesia nunquā illud deseret, Christo id, pmittente, & stabiliēte ipsam, ita nec concilia legitimè celebrata.

c Ecclesia, uerū est, tota, non uerò singula mēbra, q; si tota, maximè ubi tota conuenit, ueraciter curatura, & inquisitura, quæ ad salutē pertinent, q̄d fit in cōcilijs, unde illa speciale promissionem habent: ubicunque sunt duo, uel tres, &c. quæcunq; igitur concilia sint, siue prouincialia, siue episcopalia, hanc habent promissionē, sed uniuersalia hanc, & q̄ sit toti Ecclesiæ: portæ inferi, &c.

d Iam hîc omnia confunditis, si uera Ecclesia incerta sit, & uera concilia similiter, frustrà est promissio illa, & ut minimum, non erit utilis Ecclesiæ. Sed quare rogo, quū prælati manifesti sint pastores, scilicet & doctores populorum, si illi conueniant, non erit certum conuenisse illam Ecclesiam, cuius illi doctores sunt, & pastores? Conuenisse, inquam, ita, ut quod illi statuerint, illa debeat susc ipere, & ab illa factum esse, quod illi fecerint, dicendū sit nō minus, q̄ quū conueniunt capita, & gubernatores ciuitatis.

e Quid hoc ad rē? uultis ne solos electos ad Ecclesiam pertinere, quod olim Ioannes Hus stultissimè docuit? uos contrarium asseritis, nam & malos, & hypocritas dixistis pertinere ad Ecclesiam, & per eos uerè administrari Sacramenta, cur non etiam celebrari concilium, & ueritatem inuenire? quū dicat Christus de legis ueteris doctoribus: Super cathedram Moysi sederunt, &c. quæcunque dixerint uobis seruate, & facite.

est a omnium fides. Et quod in politicis idem & in Ecclesiasticis cœtibus fieri solet, ut plerunque b maior pars uincat meliorem. Huc accedit, quod Spiritus sanctus non faciat c populum suum ἀναμάρτητον, hoc est, impeccabilem, sed relinquat in ipso multas, & uarias imbecillitates. Testantur quoq; exempla, non pontifices tantùm, sed d etiam concilia errasse. Quare postquàm Prophetica, & Apostolica doctrina diuinitùs confirmata est, nullius uel hominis, uel hominum cœtus sententia, simpliciter pro e oraculo Spiritus sancti, sine iudicio recipienda est: sed f exigenda ad normam doctrinæ Propheticæ, & Apostolicæ, ut quod cum hac conuenit, agnoscatur, quod cum hac pugnat, refutetur. Ad Galat. 1.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Vt etiam hoc demus, non propterea dubitandum est de legitimo cœtu Ecclesiæ. Nam ad eam pertinent, siue ut prælati, siue ut subditi, quicunq; in confessione fidei, & sacramentorũ usu, cæterisq; uisibilib. Christianæ religionis cæremonijs conueniunt.

b Certè in his concilijs, quæ Ecclesiæ nota sunt, & legitimè congregata, si aliquando, certè rariùs hoc factum est, nec tamen hoc quidquam detrahit legitimorum conciliorum auctoritati, apud modestè, & prudenter cuncta expendentes, sed de hoc inferiùs, mox in hoc isto capite dicemus.

c Primùm, concilium non est totus populus, deinde, & si qui pertinent ad concilium non sint impeccabiles, nec sine peccato, non est tamen difficile Spiritui sancto per illos Ecclesiæ suæ uera dicere, qui per os Balaam populo Israel benedixit, & per Caiphã pessimum prophetauit de mortis Christi necessitate, non quòd nunc hæc miracula exigamus, sed quòd hanc promissionẽ, de Spiritus sancti assistentia, non dubitandum sit, implendam siue aperto miraculo, siue occulta prouidentia, quæ non minoris uel gratiæ, uel uirtutis est, quàm aperta miracula.

d Re uera, si nihil aliud haberemus ad confirmanda catholica, quàm quod historijs de hoc est proditum, multum haberemus ad rem hanc. Primò multa concilia legimus errasse, sed quæ fuerant non legitimè congregata. Errauit conciliũ Ariminen. ab Arrianis à Constantio Cæsare filio Constantini congregatum. Id enim fuerat nulla legitima auctoritate coactum, nec aliud est ibi quęsitum, quàm euersio catholicæ fidei, & restauratio erroris Arrij, sed illud concilium semper à uera Ecclesia damnatũ est. Errauit & Ephesina secunda synodus, quæ uidebatur magis legitimè congregata, astantibus etiam legatis sedis Apostolicæ consensit errori Eutychetis damnato Constantinopolitano pontifice, sed hæc omnia mox correpta sunt in Chalcedonen. sanctissimo concilio, ubi manifestè conuicta falsitas, & detectæ fraudes alterius cõcilij, cui & legati pontificis semper contradixerunt. Referuntur quædam minus nota, & minus celebria concilia, in quibus quædã sunt errata, sed quantum hoc confirmat fidem, quòd errores si qui fuerunt, semper detecti sunt, & reiecti in Ecclesia? Itaque per concilia legitima & sanctissima fides semper integra seruata est in Ecclesia, ut quatuor illa prima manifestant, & quint. etiam atque sex. & septim. synodus, & multa alia prouincialia, quæ & pontificum auctoritate, & consensu Ecclesiæ recepta sunt, in his est ferè explicatio fidei, & morũ, unde quidquid nouitatis oritur in Ecclesia, magna ex parte confutari potest. Nõ ergo hoc satis esse debet, ut agnoscamus quàm sint salubria, & quanti habenda concilia in Ecclesia, sed errores ipsi si qui sunt, quum uideamus tam facilè esse deprehensos, nec permissum à Spiritu sancto, ut prævalerent, idq; ab alijs concilijs factum, nónne nos docent in definitione conciliorum quiescere certos, si qd in eis fuerit corrigendum, non id diutius permissurum Christum, quin corrigatur? Idq; non per priuatos homines, sed per alia concilia. Quòd si dicas, non potuit Spiritus sanctus agere, ut nunquam errarent? potuit certè sed noluit, ad maiorem ædificationem Ecclesiæ, hinc enim ad modestiam, & humilitatem admonentur etiam summi prælati, & ij, qui in concilijs conueniunt: primò, ut non nisi sub uicario Christi conueniant: deinde, ut cùm conuenerint, cum timore, & tremore agant, agnoscentes se esse homines, qui fallere possint, & falli, atque in oratione, puritate uitæ, diligenti studio, non suo tantùm, sed totius Ecclesiæ, quæ spiritu saltem cum illis conuenire debet in uniuersalibus concilijs, sensum patrum, & traditionem Ecclesiæ inquirãt, & cùm inuenerint, nulla animositate, & supercilio illam ostendant, hæc cùm ita aguntur, Spiritum sanctũ conciliant, ut illis adsit, nam & ab illo est, ut agantur, cùm desunt, eo permittente aufert se Spiritus sanctus, ut dictum est, tunc illis, & non Ecclesiæ, ut nobis tota historia ostendit, & in assertione catholica habes.

e Definitiones conciliorũ nõ dicimus reuelationes Spiritus sancti, nec sancta illa cõcilia, & prima, tanquam reuelationẽ sibi factam, quidquã definierũt, sed ex scriptura, consensu patrum, & traditione Ecclesiæ inferentes. Sicut in concilio Nicæno nomen consubstantialis, & sic in reliquis, non sunt igitur nouæ Spiritus sancti reuelationes, qa nec nouam fidem tradere possunt, sed traditam ab Apostolis explicare.

f Conciliorum decreta à quo demũ putatis exigẽda esse ad normã doctrinæ Apostolicæ, ut quædã recipiantur, quædã refutentur? aut quando erit finis inquirendæ ueritatis, aut quæ ratio seruandæ unitatis fidei, si post definitiones conciliorũ non sit quiescendum? certè ut diximus, si aliqd reijciendum in concilijs uniuersalibus fuerit, quod

si nos

Si nos, a aut Angelus de cœlo prædicauerit uobis Euangelion præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. 1. Ioan. 4. Nolite cuiuis spiritui credere, sed b probate spiritus num ex Deo sint: 1. Ad Thess. 5. Omnia c probate, quod bonum est tenete d August. contra Maxi. Arrianorum Epis. lib. 3. cap. 14. Sed nunc nec nego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illis detimeris, scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, utrique, &c. Panormitanus in c. significasti, ex. de electio. in concernētibus fidem, etiam dictum e unius priuati esset præferendum

SCHOLIA CATHOLICA.

non nisi ex defectu aliquo eorum, quæ ad legitimam concilij conclusionem necessaria sunt, contingit, ut dictum est, illud ab alio concilio iudicabitur, curante hoc Spiritu sancto, ut ex historijs proximis satis ostenditur. Cæterùm nulli priuato licet de illis quidquam conuellere, stat Martiani catholici imperatoris lex de summa firmita. & fide catho. C. Nemo, ubi inter cætera hæc dicit: nam & iniuriam facit iudicio reuerendissimæ synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit? Gelasius etiam, ut habes 24. quæst. p. Maiores, inquit, nostri, diuina inspiratione cernentes, necessariò præcauerũt, ut quæ contra unumquamq; hæresim coacta semel synodus, pro fidei communione, & ueritate catholica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilare.

a Primùm uide Paulum impossibilia ponere, nec enim Angelus beatus potest contra ueritatem Euangelij prædicare, nec certè ipse Paulus, qui confirmatus erat in fide, & gratia, sed ut certitudinem fidei ostenderet, inquit, etiam si hæc, quæ impossibilia sunt cogitemus, tam firma tamen debet esse fides eorum, quæ diximus, ut non propterea sit dubitandum de illis. Pari ratione dicere possumus, etiam si concilium præter id, q̃d Paul. prædicauit dixerit, anathema sit, nec tamen sequitur, Spiritum sanctum permissurum id, qui nunquam Ecclesiæ deest.

b Sed quando demum finis erit probandi, hæc probatio facta est iam in cõcilio, uultis igitur, ut priuatus quilibet iterum ad iudicium deducat, quæ concilium iudicauit? imò uidete rogo, ex hoc ipso uerbo contrarium sequi, nam si iubet nos scriptura probare spiritus utrum ex Deo sint, ut illud cũ fructu fiat, necesse est rationẽ efficacẽ probandi spiritus dari in Ecclesia, non potest autem efficax esse si in infinitũ tendat, standum igitur in definitione concilij, quod Spiritus sanctus nos docuit, propriã esse uiam definiendi dubia, quæ ad salutem pertinẽt, ut habes in assertione catholica.

c Sed ut diximus tandem opus est ut sit finis, probationis, similia sunt hæc ijs, q̃ Tertul. reijcit lib. de præscriptionibus hæreticorũ, scriptum est inquiunt, ait ille, quærite, & inuenietis, quo uerbo illi astruebant semper esse quærendam ueritatem, ille uerò multis rationibus huic uerbo respondens inter cætera ita inquit: quærendum est donec inuenias, & credendum ubi inueneris, & nihil ampliùs, nisi custodiendum quod credidisti, & post parum, ratio autem dicti huius in tribus articulis cõsistit, in re, in tempore, in modo: In re, ut quid sit quærendum consideres: in tempore, ut quando: in modo, ut quo usq;. Hæc itaq; nos respondemus, omnia sunt probanda non sine disciplina rationis, ut Tertullianus inquit, omnia quæ probatione egent, & ita tamen, ut quandoq; sit terminus.

d Ita inquit eo loco August, disputans cũ hæretico qui Ariminensis concilij damnati, sequebatur auctoritatem, & damnabat Nicænum, nouit uerò Augu. cum hæreticis ex ijs disputandum esse, quæ recipiũt, unde & in 1. retract. cap. 9. de libris de lib. arbitrio loquens, quæ disputatio inquit contra Manichæos habenda est, qui scripturas sanctas ueteris instrumenti non accipiunt, in quibus originale peccatum narratur, & quidquid inde literis Apostolicis legitur detestabili impudentia immissum esse contendunt à corruptoribus scripturarũ. Itaq; contra hos disputauit sine scripturis, nõ tamen propterea scripturas putat minoris esse auctoritatis, unde statim ibidem inquit, contra Pelagíanos autem hoc defendendum est, quod utraq; scriptura commendat, quam se recipere profitentur, id igitur in præsenti, non quasi minus tribuens concilio Nicæno dicit: Nec ego Nicænum, &c, sed quia aduersarius illud nõ recipiebat, quicunq; igitur, ut uos ipsi fatemini, illud negat, hæreticus conuincitur. Aug. ibidem ante illa uerba propriè satis ostendit, quid de Ariminen. & Nicæno concilio sentiendum, hoc est, inquit illud homousion, q̃d in Nicæno concilio aduersus hæreticos Arrianos à catholicis patribus ueritatis auctoritate, & auctoritatis ueritate firmatum est, & cætera, quæ ibi de Ariminens. dicit.

e Primo hæc conditionalis certa est, sicut illa, si Angelus de cœlo, &c. quod igitur attinet ad rationes, quibus ea, quæ fidei sunt probantur, quæ sumenda sunt ex scriptura, uel traditionibus, quis dubitat melioribus rationibus standum, nec summus pontifex tus doctiorem facit in scriptura hominem: sint igitur hæc dicta de disputatione, uel inquisitione, in qua pontifex etiam ipse summus debet se cæteris æquare, nec plus sibi tribuere, sicut Petrus in 1. illo concilio, & in disputatione cum Paulo non plus sibi tribuit. Aliud uerò est ipsa definitio, & sententia, quæ non ptinet ad priuatos, de quo mox pauca addemus.

dicto Papæ, si ille moueretur melioribus auctoritatibus noui, & ueteris testamenti, quàm Papa. Gerson *parte 1. de examinatione doctrinarum: Prima ueritas staret, quòd aliquis simplex nõ authorizatus, esset tam a excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quàm Papæ declaratio ni. Constat enim plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus ueritatem aliquam in Euangelio contineri, ubi & Papa nesciret, uel ultrò erraret, patet cuius præferendum sit iudicium. Et mox: Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si b sentiret maiorem partem ad oppositũ Euangelij, malitia, uel ignorantia declinare.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a In hoc loco Gerson more suo loquens de examinandis doctrinis, distinguit duplicem esse rationẽ definiendi dubia fidei, uel per doctrinam, uel per auctoritatem, ostendit quàm hæc diuersa sint: doctrinalis declaratio non requirit aliud, quàm eruditionem, unde in ea doctiori credendum, infimi gradus etiam contra Papam: quæ uerò ex auctoritate superioritatis, illa requirit iurisdictionem, quare non doctior, sed superior illam potest facere. Cæterùm quia scientia præcedere debet, & dirigere potestatem, non est dubium in concilijs priùs inquirendam esse ueritatem disputationibus, & omni conatu, inqua inquisitione audiendi omnes quotquot proponere uolent, & non considerandus alius gradus, quàm eruditio, & ratio cuiusq;. Cæterùm in definitione, ubi iam auctoritas, & potestas necessaria est, considerandus gradus. Nec negamus, quòd priora, non ut res exigit, fiant, si, inquam, nõ inquiratur ueritas, ut opus est in definitione, errare posse, sed iam uisum est à quo, & qua ratione hic error emendari debeat.

c Certum est tum non ritè procedi, quum ignorantia, uel malitia prævalet, ut factum est in concilijs Smyrnensi, & Ephesino 2. ubi etiam non est dubium sanctum esse, & debitum ut quisq; se opponat, sicut sanctus ille Flauianus Constantinopolitanus sanctissimè sustinuit damnari in cõcilio Ephesino, sed iam uisum est, hæc nihil detrahere auctoritatibus conciliorum.

DE CONCILIIS.

CATHOLICA.

Quoniam Ecclesia non confusa quædam, & inordinata Respublica est, sed sunt in ea doctores, præpositi, & ministri secundum suos gradus, ut Apostolus docet, & sunt discipuli, & subditi similiter secundum suos gradus, qui doctorum & prælatorum doctrinam fidei, & morum sequi tenentur, hinc fit, ut non omnia promissa Ecclesiæ promiscuè, & confusè omnibus promissa esse intelligenda sint, sed in utilitatem omnium ab ijs, quibus id commissum est, sunt exercenda, quæ igitur ad claues, administrationem scilicet Sacramentorum, & ueritatem doctrinæ pertinent, prælatis, & doctoribus necesse est ut intelligantur promissa, quibus uidelicet dicitur: qui uos audit, me audit. Et de eisdem Paulus: Obedite Præpositis uestris, & subiacete eis. Quum enim dubia aliqua emergunt circa fidem, cultum, & mores, docuit Spiritus sanctus in ipsa mox nascente Ecclesia, & præsentibus Apostolis, ut ij congregentur legitima potestate, & auctoritate, ad quos doctrina, & gubernatio populi pertinet, & circa ea, quæ dubia sunt diligenter inquirant scripturæ sensum, & traditionem, quibus ita agentibus, non dubitamus promissam esse præsentiam Christi, qui dixit: Vbi sunt duo, uel tres congregati, & cæt. ut uel ueritatem inueniant, uel saltem pertinaciter ab ea non dissentiant. Quia uerò concilia hæc à diuersis, & diuersimodè fieri contingit, sunt enim quædam unius tantum prouinciæ, alia totius unius gentis, aut nationis, reliqua uerò etiam totius orbis, non est dubitandum, iuxta ea, quæ de unitate Ecclesiæ dicta sunt: inferiora à superioribus corrigi, suprema uerò, & uniuersalia à nullo inferiori iudicari posse. Quare omnes ad ea suscipienda tenentur, si legitimè celebrata sint. Quia ergo si errarent in fide, & moribus, totam Ecclesiam necesse esset errare, promissio Christi facta Ecclesiæ: portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, uniuersalibus concilijs facta est, & per illa Ecclesiæ, certa ergo fide tenendum est ea nunquam in fide erratura. Quòd uerò in dubium uertitur à nonnullis, qui cœtus hominum uera Ecclesia dici possit, seu uerum concilium, propterea quòd pauci sint electi, neque omnium sit fides, sicut qui non apertè concilium ex prælatis, & doctoribus præcisè constare fatentur, ij omnes latebras quærunt, & in perspicua luce cæcutiunt, quum Ecclesia, cui promissio illa Christi facta est: portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, uisibilis sit, nec ex electione Dei, aut uera fide, & charitate internis pendeat, ut quis ad Ecclesiam pertineat, siue ut subditus, siue ut prælatus, sed ut uiuum membrum sit, hæc requiruntur. Et apertè frequentissimè nos docuit Paulus, non omnium esse in Ecclesia docere, sed membrum quodlibet suo contentum esse debere loco. Igitur manifestè in Ecclesia iudicari potest, & manifestè agnosci, concilium quodlibet legitimum sit, an non, sed & illud constat, nullum legitimum esse, nisi subordinatum sit, & dependeat à primæ sedis auctoritate, siue ea præceda', siue sequatur. Nec uera fides negat Spiritũ sanctum nõ facere suos in hac uita sine peccatis, uel infallibiles, q̃ scilicet nec fallere, nec falli possint: sed nec dubitat catholica Ecclesia, ita Deũ gubernare liberũ arbi-

trium

bitrium hominum, ut quando ei placet à ueritate non errent, quod cùm promissum sit concilio, ut uisum est, non est dubitandum ita impleri à Spiritu sancto, ut nunquam errent legitimè celebrata, & agentia, quæ recta regula exigit, à quibus, quum id non fecerint, ipso id permittente, ad humiliandos suos, ita se subtrahit Spiritus sanctus, & errare permittit, ut tamen id non permittat latere Ecclesiam suam, sed deprehendi faciat, & emendari. Non itaque uera fides ullius uel hominis, uel hominum, post Apostolicam, & Propheticam doctrinam, sententiam pro oraculo nouo Spiritus sancti putat esse suscipiendam: sed intelligit in conciliis, cùm inquiritur ueritas scripturæ, & traditionis, prout opus est, non errari, circa hæc præcipuè in uniuersalibus, sed illud multò magis reijcit & fides, & ratio, ut fiat liberum alicui priuato homini de concilij diffinitionibus in dubium uertere, an repugnent, uel conueniant cum fide, quid enim hoc aliud est, quàm nunquam finiri contentiones, & insufficientissimam esse Ecclesiam. Actorum decimoquinto legimus, quòd quum Antiochiæ, de necessitate circumcisionis quidam quæstionem mouissent, & facta esset non minima seditio, Paulo & Barnaba contradicentibus, statuerunt, ut ascenderent in Hierusalem Paulus, & Barnabas cum alijs ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione, & mox conuenerunt Apostoli, & seniores uidere de uerbo hoc, ubi cùm magna conquisitio fieret, loquutus est Petrus, posteà audierunt Paulum, & Barnabam narrantes, deinde loquutus est Iacobus, & tandem hæc est diffinitio Concilij: Apostoli, & seniores fratres ijs, qui sunt Antiochiæ, & cæt. Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, & cæt. Ecce exemplar, & necessitas conciliorum, atq; ordo, & auctoritas. Matth. 18. & Deuteronom. 17. De fratre peccante dicitur: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Quod apertius in Deuter. non ut cæremoniale, sed ut re uera ad rectam gubernationem populi pertinens, aperitur: Si difficilè, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicum inter portas uidens uerba uariari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui iudicabũt tibi iudicij ueritatem, & facies quodcunq; dixerint, & cæt. Et tandem post alia: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui hoc tẽpore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum ex Israel, & cæt. 2 ad Timotheum 3. Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes seipsos. Et post multa quæ de illis loquitur, propria certè hæreticorũ, tandem inquit, semper discentes, & nunquã ad scientiam ueritatis peruenientes. Qui autem melius nolle peruenire ad ueritatem dici possent, quàm qui post definitionem concilij disputare uolunt? Gelasius Papa in Concilio octoginta Episcoporum, & habetur in capit. Sancta Romana Ecclesia d. 15. Post noui, & ueteris testamenti scripturas sanctam synodum Nycænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem & Constantinopolitanam aliam suscipit, & deinde subdit: sed etsi quæ sunt concilia à sanctis patribus hactenus instituta, post horum auctoritatem custodienda, & recipienda decernimus, & mandamus. Augustinus libro secundo, De baptismo contra Donatistas. Multis quidem in locis quantæ auctoritatis concilia præcipuè uniuersalia sint dicit, sed specialiter cap. 3. dat post scripturam sacram literis Episcoporum, concilijs prouincialibus, & generalibus suum locum, & in summo collocat plenaria concilia, ipsa inquiens, quæ per singulas regiones, uel prouincias concilia fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex uniuerso orbe Christiano sine ullis ambagibus, cedere. Vbi apertè statim ostendit, quod superius ratione certissima diximus, uniuersale concilium (ut minimum illi demus) non posse ab aliquo priuato, uel inferiore concilio emendari, ceu iudice. Ostendit etiam eodem libro quarto, & nono capit. in quæstione illa de baptismo hæreticorũ, concilij uniuersalis auctoritati, & consensui Ecclesiæ standum esse, contra Cyprianũ, & concilium suum, & illis certissimam fidem esse adhibendam. In Epistola denique ad Ianuarium, ut superius citauimus, conciliorum uniuersalium in Ecclesia esse saluberrimam auctoritatem, atque insaniæ esse de eorum diffinitionibus dubitare affirmat. Gregorius, ut apud Gratianũ habes decimoquinta distinctione. Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & uenerari me fateor. Et numeratis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, subdit: hæc tota deuotione amplector, & integerrima probatione custodio. Idemq; mox subdit de quinta synodo, hæc enim usque ad Gregorium uniuersalia concilia celebrata fuerant.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

VVIRTENBERG.

Coram cano capite, inquit scriptura, ãssurge, & personã senis uenerare. Veneramur igitur caniciem maiorum nostrorũ, qui iam inde ab initio reuelati, & propagati Euangelij, in orbe terrarum susceperunt studium iuuandæ Ecclesiæ, non

ſolum uocali prædicatione, ſed etiã publicis ſcriptis, ut poſteritas habeat, ab Apoſtolicis temporibus uſq; ad hæc tempora [a] *manifeſta, & certa piæ doctrinæ teſtimonia. Horum autem ſcripta ſic amplectimur, quemadmodum & ſacra* [b] *ſcriptura permittit nobis humana auctoritate uti, &* [c] *ſua ipſi ſcripta agnoſci uoluerunt. Iob 12. (Vos* [d] *amici dicitis) quòd in antiquis ſit ſapientia, & in multo tempore prudentia, (ego autem dico uobis,) apud ipſum uidelicet Dominũ Deũ noſtrum, eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam. 1. Corint. 4. Prophetæ duo, aut tres loquantur* [e] *cæteri dijudicẽt. 1. ad Theſſal. 5* [f] *Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Tertullian. in libel. de præſcriptionibus hæreticorum: Nobis nihil licet ex noſtro arbitrio inducere, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam de ſuo arbitrio, quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto fideliter diſciplinam nationibus aſſignarunt. Auguſt. in Epiſt. ad Fortunatum diſt. 8* [g] *Neq; quorumlibet diſputationes quanquam catholicorũ, & laudatorum hominum uelut ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in ſcripturis eorum improbare, atq; reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm ueritas habet, diuino adiutorio ab alijs intellecta, uel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales uolo eſſe intellectores meorum. Et iterum in Proh. libro 3. de Trinit. Noli meis literis quaſi canonicis ſcripturis inſeruire, ſed in illis, & quod non credebas, cùm inueneris, incunctanter*

tur, quis niſi impudens, & imprudens reijciat patres?

c Illi quidem præferri ſibi uolunt ſcripturam, & rationem certam, uos præfertis uoſipſos illis. Auguſt. ut in ultimo loco citatum in aſſertione catholica habes: noli inquit meas literas ex tua contentione, uel opinione corrigere, ſed ex Diuina lectione, aut inconcuſſa ratione, nimia igitur eſt, & intoleranda ſuperbia, quemq; ex ſuo arbitrio uel le reprehendere patres.

d Hæc diſtributio ut primum uerbum in antiquis eſt ſapientia proponatur ex perſona amicorum Iob, & quaſi ſecundo uerbo apud ipſum eſt ſapientia, illa refellat, hæc in quam diſtributio, uos amici dicitis, ego autem dico uobis, ueſtra ſunt, non patrũ, nec ipſe contextus id exegit, quanquam ſuſtineri poſsit. Itaque magis eſt incertus quidam ſenſus, quàm uera intentio loquẽtis, qui uerè affirmat in antiquis ſapientiam eſſe, & meritò audiendam à iunioribus, quanquã illam longè inferiorem diuina ſequens uerbum ſignificet, ſed utcunq; ſit, hinc nõ aliud haberi poteſt, quàm quòd non ſit patrũ auctoritas ſcripturis præferenda, quod certè non opus erat confirmare, adeò manifeſtum eſt.

e Cæteri inquit, eiuſdem ſcil. gradus. Itaq; hinc ponit duos prophetas loquentes, inde plures ſimiliter prophetas dijudicantes, igitur hoc probat, quod uni, aut duobus patribus opponi poſſunt, totidem aut plures patres, ſed uni ex illis antiquiſsimis fidei columnis opponere ſe minorẽ, aut unum ex neotericis in re dubia, quis nõ uideat ut minimum immodeſtum eſſe?

f Superiùs hoc citatum eſt, & reſponſum eidem, omnia quidem probanda, ſed non abſq; diſciplina, prius uidendum, quæ probanda, quando, & quouſque, ut Tertullian. dixit.

g Hunc locũ maximè amplectimur, nullus pro ſuo arbitrio, ſed iuxta id, quod Apoſtoli tradiderunt quidquam definire debet, ut ſuperiùs ex Tertulli. in aſſertione catholica adduximus: uos patrum reijcitis traditionem, deinde, quanta ueſtro arbitrio damnatis? ſanctorum inuocationem, ſacrificium altaris, orationem pro defunctis, quæ non unus ex patribus, ſed tota Eccleſia recipit.

h Hæc ab Auguſtino modeſtiſsimè dicta, utinam pari modeſtia ſuſciperentur, nullius doctoris ſcripta æquanda ſunt canonicis ſcriptis, & ſalua, inquit, honorificentia, quę illis debetur poteſt improbari, quòd aliter ſenſerunt, quàm ueritas habet, ſed uide, qua modeſtia inquit ueritas Dei adiutorio ab alijs intellecta uel à nobis, itaq; alijs doctoribus alios opponit circa ueritatis intellectum, & quidem Auguſtin. inter primos illos meritò connumeratus, non mirum, ſi iudicium ſuum alijs opponat, non eſt hoc iam cuiuſcunque, maximè ut unus pluribus ſe opponat.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Si ita eſt, ſic confitemini hoc præſtare nobis ſcripta antiquorum, ut in eis habeamus certa teſtimonia piæ doctrinæ à tempore Apoſtolorum uſq; ad noſtra tempora, qua ratione dubitari poteſt de hac perpetua doctrina poſt certa patrum teſtimonia? Certè ratio nulla eſſe poteſt, ſed ſola pertinacia, & ſuperandi libido. de ueritate corporis Domini in Euchariſtia, de ſubſtantiæ panis tranſmutatione habemus certa patrum teſtimonia, quomodo ergo negari poteſt, niſi pertinaciter, ita in reliquis. Conueniat igitur ex hoc inter nos, ut ille pertinax aduerſarius perpetuæ doctrinæ Eccleſiæ ſit, qui teſtimonijs patrum reluctatus fuerit.

b Sacra ſcriptura non permittit tantùm, ſed præcipit interrogandos, & ſequendos patres in dubijs, & eos maximè, quos conſtat abſq; partiũ affectu locutos, itaq; in ijs, quæ manifeſtè contra ſcripturam ſunt non audiantur patres, ſed in dubijs quum illi interpretantur aliter, quàm mihi, aut tibi uide

ctanter crede: a in istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè tenere. Ac *rursus ad Vincentium lib. 2. Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possent iusto iudicio, & nulla temeritate b culpari.* Et *iterum in Epist. ad Hieronym. Ego c solis eis scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, &c.* Ac *mox: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, uel per Canonicas, uel probabiles rationes, quæ à uero non abhorreant persuadere potuerunt.* Et *aliàs de unico Baptismo in Epist. ad Vincent. Quis nesciat sanctam scripturam, &c. & noli frater contra diuina tam multa, &c. Nam hi d loci, uel ex ipsis Pontificum decretis noti sunt.*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc Augustinus de se modestissimè dicit, sed quod in eodem loco post parum addidit, omissum est à uobis, nos opposuimus in catholica assertione, in secundo similiter loco Augu. quem citamus inter cætera ibi, inquit, correctorē meū nolo sibi esse deditum, illi dico, noli meas literas ex tua opinione, uel contentione, &c. corrigere. Lege igitur omnia, & uide qua modestia agendum sit in ijs.

b Humilis confessio Augu. quam frequēter ille repetit, editis etiā libris retractat. in speciali, in quibus minima quæq; non prætermittit, etsi igitur meritò possumus Aug. iustè certè tribuere, q̄d ipse sibi humiliter non tribuit, nec tamen tantum tribuēdum est illi, ut non in eo aliquid reprehēdi possit, sed fiat id certa uel ratione, uel auctoritate, ut ipse petit.

c Et hoc etiam August. liberè, sed modestissimè dixit Hiero. petens ut persuaderet illi, quod asserebat: & uide qualiter sibi persuaderi uult, uel per alios inqt auctores, uel per canonicas scripturas, uel per probabiles ratiōes. Itaq; & auctores fatetur efficaces esse ad persuadendum, unde & in illa cum Hieron. quæstione de cessatione legalium non pauciores doctores illi opponit, q̄ ipse adduxit, ne uidelicet in re, quæ dubia erat, quandoquidem Hiero. oppositū sentiebat, non suo sensui tantùm uideretur inniti.

d Fatemur, citat Gratia. d. 9. c. quis nesciat ex 1. lib. August. de baptismo contra Donatistas, locum, in quo fatetur literis Episcoporum, & scriptis contradici posse, sed inquit, per aliorum Episcoporū grauiorum auctoritatem, uel per cōcilia, aut fortè per sermonem sapientiorē, idem etiam inquit Augu. in altero loco, quem ex epistola ad Vincentium eadē dist. c. noli frater. Igitur in ijs omnibus primo nimia libertas comprimenda est, hodie maximè, quando tanta est nouitatū cupiditas, ut uel sola hac ratione, qua aliquid habent noui, multa placent, deinde & huius opus est admonere omnes, qui hæc legūt, ea de uno, aut altero doctore dicta esse, siue etiam pluribus. At uerò consensum omnium Patrum longè pluris & ipse Augu. & alij Patres, imò concilia ipsa tanti faciūt, ut non dubitent illum esse sensum spiritus sancti, ut habes in assertione catholica.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

CATHOLICA.

DE *auctoritate ecclesiasticorum Patrum fides, & modestia Christiana sentiunt, nulla ratione eorum scripta æquanda est canonicis libris, eos tamen, qui semper in Ecclesia perseuerarunt, quosq; nulla unquam suspicione schismatis, aut hæresis maculatos esse constat, atq; ideo probati sunt ab Ecclesia, tanti faciendos eadem modestia Christiana exigit, ut non nisi certa ratione, uel scriptura aut unius, siue plurium, non minoris auctoritatis testimonio reprehendi debeant, & hoc quidem in ijs, de quibus ipsi probabiliter disputant, & inter eos diuersitas sententiarum est. Iam uerò concors Patrum horum de fidei dogmatibus, uel scripturæ sensu, & denique de omnibus, quæ ad religionem pertinent sententia, non aliter suscipienda est, quàm concilij ipsius uniuersalis, & Ecclesiæ definitio. Hanc enim Patrum concordem sentētiam antiquissima uniuersalia concilia quæsierunt, inuentam uenerata sunt, nec dubitarunt hac auctoritate uti. Prouerbiorū 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui, qui uerò proprius Patres nostri, quàm Ecclesia, & doctores, de quibus meritò illud Deuteronom. tricesimo secundo dictum est: Interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi. Ecclesiastici 39. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis uacabit, narrationem uirorum nominatorum conseruabit, & in uersutias parabolarum simul introibit, occulta Prouerbiorum exquirit. Quibus quid aliud significatur, quàm ueneranda esse scripta Patrum etiam non intellecta, diutiusq; exquirendos, sensus eorum non facilè reijciendos, ubi inquit Sapiens Ecclesiast. 32. Vbi sunt senes, non multum loquaris. Iacobi tertio, Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quia maius iudicium sumitis, in multis enim offendimus omnes. Quid uerò aliud est magistrum uelle fieri, quàm contraria alijs magistris sentire. Vnde & 1. capit. inquit idem Iacobus: Sit autem omnis homo uelox ad audiendum, & tardus ad loquendum. Augustinus libro primo ad Pelagium, & Celestium de gratia Christi, capite 42. Videtis autem quòd qui ista sentiunt, ignorantes Dei iusticiam suam uolunt cōstituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex*

nobis, quam in scripturis etiam sanctis, maximè canonicis aduertere, atq; agnoscere debuerunt, sed quia eas secundum sensum suum legunt, profectò in illis neq; apertè contuentur. Vtinam ergo saltem in catholicorũ uirorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubito, quid sit de adiutorio Diuinæ gratiæ sentiendũ, non negligenter attenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent. Vide itaq; quàm sit necessaria, & quantæ auctoritatis lectio Patrum post scripturam. Gelasius Papa in concilio septuaginta Episcoporum, Post illa, quæ superiùs citauimus de quatuor concilijs primis, & cæteris alijs refert decem & aut duodecim Patrum opuscula, & addit: Item opuscula, atq; tractatus omnium orthodoxorum Patrum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deuiarunt, nec ab eius fide, uel prædicatione seiuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei usq; in ultimum diem uitæ suæ fuere participes, legendos decernimus. Hîc itaq; uide, quales doctores recipiat Ecclesia, & quo loco post scripturam scilicet, & uniuersalia concilia. Celestinus in epistola ad Episcopos Galliæ, capit. 1 & 2. Filij nostri præsentes, Prosper, & Hilarius, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones, uocandas in mediũ pertinaciter eos dicunt, prædicare aduersantia ueritati, sed uestræ dilectioni iustiùs imputamus, quando illi supra uos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quempiam ad iniuriam doctorum uindicare doctrinam. Et in fine primi capitis. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga uiuentes, ij nunc tentare audeant, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriã dissipare. Et mox in secũdo capite sequitur. Augustinum sanctæ recordationis uirum, pro uita sua, atq; meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor asperſit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam antè, à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubiq; cunctis & amori fuerit, & honori, unde resistatur talibus, quos malè crescere uidemus, ubi aduerte quibus licet, & qualiter contra Patrum doctrinam loqui. In epistola Concilij Ephesini ad Nestorium. Non autem sufficit tuæ religioni, tantummodo fidei symbolum confiteri, quod expositum est à uenerando, & magno concilio apud Nicæam congregato. Hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es, quimimo peruersè licet sono uocis eadem uerba protuleris, sed consequens est etiam iure iurando fateri te quòd anathematizes tua polluta & profana dogmata, sentias autem, & doceas, quæ nos uniuersi per Orientem seu Occidentem, Episcopi, & magistri, præsulesq; populorum credimus, & docemus, statimq; subiungit, qualiter sententiæ cõtra illum, & literis ab Alexandrina Ecclesia eidem directum consensum præbuit Romana synodus. Et nos inquiunt, omnes, uelut rectè irreprehensibiliterq; conscriptis, & tandem, hæc est enim, aiunt, fides Catholicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt Orthodoxi per Orientem, Occidentemq; Pontifices, in hac etiam synodo, post recitatam fidem Nicænæ synodi, prout in actione prima concilij Chalcedonẽsis habetur, subiungitur: Quoniam uerò quidam simulant confiteri eam, & consentire ei, falsè uerò interpretantur, ad id quod eis placet, necessarium uisum est, sanctorum, & catholicorum Patrum proferre testimonia, quæ poßint satis facere, quemadmodum eam intellexerunt, ut rectam, & immaculatam fidem habentes, ita intelligant, & interpretentur, & prædicent eam. Et mox, tredecim sanctißimorum Patrum Græcorum, & Latinorum ex suis libris citantur testimonia, de una persona, & duabus naturis Christi. Vnde & ipsum concilium, in eadem Epistola ad Nestorium ita exorsum est, sententiam proferre in hac materia: sequentes itaq; omnium sanctorum Patrum confeßiones, quas loquente in eis ſpiritu sancto protulerunt, & intensioni, quæ est in eorum intellectibus, æquis uestigijs inhærentes, atq; iter ambulantes regium, profitemur, & cæt. Vides itaq; quanti sit habenda concors sententia Patrum, quãtiq; eam faciãt ipsa cõcilia. Sed & in sexta synodo, actione quarta, epistola Agathonis, hoc ipsum apertè continet, in qua sanctus ille Pontifex per Legatos suos, auctoritates Patrum mittit, & hunc eorum consensum, & traditionem Apostolicæ sedis sequendam proponit. Augustinus libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium capite octauo. Sed quoniam dicunt inimicos suos dicta in ueritatis odium suscepisse, & cætera quæ in hanc sententiam multa refert, ad curam, inquit, nostram existimo pertinere, non solùm scripturas sanctas canonicas aduersus eos testes adhibere, quod iam satis fecimus, uerùm etiam de sanctorum literis, qui eas ante nos fama celeberrima, & ingenti gloria tractauerunt, aliqua documenta proferre. Non quò Canonicis libris, à nobis ullius disputatoris æquatur auctoritas, sed ut admoneantur, qui putant istos aliquid dicere, quemadmodum de ijs rebus ante noua istorum uaniloquia, catholici antistites eloquia diuina sequuti sint, & sciant à nobis rectam, & antiquitus fundatam catholicam fidem aduersus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem, perniciemque defendi. Augustinus 3. de Trinitate statim in principio: Sanè quum in omnibus meis libris non solùm pium Lectorem, sed etiam liberum

berum correctorem desiderem, multò magis in ijs, & cæt. Veruntamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi, ille me non amet plus quàm catholicam fidem, iste se non amet amplius q̃ Catholicam ueritatem, sicut illi dico: Nolo meis literis quasi canonicis literis inseruire, & c. ita isti dico: noli meas literas ex tua opinione, uel contentione, sed ex diuina lectione, & inconcussa ratione corrigere, hæc proxima sunt illis, quæ cõfitentes referunt in secundo loco quem adducunt Augustini, utrũque ibi dicit, sed illi hæc omiserunt, quia illos arguit, nos alia omisimus, quia ab illis posita sunt.

DE CAERIMONIIS ECCLESIASTICIS.

VVIRTENBERG.

AGnoscimus à Christo filio Dei duas [a] cærimonias in Ecclesia institutas esse, baptismum, & cœnam Dominicam, quæ & iuxta institutionem Christi necessario sunt obseruandæ. Fatemur etiam Apostolos instituisse quasdam ordinatiões in Ecclesia, ut omnia decenter, & secundum ordinem, sicut Paulus loquitur, fierent, quales sunt, quæ describuntur prima [b] ad Corinthios decimo quarto, & prima ad Timotheum secundo. Vsurparunt quoq; Apostoli in designandis ministris Ecclesiæ impositionem manuum, quæ [c] retenta ex consuetudine ueteris legis, non autem mandata Ecclesiæ, liberè seruari potest. Instituerunt in Actis Apostolicis, ut gentes cauerent ab esu suffocatorum, & sanguinis, non ut hæc obseruatio esset inter gentes perpetuò, sed temporalis, & tantisper duratura, dum hic esus non esset amplius offendiculum. Fatemur & hoc, quòd Episcopis liceat, [d] cum Ecclesiæ suæ consensu, ordinationes[e] dierum, festorum, & lectionum, seu concionum ad ædificationẽ, & eruditionem ueræ fidei in Christum instituere. Sed non licet obtrudere Ecclesiæ ritus ueteris legis, pro sacro diuino, quo Deus singulariter [f] per se colatur.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Verum est, duo hæc instituta leguntur in Euangelio à Christo, sed duo hæc tantùm agnoscere non solùm traditioni repugnat Ecclesiæ, quæ multò plures confitetur à Christo instituta, ut ex superioribus satis ostenditur, sed etiam ipsi scripturæ, ubi pœnitentia, & confessio, sicut confirmatio, ostenduntur instituta à Christo, & obseruata ab Apostolis.

b Hoc etiam est soli scripturæ adhibere fidem, at in ea ipse Paulus dicit quædam uerbo se tradidisse, & non scripto, ut superiùs uisum est, nec rationabile est Apostolos sola ea, quæ ad externam ordinationem Ecclesiæ pertinebant instituisse, sed multò magis, quæ ad internam pietatem, ad Christianos mores pertinent, eos curasse, qualia sunt dies Dominici, & festi in commemorationem beneficiorum Dei, ieiunia, orationes & similia, quis enim dubitare potest Petrum, & Paulum, cum Ecclesiam Romanam fundarent, non multa de ijs suos discipulos docuisse, & commendasse successoribus suis, ut etiam testatur Clemens, & alij Apostolis proximi.

c Primo in ueteri lege non legimus impositionem manus in ordinatione ministrorum templi, sed id duntaxat quod de Iosue Deuterono. ultimo legimus, quòd repletus fuerit Spiritu sancto, quia Moyses imposuit manus suas super eum. Ibi itaque manuum impositio in uno Iosue summo uidelicet duce, legitur, sed ostensum est etiam ibi magis esse propriam nouæ legis, in qua est plenitudo gratiæ, & Spiritus, quæ impositione manuum significatur, & tribuitur. Deinde quis non intelligit Apostolos, quibus tam familiariter adfuit Spiritus sanctus, nihil in gubernatione Ecclesiæ egisse nisi eius familiari doctrina, de quo dixerat Christus: Docebit uos omnem ueritatem, ut meritò credamus, quod fit in ordinatione Sacramentum esse, ut testantur antiqui Patres, atque ideo à Christo institutum, siue id in carne degens, siue per Spiritum sanctum docuerit Apostolos. Denique quàm temere dicitur, liberè seruari in Ecclesia, quod Apostolos legimus seruasse, & totam Ecclesiam post illos tanquam ab eis traditum tenuisse pro Sacramento.

d At neq; Christus præcepit, ut pascant oues prælati cum eorum consensu, sed pro arbitrio suo consonæ doctrinæ Christi, & Apostolorum: neque quum Paulus iubet præpositis obedire addit, in ijs, quæ cum consensu Ecclesiæ instituerit, salus Ecclesiæ quærenda est, & consideranda, non consensus, nec iura ipsa canonica, & concilia, quæ aliquando quædam restringunt in usu potestatis prælatorum, usquam legimus hoc præcepisse.

e Quare nõ & ieiuniorum, ac abstinentię dies instituere poterũt sicut de eleemosynis & cæteris pijs operibus nonnulla ordinare, nimium uidemini Episcoporum auctoritatem restringere, & re ipsa hæc, quæ illis hoc loco permittitis, reiecistis ab Ecclesijs uestris, statuentes pro arbitrio quisq; quod sibi plausibilius fuerit, deniq; in totum abiecistis Episcoporum auctoritatem, nisi forte Episcopos uos putetis habere, nam & uidemini cautiùs nomine superintendentiũ uti, quod omniũ esset maximè temerariũ.

f Hoc nec in ipsa ueteri lege, ut in assertione catholica diximus, erat, non. n. quasi per se gratos ritus illos requirebat Deus, sed propter significationem, sacrificium inquit Psalmus, & oblationẽ noluisti, q̃d non minus de cæteris dici potest, hoc igitur membrum uobis iam damus, non licet ueteris legis ritus tanquam per se gratos restaurare.

Nec a licet uel ueteres ritus legis restaurare, uel nouos commiscisci, ad adumbrandam ueritatem Euangelio iam patefactam, & illustratam. b *Quales sunt, interdiu accendere cereas, ad significandam lucem Euangelij, aut uti uexillis, aut crucibus, ad significandam uictoriam Christi per crucem.* c *Quod genus est uniuersa panoplia uestium missalium, quam aiunt adumbrare totam passionem Christi. Et multa id genus alia. Multò minus licet instituere cærimonias, aut sacra* d *quorum meritis expientur peccata, & accipiatur regnum cæleste. Nam de priori illo genere cærimoniarum, & sacrorum Christus ex* e *Esaia concionatur: Frustrà, inquiens, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Paulus: Ne quis uos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, &c. His accedunt testimonia Augustini, & aliorum de* f *libera talium cærimoniarum obseruatione. De posteriori autem genere cærimoniarum, manifestum est, quòd* g *sint impia sacra, & contumelioſa in mortem, & resurrectionem Christi, cuius solius merito habemus expiationem peccatorum, & hæreditatem æternæ uitæ per fidem. Recensuimus quæ uidentur in doctrina Ecclesiastica, & in uniuersæ Ecclesiæ administratione tum probanda, tum refutanda, aut emendanda. Ac si quid breuius, aut obscurius, quàm res tanta postulet, dictum est, recipiunt se concionatores nostri copiosius, & magis perspicuè explicaturos. Quod reliquum est, oramus per Iesum Christum filium Dei unicum seruatorem nostrum omnes pios, ut quod ipsos sua sponte facere speramus, pro suo quisq; officio, & uocatione uerum, ac serium instaurandæ Ecclesiæ studium* h *suscipiat. Negari non potest, quin hactenus multis annis non solùm disciplina Ecclesiæ collapſa* i *sit, et mores eius magnis & horribilibus uitijs corrupti*

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc nimiũ imperiosè propositum nec probatis, nec ulla ratiõe probari potest: cur enim quod credimus corde non licebit exteriori signo significare: sicut non solùm licet, & expedit ore confiteri? sed dicitis non licet adumbrare, quod iam patefactum, & illustratum est. Hæc adumbratio non est aliud, quàm exterior quædam, & oculis exhibita propter tardiores manifestatio. Itaque cùm exterior cultus fidem sequatur, quidquid credimus, meritò possumus cultu exteriori significare.

b Hoc ipsum Vigilan. reprehendebat in Ecclesia, quare miramur prudentes uiros uoluisse causam tam apertè damnati hæretici suscipere. Igitur Hieron. contra Vigilant. post multa alia de cereis ita dicit: nam & absque martyrum reliquijs, per totas orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accendantur luminaria iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, multa ibidem de ijs, inter quæ & hoc addit, quòd si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem hoc faciunt pro honore martyrum, de quibus dicere possunt, quòd zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, quo ostendit etiam, quæ non habent magnam rationem, condonanda esse simplicitati fidelium.

c Hoc liberiùs dictum, quia nulla uera ratione, & tamen magna auctoritate, hæc omnia reijcitis, & propter illa receditis à catholica Ecclesia, in quibus nihil aliud mali ostenditis, quàm quòd significamus passionem Christi externis signis, ad excitandum in ea fidei nostræ deuotionem, quid uerò rationabilius quàm ut hoc agamus?

d Fatemur, ut in cõfessione catholica est, nullum hominem posse dare exteriori rei uirtutem remittendi peccatum, sed hoc habent à Deo omnia pia opera, sicut & meritum uitæ æternæ, quæ quandoq; instituuntur in Ecclesijs.

e Quid sit Deum mandatis hominum cõlere, & qualiter hic locus Esaiæ intelligendus sit, & in assertiõe catholica hoc loco habes, & in multis alijs etiam superiùs, hoc est enim unum eorum, quæ nimium importunè inculcant quotidie isti confitentes, cùm tamen nunquam sensum explicent.

f Certè August. in epistola ad Ianuarium, quam citatis auctoritate etiam Ambro. docet seruandum esse morem cuiusq; Ecclesiæ, unde & alibi ait: morem populi Dei pro lege habendum esse.

g Vos hoc dixistis superiùs de ieiunio, eleemosyna, oratione, uirginitate, abrenunciatione omnium, & multis alijs, frequenter hanc repetentes cantilenam, ex solius Christi merito esse remissionem peccatorum, & propter illud solùm nobis uitam æternam posse cõtingere, sed satis etiam nos suprà ostẽdimus scripturam sacram hoc illis operibus tribuere, quod cùm fateamur, ea id non à se habere, sed à Christo, cõstat nihil derogari eius meritis, sed potiùs illustrari cùm ad nostra etiam opera extenduntur.

h Exhortatio hæc plena pietatis, & zeli, totius q; mansuetudinis pellis est ouis, & communis omnibus, res igitur attendenda, ut agnoscamus quid persuadere uolũt, ubi uidebitur, lupi sint an pastores.

i Non negamus non solùm à multis annis, sed omni ferè tempore magnam fuisse corruptionem in Ecclesia, sed non ideo defuit in ea uirtutum omnium, & pietatis perfectio, abscondente uidelicet Deo electos suos à conturbatione hominum: legamus scripturas sacras, & Ecclesiasticas, uidebimus nunquam defuisse multa, & grauissima crimina, multos qui fauerẽt, omnes declinauerunt inquit Psal. & Esaias: à planta pedis usq; ad uerticem non est sanitas: pleni sunt deniq; libri prophetarũ, & historia ipsa, uitiorũ populi, sed ut habes in nostris, nihil hæc detrahunt sanctitati Ecclesiæ.

rupti

rupti sint, ac à maiorum nostrorum honestate plurimùm degenerauerint, uerum etiam a doctrina Ecclesiæ intolerandis corruptelis depraua ta fuerit. Quæ si deinceps aut b dissimulantur, aut confirmantur, cogitare quisq; uel mediocri prudentia præditus potest, quanta mala sint in Ecclesia Domini secutura. Notæ sunt diræ, & maledictiones, quibus Diuina lex uiolatores uerbi Dei deuouet. Et c Iosias Rex Iudæ, in instauranda Ecclesia planè heroico animo præditus, etsi inuento, & perspecto libro legis pia sua pœnitentia, & obedientia, iram Dei ita mitigabat, ut supplicia, quæ tunc Ecclesia Dei neglectione uerbi eius, & impietate merita erat, in aliud tempus reijcerentur, ea tamen fuit seueritas Dei aduersus contemptores uerbi sui, & impœnitentes, ut Rex, quantumuis pius, non potuerit eam prorsus è medio tollere, & placare. Existimamus autem iram Dei his temporibus, propter tot horrendas impietates, propter tot infanda scelera, et offendicula, quæ in populo ipso, qui Dei nomine gloriatur, manifestiora sunt, quàm ut negari, & illustriora sunt, quàm ut excusari queant: non minus imò multò d grauius aduersus cœtum Ecclesiæ suæ accensam, & inflammatã esse, quàm olim, cùm Filius Dei nondum esset per Euangelion suum orbi patefactus. Ac tantò seuerius erit iudicium Dei, quantò maiora sunt beneficia, quæ & superioribus, & his præsentibus tẽporibus in ingratos cõtuliſſe uidetur. Sed cùm alia multa in Ecclesia, et ministerio eius correctione indigẽt, tũ præcipuè doctrina e de pœnitẽtia, iustificatione,

SCHOLIA CATHOLICA.

a Vnius, aut alterius hominis uel Ecclesiæ doctrinam deprauatam non miramur, nec magni facimus, sed totius Ecclesiæ depraua tam doctrinam dicere, quid aliud est, quàm asserere quod defecerit eius fides? Certè si illa, quam Apostoli docuerunt, doctrina aliquando suppressa fuit in Ecclesia, ut nõ manifestè, & publicè fuerit semper audita inter Christianos, prævaluerunt portæ inferi contra Christum, & Ecclesiam suam, quo nihil absurdius. Non itaq; solùm, multis annis corruptam esse doctrinam Ecclesiæ, est contra Christi promissionem, sed uel unico certè die: uos uerò quanquam id, quod asseritis à multis annis defecisse doctrinam de proximis his trecentis uultis uideri dicere, sed re ipsa quæ à mille, & toto tempore prædicata fuerunt in Ecclesia damnatis. Itaque apud uos nunquam fuit Ecclesia nisi post Lutherũ, si ut dicitis sacrificium missæ, inuocatio sanctorum, oratio pro defunctis, Sacramentum ordinis sunt deprauatio ueræ doctrinæ.

b Peccata quidem nunquam sunt confirmanda, dissimulanda quandoq;, errores uerò doctrinæ nunquam dissimulandi, dicẽte Christo, qui soluerit unum de his minimis, & docuerit sic homines, &c. qui uerò sint illi errores, nostri, an uestri, satis est dictum, nos certè experientia uidemus quãta iã secuta sint mala in Ecclesia, & in ipsa Germania, ex q̃ uestra Lutheri scilicet dogmata cœperunt dissimulari, & confirmari, & quã ta secutura sint ex ijs, quę Asiæ, & alijs orbis partibus, quæ à fide defecerunt contigisse uidemus, prudens quisq; (ut uos dicitis) cõijcere poterit.

c Hæc sunt cõmunia exempla, quę utriq; possumus dicere, sed illud in tota illa historia populi Israelitici obseruandum, ultimã Dei iram, ex qua ipsorum tribus decem in captiuitatem traditæ sunt, deinde Hierusalem ipsa, & tribus Iuda funditus deleta, & translata in Babylonem, maximè ob infidelitatem, & idololatriã accẽsam fuisse, quãdiu enim cultum unius Dei tenuerunt, etsi non defuissent alia peccata, admonebãtur, flagellabantur, semper tamen quasi filij in domo permissi sunt. At abiecto cultu unius Dei, mox in manus infidelium tradebãtur, ut in libris Iudicum frequentissimè legimus, & exitus ipse regnorũ ostendit. Hæc igitur peccata primò omniũ cauenda sunt. quod Iosias ipse, & Ezechias, & cæteri, quos Deo placuisse legimus, & restaurasse Ecclesiam, primò omnium curarũt, ut uidelicet idola omnino delerent, hæreses uerò, & noua dogmata qd aliud sunt, q̃ idola quædã, & figmenta, uerè opera manuum hominũ, quibus dediti nec Deũ, ut ipse uult, colunt, nec ueram fidem retinẽt, sed pro ea sensum suum, & pro Deo magis spiritum superbię. Itaq; re uera nulla uerior idololatria, quàm hęreticorum, quare nec ullum uitium diligentiùs exterminandum ab Ecclesia.

d Ira quidem Dei tẽporaliter, & corporaliter flagellãs, nonnũquam in totã Ecclesiã propter peccata impiorũ ſęuit, sed hęc pijs, qui in Ecclesia semper sunt, magis est flagellum paternũ, & correptio, atq; purgatio, & profectus spiritualis. Iuxta id, quod in Psalmo est: Si aũt dereliquerint filij eius legem meã, uisitabo in uirga iniquitates eorũ, &c. misericordiã aũt meam nõ dispergã ab eo. Cęterũ in totam ecclesiã idem iram repellẽtẽ à facie Dei & proijcientẽ à sua gratia non permittit nos credere exarsisse, aut exarsurã unquam charitas illa, qua Christus dilexit ecclesiam suam, & tradidit semetipsum pro ea, & promissio sua: omnibus diebus uobiscum sum, usq; ad consummationẽ seculi.

e Vide tandem, quò illa omnia tendunt, doctrinam pœnitentię, & iustificationis, uolunt corrigi præcipuè, quod primo loco ponũt. In hac uerò doctrina duo sunt quæstionũ genera: primũ est de nominibus, & uocibus, ut sola fide iustificari, peccatum originale manere post baptismum, nulla opera nostra iusta esse, sic ut possint coram tribunali Dei stare, nullam esse satisfactionẽ, nullum meritum aliud, quàm solam passionem, & satisfactionem Christi. In ijs magna

Vsus [a] Item Sacramentorum, & cœlibatus [b] ministrorum Ecclesiæ, piam exigunt emendationem. Hæc si iuxta Prophetica, & Apostolica scripta, ac iuxta uerè catholicum ueteris, & purioris Ecclesiæ consensum, beneficio Dei, ac diligentia, & cura optimorum quorumque uirorum restituta fuerint, non solùm præstabitur cultus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratißimus, uerumetiam uniuersus Christianus orbis excitabitur, ut quibus poßit officijs gratitudinẽ, & obedientiam suam sit declaraturus. Nos quidẽ nõ sumus de nostris cõcionatorib. alicuius

SCHOLIA CATHOLICA.

contentione, & conatu Lutherus, & sui clamant, se illustrasse gloriam Christi, nos catholicos obscurasse, sed hoc audemus de his apertè testari, si rectè intelligatur catholicorum doctorum, grauium uidelicet, & qui digni sunt in auctoritate haberi, sententia, id uidelicet, quod asseruit antiqua Ecclesia ante Lutherum, multò magis illustrat Christi gloriã, quàm quæ illi tradunt, nec quidquam aliud illi afferunt, quàm diuersitates quasdam nominum, quæ si rectè expendantur, non inuenietur in eis nisi obscuritas, & tenebræ, nec quidquam ipsi inuenient solidi circa hæc in nostris quod reprehendãt, nisi quòd nonnulli fortè de gratia Dei minus admonuerunt populos, cũ intenti fuerint maximè urgendis pigris animis ad bona opera, quod ipsi Chrysto. accidisse uidemus, q̃ doctrinam illam necessitatis gratiæ tanquam certam, & omnium cordibus fixã putarũt, non opus esse magis inculcare, quę tunc maximè docenda est, cùm fides fundatur, postea uerò instãdum exhortationi, ad bona opera, ex ijs itaq; fateamur nõnullos fortè negligentiores factos ad cogitandam, & inuocandam hanc Dei gratiam. Iam uerò omnibus nobis gratum est huius frequẽter recordari, & frequẽter admonere populos, ut in omnibus semper primo Dei gratiam attẽdamus: post hoc nihil est certè in tota de hac re doctrina ipsorum, q̃ contentio de uictoria, de eruditione, quæ semper hæreticis omnibus fuit familiaris, hæc de primo illo genere. Secundum uerò quæstionũ genus, quæ iam de re sunt, circa hoc illud est: an enumeratio peccatorum necessariò debeat fieri in Ecclesia sacerdoti, an ieiunia, & aliæ satisfactiones imponendæ, & acceptandæ, an recogitatio peccatorũ in amaritudine animę, & anxius ille dolor pro peccatis sint necessaria, & exigenda: deniq; alia omnia pia opera, eleemosynarum, & oratio num, q̃ sint Deo grata, & ad æternam beatitudinem q̃ nobis utilia, hæ sunt res grauissimæ, ex quibus magna ex parte salus nostra pendet, in quibus si fiat correctio, quam illi uolũt, quid aliud erit, quàm ut à manifestã dis peccatis liberos reddamus omnes, nulla curetur satisfactio, nullum ieiunium, minima habeatur ratio doloris, & contritionis, ut sine ijs omnibus, certa fide, præter hæsitationem credant omnes, sibi remissa peccata, ex sola fide apprehendente Christi meritum, & post mortem statim se euolaturos in cœlum. Rogo cogita, quæ correctio hæc, quàm utilis Ecclesiæ & grata Deo, aut quid aliud per eam habetur, quàm ut laxis habenis timoris Dei, & uerecundiæ concedatur licentia omnibus desiderijs carnis, & mundi. Quis non uidet, quantum præseruet à peccatis, & contineat Christianos confessio illa peccatorum, satisfactiones, atq; cõtritio, & deniq; timor semper sollicitans, quando post illa omnia non audent se iustificatos dicere? Hęc est igitur prima pars correctionis, quam petunt in Ecclesia: audiamus sequentia.

a Hoc est secundum quod reformari uolunt, in quo si memor fis suprà dictorum, qualem uolunt, reformationem intelliges: Matrimonium, ut humanum omnino contractum, tractari uolũt, atq; ita pro arbitrio legum contrahi, & dissolui. Sacramentum ordinis nullum esse, sed sufficere, ut populus nominet ministros: Confirmatio, & extrema unctio conculcentur cum omni chrismate, & sacro oleo. De pœnitentia iam dictum est. Baptismus uerò, & Eucharistia, quæ restat perfici, uolunt simpliciter, ut illi dicunt, & nudè, ita ut reijciãtur omnia, quæ ab Apostolis per totũ orbẽ semper seruauit ecclesia. Hæc est secũda pars reformationis.

b Hoc est ultimum quod corrigi uolunt, cœlibatum ministrorum Ecclesiæ, sed quãtò honestius dixissent corrigendam immũditiam, & inhonestatem ministrorũ Ecclesiæ, & dixissent, puto si aduertissent, ut ita te gerent, ut solent, animũ suum, sed permisit Deus, ut apertiùs dicerent, quod re uera intendunt. Cœlibatus eis displicet, quia dicũt se uri: Concubinatus quidem iuxta eos nõ negatur esse peccatum, sed quantò grauius promissio cœlibatus? est enim grauissimus error, quòd hoc promittatur tanquam cultus Deo gratus, atq; ita genus quoddã Idololatriæ, & falsi cultus, q̃ nihil grauius. Nos uerò primum fornicationes, & immunditiam ministrorum Ecclesiæ emendata cupimus, restituta antiqua seueritate ecclesię in probãda honestate, & moribus eorũ, qui ordinantur, in prohibenda omni familiaritate fœminarũ, deniq; in puniẽda transgressione eorũ, quare nulla mẽtio horũ in hac, quam exigunt, correptione, quare in ea nulla mentio de frenanda auaritia, usuris, & illicitis cõtractibus, quibus totus corrũpitur mundus, reijciendis, quare nihil de luxu, & tyrannide eorum, qui in potẽtatibus sunt, dicunt, de simonia, de auaritia, & ambitione coercendis, deniq; & de ebrietate, periurijs, blasphemijs, cæterisq; pernitiosissimis uitijs populi, quæ tam impunè committuntur in Ecclesia, emendandis, cur nihil loquũtur? sed commemoratis omnibus, cùm ad correptionem uenitur, hæc tantum, quæ diximus, adferunt, timuerunt fortè, ne si

illa

& erroris, uel in doctrina, uel in reliqua Eccle-
siæ administratione, consij, attamen non dubita-
mus, eos tãta modestia, & pietate præditos, quin
si testimonijs cœlestis doctrinæ, & uero consen-
su catholicæ Ecclesiæ admoniti fuerint, ædifica-
tioni Ecclesiæ haudquaquam sint defuturi. Quod
autem in nobis, & in nostra est guberna-
tione, summam dabimus operam, ut adiuuan-
te Diuina clementia, nihil eorum officiorum à
nobis prætermittatur, quibus b speramus ue-
ram Ecclesiæ tranquillitatem, & salutem in Ie-
su Christo Filio Dei conseruari posse.

SCHOLIA CATHOLICA.

illa dicerent, & principes suos, & populos offenderent, aut certè quod maluimus credere, dum nihil magis cordi habent, quàm suos errores, obliti sunt omnium aliorum, Deo ita permittente, ut agnoscas, q̃ pulchra sit, quam illi cupiunt, correptio, quę meritò corruptio magis dici possit, qua sublatis repagulis omnibus, & muris pateat aditus huic uestræ Euangelicæ libertati.

a Vos testimonium perhibetis de uobis ipsis, nam auctores estis horum uerborum, quanquam illustrissimi principis uestri nomine dicantur, & quidem de eo tam generosi sanguinis, & tanta proauorum serie illustri principe, nõ est cur dubitemus, quòd secundum conscientiam agat, si conscientia illi ostenderet errores uestros, non sequeretur, quare uidemur nos multò magis coram Deo teneri, ut ueritatem, quam ignorat, manifestiùs illi de uobis dicamus, coram uobis etiam, & coram omnibus alijs, qui legerint in hac uestra confessione, ut omittamus, quæ subtiliori egent discussione, de quibus superiùs actum est, ut omittamus, quòd in ea pessimi schismatis, & confusionis omnium quæ in Ecclesia sunt semina spargitis, dum nec certam Ecclesiam, nec certum pontificem, nec denique certos iudices controuersiarum fidei, & dubiorum scripturæ sacræ admittitis, hoc prætextu, q̃ ad nullum certum genus hominum spiritus sanctus est astrictus, neq; scripturæ intelligentia certis limitibus hominũ coartata. Vt igitur hæc omnia omittamus, audite q̃rum iam diu ab Ecclesia damnatorum hæreticorum discipuli sitis manifestissimi. Estis primò Aëriani, qui teste Aug. lib. de hæresibus, asserunt non offerendum, uel orandum pro mortuis: non seruanda statuta in Ecclesia ieiunia, Episcopum non differre à presbytero. Horũ duo uos apertè docetis, tertium de ieiunio occultiùs, ut suprà notatum est. Estis Iouinianistæ, & re uera multò acriores inimici uirginitatis, & cœlibatus, q̃ Iouinianus, is teste August. eodem lib. de S. Virgin. & Hiero. in libris ex professo cõtra eum editis, matrimonium æquauit uirgini tati, & cœlibatui, uos hoc idẽ asseritis apertè, sed quasi id parum sit, additis, non posse hæc Deo promitti, sed ingrata esse, & blasphema uota de ijs. Ille cœlibatũ nõ propter meritum aliquod apud Deum, uel propter futuri seculi beatitudinem, ad quę nihil putat prodesse, sed propter tranquillitatẽ maiorem, & expeditionem à molestijs sibi elegit, uos autem elegistis matrimonium, cum molestijs illis, & oneribus grauibus, & conamini asserere expedire episcopis, & ministris Ecclesiæ matrimoniũ, quasi hoc Paul. docuerit, nihil itaq; Patres illi insectati sunt in Iouiniano, quod uos non asseratis duplo q̃ ille, ut impleatis mensurã Patrum uestrorum. Estis & Vigilantij discipuli, nam ut omittam, quod uos eludere conamini, q̃ ille nolebat inuocari sanctos, uos enim dicitis quod nolebat honorari, cùm re uera honorem istum inuocationis suis rationibus dãnaret, & hoc ipse Hier. contra illum probat honorandos esse, & inuocandos. Sed hęc omittamus, uos enim, ut apertiùs eius discipulos uos ostẽdatis, blasphemias cõtra sanctos, calumnias contra eorum cultum, quas Hier. in Vigilantio reprehendit, asseritis, appellantes eos mortuos homines, irridentes q̃ putẽtur agnoscere orationes nostras. Deniq; asseritis non licere reuelata Euãgelij luce accendere cereas, quod ille pariter asserebat, ut iam ostendimus. Deniq; & cum illis hæreticis sentitis, quos Bernardus in quodam sermone super cantica talibus lineamentis denotat: uidete canes, uidete detractatores, irrident nos, quia baptizamus infantes, hoc nõ pertinet ad uos, sed q̃d sequitur, quod oramus pro mortuis, q̃ sanctorũ suffragia postulamus, nõ credunt ignẽ purgatorij restare post mortem. Si igitur in uobis est tanta modestia, & pietas, quantã ipsi dicitis, aut principẽ uestrum decet scribibitis, nõ debetis molestè ferre q̃ syncerè dicamus, & cõmunia, quæ in doctrina uestra reprehensibilia sunt, quæ tantopere pertinent ad doctrinam Euangelij, in qua quod aliter dicere non possumus. Non certè rectè ambulatis, nec cum Aug. Hie. Bern. & cæteris Patribus, sed cum Aërio, Iouiniano, Vigilantio, manifestis hostibus ecclesiæ, iamdiu damnatis, & cũ recentioribus Ioanne Hus, Vuicleffo, deniq; Luthero, Nos enim parati sumus & audire, & corrigere quæ nobis probata fuerint minus conuenire cum uero sensu Patrum.

b Et huic testimonio credimus, sed ut iam ad te ultimò conuertamur Dux illustrissime, cui in principio locuti sumus, & cui primò hæc nostra, militant, hoc igitur testimonium tuũ fide dignum suscipimus, non dubitamus q̃ quæ facis circa religionem speres tranquillitati Ecclesiæ prodesse, sed audi obsecro q̃d synceriter dicimus, deciperis, proculdubio imponitur tibi ab ijs, qui humanitate tua, ingenuitate, atq; candore abutuntur, deciperis quàm diu speras concilijs auctorum huius confessionis aliquid posse cõferri trãquillitati Ecclesię, falleris, quia homo es, & falli potes, patere ut hoc dicam de te, circa ea in quibus nec es, nec pro officio teneris esse doctus, & cõsummatus, quã

doquidem & tui hoc de ſanctiſsimis,& doctiſsimis Patribus paſsim dicunt, ſicut igitur deciperis, cùm credis eos nullum errorem aſſerere,ita & cum hac uia, & iſtis conſilijs putas Eccleſiam iuuare, ſed multò attentiùs obſecro per Chriſti uiſcera audi, quòd ego in eiſdem etiam quàm poſsim attentiſsimo animo,& certè tibi quantum fieri poteſt ſubdito,loquor ad te, non putes te hac tua credulitate, & conſcientia coram Deo excuſari:hæc enim tanta rerum perſpicuarum incogitãtia, aut ut apertiùs dicam inconſideratio, non te immunem reddit coram Deo. Palàm eſt tuos diſceſsiſſe ab Eccleſia,docuiſſe contraria eorum,quæ proaui tui & anteceſſores omnes, à ſuſcepta fide Chriſtiana,cum cæteris omnibus Chriſtianis crediderunt, cuius habes etiam monimenta in monaſterijs,& Eccleſijs ampliſsimis ditionis tuæ, pietate maiorum tuorum erectis,& locupletatis, ab hac fide diſceſſerunt iſti tui doctores,& tu ſequeris eos in ea diſceſsiõe, à qua quis prudẽs diſcedit, niſi fortè certiſsima, & indubitata ratione probata fuerit falſa? Quã ſi putas afferre tuos,aduerte ſaltem, quòd ſi tibi ita uidetur, multis & maioribus,& inferioribus te principibus uidetur contrarium, & in Germania,& in uniuerſo orbe Chriſtiano.Hęc igitur diſſenſio,circa fidem,principum,& populorum,non ab ipſis, aut poteſt, aut ualet definiri.Si igitur ab illis ad doctores reuertamur,credis tuis,ſed ſunt alij, nec pauciores,nec ullo nomine inferiores,quibus contrarium aſſerentibus credunt alij principes,quod igitur ad uiuentes doctores attinet, manet eis dubia, confugiamus igitur ad antiquiores, & mortuos, quorum & eruditio,& ſanctitas Eccleſiæ ſemper cognita fuit, Hieronymnm dico, Athanaſium, Chryſoſtomum, Cyrillum,Auguſtinuum, Ambroſium & alios,hos oſtendimus apertiſsimè multa dogmata tuorum, tanquam contraria fidei damnaſſe, nolumus tamen nobis dari fidem,neq; illis Patribus. Hoc tantum rogo,nonne illorum Patrum,teſtimonia,& noſtra meritò,ſaltem dubiam efficient apud prudentes,ſed expertes lectionis,& doctrinæ Patrum, nouam hanc tuorum doctrinam? nonne meritò eos ſuſpectos ſaltem falſitatis,& erroris reddent tanta teſtimonia?quis uerò putet excuſari illũ, qui propter dubia, & incerta teſtimonia ab antiqua, & uera fide recedit? Sit igitur ſaltem dubium apud te in hac confeſsione, eſſe errores damnatos ab Eccleſia, fit dubium tuos doctores ſequi damnatos hæreticos,atq; ita dubia ſit eorum doctrina, propter dubia igitur non recedas ab antiqua eccleſia,ſi non uis te exponere graui periculo,ſuſpende iudicium, & ſtudium tam ardens fauendi huic doctrinæ,nec adigas ſubditos tibi ad ſequendum, quæ meritò dubia ſunt,ſaltem agnoſce opus eſſe in hac re illuſtratione Diuina,recurre ſupplex ad Deum,non prœoccupatus affectu huius doctrinæ,ſed uerè anxius pro ſalute tua hæc agenti in ueritate, & corde perfecto, aderit ſua miſericordia Deus (ut ſpero) alioqui tanta certitudine,& ſecuritate ſequi tam dubiam fidem,tu ipſe optime Princeps expẽde, qua ratione apud Deum excuſari poſsis.Sed ais nulla ratione hæc dubia eſſe, credam, ſed certiſsima, nimium inhumanus eſt certè, quicunq; hoc dicit, nec cogitare poſſum te hoc eſſe dicturum.Quod enim tot teſtes negant,quod affirmant nec minori auctoritate,quur nõ dubium erit?Sed eſto:poſſet uerum eſſe,quod ueſtri dicunt,negãtibus nobis, & ſanctis Patribus, ſed quomodo eſſe poterit certum,& indubitatum?Dubia igitur ſaltem ſequimini, & quæ niſi inhumani ſitis,non poteſtis non fateri incerta eſſe, & propter hæc receditis ab antiqua Eccleſia,imò in re dubia ſaltem, & antiquos, & ſanctiſsimos Patres relinquitis, ſequentes nouos doctores. Quantò cautiùs agunt, & quantò tutiùs,qui poſt antiqua teſtimonia Patrum,poſt confirmatam tot annis fidem, nulla ratiõe in dubium apud ſe uocari permittunt, quod conſtat nullo publicè contra docente,in Eccleſia tãto ſeculorum conſenſu receptum.Hæc igitur,quæ magno ſalutis tuæ deſiderio optime Princeps ſcribo, accipe etiam candido animo,& cogita, atq; expende apud te, dabit Chriſtus lucem, qua agnoſcas illum paſtorem, quod nos ardentibus uotis cupimus,atq; precamur.

DE CAERI-

DE CÆRIMONIIS ECCLESIASTICIS.

CATHOLICA.

ETSI de cærimonijs, & ritibus catholicis satis sit dictum, & ab ijs confitentibus, & à nobis, ut tamen sequamur eos, enumeranda sunt hîc in fine, quæ sana fides docet. Agnoscit igitur Christianæ fidei obedientia, illos esse primos ritus, & maximè necessarios, quos Christus instituit, necessarios inquam, illis personis, & articulis temporum, quibus disciplina Christiana docet necessarios esse, in ijs uerò eadem fide agnoscimus, esse non tantùm duo illa, quæ apertè legimus in Euangelio, Baptismum scilicet, et Eucharistiam, sed etiam Pœnitẽtiam, & Confirmationem, quæ ipsis Euangelicis, & Apostolicis literis satis indicantur, & reliqua, quæ superius diximus, Sacramenta, quorum & si uel nulla, uel modica in scriptura fit mentio, certa tamen Ecclesiæ traditione, & auctoritate à Christo instituta credimus, inter quæ etiam est impositio manuum, qua ministri Ecclesiæ ordinantur.

Agnoscit etiam eadem fides, Apostolos, quibus gubernatio Ecclesiæ commissa fuit, à Christo, præter illa, quæ ab ipsa tradita promulgarunt, & declararunt fidelibus, multa alia instituisse in Ecclesia, etiam præter illa, quæ ad tranquillitatem, & pacem, externumq; ordinem seruandum pertinent, qualia sunt, quæ de sanguine, & suffocato in Actibus Apostolorum, & de ordine prophetandi, uel loquendi linguis in Ecclesia, in priori ad Corinthios Pauli epistola legimus. Præter hæc, inquam, alia etiam instituerunt ad cultum Dei, & salutem fidelium, quædam speciali Spiritus sancti instinctu, nonnulla multa deliberatione, & prudenti consilio, uel ex uetere lege, uel aliqua conuenienti ratione, semper tamen Spiritu sancto, qui illis familiariter aderat, suggerente, & hæc necessaria ratione creduntur esse omnia, quæ toto terrarum orbe seruat Ecclesia, totoq; tempore ab initio ipso prædicationis Euangelicæ, ita ut nunquam principium eorum legamus, ut diei Dominicæ obseruatio, & annua resurrectionis Christi, Ascensionis, & Aduentus Spiritus sancti celebritas, & Quadragesimæ, ac Quinquagesimæ obseruatio, alia in ieiunio, & luctu, alia in lætitia.

Credit etiam eadem catholica fides, quòd Episcopis, qui successores sunt Apostolorum, quique post illos & magisterio eorum Ecclesiam gubernare habent, licet cum prudenti deliberatione, & consilio, etiam sine ampliori consensu suæ Ecclesiæ ordinare ritus, & cærimonias, & ad pia quædam, sanctaq; opera, & exercitia subditos suos obligare, cùm id uel necessarium, uel expediens saluti suorum uidebitur.

Circa hos igitur ritus instituendos, auferendos, uel mutandos, nihil salubrius dici potest, quàm quod Augustinus in secunda epist. ad Ianuarium, 119. cap. decimooctauo docuit: Quòd uidelicet quidquid non est contra fidem, uel bonos mores, & habet exhortationem aliquam ad pietatem, non solùm non est reprehendendum, quum instituitur, sed imitandum etiam, præcipuè inquit ille, si habet exemplum in scriptura, ut est illud de Hymnis, & Psalmis canendis. Hoc itaq; fit primum genus eorum, quæ à prælatis instituí possunt in Ecclesia. tam illa, quæ ex diametro cum ijs pugnant, quæ scilicet contra fidem, & bonos mores sunt, nec instituí, nec tolerari debent. Media uerò sunt inter hæc, quæ quanquam non sint contra fidem, uel bonos mores, uix tamen, aut nulla omnino rationabilis causa eorum inueniri potest, aut utilitas, sed quasi obseruatio Sacramenti traduntur, quæ nec instituenda sunt de nouo, nec toleranda, quum sine scandalo auferri possunt. Nam propter infirmos, & turbulentos, inquit ille, multa toleranda sunt.

Igitur ritus ueteris legis, tanquam per se illis colatur Deus, restaurare in Ecclesia, certum est perniciosum esse, nunquam enim neq; tempore legis ueteris, habiti sunt eo loco, ut per se Deo placerent, Sed siue ex lege uetere, siue aliunde desumi potest cærimonia quæcunq;, qua uera fidem adumbramus & significamus, ut thus, luminaria, uestes sacræ, & eiusmodi. Nihil uerò instituere possunt prælati auctoritate sua, quo expientur peccata, uel acquiratur æterna uita, Sed bona opera, quæ ex Christi institutione hoc habent, ut ieiunia, eleemosynæ, Prælati præcipere possunt, ut expedire uiderint.

Cultus igitur secundum doctrinas & præcepta hominum solus ille dicendus est, qui fidei non consonat, sic etiam ueteris legis per Christum, & Euangelium mortificatio eo pertinet, ut eius cærimoniæ non sint tanquam necessariò seruandæ, nec tamen ita reijciendæ, ut quod iuxta Apostolicam formam ex eis disciplinæ Christianæ conueniens est, desumi non possit, propterea non immolamus uitulos, nec offerimus sacrificium zelotypiæ, sed thus, & luminaria accendimus, offerimus panem, ieiunamus, & eiusmodi.

Igitur quanquam circa ritus, qui diuersimodè in diuersis Ecclesiis obseruantur, Augustinus doceat liberum esse Christiano quandoque obseruare, uel omittere, manifestè tamen idem docet teneri quemlibet obseruare morem Ecclesiæ, in qua uersatur. Itaque liberam habent hæc obseruantiam iuxta Augustinum, ita uidelicet, ut in alia Ecclesia alterius consuetudine non teneamur, Nec propter scandalum solùm seruanda sunt statuta Prælatorum, sed etiam propter conscientiam, iubente scriptura: ut omnis ani-

ma potestatibus sublimioribus subdita sit. Et iterum: Obedite præpositis uestris.

De ijs uerò piorum operum exercitijs, quæ ad expiationem peccatorum, uel meritum uitæ æternæ sunt, non est dubium.

Quòd si quis dixerit, posse aliquem hominem conferre uirtutem alicui, uel externæ rei, uel operi remittendi peccata, uel uitam æternam consequendi, iniurius sit, & contumeliosus Christo, & passioni eius: hæc potestas est propria Christi, qua usus est in Sacramentorum institutione, hæc uirtus passionis eius, quæ operatur in ijsdem Sacramentis. Sed negare cuncta opera pia, hanc habere uirtutem à fide, & charitate, qua emanant, & à passione Christi, quam participant, & contra ipsam scripturam est, quæ de eleemosyna, ieiunio, & oratione inquit: Pater tuus reddet tibi, & de cæteris omnibus: Merces uestra multa est in cœlis, &c. Et non minùs iniurio sum Christo, cuius bonitatis immensas diuitias angustat.

Asseruimus catholicæ Ecclesiæ fidem, circa ea duntaxat, quæ continet confessio ista. Egimus hoc, quantum in nobis fuit, bona fide, sed minore eruditione, & dexteritate, quàm res ipsa, fidei scilicet causa, postulabat, & ab alijs præstari poterat. Potuerunt multa lucidius, & efficacius dici, sed offert quisq; in Ecclesia quod potest: propter id, quod minus est, offerimus nos paratos explicare ijs, quibus respondemus, & cunctis poscentibus, si quid obscurius, uel minus plenè sit dictum quantum possumus, & quod non possumus, cum eis pariter quieto, & pacifico animo inquirere, non dubij reuelaturum Deum, quæ nobis desunt permanentibus in eis fidei catholicæ dogmatibus, in quæ peruenimus. Cupimus enim implere Apostoli Petri præceptum, & parati esse ad satisfactionem omni poscenti, nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe & fide, sed cum modestia, ut ille præcipit, & timore, conscientiam habentes bonam.

Iam superest admonere omnes, & per tremendum iudicium Christi, & salutem suam, obsecrare, ut cautè sese in tanta causa gerentes, nulla specie uirtutis, nulla suauitate uerborum pietatem præ se ferentium, nulla ostentatione zeli, reparandæ Ecclesiæ, & erigendæ collapsæ disciplinæ, nulla corruptorum morum deploratione, nullo denique colore timoris Diuinæ iræ, iam iam imminentis Ecclesiæ, propter horrēda scelera nostra, permittant se ab Ecclesia, ab eius auctoritate & unione tantillum abstrahi, ut uel incipiat eis minùs placere catholica Ecclesia, uel dubitēt, quæ illa, aut ubinam sit, quam proculdubio Deus constituit ciuitatem supra montem, quæ abscondi non potest. Illa omnia uestimenta sunt ouium, quibus nonnunquam truculentissimi lupi obteguntur: omnes & pastores, & lupi illis nos commendamus ouibus, & illa simplicitas, quæ in eis est, similitudine, aditum ad eorum animos præparamus. Nam & Paulus inquit, ad Romanos decimoquinto capite, de seductoribus, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Communia sunt igitur illa omnibus, amor Ecclesiæ, odium corruptionis morum, disciplinæ reparandæ zelus, inquisitio ueritatis, & scripturæ sacræ studium. Hæc, inquam, omnibus communia sunt, quanquam solùm alterutris ueraciter conueniant. Nullum uerò certius spiritus erroris signum, quàm quod ab Ecclesia separat. Quum enim, ut Paulus inquit, & experientia docet, hæretici omnes omnia agant, ut discipulos abducant post se, id quod fieri non potest, nisi abstractis ab Ecclesia, hoc semper agit omnis aliena doctrina, ut scilicet ab illa tandem abstrahat. Id uerò non apertè, neque statim agunt, sed occultè potiùs, & paulatim, ut meritò de hæresi illud Prouerbiorum nono intelligatur: Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Ideoq; necesse est magna attentione animi, & circumspectione, magna integritate sensus, ne uidelicet in extremum aliquod, in quod semper hæreses declinant, relicta media, & regia catholicæ fidei uia, toti, & præcipites feramur. Habet enim semper colores maximos ex scriptura, ex ratione, & auctoritate extremum illud, quò declinant hæreses, quare nisi adhibeatur frænum, & habeatur ratio medij, difficilè est non incidere in illud. Si enim, ut exempli causa dicamus, liberalitatem quis laudet, illamq; persuadeat omnibus, auariciam tanto conatu uituperans, ita ut omnem rapiat animi attentionem, in huius turpitudinem, & illius honestatem, nonne difficilè erit huic non labi in extremum prodigalitatis uitium, nisi magna attentione mediocritatem uirtutis respexerit? Non secus certè in hac causa doctrinæ contingit: dum enim nimio quodam conatu hoc cœperunt errantes agere, ut unum extremum euitarent, non habita medij consideratione, inciderunt in aliud, ut Sabellius deuitans Arrij inæqualitatem personarum identitatem docuit, Pelagius naturam malam Manichæorum fugiens, negauit peccatum quod ex Adam contrahimus. Quod per omnes hæreses facilè est ostendere, sed omittamus illas, & de hac præsentium temporum, quæ tam diu Ecclesiā torquet, contentione, loquamur paucis.

Cœperunt iam diu nonnulli corruptionem morum in Ecclesia dolere, cœperunt illam quasi manifestā iam, & intolerabilem apud omnes traducere, & dum nimij in consideratione manifestorum criminum, & degenerationis à prima illa Ecclesia sunt, eò breui se, & sequaces seduxerunt,

runt, ut Ecclesiam illam esse, & illos ueros eius Prælatos, qui tantopere à sanctitate defecerant omnino negarent, quod facilè etiam deprehendi potuit, & uitari: Satanas uerò, qui quotidie ad malitiam cautior est, ac semper noua addit prioribus nostro hoc tempore, idem etiam, sed cautiùs agit: nunc enim rursum hoc prætextu fucum facit simplicioribus, & pijs, per suos ministros Lutherum, & sequaces, dum corruptionem morum, disciplinæ lapsum proponentes omnibus, & nimium eos huic rei intentos reddentes, agunt, ut etsi propter peccata, neq; Ecclesiam, neque eius ministros uerbis negent, tamen incipiant eis contemptibiles esse, incipiant displicere & ipsi, & sua omnia. Vnde & iam inobedientiam, & contemptum eorum meditentur, quibus sic præoccupatis, & ueluti fascinatis, multorum uerborum pietatem ostentantium præstigijs, facilè persuadent corruptam esse doctrinam, & obductam tenebris Euangelij lucem, proq; ea receptas meras nænias, & impostoras hominum, quibus omnia plena esse dicunt, & certè mirandum simul, & deflendum est, quòd hæc & audiantur, & suscipiantur ab ijs, qui Christi promissionibus crediderunt, quibus ille stabilitatem Ecclesiæ suæ usq; ad finem seculi promittit, & audent publicè dicere, qui fideles dicuntur, à trecentis annis omnia corrupta esse in Ecclesia, & nunc demum, post tam longas tenebras, per Lutherum effulsisse Euangelij lumen, & hoc quidem in principio, at post parùm uidebis etiam hoc ipsum, quod damnant non à trecentis, sed à mille quingentis annis, semper fuisse in Ecclesia, quare non uerentur totam eius antiquitatem damnare, quod quid aliud est, quàm Ecclesiam periisse, aut certe sepultam fuisse alicubi: unde nunc à Luthero excitetur, ut uidelicet abscondita fuerit lucerna illa Christi super candelabrum posita omnibus usq; nunc, & iam solis discipulis Lutheri lucere cœperit.

Obsecramus igitur rursum per Christum omnes, ut ita peccatorum multitudinem, morumque corruptionem aspiciant, ut non propterea à medio declinent, non in tam pernicioso recessus extremorum deflectant, aduertant in Ecclesia frequentissimè abundasse peccata, & manifestiora fuisse uirtutibus, atq; numero, & potentia conculcatos, & superatos pios ab impijs. Aduertant clamasse hoc sæpiùs Prophetas, & patres, nec tamen propterea aut contempsisse Ecclesiam, in qua tanta erant peccata, aut ab ea recessisse eos legimus, quin potiùs quum ardentissimus ille zelator Elias æstu quodam feruentis animæ eò ferretur, ut quasi putaret defecisse cultores Dei, & ideo sibijpsi arbitraretur derelinquendum populum, & ad deserta secedendum, Prophetas tuos, inquit, occiderunt, & derelictus sum ego solus, audiuit relictos esse septem millia, qui non curuauerant genua sua ante Baal. Atq; ideo redire iubetur, regemq; ungere, & Prophetam, quem loco sui relinqueret. Hoc itaq; est medium catholicæ fidei ante oculos habendum: in Ecclesia malos, nihil nocere bonis, sed tanquam paleam in area ipsos occultare, & quodammodo custodire. Quòd si bonis non nocent, multò minus Ecclesiæ, quæ semper sancta, semper perfecta, pro mensura huius uiæ permanet, ut uerissimum sit illud Canticorum, Nigra sum, sed formosa, & in Psalmis: Omnis gloria eius ab intus.

Deniq; sicut neq; bonis, neq; Ecclesiæ nocent peccata, ut propterea pereant, ita neq; ueritati doctrinæ publicæ detrahunt, hanc enim nulla malitia hominũ unquã auferre potest, ut uel nõ sit, uel non luceat oĩbus, qui in domo sunt. Sit igitur in nobis, si cupimus medium tenere peccatorum, & uitiorum, odium, & compassio peccantium, ut quos pro officio, & uiribus nostris corrigere non possumus, toleremus gementes, atq; affectu longè ab eis separati, Sacramentis, & orationibus Ecclesiæ communicemus illis, quamdiu ab ea sustinentur, & eam sustinent non recedentes. Credamus prædicationem fidei, & doctrinam publicam, quæ uelut tessera est militiæ Christianæ, semper manifestam & fuisse, & futuram esse, & eandem, quæ ab Apostolis per omnes successiões Patrum deducta est usq; ad nos. Hæc, inquam, ueritas semper sonat in Ecclesia, ut ad eam, tanquam ad pastoris uocem, confugiant oues.

Cæterùm solidæ illæ uirtutes, perfectio, & puritas, quibus Ecclesia Deo placet, sub ijs latent, manifestæ etiam per conuenientia opera ijs, quibus ea datur uidere, quamuis à carnalium hominum oculis nube peccatorum absconditæ. Huius Ecclesiæ cupiamus esse membra, hoc præ cæteris omnibus precemur Deum, ne in ea agnoscenda unquam nos permittat errare. tam clamantibus, ut restauretur Ecclesia, ut tollantur, & emẽdentur abusus, si nolumus iram Dei incurrere, respondeamus pacificè, & quietè, ut caueant, ne dum uident festucam in oculo fratrum, trabem, quæ in oculo suo est, non aspiciant, uideant, inquam, ne fortè quum dicunt Ecclesiæ: sine eijciam festucam de oculo tuo, ipsi trabem in suis oculis habeant. Sed non sunt, inquis, festucæ, tanta peccata, auaritia, superbia, spurcitiæ, &c. Verum est, non sunt parua in se, sed quantò maiora, hæresis, & schisma? certè quanto maior, & prior fides uirtutibus cæteris: quanto finis præstat mediis: quanto deniq; fundamentum omnibus superædificatis, cæteræ uirtutes ueluti parietes sunt, aut columnæ Ecclesiæ, at fides primum fundamentum. Auaritia igitur deijcit pulcherrimum parietem contemptus terrenorum

omnium, & intentionis cœlestium, inhonestat euertit pulchritudinem castitatis, & sic cætera uitia uirtutes contrarias destruunt, ueluti pulcherrimos parietes. Ac schisma unitatem impetit uitam ipsam & cor dissoluit, hæresis fidem, & fundamentum deijcit, ita ut cætera simul pereant, & nihil omnino maneat uirtutis, quantumuis ostentetur species eius. Hoc itaq; agunt noui isti doctores, & noui reparatores Ecclesiæ, ut uidelicet totam euertant. Errore, an malitia, ut uerum fateamur, nescimus, sed neq; id admodum refert: quod ad rem attinet, satis est quòd Ecclesiam destruunt, siquidem odio eius, & certa malitia, grauissimo apud Deum peccato obnoxij, si errore, ex nimio hoc zelo, non minori damno Ecclesiæ, & sua non minus culpabili inconsideratione: Nam quid rogo inconsideratius esse potest, quàm dum eum, qui innocenter patitur, ab aduersarijs liberare contendis, tam præcipitem in eos insurgere, tam inconsideratè aggredi, ut cum eis simul, aut certè priùs, quàm eum quem liberare cupiebas, perdas? Sic isti agunt, dum uitia, quæ in Ecclesia sunt, impugnantes, à fundamentis Ecclesiam euertunt. Hoc igitur peccatum maximum est, & præ cæteris iram Dei excitat in omnes, imò est iam grauissimũ iræ flagellum, ac primò omnium emendari opus est, quod precibus, & uera pœnitentia à minoribus apud Deum agendum est, à maioribus etiam diligenti circumspectione, et seueritate disciplinæ. Det Christus seruator Ecclesiæ suæ, & sponsus unicus, ut uel iam tandem post tam longa flagella affulgeat nobis sua misericordia, quæ det omnibus meliora sentire.

FINIS ASSERTIONIS CATHOLICAE FIDEI F. PETRI A SOTO, ORDInis Sancti Dominici & professoris Theologiæ, &c.

INDEX

INDEX CAPITVM

VTRIVSQVE CONFESSIONIS. PRIOR NVMERVS DESIGNAT VVIRTENBERGENSEM, ALTER VERO CATHOLICAM.

1	Confeſsionum præfationes.	folio	48	50
2	De Deo & tribus in una diuinitate perſonis.		51	52
3	De filio Dei.		52	52
4	De Spiritu ſancto.		52	52
5	De peccato.	fol.	53	53
6	De iuſtificatione.		55	56
7	De lege.		57	58
8	De bonis operibus.		60	61
9	De Euangelio Chriſti.		62	64
10	De Sacramentis.	fol.	65	66
11	De Baptiſmo.		66	68
12	De confirmatione.		70	71
13	De pœnitentia.		72	72
14	De contritione.		73	74
15	De confeſsione.		75	78
16	De ſatisfactione		81	81
17	De oratione.		82	83
18	De ieiunio.		83	83
19	De eleemoſyna.		84	84
20	De euchariſtia.	fol.	85	90
21	De ordine.		94	95
22	De coniugio.		96	99
23	De extrema unctione.		100	101
24	De inuocatione Sanctorum.		101	104
25	De memoria defunctorum.	fol.	106	107
26	De purgatorio.		109	110
27	De uotis monaſticis.		111	113
28	De horis canonicis.		115	116
29	De ieiunio iterum.		117	119
30	De conſecratione aquæ, ſalis, uini, herbarum & aliarũ rerum.		120	121
31	De ſacra ſcriptura.		122	126
32	De ſummo pontifice.		127	130
33	De Eccleſia.		131	136
34	De concilijs.		139	142
35	De ſcriptoribus Eccleſiaſticis.		143	145
36	De cærimonijs Eccleſiaſticis.		147	155

fol. 147. linea ult. lege, per ſe Deo gratos.

INDEX CAPITVM

VTRIVSQVE CONFESSIONIS. PRIOR NVMERVS DESIGNAT VVIRTENBERGENSEM, ALTER VERO CATHOLICAM.

1	Confessionum praetationes.	folio	48 50
2	De Deo & tribus in ordinitate personis.		51 51
3	De filio Dei.		52 51
4	De Spiritu Sancto.		52 51
5	De peccato.	fol.	53 53
6	De iustificatione.		55 56
7	De lege.		57 58
8	De bonis operibus.		60 61
9	De Evangelio Christi.		62 64
10	De Sacramentis.	fol.	65 66
11	De Baptismo.		66 68
12	De confirmatione.		70 71
13	De poenitentia.		72 72
14	De coniugione.		73 74
15	De confessione.		74 78
16	De satisfactione		81 81
17	De oratione.		82 83
18	De ieiunio.		83 83
19	De eleemosyna.		84 84
20	De eucharistia.	fol.	85 90
21	De ordine.		94 95
22	De coniugio.		96 99
23	De extrema unctione.		100 101
24	De invocatione Sanctorum.		101 104
25	De memoria defunctorum.	fol.	106 107
26	De purgatorio.		109 110
27	De vocis monasticis.		111 113
28	De honorationibus.		115 116
29	De ieiunio iterum.		117 119
30	De consecratione aquae, salis, vini, herbarum & aliarum rerum.		120 121
31	De sacra scriptura.		122 126
32	De summo pontifice.		127 129
33	De Ecclesia.		131 133
34	De concilijs.		139 143
35	De scripturis Ecclesiasticis.		144 145
36	De caeremonijs Ecclesiasticis.		147 151

Sequuntur nunc, post assertionem CATHOLICÆ FIDEI FRATRIS PETRI à Soto, Prolegomena Ioannis Brentij, unà cum Apologia Confessionis Vuirtenbergensis, quam uisum est in περικοπὰς aliquot diuidere. Etsi enim φλυαρίαι Asoti possunt paucioribus, quod ad harum disputationum principalem statum attinet, refutari, tamen quia hoc hominum genus Sacram scripturam suis Interpretationibus mirificè deprauat & obscurat, ratio suscepti operis exigere uidetur, ut quod est Sophisticis tenebris inuolutum, accuratius & copiosius euoluatur. Tu his iam fruere, optime Lector, & bene ac fœliciter uale.

AD LECTOREM SEBASTIANVS COCCYVS.

Si uolumus rebus ueras imponere uoces,
Sanat, non mordet, qui tibi uera refert:
Qui ueniente lupo dentes non exerit acres,
Degener hic canis est, nomen inertis habens.
Mendaces populi proceres, Satanæq; nepotes,
Ille uocat, quo nil mitius orbis habet.
At uox hæc in se crimen complectitur omne,
Si clausam uerbis hanc aperire uelis.
Melle tegit Satanas laqueorum mille figuras,
Fingere scit fraudes, pingere scitq; dolos.
Occidit miseras animas, secumq; trahendo,
Sulphureis mergit perditus hostis aquis.
Sunt & bella, fames, pestes, artesq; nocendi
Mille, quibus nobis insidiatur atrox:
Et quibus oppugnat scelerum pater impius ille
Artibus, his nàtos perdere quosq; iubet.
Ac nisi me cœlum, terræ, mare, & omnia fallunt,
Fratribus ex illis unus Asotus erit.
Omnia namq; patri similis, uocemq; colorem,
Atq; ea, quæ casto dicere credo nefas:
Cuius dum placidus mendacia fortia profert
Brentius, haud mordet, sed pia corda monet.

Mimus Publij.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

IN APOLOGIAM Confessionis Illustrissimi

Principis ac Domini D. Christophori, Ducis Vuirtenbergensis, &c.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

AVTORE IOANNE BRENTIO.

Pio Lectori S. D.

VAldè tumultuatur Petrus à Soto, in suo scripto, quo Confessionem Illustriss. Principis, Ducis Vuirtenbergensis refutare conatur, quòd Principes suscipiant curam & cognitionem piæ doctrinæ. Existimat enim hoc quicquid est officij, ad suos tantum Prælatos pertinere. Et siquando premitur autoritate Sacræ scripturæ, solet sese in uarias formas uertere. Nunc enim confugit ad Traditiones, nunc ad Patres, nunc ad Catholicam suam Ecclesiam. Putaui igitur operæprecium, præmittere Apologiæ, quasi προλεγόμενα, hos locos.

i. De officio Principum in Ecclesia Filij Dei.
ij. De autoritate Sacræ Scripturæ.
iij. De Traditionibus.
iiij. De Catholica Ecclesia.

Etsi autem his locis illustratis, scriptum Petri à Soto, non aliter quàm Philistinus Dagon, truncatis manibus & capite, coram Arca propiciatorij prostratum iacet, tamen addenda erit copiosior Apologia, ut si nihil aliud, certè posteritati testificemur, quibus cum monstris dimicandum nobis fuerit, ne Euangelion de Christo Filio Dei, diuinitùs in lucem euocatum, Sophisticis tenebris iterum inuolueretur. Interea temporis, optime Lector, fruere his προλεγομένοις, & ora Deum Patrē Domini nostri Iesu Christi, ut causæ populi sui clementer faueat. Benè uale.

Illustriss. ac ueræ Religioni de-

DITISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. CHRI, stophoro, Duci Vuirtenbergensi, & Teccensi, & Comiti Montbelgardi &c. Domino suo Clementissimo.

ILLVstrissime Princeps, Domine obseruandissime. Aedidit aduersus piam Tuæ Celsitudinis Confessionem Petrus, nescio quis, à Soto, assertionem, ut titulus quidem libri profitetur, Catholicæ fidei, ut ego autem sentio, epitomen Sophisticæ & Monasticæ doctrinæ. Non excutiam nunc causas, cur ignotus, ut ipse loquitur, fraterculus, cùm tot doctissimorum uirorum scripta aduersus impiam Sophistarum & Monachorum doctrinam publicè extent, delegerit potissimum T. C. Confessionem, quam sordibus suis consputet atq; contaminet. Nec sumus fortassis tam hebeti ingenio, ut non intelligamus quo consilio, & quorum instinctu hypocrita ad suscipiendam hanc prouinciam excitatus sit, & quibus hac in re operam suam posuerit. Iactat hæc proficisci ex bona conscientia, & ardenti salutis tuæ desiderio: sed uestimenta ouium, quibus lupi rapaces & leones rugientes sese commendare student, non sunt nobis usq; quaq; ignota. Et solenne est hypocritis, zelum Dei ac studium humanæ salutis cupiditatibus suis prætexere. Etsi autem ad tam stupendam Sophistarum & Monachorum cæcitatem, & ad tam deplorandam plurimorum hominum perniciem non possum non cohorrescere, tamen gaudeo scriptum Petri à Soto extare, quòd iam non opus habeamus multa lectione reliquorum matæologorum libros, ad colligendas eorum impietates, percurrere. Quod enim alij tam uoce quàm scriptis diffusè in orbem terrarum sparserunt, hoc Asotus in breuia illa scholia, & Catholicam suam confessionem contulit. Ac profectò res aptissimè cecidit. In medio collocata est pia Confessio Vuirtenbergensis, ex utraq; autem parte circundant eam Asotica commenta, quasi Rosam spinæ, imò quasi canes, allatrantes quidem eam, sed quia edentuli sunt, latrare possunt, mordere autem non possunt. Quòd si fuisset data optio, non potuissemus commodiorem aduersarium eligere, qui refutatione sua ueritatem ac pietatem Confessionis T. C. magis illustraret. Affirmat se respondere de fide, non singulariter sua, sed Catholicæ Ecclesiæ. Si autẽ hęc est Catholica fides, quam Asotus in hoc scripto profitetur, ô miserrimam & infœlicissimam sortem Catholicorum, qui non solum sectantur Ethnicam impietatem & idolomaniam, uerumetiam necesse habent quæuis somnia impiorum Sacrificulorum & Monachorũ, pro compertissimis Apostolorum traditionibus, & pro certissimis Spiritus sancti oraculis adorare. Sed spero multos inter eos, quos illi Catholicos uocant, rectius sentire: nec dubito, quin Asotus ab ijs haud magnam gratiam relaturus sit, quòd quæ sint Sophistarum & Monachorũ impietates, uniuersæ Catholicæ Ecclesiæ adscribat. Nec uideo quid hoc scriptum Asoti in se contineat, quod hominem pium, aut saltem mediocri mẽtis sanitate præditum mouere posset, ut uel pietatem doctrinæ, quam

Confessio

Confessio Tuæ Celsitudinis profitetur, deserat, uel impietatem Asoticæ assertionis approbet. Quos T. C. Illustrissime Princeps, iussit summam doctrinæ suæ conscribere, recitauimus eam simpliciter, perspicuè, & sine ullius hominis contumelia, ut eam, si ita res tulisset, cum bonis & doctis uiris conferremus. Quid autem uicissim Asotus? Tam impotenti est animo, ut non potuerit sibi tantisper imperare, dum uel prima congressione aliquam ueræ mansuetudinis ac pietatis notam ostentaret. Videtur quidem aliquoties conari, ut aliquam humanitatem simulet: Sed teneri non potest, quin mox redeat ad ingenium, & fiat, quod est, uirulentus hypocrita. Doctrinam nostram uocat Impiam, & doctrinam Satanæ. Ecclesiam nostram uocat Synagogam Satanæ. Nos sumus ei Nouatores, Deceptores, Impostores, Fures, Latrones. Ambulamus ei cum Aërio, Iouiniano, Vigilantio: & quod sui quoq; ridebunt, cum Pelagio, & alijs manifestis Ecclesiæ hostibus. Nos illi sumus, qui pessimi schismatis & cõfusionis, omnium quæ in Ecclesia sunt, semina spargimus. Hæc sunt elogia, quibus nos Asotus ad Catholicam suam Ecclesiam reuocat. Cùm igitur mihi negocium sit cum tam impudenti hypocrita, non debet mihi fraudi esse, si alicubi impudentiam & impietatem eius suis coloribus depinxero. Sed hæc istorum hominum iudicia de nobis, nec sunt occulta, nec nobis hactenus ignorata. Illud miror, quòd in hoc scripto, in quo te, Illustriss. Princeps, ad sanam mentem, ut ipse putat, reuocare conatur, ne tuo quidem nomini parcat. Aliàs uociferatur: Deciperis, & Falleris. Aliàs dicit te, nec esse, nec debere esse Doctũ: quasi uerò Prælati sui, quos ita uocat, & ad quos reijcit omnem Iudicandi autoritatẽ & potestatem, omnes essent uiri doctissimi. Aliàs metuit, ne sedens apud teipsum, & inter tuos recenti huic & nouæ causæ addictos, aut sensu, sollicitudinibus & delicijs huius seculi occupatos, facilè de salute tua censeas: quasi tibi ignotæ essent Sophistarum & Monachorum impostura, & Prælati, (sic enim libet ei loqui) ac Monachi in cinere tantum & cilicio uitam suam ducerent. Aliàs scribit te ueritatem ignorare, & propagandæ impiæ doctrinæ studiosum esse. Aliàs iubet te alijs potius rebus, quàm studio instaurandæ Ecclesiæ operam dare. Hoc enim esse officium, non secularium Principum, qui uel præ ruditate, uel præ delicijs non possint huic studio uacare, sed Spiritualium Prælatorum, qui scilicet exculti sunt omni genere eruditionis ac honestatis. Aliàs iubet te suspendere iudicium, & dubitare non tantum de ueritate tuæ Confessionis, uerumetiam de diuina erga te & reliquos omnes clemẽtia & fauore. Aliàs suũpsius oblitus, quem antè à cognoscendi & Iudicandi autoritate impudenter reiecerat, iubet in huius causæ cognitione sedere Arbitrum. Quid plura? Repellit hypocrita, homo uerè ἄσωτος, ab huius causæ cognitione nõ te tantum, sed etiam omnes reliquos Principes & populos. Falleris, (inquit: libet enim uerba eius recitare) quia homo es, & falli potes: patere ut hoc dicam de te, circa ea, in quibus nec es, nec pro officio teneris esse Doctus & consummatus. Ac mox: Hæc dissensio circa fidem, Principum & populorum, non ab ipsis aut potest aut ualet definiri. Habes uerba Asoti. Et tamen interea scribit ad te Refutationem, ut ipse iudicat, Tuæ Confessionis, & conatur te eò pertrahere, ut uel Confessionem tuam damnes ipse, uel saltem de ea dubites. Quis est hic, obsecro, stupor? quę uertigo? Num potest quispiam causam uerè damnare, aut saltem de ea prudenter dubitare, absq; eius cognitione & iudicio? Sed de Principum officio, & Sorbonicorum ac Mo-

nachorum consilio, postea suo loco, Deo uolente, copiosius. Nunc ad in-stitutum reuertor. Repudiat ergo Asotus te tanquàm hominẽ Laicum, rudem, indoctum, & delicijs huius seculi deditum, ab huius tantæ causæ cognitione. Hæc scilicet est expedita & compendiaria uia reuocandi te ad Sanctam illam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

Sed quid homo fanaticus tui nominis honori deferret, qui nec maiestati Scripturæ sacræ, & prædicationi Euangelij, nec Scriptoribus sacris, ad quos tamen nos remittit, ac ne quidem Christo ipsi Filio Dei parcit? Scripturam sacram, quæ est oraculum Spiritus sancti, subijcit au-toritati hominum. Et quomodo non firmius (inquit) teneri possunt, quæ cordibus mandantur fidelium, quàm quæ membranis & tabulis? Scilicet sacra Scriptura, quia tabulis & membranis mandata est, res est parui aut potius nullius momenti, qua cum, Spiritui sancto nihil est negocij. Et aliàs: Qui Ecclesiam (inquit) ad limites sacræ Scripturæ co-artant in iudicandis doctrinis cæterisque definiendis, quæ ad fidem & salutem pertinent, repugnant apertè testimonijs antiquorum. Non est contentus eleuatione autoritatis sacræ Scripturæ, nisi etiam testi-monia ueterum Scriptorum in suam impietatem inuoluat. Quin & a-liàs diserte ait: Prædicationem Euangelij pertinere ad externam doctri-nam, atque ita ad Literam OCCIDENTEM. Quod Paulus clarè uocat, Potentiam Dei ad salutem omni credenti, & Administratio-nem Spiritus, hoc furiosus homo uocat literam occidentem. Non dissimili blasphemia alius quispiam Asoti uel discipulus, uel præce-ptor, uel in eodem impietatis ludo edoctus, confert sacram Scripturam cum fabulis Aesopi. Quando (inquiens) autoritas Ecclesiæ Scriptu-ram deserit, ualebit quantum Aesopi fabulæ. Immanè, quanta est ho-rum hominum impudentia? Scilicet Scriptura sacra, quæ est oraculum Spiritus sancti, non est sacra, non est uera, non est diuina, nisi hominum calculo approbetur? Eadem ratione, Deus non erit Deus, nisi homines eum Deum agnoscant & confirment. Mundus non erit diuinitùs crea-tus, nisi hoc hominum concilia decernant? Et tamen tolerabilius uide-tur, Scripturam æquare fabulis Aesopi, quàm prædicationem Euange-lij uocare literam occidentẽ, quòd hæ puericiam in moribus erudiant, illa autem, si est litera occidens, lectores seu auditores mactet.

Sed audiamus quam nobis certitudinem de Patrum scriptis afferat Asotus. Nam ubicunque ea uidẽtur pugnare cum regula suæ fidei, quam uel sibi pro suo arbitrio finxit, uel ex ementitis aut incertis traditioni-bus hausit, ibi affirmat ea aut prudenter exponenda, aut non esse effica-cia, sed uel reijcienda, uel referenda ad speciales leges (utor enim uerbis eius) dispensationis Prælatorum, uel quod aliàs addit, dicendum ab hæ-reticis esse inserta. Hæc est Asotica norma, qua ducimur ad rectè intelli-genda ueterum Patrum scripta.

Quid autem necesse est multa de alijs Scriptoribus dicere, uideamus saltem, quid Monachi eius ordinis, quem & Asotus profitetur, de Pau-lo Apostolo sentiant. Hunc Apostolum uocat Filius ipse Dei Electum suum organon, aut si Asotus mauult audire hominis testimonium, quia quod Filius Dei prædicat, fortassis est Asoto litera occidens, audiat Hieronymum, qui quotiescunque, inquit, Paulum lego, uideor mihi non uerba audire, sed tonitrua. Et: Quocunque respexeris, fulmina sunt. Quid autẽ de Paulo Monachi? Narrant amici, qui fuerunt ἀυτόπται, quòd

quòd in hac T. C. urbe Studtgardia, in Monasterio in quo commoratus est grex Dominicanus, qui hoc nomen habent, non à Domino nostro Iesu Christo, quem ignorabant, sed à Dominico quodam, cuius Regulã profitebantur, extiterit tabula, in qua ex una parte depicta erat imago Pauli Apostoli, ex altera Dominici. Et sub imagine Pauli legebantur hæc uerba scripta: Per illum itur ad Christum. Sub imagine autem Dominici illa uerba: Sed magis per Istum. Testantur alij, se similes tabulas in alijs monasterijs uidisse. En bellissimam collationem, qua familia Asotica tantum Apostolum, qui in tertium usque cœlum & in Paradisum raptus fuit, honorat. Quid igitur faciamus? aut quo nos in hac controuersia uertamus? Solet hisce difficilimis temporibus sæpe ac multum deliberari, qua uia & ratione dissidium in Religione componatur. Et hic fit mentio, nunc Concilij generalis, nunc Cõcilij Nationalis, nunc etiam mutui Colloquij. Sed quæ iam spes nobis huius rei rectè & utiliter uel gerendæ uel transigendæ apud cœtum Asoticum? Si produxerimus testimonia sacræ Scripturæ, dicunt scripturam esse obscuram, insculptam membranis & tabulis, rebus uidelicet euanidis. Et ad Scripturam prouocare esse hæreticorum: nec Iudicia de doctrina coartanda esse ad limites Scripturæ. Si proferamus Apostolum Paulum, dicunt Paulum magis deditum fuisse prædicationi & uerbo quàm Scripturæ, Et potius per Dominicum quàm per Paulum ad Christum accedendum. Si allegauerimus scripta Patrum, dicunt ea aut prudenter & modestè exponenda, aut reijcienda, aut per Prælatos dispensatiuè (hoc enim uocabulo uti solent) explicata, aut ab hæreticis inserta. Si urgeamus ut nobis certam metam definiant, confugiunt ad Traditiones non scriptas, quas dicunt esse certissimum fidei fundamentum. Si interrogauerimus, unde has Traditiones habeant, si non sunt scriptæ, ablegant nos ad Concilia, & ad Prælatos Ecclesiæ, ad quos affirmant Ecclesiam esse alligatam, & sine quibus Ecclesia esse nõ possit. Cùm autem probè sciant Prælatos suos, partim esse homines indoctos: partim alienis studijs addictos: partim ne requirentes quidẽ uel hanc uel illam Religionis doctrinam, non dubitant futurũ, quin omnis huius controuersiæ cognitio & Iudicium, à Prælatis ad se, hoc est, ad theologos Sorbonicos & Monasticos reijciatur. Hoc spectant, hoc uolunt, huc tendunt, hoc agunt, ad hunc exitũ properant Asotici, Sophistę & Monachi, ut tandem penes ipsos stet cadátq; uniuersa doctrina Religionis, & totius Ecclesię salus. Nunc tecum, opti me Princeps, pro tua pietate & prudẽtia expende, in quo loco furiosi illi homines studiũ ueręq; & æternę tuæ salutis collocent. Exigunt primùm, ut tu, homo scilicet Laicus, ut ipsi loquuntur, & indoctus, non suscipias curã de his rebus cognoscendi. Deinde si quid à sacra Scriptura proferatur, remittunt te à Scriptura ad Patres. Postea à Patribus ad Traditiones nõ scriptas. Deinde ab his ad Prælatos Ecclesię. Hi in talibus Iudicijs pendent ex sententia Sorbonicorũ & Monachorum, qui quod uisum est capitio, aut scrinio pectoris eorũ, Prælatis præscribunt. Itaq; res eò deducitur, ut ratio æternæ tuæ salutis in capitium & cingulum, in opiniones & somnia Monachorũ & aliorum id genus hominũ reponatur. An uerò tum nõ in satis tuto loco collocata est? an non habet satis firmũ & stabile fundamentũ? Quæ portæ inferi possent aduersus hanc Petrã præualere? Sic reuocantur errantes & decepti in uiam. Sed nunc ista missa faciamus: dabitur enim postea locus pluribus de hoc argumento dicendi.

Habes in quo gradu Asotici theologi Ecclesiasticos Scriptores, adeoq; Paulum ipsum collocent. Nunc perstringamus etiam paucis, quem honorem Domino Deo nostro & Christo filio Dei, unico nostro Seruatori tribuant. Asotus enim clarè affirmat, quòd omnis quidem spes salutis nostrę collocanda sit in solo Domino Deo nostro per filium eius Iesum Christum, sed non Solitario. Et addit: Nulli fidimus quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs quæ ab eo uirtutē cooperandi salutem nostram habent. Itaque Asotus permittit quidem Deum & Christum eius esse Saluatorem nostrum, SOLVM, sed non SOLITARIVM. Adiungit enim ei Contritionem, Ieiunium, uota Monastica, Cucullas, & multa alia, quibus manifestè affirmat confidendum esse, ut quæ sint expiationes peccatorum nostrorum, & merita æternę uitę. Quid, obsecro, est impietas ethnica & Idolomania, si hęc non est? In Propheta dicit Dominus Deus noster: Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Hęc autem est gloria Dei & laus eius, quòd sit propicius humano generi propter solum Christum filium suum, & quòd solus Christus, qui est eiusdē cum Deo Patre essentiæ & Maiestatis, expiauerit homo factus peccata nostra, & placauerit nobis Patrem. Et hanc expiationis gloriam, hanc placationis laudē, palàm & impudenter audet Asotus affirmare datā etiam esse Contritioni, Ieiunio, uotis Monasticis, Cœlibatui, denicq; omnibus humanis uirtutibus. An non hoc est ex humanis uirtutibus sculptilia & Idola facere? Nam & sculptilia Ethnicorum ex auro, uerbi gratia, aut argento, aut lapide, aut ligno architectata, per se erant bona Dei creatura, quippè quòd Deus materiam bonam condidisset, & artificium sculpendi concessisset. Sed hæc erat Ethnicorum impietas, quòd his sculptilibus, bonis uidelicet per se creaturis Dei, tribuerint gloriam & maiestatem Dei, atque confisi sunt se hoc cultu iram Dei placare, & fœlicitatem mereri. Nihil rectius docet Asotus de bonis operibus, ac honestis uirtutibus, quæ & si sunt bona Dei in hominibus creatura, tamen cùm tribuit eis expiationem peccatorum, & meritum æternæ uitæ, quæ est gloria & Maiestas uni Soli Christo Filio Dei debita, profectò facit ex eis, quantum in ipso est, Sculptilia & Idola, ut iam, autore Asoto, tot habeamus deos & Christos, quot operibus coram tribunali Dei, in Iudicio de æterna nostra salute, confidendum esse dicit. Itaque quod Paulus ait de Ethnicis: Cùm cognouerint Deum, non ut Deum glorificauerunt, hoc totidem uerbis de Asotico sodalicio dici potest: Cùm cognouerunt Christum, non tamen ut Christum glorificant, necq; grati sunt, sed frustrantur per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Cùm credunt se esse sapientes, stulti facti sunt, mutantq; gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerumetiam Contritionem, Ieiuniorum, Cucullarum, & aliarum id genus rerum. An non hoc est ex Deo Patre & Filio eius Domino nostro Iesu Christo facere deum Platonicum, ut Christus quidem sit Deus maiorū gentium, opera autem hominum, quæ Deo pro expiatione peccatorum, & merito æternæ uitæ obtrudimus, sint dij minorum gentium? Bonis operibus, inquit Asotus, quæ ex diuina gratia fiunt, ita est fidendum, ut & ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam, necessaria sint & utilia. En, hic est honor, hæc est gloria, qua Asoticum sodalicium afficit unigenitum Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum,

Christum. Sed copiosiori huius rei explicationi dabitur suus locus, ut perspicuum fiat, quòd Sophisticum genus hominum audierit quidē & legerit in schola Christianorū usitata nomina Dei, Christi, & gratię Dei, sed retineat sub his nominibus Ethnicas sententias & impietates. Operæprecium enim est, ut hæ nouæ præstigiæ, (Christus est expiator peccatorum, Solus, sed non Solitarius. Et: Confidendum est bonis operibus, quæ fiunt ex gratia) quibus præstigijs Asotica turba ueteres Sophistarū impietates colorat, retegantur & illustrentur. Cæterùm, ne quid dubij relinquatur, quàm certum & sacrosanctum habeas, Illustrissime Princeps, rectæ uiæ demonstratorem, Asotum, commemorabo è pluribus pauca quædam scripti eius loca, ita inter se pugnantia, ut uertiginis spiritu manifestè agitari uideatur. Alicubi affirmat, quemadmodum paulò antè indicatum est, quòd sit bonis operibus fidendum, & quòd expient peccata, ac mereantur æternam uitam. Alicubi sui oblitus, perspicuè dicit: Non constituendam in eis fiduciam, sed in summa Dei misericordia. Quò igitur nos uertemus? Aliquoties ueritate coactus dicit: ante remissum peccatum, nullum esse aliud meritum, quàm damnationis. Sed aliàs apertè ait: Peccatores ieiunantes, aut alia ex suo genere bona opera facientes, etiam sine uera pœnitentia, modò non peruersa intentione, nō parum promouere Ieiunio. Implere enim eos, dicit, præceptum, atque ad pia opera promptiores fieri, & nonnihil se disponere: Nec esse peccatum, nec omninò ingratum Deo. Et tamen mox è Chrysostomo affirmat Impium ieiunium non placere Deo. Quis hîc nō uideat in Asoto impleri, quod Moses scribit: Percutiet te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut solet palpare cæcus in tenebris, & non dirigas uias tuas? Cùm de Ecclesia disputat, uertit se iterum in uarias formas. Nunc enim ait Ecclesiam esse manifestam, uisibilem, & supra candelabrum positam: nunc ait eam esse absconditam. De Cōcilijs fatetur modò Concilia posse errare, & quædam errasse: modò negat Spiritum sanctum permissurum ut Concilium erret. Quid multis opus? Dies me deficeret, si pergerem omnes Asoticas absurditates, præstigias, Scripturæ deprauationes & impietates enumerare. Gustum tantùm nunc præbere uolui, qualem salutis nostræ Doctorem, & ad Catholicam Ecclesiam reuocatorem præclari illi emissarij, quorum instigatione Asotus hæc scripsit, nobis obtrudant. Ac profectò uidentur mihi Coclæi, Eccij, & alia id genus monstra potius quàm homines, hanc causam multò dexterius (si quid dextri in mala causa esse potest) tractasse, ut tolerabilius sibi cōsuluissent isti hypocritæ, si aliquod scriptum Eccij aut Coclæi denuò sub incudem reuocassent, quàm quòd Asotum in lucem produxerunt.

Cùm igitur Asotus in hoc suo scripto contumelioſus sit non solum in sacram Scripturam, quam subijcit Traditionibus non scriptis, & Pontificum decretis, hoc est, humanis, maxima ex parte somnijs, uerumetiam in filium Dei, cuius gloriam & maiestatem communicat cum sculptilibus humanorū operum, ac nunc huc nunc illuc, quasi uento agitatus, inconstanter circumferatur, nō est nobis metuendū, ne Tua Celsitudo, Illustrissime Princeps, sinat se uociferationibus huius ignoti fraterculi (sic enim se ipse uocat) à cognitiōe uerè pię doctrinę, hoc est, ab officio Christiani Principis depelli. Non. n. dubito, quin aduersus tales excetras pietas animi tui, propicio Deo, ita sit munita, ut nostro anti-

doto haudquaquâm indigeat. Et quia sordes illæ Sophisticę & Monasticæ, quas Asotus Confessioni Tuæ Celsitudinis illeuit, iamdudum à nostris, autoritate diuini uerbi ita conculcatæ & protritæ sunt, ut mirer qua fronte illi audeant eas adhuc orbi inspectandas obtrudere, superuacaneum fortassis uidebitur operam ad eas refutandas sumere. Visum tamen est defensionem suscipere, partim, ut nouæ præstigiæ, quibus Asotus ueteres impietates pingit, discutiantur: partim, ut hac occasione loca sacræ Scripturæ, quæ Asotus deprauat, suæ genuinæ sententiæ restituantur. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi gubernet Spiritu sancto suo hoc institutum, ut gloriæ nominis eius, & utilitati ueræ eius Ecclesiæ seruiat.

Tuæ Celsitudinis
obseruantissimus
Ioannes Brentius.

ΠΡΟΛΕ-

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

ASOTVS, sordibus suis piam Principis Confessionem commaculaturus, primum, & postremum omnium hoc agit, ut depellat Principes, quos uocant, Seculares & Laicos, à cognitione & Iudicio de controuersia, quæ est de doctrina Religionis, & conferat potestatem Iudicandi in solos suos, si Deo placet, Ecclesiasticos Prælatos. Ac palàm præferre audet Traditiones non scriptas, autoritati sacræ Scripturæ: & nusquam ferè non iactat Catholicæ Ecclesiæ nomen. Etsi autem hæc capita, sua habent loca in Principis pia Confessione, tamen, quia uniuersum scriptũ Asoti ad hęc sese refert, & eò intuetur, uisum est ea initio huius Apologiæ copiosius explicare, ut minori deinceps negocio, & breuiori sermone, ea, quæ Asotus sparsim inculcauit, refutentur.

De officio Principum secularium in Ecclesia Christi Filij Dei.

PRincipes Scytharum, occupati bello Asiano, abfuerunt aliquot annis à coniugibus & liberis. Et cùm ad patriam reuerterentur, excipiuntur domi non minori periculo à seruis, quàm antea ab hostibus excepti fuerant. Serui enim, quibus uxores absentium Principum nupserant, reuersos cum uictoria dominos, uelut aduenas armati finibus prohibent. Itaq; commissa pugna, cùm Principes uiderentur inferiores, consilium ineunt, se aduersus seruos suos, non armis, non ferro, sed uirgis, flagellis, ac alijs ad incutiendum seruis metum idoneis instrumentis usuros. Ac res fœliciter cecidisse fertur. Postquàm enim serui, iterum cum dominis congressi, uidissent uerbera, adeo perturbati sunt, ut qui armis non poterant, metu uerberum uincerentur, & fugam, non ut hostes uicti, sed ut fugitiui serui capesserent. Metuendum exemplum: Sed quod Principibus Tyrijs, à suis ipsorum seruis contigit, horribile. Tyrij enim, cùm Persarum bellis diu uariéque fatigati essent, reportarunt quidem uictoriam, sed à seruis domi opprimuntur. Nam, cùm serui, quorum magna erat multitudo, uiderent paucos Principes è bellis superesse, trucidant, conspiratione facta, omnem unà cum Principibus liberum populum: Atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, rempub. inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Sed hæc seruorum in dominos crudelitas & insolentia non mansit perpetuò inulta. Reliquiæ enim, & posteri eorum, crucibus suffixi, magno documento sunt, quid sit seditiosis seruis extimescendum. Mireberis fortasse, quid sibi in hoc loco recitatio harum seu uerarum, seu uerisimilium historiarum uelit. Sed si quid durius in Prælatos (maluit enim Asotus hoc, quàm Episcopi nomine uti, ne ab hoc choro suos Monachos excluderet) dici uidetur, Asoto imputandum erit. Nam si quis conferat inter se Ecclesiam Filij DEI, & Prælatos Ecclesiæ, an non Ecclesia, domina est, Prælati autem Ministri & serui Ecclesiæ?

Paulus de se & alijs Apostolis ait: Quis est Paulus? quis Apollo? nisi Ministri, per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit? Ac rursus: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: Omnia, inquam, uestra sunt, Vos autem Christi, Christus autem Dei. Et iterum: Non prædicamus nos ipsos, Sed Christum Iesum Dominum, Nos autem SERVOS uestros, propter Iesum. Etsi enim Apostoli habent certum & publicum testimonium Spiritus sancti de cœlo, quòd doctrina eorum sit cœleste oraculum, cui etiam Angeli cedere debeant, tamen Paulus subijcit eos Ecclesiæ, & facit Ecclesiam dominam, non quidem talem, qualem Asotica sentina, sed reuerentem Domini & sponsi sui Christi Filij Dei, Apostolos autem seruos eius. Quod officium Paulus ipse, & collega eius Petrus tam probè agnouerunt, ut hic grauiter cohortetur suos Sympresbyteros, ne dominationem aduersus Cleros, hoc est, hæreditatem Domini, quæ est Ecclesia, exerceant: ille autem ingenuè fateatur, quòd cùm ab omnibus liber esset, fecerit se ipse seruum omnium, ut plures lucrifaceret. Quòd si Spiritus sanctus palàm pronunciat, Apostolos non esse Dominos, sed Seruos ueræ Ecclesiæ, quanto magis intelligit proximos eorum successores esse Ecclesiæ seruos, qui etsi doctrinam Apostolorum Ecclesiæ administrarunt, tamen non sunt præditi eadem, qua Apostoli, autoritate. Descēdamus autem ad eos, qui uel paulò ante nostram memoriam fuerunt, uel hisce temporibus Ecclesiam administrare uidentur, & consecuti etiam sunt partim Principum pietate, partim eorum conniuentia aut socordia, partim suo ipsorum astu & impostura, potentiam mundanam: Hos Asotus Prælatos uocat. Qui cùm nec honestate uitæ, nec puritate doctrinæ cum maioribus, quorum se Successores gloriantur, conferri possunt, Sed potius Ecclesiam Dei pessimis quibusq; exemplis offendunt, ac uerè piam Apostolorum doctrinam crudeliter persequuntur, audet tamen eos Asotus, in summo Ecclesiæ gradu ita collocare, ut seculares Principes, & qui sub his sunt Laici, non uideantur tantum Scabella pedum eorum, uerumetiam, si susceperint uel confitendam ueram suam fidem, uel refutandam aliorum impietatem, quod est cuiusuis pij officium, continuò audiant à uenerabilibus scilicet Prælatis illis & Vicarijs Christi: Vade post me Satana. Scandalum mihi es. Non enim sapis quæ Dei sunt. Ac alij quidem honestius de Principibus sentiunt. Admunt eis in cognitione doctrinæ de Religione, Vocem, ut ipsi loquuntur, decisiuam, seu definitiuam, Sed relinquunt eis uocem consultiuam. Asotus autem de summo gradu ita eos deijcit, ut si extenderint manum suam ad succurrendum ruenti & iam casuræ Ecclesiæ, abigat eos à subselijs, grauissimis uerborum contumelijs laceratos, & tanquam Satanam, ad æternum barathrū detrudat. Quid enim aliud sibi uult uox illa, haudquaquam in suo loco usurpata: Vade post me Satana? Itaq; cùm solis suis Prælatis potestatem iudicandi & decernendi de doctrina Religionis uendicat, non alio loco Principes, quantumcunq; pios & doctos habet, quàm quo uetus Apologus asinū, de quo dicitur: ὄνῳ τις μῦθον ἐλεγεν, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἔκινε. Et extat etiam alias horum leonum rugitus: Penes nos est Mandandi autoritas, penes alios autem obediendi necessitas. Quid, obsecro, est seruorum aduersus Dominos, & Ministrorum aduersus Ecclesiam seditio, si hæc non est? Paulus agnoscit se & collegas suos, Seruos Ecclesiæ, cuius Principes ueræ pietatis studiosi, præcipua pars sunt: & illa mancipia,

pia, tanto inferiora Apostolis, quantum terra distat à cœlo, non uerentur se supra pios Principes, hoc est, præcipuam ueræ Ecclesiæ partem, ita efferre, ut existiment eos indignos, quibus cum de Religionis doctrina colloquantur, sed repellant eos summa contumelia, Vade, inquientes, post me Satana. Hæc mancipiorum petulantia & insolentia, ne in priuata quidem domo, nedum in Ecclesia filij Dei ferenda est. Quare ostendemus diuina clementia adiuti, quòd non ad Prælatos illos tantum, imò ne quidem ulla ex parte ad ipsos, quippe qui iam non sint Ecclesiæ membra, sed præcipuè ad pios Principes, & ad eos, qui tam ex Ministrorum Ecclesiæ numero, quàm ex reliquo hominum, qui doctrinam Christi agnoscunt, cœtu, in consilium adhibentur, pertineat de doctrina Religionis cognoscere & Iudicare, idq; non iuxta arbitriũ humanæ prudentiæ, sed iuxta oracula Spiritus sancti, quæ quantum ad æternam nostram salutem satis est, in libris, quos ita uocant, Canonicis sacræ Scripturæ continentur.

Primum omnium, negari non potest, quin Principes, qui Filium Dei, & Euangelion eius fide sua complectuntur, sint in populo Dei præcipua ueræ Ecclesiæ membra, quemadmodum paulò antè attigimus. Cùm enim uocem Christi audiunt, & sequuntur Christum, agnoscit uicissim Christus eos, oues suas, & dat eis æternam uitam. Nouit quidem Dominus, qui sint sui: quod autem ad nos attinet, Ecclesiam Dei eum cœtum iudicamus, qui Baptismo in nomine Christi, & auditu Euangelij Christi sanctificatus est, ut Christum, unicum suum seruatorem agnoscat, & profiteatur. Corde (inquit Paulus) creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et cùm Psalmus ait: Ego dixi, dij estis, docet Christus eos dici deos, ad quos sermo Dei factus est. Quòd si Paulus uocat Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, ac etiam priuatorum hominum familias, quæ Euangelion Christi agnoscunt, Ecclesiam Dei, quomodo non etiam populorum Principes, qui Euangelion Christi fide sua amplectuntur, in Ecclesia Dei comprehenderet? Etsi enim aliâs dicit, non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos claro genere natos, à Deo electos, aliquos tamen esse electos palàm significat: & qui sunt electi, tanto illustriores sunt in Ecclesia, quanto admirabilius electio eorum constat. Non solum autem ad uniuersam Ecclesiam Dei, & ad eum cœtum, qui in nomine Christi publica autoritate conuenit, uerumetiam ad unumquemuis hominem priuatum, qui est Ecclesiæ membrum, pertinet de doctrina Religionis iudicare, & ueram à falsa internoscere.

Cauete (inquit Christus) uobis à Pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Hoc non solum ad Apostolos, sed etiam ad reliquos discipulos, hoc est, ad uniuersam Ecclesiam, & ad singula eius membra dictum est. Cuiuscunque quisque ordinis fuerit, necesse habet, quoquo modo potest, sibi à Pseudoprophetis cauere. Ac præsertim Principum officium est, ne dent ullum locum Pseudoprophetis, ac impijs doctoribus in Ecclesijs suarum regionum. Quomodo autem cauebunt sibi à Pseudoprophetis, quo modo impios doctores à suis regionibus prohibebunt, si non iudicauerint, ac cognouerint, qui uerè sint Pseudoprophetæ, & impij Doctores? Hic remittit Principes Asotus ad iudicium suorum Prælatorum. Scilicet uetus Pontificum uox est: Si non esset hic malefactor, tibi non

tradidissemus eum. Hoc igitur exigis, ut Principes, Prælatorum Iudicio, sine Iudicio credant? Id etiam Ethnico præsidi turpe, & honesto uiro indignum uisum est. Cicero aliàs dicit: Maioribus, etiam nulla ratione reddita, credendum esse. Sed hæc uox iamdudum ad suum autorem reiecta est. Nobis enim, quibus cœleste oraculum, de Filio Dei dicit: HVNC audite. Et, de Apostolico, ac diuinis miraculis confirmato Euangelio, Si nos aut Angelus de cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod accepistis, Anathema sit, nullo modo licitum est, in causa æternæ salutis, alienæ sententiæ ita inhærere, ut eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur. Paulus urget, ut pro anathemate habeamus, si uel Apostolus, uel Angelus quispiam aliud Euangelion prædicauerit. Ac eo ipso exigit, ut diligenti iudicio expendatur, utrum Apostoli aut Angeli prædicatio, conueniat, an pugnet cum Euangelio, quod antè prædicatum, & diuinitùs confirmatum est. Quomodo ergo non exigeret, ut decreta & statuta Prælatorum, qui non iam dicam, qualem ducant uitam, sed qui, ut homines, in explicanda Ecclesiæ doctrina fallere possunt, & falli, ac sæpenumerò fefellerunt & falsi sunt, summo quisq; studio iudicet, num uel anathemate uel obseruatione digna sint? Nam quòd dicunt, Spiritum sanctum non permissurum, ut Prælati errent, quale sit, copiosè aliàs expositum est, & suo loco iterum, propicio Deo, tractabitur. Redeamus nunc ad pios Principes, quos Asotus è suo gradu, ad quem Spiritus sanctus eos deducit, turpiter exturbare conatur. Dauid Psalmo centesimo trigesimo nono dicit: Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, Inimici facti sunt mihi. Rex suo ipsius exemplo significat hoc esse uerè officium Regum & Principum, ut impiam doctrinam ex animo detestentur, & crudeles hypocritas, qui sunt uiri sanguinum, seueriter persequantur. Sed quomodo poterit Princeps impiam doctrinam detestari, & uiros sanguinum odisse, nisi antè cognouerit & iudicauerit, quæ doctrina sit impia, & qui sint uiri sanguinum? Fortassis hoc uult Asotus, ut Princeps sedeat tanquam truncus, aut det tantum operam cognoscendis Politicis causis, interea autem reiiciat Iudicium de doctrina uerè pia ad nescio quos Prælatos, aut hæreticæ prauitatis, ut ipsi loquuntur, Inquisitores.

Ioannes Euangelista scribens ad maiores & minores natu: Nolite (inquit) credere cuiuis spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Et addit causam: Quoniam multi Pseudoprophetę exierunt in mundum. Hoc præceptum pertinet, cùm ad singulos, ut cognoscant & iudicent, quam doctrinam probare, quam refutare, tum præcipuè ad Principes, ut sciant quam doctrinam in populo suo tueri, quam profligare debeant. Cùm autem Asotus postea suscipit hunc locum Ioannis excutiendum, negare non potest, quin sit generale præceptum, Sed addit tantum: Quando demùm erit finis probandi? Et: Hæc probatio facta est iam in cõcilio. Quid? Hoccine est scripturam catholicè explicare? Quærit, quando finis erit probandi? Respondemus. Tunc finis erit, cùm Spiritus sanctus certificauerit nos de uera sententia. Et cùm impletur in nobis, quod Paulus dicit: Instructi in caritate, in omnes diuitias Plerophoriæ intellectus, ad cognoscendum mysterium Dei Patris & Christi. Quòd si autem probatio iam facta est in Concilio, quid est, quòd priora Concilia posterioribus emendantur? Et quid opus est Conciliis posterioribus, si omnia sunt iam probata? An non Ioannes, cùm ait: Nolite cuiuis spiritui credere, hoc etiam

spectat,

spectat, ne cuiuis Concilio credamus, sed Concilia ipsa quoq; probemus?

In Actis Apostolicis Paulus & Silas ingrediuntur Berrhœæ in Synagogam Iudæorum. Et additur, eos, qui summo genere nati erant, recepisse sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie SCRVTANTES SCRIPTVRAS, an hæc ita se haberent. Principes Iudæorum Berrhœæ probant & exigunt ad Scripturas sacras spiritum tantorum Apostolorum, & Asotus prohibet nostris Principibus, ne Conciliorum Spiritum ad normam sacræ Scripturæ exigant? Quæ hæc est impudentia? Scilicet, quia in Lege Mosi scriptum est, difficilia & ambigua referenda esse ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui qui fuerit illo tempore. Et qui non obedierit imperio Sacerdotis, ex decreto Iudicis moriatur, idcirco spiritus Conciliorum non sunt probandi, num sint ex Deo? Idcirco omnia Decreta Romani Pontificis agnoscenda sunt, sine ullo uel priuatorum, uel Principum iudicio, pro oraculis Spiritus sancti? Hic certè iustificat Asotus Concilium Caiaphæ & Annæ, ac omnes eos, qui iuxta sententiam eorum, Filium DEI crucifixerunt, damnat autem Ioseph um & Nicodemum, quòd non consenserint in sententiam Caiaphæ, ac reliquos omnes, qui impietatem & crudelitatem eius Concilij improbarunt. An non Caiaphas erat Summus Sacerdos? An non Concilium erat autoritate Caiaphæ, hoc est, legitimè, ut Asotici sentiunt, congregatum? An non Caiaphas & Concilium definierunt Filium Dei blasphemasse, ac reum mortis esse? Dicamus igitur, iuxta uerba Legis: Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, (Hic tum erat Caiaphas) ex decreto Iudicis moriatur. Moriantur ergo Ioseph & Nicodemus, Moriantur Ioannes & Maria, Moriantur Apostoli omnes, quorum nomine Petrus & Ioannes Concilio respondent: An iustum sit in conspectu Dei uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Et: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Sed ualeat Asotica cæcitas. Quam legem Asotus ex Deuteronomio citat, partim est Cærimonialis, partim Moralis. Neque enim talis lex est, cui κατὰ τὸ ῥητὸν & singulas circumstantias, omnes aliæ respub. sunt obnoxiæ. Et diserte additur: Quodcunq; docuerint te iuxta Legem Domini. Iuxta Legem (inquit) Domini, non iuxta proprium arbitrium. Nec solis Sacerdotibus permittit iudicium, Sed adiungit ei Iudicem, qui certè non semper erat è Tribu Leui, ut testatur liber Iudicum. Nec Reges qui secuti sunt Iudæos, ante Babylonicum exilium, ex ea tribu genus suum ducebant, ut perspicuè uideas, Principes, quos isti uocant Laicos, non habere tantum uocem consultiuam, uerumetiam definitiuam. Et cùm hæc Cærimonialis constitutio cogat tam Pontificem, quàm Iudicem intra limites Legis Domini, ac definit eis certam regulam quam sequantur, dubium non est, quin concedat reo grauato libertatem Iudicandi & definiendi, num de causa ipsius pronunciatum sit iuxta Legem Domini. Ac si quidem persuaserit, diuina adiutus clementia, Iudices, ut sententiam aduersus Legem Dei latam, retractent, reportabit non tantum suam, sed etiam lucrabitur Iudicum animam. Si uerò non persuaserit, opprimetur quidem, & occidetur, sicut Naboth Iesreelita, sicut Christus & Stephanus, Dominus autem uidet & Iudicabit.

Quid pluribus opus? Cùm Psalmus dicat: Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt uerba oris tui. Et Christus:

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui est in cœlis, perspicuum est, quòd ut priuatus, priuatam, ita Princeps publicam habeat de doctrina Religionis potestatem iudicandi & decidendi. Nemo enim potest ex uera & certa fide, idq; periculo omnium rerum suarum terrenarũ confiteri Christum Filium Dei, & Euangelion eius, coram hominibus, nisi antè cognouerit Christum, & statuerit Euangelion, quod sequitur, esse uerum ac certum Euangelion Christi. Et quid sibi grauissima illa cohortatio Christi, Omitte illos, duces sunt cæci cæcorum: Quòd si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent, aliud uult, quàm ut summa cura & studio caueamus, ne cæcum ducem sequamur? Quare hic est limes, hic est gradus Principum, ut curent doctrinam non tantum Politicæ honestatis, uerumetiam spiritualis Religionis ac pietatis. Et uanissimum est, quod Asotus nunc hîc nunc illîc in scripto suo balbutit, Principes & populos nec posse nec ualere nec debere dissensionem hanc, circa fidem, ut ipse loquitur, definire.

Nam quòd Asotus conatur Principes exemplo Vziæ Regis Iudæ, à suscipienda cognitione & iudicio de doctrina Religionis deterrere, mirabor, si unquàm seriò locum illum scripturæ inspexit, & de uero discrimine uocationum cogitauit. Aliud enim est legitimam uocationem, uerbo Dei confirmatam, sequi, Aliud illegitimam uocationem, contra manifestum uerbum Dei, sua temeritate usurpare. In lege Mosi manifestum erat discrimen tribuum Israeliticarum. Et regnum quidem pertinebat ordinariè ad tribum Iudæ. Sacerdotium autem ad tribum Leui, & familiam Aheronis. Ac de adolendo sacro Thymiamate diserte dictum erat: Ne quis alienigena, & qui non est de semine Aheronis, accedat ad offerendum incensum Domino. Quod uerbum confirmatum erat horribili supplicio Choræ & aliorum sedicioforum. Cùm igitur Rex Vzias, qui non erat de tribu Aheronis, usurparet sibi officium adolendi thymiamatis, contra manifestam ordinationem Dei, non iniuria contaminatur diuinitùs lepra. Et tamen audet Asotus impudenter & mendaciter scribere, Vziam diuino cultui nihil detraxisse. An hoc non est diuino cultui detrahere, manifestè & apertè uerbum Dei uiolare, & quod sibi diuina ordinatione prohibitum est, usurpare? Cognoscere autem doctrinam ueræ Religionis, & iudicare in controuersia, de uarijs sententijs partium in doctrina uerbi Dei, non est solius familiæ Aheronis, sed cuiusuis pij hominis in populo Dei, ac præcipuè Regum & Principum, illius quidem, ut priuati, nisi fortè & ipse ad publicas deliberationes adhibeatur, horum autem, ut publici Magistratus, quorum interest curare, ne populus falsa Religionis doctrina seducatur. Lex Mosi armat manus cuiusuis, etiam priuati hominis, aduersus eum, qui suadet idolatriam sectandam. Si tibi, inquit, uoluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, uel filia, uel uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu & Patres tui cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta uel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, Non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum, sed STATIM INTERFICIES. Sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manũ. Qui iubet quemuis, etiam priuatum hominẽ in Ecclesia populi Dei tam seueriter animaduertere in suasorẽ Idolatriæ, an nõ eadem

seueritate

ſeueritate exigit, ut de Idolatria iudicet, ac alienos deos à uero Deo diligenter diſcernat? Quòd ſi maiores noſtri exercuiſſent ſeueritatem huius Legis aduerſum eos, qui primi, deſerta doctrina Prophetica & Apoſtolica, introduxerunt in Eccleſiam filij Dei, noua & aliena ſacra, quæ ignorauerunt Patres noſtri, nouas & impias ſectas Monaſticas, quas deteſtatur uerbum Dei, nouam & Ariſtotelicam doctrinam Religionis, quam abominatur Euangelion Chriſti, non dubitamus, quin rectius ſeſe haberent res Chriſtianorum, & tranquillior eſſet Eccleſia filij Dei. Sed ad inſtitutum. Docete, inquit Lex, filios ueſtros, ut illa, (uidelicet Legis uerba) meditentur. Num ſoli hi, qui ſunt de familia Aheronis debent docere filios ſuos? Certè hæc Lex ad omnes Iſraelitas pertinet. Quomodo autem docebunt, ſi non antè cognouerint & iudicauerint, num quæ ipſis docenda proponuntur, ſint uerè uerba Legis? Num patresfamilias docebunt pueros ſuos, ſi quę Pſeudoprophetę, Phariſęi & Scribæ ſua ipſorũ ſomnia pro uerbis Dei docenda obtrudunt? Hîc certè Iudicio opus eſt, ac præſertim Principum, ut ſciant, quam doctrinam, & priuatim ad ſuam ipſorum æternam ſalutem ſequi, & publicè in populo Dei tueri debeant. Nec Dauid, nec Salomon, nec Ioſaphat, nec Ezechias, nec Ioſias erant de familia Aheronis, ideoq; non ſuſceperunt adolenda thymiamata. Quid ergo? Num idcircò nec Iudicauerunt de doctrina Religionis, nec docuerũt pietatem, nec abrogarunt impietatem? Quantus, obſecro, eſt Dauid in docenda pietate, & conſtituendis ſacris? Extant etiam libri Salomonis, inter quos Eccleſiaſtes hoc nomine inſignitus eſt, quòd Salomon fuerit Eccleſiæ Dei concionator. Ioſaphat abſtulit excelſa & lucos de Iuda, & reformauit, miſsis in urbes Regni ſui, non ſacerdotibus tantũ, ſed etiam Principibus ſuis, Eccleſiam Dei. Ezechias tanto fuit ardore in abolendis impijs ſacris, & inſtaurando legitimo cultu Dei, ut non ſolum abijceret altare Damaſcenum, quod ſummus Pontifex Vrias, ex uoluntate regis Achaz impiè inſtituerat, uerumetiam contunderet, & confringeret ſerpentem æneum, quem fecerat quidem Moſes, & cuius aſpectu multi in deſerto ſanati fuerant. Vtebantur autem eo Iſraelitæ ad ſuperſtitionem & impietatem. Quantam uerò operam in inſtauranda uera Religione in Iſrael nauauerit Ioſias, malo præterire ſilentio, quàm pauca tantum dicere. Et hos omnes, Aſotus, cùm deterret Principes, exemplo Vſiæ, à ſuſcipienda cura inſtaurandæ Eccleſiæ, & ab inquirenda, cognoſcenda, & Iudicanda controuerſia, quæ de Religionis doctrina exorta eſt, damnat temeritatis, & iudicat eos lepra dignos.

Sed ſi diligenter intuemur præcipuam cauſam eius Legis, quam Vſias uiolauit, & quæ iubet ſacerdotes tantum Aheronicos adolere ſacrum thymiama, perſpicuum erit, quòd non Principes, quibus inſtauratio piæ doctrinæ curæ eſt, ſed Sorbonici & Aſotici Phariſæi illi ipſi ſunt, qui eam Legẽ temerè & impiè perrumpunt. Adolere enim thymiama ſignificat placationẽ cœleſtis irę. Ac uoluit Spiritus ſanctus, ut ſoli Aheronici Sacerdotes thymiama adolerent, quo ſignificaretur, ſolum Ieſum Chriſtum filium Dei, cuius illi umbra fuerunt, ſolo ſuo thymiamate, ſola ſua interceſſione, paſsione & morte placare iram Dei Patris, & reconciliare ei humanum genus. Sorbonici autem & Aſotici tribuunt hanc maieſtatem & uirtutem, non ſoli perſonæ Chriſti, ſed etiam operibus aliorum hominum: nec tantum ijs operibus, quæ fiunt ex præſcripto uerbi Dei, uerumetiam ijs, quæ ipſi ſomniant, & ad gloriam Dei illuſtrandam, ſuo ipſorum ar-

bitrio excogitant. Etsi enim nugantur opera habere hanc uirtutem non ex se, sed ex gratia, tamen antea demonstratũ est, quòd impietas & idolatria sit, Creaturæ tribuere, quod soli diuinæ maiestati, & soli personæ Christi conuenit. Quare manifestũ est, quòd Sorbonici & Asotici, Legem de adolendo thymiamate ita perfringunt, ut digni sint nõ corporali tantum lepra, sicut Vsias, uerumetiam æterna ignis gehenna, quod sanè supplicium, nisi resipiscant, proculdubiò euadere non possunt. Adducit Asotus etiam exemplum Osæ, qui attingendo & sustentando Arcam ruituram oppressus est. Hoc loco non possum satis mirari effrontem Asoti impudentiam, quòd non uereatur luculentum mendacium aduersus sacram Scripturam dicere. Textus Scripturæ sic habet: Iratus est Dominus indignatione cõtra Osam, & percussit eum super TEMERITATE. Super TEMERITATE, inquit. Asotus autem ita sibi scribere permisit: Exemplum Osæ deterrere debet eo uehementius, quo simplicius ille, & præter omnem temeritatem, manum admouere sibi licere credidit. Scriptura dicit: Osam punitum propter Temeritatem. Asotus autem, Præter omnem Temeritatem. Quid sibi, obsecro, uult hæc uel oscitantia, uel mentiendi libido? Sed non mirum hoc accidere ijs, qui non Scripturam sacram, sed Traditiones pro certissimo fidei fundamento habent. Porrò, Asotus, nisi reijciat bellam illam ac Prælatis suis iucundissimam interpretationem, quam Pontificius Canon in hunc locum Scripturæ affert, certè hoc sibi uult, quòd Arca significet Prælatos, Osa autem Subditos, qui non debeant Prælatos, ne peccantes quidem, reprehendere. Nec obscurè significat, se hoc exemplo accusare Principes temeritatis, & iudicare eos extremo supplicio dignos, quòd suscipiant sustentandam ruentem Ecclesiam. Soli enim Prælati eius, Heroes illi & Atlantes sunt, qui nisi hactenus cœlum sustentassent, & adhuc sustinerent, iamdudum horribiliter corruisset, ac nos miseros oppressisset.

Sed ut respondeamus, manifestum quidem est, quòd Osa tangendo Arcam percussus sit à Domino propter temeritatem. De peccato autem temeritatis alij aliter sentiunt. Sunt, qui dicunt præcedens aliquod peccatum Osæ hoc casu punitum. Alij scribunt eum non fuisse de genere Aheronico. Peccasse igitur, quòd contra uocationem tetigerit Arcam. Hieronymus dicit peccatum fuisse in non portando, in sustinendo autem Arcam, peccati pœnam. Pontificij uerò glossatores rem acu tangunt. Dicunt enim Osam percussum, quòd ea nocte non se abstinuerat ab uxoris amplexu. Sed hoc utcunque se habeat, certè Arca non erat imponenda plaustro, sed gestanda humeris Leuitarum de familia Caath. Nec erat ab alio, præterquàm sacerdote, attingenda. Sic enim scriptura dicit: Intrabunt filij Caath ut portent inuoluta, & non tangant uasa Sanctuarij, ne moriantur. Et mox: Nolite perdere populum Caath de medio Leuitarum, sed hoc facite eis, ut uiuant & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Quod igitur Osa in attingenda ac sustentanda Arca fecit, præter officium, & contra manifestum uerbum Dei, ac legitimam suam uocationem fecit. Quod autem pij Principes, in instauranda pia doctrina, & curanda uera salute Ecclesiæ faciunt, ex suo officio, & uocatione DEI faciunt, quemadmodum antè pluribus demonstratum est. Ac profectò, si exemplum Osæ rectè explicetur, minatur non pijs Principibus, sed Asoticis Prælatis horrenda supplicia. Arca enim

Domini,

Domini, non significat Prælatos, ut nugantur Pontificij, sed significat Ecclesiam, in qua est propiciatorium, hoc est, Iesus Christus, Filius Dei, qui patefacit nobis per Euangelion suum diuina oracula, ut quisquis crediderit in ipsum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Asotici autem Prælati non gestant hanc arcam humeris suis, non explicant Ecclesiæ diuina oracula per Euangelion Christi, Sed reijciunt hoc oneris in noua plaustra, in nouas sectas Sacrificulorum & Monachorum, quorum hic conatus est, ut Ecclesiam sustentent sua, non diuina manu, hoc est, suis ipsorum figmentis, somnijs & traditionibus, non cœlesti doctrina. Nihil ergo aliud reliquum est, quàm ut Prælati unà cum Asotis suis, si impœnitentes manserint, ab arca opprimantur, & in æternum barathrum detrudantur. Iuxta illud: Qui ceciderit super lapidem illum, confringetur. Super quem uerò ceciderit, conteret eum.

Cæterùm, quòd Asotus hortatur, ut suum quisque officium in Ecclesiæ ruina faciat, neque efferat manum ultra proprias metas, Et addit Ecclesiam esse ordinatissimam, huc respicere uidetur, quòd Ecclesia non indigeat Principum officio ad sustentandam Ecclesiam, præsertim in cognoscenda & Iudicanda Ecclesiæ doctrina, Sed hac in parte sufficiant Prælati, qui sint Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, Pastorum, & Doctorum, quorum mentionem Paulus facit, successores. Agnoscimus quidem, Ecclesiam esse in summa Dei tutela, nec indigere humano præsidio, quippe quæ diuinitùs cõseruetur: ac non ignoramus Ecclesiam Apostolis, Prophetis, Euangelistis, & alijs id genus ministris à filio Dei donatam, ac ornatam, Sed Asoticos Prælatos esse, reiectis pijs Principibus, ueram Ecclesiam, & ueros Apostolorum ac aliorum, quos Paulus recenset, successores, quibus Ecclesia nitatur, hoc demùm tam alienum est à ueritate, quàm alienus est Asotus à uera pietate. Ac de successione quidem & de alijs, quæ ex altera parte in Asoticis scholijs adnotata sunt, paulò post, ne tibi, Asote, mora longa sit, copiosè.

Nunc de Principum gradu in Ecclesia, quem Asotus, post concionem de sobrietate sapientiæ, & diuersitate donationum, ex Deuteronomio describit. Ne enim uideatur Principes de omnibus gradibus deijcere, tribuit Prælatis suis summum in hac scala gradum, Principibus autem, infimum, imò & pauimentum, in quo stent unà cum hominum fece, & audiant, quid Apostolici illi, imò Cherubici & Seraphici Prælati de supremo gradu, tanquam de cœlo tonent. Audi iam (inquit) in Lege gradum, quem & Reges, & populi, & Sacerdotes ipsi erga doctrinam teneãt. Ecquis est ille Regis gradus & terminus? Postquàm (inquit) sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis huius, in uolumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus &c. Vix possum mihi persuadere, quòd hi, qui emiserunt in nos Asotum, hominem tam ineptum, rem seriam agant, sed potius nos ridere, & ludere uoluerint. Quid enim ineptius, quàm hunc locum Mosi, ad deijciendos Principes è gradu cognoscendæ ueritatis uerbi Dei, in medium producere? Primùm enim, si externas Regiæ consecrationis cærimonias consideraueris, Lex est, ut dici solet, Regio. Habet enim suam quódq; regnum consuetudinem, qua suos reges populo insignes reddat, & commendet. Nec mos Leuiticus aut Israeliticus, obtrudendus est alteri populo. Deinde, instituitur quidem ut Rex Israeliticus accipiat exemplar Deuteronomij à Sacerdotibus Leuitici generis, num autem

propterea ita subijcitur Sacerdotibus, ut in doctrina Religionis nõaliter hiscere audeat, q̃ Sacerdotes somniauerint? Augustinus uocat Iudæos, gentem Scriniariam Christianorum, quòd fuerint custodes sacrorum Bibliorũ, & quòd Christiani acceperint ab eis libros ueteris Testamenti inuiolatos. Qui adnunciat, inquit Psalmus, uerbum suum Iacob, iusticias & Iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et Paulus: Illis, inquit, commissa sunt oracula Dei. Et horũ sunt Testamenta, & Legis constitutio. Ac Spiritus sanctus, quod nobis, qui sumus ex Gentibus, non est contemnendũ, sic satis diligenter cauit, ut quæ sunt uerè Canonica Veteris & Noui Testamenti scripta, non ab alijs, præterquàm à Iudæis, ad reliquas gentes propagarẽtur, & eis quasi in manus traderentur. Dicemus ergo nunc, nos Iudæorum sententiæ & Interpretationi ita subiectos, ut necesse habeamus, quicquid Rabini eorum, sceleratũ & nefandum genus hominũ, nugati fuerint, pro uera scripturæ sententia & oraculo Spiritus sancti agnoscere? Ego, cùm uolo mihi sacra Biblia emere, uoco bibliopolã, & accipio è manibus eius librum. Hoc cùm uiderit Asotus, coget ne me deinceps sententiã libri è Bibliopola requirere, & ex eius arbitrio, in lectione libri pendere? Quis est hic furor? Huc accedit, quòd Moses nõ dicit: Describet sibi decreta seu somnia Sacerdotum, sed Deuteronomium legis Huius, hoc est, Diuinæ, quæ tradita erat Mosi à Deo, & de qua dictum est, Maledictus omnis, qui non permanet in sermonibus Legis huius. Et additur: Habebit secum, legetq; illud omnibus diebus uitæ suæ. Cur mandatur Regi, ut legat sacram scripturam, si ad eum non pertinet de Sententia eius cognoscere, & in controuersia, quid sequendum sit, iudicare? Sequitur ergo: Vt discat timere, (Non Sacrificulos & Pharisæos) Sed Dominum Deum suum. Et custodire uerba & sacra, Non quæ præscribunt Sacrificuli & Pharisæi, Sed quæ in Lege Dei præcepta sunt. Quid igit̃ dicemus? An non statim in eo loco sequitur: Nõ habebunt Sacerdotes & Leuitæ & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo populo Israel? Cùm ergo mandatur Regi, ut custodiat uerba Legis huius, ac Asotici Prælati occupârint iam magnam partem orbis Romani, non aliud reliquum esse uideo, iuxta Asoti sententiã, quàm cùm uult Reges & Principes esse discipulos huius legis, & custodire eam, auferant à Prælatis terrenas eorum ditiones, & redigant eos ad sua sacrificia & oblationes. Non hæc cõmemoro, quòd sentiam sua cuiquam esse auferenda, Sed ut demõstrem, quàm ineptum scriptorem Asotici Prælati in nos emiserint, qui cùm Prælatorum causam agere deberet, conijcit eos intempestiua sua loquacitate in periculũ amittendarum omnium suarum facultatum. Sed ad rem. Asotus iubet autoritate huius legis, Principem debere esse discipulum, non doctorem Legis. Ergo ne ex discipulo non debet fieri Doctor? An non magna pars eorum, qui dant operam literis in Academia, idcircò sunt discipuli, ut fiant Doctores, si non omnes publici, certè domestici, in sua quisque uocatione? Non dubium est, quin Dauid & Salomon fuerint cærimonijs huius Legis populo commendati & consecrati, & acceperint exemplar huius Legis à Leuiticis Sacerdotibus. Peccauit ergo, iuxta Asotum, Dauid magna temeritate, quòd non manserit semper discipulus sacrificulorum, sed factus sit Doctor eorum, & illustrauerit doctrina Psalmorum suorum uniuersam Ecclesiam Domini. Et quid tu, Dauid, homo Laice & profane, audes profiteri, Venite filij, audite me: Timorem Domini docebo uos?

uos? Et: Docebo iniquos uias tuas, & Impij ad te conuertentur? Peccauit & Salomon, quòd ausus sit gradum & limitem suum egredi, ac non tantum Prouerbia docere, & Ecclesiasten, hoc est, concionatorem seu doctorem in populo suo agere, uerumetiam nouum templum (ô detestandam temeritatem) consecrare. Hoc enim non est Regis, sed Sacerdotum officium. Quid Ezechias? An non & ipse his cærimonijs sanctificatus est ad accipiendum Regnum Israel? Et tamen audet unà cum Principibus suis præscribere Legatis, quid Israelitis concionari debeant, & dispensare de his, qui immundi uescebantur Paschate. Ne autem Asotus omnem honorem & dignitatem auferat à Regibus & Principibus, facit eos, autoritate Legis, quæ de ambiguis & difficilibus causis ad Sacerdotes referendis extat, Sacerdotum Apparitores, & Lictores. Hoc restat, inquit, Principi erga populum eius, Superbiam & Arrogantiam erga Dei ministros & Doctores legis compescere, atque seueritate Legum sententiam illorum exequi. De hac Lege, quæ cap. 17. Deut. scripta est, suprà nonnihil diximus, quare nunc breuiores erimus. Manifestum quidem est, quòd Principes gestent gladium, ad uindictam nocentium, ut Petrus ait, & ad laudem rectè agentium. Et: Dei minister est, inquit Paulus, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Sed uerba Legis huc torquere, quòd Principes debeant omnia Sacrificulorum uerba, pro oraculis Spiritus sancti agnoscere, & sine ullo suo Iudicio & cognitione, quos uolunt sacrificuli, opprimere ac interficere, hoc demùm est Spiritum sanctum insigni contumelia afficere. Quid enim? An non Lex adiungit Sacerdoti Iudicem? An non alligat sententiam eorum ad Legem Dei? Quodcunque (inquit) docuerint te iuxta Legem Domini. Quid si ergo Sacerdotes definirent aliquid contra Legem Domini? quid si hi, qui iactant se esse Dei ministros, & Legis doctores, Superbi ipsi & Arrogantes essent, ac nollent Legi Domini obedire? An tum non liceret Principi seueritate & gladio suo uti? Quid si summus Sacerdos fieret Pseudopropheta, & somniator, ac iuberet alienos deos sequi, haberetq; suæ sententiæ suffragatores, maximã partem sacrificulorum, an tum non liceret Principi, unà cum paucis reliquis, siue secularibus, ut uocant, siue spiritualibus, de impietate Sacerdotis, & suorum suffragatorum iudicare, & iuxta seueritatem Legum in eos animaduertere? Hic iam respondet nobis Asotus, quòd in Ecclesia (cuius Synagogam umbram fuisse ait, perinde ac si in ueteri Testamento non fuisset uera Ecclesia) non possit deesse legitima Sacerdotum successio, nec in illis doctrinæ ueritas, quippe quòd habeat promissionem sempiternæ præsentiæ Spiritus sancti. Etsi autẽ Cõfessio illustrissimi Principis, sua habet capita de Ecclesia, & de Concilijs, seu cœtu Prælatorũ Ecclesiæ, ut isti loquuntur, ac suo loco facile, propicio Deo, eluentur sordes, quibus Asotus ea aspersit, tamen quia Asotici mirum in modum sibi blandiuntur de ordinaria successione, qua sibi penè solis nomẽ Ecclesiæ uendicant, & de promissione præsentiæ Spiritus sancti, præ qua non tantum uulgum, uerumetiam pios quosq; Principes contemnunt & quasi ex alto despiciunt, necessarium uidetur, ut hoc loco paulò copiosius de hac re dicatur, quo sciant Asotici Prælati, se non, sicut sedibus, ita etiam pietati maiorum succedere. Recensent alicubi ordinem Episcoporum, quorum alter alteri in nonnullis locis iam inde ab Apostolis successit, & significant, se ideò Apostolorũ spiritu præditos, quòd sint in Apostolorũ sedibus collocati. Et omninò uetus illud Pontificũ & Sacerdotum, quod apud Hieremiam

extat, iactare solent: Non peribit Lex à Sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta. Quid igitur? Num, quia Vrias, summus Pontifex, qui obsecutus uoluntati Ahazi Regis Iuda, instituit in templo Dei altare Damascenum, (hoc est) impium & abominandum, successit generi, officio & dignitati Aheronis & Eleazari, idcirco dicemus eum eodem quoque Spiritu sancto præditum? Num quia Caiaphas & Annas succedunt pijs Pontificibus Ioiadæ & Zachariæ, quem Ioas rex lapidibus obrui iussit, gloriabuntur se cum suo cœtu Spiritum sanctum in manibus suis habere, & errare nõ posse? Num successio ordinaria collocat eos in certissima Spiritus sancti possessione?

Eli summus fuit Sacerdos & Iudex in Israel, & excitatus Spiritu sancto promisit Annæ Samuelem. Quid autem filij eius? Succedunt quidem generi & dignitati parentis, sed scriptura dicit: Filij Eli, filij Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum. Quid in donis Spiritus sancti, Samuele Leuita & Iudice, suis temporibus illustrius? Sed filij eius non ambulauerunt in uijs eius. Declinauerunt enim post auariciam, acceperunt munera, & peruerterunt Iudicium. Vbi ergo manet Spiritus sanctus in posteris, qui erat in Maioribus? Sed audiamus hac de re conciones Prophetarum.

Esaiæ 56. de Pontificibus & Sacrificulis ita dicit: Speculatores eius, omnes cæci sunt, omnes sunt ignari, Canes muti, non ualentes latrare: Videntes uana, dormientes & amantes somnia. Canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. An non hi successerant optimis ac pijssimis maioribus?

Hierem. 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimo eius?

Et iterum cap. 6. A Propheta usq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolũ. His ne tu Spiritum sanctum ita alligabis, ut quia ordinariè successerunt pijs maioribus, captiuum eum teneant?

Ac rursus cap. 23. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum. Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & nõ uisitastis eos. Et iterum: A Prophetis Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram.

Ezech. 22. Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, capiensque prædam, animas deuorauerunt, opes & precium acceperunt, uiduas eius multiplicauerunt in medio eius. Sacerdotes eius contempserunt Legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea. Quid? tu ne dices conuentum talium hominum gubernari à Spiritu sancto, quòd sint ordinarij piorum maiorum successores?

Apud Euangelistas, quod suprà meminimus, conueniunt Caiaphas, Annas & reliqui Pontifices atq; Sacerdotes, qui tenebant summũ locum & primas cathedras in populo Dei. Si huius conuentus externã speciem consideraueris, sunt ordinarij successores generis Aheronis, & aliorum optimorum Pontificum, ac uidentur uniuersalem Ecclesiam, ut isti loquuntur, repræsentare. Et tamen condemnant Christum filium Dei. Vbi ergo tunc erat Spiritus sanctus, si est ordinariæ successioni & cœtui Prælatorum alligatus?

Sed respondere solent, Hæc contigisse quidem in Iudæorum Pontificibus, Longè autem aliam esse rationem cœtus Pontificum seu Prælatorum

rum in Christianismo. Hic enim cœtus habet apertas promissiones præsentiæ Christi, & Spiritus sancti: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si duo aut tres convenerint in nomine meo, ego ero inter eos. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Sciamus igitur, quòd Pontifices & Sacrificuli, adeoq; universus populus Israeliticus, non minus habuerunt suas præsentiæ Dei promissiones, quàm nunc Ecclesia post divulgatum Evangelion filij Dei habet. Etsi enim quædam obscuriora erant ante adventum Christi in carne, tamen Veritas non defuit Ecclesiæ Israelitarum.

Gen. 17. Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generatiõibus suis fœdere sempiterno, ut sim DEVS TVVS, & SEMINIS TVI post te.

Levit. 26. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vósque eritis populus meus.

Num. 35. Ego sum Dominus, qui habito inter filios Israel.

3. Reg. 6. Habitabo in medio filiorum Israel, & non derelinquam populum meum Israel.

De Levi autem nominatim dicit Moses, idq; Spiritu sancto excitatus: Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servavuerunt, Iudicia tua, ô Iacob, & Legem tuam, ô Israel. Ponent Thymiama in furore tuo, & holocausta super altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe. Pone dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum non consurgant. Quid potest tam de universo populo Israel, quàm speciatim de tribu Levi, (hoc est) de Pontificibus & Levitis excellentius & divinius in suo genere dici? Vnde & apud Hieremiam de præsentia Dei vociferantur: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Profectò non aliter, quàm his temporibus clamant: Ecclesia, Ecclesia.

Deuter. 20. promittit Deus se fore in medio exercitus Israelis. Non timebis, inquit, eos, quia DOMINVS DEVS TVVS TECVM EST. Et mox: Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Quid hac promissione clarius? Et tamen, quoties sunt ab hostibus cæsi & oppressi? Dicemus igitur promissiones Dei esse vanas & irritas? Nullo modo. Sed ostendimus tales promissiones Dei, non pertinere ad incredulos, ad impios, ad sceleratos, inobedientes & impœnitentes, ut frustrà glorieris de successione & promissione, si non succedas pietati, & non accipias promissionem fide, atq; fidei obedientia.

Pharisæi, hypocritæ gloriabantur de genere Abrahæ, sed audiunt: Progenies viperarum, Ne sitis hac mente, ut dicatis intra vos ipsos, Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quòd possit Deus facere, ut ex lapidibus his filij surgant ipsi Abrahæ. An non ijs Pontificibus aut Prælatis, qui, cùm sint omni genere impietatis ac scelerum sordidati, jactant se ordinarios successores Apostolorum, ideoq; non posse ipsis Spiritum sanctũ deesse, totidem verbis respondeti potest ac debet: Progenies viperarum, Ne sitis hac mente, ut dicatis intra vos ipsos, Petrum aut Ioannem aut alium Apostolum habemus antecessorem. Dico enim vobis, q̃ possit Deus facere, ut ex lapidibus his, non ex electione Cardinalium, surgant Petro successores. Facite igitur fructus, qui deceant pœnitentiam,

Nam securis posita est ad radicem arborum. Quare omnis arbor siue Pharisaica, siue Pontificia, quę non facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur.

In Ioanne cap. 8. gloriantur Scribæ & Pharisæi, se esse semen Abrahæ. Et: Pater noster, inquiunt, Abraham est. Sed Filius ipse Dei reiçit eos. Si filij, inquit, Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Vos autem facitis opera uestri patris, qui est mendax & homicida. Quid manifestius dici potest, quàm quòd hi sint ueri successores Abrahæ, non qui generi, sed qui fidei & pietati succedunt? Non omnes, inquit Paulus, qui sunt ex Israel, sunt Israel: neq; quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, Sed per Isaac nominabitur tibi semen (hoc est) non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, uidelicet, qui credunt promissioni, recensentur in semen. Sicut aliàs dicit: Qui ex Fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Et: Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Quid ergo Asotes? Num Prælati tui, maiorem habebunt prærogatiuam, quàm filij Abrahæ? Hi non recensentur in ueros posteros Abrahæ, nisi sint ex fide Abrahæ, nisi in Christum, qui est semen Abrahæ, crediderint. Prælati autem recensebuntur in ueros posteros Apostolorum, ex electione tantum Carnalium & Canonicorum, etiamsi nec fide, nec operibus sectentur Apostolorum doctrinam? Carnalis generatio non facit uerum filium & nepotem Abrahæ, & Carnalis aut humana, & externa electio ac successio faceret uerum Filium Dei, & legitimum successorem Apostolorum? Apud Matthæum Petrus suo & suorum collegarum nomine confitetur ingenuè de Christo: Tu es, inquiens, Christus ille filius Dei uiuentis. Et audit uicissim: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Duo hìc obseruanda ueniunt. Alterum, quòd Petrus de Christo pie sensit, & confessus est. Alterum, quòd Caro & sanguis non reuelauit ei hanc fidei ueritatem, sed Pater cœlestis. Da igitur Prælatum, qui cùm sit à Carne & Sanguine, hoc est, à Cardinalibus aut Canonicis electus, & nec habeat ueram fidem in Christum, nec magna cura de Euangelio Christi afficiatur, sed potius crudeliter persequatur, num dices eum ideò uerum Petri successorem, & habere Spiritum sanctũ, quia est ordinariè electus, & in sede Petri collocatus?

Distin. 40. Non est. Sed uobis non potest esse ignotum, quod in uestris ipsorum Canonibus continetur: Non Sanctorum filij sunt, qui tenent loca Sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Et iterum: Nos, qui præsumus, non ex locorum uel generis dignitate, sed morũ nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate. Non omnes Episcopi, inquit Hieronymus, Episcopi. Attendis Petrum. Sed & Iudam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia. Et mox: Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Cornelius Centurio adhuc Ethnicus, dono Spiritus sancti mundatur. Presbyteros Daniel puer iudicat. Et aliàs: Auferet Dominus nomina uanæ gloriæ & admirationis. Sed & nomina Sacerdotum cum sacerdotibus, qui frustrà sibi applaudunt in Episcopali nomine, & in presbyterij dignitate & non in opere. Vnde signanter non ait: Et opera Sacerdotum cum sacerdotibus, Sed nomina, qui tantummodo falsa nomina præferunt dignitatum, & malis operibus sua nomina destruunt. Hactenus Hieronymus.

Si hæc est conditio Episcoporum & reliquorum Prælatorum, quis Spiritum

Spiritum sanctum in ipsos ita concluderet, ut non posset abesse? Sed Asotus bellam inuenit euasionem, quòd Tota quidem Ecclesia, non autem singula membra habeant certam promissionem præsentiæ Christi, & gubernationis Spiritus sancti. Quid hîc noui, imò quid blasphemi hîc auditur? Amabò te, existimas ne Asotum adhuc sana esse mente? Ecclesia habet promissionem præsentiæ Christi, & gubernationis Spiritus sancti, tota quidem, non autē singula eius membra? Cùm ergo Asotici Prælati conueniunt, necesse habet Christus iuxta promissionem suam præsto adesse, necesse habet & Spiritus sanctus eum conuentum gubernare, & quod decernunt est oraculum Spiritus sancti. Cùm autem iterum à se inuicem digrediuntur, & ad sua quisq; reuertuntur, digreditur etiam Spiritus sanctus, & reuertitur ad sinum Trinitatis suæ, ut ne plumam quidem apud Prælatos post se relinquat. Immanè, quantus hic est stupor? quantus furor? Toti Ecclesiæ præsens est Christus, non autem singulis membris eius? Tota Ecclesia gubernatur à Spiritu sancto, non autem singula membra eius? Ac siquidem sermo est de Ecclesia Asotica, certè nec Christus nec Spiritus sanctus præsto adest, uel toti uel singulis membris eius. Si autem sermo est de uera Ecclesia Christi, profectò sicut Christus adest toti, ita adest etiam singulis eius membris: Et sicut Spiritus sanctus gubernat totam, ita etiam gubernat singula eius membra. Si quis, inquit Paulus, Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et mox: Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Et aliàs: An nescitis, quòd membra uestra, membra sint Christi? Ac iterum: An nescitis, quod corpus uestrum templum est habitantis in uobis Spiritus sancti? Ac rursus: Quemadmodum corpus unum est, & membra habet multa, omnia uerò membra corporis unius, multa cùm sint, unum sunt corpus, Sic & Christus. Etenim per unum Spiritum omnes in unum corpus baptisati sumus. Quid potest manifestius dici, quàm quòd sicut se habet corpus humanum, in quo sunt diuersa membra, ita se habeat etiam corpus Christi, quod est Ecclesia? Et sicut in humano corpore anima gubernat non tantum totum corpus, sed etiam singula membra, nisi fortè scilicet manus, aut pedes, aut cor, aut stomachus destituantur uiribus animæ: ita & in corpore Christi, Spiritus gubernat totum corpus & singula eius membra. Et tamen audet Asotus tam impudenter dicere, Spiritum sanctum totam quidem Ecclesiam, non autem singula eius membra gubernare. Quid cum tali homine conferas, qui uidetur etiam sensu communi carere? Sed quia sæpè ac multùm obtrudit nobis Prælatos suos, perinde ac si non posset in eis ueritas doctrinæ deesse, & palàm collocat eos in loco Apostolorum, quòd sint scilicet filij (sed spurij) qui nobis pro patribus nati sint, audiamus quædam Veterum & Recentium autorum, præter ea, quæ suprà annotauimus, Testimonia de Prælatis Ecclesiæ, ut cognoscamus quàm securè quærendus sit apud eos Spiritus sanctus, & expectanda ab eis ueritas doctrinæ. *in cap. de Concilijs.*

GREGORIVS NAZIANZENVS
ad Procopium,

Ego, si dicendum est, quod res est, statui omnem Episcoporum Synodum fugere. Propterea q; non uiderim hactenus ullius Synodi utilem finem, aut in qua res malè se habentes, nō magis exacerbatæ, quàm curatæ fuerint. Ea enim est illis libido contendendi, & ambitio dominandi,

(absit autem, ne quis me existimet hæc odiosè magis quàm opportunè scribere) eaq; in disputando peruicatia, ut si quis iudicio cum illis agendum suscipiat, citius alterius cuiusdam malicię reus agatur, quàm quæ est illorum euincat & diluat.

Affirmat Nazianzenus, se deinceps non accessurum ad ullam Episcoporum Synodum. Quid ita? Partim quòd hactenus non uiderit aliquam Synodorum utilitatem: partim quòd Episcopi sint homines contentiosi & ambitiosi, & hoc tantum agant, non ut piam doctrinam adiuuent, sed ut ab aduersario uictoriam reportent. Quis ergo tali hominum cœtui Spiritum sanctum præesse iudicaret? aut quis doctrinæ ueritatem in eo requireret?

BASILIVS IN EPISTOLA AD EPISCOPOS Italiæ & Galliæ.

Euersa sunt pietatis dogmata, confusæ sunt pietatis Leges. Ambitio eorum, qui non timent Dominum, inuadit Ecclesiarum gubernationem. Nec patet ad primam Ecclesię sedem aditus, nisi per impietatem. Itaque qui grauius blasphemat, dignior est ad Episcopatum populi. Perijt autoritas Sacerdotalis. Desunt Pastores, qui eruditione gregem Domini pascant. Hactenus Basilius.

Teneri autem nec possum nec debeo, quin hoc loco commemorem, quod Nicephorus de Theophilo Episcopo Alexandrino, & collegis eius recitat. Synesius, inquit, tantum operæ nauauit Philosophiæ Platonicæ, & adeò ad summum eius peruenit fastigium, ut eum non solum Græci homines, uerumetiam Christiani sint admirati, qui de rebus nulla affectione infecti syncerè iudicant. Huic tanto uiro, qui præterea placidus & modestus esset, Theophilus Alexandrinus, ut salutarem susciperet regenerationem, persuasit. Posteà uerò etiam, ut idem Sacerdos ungeretur, cum eo egit. Atq; ille ad alia, quæ Christiani profitentur, promptum se & facilem præbuit. Platonicis autem sententijs seductus, resurrectionis doctrinam, primum minimè recepit, nefandam eam & detestandam iudicans. Et quamuis ea esset opinione, Ecclesia tamen, ut sacerdotij obiret munia, permisit. Hactenus Nicephorus. Etsi autem historia narrat hunc Synesium, Platonicum Philosophum, postquàm consecutus est sacerdotium, Resurrectionem mortuorum agnouisse, tamen quid turpius, quid magis detestandum de Episcopis & Sacerdotibus Ecclesiæ dici potest, quàm quòd non solum Baptismo Christi lauerint, uerumetiam Sacerdotio consecrauerint eum hominem, qui apertè, & nulla planè dissimulatione Resurrectionem mortuorum negaret? Qua fide, & quo fidei zelo, putas eos fuisse præditos, qui non solum in homine Baptismum suscepturo ad tantam impietatē conniuere, sed etiam ipsum ad suscipiendum Sacerdotium tantum non cogere potuerunt? Vbi hic Spiritus sanctus? Vbi hic certitudo cœlestis gratiæ in Successione? Eamus igitur, & glorietur ueritatem doctrinæ aut Spiritum sanctum non posse ordinariæ successioni deesse.

Narrat Socrates in Ecclesiast. histo. quòd Moses quispiā insignis pietate eremita ad Episcopatum Saracenæ gentis uocatus, detrectauerit grauj indignatione, consecrari à Lucio Episcopo Alexandrino. Hic enim Lucius, etsi profitebatur se rectam fidem sequi, tamen crudeliter sæuiebat in reliquos Episcopos, & Presbyteros. Et nos peteremus cōsecrationē seu Ordinationem, ab ijs, qui non tantum sunt segnicia crudeles, uerumetiam doctrina impij?

Sed

Sed fortaſsis dicet Aſotus, Græcæ quidem Eccleſiæ ſtatum fuiſſe longè omnium corruptiſsimum, non autem ſtatum Eccleſiæ Romanę. Audiamus igitur hominem Romanæ Eccleſiæ alumnum.

BERNARDVS SVPER CANTICA, SERM. 33.

Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latius, eò deſperatius, eóq; periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteret ſe foràs, & areſceret. Si uiolentus inimicus, abſcõderet ſe forſitan ab eo. Nunc uerò, quẽ eijciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici. Omnes neceſſarij, & omnes aduerſarij. Omnes domeſtici, & nulli pacifici. Omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedũt de bonis Domini, cui Domino honorẽ nõ deferunt. Inde is, quẽ quotidie uides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurũ in frenis, in ſellis & calcaribus, & plus Calcaria, q; Altaria fulgẽt. Inde ſplẽdidę menſę & cibis & cyphis. Inde comeſſationes & ebrietates. Inde citharа, & lyra, & tibia. Inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria. Inde referta marſupia. Pro huiuſmodi uolunt eſſe & ſunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negocio illi, quod perambulat in tenebris. Olim prædictũ eſt, & nunc tempus adimpletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſsima. Amara prius in nece martyrũ: amarior pòſt in conflictu hæreticorũ, Amariſsima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita inualuerunt, & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideò in pace amaritudo eius amariſsima.

ET IN SERM. DE CONVERSIONE PAVLI.

Videbatur iam ceſſaſſe perſecutionis tempus, ſed ut palàm factum eſt, nunq; deeſt perſecutio Chriſtiano, Sed neq; Chriſto. Et nũc quod grauius eſt, ipſi Chriſtum perſequunt, qui ab eo utiq; Chriſtiani dicuntur. Amici tui Deus, & proximi aduerſum te appropinquauerunt, & ſteterũt. Coniuraſſe uidet contra te uniuerſitas populi Chriſtiani, à minimo uſq; ad maximũ. A planta pedis uſq; ad uerticẽ non eſt ſanitas ulla. Egreſſa eſt iniquitas à ſeniorbus Iudicibus, Vicarijs tuis, qui uident regere populũ tuum. Non eſt iã dicere, Vt populus, ſic & Sacerdos, quia nec ſic populus ut ſacerdos. Heu heu Domine, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui uidentur in Eccleſia tua Primatũ diligere, gerere Principatũ. Et mox: Miſera eorũ conuerſatio, plebis tuæ miſerabilis eſt ſubuerſio. Atq; utinã hac ſola parte nocerent. Eſſet fortè, qui dominica præmonitus & præmunitus exhortatione daret operam, ipſorum non exempla imitari, ſed præcepta obſeruare. Iuxta illud: Quæ dicũt facite, & ad opera eorũ nolite reſpicere. Nunc autem dati ſunt ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtũ æſtimant pietatẽ. Ac iterum: Iniquè agunt & cæteri contra Chriſtum, multiq; ſunt noſtris temporibus Antichriſti. Hactenus Bernardus.

Quid igit nunc dicemus? An in tanta turpitudine ac fœditate, audebũt Aſotici Prælati adhuc de Ordinaria Succeſsiõe gloriari? An ſi Prælati conuenerint in Synodũ, relinquet aliquis Spiritui ſancto locus inter tot Chriſti inimicos, aduerſarios, & Antichriſti ſeruos? Nũ ueritas doctrinæ certò expectanda eſt ab ijs, q cùm Eccleſię primatũ habeant, primi ſunt in Eccleſiæ perſecutione? Quò, quæſo, Aſotus nos ablegat, cùm nos ad talium Prælatorum ſententiam tanquàm ad ſacram anchoram mittit?

Sed tales fortaſsis fuerunt Prælati temporibus tantummodo Bernardi. Audiamus igitur Prælatorum noſtri temporis elogia.

ADRIANVS PAPA, EIVS NOMINIS VI. IN INSTRVCTIONE
Legati ſui ad Comitia Norinbergen. Anno 1522

Dices, Nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc perſecutionẽ Eccleſiæ ſuæ inferre permittit propter peccata hominum, maximè Sacerdotũ, & Eccleſiæ Pręlatorũ. Et iterum: Clamant Scripturę, peccata populi deriuari à peccatis Sacerdotum, propterea{que}, ut ait Chryſoſtomus, Saluator noſter curaturus infirmã ciuitatẽ Hieruſalem, ingreſſus eſt prius templũ, ut peccata Sacerdotũ prius caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbũ à radice curat. Scimus in hac ſancta Sede aliquot iam annis Multa Abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & OMNIA deni{que} in peruerſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit. Omnes nos (id eſt, Prælati Eccleſiaſtici) declinauimus, unuſquiſ{que} in uias ſuas, nec fuit iamdiu, qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum.

Hæc ingenuè fatetur ſummus ipſe Pontifex, de uniuerſo ſuo ordine. Et hos proponit nobis Aſotus in Iudices cœleſtis doctrinæ, ad quos in extrema Eccleſiaſticarum rerum difficultate confugiamus. Sed audiamus de eadem re etiam Pontificis Pauli III. Cardinales.

EX CONSILIO DELECTORVM CARDINALIVM, ET ALIORVM
Prælatorum de emendanda Eccleſia ad Paulum eius nominis Tertium.

Quoniam Sanctitas tua ſpiritu Dei erudita, qui, ut inquit Auguſtinus, loquitur in corde, nullo uerborũ ſtrepitu, probè nouerat principium horum malorum inde fuiſſe, quòd nonnulli Pontifices prædeceſſores tui prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coaceruauerunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quod facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inueniretur ratio, qua liceret id, quod libet. Inde effectum eſt, præterquàm quòd principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficilimuſ{que} ſemper fuit aditus ueritatis ad aures Principum, quòd confeſtim prodirent Doct. qui docerent Pontificem eſſe dominũ beneficiorũ omnium, ac ideò, cùm dominus iure uendat, quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pontifices non poſſe cadere Simoniam, ita quòd Voluntas Pontificis, qualiſcun{que} ea fuerit, ſit Regula, qua eius operationes & actiones dirigãtur. Ex quo proculdubiò effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tanquàm ex equo Troiano, irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam grauiſsimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem ferè ſalutis laboraſſe, uel manaſſe harum rerum famam ad Infideles uſque, Credat Sanctitas ueſtra ſcientibus, qui ob hanc præcipuè cauſam, Chriſtianã Religionem derident adeò, ut per nos, PER NOS, inquimus, nomen Chriſti blaſphemetur inter gentes.

Et iterum.

Primus abuſus in hac parte eſt Ordinatio Clericorum, ac præſertim Presbyterorũ, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quòd paſsim quicun{que} ſunt imperitiſsimi, ſint uiliſsimo genere orti, ſint malis moribus ornati, ſint adoleſcentes, admittantur ad Sacros ordines, & maximè ad Presbyteratum, ad characterem, (inquam) Chriſtum maximè exprimentẽ. Hinc innumera ſcãdala, hinc contẽptus ordinis Eccleſiaſtici, hinc diuini cultus ueneratio nõ tantũ diminuta, ſed etiam propè iam extincta.

Et mox. Alius

Alius abusus maximi ponderis est in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, maximè Curatorum, & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus inualuit, ut prouideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem Gregi Christi & Ecclesiæ.

Et iterum.

Ambiunt præterea Cardinales à Regibus & Principibus Episcopatus, à quibus postea dependent, nec possunt liberè Sententiam dicere, imò si possent & uellent, fallerent tamẽ passione animi in iudicando perturbati.

Alius abusus in ordinibus Religiosorum, quòd adeò multi deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemplóq; plurimum noceant, Conuentuales ordines abolendos esse putamus OMNES.

Et iterum.

Abusus magnus & pernicios⁹ est in Gymnasijs publicis, præsertim in Italia, in quibus multi Philosophiæ professores impietatem docent, imò in templis fiunt disputationes impijssimæ, & si quæ sunt piæ, tractantur in eis res diuinæ coram populo ualde irreuerenter &c.

Ac postea.

Te electum speramus, ut nomen Christi iam oblitum à gentibus & à NOBIS CLERICIS, restituas in cordibus & operibus nostris &c.

Habes hic manifestum & perspicuum Testimonium præcipuorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, quòd nihil sani sit in uniuerso corpore Ecclesiasticorum Prælatorum. Summi Pontifices coacerùant sibi magistros adulatores, qui doceant, Voluntatem Pontificum esse Regulam omnium actionum eorum, ut liceat ipsis, quod libet. Hoc certè est ex homine facere Deum ipsum, quippe quòd solius Dei uoluntas sit regula omnium rerum.

Cardinales ambiunt Episcopatus, & passione animi impediti, loquuntur ad gratiam, nec audent sententiam liberè dicere.

In collationibus Episcopatuum, prouidetur magis personis, quibus Episcopatus conferuntur, quàm Gregi & Ecclesiæ Christi.

Presbyteri ordinantur, indoctissimi, imperitissimi, & omni genere scelerum sordidati.

Monachi tanto sunt offendiculo, ac præsertim Conuentuales, ut hi omnes Ordines iudicentur digni, qui aboleantur.

In Academijs, præsertim Italicis, docentur & disputantur impijssima.

Et hos constituit nobis Asotus, ad quos controuersiam de doctrina Religionis deferamus, à quibus cœlestia oracula expectemus, & à quorum sententia, tanquàm ab ipsiusmet Spiritus sancti responso pendeamus. O hominem ex omni hominum contubernio, uel putridis ouis ejiciendum, qui audet Ecclesiam, castissimam Sponsam Filij Dei, tot impurissimis (ne quid abominabilius dicam) Prælatis corrumpendam exponere. Ac tolerabile quidem esset, si Prælati illi, quos sui ipsorum Pontifices, Cardinales, & Archiepiscopi tantorum criminum accusant, hactenus aliquam pœnitentiam egissent, & autoritatem suam emendatione uitæ commendassent. Sed tantum abest, ut resipuerint, ut ad priora scelera adijciant etiam immanem Crudelitatem, qua pios monitores, quoquo modo possunt, è medio tollunt; horum scilicet Iudicio salus Ecclesiæ subijcienda est.

Sed audiamus etiam Legatos Apostolicæ Sedis, ad Patres Synodi Tridentinæ.

EX ADMONITIONE LEGATORVM SEDIS APOSTOLI-
cæ, ad Patres in Concilio Tridentino.

Noſtram, inquiunt, ambitionem, noſtram auaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affeciſſe ſtatim inuenit, atque harum ui ab Eccleſijs Paſtores fugari, eaſque pabulo uerbi priuari, bona Eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli, Indignis Sacerdotia conferri, & illis, qui nihil à Laicis, præterquàm in ueſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſsimus per hos annos à nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem aduerſus nos faciunt, quid hic aliud, quàm flagicia noſtra, & ſimul iuſtum Dei Iudicium uidemus? Iudicium uerò plenum miſericordia. Si enim pro meritis nos caſtigaret, iamprídem ſicut Zodoma & Gomorrha fuiſſemus. Hactenus Legati. Non dubitamus, quin quæ Legati commemorant, ex mandato Pontificis & Cardinalium dicant. Et hæc ueriſsima eſſe, teſtificantur, quæ ſuprà recenſuimus. Sed & ipſi legati nihil diſsimulant. Paulò enim antè ita dicunt: Quòd dicimus nos Paſtores his malis, quibus Eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acriùs, & magis per exaggerationem quandam uerborum, quàm uerè dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Habes Legatorum confeſsionem. Cùm autem affirment, Patres Tridentinos ſceleribus ſuis meritos eſſe non diſsimile Zodomæ & Gomorrhæ ſupplicium, qua fronte audet Aſotus nobis Zodomitas & Gomorrhitas obtrudere, quorum iudicio ſalus Eccleſiæ conſtet? Nec eſt mirum, quòd hi filij, quos Aſotus ait pro Patribus natos, intantum à maioribus degenerarint. Vetus enim dictum eſt: Heroum filij, noxa. Et: Poſteriora, inquiunt, deteriora. Solet & aliàs ex optimo uino, acutiſsimum fieri acetum. Et fœcundiſsimi agri, ſi inculti relinquantur, ſolent multò plura & nocentiora zizania proferre, quàm ſteriles. De Hieruſalem urbe ſancta dicit Propheta: Quomodo facta eſt meretrix, ciuitas fidelis, plena Iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Sed & Roma, dicta eſt Babylon. Non igitur mirandum eſt, ſi poſteri degenerauerint à maiorum ſuorum pietate. Hoc autem mirandum eſt, quòd cùm illi nec doctrinam nec pietatem nec honeſtatem maiorum ſectantur, audeant de ordinaria ſua ſucceſsione gloriari, & ſe huius ſolius autoritate Iudices Eccleſiaſticæ doctrinæ proponere.

Nam, quòd obijciunt, Chriſtum ædificaſſe Eccleſiam ſuam ſupra Petram, aduerſus quam portæ inferorum non præualeant, agnoſcimus uerbum Chriſti, ſed hoc non uult Chriſtus, quod Aſotici ſentiunt, uidelicet, Prælatos eſſe Eccleſiam illam, quam Spiritus ſanctus non deſerat, & quæ errare non poſsit. Quòd enim portæ inferorum præualeant aduerſum Prælatos, paulò antè pluribus teſtimonijs demonſtratum eſt. Speramus autem inter Epiſcopos & reliquos Prælatos aliquot eſſe uiros pios, quibus Aſotica impudentia & impietas uehementer diſpliceat. Quare quod ad priuatam eorum perſonam attinet, membra quidem ſunt Eccleſiæ, non autem ipſa tota Eccleſia. Quod uerò ad publicum eorũ officium attinet, Miniſtri ſunt Eccleſiæ, non Domini. Et ſeruiunt Eccleſiæ non iuxta ſuum ipſorum arbitrium, non iuxta ficticias Traditiones, ſed iuxta uerum & certum Verbum Domini ſui, ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum. Itaq; ſi hanc regulam uerè ſequuntur, tunc nec Spiritus ſanctus eis deeſt, nec errant. Quòd ſi hanc regulam & metam

tranſili-

transiliunt, non aliud reliquum est, quàm spiritus ignorantiæ, cæcitatis & erroris. Christus enim alligauit suã Ecclesiam, non ad Prelatos, ut Asotus nugat, sed ad fundamentum Propheticæ & Apostolicę doctrinę, De qua re aliàs pluribus. Si autẽ Prælati fuerint impij, hoc est, tales, quales eos sui ipsorum Pontifices, Cardinales, & Legati describunt, tantum abest, ut sint uel membra Ecclesiæ, uel Ecclesia ipsa, ut potius habendi sint pro nocentissimis Ecclesiæ hostibus. Quare auditu horrendum est, quod Asotus scribit, Ecclesiam, cui promissio illa Christi facta est, Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, uisibilem esse, nec ex electione Dei aut uera fide & caritate internis pendere, ut quis ad Ecclesiam pertineat. Sed de Ecclesia paulò pòst. Et hoc dictum Christi, scriptis nostrorum ita clarè & perspicuè iamdudum explicatum est, ut non possim tenebras Asoticas satis mirari. Multò minus hoc, quod aliàs Christus dicit: Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, tradit Spiritum sanctum Asoticis Prælatis & Successioni eorum captiuum. Primùm enim, non simpliciter dicit, Vbi sunt duo uel tres congregati, Sed addit: IN NOMINE MEO. Non conuenitur autem uerè in nomine Christi, si uerbis tantum iactetur Christus & gloria Christi, aut si initio conuentus cantetur Missa de Spiritu sancto. Talibus enim moribus & cæremonijs pellitur potius quàm inuocatur Spiritus sanctus. Nec conuenitur uerè in nomine Christi, si conuenerint Impœnitentes, qui hoc unum præcipuè agunt, ut consulant potius dignitati, opibus, gloriæ, ocio & uoluptati Prælatorum ex traditionibus non scriptis, & ex somnijs Monachorum, quàm saluti Ecclesiæ ex uerbo Domini, & è scriptis Propheticis atque Apostolicis. Sed tum demùm uerè conuenitur in nomine Christi, cùm conueniunt hi, qui Christum uera fide complectuntur, & inuocant solum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, atque conferunt inter se, uero Dei timore, de doctrina Ecclesiæ, & de alijs rebus necessarijs, non ex humana ratione, non ex confictis traditionibus, Sed è scriptura Prophetica & Apostolica, quæ est cœlestibus miraculis confirmata. Talem autem cœtum nemo hominum potest, uel ex uestitu, uel ab externa facie, uel ex eruditione, uel ex potentia, uel ex sapientia iudicare. Possunt enim honestissimè uestiti, ac persona insignes, & doctissimi, & potentissimi, ac sapientissimi non fœdè tantum errare, uerumetiam in doctrina æternæ salutis extrema cæcitate laborare. Sed cognoscendus pius cœtus est ex fructibus eius, quod tum præcipuè fieri solet, cùm Spiritus seu Decreta eius iudicantur & exiguntur ad regulam sacræ Scripturæ, & manifestè animaduertitur, quòd cum ea conueniant. Deinde, etsi Christus solet esse in medio eorum, qui uerè in nomine suo congregantur, tamen nõ facit ex carne eorũ spiritum, sed relinquit in eis suas imbecillitates, quamdiu sunt in hoc seculo, præsertim cùm nõ ponunt uerbum eius lucernam pedibus suis. Nõ dubium est, quin Petrus & Barnabas fuerint præditi Spiritu sancto, & cùm Hierosolymis ad exonerandas gentes à lugo legis Mosaicæ conuenirent, Christus in medio eorum extiterit: Sed & hoc negari non potest, quin aliquid humani passi sint, cùm se magno gentium offendiculo subducerent, propter Iudæos quosdam, à gentiũ conuictu, quemadmodum Paulus ad Galatas testificatur. Nec dubium est, quin, cùm Patres Nicæni Concilij definierunt Christum filium Dei, æqualem esse Patri essentia & maiestate, Christus fuerit in medio eorum, quia tum secuti sunt non suas ipsorum opiniones, Sed sententiam Spiritus sancti in sacra

Scripura traditam & patefactam. Cùm autem postea iudicarent eos, qui Christum profesi ad Militiam redirent, damnatione dignos, certè humani aliquid passi sunt, quòd damnauerint legitimam Militiam, quam Ioannes ipse Baptista approbauerat, nec Christus reiecerat. Quare, Christus non tradidit se simpliciter duorum aut trium, aut etiam plurimorum congregationi captiuum: Sed uidendum est, num fiat congregatio uerè in nomine Christi, & num iudicetur ex Spiritu Christi, qui se scriptis Propheticis & Apostolicis patefacit.

Solet & alia promissio, ad stabiliendam certam præsentiam Christi ac Spiritus eius, in congregatione Prælatorum adduci. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Manifestum autem est, quòd Christus hæc uerba loquatur, non ad impios & impœnitentes, qui etiamsi habent titulũ populi Dei, & Ecclesiæ, tamen non sunt uerè Dei populus & Ecclesia, sed loquatur ea ad Suos discipulos, hoc est, ad eum cœtum, qui uerè est populus Dei & Ecclesia eius. Quomodo ergo probabimus, qui sint uerè discipuli Christi, & quæ sit uera eius Ecclesia, ut cognoscamus, apud quos Christus sit omnibus diebus usque ad consummationem seculi? Hìc respondemus, non nostris uerbis, sed Christi. Si uos (inquit CHRISTVS) manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & Veritas liberos uos reddet. Et iterum: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & apériam ei meipsum. Ac mox: Si quis diligit me, Sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Ex his testimonijs perspicuum est, quòd Christus Spiritu sancto suo præsens sit in ea hominum congregatione, quæ diligit & sequitur non sua ipsius somnia, Sed Sermonem Christi, Sed Verbum DEI, quod est scriptis Propheticis & Apostolicis commendatum. Itaque præsentia Christi & Spiritus eius non probatur nec ex congregatione, nec ex Successione Prælatorum, Sed Congregatio & Successio probantur ex præsentia Christi, ut Decreta Prælatorum, non debeant ob eam causam iudicari esse Decreta Spiritus sancti, quòd Prælati sint Successores Apostolorum, & unà in Synodo congregati, Sed quòd Successio & Congregatio eorum tunc sit legitima, & præsentia Christi ornata, cum Decreta eorum habeant testimonium Sermonis Christi, & sint uerè Decreta Spiritus sancti, qui se scriptis Propheticis & Apostolicis patefecit. Quid plura? Promissio præsentiæ Christi & Spiritus eius non pertinet ad quemuis cœtum indiscriminatim, sed tantum ad cœtum discipulorum Christi. Non pertinet, inquam, ad ecclesiam malignantium, sed ad Ecclesiam Sanctorum. Etsi enim Deus aliquoties locutus est per impium Balaam, & per impium Pontificem Caiapham, non tamen idcircò captiuus est omnium Prophetarum & Pontificum, siue pij siue impij fuerint, ut necesse habeat in eorum cœtu præsens esse, & per ipsos cœlestia responsa dare. Eadem certè ratione necesse haberet per omnes asinas loqui, quòd semel aperuit os asinæ, & repræhendit uoce eius Prophetam.

Sed si (inquiet ignotus fraterculus) ex una parte reijciuntur à Iudicio doctrinæ Seculares Principes, ex altera, Ecclesiastici Prælati, Et si Ecclesia non pendet à Prælatis, penes quem erit tandem Iudicandi autoritas? Quis erit certaminum in Ecclesia finis? Et quod ultimum erit in terris de

controuersia doctrinæ Iudicium? De hac re postea, propicio Deo, cùm de autoritate sacræ Scripturæ agetur, ita respondebitur, ut perspicuè uideat Asotus, in quo ordine Prælati sui collocandi sint, & quorum Successores haberi debeant. Nunc pergamus reliqua, quibus Asotus Seculares Principes, à Iudicanda doctrina Ecclesiæ, amouendos suscipit, perstringere. Principum (inquit) hoc sit munus, ita distribuente Lege, ut legitimos Sacerdotes agnoscant, tradita ab eis & ipsi teneant, & populos sibi commissos seruare curent. Quid autem, si Sacerdotes sint illegitimi? Quid, etiamsi succedant optimis maioribus, ipsi autem sint sceleratissimi, & impijssimi? Quid si tradiderint ea, quæ cum Lege Domini, cum scriptura diuinitùs tradita pugnauerint? Quid si omninò nihil tradiderint, sed reijciant ea tradenda ignotos fraterculos? An & tunc agnoscendi sunt pro legitimis Sacerdotibus? An & tunc, quæ traduntur, tenenda erunt? Nam paulò antè expositum est, Spiritum sanctum non solere commercium habere cum ijs, qui gloriantur quidem de ordinaria Successione, pugnant autem cum antecessoribus & maioribus suis, hoc est, cum scriptis Prophetarum & Apostolorum. Sed & hoc paulò pòst, uolente Deo, copiosius explicabitur. Nam hoc proprium est officium Principum, non ut quæuis Sacrificulorum & Monachorum somnia, pro oraculis Spiritus sancti agnoscant, nõ ut populum suum tyrannicõs cogant, impia Decreta Prælatorum, tanquàm Dei mandata obseruare, Sed ut audiant Ministros Ecclesiæ docentes, & legant ipsi quoque Prophetica & Apostolica scripta, atq; conferant cum ijs doctrinam Ministrorum. Inuocent Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut gubernet Spiritu sancto suo Iudicia ipsorum, adeóq; cum Salomone orent: Da mihi, Domine, cor docile, da Sapientiam & intelligentiam, ut populum tuum iudicare possim, & discernere inter bonum & malum. Quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, iudicare? Nam, cùm uniuersæ Ecclesiæ, tum præcipuè Principibus dictum est: Cauete uobis à Pseudoprophetis. Et: Fugite ab idolatria. Et: Custodite uos ab Idolis, ut Principes non suæ tantum saluti priuatim consulant, uerumetiam populo suo publicè, tam exemplo, quàm gubernatione præeant.

Quod autem Asotus de proprijs magistris ac doctoribus, quos Principes sibi adsciscere significat, & de nothis ac spurijs ministris, de quibus Propheta ait: Non mittebam eos, & ipsi currebant, concionatur, hoc non est piorum Principum, sed Asoticorum Pontificum peccatum, qui testimonio Cardinalium suorum, quod suprà recitauimus, solent sibi coaceruare magistros ad desideria sua, non ut ab eis discant, quod facere debeant, sed ut eorum studio & calliditate inueniatur ratio, qua liceat id, quod libet. Et qui sint illi, de quibus Propheta ait: Currebãt & ego non mittebam eos, perscrutetur Asotus Pontifices illos, qui ad Ecclesiastícos honores, dolo, malis artibus, ueneno, largitione, pecunia, Simonia, seditione, & cædibus contendere solent. Ibi certè talem inueniet sentinam, ut ipsi in ea exhaurienda non tantum ocij relinquatur, ut respiciat, quo studio, quóue ordine pastores in Ecclesijs piorum Principum ad sua ministeria uocentur. Nam, quòd existimat eos non esse legitimos Ecclesiæ Ministros, qui non sint uncti Chrismate Episcopali, etiamsi reliqua omnia in ordinatione eorum uerè legitimè conficiantur, prodit partim insciti am suam, quòd non intelligat, quæ sit uera Ministrorum Ecclesiæ ordinatio: partim incogitantiam suam, quòd non consideret,

quis sit huius controuersiæ status. Non enim quæritur, non disceptatur, num liceat alicui ministerium docendæ & administrandæ Ecclesiæ, priuato suo arbitrio, sine legitima & ordinaria uocatione inuadere? Scimus, ne in Politeia quidem, nedum in Ecclesia filij Dei licere cuiquam publicas functiones absque legitima uocatione & autoritate usurpare. Sed hoc quæritur, Num Asotus & Prælati eius, qui sunt hostes doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, & qui hanc doctrinam omni crudelitatis genere persequuntur, sint uera illa Filij Dei Ecclesia, à qua Ministri ordinationem petere debeant? Hoc, inquam, quæritur, Num Petrus, Ioannes, & reliqui Apostoli, non prius debuerunt Hierosolymis prædicare Euãgelion Christi, quàm ordinarentur ab Anna & Caiapha? An non Caiaphas erat ordinarius Successor Aheronis? Quid si ergo Romanus Pontifex fiat Caiaphas, an non sine authoritate & Vnctione eius licebit pio & docto uiro in Ecclesia, ad quam consensu Magistratus & populi eius uocatus est, Euangelion Christi adnunciare, & Sacramenta eius administrare?

Certè Bernardus uocat Prælatos, non quidem Caiaphas, quod ego sciam, Sed quod ferè detestabilius est, Seruos Antichristi. Peteretne uera Ecclesia Christi ordinationem Ministrorum suorum à Seruis Antichristi? Et non essent legitimi Ecclesiæ Ministri, nisi à Seruis Antichristi ungerentur & confirmarentur?

Iosua æmulabatur quondam pro Mose, quòd Heldad & Medad prophetarent absque autoritate Mosi in castris. Prohibe eos, inquit, domine mi Mose. Et discipuli conquerebantur Christo, quòd quispiam ejiceret dæmonia nec sequeretur ipsos. Sed Iosua audit: Quid æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Discipuli uerò audiunt: Ne prohibeatis illum. Qui non est aduersus nos, pro nobis est. Itaq;, si Asotici Prælatis curæ esset uera Ecclesiæ salus, non hoc agerent, ut peteretur ab ipsis Chrisma, sed ut Ecclesia in doctrina uerè pia erudiretur. Non de Chrismate, sed de doctrina instituenda esset cognitio. Postquàm autem Asotici Prælati piam doctrinam aut persequuntur, aut non requirunt, sed præcipuè de Chrismate uociferantur, Ecclesia nulla eis uerecundia obstricta est, si deserat eos, & suos sibi ipsa ministros ordinet.

Miror autem, qua insciti a sit Asotus, quòd hoc loco commemoret Legem imperatoris Theodosij, qui iubet subditos eam agnoscere Religionem, quam Petrus Apostolus docuit, & quam sequuntur Damasus Pontifex Romanus, & Petrus Episcopus Alexandrinus. Non uidet Asotus præ animi sui impotentia, quid pro se, quid cõtra se dicat. Primùm enim, Petrus Apostolus ueram & rectam docuit religionem. Ac Damasus Romanus & Petrus Alexandrinus rectam fidem de Triade (De hac enim tum præcipuè agebatur) secuti sunt. Nos autem nunc loquimur de Pontificibus & Episcopis, qui docent & sequuntur impiam religionem, & qui tantum abest, ut ueram de pietate doctrinam agnoscant, ut etiam eam ferro, igni, laqueis persequantur. Vult ne Asotus, ut etiam tales sequamur Magistros, & Sacerdotes? Det nobis Petros Apostolos, Det nobis Damasos Romanos, & Petros Alexandrinos, qui ueram & synceram Apostoli Petri doctrinam sequantur, & habebit pios Principes, non auditores tantum, sed etiam adiutores.

Deinde, cùm Theodosius iubet subditos sequi Religionem Damasi & Petri Alexandrini, num iubet hoc, absque sua ipsius cognitione, con-

tentus

tentus tantum horum duorum Pontificum iudicio? Quid ergo est, quòd anteponit eis Petrum Apostolum? An non oportuit eum prius cognouisse & iudicasse, quòd Damasi & Petri Alexandrini doctrina, cum Petro Apostolo conueniat? Certè historia non facit Theodosium tam stupidũ, ut absque suo ipsius iudicio adscripserit se alienis sententijs. Operæpretium autem est, etiam ipsa historiæ uerba commemorare.

SOCRATES IN ECCLESIAST. HIST.
lib.5.cap.10. de Theodosio Imperatore.

Determinata die, cuiusque Religionis Episcopi ad Aulam uocati conueniunt. Aderant igitur Nectarius & Agelius homousianæ fidei antistites: Arianæ uerò Demophilus: Eunomianæ ipse Eunomius: Macedonianæ Eleusius Cyzicenus. Vbi conuenissent, excipit eos Imperator, & accepto cuiusque dogmatis scripto, seorsim Deum impensè orat, ut se ad eligendam ueritatem adiuuet. Deinde lecto cuiusque dogmatis scripto, reliqua omnia tanquàm separationem sanctæ Triadis inducentia reprehendit, ac rumpit, Solum uerò, quod homousianam fidem continebat, laudat & amplectitur.

Quid hîc, Asote, dices? Quis hîc est in controuersia doctrinæ Ecclesiasticæ Iudex? Primùm, Imperator, non accedit ipse ad Episcopos, tanquàm dominos suos, sed uocat eos, tanquàm seruos, ad suam aulam. Deinde accepto cuiusque Episcopi scripto, non est contentus illius aut istius iudicio, sed prosternit se precibus coram Deo Patre Domini nostri Iesu Christi, ut gubernet Spiritu sancto mentem suam, quo inter tot diuersas Religionis sententias eligat eam, quæ cum doctrina uerè Apostolica conueniat. Postremò, legit ipse scripta, & expendit ea summo studio. Cumq; dono Spiritus sancti eam esse uerè piam doctrinam à Prophetis & Apostolis traditam, quæ docet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unum quidem esse Deum essentia & maiestate, diuersas autem personas, cognouisset & iudicasset, iubet publico edicto omnes hanc doctrinam, ut cœlestem ueritatem sequi. Vides igitur Asotũ, cùm in medium producit Legem Theodosij, qua seculares Principes à cognitione Ecclesiasticæ doctrinæ arcere conatur, porrigere nobis arma, quibus eũ conficiamus.

Nihilo aptius ad suum institutum profert Asotus exemplum Theodosij Imperatoris, & Ambrosij Episcopi. Theodosius peccauerat præcipiti ira aduersus Thessalonicenses, & sæuierat non tantum in seditiosos, uerumetiam in innocentes. Dignus igitur erat, qui non solum reprehenderetur, sed etiam excommunicaretur. Quid autem hoc ad pios Principes? Num si suscipiunt cognoscendam doctrinam Ecclesiæ, ut consulant æternæ uitæ populi sui, tantum crimẽ admittunt, quantum Theodosius in admenda uita Thessalonicensibus admisit? Num, si fecerint officium, pio Principe dignum, tam digni sunt excommunicatione, q̃ si cessauerint, aut officium deseruerint? Sed hoc Asoticis Prælatis auditu iucundissimum est, quòd Ambrosius eiecerit Theodosium è Sacrario, Interiora, inquiens, solis Sacerdotibus patent, reliquis uerò omnibus inaccessa & intacta. Exi igitur, & communiter cum reliquis assiste, Purpura enim, Imperatores, non Sacerdotes facit. Hanc Ambrosij uocem Asotici Prælati maiori uoluptate audiunt, quàm cantum lusciniæ. Sed ne blandiantur sibi hoc exemplo, sciant, se nondum esse Ambrosios. Nam quod Ambrosius fecit, suo Iudicio, suáq; fiducia fecit. Quod autem Asotus & sui Prælati, in ejiciendis è cognitione piæ doctrinæ Principibus

faciunt, insolentia, arrogantia, temeritate, contemptu dominationum, adeoq; totius Ecclesiæ faciunt. Quare, quod in Ambrosio fuit tolerabile, ac multorum iudicio commendabile, hoc in Asoticis Prælatis, qui non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærunt, nullo modo ferendum erit.

Postremò Asotus commendatione Theodosianæ Legis, eò tandem euadit, ut sibi & suis Prælatis nomen Catholicorum asserat, alios autem, qui pia doctrina eruditi, Romanam impietatem detestantur, in catalogum hæreticorum abijciat. Non est nobis Asoticum consilium ignotum. Nec sumus tam stupidi, ut ignoremus quid Asotus sibi nomine hæreticorum uelit. Scimus, quid publicæ leges aduersus hæreticos decernant. Cùm igitur Asotus insimulet pios Principes hæreseos, facilè intelligi potest, quæ pericula non tam spiritualia, quàm corporalia eis minetur, quæ & Asotici proculdubiò eis inferrent, si tanta ipsis à Deo permitteretur facultas, quanta est eorum uoluntas.

Sed qua fronte, quo pudore audet effrenatus Monachus autoritate Theodosianæ Legis Principes & alios, qui Sophistica & Monastica somnia abominantur, in hæreticorum catalogum referre? Primùm, Lex perspicuè commendat Apostolicam disciplinam, & Euangelicam doctrinam, quam Romanis Petrus Apostolus tradidit, & quam Damasus ac Petrus Alexandrinus secuti sunt. Quam autem aliam tradidisset Apostolus Petrus Romanis, quàm illam, quæ in literis Propheticis & Apostolicis continetur, & quæ adhuc in concionibus & epistolis eius extat? Cùm igitur hanc sequamur, nec ullam aliam, cum hac pugnantem, siue scriptam, siue non scriptam, agnoscamus, luculentam nobis iniuriam facit, qui adimit nobis nomen Catholicorum, quo quidem modo Lex Theodosiana hoc nomen commendat. Nam quales Asotici Prælati sunt Catholici, tale nomen intantum non requirimus, ut etiam abominemur, id quod suo loco rectè, ut spero, explicabitur. Deinde Lex ipsa recenset nominatim eam doctrinam, cuius professoribus nomen Catholicorum tribuendum censet. Sic enim dicit: Vt secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamq; doctrinam, Patris & Filij & Spiritus sancti unam deitatem, sub pari maiestate, & sub pia Trinitate credamus. Hanc Legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti. Hactenus Lex. Quid ergo dicemus? Lex Theodosij manifestè opponit nomen Catholicorum Impijs & execrandis Arianis, qui negabant Christũ esse uerum ab æterno Deum. Sed an non manifesta extant capita, tam in Augustana, quàm in Vuirtenbergensi Confessione, in quibus breuiter quidem, sed perspicuè, doctrina uerè pia & pura de hoc articulo aduersus Arianos proponitur? Et nisi quis impudentissimus fuerit Sycophanta, necesse habet ipse testimonium ferre, quòd hunc articulum, De uno uero Deo & tribus personis in una deitate iuxta Propheticam & Apostolicam scripturam, & expositionem Nicæni Concilij constanter aduersus detestandam Arianorum impietatem asseramus. Ac nisi fallor, Sophistis & Monachis, uix tantum esset roboris, ut possent noua deliria, quæ his temporibus aduersus hunc articulum excogitata sunt, refutare, si nostri hac in parte suam operam non conferrent. Quare Asotus os perfricuerit, necesse est, quòd audeat autoritate Theodosianæ legis, nomen Catholicorum nobis detrahere, & nos impijs & execrabilibus illis Arianis hæreticis, quos ex animo detestamur, annumerare.

Nam, quòd allígat nos ad Romanam Ecclesiam, tanquam primam, & matrem

& matrem aliarum Ecclesiarum, atque ad Prælatos eius, uetus est Romanensium adulatorum cantilena. Speramus Christum Filium Dei, suam quoque habere Ecclesiam Romæ, Sicut mirabiliter solet in medio Babilonis sua sibi septem millia reseruare. Et uidemus ex historijs, quòd initio Roma miserit aliquoties Ecclesiæ ministros ad alias partes Occidentis. Itaque cum ea Ecclesia, quæ in medio impiæ nationis diuinitùs conseruatur, libenter consentimus, & inuocationem nostram coniungimus. Sicut enim unus est Christus, ita etiam una est fides eorum, qui eodem Spiritu Christi coniunguntur. Nec adimimus ei omni ex parte Matris nomen, si quando misit ad alias regiones aut urbes pios uiros, qui Euangelion Christi adnunciarent, & Filio Dei Ecclesiam suam congregarent. Sed ut istam Asoticorum Prælatorum colluuiem ac sentinam, pro uera Ecclesia, adeoq; aliarum Ecclesiarum Matre agnoscamus, hoc demùm (dicemus enim ingenuè quod res est) esset filium ipsum Dei, ac ueram eius Ecclesiam abnegare, & condemnare. Quid enim hoc tempore Roma sit, alij differant, & quæ suprà recensuimus, testificantur. Certè Roma, temporibus Damasi, cuius Lex Theodosiana meminit, & qui per seditionem, ac multas cædes, in Pontificem electus esse dicitur, iam tum dicebatur Purpurata meretrix, & Babylon. Sed an interea temporis melior facta sit, res ipsa declarat. Et talem nos pro Matre Ecclesiarum agnosceremus, unde doctrinam æternæ nostræ salutis peteremus? Cùm enim hæc mater didicerit iam horribilem impudicitiam sectari, & Patri nostro cœlesti petulantissimè obsistere, iudicet ipse Asotus, num iustum sit in conspectu Dei, talem matrem potius, quàm cœlestem Patrem audire. Dauid, magnus Auus Christi filij Dei, & Spiritu sancto ad miraculum usque insignitus, proponit nobis pro Ecclesiarum matre, Zionem seu Hierusalem. Virgam, inquit, uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Eodem Spiritu sancto dicunt Esaias & Michæas: De Zion exibit Lex, & uerbũ Domini de Hierusalem. Sed & Filius ipse Dei definit ac decernit, Hierosolymam, Ecclesiarum matrem. Sic scriptum est, inquiens, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam, ac remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Quare, cùm non Prophetæ tantum, sed etiam Christus ipse proponant nobis Hierosolymam, pro matre Ecclesiarum, ac mittant nos non ad Romam, sed ad montem illum domus Domini, qui est in nouissimis diebus exaltatus super omnes colles & montes, hoc est, ad eam doctrinam, quam Apostoli accepto Hierosolymis Spiritu sancto, uulgauerunt in totum orbem terræ, & quæ Apostolicis literis Noui Testamenti nobis tradita est, non est, cur aures adhibeamus Asoto & sodalicio eius, qui nos longè aliam matrem, quàm piam, castam, pudicam, & inuiolatam, sectandam docent.

Quod reliquum est, & quod in hoc loco præcipuè agitur, meminerint Principes, sui esse officij, non quod Asotus præscribit, ut Politica tantum curent, hoc est, ut ciues & agricolas tueantur, quo uentrem & pecora sua in tranquillitate pascant, interea autem omnem Ecclesiasticæ doctrinæ curã Asoticis Prælatis relinquãt, Sed quia sunt præcipua membra Ecclesiæ, in hoc quoq; præcipuum studium incumbant, ut & ipsi cognoscant, quæ sit uerè pia ac efficax doctrina ad salutem, & quam Spiritu sancto edocti cognouerint, in Ecclesijs suarum regionum, summa qu-

possunt, opera instituant, & conseruent. Publicæ Leges suscipiunt miseros, ad sacrosanctas, ut ipsæ loquuntur, Ecclesias confugientes, aduersus iniustam uim tuendos. Cùm igitur Asotici Prælati in miseram Ecclesiã crudeliter sęuiant, eamq; suis pedibus conculcandam subijcere tota mente studeant, cogitent Principes, qui sunt non postrema Ecclesiæ membra, periclitantem Ecclesiam ad ipsos, tanquàm ad asylum, confugere, & fidem ipsorum implorare. Habet quidem uera Ecclesia cœleste præsidium, nec nititur humano tutore, sed Filio Dei, qui cùm sedeat à dextris Dei Patris sui, dominatur in medio inimicorum suorũ. Expectat autem à pijs Principibus officium, quod Deus ipse exigit. Potestas enim huius seculi collata est diuinitùs in Principes, non ut ignauiter stertant, & Asoticos Prælatos pro libidine sua in miserã Ecclesiam grassari sinant, sed ut in cognoscenda cœlesti doctrina, gloriam nominis Dei, & ipsi celebrent, & in populis regionum suarum celebrari curent. Quo officio, non uehementer quidem gratificantur Asoticis Prælatis, sed gratificantur Deo Patri Domini nostri Iesu Christi obedientissimè, qui & teneri non poterit, quin uicissim maxima quæque in eos beneficia conferat.

Quæ autem hactenus de officio Principum in Ecclesia diximus, & deinceps de alijs rebus dicturi sumus, loquimur non in confessu Asoticorum Prælatorum, quos non agnoscimus esse uera Ecclesiæ membra, sed in conspectu Domini Dei nostri, & omnium piorum, quorum etiam Iudicio omnia hæc subijcimus, hac uidelicet conditione, ut de his omnibus iudicent, non iuxta Asoticas traditiones, sed iuxta scripturam Propheticam & Apostolicam, quam non dubitamus, quin, cùm sit oraculum Spiritus sancti, aduersus omnes inferorum portas, nedum aduersus ementitas Asotorum traditiones, perpetuò consistat.

De Autoritate Sacræ

SCRIPTVRAE.

GRAVISSIMAE causæ sunt, cur necessariũ duxi, ut prius autoritatem sacrosanctæ Scripturæ, ab iniurijs, quas ei Asotus sparsim in scripto suo infert, uindicem, quàm reliquum cœnum eius abstergendum suscipiam. Etsi enim Asotus alicubi potentia ueritatis, præter suam uoluntatem, coactus, affirmat libros Veteris & Noui Testamenti à Spiritu sancto æditos, & sacram Scripturam Spiritus sancti reuelationem esse, tamen non ferenda contumelia est, quòd Traditiones non scriptas, æquet, imò etiam præferat sacræ scripturæ. Illæ enim mandantur (inquit) cordibus fidelium, hæc autem membranis & tabulis: quod Ecclesia, (nisi intelligat nomine Ecclesiæ, non ueram, sed Asoticam) tradat fidei dogmata extra scripturam: quòd scientia interpretandi scripturam possit studio, diligentia & lectione, absq; uidelicet Spiritu sancto, acquiri: quòd non sit ad Scripturas prouocandum, nec in his (utor enim uerbis quæ Asotus ex Tertulliano, sed malè intellecto commemorat) constituendum certamen, quibus nulla aut incerta uictoria est: & ut aliàs dicit, quòd modus quærendi ueram Scripturæ sententiam, in ipsa scriptura, & apud eos, qui per Spiritũ sanctum scripturam per Scripturam exponunt, incertus sit, & non sufficiens Ecclesiæ. Denicq;, sacrosanctam Scripturam subijcit Traditionibus, Patri-

bus,

bus,& Prælatorum Conciliis, hoc est, diuina oracula, humanis, ut nihil grauius dicam, sententijs & Decretis: ac planè de sacra Scriptura idem sentire haud obscurè significat, quod alius quispiam Asoticus scripsit, Scripturam ualere quantum fabulæ Aesopi, si destituatur autoritate Ecclesiæ. Quis tantam cœlestis doctrinæ contumeliam æquo animo ferret? Sicut enim Iudæi & Milites ludebant quondam Christum, ita Asotici ludunt nunc sacram Scripturam. Dicunt enim, Sacram Scripturam esse Spiritus sancti reuelationem. Hoc est genua flectere, & dicere, Aue rex Iudæorum. Sed addunt: Scripturam esse obscuram. Ad Scripturam non esse prouocandum: Scripturæ sententiam in Scriptura per Spiritum sanctum inquirere esse inutile: Scripturam pendere à Patribus & Conciliis. Et: Scripturam esse similem fabulis Aesopi, nisi accesserit autoritas Ecclesiæ Asoticæ, hoc certè est alapas dare, & plagas infligere, ac dicere, Vaticinare nobis, quis te percusserit. Sic uenerantur Asotici cœlestia oracula. Operæpretium igitur me facturum existimaui, si ante omnia, diuina clementia adiutus, tam insignes contumelias à sacrosancta Scriptura propulsarem.

Ac primum omnium, cùm nobis sermo est de sacra Scriptura, Prophetica & Apostolica, non loquimur de ijs libris, qui à ueteri & uera Ecclesia non sunt recepti in Canonem, & quorum nonnullos, nostri Maiores ipsi, uocant Somnia & fabulas, nec unquàm habuerunt, nisi in Asotica Ecclesia, quam pro uera Ecclesia non agnoscimus, probandorum dogmatum autoritatem. De quibus, si opus fuerit, suo fortassis loco copiosius dicemus. Hos, inquam, libros non comprehendimus nomine sacræ Scripturæ, sed eos, de quorum autoritate in ueteri & uera Ecclesia nunquàm est dubitatum, & qui certissima habent suæ autoritatis testimonia. Deinde, quia Asotus ludit in re tam seria puerilibus Sophismatis, & ponit discrimen inter Prædicationem & Scripturam, inter uerbum & scriptum, necessarium est, ut quid nomine Scripturæ, in hac disputatione, intelligendum sit, paulò clarius explicetur. Nam cùm Confessio Principis docet Interpretationem obscuriorum locorum scripturę petendã esse ex ipsa Scriptura, & adducit illud Psalmi: Lucerna pedibus meis uerbum tuũ, audet Asotus à Scriptura uerbum impudenter separare, Verbum, (inquit) Non Scriptura. Et cùm Petrus ait: Habemus firmiorem sermonem Propheticum. Ibi Asotus, Sermonem (inquit) Non Scripturam. Ac iterum, cùm Asotus ipse adduxisset locum Pauli, ex Epistola ad Timotheum: Si quis aliter docet, & non acquiescit Sermonibus Domini nostri Iesu Christi, Addit: Hic nihil de Scripturis, sed de uerbis tantum, & Doctrina. Sed & alias affirmat Traditiones teneri in cordibus, Scripturam autem in membranis, & tabulis. Scilicet, cùm hæc scriberet, reuersus fortassis paulò antè fuerat è Synodo puellarum Monialium, inter quas, aiunt, hoc ænigma solenne esse, quòd altera alteram interroget: In qua re collocata sit Christiana Religio? Ac alia quidem aliud respondere solet, sed quæ gnara est ænigmatis, respondet, Christianam Religionem collocatam & fundatam esse in laceris panniculis. Quod cùm absurdissimum uideatur, ita explicat, ut dicat Doctrinã Christianæ Religionis scriptam esse in papyro, quæ ex ueteribus & laceris panniculis conficiatur. Hic serium mutatur in risum. Eodem ferè modo ludit nobiscum Asotus, homo ridiculus, & cùm nobis sermo sit de maiestate cœlestium oraculorũ, remittit nos ad membranas, & ad papyrum,

in cap. de Ecclesia.

hoc est,ad laceros & ueteres, sicut ænigma habet, panniculos. Quid igitur faciamus? Redeundum est nobis ad Elenchos Aristotelis. Monachus Dominicaster est portentum in rerum natura, quia simul est albus & ater. Sed Portentum est generis Neutri. Igitur & Monachus. Sacra scriptura continetur scripta in Membranis & ueteribus panniculis. Membranæ autem & panniculi facilè putrescunt. Sacra igitur scriptura putrescit. Traditiones continentur in cordibus. Corda autem sunt præstantissima pars hominum. Igitur & Traditiones sunt præstantissimæ. Bone Deus, quanta est huius hominis impudentia, qui non uereatur cùm tam insulsis Sophismatis in publicum prodire. Sed talibus ineptijs haud obscurè significant homines isti, quòd sacra scriptura sit Sudes in oculis eorum. Quare studeant quoquo modo possunt, ut eam è medio tollant. Nobis autem tanto magis studendum est, ut autoritatem eius conseruemus & tueamur. Cùm igitur loquimur de sacra scriptura, non loquimur de Grammatica, sed de Theologia, hoc est, non de literis & syllabis, siue in membrana, siue in papyro scriptis, Sed de Sententia, quæ his literarum & syllabarum notis significatur.

Manifestum quidem est Hebræa Biblia scripta esse ijsdem literis, quibus Iudaicum Thalmud: & Græca, quibus poëtis Homeri: & Latina, quibus Metamorphosis Ouidij, aut Fabellæ Aesopi. Sed nec sententia est eadem, nec res eædem. Et tamen sicut sententia ac res, quæ continentur literis prophanorum scriptorum, manent eædem, siue uoce, siue scripto enuncientur, siue literis mandentur, & è scripto legantur: ita sententia ac res, quæ continentur literis sacrorum scriptorum, manent eædē, siue prædicentur uoce, siue comprehendantur scriptis, siue recitentur Lectione. Sumamus, exempli gratia, Creationem huius mundi ex nihilo. Hæc est res, quæ nobis cognoscenda & credenda proponitur. Siue ergo Voce dicas, hunc mundum creatum esse ex nihilo, siue scripto mandes, siue è scripto legas, eadem planè res manet, eademq; sententia nobis cognoscenda exhibetur. Sumamus & promissionem Abrahæ dictam de uenturo, ex familia sua, Messia. Hæc est res, quæ Ecclesiæ ueteris Testamenti cognoscenda & credenda proponebatur. Siue igitur uoce adnuncietur, siue scripto excipiatur, & legenda tradatur, eadem prorsum sententia, eadem res est. Quare, cùm de sacra scriptura loquimur, de sententia, & de rebus ipsis, quæ in ea continentur, loquimur.

Ac initio quidem Mundus creatus est, res ipsæ gestæ sunt, & promissio de semine Mulieris, de filio Virginis, Domino nostro Iesu Christo, facta est, priusquàm ea literis sunt mandata. Sed ut hæc & alia omnia, quæ nobis ad æternam salutem cognitu utilia, atque necessaria sunt, ad posteros synceriter ac fideliter propagarentur, & conseruarentur, uisum est spiritui sancto ea non uoce tantum maiorum ad posteritatem proferre, uerumetiam literis custodire, & scriptorum monumentis mandare.

In Exodo & Deuteronomio, postquàm Deus promulgasset Decalogum in monte Sinai, non fuit contentus uocali pronunciatione, sed Scripsit ipse suo digito Decalogum in duas lapideas tabulas: Dedit DOMINVS (inquit) Mosi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas scriptas DIGITO DEI. Et iterum: Cùm dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus, Scripsitq; in tabulis iuxta id quod prius scripserat uerba decem, quę locutus est Dominus ad uos in mõte de medio

medio ignis, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi.

Habes Deum ipsum tanti fecisse Scriptionem, ut quæ uoce pronunciauerat, Scriptis ipse mandaret.

Sic etiam è Spiritu Dei excitatus est Moses, ut Legem, quam à Domino acceperat, non tantum uerbis recitaret, uerum etiam literis conscriberet.

Deut. 31. Scripsit Moses Legẽ hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Israel.

Moses autem acceperat à Domino, non tantum Decalogum, & quę ad Iudicia atque cærimonias eius gentis pertinebant, sed etiam Euangelion de Domino nostro Iesu Christo. Prophetam, inquit Dominus, suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius. Hæc est concio Euangelij de Christo Filio Dei. Itaq; Moses complexus est Scriptione sua, non tantũ Decalogum Legis, & quæ ad interpretationem eius pertinent, sed etiam Euangelion Christi, ut absoluerit præcipuas partes sacræ Scripturæ. Nam quæ deinceps Prophetæ & Apostoli scripserunt, sunt copiosior harum duarum partium explicatio.

Quid ergo? Num Moses scribendo Legem & Euangelion suscepit uanum laborem, quippe qui cœlestem uocem mandauerit membranis, rei fragillimæ? Nihil minus. Sic enim sequitur. TRADIDIT eam Sacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcã fœderis Domini. Ergo, inquies, Scriptura tradita est potestati Sacerdotum, ut possint eam pro sua libidine mutare, interpretari, figere, & refigere? Absit longissime. Sed tradita est potius eis, ut NON mutarent, & ne aliud quàm literis mandatum esset, prædicarent. Vnde Moses non præcepit eis, ut uoce sua, quod libet, concionarentur, sed dat eis certam Scripturam, quam legant, & addit eis, quasi Ephoros, Seniores Israel. Sequitur enim. Præcepit eis dicens: Post septem annos, anno Remissionis, in solennitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex filijs Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, Leges, LEGES (inquit) uerbà Legis huius coram omni Israel, audientibus eis, & in unum omni populo congregato, tam uiris, quàm mulieribus, paruulis & aduenis, qui sunt intra portas tuas.

Vidit enim Spiritus sanctus, primùm, futuros, imò iam tum exortos Philosophos gentium, qui longè alia de rebus cœlestibus ac diuinis traderent, quàm Patriarchis uoce Dei patefactum erat. Voluit igitur Spiritus sanctus, ut uox cœlestis Scripto mandaretur, quo petulantia ingenia coërcerentur, ne liceret eis quoduis humanum figmentum pro cœlesti oraculo hominibus obtrudere. Etsi enim mendacia Philosophorum apud Gentes nihilominus obtinuerunt, tamen illud Spiritus sancti consilium, sinum semper habuit in Ecclesia Domini locum & usum. Deinde uidit Dominus uenturos Iudæos Cabalisticos ac Thalmudicos, qui nugarentur alia tradita esse uoce, quàm scripto contineantur. Visum igitur est Spiritui sancto uocem cœlestem, qua tradita est Lex & Euangelion, in literas conferre, ut quicquid somnient Cabalistici & Thalmudici, Ecclesia Domini certò sciat, hanc esse uerè cœlestem uocem, & hanc solam esse sequendam, quæ in sacra Scriptura, cœlestibus miraculis confirmata, ad posteros est transmissa. Postremò uidit Spiritus sanctus futuros Prælatos Asoticos, qui pro certissimo fidei fundamento haberent Traditiones non scriptas, quique planè idem quod Cabalistæ gloriarentur, plura

& meliora esse uoce à maioribus quasi per manus tradita, quàm sint Sacris literis comprehensa. Voluit igitur Spiritus sanctus sacram Scripturam, initio quidem per Mosen, deinde per Prophetas & Apostolos literis mandatam, extare, ut uera Ecclesia Domini haberet certissimam Regulam, ad quam omnia Philosophica, Cabalistica & Asotica deliria exigeret, ac sciret, nullam aliam uocem, ne Angelicam quidem, quæ scripturæ maximis omnium miraculis confirmatæ, non esset consentanea, pro cœlesti uoce agnoscendam esse. Nam, quod Veteribus grauissime dictum est: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas. Et: Non declines, nec ad dexteram, nec ad sinistram, Hoc idem nobis eadem grauitate dicitur: Si nos aut Angelus de cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Euangelion autem, quod prædicauerunt Apostoli, non uoce tantum uulgatum est, Sed erat antea in scriptura Prophetica comprehensum, & iam tum mandabatur literis Apostolicis. Segregatus, inquit Paulus, in Euangelion Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos, in SCRIPTVRIS SANCTIS, de Filio suo. Et Petrus: Habemus, inquit, firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis. Sed hic deprehenditur Asotus, manifestissimus deprauator. Cùm enim Cõfessio Principis hunc Petri locum, ut paulò antè meminimus, ad probandam Scripturæ autoritatem adduceret, ibi Asotus distinguit Sermonem à Scriptura, & exponit, Petrum non de Scriptura, sed de Sermone loqui. Hæc est clara & manifesta uerborum Petri deprauatio. Primùm enim Petrus non scribit ad eos, qui fuerunt temporibus ueterum Prophetarum, & audierunt conciones eorum coràm, priusquàm literis mandarentur, Sed ad illos, qui erant ipsius coætanei, & ad posteros, qui Prophetarum Scripta legebant. Quare sicut aliàs Sacræ literæ tribuunt Scripturæ suam dictionem, & suum sermonem: Quid DICIT (inquit Paulus) Scriptura? Et iterum: An nescitis in Elia, quid DICAT Scriptura? Ita & hoc loco Petrus per Sermonem Propheticum certissimè intelligit, Scripturam Propheticam. Deinde, ne quid dubij relinquatur, addit Petrus ipse interpretationem: Si illud (inquit) prius noueritis, quòd omnis Prophetica Scriptura, Prophetica (inquit) SCRIPTVRA, non sit priuatæ interpretationis. Vides, quòd Asotus uerba Petri manifestè sua expositione deprauauerit. Et quis deinceps ullam poterit fidem Asoto, etiam in reliquis adhibere? Dauid ad Saulem ait, Vetus esse prouerbium: A malis egredi malum: Quod nos uulgò dicere solemus, Qui semel malus, semper præsumitur malus. Pudeat igitur uos Asoticos Prælatos, quòd emiseritis in nos hominem tam insulsum, qui certè, nisi ei omni scriptione & concione interdixeritis, maiora uestræ causæ damna dabit, quàm multi hostes dare possent. Sed pergamus in instituto. Exposuimus enim consilium Spiritus sancti, quòd cùm uidisset uenturos Cabalistas & Asotos, qui iactarent Traditiones non scriptas, uoluerit cœlestia oracula literis sacræ scripturæ mandari, ut præmoneret ueram Ecclesiam Domini, ne quicquam aliud, quod uel contra uel præter hanc scripturam obtruderetur, pro cœlesti uoce & diuino oracolo acciperet, & ut ad æternam salutem necessarium agnosceret.

Porrò, Spiritus sanctus uoluit cœlestia oracula monumentis literarum mandari, non hoc tantum consilio, ut obstrueret os Cabalistarũ, & ut ita dicam,

dicam, Traditionariorum, sed etiam, ut extaret organon, quo ad erudiendam Ecclesiam suam in uera pietate uteretur, & quo dona sua in corda piorum effunderet. Audiamus igitur sua de hoc sacræ scripturæ usu testimonia.

Deuteron. 31.

Cùm Moses scripsisset Legem, & tradidisset librum Sacerdotibus & Senioribus Israel, mandauit eis, ut librū legant in cœtu uniuersæ Ecclesię, tam uirorum, quàm mulierum, tam adolescentum, quàm aduenarum. In quem usum? Sequitur. Vt audientes discant, & timeant Dominum Deum uestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones Legis huius. Et ut palàm fiat, Scripturam etiam ad posteritatis usum diuinitùs tradi tam esse, additur: Filij quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum, cunctis diebus. Timere autem Deum, & custodire sermones Legis, qui è scriptura recitantur, est donum spiritus sancti. Testatur ergo hic locus Mosi, quòd scriptura in hunc usum data sit, ut spiritus sanctus utatur ea pro organo, quo sua dona in scripturæ seu Lectores, seu auditores effundat. Etsi enim non omnes, qui legunt uel audiunt scripturam, credunt, hoc tamen non fit scripturę, sed ipsorum incredulorum uicio. De qua re nunc non est dicendi locus.

Psalm. 101.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Iubet exempla diuinæ clementiæ literis mandari, ut etiam posteritas cognoscat Dominum & celebret nomen eius. Cognoscere autem Dominum, & celebrare nomen eius, donum est & opus Spiritus sancti. Cùm ergo Spiritus sanctus operetur hoc donum in cordibus piorum per scripturam, manifestum est, quòd scriptura sit organon Spiritus sancti.

Paulus Rom. 15.

Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Habere autem in aduersis patientiam, consolationem & spem, donum est non carnis, sed Spiritus sancti. Quod cùm Spiritus sanctus per scripturam efficit, dubitari non potest, quin scriptura sit organon illud, quo Spiritus sanctus in cordibus piorum efficax esse solet.

Sed ut autoritas & maiestas sacræ scripturæ nobis amplius commendetur, obseruandæ sunt conciones Apostolorum, de quibus Apostolis Filius Dei dixit: Qui uos audit, me audit.

Petrus cùm haberet concionem post Ascensum Christi in cœlum, de eligendo Apostolo in locum Iudæ, unde quæso texit suam concionem? Num è Traditionibus ἀγράφοις? Nihil minus. Oportuit, inquit, impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid. Et mox: Scriptum est in libro Psalmorum.

In die Pentecostes, accepto iamprimùm Spiritu sancto, An non de Dono Spiritus sancti, & de morte ac Resurrectione Christi, è scriptura ipsa concionatur? Allegat enim & Ioëlem & Dauidem, quorum libri in scriptura continentur.

Percurre reliquas conciones eius, quas Lucas descripsit, an non refertæ sunt testimonijs scripturæ? Quid autem dicam de Epistolis eius? Non iudicat se in his scribendis Apostolico munere fungi, nisi eas undique dictis scripturæ muniat. Vbi hoc diligenter notandum, quòd Petrus

tanti faciat ſacram Scripturam, ut præ ipſa manifeſtè damnet Patrum traditiones: Redempti eſtis, inquiens, de uana ueſtra conuerſatione Paternæ traditionis.

Vide mihi Synodum Apoſtolicam, quæ in Actis Apoſtolicis cap. 15. deſcribitur. In ea Synodo, etſi Apoſtoli inſigniti erant admirabili dono Spiritus ſancti, & Deus ipſe de cœlo teſtimonium dederat, Gentes incircunciſas non eſſe reijciendas à communione Euangelij, tamen ſententiam ferunt, & Receſſum, ut nos loqui ſolemus, faciunt, autoritate Prophetica ſcripturæ. Apoſtoli non audent quicquam, abſque ſacræ Scripturæ autoritate, è ſolis traditionibus ἀγράφοις definire, & permittendum eſſet Aſoticis Cabaliſtis, ut non Scripturam, ſed Traditiones, pro certiſſimo fidei fundamento ponerent?

Paulus, etſi raptus erat in tertium cœlum, & didicerat Euangelion Chriſti in Paradiſo, tamen in docendis fidei dogmatis confert ſe ad teſtimonia ſcripturæ. Dicit quidem Aſotus, quòd Paulus magis deditus fuerit prædicando Euangelio, quàm ſcribendis libris, Sed ſiue Paulus prædicet, ſiue ſcribat, confirmat ſua Scripturis. Cùm Antiochiæ Piſidiæ haberet concionem, percurrit initio magnam partem Scripturæ, & mox de Reſurrectione Chriſti è Pſalmis, qui in ſacra Scriptura, tanquàm inſignis gemma lucent, concionatur. In Epiſtolis ſuis, ac præſertim in iſs, quas ad Romanos & Galatas ſcripſit, tanta eſt copia teſtimoniorum ſcripturæ, ut iſs non tantum dogmata noſtræ fidei explicare & confirmare, uerumetiam commentarios in Moſen & Prophetas, hoc eſt, in eam, quę extabat, Scripturam, ſcribere uideatur. Et quanquam alicubi iubet tenere traditiones, quas ſiue ſermone ſiue Epiſtola docuit, tamen nomine Traditionum non intelligit Traditiones Aſoticas, ſed doctrinam teſtimonio Scripturæ confirmatam. Cùm enim dicit: Si nos aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit, & aliàs affirmat hoc Euangelion antea promiſſum per Prophetas in Scripturis ſanctis, certè hoc perſpicuè ſignificat, quòd nulla Traditio contra & præter teſtimonia ſacræ ſcripturæ, pro dogmate ad ſalutem neceſſario agnoſcenda ſit. Quinpotius ad Coloſſenſes ſcribens, apertè dehortatur à ſectandis hominum traditionibus. Videte, inquit, ne quis uos deprędetur per Philoſophiam, & inanem deceptionem, iuxta Traditionem hominum. Et ad Galatas manifeſtè ſcribit, ſe tunc Eccleſiam ſupra modum perſecutum, & depopulatum eſſe, cùm eſſet uehementer ſtudioſus paternarum Traditionum. Sed de Traditionibus poſtea. Nunc de ſacra Scriptura.

Non ſolum enim Apoſtoli, ſed etiam Filius ipſe Dei, Chriſtus Dominus noſter, contulit ſe in concionibus ſuis ad teſtimonia ſacræ Scripturæ. Cùm ſuſciperet Monomachiam cum Satana in deſerto, an non pugnat cum ipſo, adeóq; repellit eum dictis ſacræ Scripturæ? Concionaturus in ſchola Nazarethana, ſuſcipit legendum Prophetam Eſaiam, qui non poſtremum locum in Scriptura tenet. Recitat aliàs, quòd Abraham remiſerit fratres diuitis, non ad traditiones, quas fortaſsis dives ſecutus fuerat, Sed ad Moſen & Prophetas. Et quoties ipſe ad Moſen, Pſalmos & Prophetas appellat? Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Et: Filius hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt. Et: Quomodo implebuntur Scripturæ? Et: Neceſſe erat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſi,

Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me. Quid plura? Deus ipse cœlestis Pater, cùm è cœlo de Filio suo Domino nostro Iesu Christo Testimonium dicturus, & concionaturus esset, confert se ad scripturam, & utitur uerbis Scripturæ: Hic est, in quiens, Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum est; Ipsum audite. Huius concionis prima pars scripta est in secundo Psalmo. Altera, in Esaia capite quadragesimo secundo. Tertia, in Mose, Deuteronomij decimo octauo. Vna, eaq; breuissima concione percurrit Deus cœlestis Pater uniuersam Scripturam Mosi, Psalmorum & Prophetarum. Quid hic dicet Asotus? Nisi uelit sua ipsius & suorum uerba retractare, dicet: Quid tu cœlestis Pater appellas ad scripturam? Cur non potius ad Traditiones, quæ sunt certissimum fidei fundamentum? Ad quid enim ualet scriptura? Scripta est in membranis. Obscura est. Litera est occidens. Et hæreticorum mos est, ad scripturam prouocare. Caue igitur, ne & tu, cùm ad scripturam prouoces, hæreticus à Prælatis nostris iudiceris. Quid enim? Recitasti quidem scripturam, sed nisi accesserit calculus nostrorum Prælatorum, recitasti nobis fabellam Aesopi. Nos miseros, quibus necesse est Asoticas blasphemias, non semel tantum audire, uerumetiam toties euoluere. Sed nos uicissim terq; quaterq; beatos, quòd talibus impiorum uocibus, diuinitùs certificemur, quam ecclesiam detestari & fugere, & quã sequi atq; amplecti debeamus. Scriptura enim sacra non ita sordet ac putet Domino Deo Patri cœlesti, ut subijciat eam Asoticis Traditionibus, & Prælatis, quorum pedibus conculcetur, & in catalogum fabularum Aesopi referatur. Nam quanti momenti, quanti sit apud eum ponderis, testificatus est, nõ tantum ipso eius usu, uerumetiam admiranda eius aduersus omnes portas inferi conseruatione. Ab eo tempore, quo Lex & Euangelion, quibus uniuersa Scriptura constat, in literas collata sunt, quot factæ sunt eluuiones, quot incendia, quot bella, quot regnorum mutationes, quot etiam exilia eius populi, qui diuinitùs in custodem sacræ Scripturæ electus erat? Et tamen Deus mirando modo inter tot rerum discrimina sacram Scripturam inuiolatam conseruauit, & ad posteros propagauit. Antiochus Epiphanes, cùm occupasset urbem Hierusalem, curauit libros Legis comburi, & igni absumi. Et apud quemcunq; inueniebantur libri Testamenti Domini, ex edicto regis trucidabatur. Quo tempore Diocletianus orbis terrarum Monarcha erat, Ecclesiasticus Scriptor Eusebius: Sacras scripturas, inquit, in medio foro igni tradi, ipsis oculis uidimus. In tanto tamen Satanæ furore, aduersus sacram Scripturam, Deus ita eam tutatus est, ut impij incendiarij omnes fœdè perierint, Scriptura autem cõstiterit. Nunc uerò Satan alia eam uia aggreditur. Dicit eam esse insufficientem, nec continere omnia, quæ nobis ad salutem cognitu necessaria sunt. Dicit eam esse obscuram, ideóque subiectã expositioni Patrum & Ecclesiæ. Hisce uocibus Satan alio quidem modo, sed planè idem facere de sacra Scriptura cogitat, quod sub Antiocho & Diocletiano factum est. Dicamus igitur quædam hac de re, ut Satanæ consilia refutentur.

Nam, quod ad imbecillitatem Scripturæ, quã illi iactant, attinet, etsi multa tam à Patriarchis & Prophetis, quàm à Christo Filio Dei, & Apostolis eius dicta & facta sunt, quæ scriptorum monumentis non sunt mandata, tamen luculentum mendacium est, quòd in sacra Scriptura non contineatur omnis doctrina, quæ ad ueram & æternam nostram salutem cognitu necessaria est.

Lucæ 16.

Habent Mosen & Prophetas. Audiant illos. Quòd si in his doctrina ad salutem necessaria non contineretur sufficienter, friuolum & illiberale fuisset, quòd Abraham remisisset ad eos Diuitis fratres. Nam quę postea Apostolorum scripta sequuntur, ea sunt Mosi & Prophetarum Apocalypsis, interpretatio & illustratio.

Ioannis 20.

Multa quidem & alia fecit Iesus signa, in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut Credatis quòd Iesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Quòd si quæ scripta sunt, non sufficiunt ad habendam fidem in Filium Dei, quomodo affirmat Ioannes, nos per eam fidem habere uitam?

2. Timoth. 3.

Tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad Salutem, quæ est in Christo Iesu. Sacræ, inquit, literæ, possunt te reddere eruditum ad SALVTEM, quæ est in Christo Iesu. Quomodo autem ad salutem eruditum reddent, si non sunt sufficientes? Sed quod in Paulo sequitur, manifestè confirmat scripturæ sufficientiam & perfectionem. Omnis, inquit, scriptura diuinitùs inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quid potest de sufficientia & perfectione scripturæ clarius dici? Sed hìc mihi uide Sophismata Asoti. Cùm enim Confessio Principis recitasset hunc Pauli locum, & alia, ad stabiliendam autoritatem & perfectionem sacræ Scripturæ, Asotus concedit quidem, quòd omnis doctrina ad salutem necessaria contineatur in scriptura, in genere, & uniuersali quadam ratione (utar enim ipsius uerbis) non autem in speciali, Sed in traditione Apostolorum, uel in explicatione posteriorum Conciliorum. Et adducit exempli loco, nomen homousij, Chrisma & unctiones, quæ adhibentur in Baptismo. Item: Scripturam sufficere in uniuersali, propterea quòd in ea scriptum sit de firmitate Ecclesiæ, Portæ inferi &c. De autoritate Petri & Prælatorum, in gubernandis hominibus ad salutem æternam: Tibi dabo claues &c. Et quicquid solueritis &c. Hæc (inquit) mittunt nos ad suscipienda ea quæ ab Ecclesia & Patribus tradita sunt. Habes Asoticum acumen. Quid igitur faciamus? aut quò nos uertemus? Scriptura (inquit) sufficiens est, In genere, & uniuersali quadam ratione, Sed ut habeamus species, & particularia, remittit nos ad Traditiones Apostolorum, ad Explicationes Conciliorum, ad Patres, ad Prælatos, & ad Ecclesiam. Hæc uidelicet sunt complementa scripturæ. Cùm igitur Asotus hæc sæpè ac multum urgeat, breuiter hoc loco percurrenda sunt, etsi aliàs copiosius tractantur.

Ac primùm, remittimur à Scriptura ad Traditiones Apostolorum. Ad quas, obsecro? Num ad eas, quæ pugnant cum Prophetica & Apostolica scriptura, quæ iam cœlestibus testimonijs confirmata est? Sed contra hanc, nec Apostolus, nec Angelus audiendus est. Num ad eas, quę scripturis sunt consentaneę? Proferant igitur eas, & sinant eas exigi ad scripturam, num cum ea aut conueniant, aut pugnent. Nam, ut cuiuis, quasuis nobis traditiones pro Apostolicis obtrudenti, sine iudicio credamus,

damus, integrum nobis non est, & iubet Apostolus prouidere, ne quis nos seducat per inanem deceptionem, secundũ traditionem hominum. Sed de traditionibus suo loco.

Deinde remittimur ad Concilia. Ad quæ, obsecro? Ad posteriora & legitima. Cur ergo non etiam ad priora? quia aliquoties errarunt, ideóq; emendata sunt per posteriora. Sed quis nos certiores reddit, quòd & posteriora Concilia non errent? Si legitima sunt, fieri, aiunt, non potest, ut deserantur à Spiritu sancto. Quibus ergo notis cognoscemus ea esse legitima? Si uidelicet, Romanus Pontifex legitimè electus & confirmatus conuocauerit Concilium, & primatẽ in eo locum habeat. Deinde, si adiungantur ei Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & reliqui Prælati, qui sint Ordinarij Successores Apostolorũ. Postremò si cantauerint Missam de spiritu sancto, & ieiunauerint aliquot diebus à summo mane, usque ad horam diei sextam, aut Germanicorum horologiorum more, usque ad undecimam seu duodecimam. Tali nimirum cœtui, præsertim, si suis etiam Episcopalibus infulis ornati fuerint, Spiritus sanctus deesse, ne quidem si uelit, potest. Sed non possum non mirari, quòd in tanto splendore Euangelij Christi, & tot eruditissimis scriptis aduersus primatum Romani Pontificis, in lucem æditis, audeant adhuc Asotici de suo primatu gloriari. Huic enim asino λεοντῆ ita detracta est, ut meritò eũ pudere deberet in publicum prodire. Deinde, quid de Successione sentiendum sit, copiosè in superiori capite explicatum est. Non enim omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque statim Apostolorum Successores sunt, qui tenent loca Apostolorum. Si manseritis, inquit Christus, in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uoluerítis, petetis, & fiet uobis. Duo exigit Christus ab Apostolis, & Successoribus eorum, ut impetrent Spiritum sanctum, & non errent. Vnum est, ut maneant in Christo. Hoc fit, si uerè in Christum crediderint, & è Christo per peccatum uastans conscientiam non exciderint. Alterum est, ut maneat in ipsis uerbum Christi, ut ministerio suo fungantur, non iuxta humana somnia, non iuxta ementitas traditiones, sed iuxta uerba Christi, iuxta sacram Scripturam, quam Christus ipse nobis commendauit, & in manus tradidit. Quare nisi Concilium Prælatorum manserit in Christo, & uerba Christi in eo, nec est legitimum Concilium, nec Spiritus sanctus præsto adest, etiamsi omnes Prælati teneant loca Apostolorum, & possint successionem suam iam inde, non à Petro tantum & Andrea, uerumetiam ab Aherone & Abrahamo, addo etiam à primo omnium homine, Adamo, probare.

Sed cùm Asotus amandat nos à Scriptura ad Concilia Prælatorum suorum, considera mihi, quæso, à quanta luce, in quantas tenebras, à quanta certitudine, in quantam obscuritatem abducat. Non enim dubium est, quin sacra Scriptura non possit rectè ac uerè intelligi, nisi ab ijs, qui Spiritu sancto sunt diuinitùs donati. Etsi enim impij possunt quædam Scripturæ loca, ac præsertim Iudicialia & moralia, adeóque quæ ad Legem pertinent, & quæ historica sunt, cognoscere, tamen quis sit uerus finis Legis, quid Euangelion de Christo sibi uelit, quid Christus ipse sit, & quantum in eo Thesaurum per fidem habeamus, & quæ sunt id genus alia sacræ Scripturæ, non possunt nisi soli pij per spiritum sanctum iudicare.

Vsque in hodiernum diem idem uelamen in lectione Veteris Testamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Christum aboletur &c.

1. Corinth. 2.

Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non seculi huius, neque Principum seculi huius, qui abolentur, Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo Principũ huius seculi cognouit.

Et mox.

Nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ à Christo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, Spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis enim homo, non accipit ea quæ sunt Spiritus. Stultitia siquidẽ illi sunt, nec potest cognoscere, quòd spiritualiter dijudicantur. At Spiritualis dijudicat omnia, ipse uerò à nemine dijudicatur.

Ioannis 8.

Si manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem.

Habes præcipuam partem sacræ Scripturæ, seu sermonem Euangelij Domini nostri Iesu Christi, qui sermo literis mandatus est, non posse uerè cognosci, nisi à Spiritualibus, non illis Monasticis seu Asoticis, sed ijs, qui Spiritu sancto uerè præditi sunt.

Hic autem nunc operæprecium est audire, quid Asotus de Ecclesia Prælatorum suorum, ad quorum Concilia nos reijcit, scribere sibi permisit. Et quidem libet uerba ipsius recitare.

In Capite de Ecclesia sic ait:

Oportet Ecclesiam ipsam certam esse, Visibilem scilicet & sensibus ipsis corporeis perspectam, non minus quàm sunt aliæ humanæ respub. Autoritas etiam Ministrorum & Gubernatorum eius certa & manifesta esse debet. Quare nec gratia, nec certè interior aliqua uirtus occulta, requirenda est uel in membris, uel in ministris eius, præter publicam & legitimam professionem fidei, & uocationem, ut ad eam pertineant, & ut eius munera integra perficiant.

Hic primùm uide, quòd Asotus faciat Ecclesiam Visibilem & sensibus corporeis perspectam. Delendus igitur erit Asoto articulus ille Symboli Apostolici, Credo Ecclesiam sanctam Catholicã, & erit sic reponendus: Video & sentio Ecclesiam sanctã Catholicã. Deinde palàm & impudenter affirmat, non requirendam esse gratiam aut interiorẽ aliquã occultã uirtutem uel in ministris uel in membris Ecclesiæ, præter publicã & legitimam professionem fidei, & uocationem. Scilicet etiamsi Prælati eius sint animo suo Epicurei, & uita Sardanapali, tamen, si sciant uerba Symboli recitare, & sunt à Cardinalibus aut Canonicis ad Prælaturas electi, pertinent ad Ecclesiam, & sunt ordinati, ut in rebus æternæ nostræ salutis ab ipsorum iudicio pendeamus. Scimus quidem ueritatem Sacramentorum Christi non pendere à dignitate ministrorum, sed non esse requirendam gratiam Dei, aut uirtutem Spiritus sancti in ijs, qui de uera sententia sacræ Scripturæ, seu uerbi Dei iudicare debent, hoc demùm est cœlestia oracula Spiritus sancti subijcere Epicureis & Sardanapalis.

Sed audiamus Asotum adhuc apertius de hac re loquentem.

In Capite de Concilijs sic ait:

Ecclesia,

Ecclesia, cui promissio illa Christi facta est: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, uisibilis est, nec ex electione Dei, aut uera fide, & charitate internis pendet, ut quis ad Ecclesiam pertineat, siue ut subditus, siue ut Prælatus, Sed ut uiuum membrum sit, hæc requiruntur.

Macte uirtute, Asote, Sic defenditur Catholica Ecclesia, sic conuincuntur Nouatores illi hæretici. Os impudentissimum, audes tu Ecclesiam illam, aduersus quam non præualent portæ inferi, hoc est, ueram & firmã ita infamare, ut affirmes eam nec ex electione Dei, nec ex uera fide & charitate pendere? Dicit quidem Asotus, hæc requiri, ut quis sit uiuum Ecclesiæ membrum, non autem, ut sit eius Ecclesiæ membrum, aduersus quam non præualent portæ inferi. Quæso autem te, an non is, aduersus quem non præualent portæ inferi, est uiuum Ecclesiæ membrum? Quid? Portæ ne inferi tam imbecilles, tam eneruatæ sunt, ut ne quidem aduersus mortua Ecclesiæ membra præualeant? Næ tu mihi concionaris de stramineis portis inferi, quæ sic computruerunt, ut ne mortuum quidem superare queant. O bellum defensorem Catholicæ Ecclesiæ. Scimus quidem multos impios dicturos: Domine, per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, ac alias uirtutes præstitimus: Sed iudicium de doctrina æternæ nostræ salutis deferre ad eos, qui ipsi palàm fatentur, sibi ea in re non opus esse nec electione Dei, nec uera fide, atque charitate, quid hoc aliud est, quàm spiritum ipsum sanctum, à suis ipsius oraculis dijudicandis excludere, & in locum eius homines Epicureos & Sardanapalos reponere? Si Asotus serio reponit Librum Sapientiæ in Catalogum Canonicorum librorum, miror, quòd non audiat, quid ibi dicatur: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim disciplinæ sanctus, fugiet dolum, & auferet se à cogitationibus insipientibus. Si Asotus iudicat hoc uerè dictum esse, quomodo audet nobis eos Christianæ disciplinæ Iudices proponere, in quorum maleuolam animam non ingreditur sapientia, & quos spiritus sanctus fugit? Paulus ait: Qui non habet spiritum Christi, non est eius. Non habent autem spiritum Christi, qui non sunt à Deo electi, & non habent ueram fidem & charitatem. Quomodo ergo hi possunt esse de doctrina Christi Iudices? Quid multis opus? Sicut fieri non potest, quin Concilia eius ecclesiæ, quæ nec est à Deo electa, nec habet ueram fidē & charitatem, turpiter & fœdè errare soleant, quippe quòd careant spiritu sancto Christi: ita cùm Asotus abducere nos conatur à sacra Scriptura, ad talia Concilia, nihil aliud facit, quàm quòd suscipiat nos abducendos à uera sapientia ad insipientiam, à sanitate mentis ad furorem, à luce ad tenebras, ut palpemus sicut cæci in meridie, nec possimus uias nostras dirigere.

Nam, quòd existimat Concilijs acceptum ferendum esse, quòd habeamus nomen homousij, satis perspicuè significat, quàm oscitanter doctrinam ueræ Ecclesiæ expendat. Laudamus maiorum nostrorum studium & diligentiam, quòd operam dederint, ut doctrina de uera & æterna diuinitate Christi, pura & syncera ad posteros transmitteretur. Sed quãtas turbas hoc homousij nomen excitauerit, non est obscurum. Fingamus autē nihil periculi ex uocabulo ortum: quid? Si rem ipsam probè tenuissemus, num nouum uocabulum fuisset nobis necessarium? Nicęnũ Concilium, & pij scriptores illustrauerunt æternam diuinitatem Filij Dei, idq; non è suis ipsorum somnijs, sed è sacra scriptura. Num ergo Ecclesia amisisset

huius neceſſariæ rei cognitionem, niſi nouum homouſij uocabulum fuiſſet excogitatum? Fortaſsis omnia fuiſſent tranquilliora, ſi maiores ut ueterem Scripturæ ſacræ doctrinam, ita etiam uetera rerum uocabula retinuiſſent. Quare non uideo quàm magnus ſit Conciliorum uſus, ſi nihil aliud egerint, quàm ut noua ueterum rerum uocabula excogitent. Quid autē eſt, quòd Aſotus adiungat etiam Chriſmata & Vnctiones, quæ ſint Baptiſmo adhibenda? Hoccine eſt officium Conciliorum, ut definiant, quid præter ea, quæ Chriſtus ipſe inſtituit, Sacramentis ſit addendum? Mirabor, ſi has ineptias & hæc Aſotica exempla ſui ipſi Prælati non rideant, cùm & Scriptores eorum doceant, hæc ad ſubſtantiam Baptiſmi non eſſe neceſſaria. Congregemus igitur Concilia Prælatorum magno ſumptu, nec minori periculo, ut conſtituantur aut non neceſſaria, aut puerilia ſpectacula. Sed de talibus cærimonijs tum tractabitur, Deo uolente, cùm illud Chriſti: Fruſtrà colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum, explicabimus, & ab Aſotica deprauatione uindicabimus. Nunc percurremus, ſed paucis (ne quod aliàs copioſè extat, hic ſuperuacaneè inculcetur) ea Scripturæ loca, quæ Aſotus ad confirmandam ſuorum Conciliorum & Aſoticæ ſuæ Eccleſiæ autoritatem adducit.

Chriſtus apud Matthæum de firmitate Eccleſiæ ait: Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Quid ergo? Num idcircò hæc Concilia & hi Prælati, qui nec ſunt electi à Deo, nec habent ueram fidem & charitatem, non poſſunt errare? Ergo quicquid ſtatuerint, eſt oraculum Spiritus ſancti? Chriſtus autem loquitur de uera & uiua Eccleſia, quæ nititur Petra, Chriſto, & cui reuelauit Chriſtum, non caro aut ſanguis, ſed Pater cœleſtis. Non loquitur de Eccleſia Aſotica, de Eccleſia malignantium, quæ nec ab electione Dei, nec à uera fide & charitate pendet. Quàm autem ſecurus ſit Aſotus in citandis locis ſacrę Scripturę, uel hinc patet, quòd dum hoc dictum Chriſti recitaturus eſſet, non inſpexerit ſaltem Commentarium Lyræ, autoris in Eccleſia notiſsimi & uulgatiſsimi. Nam ex eo diciſſet, quàm ineptè hoc dicto ad ſuum inſtitutum abuteretur. Sed libet uerba Lyræ adſcribere. Ex quo patet, (inquit) quòd Eccleſia non conſiſtit in hominibus, ratione poteſtatis uel dignitatis Eccleſiaſticæ uel ſecularis, quia multi Principes & ſummi Pontifices, & alij inferiores inuenti ſunt Apoſtataſſe à fide. Propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt noticia, & uera Confeſsio fidei & ueritatis. Hactenus Lyra. Sed quid aſinus ad Lyram? Aſotus enim facilè inueniet in ſuis Regulis rimā, qua elabatur, & dicet fortaſsis, Lyram prudenter eſſe exponendum, aut hæc Lyræ uerba non eſſe efficacia, ſed uel reijcienda, uel ad ſpeciales leges diſpenſationis Prælatorum referenda, uel ab hæreticis eſſe inſerta. Nam has regulas interpretandorum ſcriptorum tradit nobis Aſotus. Adducit Aſotus & alia ſcripturæ loca ad autoritatem ſuorum Conciliorum & Prælatorum confirmandam: Tibi Dabo claues Regni cœlorum. Et: Quicquid ſolueritis in terra &c. Sed hæc loca, non ſolum ſacræ Scripturæ, uerumetiam Eccleſiaſticorum ſcriptorum teſtimonijs, à uanis & impijs Sophiſtarum commentis ita uindicata ſunt, ut exiſtimem Aſotum in alio orbe hactenus commoratum, quòd neſciat, quid in hoc orbe aduerſus Romanenſium adulatorum deprauationes dictum, ſcriptum, ac etiam pictum ſit. Claues enim Eccleſiæ datæ ſunt Petro & Confeſſoribus Petræ, quæ eſt CHRISTVS. Non ſunt datæ Liberio Ariano, aut Marcellino Idolatræ. Datæ ſunt Miniſtro Eccleſiæ, non hoſti

hosti Ecclesiæ. Datæ sunt seruo Christi, non seruo Antichristi.

Et quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo. Quæcunque ergo præceperint Prælati, erunt præcepta Dei? Et quoscunque abiecerint ex Ecclesia, erunt & abiecti à Deo? Quid est igitur illud, quod Hieronymus de priori dicto apud Matthæum scribit: Istum locum, inquiens, Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, ut uel damnent innocentes, uel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum nõ sententia Sacerdotum, sed reorum uita quæratur? Hic, Asotus iterum habebit paratas suas regulas interpretandi dicta Patrum. Et si quicquid præceperint Patres in terris, erit præceptum Dei, quid est, quod Propheta ait: In præceptis Patrum uestrorum nolite incedere, nec Iudicia eorum custodiatis, nec in Idolis eorum polluamini? Et Christus: Frustrà colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Habet quidem Asotus suum cœnum, quo hunc locum aspergat, sed ne sit mora longa, sua occasione probè, ne dubitet, eluetur. Et Paulus: Si mortui, inquit, estis cum Christo, ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis teneminí? Et mox: Iuxta præcepta & doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem habent speciem Sapientiæ &c. Fingamus autem, Christum dedisse hoc dicto. Quicquid ligaueritis in terra &c. potestatem præcipiendi, non tamen dedit eam hostibus Ecclesiæ, non seruis Antichristi, qui præcipiunt, quæ libet, sed ueris ministris Ecclesiæ, & seruis Christi, qui præcipiunt, non quæ ipsis libet, sed quæ Deus præcepit. Quæ igitur sic in terris præcipiuntur, erunt certè præcepta coram Deo in cœlo, quæ ut Deus uerbo suo antea constituit, ita nunc per Ministros prædicata confirmat.

Sed quid multa? Hoc dicto Christus non loquitur de autoritate præcipiendi aut mandandi, sed de Ministerio Euangelij prædicandi, ut qui Euangelio, quod à Ministris Ecclesiæ in terra audit, crediderit, soluatur in cœlo. Qui uerò non crediderit, ligetur in cœlo. Iuxta illud: Ite in mundum uniuersum, Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) saluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Quod cùm ita uerè se habeat, iniquissimum est, quòd Asotus remittat nos à sacra Scriptura, ad suorum Conciliorum explicationes.

Præterea, Remittimur etiam ad Patres. Ad quos, obsecro? Ad Veteres, & iam mortuos. Nominentur ergo, ut sciamus, quorum interpretatio sacrosancta & inuiolata haberi debeat. Græca Ecclesia suos habuit Patres, Origenem, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, & alios. Habuit & Latina Ecclesia suos, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum, & alios. Habuit etiam posterior ætas suos, Thomam Aquinatem, Scotum, Albertum Magnum, & id genus multos. Ad quos ergo Asotus inter hos aut illos nos remittit? Nũ ad omnes & singulos indiscriminatim? Et num permittit nobis eorum scripta cum iudicio legere, an uerò omnia eorum absque iudicio, ut sacrosancta, agnoscenda sunt? Sed negari non potest, quin in Patribus sui sint errores, & alienæ à sensu scripturæ interpretationes.

Origenes fuit insignis pietate & eruditione, tamen habet quædam dogmata, quæ non sunt sacræ Scripturæ consentanea, & si nonnullis historijs creditur, abiectus est ex Ecclesia.

Tertullianus montanisat.

Cyprianus anabaptisat.

Hieronymus Origenisat, & digamisat. Putat enim digamiam, qualem quidam nunc intelligunt, hoc est, si quis post mortem prioris uxoris ducat alteram, parùm aut nihil à scortatione differre.

Augustinus scribit ipse libros Retractationum, ac præterea communicat infantes corpore & sanguine Christi.

Longum esset singulos percurrere. Adnotemus etiam quædam loca scripturæ, in quibus interpretatio Patrum pugnat.

Ioannis 6. Amen dico uobis: Nisi ederitis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Alij Patres putant Christum hoc loco tantum de Spirituali manducatione loqui. Augustinus exponit etiam de Sacramentali. Vnde necessariò communicat infantes corpore & sanguine Christi. Ad cuius ergo Patris interpretationem remittit nos Asotus?

Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Alij per Petram intelligunt Petrum ipsum. Alij intelligunt Christum. Quam igitur interpretationem agnoscemus? Vide, quàm probè consulat Asotus saluti nostræ, quòd abducat nos à Scriptura ad Patres. Quanto rectius Augustinus, qui nos potius à Patribus ad Scripturam, quàm à Scriptura ad Patres ducit. Ego, inquit, fateor Charitati tuæ: solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud, quàm uel mendosum esse codicem, uel interpretem non assecutum esse quod dictum est, uel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut QVANTALIBET Sanctitate doctrináq; præpolleant, non ideò uerum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi uel per illos autores Canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt. Hactenus Augustinus.

Sed Asotus maiori prudentia & pietate ornatus, quàm Augustinus, non remittit nos à Patribus & Scriptoribus ad scripturam, sed à Patribus mortuis ad Prælatos uiuentes, ut si hæsitauerimus in scriptura, adeamus Patres mortuos. Si & in his aliquid ambigui occurrit, accedamus ad Prælatos uiuentes. Et quia Asotus uidet plerunq; Prælatos aliud agere, ac reijcere hoc oneris in fraterculos, sperat uniuersum regnum Ecclesiæ ad fraterculos peruenturum, ut quicquid fraterculi tam in Scriptura, q̃ in Scriptoribus ueteribus fixerint ac refixerint, hoc firmũ ratũq; haberi debeat. Quid ergo hoc Ecclesiæ statu, quid hoc posito fundamento nobis deerit?

Sed quæ paulò antè de ueteribus Patribus, & Ecclesiasticis Scriptoribus recensui, nõ hoc animo feci, quòd sentiam eos esse abijciendos. Sunt enim de Ecclesia optimè meriti, & consulendi sunt atq; audiendi, non tamen sacræ Scripturæ æquandi. Siquidem enim interpretantur Scripturã per scripturam, & obscuros locos scripturæ per manifestos & claros, interpretatio eorum amplectenda est. Si autem interpretantur Scripturam contra scripturam, & reddunt obscuros scripturæ locos, obscuriores, refutanda est eorum interpretatio. Non enim tanti nobis esse debet ulla humana autoritas, ut præferamus eam diuinæ. Quod autem ad Prælatos uiuentes, ad quos à mortuis nos remittit Asotus, attinet, spero quidem non omnes esse ea uel inciuilitate uel impudentia, quam nomine eorum exigit à nobis Asotus, uidelicet, ut ipsorum iudicio uniuersam sacram scripturam,

pturam, & ueterum Patrum ſcripta, ſine ulla exceptione ſubijciamus. Nec detrectamus cum quibuſuis modeſtis & eruditis uiris de doctrina pietatis conferre, ac de ea, quæ in nobis eſt fide, rationem reddere. Aſotus autem & reliqui eius, qui cum ipſo conſentiunt, Prælati, ſciant, quòd non ſint uera Eccleſia, nec Miniſtri ueræ Eccleſiæ, ſed ſint hoſtes Chriſti & Eccleſiæ eius. Quare, ſiue probent, ſiue improbent ſcripta ueterum Patrum, nihil ad nos, qui ſicut poſt ſacram Scripturam libenter utimur Veterum induſtria & labore, & ſuum eis locum & gradum in Eccleſia Domini gratanter tribuimus, ita colluuiem Aſoticorum Prælatorum non alio loco ducimus, quàm Synedrion Annæ, Caiaphæ, Alexandri, & quotquot erant ordinaria Succeſsione de genere Pontificio, qui Chriſtum, Apoſtolos, & reliquos Chriſti diſcipulos ita perſequebantur, ut exiſtimarent ſe in ijs trucidandis Deo maximum cultum præſtare. Hic ſcio quid Aſotus uiciſsim uociferetur: Et quis tandem ſit inter nos Iudex? Sed mox de hoc ſatis, niſi fallor, luculentè.

Nam, quòd nos tandem, etiam ad Eccleſiam remittit, uenerabile & iucundiſsimum nobis eſt Eccleſiæ nomen, & hoc eſt noſtrum ſummum ſtudium, diuina clementia, ut ſimus uera membra, & ueri miniſtri Eccleſiæ. Sed hoc in Aſoto & collegio ſuo deteſtandum eſt, quòd hoc ſacroſanctum nomen, ad prophaniſsimam ſuorum Prelatorum colluuiem tranſferant. Nam, cùm de ciuitate Dei, hoc eſt, de Eccleſia Domini dicta ſint gloriosa, & homines ſiue incolæ ſiue exteri, uideant hoc ſanctum & auguſtum nomen ab indignis uſurpari, fieri non poteſt, quin ſiat ipſis abominandum: & ſicut nomen Dei, propter ſcelera eorum, qui hoc nomen profitentur, malè audit inter gentes, ita nomen Eccleſiæ ſordidatur in populo, propter eorum indignitatem, qui hoc nomen de ſe immeritò iactant. Quare, ſi ſermo eſt de uera Eccleſia, quæ eſt electa Sponſa Chriſti, ornata fide & charitate, columna & ſtabilimentum ueritatis, tantum abeſt, ut detrectemus eã audire, ut ſtudiamus, quoquo modo poſſumus, officia noſtra ei probare. Hæc enim Eccleſia commendat quidem nobis Patres, & Synodos piorum, ut iudicium eorũ audiamus, non autẽ exigit ut hos ſine Iudicio agnoſcamus, ſed ut collatione ſacræ Scripturæ probemus.

Si uerò ſermo eſt de eccleſia Aſotica, & ficticia, tunc, quia Dauid ait: Non ſedi cum conſilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Et Chriſtus: Cauete uobis à Pſeudoprophetis, nulla ſumus ei uerecundia obſtricti, ſi ipſam deſeramus.

Hactenus de ſufficientia & perfectione ſacræ Scripturæ. Nunc dicamus etiam de perſpicuitate eius. Nugantur enim Scripturam eſſe obſcuram, ideóq; indigere interpretatione. Interpretationem autem eſſe penes Eccleſiam.

Negari quidem non poteſt, quin aliquoties nonnulla in ſacra Scriptura obſcuritas imperitis occurrat, propter phraſim eius linguæ, qua ſcriptores uſi ſunt. Nec negari poteſt, quod & res ipſa teſtificatur, quòd impijs, & incredulis ſcriptura ſit maxima ex parte obſcura. Si adhuc, inquit Paulus, uelatum eſt Euangelion noſtrum (uidelicet quod Apoſtoli prædicarunt, & mox literis mandatum eſt) in his qui pereunt, uelatum eſt, in quibus deus huius ſeculi excæcauit ſenſus Incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Euangelij. Et Ioãnes: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Sed pijs, credentibus in Chriſtum, atq; Spiritu

Christi donatis, præcipua capita Christianæ doctrinæ ita nota & manifesta sunt, ut audeant etiam de his, cum Satana ipso certamen inire. Quomodo enim peccatum, quomodo mortem, quomodo horrores inferni, adeóq; Satanam ipsum uincerent, si ignotum, si obscurum eis esset uerbum Domini, quod firma fide apprehendere, & quo tanquàm gladio, aduersus spirituales astutias in cœlestibus uti debent? Hoc autem uerbum Domini habet sua clara, aperta, dilucida, & perspicua testimonia in sacra Scriptura, imò uniuersa scriptura in hoc data est diuinitùs, ut quæ sunt saluti nostræ æternæ necessaria, ex ea cognoscamus. Quid enim prodesset, si nobis talis scriptura, qualis est Timæus Platonis, obtruderetur? Quòd si alicubi obscura uidetur, extant alia eiusdem scripturæ loca, quibus obscuriora illustrantur, ut Verbum, quod Dominus nobis cognoscendum proposuit, non sit supra nos, neque procul positum, (ut uerbis Mosi utar) nec in cœlo, multò minus in Roma situm, ut possis dicere, quis nostrum ualet ad cœlum conscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus: neque trans mare, aut ultra montana, Antiochiæ aut Romæ positum, ut causeris & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, aut montes superare, & illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed iuxta nos est sermo in ore nostro, & in corde nostro, ut faciamus illum. Hic enim sermo tam perspicuè in scriptura nobis propositus est, ut de eo & loqui ore & cogitare corde possimus. Nam hoc illud est, quod Esaias de filijs ueræ Ecclesiæ ait: Dabo uniuersos filios tuos Doctos à Domino. Et Hieremias: Dabo Legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà uir proximum suum, & uir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum, ait Dominus. Hoc dicto non extenuat, non reijcit Propheta sacram Scripturam, sed potius commendat eam, & docet, quòd Dominus daturus sit populo suo Spiritum sanctum, ut scripturam rectè intelligant, & ex ea Dominum uerè cognoscant. Aperuit, inquit Lucas, illorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Videamus ergo præcipua capita uerbi Dei, quod in scriptura continetur, & quod ad æternam nostram salutẽ cognitu necessarium est. Sunt autem præcipuè quatuor capita, Decalogus, Symbolon Apostolicum, Oratio Dominica, & Sacramenta.

Decalogus continet omnia quæ Deus à nobis facienda & omittenda exigit. An hic non satis clarè in scriptura extat? An non literæ Propheticæ & Apostolicæ manifestè explicãt, quæ in Decalogo à nobis exiguntur, & quo fine exiguntur?

Symbolon Apostolicum continet omnes Fidei articulos, quibus docemur, quid de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto credendum sit, adeóq; continet breuiter uniuersam doctrinam Euangelij de Domino nostro Iesu Christo, ut qui huic Euangelio crediderit, saluus fiat, qui autem non crediderit, condemnetur. Singuli autem articuli habent in scriptura, sua certa, aperta, clara & perspicua testimonia, si non ubiq;, certè alicubi, & quantum satis est.

Oratio Dominica, summa est omnium piarum precationum, quæ uel in Psalmis, uel aliàs in Scriptura continentur. Et si quæ petitio in oratione Dominica uidetur paulò obscurior, explicatio eius è claris Scripturæ locis peti potest.

Sacramenta

Sacramenta instituit Christus Duo, Baptismum, & Cœnam Domini. Certè uerba, quæ sunt in scriptura de Institutione eorum, nihil habent obscuritatis, nisi si quam inferant Sophistæ importunis suis disputationibus, & Asotici impijs suis deprauationibus. Quid magis perspicuè dici potest, quàm quod Christus ipse de poculo Cœnæ Dominicæ dicit: Bibite ex eo OMNES? & tamen Asotici inueniunt artificium, quo ex OMNES, faciant NON OMNES. Nec mirum, cùm inuenerint etiam artẽ, qua ex uerbo Statuendi faciant uerbũ Abrogandi. Sic enim alicubi in Glossa suorum Canonũ, pro Statuimus, interpretantur Abrogamus.

Quòd si autem de illis capitibus piæ doctrinæ, quæ iam recensuimus, aliquid obscuritatis reliquum est, hoc si fuerit in homine pio quidem, sed inerudito, certè res ipsæ, quantum satis est, notæ sunt ei, & quod adhuc ignorat, docebit eum unctio, sicut Ioannes loquitur. Si uerò fuerit in Asoticis, non mirum est, quandoquidem deus huius seculi solet mentes incredulorum excæcare, ne illucescat illis lumen Euangelij.

Sed abeant Asotici, Nos cùm loquimur de perspicuitate sacræ Scripturę, non respicimus ad ecclesiam Asotorum, sed ad Ecclesiam piorum, cui scriptura in rebus ad æternam salutem cognitu necessarijs, tam clara, tam perspicua est, ut gentes ambulẽt in lumine eius (liceat enim mihi Prophetę uerba huc accõmodare,) & Reges in splendore ortus eius. Et quem admodum Deus populum suum Israeliticũ quondam ita gubernauit, ut etiamsi non haberent Monarchã, tamen in summis periculis excitaret Iudices, quos nos Heroas uocare solemus, qui populum ab iniuria hostiũ mirando modo uindicarent. Ac postea, cùm iam Monarchia & Successio instituta esset, excitauit tamen Prophetas, qui in extrema necessitate uiam euadendi demonstrarent: ita Deus gubernat hisce temporibus Ecclesiam suam, ut etiamsi aliquæ tenebræ inciderint, & Ordinarij Successo res non sint amplius Ecclesiæ amici, sed hostes & persecutores, tamen intantũ non deserat eam, ut si nõ alius sit, qui tenebras discutiat, & hostibus obsistat, heros quispiam siue Ecclesiasticus, siue Politicus, ex lapidibus excitetur. Habemus igitur scripturam de æterna nostra salute, non obscurã, sed perspicuam, non tenebris inuolutã, sed luce illustratam: Et si quid adhuc obscurum est, quod nostra scire interfit, hoc quoq; Deus reuelabit.

Psalm. 18.

Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, Sapientiam præstans paruulis: Iusticiæ Domini rectæ, lætificantes corda, Præceptum DOMINI LVCIDVM, ILLVMINANS oculos. Quomodo autem erit lucidum, quomodo illuminabit oculos, si est obscurum?

Psalm. 118.

Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Quomodo uerbum Dei est Lucerna, quomodo lumen, si est obscurum? Facessat hinc Asotus, cum sua deprauatione, qui uerbum à scriptuta distinguit. Psalmus enim manifestè loquitur de eo uerbo, de eo eloquio, de ijs testimonijs, mandatis, Iudicijs, & Iustificationibus, quæ in scriptura continentur, & quæ tum literis commendata erant.

Matth. 5.

Vos estis Lux mundi. Ergo prædicatio Apostolorum, quæ est ab ipsis excepta, & literis mandata, nõ est obscura, sed lucida. Et si alicubi locus est obscurus, tamen alius est apertus & perspicuus. Explicetur ergo obscu-

rus, non per Asoticas interpretationes, sed per apertum & perspicuum scripturæ locum.

2. Pet. 1.

Habemus firmiorem Sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu LVCERNAE apparenti in obscuro loco, rectè facitis. Vocat Prophetica scripta, quemadmodum suprà exposuimus, Lucernam lucentem in obscuro loco, hoc est, illustrantem obscura. Quomodo autem illustraret obscura, si ipsa esset obscura? Reliquum igitur est, quòd Ecclesia non sit remittenda à Scriptura, tanquàm obscura, ad Asoticos Patres, & Pontificias traditiones, sed potius ad scripturam ipsam, ut in ipsa & ex ipsa ueram eius sententiam, & interpretationẽ, dono Spiritus sancti, consequatur. Quid igitur tandem fiet? & quid faciamus, si controuersia orta fuerit de aliquo loco scripturæ, quem altera pars contendit esse obscurum, altera perspicuum? Quis erit huius controuersiæ finis? Et quod erit ultimum Iudicium? Hic Asotus ducit nos ad sua illa legitima Concilia, quæ iuxta dispositionem Canonum conueniunt. Nos uerò negamus ea esse legitima Ecclesiæ Concilia, quæ ex Asoticis Prælatis congregantur. Non enim agnoscimus eos amicos, sed hostes Ecclesiæ. Et quia Canones etiam ipsi describunt ex Apostolo Paulo, quales debeant esse Episcopi, reipsa autem uidemus, maximam partem Episcoporum, qui hisce temporibus suprema loca in Ecclesijs occupant, haudquaquàm respondere ijs conditionibus, quas Paulus & Canones exigunt, non possumus affirmare, quòd talium Prælatorum conuentus sit legitimũ Concilium, quod habeat in Ecclesia summum & ultimum Iudicium. Quis igitur hanc litem componet? Quis hîc erit Iudex? Vos Asotici, contenditis, exempli gratia, de hoc loco Scripturæ: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quòd nomine Petræ, super quam ædificata est Ecclesia, intelligendus sit Petrus ipse, & omnes Romani Pontifices, Ordinarij Successores Petri. Et adducitis quosdam scriptores, qui uobis patrocinari uidentur. Nos autem intelligimus nomine Petræ, non personam ipsam Petri, & Romanorum Pontificum, sed Christum ipsum, & ministerium Euangelij de Christo. Et habemus alia scripturæ loca, quibus probamus Christum & Euangelion eius esse Petram, ac fundamentum Ecclesiæ. Quis hîc erit Iudex? quod erit ultimum Iudicium? Est alius locus scripturæ de poculo Cœnæ Dominicę: Bibite ex eo omnes. Vos Asotici per Omnes intelligitis, Sacrificulos tantum: aut contenditis licere uestris Prælatis hoc Testamentum Christi mutare. Et uidemini uobis habere iustas uestræ sententiæ causas, quas & recitatis. Nos intelligimus per Omnes, Ecclesiam, non tantum Ministrorum, uerumetiam Laicorum, ut uocant: Et recitamus huius nostræ sententiæ causas, quas etiam scimus esse uerissimas. Quis ergo dirimet iudicio suo hanc litem? Idem de alijs articulis, qui in controuersiam uenerunt, sentiendum est. Nam illos exempli tantum gratia commemorauí. Quo igitur in tanto dissidio nos uertemus? Vos Asotici habetis à parte uestra Magnitudinem, Multitudinem, Potentiam, Sapientiam, Dignitatem, Ordinariam successionem, addo etiam Sanctitatem, intelligo autem non ueram illam cœlestem, sed Monasticam & hypocriticam. Nos pauciſsimi sumus, homines abiecti, egentes, indigni, exules, & mundi excrementa. Et tamen non agnoscimus uos Iudices, nec deferimus uobis summum & extremum Iudicium. Rogas ergo, quem tandem Iudicem,

dicem,& quod Iudicium agnoscamus? Breuissimis & perspicuè respondeo. Eum agnoscimus Iudicem, quem in Symbolo Apostolorum, iam inde ab incunabulis, & paterna atque auita traditione, (ut & nos aliquid traditionibus demus) didicimus Iudicem uiuorum & mortuorum. Interea temporis, dum ille patefaciat sententiam suam, uel particulariter, uel uniuersaliter, uos multi, magni, sapientes & potentes, usurpabitis contra nos paucos, abiectos & egentes, Iudicium, & persequemini nos, pro more uestræ generationis, infamia, direptione facultatum, exilio, igni, aqua, laqueo, gladio, denique omni genere crudelitatis. Certè hæc fuit sors ueræ Ecclesiæ Dei, & uerorum Ministrorum eius, iam inde ab initio orbis terrarum. Vt nihil dicam de Caini, Ismaelis, & Esau persecutione, uide mihi Mosen & Aheronem in Aegypto, Hi prædicabant mandatum Domini Pharaoni, & omnibus Aegyptijs. Etsi autem confirmabant prædicationem suam miraculis, tamen restiterunt eis Iamnes & Mambres, ac uisi sunt ipsi quoq; miracula edere. Quid ergo factum est? & quis fuit inter hos Iudex? Non potuerunt profectò Moses & Aheron in alium consentire Iudicem, præterquàm in Dominum Deum ipsum. Interea autem temporis, dum Dominus reuelaret suam sententiam, necesse habuerunt Moses & Aheron, unà cum populo suo, grauissimas ferre afflictiones, quia à parte Iamnes & Mambres stabat Rex, Principes, Sapientes, & maxima pars populorum. Sed postquàm aduenit tempus reuelandi Iudicij Dei, uidemus Regem unà cum suis in mari rubro submergi, & Mosen ac Aheronem, cum populo suo, summa alacritate occinere: Cantemus Domino. Glorioſè enim magnificatus est. Equum & ascensorem deiecit in mare. Hic uides Asote, quod quærebas, ultimum iudicium, inter Mosen, & aduersarios eius.

In Regno Israel, postquàm diuisum fuit à Regno Iudæ, perpetuum fuit bellum piorum Prophetarum, cum Sacrificulis Baal & uitulorum. Et à parte quidem Sacrificulorum stabant Reges, Principes, & maxima populi multitudo in Regno Israel. A parte autem piorum Prophetarum paucissimi. Quis ergo hîc fuit Iudex? Non certè alius, præterquàm Dominus ipse Deus. Sed interea temporis, dum Deus pronunciaret sententiam, necesse habuerunt pij Prophetæ grauissimè affligi, & ut Apostolus ait, ludibrijs, flagris, uinculis, & carcere explorari, lapidari, dissecari, & occisione gladij occumbere. Postquàm autem uenit tempus pronunciandæ Sententiæ Dei, ecce tibi horribilem uastationem Regni Israel, & demolitionem omnium impietatum, quas hactenus Reges, Principes & populi summa immanitate defenderant.

Inciderat tempore Ahab Regis Israel, certamen de Verbo Domini inter uerum Prophetam Micham, & Pseudoprophetas Ahab. Quis erat tibi Iudex? Num Michas agnosceret Regem Ahab, Sacrificulos & Prophetas eius Iudices? Hoc quidem Legatus Regius à Micha exigebat: Ecce, inquiens, sermones Prophetarum ore uno Regi bona prædicant. Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. Sed Michas recusat, & appellat ad Iudicem Dominum. Viuit Dominus, inquiens, quia quodcunq; dixerit Dominus, hoc loquar. Quid ergo fit? A parte Pseudoprophetarum stant Rex, Principes, & exercitus populi. Michas autem solus, aut cum paucissimis erat. Percutitur ergo in maxillam. Audit à Pseudopropheta: Mene dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi? Conijcitur etiam in carcerem, & sustentatur pane tribulationis, & aqua

angustiæ, donec Dominus Sententiam proferret, & Rex, amissa uita, domum mortuus referretur. Sic enim solet Dominus sententiam suam aduersus impios persecutores pronunciare.

Quanta pugna fuit Prophetæ Hieremiæ, cum Sacerdotibus & Regibus (hoc est) cum uniuersa ordinaria successione? Prophetæ (inquit) prophetant mendacium: Sacerdotes applaudunt manibus, Et populus meus diligit talia. Sed uicissim uociferantur ipsi: Templum Domini, templum Domini, templum Domini. Et: Non peribit Lex à Sacerdote, neque consilium à Sapiente, nec sermo à Propheta. Quò igitur se uerteret Hieremias, unà cum paucis suis, Baruch, Abdemelech, & alijs? Quò, nisi ad Dominum Deum suum, quem solum Iudicẽ agnoscebat? quippe quòd uniuersa ordinaria Successio non solum resistebat ei, uerumetiam condemnabant eum. Itaque iam percutiebatur, iam mittebatur in neruum, iam conijciebatur in lacum, in quo non erat nisi lutum. Sed etsi Dominus aliquandiu conniuit, tamen cùm tempus suum aduenisset, Sententiam in hoc certamine ita profert, ut non solum urbs Hierusalem solo æquaretur, uerumetiam Pontifices, Sacrificuli, Reges & Principes aut miserrima morte perirent, aut in grauissimam seruitutem abducerentur. Nam hęc erat Sententia diuini Iudicij, quo lis illa inter Hieremiam & aduersarios eius componebatur. Veniam ad exemplum noui Testamenti. Notissimum enim est certamen Christi Filij Dei, & Apostolorum eius, cum Pontificibus & Sacerdotibus, cum Scribis & Pharisæis, & cum populo Iudaico. Ex hac parte stabat uniuersa ordinaria Successio: ex illa autem Iesus ille, quem uocabant filium fabri, & nonnulli alij, homines abiectissimi. Num quis, inquiunt, ex Principibus credit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, execrabiles sunt. Quis ergo hîc erat Iudex? Quod erat hîc ultimum Iudicium? Congregauit quidem Caiaphas Concilium, & sederunt ad iudicandam causam, Sed Christus appellauit ad Iudicium Dei. Amodo, inquiens, uidebitis Filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Ad hoc Iudicium appellant etiam Apostoli. An iustum sit, inquiunt, in conspectu Dei, uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Ad hoc iudicium appellat & Stephanus: Video, inquiens, cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. Interea autem temporis, dum Deus Sententiam meditatur, Christus crucifigitur, Apostoli eius uirgis cæduntur, & Stephanus lapidatur. Sed nondum finis. Nam non multis admodũ post annis, Deus hanc pugnam ita dirimit, ut urbs ipsa igni uastetur, & Pontifices unà cũ populo tanta pereant calamitate, ut in toto orbe nihil ferè unquàm horribilius contigerit.

Quid dicam de temporibus Arianis? Etsi enim Patres Nicæni Concilij rectè ex scriptura iudicauerant de uera & æterna diuinitate Filij Dei, tamen paulò pòst impietas Ariana ita grassari cœpit, ut à parte sua non tantum unum & alterum regnum, sed etiam Pontificem ipsum Romanũ, Liberium, & Imperatorẽ, adeóq; totum Orientem, ut Hieronymus scribit, haberet. Quid hîc faceret Athanasius, quid Paulinus, quid paucissimi alij Episcopi, qui tanto furori non consentiebant? Quid aliud facerent, quàm ut appellarent ad Iudicium Dei, & dicerent, quod Zacharias filius Ioiadæ, cùm lapidaretur dixit: Videat Dominus, & Iudicet.

Habet igitur Asotus, quod sæpè ac multùm in scripto suo urget, quem Iudicem, & quod supremum Iudicium in Ecclesia agnoscamus, uidelicet,

cet, Non commenticias Traditiones, Non Patres mortuos, Non Prælatos uiuentes, Non Asoticorum Pontificum Concilia: sed primùm quidem sacrosanctam Scripturam, quæ ut est diuina autoritate & cœlestibus miraculis confirmata, ita in exponendis ijs, quæ ad æternam nostram salutem cognitu necessaria sunt, sufficiens est, & satis perspicua atque aperta. Deinde, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, Iudicem uiuorum & mortuorum, quem & ex corde inuocamus, ut nos paucos & abiectos, aduersus Magnos illos, Multos, Sapientes & Potentes, ac incrassatos, impinguatos, & dilatatos, ueræ Ecclesiæ hostes, clementer tueatur, & nos dextera sua conseruet, ut quicquid nobis interea temporis, dum ipse sententiam Iudicij sui promulgauerit, contingit, obedienter feramus, & Nomen eius siue uita siue morte celebremus.

De Traditionibus.

FRequens ac celebre nomen est Cabalæ apud Iudæos, quod nobis significat Receptionem. Hinc dicti Cabalistæ, qui scribunt, Mosen ab Angelo suo multa cœlestia arcana accepisse, quæ nõ mandauerit literis, sed tradiderit sermone, & quæ posteri receperint auditu. Etsi autẽ non est dubiũ, quin Moses & Prophetæ explicuerint auditoribus suis Decalogũ & Euãgelion de promissione Christi, copioso sermone, & multis uerbis, quæ non sunt literis cõprehensa, & scriptis mandata, tamen occasione Cabalisticæ professionis, Iudæi, excæcatissima & miserrima gens, (Si modò gentis nomine digni habentur) in tantam suorum Rabinorum seruitutem coniecti sunt, ut quicquid ipsis fabularum, quamuis incredibilium, nomine Cabalæ, seu Receptionis & Traditionis à maioribus obtruditur, necesse habeant, tanquàm cœlestia oracula excipere & adorare. Itaq; tanta premuntur tyrannide, ut si Rabinus quispiam dixerit Dextrum esse Sinistrum, & sinistrum esse dextrum, non est in misero uulgo, qui contradicere audeat.

Hanc Iudaicã seruitutẽ & tyrannidẽ suscipiunt hisce temporibus in Ecclesiam filij Dei inducendã hi, quos à Traditionibus dicere posses Traditionarios, aut si breuiori uocabulo delectaris, Traditores, quorũ turbam antecedit nunc Asotus. Hi nõ contenti scriptura diuinitùs cõmendata & cõfirmata, iactant Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorẽ habeant autoritatẽ, q̃ quæ scripto sunt mandata. Colligit igit̃ Asotus, quòd Traditiones sint certissimũ fidei fundamentũ. Hæc Asotica sententia de Traditionibus, omninò refutanda est. Quid.n. miserius, quid æruminosius esset Ecclesia Filij Dei, quid incertius esset salute Ecclesiæ, si fundamentũ fidei eius penderet ab Asoticis Traditionibus? An non haec uia conijceretur Ecclesia in extremã seruitutem ambitiosissimorum Prælatorum & superstitiosissimorum hypocritarum, qui prætextu Apostolicarum traditionũ obtruderent Ecclesiæ non solum uanissimas quasq; nugas, & ineptias, uerumetiã horribiles errores amplectẽdos? Dicendũ igit̃ est de ratione Apostolicarum traditionum paulò copiosius, ut & sua sacræ Scripturæ autoritas maneat, & sua ueræ Ecclesiæ libertas conseruetur.

Ac initio, ne quid ambiguitatis in nomine Traditionis relinquatur, non loquimur nunc de ea traditione, qua nobis sacra Scriptura, & quæ

in ea continentur, à maioribus in manus tradita sunt. Nam hanc Traditionem affirmamus esse certam, firmã, & indubitatam. Et agimus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi summas gratias, quòd excitauerit Spiritu sancto suo Prophetas & Apostolos, qui quæ æternæ sunt salutis, non tantum sermone uulgauerint, uerumetiam Scripto mandauerint, & ad posteros propagauerint, ut habeamus certissimum testimonium eius Doctrinæ, quam ipsi à Deo acceperunt, & Ecclesiæ Dei tradiderunt. Sic Moses, quæ docuit sermone, tradidit literis. Sic Euangelistæ, quæ acceperunt à Christo, tradiderunt scripto. Sic & Paulus, quod concionatus est Euangelion de Christo, tradidit monumentis epistolarũ, Quæ scripta maiores nostri magna fide & diligentia conseruarunt, & nobis inuiolata tradiderunt. Hæc traditio nobis necessaria est, & omnibus modis amplectenda. De qua & Irenæus loquitur, cùm recenset Symbolum Apostolorum, & Successionem Episcoporum. Nam in hoc prodest cognitio ordinariæ successionis, non ut liceat Episcopis noua dogmata aduersus sacram Scripturam fingere, sed ut habeamus ordinaria testimonia, quibus scimus hanc esse illam scripturam, in qua contineatur uera Prophetarum & Apostolorum doctrina. Quare tantum abest, ut hanc Traditionẽ abijciamus, ut pro ea, tanquàm pro aris & focis, aduersus Traditores pugnemus.

In præsentia autem loquimur de ijs Traditionibus, quas nonnulli Scriptores & alij tribuunt Apostolis, quæ tamen ab Apostolis non sunt scripto mandatæ.

In hac igitur disputatione, negari quidem nec debet nec potest, quin tam Christus multa dixerit & fecerit, quàm Apostoli nonnulla tradiderint, & instituerint, quæ ab ipsis non sunt literis comprehensa. Multa alia signa (inquit Ioannes) fecit Iesus, quæ non sunt scripta in hoc libro. Et iterum: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet. Et Paulus: State, inquit, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.

Sed duo nobis hic consideranda ueniunt. Vnum est, quæ sint illæ Christi aut Apostolorum Traditiones, quæ sermone & non scripto posteritati sunt commendatæ. Alterum est: Si constiterit eas traditiones esse Apostolicas, considerandum est, cuius sint generis aut conditionis, & quo consilio sint traditæ, uidelicet, num sint traditæ, uel ad tempus tantum, uel ad externam tantum disciplinam: uel num sint eius conditionis, ut sine ipsarum obseruatione ueram & æternam salutem consequi non possimus.

Omninò enim, ac diligentissimè cauendum est, ne nobis humanæ & ficticiæ Traditiones, pro Apostolicis obtrudantur. Videte (inquit Paulus) ne quis uos seducat, per Philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum. Et aliàs: Ne citò dimoueamini à mente, neq; turbemini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam, tanquàm à nobis profectam. Ex his Pauli dictis uides, ψευδαπόστολους & Impostores, etiam dum Paulus & reliqui Apostoli adhuc uitam in terris agerent, in id studium incubuisse, ut sua ipsorum somnia & figmenta Ecclesiæ pro Apostolicis uenditarent. Quid igitur non facerent ijs temporibus, quæ ab Apostolorum ætate longius absunt?

Et scribit Irenæus, hæreticis solenne fuisse, cùm urgerentur scripturis, ad Traditiones confugere. Cùm ex scripturis, inquit, arguuntur, in accusationẽ conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq;

neq; sint ex autoritate, & quia uariè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri ueritas, ab his qui nesciunt Traditionem &c. An non hæc prorsus conueniunt in Asoticam turbam, qui manifestè dicunt, Scripturam esse obscuram, & ad ueritatem cognoscendam necessarias esse traditiones?

Primùm igitur omnium, Si proponitur Traditio, nomine Apostolorum, summa cura considerandum est, num uerè sit Apostolica Traditio. Vbi autem & quomodo hoc cognoscere licet? Num sufficit nobis autoritas, seu Testimonium unius & alterius Ecclesiastici scriptoris, Basilij (exempli gratia) Epiphanij, Cypriani, aut etiam Romani Pontificis, qui scribit Traditionem illam esse Apostolicam? Decet quidem, ut Maiores nostros suis officijs colamus. Et Charitatis est, sicut Paulus ait, omnia credere. Sed ne ipsi quidem Scriptores Ecclesiastici exigunt à nobis, ut quæuis ipsorum dicta, citra Iudicium arripiamus. Et prudentis fidei est, sic alteri credere, ut non tentemus Dominum, & non prætermittamus nostrum officium.

Eusebius libro tertio Ecclesiasticæ historiæ de Papia scribit. Alia quædam (inquiens) idem Cõmentator (Papias) tanquàm ex VIVA TRADITIONE ad se relata, & peregrinas quasdam parabolas, & doctrinas cum alijs nonnullis fabulosis adijcit, in quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem Mortuorum futuros dicit, in quibus Regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debeat &c.

Hic uides Eusebium, exemplo Papiæ, quem affirmat nonnulla fabulosa & peregrina, tanquàm ex uiua Traditione ad se relata scripsisse, admonere nos, ne temerè Traditionibus, quæ nobis Apostolorũ & maiorum nomine proponi solent, credamus.

In Concilio Aphricano, petunt Legati Romani Pontificis, ut liceat Episcopis Romam prouocare, & proferunt Canonem Nicæni Concilij, cuius autoritate exigunt, ut Aphricanæ Ecclesiæ subijciantur Romanæ. Sed Patres Aphricani Concilij petunt ab Ecclesia Alexandrina, & Constantinopolitana, uera exemplaria Canonum Nicæni Concilij, & deprehendunt Romanum Pontificem ambitione excitatum designasse in proferendis Canonibus Nicænis, crimen falsi. Quare inuehuntur in eum grauissimè, & arguunt eum apertè mendacij. Vt aliqui, inquiunt, tanquàm à tuæ sanctitatis Latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud, quod pridem per eundem coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquàm ex parte Nicæni Concilij exinde transmissistis, in Concilijs ueterioribus, quæ accipiuntur Nicæni, à sancto Cyrillo coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à uenerabili Attico Cõstantinopolitano Antistite, ex Authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, uenerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori uestro à nobis transmissa sunt, In quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos uestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi, in Ecclesiam Christi (quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum uidere cupientibus, præfert) uideamur inducere &c.

Hæc eò recitaui, ut sciamus prudenter & cautè iudicandum esse de Traditionibus, quæ Apostolorum nomine iactantur. Nam si Romani Pontifices & Legati eorum non sunt ueriti coram uenerando Concilio Aphricano, cui etiam Augustinus interfuit, crimen falsi committere, &

quamuis manifestè in eo crimine deprehensi erant, perstiterunt tamen (ut Acta testantur) postulata sua urgere, suspecta nobis esse debent omnia alia, quæ de Apostolicis traditionibus, & de primatu Romanæ Ecclesiæ suo ipsorum testimonio affirmant. Sed iubet etiam Ioannes Apostolus, spiritus probare, num ex Deo sint. Et Paulus: Omnia, inquit, probate, quod bonum est, tenete. Etsi enim Asotus hæc intelligit de ijs, quæ nondum à suis Concilijs probata sunt, tamen cùm in Romanis Pontificibus deprehensum sit manifestum crimen falsi, & non sit dubium, quin Concilia sæpè errauerint, summa est temeritas, traditiones & dogmata de æterna nostra salute, sine iudicio & probatione, ac sine testimonijs sacræ Scripturæ agnoscere. Accedit & aliud, quo admonemur, ut de Traditionibus, num uerè sint Apostolicę, cunctanter iudicemus. Aliquoties enim proponuntur nobis diuersæ de eadem re traditiones, quarum una huic, altera illi Apostolo tribuitur. Extant Traditiones de tempore obseruationis Paschæ. Et alij quidem affirmant Petrum & Paulum tradidisse, Pascha celebrandum esse die Dominico post Lunam decimamquartam. Alij autem scribunt Ioannem Apostolum, & Philippum tradidisse Pascha celebrandum esse Luna decimaquarta. De coniugio Sacerdotum, aliter se (inquit Stephanus) Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Quæ cùm ita se habeant, perspicuum est, si nobis è Scriptore quodam Traditio tanquàm Apostolica proponitur, eam non ideò agnoscendam esse, quòd scriptor ille, quantalibet sit sanctitate aut eruditione, affirmat, sed quia doctrina Prophetica & Apostolica, quæ sacris literis continetur, diuinitùs nobis commendata & confirmata est, confestim expendendum esse, num ea Traditio conueniat cum ijs sacris literis, quæ sunt cœlestibus testimonijs ad nos propagatæ. Nam si cum hac scriptura pugnauerit, dubitari amplius nec potest nec debet, quin scriptor ille, aut alios fallere uoluerit, aut ab alijs falsus fuerit, & pro ueritate mendacium acceperit. Fieri enim non potest, quòd Apostoli Spiritu sancto præditi tradiderint uerbis, pugnantia cum ijs, quæ mandauerunt scriptis.

Deinde, si certò constiterit, Traditionem esse uerè ab Apostolis profectam, proxima cura erit, quo consilio, & in quem usum ac finem ab Apostolis sit instituta. Non possumus autem hoc cognoscere, nisi ex ipsa Apostolorum doctrina, & perpetuo eius doctrinæ, quæ scripto est mandata, consensu. Quare siue dubitemus, siue non dubitemus de Traditione, semper nobis ad sacram Scripturam recurrendũ est, & ex ea iudicium petendum.

Sed perstringamus, exempli gratia, aliquot traditiones, & expendamus eas, iuxta sacræ Scripturæ regulam, ut quid de ipsis sentiendum sit, cognoscamus.

Non uesci nec sanguine, nec suffocato, nec idolothyto, traditio est: & quia ex Actis Apostolicis cap. 15. manifestum est, quòd Apostoli ipsi tradiderint hoc decretum Ecclesijs gentium, non amplius de hac traditione quærendum est, num sit Apostolica, Sed quo consilio, & quo fine Apostoli eam Ecclesiæ commendauerint.

Quæritur ergo, num Apostoli tradiderint eam hoc consilio, ut imponerent Ecclesiæ perpetuam legem, è cuius operum meritis consequerentur homines coram Deo remissionem peccatorum? Nihil certè minus. Hoc enim pugnat cum uniuersa reliqua doctrina Apostolorũ. Primùm enim

enim Apostoli docuerunt Remissionem peccatorum, è solo Christo Filio Dei, per fidem petendam. Deinde liberarunt Euangelio suo gentes à iugo Legis Mosaicæ. Sicut & Paulus ipse, qui interfuit Synodo Hierosolymitanæ, interpretatur hoc decretum. In libertate (inquiens) qua Christus nos liberauit, State, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et iterum: Nemo uos iudicet in cibo aut potu. Et Christus: Quod intrat (inquit) in os hominis, non coinquinat hominem. Quare fieri non potest, quòd Apostoli tradiderint hoc decreto perpetuam legem, cuius opera expient peccata, sed tantum præscripserint præsenti suo seculo regulam ad tempus duraturam, donec offendiculum inter gentes & Iudæos tolleretur. Sic enim Paulus iterum hanc traditionem exponens, Esca, inquit, nos non commendat Deo, neque si comedamus, aliquid nobis supereſt, neq; si non comedamus, aliquid nobis deest, Sed uidete, ne quo modo facultas ista uestra offendiculo sit ijs, qui infirmi sunt.

Ac res ipsa testatur hanc traditionem fuisse inter gentes temporariam. Nam & esus sanguinis inter nos usitatus est, & qui à suffocato non abhorret, huic etiam uesci licet.

Aliud est, quod in Decreto huius Apostolicæ traditionis additur de uitanda Scortatione. Hæc enim nec est lex noua, nec Cærimonialis, sed uetus illa moralis seu naturalis, quæ est in Decalogo promulgata. Non igitur ad tempus obseruanda traditur, sicut alia, de suffocato, Sanguine & Idolothyto, sed perpetuò custodienda mandatur.

Aliud exemplum.

De tempore celebrandi Paschatis extant Traditiones apud Ecclesiasticos Scriptores. Hi cõmemorant, quòd Asiani, qui celebrabant Pascha decimaquarta Luna, retulerint hanc traditionem in Ioannẽ Euangelistam, & Apostolum: Occidentales autem, qui celebrabant Pascha die Dominico post decimam quartam Lunam, retulerint hanc traditionẽ in Petrum & Paulum. Fuerunt autem in ueteri Ecclesia de hac quæstione grauissimæ contentiones. Expendamus igitur hanc traditionẽ, Primùm, Num sit Apostolica, Num Apostoli tradiderint Ecclesiæ certum tempus celebrandi Paschatis. Sed ipsa hæc diuersitas, quam Scriptores de tempore celebrandi Paschatis referunt, suspicionem inijcit, quòd Apostoli nihil tale Ecclesijs tradiderint. Et Paulus dicit: Ne quis uos iudicet in parte diei festi, aut nouilunij, aut Sabbatorũ, quæ sunt umbra rerum futurarũ, corpus autem Christi. Ac iterum: Dies obseruatis ac menses, & tempora & annos. Metuo de uobis, ne frustrà laborauerim erga uos. Et Socrates: Erat, inquit, Apostolorũ institutum, nõ de diebus festis sancire, sed rectam uitam & pietatem docere. Deinde ponamus Apostolos aliquid de tempore celebrandi Paschatis quibusdam Ecclesijs tradidisse, manifestum tamen est, quòd non tradiderint legẽ necessariam, sed disciplinam liberrimam, qua Ecclesia tantisper uteretur, dum utilitati ipsius seruiret. Paulus enim dicit: Hic quidem iudicat diem ad diem conferens, ille autem idem iudicat de quouis die. Vnicuiq; sua mens satisfaciat. Qui curat diẽ, Domino curat. Et qui non curat diẽ, Domino nõ curat. Non potest igitur uerisimile esse, quòd Paulus & alij Apostoli præscripserint ulli Ecclesiæ contra hanc doctrinã & libertatem certũ celebrandi Paschatis tempus necessariò seruandũ. Et Victor Romanus Episcopus grauiter à Maioribus reprehẽsus est, q̃ suscepisset eos, qui decimaquarta Luna Pascha celebrabant, ex Ecclesia abijciendos. Quare siue Apostoli tradiderint, siue nõ tradiderint obserua-

tionẽ festi Paschatis, manifestũ est, quòd hac traditione non uoluerint suã Ecclesiæ libertatem auferre, & cum ijs, quæ scriptis mandarunt, pugnare.

Aliud exemplum.

Basilius de Spiritu sancto scribens, Dogmata, inquit, quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex cõscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ utraq; eandem ad pietatem uim habent, & nemo his contradicit, qui uel saltem modicam Ecclesiasticarum legũ experientiam habet. Et iterum: Apostolicum arbitror esse, etiam in nõ scriptis traditionibus perseuerare.

Recensetaũt has ferè, quæ sequuntur, traditiones sine scripto acceptas.

1. Figura crucis signare eos, qui in nomen Domini nostri Iesu Christi spem habent.
2. Ad orientem conuerti, dum oramus.
3. Inuocationis uerba, dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis.
4. Benedicere aquam baptismatis, & oleum unctionis, & eum, qui baptisatur.
5. Oleum illinere.
6. Ter immergere hominem in Baptismo.
7. Renunciare Satanæ & angelis eius in Baptismo.
8. Erectum perficere preces in una Sabbati.
9. Genua flectere & rursus erigere.

Hæ sunt ferè traditiones, quas Basilius nobis tanquàm Apostolicas proponit. Consideremus igitur, quid de ipsis sit sentiendum.

Etsi autem Basilius uir est in oculis nostris Magnus, quem & agnoscimus & reueremur, tam doctrina quàm pietate insignem, & agimus Deo gratias, quòd excitauerit hunc, per quem multa & magna beneficia in Ecclesiam suã conferret, ac dolemus quòd necessitas cogat nos ab ipsius sententia, hac in parte recedere, tamen non debet nobis esse fraudi, quòd in re seria, & ad salutẽ nostram pertinenti, malumus diuinam & humanã autoritatẽ sequi. Ac nos quidẽ honorificentiæ tanti uiri libẽter parcimus, sicut & hactenus hanc eius sententiam de Apostolicis Traditionibus dissimulare, & silentio potius obruere, quàm exagitare uoluimus. Sed quid faciamus? Aduersarij nostri, propugnatores Pontificiæ superstitionis & impietatis, hunc Basilij locũ ita proferre solent, ut uideantur sibi autoritate eius triumphare. Quanquàm autem Asotus obijcit nobis alicubi Chamũ parentis sui derisorẽ, tamen reipsa ostendam, Asotum & Collegas eius multò impudentiores & sceleratiores esse Chamo. Hic enim, etsi non tegebat nuda uerenda senis Nohæ, non tamen ipse denudauerat, nec cõtendebat ea esse pulcherrimam & uenustissimã corporis partem, sed potius, quia sentiebat esse turpitudinem, derisit. Illi autem immundi porci, non solum ipsi denudant uerenda Basilij, uiri de Ecclesia optimè meriti, uerumetiam contendunt ea esse honestissimum membrum corporis eius. Iubemur honorare parentes, sed si quis filiorum tam insanus esset, ut occultam parentis scabiem, non solum omnibus conspiciendam obtruderet, uerumetiam conniteretur persuadere alios, ut haberent eam pro summa puritate, an non honestè facerent alij, ut impudentem istius insaniam, seruato, quantum licet, honore parenti debito, compescerent?

Etenim negari non potest, quin quod Basilius dixit, Traditiones illas, quas paulò antè cõmemorauimus, ἄγραφας, ab Apostolis esse acceptas, & eandem

& eandem habere uim ad pietatem, quam habent ea quæ scripta sunt, referendum sit in catalogum eorum dictorũ, quæ Patribus ignoscí potius, quàm probari debent. Nostri igitur officij est, ut ista dissimulemus & tegamus. Quin potius, si pergimus actiones Basilij diligenter intuerí, sese ipse tegit, & quod ineogitanti forsitan excidit, haud obscurè aliàs emẽdat.

Oportet, inquit, omne uerbum aut rem confirmare testimonio sacræ Scripturæ, ad certitudinem quidem, & perfectionem bonorum, ad confusionem autem malorum.

Et iterum: In quacunque re, unusquisque se indigum senserit, si in illis (scripturis) conuersetur, uelut ex communi medicamentaria officina, medicamentum ægritudini commodum reperit.

Audis, quanti sacram Scripturam faciat Basilius? Ait, omne uerbum testimonio sacræ Scripturæ firmandum esse. Vult igitur, ut etiam Traditiones, quæ nomine Apostolorum circumferũtur, ad sacram Scripturam exigantur.

Et iterũ ait: Scripturam esse cõmune pharmacopolion aduersus omnem indigentiam. Sed & aliàs Vetus ac Nouum Testamentum uocat, Thesaurum Ecclesiæ. Qui tam præclarè sentit de doctrina scripto Veteris & Noui Testamenti comprehensa, num existimas eum, si seriò admonitus fuisset, traditiones illas pædagogicas & pueriles, quæ nullo scripto continentur, æquaturum aut cum autoritate sacræ Scripturę, aut cum Sacramẽtis Christi in scriptura traditis? Quare exhibita reuerentia, quam tanto uiro debemus, uertam me ad Asotos & Chamitas istos, qui autoritate Basilij aduersus uerè piam doctrinã abutunt. Res mihi erit nõ cum Basilio, sed cum illis, qui ne admoneri quidem uolunt, tantum abest, ut admoniti errores suos emendent.

Quid enim uobis uultis? Obtrudítis nobis traditiones quasdam, Apostolorum nomine, & affirmatis, quòd eandem ad pietatem uim habeant, quam habent ea quæ scripta sunt. Sumamus igitur nonnullas earum in manus, & consideremus, primùm, num ueri simile esse queat, quòd Apostoli eas Ecclesijs obseruandas commendauerint.

Vna est, Figura crucis signare eos, qui credunt in Christum. Etsi per se hoc non est impium, quæso tamen, quid facit uel ad honestam disciplinam, uel ad ueram pietatem? Apostolus ait: Postquàm cognouistis Deũ, quin potius cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis? Qui auditores suos hortatur, ne seruiant infirmis & egenis elementis, putas ne eum tradidisse, ut crucibus manu effictis, sese inuicem signarent?

In Ecclesiastica historia dicit Socrates, quod suprà commemorauimus, Institutum Apostolorum fuisse, non sancire dies festos, Sed docere rectam uitam, & ueram pietatem. Qui non fuerunt sollicíti de tradendis diebus festis, an existimas eos sollicitos fuisse, de formandis manu crucibus?

At enim Satan aliquoties talibus crucibus fugatus est. Scio hoc de Iuliano, & alijs commemorari, Sed scimus etiam Satanam esse mendacem & impostorem, qui idcircò fingat se talibus crucibus fugari, ut superstitionem confirmet & Magiam doceat. Vna enim tantum cruce fugatur Satan, nimirũ, cruce Domini nostri Iesu Christi, eáq; non digitis in aëre aut corpore effícta, ac ne illa quidẽ lignea, in qua Christus pependit, sed ipsa Passione in cruce peracta, & à nobis per fidem susceptа. Quare non est du

bium, quin Apostoli longè occupatiores fuerint in explicanda Passione Christi, quę ueram nobis salutem attulit, quàm ut uacauerit illud de cruce digitis formanda Ecclesijs tradere, quę res pertinet ad ueram pietatem nihil magis facit, q̃ si manibus in aëre circulũ describeris. Dionysius affirmat hunc morẽ signandi baptisatos cruce, idcircò usu. patum, ut homines admonerentur ad ferendam crucem. Christus autẽ docuit hoc prędicatione uerbi sui, non signaculis digitorum. Qui non accipit (inquiens) crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Idẽ docuit etiam Apostolus uerbo: Qui piè uolunt uiuere in Christo, persecutionẽ patientur. Et: Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnũ Dei. Quare, cùm Apostoli rẽ ipsam claris & perspicuis uerbis Ecclesiæ tradiderint, nõ est ueri simile, quòd postea in hanc claram lucem induxerint tenebras umbrarum.

Deinde, concedamus sanè, quòd Apostoli tradiderint talem crucis effictionem, num dicemus igitur, hanc traditionem idem robur ad pietatem habere, quod habet uel Baptismus, uel Cœna Dominica, quæ nobis scripto sunt commendata? Certè nemo rectè de uera Apostolorum doctrina admonitus, hoc affirmare potest. Quare, etiamsi hæc esset manifestè traditio Apostolorum, tamen è scripta eorum doctrina iudicandum est de ea, quòd non sit necessaria obseruatio, nec magica consecratio, sed tantum pædagogica, eáq; liberrima usurpatio.

Alia traditio est: Ad orientem in precatione conuerti. Itáne putas Apostolos sollicitos fuisse, ad quam partem mundi faciem nostram in precatione uertamus, & non potius ut in Spiritu & Veritate precemur? Iudæis quondam, qui adhuc sub elementis mundi erant, præscriptum fuit, ut in exilium eiecti, uerterent in precatione faciem suam uersus Hierusalem. Hoc erat tempus noctis & umbrarum. Nunc postquàm nox præterijt, & corpus absolutum est, Apostoli ne, diei & ueritatis præcones, nouas tenebras & umbras inducerent? Sed demus etiam hanc traditionem esse Apostolicam: quid? Habebit ne ad pietatem eandem uirtutem, quam habet illud, quod scripto mandatum est: Oportet Patrem in Spiritu & Veritate adorari? Quid? Peccabit ne aduersus Deum, qui in precatione sua uerteret sese potius ad Meridiem, aut Septentrionem, quàm ad Orientẽ? Certè si esset traditio Apostolica, quæ eandem haberet uim ad pietatem, cum ijs, quæ sacra Scriptura mandat, fieri non posset, quin esses peccati reus, si te aliò in precibus tuis, quàm ad orientem uerteres. Non damno publicum morem ædificandi templa, fronte ad orientem conuersa. Habet enim suas commoditates. Sed damnanda est meritò illorum hominum impudentia, qui audent contendere, has liberrimas rerum obseruationes, esse sacrosanctas & inuiolatas Apostolorum traditiones.

Est & alia Traditio, Ter immergere hominem in Baptismo.

De hac re extat etiam Canon, inter eos, qui Apostolorum nomine circumferuntur.

Si quis Presbyter aut Episcopus non trina immersione unius mysterij, sed semel mergat in Baptismate, quod dari à quibusdã dicitur in morte Domini, deponatur.

Mirabor, si serio cogitare potes, hanc traditionẽ ab Apostolis ipsis profectam esse. Baptisantur uno die Pentecostes ter mille homines. Si ergo Apostoli necesse habuerunt, iuxta suam ipsorum traditionem, singulos ter immergere, num existimas uno omnes die baptisari potuisse? Sed fortasis hæc est causa, quia dies tum longiores fuerũt, quàm circa brumam.

Paulus

Paulus ad Timotheum & Titum scribens, cõmemorat dotes, quibus is, qui Episcopatu dignus est, ornatus esse debet. Non præfractus, inquiens, non iracundus, non uinosus, non percussor, nõ turpiter lucro deditus, sed hospitalis, bonarũ rerum studiosus, & quæ sequuntur. Quòd si is Episcopus, qui tantum semel eum, qui baptisatur, mergit, meretur ab Episcopatu deijci, an nõ debuisset Paulus in hoc uirtutũ catalogo addere: Mergens eum, qui baptisatur, nõ semel tantũ, sed ter? Iam, si hoc est Apostolicum decretum, cur posteri mutarunt? An nõ Apostolica decreta ἄγραφα eandem habent uim, ut uos asseritis, cum ijs, quæ sunt ἔγγραφα, ideóq; debent esse inuiolata? Sic Gregorium scripsisse testatur Thomas: Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate uel tertiò uel semel immergere. Et quidem addit decretum Concilij Toletani, in quo ita scribitur: Propter uitandũ schismatis scandalum, uel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem. Sed si, Ter immergere, est Apostolica traditio, reprehendatur aut damnetur schisma seu hæreticũ dogma, prædicatione potius uerbi Dei, quàm mutatione traditionis Apostolicæ, quę cùm Christus dixit: Qui uos audit, me audit, debet esse sacrosancta.

Agite dum autem, sit sanè certũ, hanc esse Apostolicam traditionem non scriptam, num parem habebit uim ad pietatem, cum ijs quæ scripto sunt mandata? Baptismus ipse diligenter est nobis in scriptura commendatus. Num ergo tantum peccabit is, qui in baptismo hominem non ter immergit, quantum ille, qui hominem, baptismum legitimè petentem, omninò baptisare recusat? At hoc necessariò sequetur, si traditiones non scriptæ, eandem habent uim ad pietatem, quam habent ea, quæ scripto sunt mandata. Quis autẽ hoc diligenter admonitus sentiat? Quare hæc de trina immersione traditio, aut non est Apostolica, aut si est, pertinet tantum ad pædagogiam, quæ sit liberrimæ obseruationis, & quauis opportunitate mutabilis.

Sed de traditionibus, quas Basilius commemorat, in præsentia satis dictum sit. Nam ex his, quas explicuimus, facilè est de reliquis iudicare.

Percurramus autem unam & alteram traditionem, etiam ex Epiphanio. Oportet, inquit Epiphanius, & traditione uti. Non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt.

Tradiderunt ergo (inquit) S. Dei Apostoli, peccatum esse post decretam uirginitatem ad nuptias conuerti. Et ut uerisimile faciat, hanc esse Apostolicam traditionem, allegat similem doctrinam ex Paulo de Viduis: Iuniores uiduas, inquit Paulus, reijce. Cùm enim lasciuire cœperint aduersus Christum, nubere uolunt, habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint. Expendamus igitur, num hæc traditio sit Apostolica. Affirmat quidẽ Epiphanius eam esse Apostolicam, & iudico eum tam bonum, tam pium uirum, ut hac asseueratione non uoluerit Ecclesiam Domini scienter fallere: Sed cùm non fuerit admodum uicinus temporibus Apostolorum, cogito, multa ad eum publica, sed incerta fama, nomine Apostolorum, relata esse, quæ fortasis alij de Apostolis, ut essent plausibiliora, confinxerunt. Et scribit Eusebius de Clemente, quòd significauerit quædam à Presbyteris, id est, à Successoribus Apostolorũ, uoce sola sibi tradita esse. Quod ergo Presbyteri, hoc est, ut Eusebius ipse interpretatur, Successores Apostolorum tradiderunt, fieri potest, ut pro ipsorum Apostolorum traditione uulgatũ fuerit. Quare uideamus nunc an traditio ista ab Epiphanio recitata, sit Apostolici Spiritus. Primùm, nõ

est certum, quòd temporibus Apostolorum fuerit tale genus uouendæ aut definiendæ, ut Epiphanius loquitur, uirginitatis, quale est usitatum apud Monachos. Nam quod Paulus de Viduis scribit, non loquitur de Nonnabus, sed de mulieribus, quæ orbatæ uiris, tradebant sese in ministerium pauperum Ecclesiæ, idq; ea tantum fide & promissione, qua solent ancillæ sese in ministeria dominarum tradere. Nec, cùm dicit, eas reiicere primam fidem, intelligit monasticum genus uouendi, cùm nondum tale uotum fuerit, Sed intelligit fidem in Christum, quam in Baptismo dederãt. Hæ enim lasciuæ uiduæ, de quibus Paulus scribit, postquàm saginatæ essent facultatibus Ecclesiæ, & metuerẽt, ne si nuberẽt, inferiori loco, q̃; antea, inter Christianos haberentur, maluerunt à Christianissimo prorsus ad Ethnicismũ deficere, q̃; inter Christianos, contemptiores esse. Hoc significat Paulus, cùm dicit eas lasciuisse aduersus Christũ, & conuersas esse ad Satanã. Sed de hoc Pauli loco aliàs copiosius. Cùm igitur non sit certũ, quòd tale genus uouendæ Virginitatis aut Viduitatis fuerit temporibus Apostolorũ usitatum, quale nunc est Monasticum, nõ potest etiam certum esse, quòd hæc traditio de decreta Virginitate sit uerè Apostolica.

Deinde Apostolorum officium fuit, non imponere nouam legem Ecclesię, sed potius liberare eam à iugo ueteris legis. Quid tentatis, inquit Petrus, Deum, ut imponatur iugum super ceruicem discipulorum? Et Paulus: In libertate, qua Christus nos liberauit, state. Non fuit quidem Apostolici officij, ut eximerent Ecclesiam ab obedientia legis naturalis: Hanc enim obedientiam diligenter urserunt. Sed hoc magna cura, quantum in ipsis fuit, prouiderunt, ne ex rebus per se liberis, & in libertatem per Euangelion restitutis, nouæ fierent leges, & noui conscientiarum laquei. Ne quis uos iudicet, inquit Paulus, in cibo aut potu. Et mox: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini, Ne tetigeris, ne gustaris &c.

Virginitatem autem seruare, & cœlibem uitam ducere, res est per se libera. Quare tantum abest, ut Apostoli docuerint, Virginitatem ad cultum & gloriam Dei uouendam, & sibijpsi necessitatem seruandæ uirginitatis, lege uoti, imponendam, ut potius uniuersam Ecclesiam ab hoc instituto doctrina sua deterruerint, & libertatem seruandam censuerint. Quòd si quæ uirgo temerè, contra ipsorum doctrinam, coniecisset se uoto suo, in hos laqueos conscientiæ, putas ne detinuissent eam in his nolentem, inuitam, & conditione sua ad coniugium magis, quàm ad cœlibatum idoneam? Certè quantum intelligi potest è dicto Christi: Nõ omnes capiunt uerbum hoc. Et è dictis Pauli: Melius est nubere, quàm uri. Et: Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic, non solum nõ detinuissent uirginem in illis laqueis, uerumetiam hortati eam essent ad susciendum coniugium. An non enim Vouere uirginitatem humani tantum est arbitrij, non diuini præcepti? Coniugiũ autem seruare, præcepti est diuini. Coniugatis, inquit Paulus, præcipio, non ego, sed Dominus, Vxor à uiro non separetur, & maritus uxorem non dimittat. Cùm igitur Apostoli audiuerint à Christo de Phariseis: Cur uos transgredimini præceptum Dei, propter Traditionem uestram? certè nunquàm in animum induxissent, ut propter humanum uotum, prohibuissent coniugium diuinitùs ordinatum, aut dissoluissent iam contractum. De qua re, si libet quorundam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiam audire, non grauabimur eam recitare.

Epipha-

Epiphanius, in hoc ipso capite, quo commemorat hanc traditionem, sic addit: Melius est unum peccatum habere quàm plura. Melius est lapsum à cursu, palàm sibi uxorem accipere secundum legem, & à uirginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, ueluti qui mala operatus est, ueluti lapsum & fractum, & obligatione opus habentem, & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur &c. Hîc iterum manifestè quidem affirmat Epiphanius, quòd peccet, qui post decretam Virginitatem ad nuptias aspirat, non tamen sentit tantum esse robur decreti aut uoti, ut si quis coniugium ineat, dissoluendum sit, Sed apertè dicit: Melius esse uxorem ducere, & in Ecclesia pœnitentiam agere, quàm peccatum peccato cumulare, hoc est, scortationi operam dare, & ex Ecclesia excidere.

In Concilio Ancyrano ita legitur: Professi Virginitatem qui sunt, si hanc promittentes irritam faciunt, inter digamos censeantur. Digamia autem, qualem illis temporibus intelligebant, uidelicet, cùm quis post prioris coniugis mortem, duxisset alteram, non iudicabatur quidem ex omni parte commendabilis, non tamen damnabatur. Quare, cùm hoc Concilium censet eos, qui professam Virginitatem coniugio uiolant, inter digamos habendos, etsi non laudat horũ factum, tamen non audet damnare, & uel ipsorũ coniugia dissoluere, uel ipsos ex Ecclesia proscribere.

Cyprianus: Si se, inquit, cum fide Christo dedicauerunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium Virginitatis expectent. Si autem perseuerare NOLVNT, uel non POSSVNT, melius est, ut nubant, quàm ut in ignem delicijs suis cadant.

Augustinus: Quidam, inquit, nubentes post uotum, asserũt adulteros esse, ego autem dico uobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Et iterum: Qui dicunt talium nuptias, non esse nuptias, non mihi uidentur satis acutè ac diligenter considerare, quid dicant &c. Et mox: Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse coniugia, non paruum malum, ut à maritis separarentur uxores, quasi adulteræ sint non uxores &c.

Ex hac Patrum sententia, & ex alijs rationibus, quas suprà commemorauimus apparet, quòd hæc traditio, quam ex Epiphanio proposuimus, aut non sit Apostolica, aut si est Apostolica, per peccatum non sit intelligendum tale peccatum, quod natura sua conijciat hominem in æternam damnationem, & propter quod dissoluendum sit coniugium eorum, qui post decretam uirginitatem contraxerunt, Sed pro nota inconstantiæ, quæ etsi honesto homini non est omninò decora, tamen non est abiectione & damnatione digna, & quæ etiam ipsa nonnunquàm est honesta consilij mutatio, si iustę & piæ rationes ita ferant.

Epiphanius recitat etiam aliam Traditionẽ, tanquàm ab Apostolis datam, quòd Quarta & Prosabbato ieiunandũ sit, Et quòd in sex diebus Paschæ nihil accipiendũ sit præter panẽ, salem & aquam &c. Quæso autem te, quis uerè peritus Apostolicę doctrinæ, posset hanc traditionẽ pro Apostolica agnoscere? Fieri quidem potuit, quòd Apostoli ipsi aliquoties his diebus ieiunauerint, & in diebus Paschæ, nihil præter panẽ, salem, & aquã acceperint, Sed quòd hoc suũ exemplum, tanq; firmum decretũ Ecclesiæ imitandum tradiderint, & mandauerint, hoc demùm certis rationibus demõstrari non potest. Apostolorum.n. doctrina est, q; non uno tantũ, & al-

tero die, sed perpetuò ducenda sit sobria uita. Non in comessationibus, inquit Paulus, & ebrietatibus. Eorum etiam doctrina est: Mundis omnia munda. Quomodo igitur præscripsissent Ecclesiæ, certos dies ieiuniorum, & certum genus cibi?

Et quod Epiphanius de Ieiunio Quartæ & Prosabbati affirmat, hoc Augustinus aperte negat. Ego, inquiens, in Euangelicis & Apostolicis literis, totóq; instrumento, quod appellant Testamentum nouum, animo id reuoluens, uideo præceptum esse Ieiunium, Quibus autem diebus non oportet ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini uel Apostolorum non inuenio definitum &c. Quare fieri quidē potuit, quòd hæ consuetudines paulatim apud Apostolicos Successores, pro externa & libera disciplina inoleuerint, sed non est sentiendum, quòd Apostoli ipsi has, tanquàm leges Ecclesiæ necessariò seruandas, imposuerint.

Sunt & aliæ Traditiones apud Epiphanium, De annis Lazari, quot annorum fuerit, cùm est suscitatus, quot postea annos uixerit. De genere Eliæ, & de alijs. Sed non libet has minutias persequi, præsertim cùm aut nihil, aut minimum momenti ad ueram pietatem afferant. Expendamus & eam Traditionem, quam Cyprianus de Mixtura uini cum aqua in calice Dominico scribit. Hanc tanti faciunt Asotici, ut eam etiam inter suos Canones retulerint. Scribit autem Cyprianus, Aquam esse in Dominico calice miscendam, ex ipsius Christi præcepto & traditione. Reueremur quidem huius sanctissimi Martyris autoritatem, & amamus eum ex animo, Sed hoc non est ferendum, quòd Asotici abutantur autoritate eius ad stabiliendas suas partim ineptias, partim superstitiosas & impias traditiones. Dissimulari enim non potest, quòd hic martyr fuerit aliquoties in asserendis suis opinionibus, paulò acrior & uehementior. Id quod testificatur exemplum de Baptismo hæreticorum. Sed quia diuersum sentientes, nec ignibus, nec Satanæ tradidit, ignoscendum ei erit, quantum salua pietate fieri potest. De Asoticis autem longè aliter sentiendum est. Hi enim sua dogmata, & suas traditiones ita asserunt, & tuentur, ut qui diuersum docuerit, anathemate deuoueatur, hoc est, igni & aqua interdicatur, & Satanæ tradatur. Itaque quod in Cypriano est tolerabile, hoc in Asoticis est abominabile.

Sed audiamus quam traditionis seu mixturæ suæ rationem afferat Cyprianus. Si uinum (inquit) tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si uerò aqua sit Sola, plebs incipit esse sine Christo. Habes uerba Cypriani. Etsi autem sentimus & ipsi, non esse aqua tantum in Cœna Dominica utendum, propterea quòd manifestum sit, Christum usum esse uino, nec existimamus per se perniciosum esse, uinum aqua parumper diluere, ac fortassis ipse quoque Christus, aut administri Cœnæ, diluerunt, pro more, uinum aqua. Sed negamus hanc traditionem uel à Christo ipso datam, uel obseruatu necessariam esse. Multò minus iudicamus hanc rationem, quam affert Cyprianus, esse probabilem. Quid enim? Num Christus in Passione sua colligauit sibi Ecclesiam suam tam fragili uinculo, ut si fortè minister Ecclesiæ utatur in Cœna uino tantum, statim Christus incipiat esse sine Ecclesia, & non habeat amplius Ecclesiam? Aut si quis utatur tantum aqua, tum protinus Ecclesia priuetur suo Christo? At Paulus dicit: Mihi persuasum habeo, quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neq; principatus, neq; potestates, neque instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla alia creatura poterit nos

terit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et Christus ipse ait: Nemo potest oues meas rapere de manu mea. Quid ergo de illis uerbis aliud iudicari posset, quàm quòd incogitanti excideriṅt? Sed hæc potius dicta esse uolumus aduersus Asoticos, seueros suarum traditionum exactores, quàm aduersus Cyprianum. Libenter enim uerba eius sic interpretamur, quòd cùm dicit, si quis uinum tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, uoluerit dicere, Solum uinum non significare Ecclesiam esse cum sanguine Christi coniunctam, sicut significaret, si ei aqua admisceretur. Et tamen ne hic quidem sensus tanti momenti est, ut cogat uinum necessariò miscendum aqua. Tametsi enim coniunctio sanguinis Christi & Ecclesiæ eius non significaretur per uinum mixtum aqua, tamẽ Christus ipsa Cœnæ suæ institutione & commendatione, manifestè significauit se coniungere nos ipsi, & nos ipsi coniungi, quòd faciat nos corporis & sanguinis sui participes. Et alioqui etiã apud Esaiam malè audit mixtura uini cum aqua. Exprobrat enim Propheta Ecclesiæ suæ imposturas & rerum corruptionem. Argentum, inquiens, tuum uersum est in scoriam. Et uinum tuum mixtum est aqua. Sed de hac traditione hactenus.

Enumerat & Augustinus alicubi aliquot festos dies, & affirmat eos ab Apostolis traditos, Sed primùm, hoc non ostenditur firmis argumentis. Teneamus igitur, quod ipse scribit, nõ hoc ideò uerum putandum, quòd ipse ita senserit, sed tum demùm accipiendum, cùm id uel per Canonicos autores, uel probabili ratione uerum esse docuerit. Deinde manifestũ est, quod Paulus scribit: Nemo uos iudicet in parte diei festi. Non est autem uerisimile, quòd alij Apostoli aliud ac diuersum docuerint. Postremò testificantur alij Scriptores, quòd non fuerit institutum Apostolorum, leges de diebus festis condere, sed ueram pietatem docere. Quare aut hæc traditio non est Apostolica, aut si est, non est data in perpetuam legem, & singularem cultum Dei, sed tantum ad externam, eamq; liberam disciplinam, quæ tantisper obseruari possit, dum exercitio pietatis utilis esset, mutari autem possit, cùm inciperet pietati magis obesse, quàm prodesse.

Quæ cùm de Traditionibus ita se habeant, manifestum est, quòd cùm Asotici dicunt, Veritatem Euangelij non tantum in Scriptura sacra, uerum etiam in traditionibus sine scripto contineri, Et sacram Scripturam per traditiones interpretandam, adeóq; Traditiones certissimum fidei fundamentum esse, Satan meditetur primùm quidem abolitionem, aut saltem extremum contemptum sacrę Scripturæ, deinde æternam Ecclesiæ internecionem. Cogitat enim Ecclesiam à certissimis ad incertissima: à cœlestibus, ad elementa huius mundi: à diuinis ad humana: denicq; ab oraculis Spiritus sancti, ad somnia & deliria prophanæ carnis, abducere. Ne istud Deus clementissimus sinat, Ecclesiam sanguine Filij Dei redemptam, & electam eius Sponsam, ac Scripturam cœlestibus testimonijs confirmatam, & Ecclesiæ summi thesauri loco diuinitùs commendatam, in tantum periculum uenire, ut illa quidem, fundamenta æternæ suæ salutis, ex incertissimis hominum dogmatis petat, hæc autem uanissimis Asotorum somnijs subijciatur.

De Catholica Ecclesia.

NON est obscurum, quòd Spiritus sanctus ornet Catholicam Ecclesiam maximis laudibus, & collocet eam in tam firma Petra, ut aduersus eam, ne portæ quidē inferi queant præualere. In Esaia de Catholica Ecclesia dicit Dominus: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Et iterum: Gens & regnū, quod nō seruierit tibi, peribit, & Gentes (quæ te persequuntur) solitudine uastabuntur. Ac mox: Non occidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Cùm igitur tam præclara & glorioſa de Catholica Ecclesia dicantur, non est mirum, quòd quiuis hominum cœtus hoc sibi nomen summa contentione uendicare studeat. Sed ueritas eius rei non tam latè patet, quàm nominis usurpatio. Non sunt ignotæ Pseudoprophetarum gloriationes aduersus ueros Prophetas. Et non est inusitatum, quòd Angelus Satanæ transfiguret se in angelum lucis. Ac inter mulierculas solenne est, ut impudicæ uendicent sibi maximè omnium nomen honestarum matronarum. Quare dicendum nobis erit de Catholica Ecclesia, ne cui Asotus iactantia huius nominis, quod est in ore tam ipsius, quàm omnium Pontificiorum Prælatorum frequentissimum, imponat.

Ac siquidem nomen ipsum tam Ecclesiæ, quàm Catholicæ consideraueris, non est eruditis ignotum, quòd latissimè pateat. Psalmus meminit Ecclesiæ, hoc est, Congregationis malignantium, & odit eam. In Actis Apostolicis, scriba uocat cœtum suorum Ethnicorum Ecclesiam. Catholicum autem significat Vniuersale. Et quia in cœtu humani generis, iam inde à condito orbe, nihil est magis catholicum, nihil uniuersalius & generalius, quàm peccare hypocrisi, & idolomaniæ studere, rapere, furari, occidere, inuidere, adulterium committere, impostoris operam dare, & alia scelera designare, idcircò si quis hypocrita, aut idolatra, aut raptor, aut homicida, aut adulter, aut impostor, se in impietate & scelere suo sectari Ecclesiam Catholicam profiteretur, scelerate quidem faceret, non autē falso loqueretur. Quòd si hoc significato Asotus & sodalicium eius iactauerint se esse membra Ecclesiæ Catholicæ, etsi de sorte eorum dolemus, tamen nemo hominum, credo, impediet, quo minus sic Catholici uocentur.

Quibus autem temporibus Arius, summa Christianismi calamitas, cœpit uirus suum in ueram Ecclesiam Domini euomere, obtinuit usus, & publicæ leges postea confirmarunt, ut Catholici dicerentur, qui uniuersalem doctrinam Prophetarum & Apostolorum de uera & æterna diuinitate Christi Filij Dei sequebantur: hæretici uerò, qui Arianam impietatem, aut aliam doctrinam, pugnantem cum Prophetica & Apostolica, profitebantur. Itaq; si hoc usu de Catholica Ecclesia loquendum est, nihil minus, quàm Catholici cognomen in Asotum & sodalicium eius competit. Etsi enim uidentur sibi egregiè de æterna diuinitate Christi sentire, tamen quia transferunt officium, quod solus habet Christus, uerus Deus & homo, in humana opera, idcircò aut habent Ethnicas de diuinitate cogitationes, aut aliud uerbis profitentur, aliud in latebris cordis sentiunt, & sequun-

& sequuntur multas alias impietates, quæ manifestè cum uera doctrina Prophetarum & Apostolorum pugnant. Quare, cùm nos, diuina clementia, eam teneamus de Christo, & diuinitate ac officio eius, ac de omnibus reliquis articulis ueræ nostræ Religionis sententiam, quam nobis tradit Prophetica & Apostolica doctrina, & quam tenuit semper uniuersa uerè piorum Ecclesia, iam inde ab initio totius orbis, nomen Catholicæ Ecclesiæ illis quidem optimo iure adimimus, nobis autem rectè uendicamus. Sed hæc ita se habeant. Nos nunc nomine Catholicæ Ecclesiæ intelligimus, eum hominum cœtum, qui uerè credit in Christum, Patriarchis olim promissum, per Prophetas adnunciatum, & per Apostolos in uniuerso mundo prædicatum ac diuulgatum. Sic definit Paulus Catholicam, hoc est, Vniuersalem Ecclesiam. Non me, inquit, pudet Euangelij Christi. Potentia siquidem Dei est, ad salutem OMNI credenti, Iudæo primùm, simul & Græco. Et iterum: Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Ac rursus: Qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ, & benedicuntur cum fideli Abraham.

Ac fatemur quidẽ, quòd præcipuè in publica pace & tranquillitate multi impij hypocritæ, & impœnitentes, qui uerbis tantum Christũ & Euangelion eius confitentur, corde autẽ alieni sunt à Christo, non tantum admisceantur uerę Catholicæ Ecclesię, sed etiã tanta sint hypocrisi, tanta potentia, & autoritate, ut fiant externi gubernatores Ecclesiæ, ac uideantur in uero populo Dei, qui est uerè Catholica Ecclesia, longè omnium primi.

Sed hoc utcunq; se habeat, certè firmum, fixumq; manet, quòd qui nõ uerè credit in Christum, non sit uerum ueræ Catholicæ Ecclesiæ membrum, nec uerè fruatur eius Ecclesiæ beneficijs, ac prærogatiuis coram Deo, etiamsi uideatur summus in Ecclesia Monarcha.

Agite dum ergo, conferamus inter se Ecclesiam uerè Catholicam, sicut paulò antè eam exposuimus, & Ecclesiam Asoticam, ut altera ab altera discerni queat, & ut cognoscamus, quàm aptè, quàm rectè Asotus & Prælati eius de Catholica Ecclesia glorientur, & quàm iustè sibi ea, quæ sunt uerè Catholicæ Ecclesiæ, adscribant.

Catholica enim Ecclesia, ea uidelicet, de qua nunc nobis est sermo, uera & inæternum beata, constat ex gratuita & clementi electione Domini Dei nostri per unigenitum Filium eius Iesum Christum, in Spiritu sancto. Non uos (inquit Christus) me elegistis, sed ego uos elegi, ut eatis, & fructum afferatis. Et: Nemo potest ad me uenire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Ac rursus: Nemo nouit Filium, nisi Pater. Neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cuicunq; uoluerit Filius reuelare. Et Ioannes: In hoc (inquit) est charitas, non quòd nos dilexerimus Deũ, sed quòd ipse dilexerit nos. Et Paulus: Quos (inquit) præsciuerat, eosdẽ & prędefiniuit cõformes fieri imaginis Filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Quos autẽ prædefinierat, eosdem & uocauit. Et quos uocauit, eos & iustificauit. Ac iterum: Elegit nos in ipso antequàm iacerentur fundamenta mundi. Asotica autẽ Ecclesia non constat ex Electione Dei, sed sufficit, quòd ore confiteatur Christum, etiamsi corde sit Epicureo, & uita Sybaritica. Sic enim Asotus scribit: Ecclesia, inquiens, cui promissio illa Christi facta est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eã, uisibilis est, nec ex ele-

ctione Dei aut uera fide & charitate internis pendet, ut quis ad Ecclesiam pertineat, siue ut subditus, siue ut Prælatus, &c. Et iterum: Nec gratia, nec certè interior aliqua uirtus occulta, requirenda est uel in membris, uel in ministris eius, præter publicam & legitimam professionem fidei, & uocationem, ut ad eam pertineant, & eius munera integra perficiant.

Hic nunc expende mihi, quo iure Asotus uendicet suæ Asoticæ Ecclesiæ, quæ ad solam uerè Catholicam Ecclesiam pertinent. Sed pergamus.

Catholica Ecclesia renascitur, non ex carne & sanguine, non ex humana electione aut successione, sed ex Deo, per sermonem Dei uiuentis.

Ioannis 1.

Quotquot receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri (uidelicet) his, qui credidissent in nomen ipsius. Qui non ex SANGVINIBVS, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex VOLVNTATE uiri, sed ex DEO nati sunt.

Matth. 16.

Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.

1. Pet. 1.

Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei uiuentis & manentis in æternum. Et additur: Hoc autem est uerbum, quod per Euangelion delatum est ad uos.

Asotica autem Ecclesia fit ex humana Electione, & Successione. Dicit enim Asotus, confugiendum esse ad successionem non interruptam. Et: Vbi est (inquit) hæc Ecclesia Apostolis succedens, ibi est uerum Dei uerbum. Scilicet hoc uult Asotus, quòd ubicunque possit Successio ab Apostolorum tempore in Ecclesia numerari, ibi sit uera Ecclesia, & uerum Verbum Dei. Quasi uerò, Successores Apostolorum, & auditorum ipsorum, non possint esse impijssimi & sceleratissimi nebulones. Quid igitur ad Ecclesiam Asoticam, quæ Filius Dei suæ Ecclesiæ Catholicæ promisit, & præstare solet?

Ecclesia Catholica agnoscit synceram prædicationem uerbi Dei, & uerum ac rectum usum Sacramentorum eius, sicut ea tradit Prophetica & Apostolica Scriptura. Et ubicunq; in toto orbe terrarum hæc prædicantur, & peraguntur, ibi ueram esse Catholicam Ecclesiam iudicandum est.

Ioannis 8.

Qui est ex Deo, uerba Dei audit.

Ioannis 10.

Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Ioannis 15.

Elegi uos, & constitui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Vbicunq; ergo prædicatur uerbum Apostolicum, ibi fructus affertur, si non multus & illustris, aliquis tamen, & Deo conspicuus. Vnde & postea dicit, Ioannis 17.

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Christus autem non uenit frustrà in mundum, nec prædicauit Euangelion suum frustrà in mundo. Fieri ergo nõ potest, ut & Apostolicum uerbum frustrà adnuncietur.

Rom. 1. Non me pudet Euangelij Christi, Potentia siquidem Dei est, ad salutem omni credenti.

Esaiæ 55. Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultrà non

nõ reuertitur, sed inebriat terram,& perfundit eam,& germinare eam facit,& dat semen serenti & panem comedenti. Sic erit uerbũ meum quod egreditur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, sed faciet, quæcunque uolui,& prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Asotica autem Ecclesia non relinquit uerbum Dei in sua synceritate, sed deprauat ipsum alienis interpretationibus,& peruertit uerum usum Sacramentorum: Ac negat, quòd synceritas uerbi Dei, & uerus Sacramentorum usus sint certa signa, quibus uera Ecclesia cognoscatur. Non enim recipit scripturam, nisi & addat Traditiones, & sicut à Patribus & Conciliis exponitur. Constat autem, quòd multæ Traditiones, quæ Apostolorum nomine iactantur, pugnent cum sacra Scriptura, quemadmodum suprà explicuimus, & quòd Patres atq; Concilia Scripturam sæpè ac multùm sint interpreti, non iuxta sensum Spiritus sancti, sed iuxta sensum humanæ prudentię. De Sacramentis autem manifestum est, quòd Asotica Ecclesia uerum eorum usum peruertat. Sordidat enim baptismum ficticijs suis appendicibus,& humanis traditionibus. Ac baptisat non tantum homines, quod Christus instituit, uerumetiã campanas, quæ est impietas Magica, sicut propicio Deo suis locis demonstrabitur. De poculo Cœnæ Domini, cùm Christus dicat: Bibite ex eo OMNES, Et sic Ecclesia Catholica utatur, Asotica ecclesia dicit: Nolite ex eo omnes bibere. De signis uerò demonstrantibus ueram Ecclesiam, Asotus disertis uerbis dicit: Non esse Ecclesiam, ubicunq; prædicantur uerba Dei. Et iterum: Fraudulenter, inquit, & subdolè dicitur, signa certa, quibus Ecclesia dignosci potest, esse synceram Euangelij prædicationem, & rectam atq; secundum Christi institutionem, administrationem Sacramentorum &c.

Cùm ergo tantum sit discrimen Catholicæ & Asoticæ Ecclesiæ, qua fronte audet hæc sibi uendicare, quæ illi tantum conueniunt? Catholica Ecclesia interpretatur Patres, Traditiones & Concilia per scripturam, & scripturam interpretatur per scripturam, hoc est, eo sensu, quem Spiritus sanctus in scriptura tradit.

Galat. 1.

Si nos aut Augelus de cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis (& quod nunc instinctu Spiritus sancti, literis sacris mandatum est) anathema sit.

2. Petri 1.

Habemus firmiorem sermonem Propheticum, (qui continetur Prophetica scriptura, ut suprà exposuimus) cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis.

Asotica autem ecclesia interpretatur scripturam per Patres, per Traditiones & per Concilia. In scriptura (inquit Asotus) uera fides quærenda est, Sed prout à Patribus traditur.

Quid ergo commune est Asoticæ ecclesiæ cum Catholica?

Catholica Ecclesia, si de doctrina sermo est, fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica. Nec tradit ulla dogmata extra eam doctrinam, quæ scriptis Propheticis, & Apostolicis continetur.

Ephes. 2.

Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo.

Actor. 26.

Auxiliũ nactus Dei, usq; in hodiernũ diem sto, testificans tum paruo,

tum magno, NIHIL ALIVD dicens, & ea quæ Prophetæ prædixerant futura esse, & Moses, an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen sit adnunciaturus populo & gentibus.

Asotica autem ecclesia fundatur super traditionibus & dogmatis extra scripturam. Sic enim dicit Asotus: Traditiones sunt certissimum fidei fundamentum. Et iterum: Ecclesia tradit dogmata fidei extra scripturam. Quare, cùm Asotica ecclesia sit structura alterius fundamenti, non habet commune habitaculum in ædificio Catholicæ Ecclesiæ.

Ac breuiter, Catholica Ecclesia, agnoscit unum solum caput æternæ suæ salutis, tam in cœlo, quàm in terra, Dominum nostrum Iesum Christũ, & ad hunc solũ Seruatorem suum alligata est, atq; in hoc solo quærit ueram & æternam suam salutem per fidem. Ac utitur quidem ministris suis, non ut dominentur, sed ut seruiant ipsi, idq; non pro eorum arbitrio, sed iuxta regulam à sacra Scriptura præscriptam. Solum autem Iesum Christum Filium Dei agnoscit Dominum, & Sponsum suum, & ex eo solo, tam uiuens quàm moriens pendet.

Matth. 28.

Data est mihi omnis potestas tam in cœlo, quàm in terra. Et: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Ioan. 10. Cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

1. Corinth. 6.

An nescitis, quòd corpora uestra sint membra Christi?

Ephes. 1.

Omnia subiecit sub pedes eius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Et rursus.

Summo angulari lapide Iesu Christo, in quo quæcunq; structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in Domino.

Aciterum: Christus est caput Ecclesiæ, & idem est, qui salutem dat Ecclesiæ.

Ecclesia autem Asotica agnoscit in his terris pro capite suo Romanũ Pontificem, & est alligata ad Prælatos, qui sunt Romano Pontifici subiecti, quos & dominos suos, non seruos agnoscit, Nec pendet ex solo Christo, nec quærit in eo solo salutem per fidem, sed quærit eam etiam in Contritione, in Ieiunio, in horis Canonicis, & in omnibus suis operibus, quibus confidit se gratiam Dei mereri. Dicit enim Asotus aperte: Ecclesia est humana congregatio, habet Prælatos & superiores suos. Et addit quidem Asotus (Hi sunt ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, Quæ uerba scribit Paulus, sed nihil ad Asoticos Prælatos) mox autẽ subiungit: Alligata est ijs tota Ecclesia, nõ minus quàm quælibet alia respub. suis capitibus & gubernatoribus. Ac mox: Sine illis, uidelicet, Prælatis, (quos ipse uocat, sed falso, ministros Christi legitimos) non est Ecclesia.

Habes, quantũ sit discrimen, & quantũ inter se pugnẽt Ecclesia Catholica, & ecclesia Asotica. Videamus ergo nunc quę filius Dei Catholicę Ecclesiæ promiserit, & quã ei autoritatẽ tribuerit, ut sciamus, quòd cum Asotica ecclesia longissimè à Catholica distet, maxima sit impudentia sibi arrogare, quod soli Catholicæ Ecclesiæ competit.

Primùm

Primùm enim Christus Filius Dei agnoscit Catholicam Ecclesiam, Sponsam suam, quam & diligit, & pro qua se exposuit, ut sanctificaret illam mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibijpsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Cùm igitur Asotica ecclesia pugnet cum Catholica, quemadmodum copiosè demonstrauimus, manifestum est, quòd hoc beneficium Filij Dei ad eam prorsus non pertineat: & ubicunque Scriptura concionatur Ecclesiam esse Deo acceptam, sanctam, & formosam, non sit intelligendum de Asotica, sed de uerè Catholica Ecclesia.

Deinde Filius Dei promittit Catholicæ Ecclesiæ firmitatem & stabilitatem aduersus portas inferi: Super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quare cum Asotica ecclesia sit hostis Catholicæ Ecclesiæ, non est sentiendum, quòd constet aduersus portas inferi, sed sit exposita libidini Satanæ & omnium angelorum eius.

Adhæc, Catholica Ecclesia est columna, ut Paulus loquitur, & stabilimentum ueritatis: quia in sola Catholica Ecclesia, quæ agnoscit Prophetica & Apostolica scripta, inuenitur uera, firma & certa doctrina de Deo, & de æterna nostra salute. Sed quia Asotica ecclesia distat à Catholica longissimè, ut suprà indicauimus, ideò non inuenias in ea, nisi mendacium, & uanitatem: Ac siquando ueritatem profert, in mendacio eam detineat, & deprauet.

Præterea, Filius Dei promittit & largitur Ecclesiæ suæ Catholicæ Spiritum sanctum, & continuam sui præsentiam. Accipite, inquiens, Spiritum sanctum. Et: Ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Asotica igitur ecclesica, quia pugnat cum Catholica, non habet Spiritum sanctum, nec habet Christum præsentem, tutorem, & seruatorem.

Deinde Filius Dei dat Catholicæ Ecclesiæ autoritatem remittendi & retinendi peccata, per prædicationem Euangelij, ut qui Euangelio crediderint, accipiant remissionem peccatorum, qui uerò non crediderint, retineantur eis peccata. Hæc igitur autoritas nihil ad Asoticam ecclesiam, quòd non habeat ullum pium commercium cum Catholica.

Accedit huc, quòd Filius Dei dederit Catholicæ suæ Ecclesiæ autoritatem Iudicandi & probandi quamuis doctrinã, & de eius uel ueritate uel uanitate testificandi. Omnia, inquit, probate. Et: Duo aut tres Prophetæ loquantur, & cæteri dijudicent. Asotica igitur ecclesia tam non potest habere hanc autoritatem, quàm magnum habet discrimen à uera Catholica Ecclesia.

Deinde, Filius Dei promittit Catholicæ suæ Ecclesiæ precum exaudi tionem. Antequàm clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et: Petite, ac dabitur uobis, quærite, & inuenietis, Pulsate, & aperietur uobis. Et: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut Pater glorificetur per Filium. Hac igitur promissione Asotica ecclesia frui non potest, quòd etsi uidetur Christum Filium Dei cognoscere, tamen non glorificat eum, ut Christum, quemadmodum suprà demonstratum est.

Quid plura? Filius Dei promisit Catholicæ suæ Ecclesiæ uictoriam in morte, liberationem à doloribus inferni, & æternam iustitiam ac uitam,

Præcipitabit, inquit, in monte isto faciem uinculi colligati super omnes populos, & telam quam sortitus est super omnes nationes, præcipitabit mortem in sempiternum &c. Et: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors &c. Et: Aculeus mortis peccatum, potentia uerò peccati lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Quare cùm Asotica ecclesia persequatur, nomine & prætextu Christi atque Ecclesiæ, Christum, & ueram Catholicam eius Ecclesiam, qui est mos Antichristi, fieri non potest, ut fructum huius promissionis capiat, sed necesse habet in morte perire, & in tartarum, perpetuò affligenda, præcipitari. Hæc est sors, hæc est hæreditas Asoticæ ecclesiæ. Si dixerit (inquit Christus) malus seruus in corde suo, cunctatur dominus meus uenire, cœperitq; percutere cõseruos, imò edere & bibere cum ebrijs (id quod facit Asotica ecclesia) ueniet dominus serui illius in die, quo non expectat, & hora, qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Illic erit ploratus & stridor dentium. At enim, dices, quid si Asoticus quispiam impio & Lucianico corde admisceat se Ecclesiæ ueræ Catholicæ, & profiteatur unà cum pijs, doctrinam Christi, tanta eloquentia, tanta prudentia, tantáq; externæ uitæ honestate, ut eligatur publico suffragio in Ministrum, adeóq; Episcopum Ecclesiæ? Num ministerium huius esset ueræ Ecclesiæ inutile, & inefficax? An qui per hunc baptisarentur, non uerè essent baptisati? An qui per hunc audirent cœlestem doctrinam, non possent Spiritum sanctum accipere? An qui ab hoc Cœnam Domini sumerent, non sumerent uerum corpus & sanguinem Christi? Dixi suprà, quòd fieri soleat, ut impij hypocritæ admisceantur ueræ Ecclesiæ. Ea enim est sors Euangelicæ sagenæ, ut cùm in mare huius mundi iacta fuerit, contrahat ex omni genere piscium, malorum pariter & bonorum. Sed etsi hypocritæ sunt in externa congregatione & societate ueræ Ecclesiæ, tamen cùm sint animo impio, Lucianico & Epicureico, nihil certius est, cẽq; quòd non sint illa Catholica Ecclesia, aduersus quam non præualeant portæ inferi, quemadmodum Asotus alicubi nugatur. Nihilominus autem, si fuerint ad ministerium Ecclesiæ uocati, & docuerint quæ pia sunt, atque administrauerint Sacramenta, iuxta institutionem Christi, ipsi quidem sunt Deo abominabiles, ministerio autẽ eorum efficitur id, ad quod Dominus ordinauit. Incrementum enim non est hominis ministri, sed Spiritus sancti, qui cùm sit liberrimus donorum suorum dispensator, & misereatur, cuius uult, non respicit, quod ad se attinet, organi indignitatem, sed suam ipsius clementiam & liberalitatem. Itaque repudiamus Donatistas, qui docuerunt Spiritum sanctum non esse per ministerium malorum efficacem. Si autem impij hypocritæ docuerint pugnantia cum cœlesti doctrina, & peruerterint uerum usum Sacramentorum Christi, quales esse Asoticos Prælatos suprà ostendimus, & postea propicio Deo, copiosius probabimus, nulla amplius nec reuerentia, nec obedientia obstricta est eis Catholica Ecclesia, etiamsi fuerint antea legitimè uocati, & longa ordinariæ successionis serie illustres. Quin potius necesse habet Ecclesia eos fugere & uitare, ac si fieri potest, ab ouili Christi tanquàm lupos arcere. Sic enim impios doctores fugere, non est nec Apostolicam doctrinam, nec Catholicam Ecclesiam deserere, sed uerè in ea permanere. Torquet quidem Asotus in nostram desertionem illud Ioannis, E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Non considerauit autem, quid præcedat. Antichristi (inquit

sti(inquit Ioannes)multi cœperunt esse. Cùm igitur accusemus Asoticũ sodaliciũ Antichristianismi,& reipsa manifestũ sit, eos impia docere,& Institutionem Sacramentorum Christi deprauare, necessitas salutis nostræ exigit, ut colluuiem eorum, qui in Apostolica doctrina non permanserunt, detestemur,& quàm contento possumus cursu fugiamus. Quid enim apud cæcos doctores diutius hæsissemus? Si cæcus, inquit, cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Quid spei de uera nostra salute nobis in turba Pseudoprophetarum,& inter satellites Antichristi relictum esset? Veniunt,inquit,ad uos, in uestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Sed quid si hypocrita, qui & impia docet,& recta deprauat, tanta fiat potentia & autoritate in Ecclesia, ut in suam sententiam pertrahat nõ tantum maximam collegarum suorum, sed etiam Principum ac populi partem,& omninò uiolenter contendat se unà cum suis ueram esse Catholicam Ecclesiam Christi? Nam & hoc urget Asotus,ac propemodum encomium(sed ante uictoriam)canit,quòd ab ipsorum ecclesia discesseri/mus. Vnitas, inquit,certum signum est Ecclesiæ. Discessio autem proprium signum hæretici.Si intelligit, Vnitatem per se certum esse signum Ecclesiæ,& discessionem per se, proprium esse signum hæretici, quid furiosius? Quid enim? Itáne certum est, ibi esse Ecclesiam, ubi est unitas? Fateor, nihil esse amabilius, nihil iucundius unitate, mutuáque charitate & concordia. Et: In hoc, inquit Christus, cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam.Sed numquæuis charitas, quæuis concordia, quæuis unitas, certum ac infallibile signum est ueræ Ecclesiæ,& quæuis discessio proprium signum hæretici? In Regno Israelitico, Rex Ahab, Principes, Sacrificuli Baal,& maxima pars populi coniungebantur concordia & unitate in cultu Baalitico,Elias autem discedebat ab eis.Ergo ne illi uera erant Ecclesia, quia consentiebant, Elias autem hæreticus, quia hanc consensionem deserebat? In occidendo Christo, conueniebant unanimi consensu Caiaphas, Annas, Pilatus, Principes, Pontifices, Sacerdotes,Senatores,& uulgus. Quare fremuerunt, inquit Psalmus, gentes,& populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in VNVM, aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Vtamur igitur dialectica Asoti,& dicamus hos esse Ecclesiam Dei, Iosephum autem & Nicodemum esse hæreticos,quòd ab his discesserint.Putas ne Asoto cerebrum esse,qui aduersus Confessionem tam Illustris & pij Principis,in tanta eruditorum ubiq; uirorum corona,adeóq; nomine Catholicæ Ecclesiæ,tam inepta,tam stulta,tam ridicula,breuiter,tam Asotica spargere audeat? An non uidet etiam inter Turcas esse in impietate sua,atque adeò etiam inter Latrones, in latrocinio suo, Vnitatem? Si autem Asotus intelligit, tum demùm unitatem esse certum signum Ecclesiæ, cùm est uera consensio in pia doctrina,& discessionem tunc esse signũ hæretici, cùm disceditur à doctrina Prophetica & Apostolica,cur,obsecro,aliâs affirmat,fraudulẽter & subdolè dici, syncerã Euangelij prædicationẽ & rectam administrationem Sacramentorum esse certa Ecclesiæ signa? An non hæc est nostra, cum Asotica colluuie controuersia, quòd ipsi quidem discesserint à uerè pia doctrina,nos autem eam profiteamur, ac diuina clemẽtia teneamus, Et quid tandem dicemus? Hoc ne uult Asotus, ut deserta pia doctrina, unanimes simus cum defectoribus ab ea,& cùm ueræ Ecclesiæ persecutoribus? Non ignoro, quid Asoticum sodalicium iudicet. Nec ignoro,

quòd à parte sua habeat maximam potentiam, sapientiam, & multitudinem huius orbis, & quòd persequatur, quanta potest crudelitate, quot quot sententiæ eius restiterint. Vnum igitur hoc reliquum est, ut cùm hi multi & magni, qui impietatem suam mordicus tuentur, uendicent sibi falsò nomen Catholicæ Ecclesiæ, & persequantur paucos, & abiectos, qui hoc unum agunt, ut uerè Catholica Prophetarum & Apostolorum doctrina illustretur, agnoscamus ueterem Ecclesiæ Christi fortunam, de qua dictum est: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur: Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Etsi enim coram huius mundi tribunali, causa cadere uidemur, aliud tamen reliquum est tribunal Christi Filij Dei, coram quo sicut nunc magna fiducia, ita tunc summa alacritate stabimus aduersus eos, qui nos (ut uerbis Sapientiæ utar) angustiauerunt, & qui labores nostros abstulerunt. Nam quæ eo loco sequuntur, ut non sunt ignota, ita non dubito quin suo tempore in Asotico sodalicio coram uniuersa Creatura implentur.

FINIS.

APOLO-

APOLOGIAE CONfessionis Illustrissimi Principis ac Domini D. Christophori, Ducis Vuirtenbergensis, &c.

PERICOPE PRIMA.

AVTORE IOANNE BRENTIO.

BENE igitur uertat, aggrediamur ad principale institutū, & percurramus singula capita Confessionis, ut eluamus sordes, quibus eam Asotus fœdis & inquinatis suis manibus asperſit. Ac profectò, non omninò nullo periculo hanc Camerinam mouendam suscipio. Metuendum enim est, ne & ego tractatione eius aliqua ex parte commaculer, & nauseantem lectorem absterream. Sed dabo operam, quoad eius, diuina clementia, per me fieri potest, ut fœtorem Asoticarum sordium, incenso bono Christi thymiamate disijciam, & Sanctuarium Domini expurgem.

De Deo, & tribus in Vna diuinitate Personis.

ETSI Asotus testificatur ipse, quòd, nec in hoc, nec in duobus, quæ mox sequuntur, capitibus, nihil pugnās cum Catholica ueritate contineatur, ea tamen est in homine scribendi libido, ut teneri non possit, quin suas utrinq; ineptias adijciat.

Ac initio, Confessionem horum trium articulorum, ita in nobis probare uidetur Asotus, ut tamen interea significet, se existimare, quòd hæc uerbis quidem cōfiteamur, reipsa autem negemus. Alioqui enim, quam nobis obstinationem obijceret? aut ad quam cessionem nos uocaret?

Ineptus homo, putat tum demùm hanc confessionem in nobis probandam, cùm unà cum ipsa amplectamur etiam Sophisticas & Monasticas impietates, quas postea commemorabit.

Sed non agnoscimus, nec Asotum, nec Ecclesiam eius, nostrum Iudicem. Domino Deo nostro, Iudici uiuorum & mortuorum stamus aut cadimus. Et quod hic de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto confitemur, nostra est propria, hoc est, uerè Catholicæ, non Asoticæ Ecclesiæ possessio. Nec quicquam moror uel testimonia uel Confessiones Asoticæ Ecclesiæ, de Diuinitate. Ethnici, Iudæi, & Turcæ uidentur de diuinitate aliquoties honestissimè loqui. Sed quia non agnoscunt Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, nullum habent Deum. Dæmones uociferantur apud Lucam, Iesum esse Christum, Sanctum Dei, & filium Dei altissimi. Sed quia prosequuntur eum perpetuo & uirulento odio, iubentur obmutescere, & aliò se proripere.

Quid ergo de Confessione Asoticæ ecclesiæ sentias? Hæc enim Ecclesia, etsi uidetur aliquoties Christiana uerba loqui, tamen quia sequitur Ethnicas & Iudaicas impietates, & officium soli Christo filio Dei conueniens, & debitum, aut ad humana opera transfert, aut cum eis communicat, quemadmodum in προλεγομένοις indicauimus, & postea copiosius probabimus, non est, cur in confessione eius, quamuis speciosa, multum ponamus.

Deinde, cùm Confessio Principis allegasset tria Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasij, ibi statim colligit Asotus, etiam alias scripturas, præter Canonicam, recipiendas, seu, ut ipse loquitur, efficaces esse. Constare enim (inquit) quòd hæc tria symbola ad Canonem sacræ scripturæ non pertineant. Satin' sanum putas esse Asotum? Nam cùm autoritate Pauli Apostoli, & aliorum piorum dicimus, omnem necessariam doctrinam de uero Deo, & æterna nostra salute contineri in scriptis Prophetícis & Apostolicis, seu, ut alij loquuntur, in Canonicis libris Veteris & Noui Testamenti, nec extra hanc doctrinam, aliam agnoscendam esse, nõ loquimur de literis & syllabis. Refutamus enim Arianos, qui damnabant nomen homousij, quòd hæ literę & syllabæ non hoc ordine in scriptura contineantur. Refutamus etiam Anabaptistas, qui damnant Baptismum infantium, quòd hæ literæ & syllabæ, (Infantes sunt baptisandi) non hac continuatione in scriptura legantur. Sed loquimur de Sententia scripturæ, De ipsa, inquam, scripturæ Sententia & ueritate loquimur, ut hoc dicatur in scriptura comprehendi, quod cum sententia & ueritate scripturæ conueniat, siue hoc alia lingua, siue copiosiori aut breuiori sermone explicetur. Extra autem scripturam esse, quod à sententia & ueritate scripturæ abhorreat, & cum ea pugnet. Sicut enim Paulus de regno Dei scribit, quòd non sit in sermone, Sed in uirtute: ita de sacra scriptura dicendum est, quòd non sit in literis & syllabis, sed in sententia. Non hoc dico, quòd nullus sit literarum & syllabarum usus, sed quòd præcipuè quæratur, quid per has literas & syllabas significetur. Non putemus, inquit Hieronymus, in uerbis scripturarum esse Euangelion, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Nunc ergo uide mihi, aut ineptias, aut impietatem Asoti. Si enim sentit, hæc tria symbola idcircò non pertinere ad Canonem sacræ Scripturæ, quia literæ & syllabæ horum symbolorum non hac notarum serie contineantur in libris Canonicæ scripturæ, quid eo ineptius? aut qui cum pugnat? Quis unquàm dixit aut scripsit hæc symbola tale uerborum ordine & continuatione in libris sacræ Scripturæ contineri? Si autem sentit, hæc Symbola idcircò non pertinere ad Canonem sacræ Scripturæ, quia sententia eorum non contineatur in ea, nec ex ipsa probari queat, quis eo magis impius? Sciat enim Asotus, nos non ideò agnoscere hæc tria symbola, quia Prælati eius approbauerunt, sed quia uidemus ea esse epitomen, in quam breuiter & perspicuè à pijs nostris maioribus collatum sit, quid nobis uniuersa scriptura de Deo Patre, & unigenito filio eius Domino nostro Iesu Christo, ac de Spiritu sancto, & de æterna nostra salute sentiendum & credendum proponat. Itaque siue de Symbolis, siue de Concilijs, siue de scriptis patrum sermo fuerit, censemus sacram Scripturam semper anteferendam, & non hanc illis, sed illa huic subijcienda.

Sed hic uide mihi insignes Asoti ineptias. Cùm enim suam Confessionem

sionem recitat, addit in scholijs: Prudens (inquiens) lector cognoscat alia etiam Concilia præter IIII. illa susc ipienda esse. Et mox: Quòd si illa, & reliqua omnia uniuersalia susc ipi debent, quæ in Ecclesia recepta sunt. Non possum satis mirari imprudentiam Asoti, quòd statim ab initio libri sui tam ridiculas ineptias Lectori obtrudat. Quid enim recti, quid sani prudens Lector sibi in progressu libri polliceretur, cùm mox penè in uestibulo tam absurda ei ab Asoto obijciantur? Dicit enim: Si aliqua Concilia generalia susc ipiuntur, omnia susc ipienda erunt. Quid uanius dici potest? Paulus Apostolus explicaturus in Epistola ad Romanos, legem dilectionis, citat ex Deuteronomio alteram partem Decalogi, Non adulterabis, Non occides &c. Dicemus ergo ad Paulum: Quid? si agnoscis hanc partem legis Mosi, & imponis eam Christianis, necesse habebis uniuersam legem Mosi Christianis seruandam obtrudere. Ergo Christiani circumcidantur, Sabbatum obseruent, Sacrificent boues & oues, abstineant à carne suilla. Quid igitur aliâs scribis: Si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit. Et: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos?

Idem Apostolus utitur aliàs hemistichio Arati, & uersiculo Epimenidis poëtæ Cretensis, ac Iambico Menandri. Argumentabimur ergo ad modum Asoti: Paulus agnoscit quædam dicta Ethnicorum poëtarum. Necesse igitur habebit omnes eorum fabulas, quas de dijs suis nugati sunt, agnoscere. Tali acumine digna est Asotica Ecclesia, ut qualem habet religionem, talem habeat etiam dialecticam. Nos, quod de Symbolis antè diximus, idem etiam sentimus de Concilijs, siue generalibus, siue specialibus, uidelicet, quòd quemadmodũ Paulus eatenus probat in Christianismo legem Mosi, quo ad Prophetæ & Christus eam, post missionem Spiritus sancti seruandã docuerunt. Et usque eò agnoscit scripta Ethnicorum poëtarum, dum cum lege naturali aut morali conueniunt: ita nos eatenus agnoscimus Concilia, quo ad dogmata & decreta sua testimonijs sacræ Scripturæ probauerint, refutaturi ea, si cum sacra Scriptura pugnauerint. Non ignoro quidem, Paulum de circumcisione sic argumentari: Contestor omnem hominem, qui circumciditur, quòd debitor est totius legis seruandæ. Hoc autem de his loquitur, qui illustrato iam Christo recipiebant circumcisionem, sola legis autoritate. Quæ autem nos Concilia recipimus, non agnoscimus ea Conciliorum, sed sola sacræ Scripturæ autoritate, ut quæ uera & pia definierunt Concilia, amplectamur, non propter ipsa Concilia, sed propter sacram Scripturam, cuius testimonio ea probantur. Quare ualde ridiculum est, quòd Asotus obtrudat nobis omnia Concilia amplectenda, quia uidet nos nonnulla amplecti. Nos enim, ne Angelorum quidem, nedum hominum Concilium agnoscimus, quod aliud nobis Euangelion adnunciat, præterquàm quod Propheticis & Apostolicis scriptis continetur & probatur.

De Filio Dei.

IN hoc capite Confessio Principis utitur nomine Consubstantialis & Personæ. Quæ uocabula, cùm non inueniantur in scriptura, arbitratur Asotus, multa extra scripturam, è Patrum definitionibus recipienda esse. Sed de uocabulo Consubstantia-

lis, quædam in προλεγομένοις dicta sunt, & paulò antè ostensum est, quòd cùm dicimus, In doctrina de uero Deo, & æterna nostra salute, nihil extra & contra scripturam recipiendum esse, non loquamur de literis & syllabis, sed de Sententia & rebus ipsis Scripturæ. Tot extant apud Veteres, in Ariano dissidio, scripta, quibus comprobatur, nō propterea sententiam, aut rē ipsam non contineri in scriptura, quia uocabulū in ea non continetur, ut mirari non satis possim, qua fronte, aut qua inscitia, & stupore frater culi nobis, prætextu nominis Consubstantialis & Personæ, obijciant, multa esse recipienda, quæ in scriptura non ponuntur. Probus Iudex, designatus Arbiter inter Athanasium & Arium: Hoc, inquit, contentionis uicio deputabitur, ut documentum nudi sermonis exigas, cui fidei sensum scripturis copiosius noueris redundare. Cyrillus ad Hermiam dicit: Nihil damni uerbum (homousij) secum affert, siquidem uerissimum fuerit, quod per id significatur. Augustinus de hoc ipso uocabulo dicit: Quid contentiosius, quàm ubi de re constat, certare de nomine? Et aliàs: Aduersus impietatem Arianorum hæreticorū, nouum nomen patris homousion condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt. Non igitur mouemus logomachiam, Sed sententiam uerborum, & ueritatem rerum inquirimus. Fingant & excogitent uel Patres, uel Monachi uocabula extra scripturam, quæ libet, etsi periculum est, tamen, si seruent & sectentur ueram scripturæ sententiam, haud difficilis erit compositio.

Adhæc Confessio Principis in hoc capite dicit: Sanctos Patres exposuisse testimonijs sacræ Scripturæ in Concilijs, quid de Filio Dei sit sentiendum. Ibi Asotus arripit uerbum Exponendi, & uocabula Patrum, atq; Conciliorum, & hinc argumentatur Scripturam esse dubiam & ambiguam, & Patres in Concilijs habere autoritatem exponendæ scripturæ. Quis ad tantum Asoti acumen non obstupescat? Homo cæcutiens, uidit in Confessione Principis hæc uocabula, (Exposuerunt,) (Sancti Patres,) & (in Concilio,) non autem uidit additum esse, (Testimonijs sacræ Scripturæ) Non enim ulla expositio uel Patrum, quamuis sanctorum, uel Conciliorum siue specialium, siue Generalium, agnoscenda est, nisi habeat sacræ scripturæ testimonia. Quòd si hæc testimonia necessaria sunt expositioni, profectò non debent esse dubia, ambigua, flexiloqua, & obscura, sed certa, firma, perspicua & aperta. Quomodo enim incertum per incertum, obscurum per obscurum, aut probabis aut illustrabis? Sed de perspicuitate sacræ Scripturæ suprà dictum est. Nam cùm dicimus scripturam esse perspicuam, Primùm, non affirmamus eam esse perspicuam impijs, & Asoticis Prælatis, sed pijs, Inuocantibus Deum ex fide. Si adhuc, inquit Paulus, uelatum est Euangelion nostrum, in ijs, qui pereunt, uelatum est, in quibus deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij, gloriæ Christi, qui est imago Dei. Et iterum: Animalis homo non accipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quòd spiritualiter dijudicantur. Deinde, non dicimus, omnia loca scripturæ esse nobis perspicua, sed dicimus res ad æternam nostram salutem cognitu necessarias habere in sacris literis, certa, firma, perspicua & aperta testimonia, quibus tanta fides adhibenda est, ut ne angelo quidem aliud prædicanti credendū esset, quibus etiam alia, quæ uidentur obscura scripturæ loca explicantur, & illustrantur. Nam si quid in ea reliquum est obscuritatis, hoc aut ignoratum non damnat, aut explicatum non plurimum iuuat. In Esaia fit sermo de

Duma,

Duma,& dicitur,Custos,quid de nocte,Custos,quid de nocte? Dixit custos, Venit mane, & nox. In hoc loco explicando torquentur interpretes,ignoratione partim phraseos,partim historiæ.Ac iucundum quidem esset, certam & genuinam huius loci sententiam cognoscere: Sed quia in cognitione eius nõ est summa nostra salus posita,boni consulimus obscuritatem eius,nec idcircò sequitur, Scripturam esse obscuram. Quantum laborant tam eruditi quàm ineruditi interpretes, ut exponant primam uisionem Ezechielis? Et nonnulli afferunt ualde uerisimilia & iucunda. Nec dubito, quin res per hanc uisionem significata sit alioquí pijs notissima, & in alijs Scripturæ locis apertè tradita. Sed quia ea,quæ nobis ad ueram salutem cognitu necessaria sunt,habent manifesta & perspicua testimonia scripturæ, non est uel is Ezechielis, uel alius locus tanti momenti,ut propter eum accusemus scripturam obscuritatis. Agimus Deo Patrí Domini nostri Iesu Christi summas gratias, quòd tradiderit nobis in scriptura per Spiritum sanctum suum,tam illustria, & tam aperta rerum necessariarum testimonia, ut uerbum Dei,quod in scriptura continetur, meritò dicatur lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris.

Postremò, nec hoc impedit perspicuitatem Scripturæ, quòd non cuiuis datum est donum interpretandæ scripturæ. Etsi enim multi sunt rudes & indocti, tamen si uerè sunt pij, non sunt ipsis ignota præcipua Christianæ doctrinæ capita, ad quæ uniuersa scriptura sese refert. Et si quid obscuræ quæstionis aut controuersiæ inciderit, Spiritus sanctus, qui non est ad Asoticam Ecclesiam, & Ordinariam eius successionem alligatus, quemadmodum suprà demonstrauimus, sed ueram Ecclesiam summo fauore complectitur, teneri non potest, quin excitet, quos uult, qui eam de rebus necessarijs è sacra Scriptura erudiant. Quo tempore Ahab rerum Israeliticarum potiretur, iacebat Ecclesia eius regni tanti tenebris inuoluta, ut ne ab ipsis quidem Prophetis agnoscerétur. Dereliquerunt, inquit Elias,pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, Et derelictus sum ego solus.Nam cultum Baaliticum,qualis est & cultus Missaticus, non tantum approbabant, sed etiam tuebantur Rex, Regina, Principes, & maxima populi multitudo. Deus tamen non deseruit ueram Ecclesiam, sed excitauit Eliam & alios quosdam, qui donati Spiritu sancto explicabant uerã sententiã scripturæ, de uero cultu Dei, & retinebant septem millia, inter tot myriades, in officio, ut non curuarent genua sua ante Baal. Cùm immineret Babylonica uastatio urbis Hierusalẽ, miserrima erat facies Ecclesiæ populi Dei, & grauissima uertebatur quæstio in Regno Iudæ, de uero cultu Dei. Maxima pars populi, unà cum Pontificibus, sacerdotibus, Regibus & Principibus, cõtendebant sua Sacra, quæ maiores zelo quidẽ Dei,non autẽ secundum scientiam instituerant, esse uerum Dei cultum. Sed interea Spiritus sanctus excitat Hieremiam & nonnullos alios,quos ornat dono interpretandæ scripturæ:& quanq; Reges,Principes,& populi contendunt scripturam non à parte Hieremiæ, sed ab ipsorum parte stare, & conijciunt ueros scripturæ interpretes, tanquàm hæreticos, in carceres, tamen uera Ecclesia conseruatur diuinitùs, & Scriptura manet ei tam perspicua, & aperta, ut maluerit ab impijs Pontificibus ac satellitibus eorum discerpi, quàm perspicuam & ueram scripturæ sententiam abnegare. Cùm Christus Filius Dei nasceretur homo in hoc mundo,

manifesta quidem erat scriptura de aduentu Christi,& de tempore aduentus eius. Manifestæ etiam erant è scriptura circũstantiæ personæ matris, Loci natiuitatis eius, quẽ etiam Pontifices ipsi ex Propheta Herodi indicant,& aliarum rerum necessariarum. Sed interea tanta erat cæcitas Pontificum & Phariſęorum,ac reliquorum Principum populi,ut non solum non agnoscerent uerum Christum,sed etiam persequerentur eum. Et tamen spiritus sanctus nõ deseruit ueram Ecclesiam,sed excitat præter paucos quosdam alios,etiam pastores, quibus sententia scripturæ magis perspicua erat quàm uniuerso agmini Pontificum & sacrificulorum. In Concilio Constantiensi, maximus quidem fuit cœtus Pontificum, Principũ, Monachorum,ac reliquorum hominum, sed qui fuerint tum uera membra Ecclesiæ,Deus nouit. Etsi autem sacra Scriptura de usu uini in Cœna Dominica clarissima est, & maximè perspicua, tamen erat illis ita obscura, ut & eum, qui diuinitùs erat ad illustrandam hac in parte scripturam excitatus,igni traderent, & maximam Christianorum partem secum tenebris inuoluerent. Quare,cùm Asotus uociferatur de ambiguitate & obscuritate sacræ Scripturæ, intelligamus eum respicere in suorum Prælatorum colluuiem, qui palpant in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, non in ueram Ecclesiam Christi, quæ in rebus ad æternam salutem cognitu necessarijs, manifesta habet & perspicua testimonia scripturæ,ideóq; sentiendum est,quòd scriptura ei nec ambigua sit, nec obscura, & rectè ac iucundè dixerit Gregorius:scripturam esse pelagus, in quo elephas natet,agnus autem pedítet.

De Spiritu sancto.

CONfessio Principis recitat in hoc capite ueram fidem de Spiritu sancto,& ut suam pijs Patribus honorificentiam deferat, laudat sententiam Concilij Constantinopolitani de Spiritus sancti diuinitate aduersus Macedonium. Sed Asotus perpetuò eadem oberrans chorda, arguit nõ unum tantum & alterum Concilium, Sed & alia publica Conciliorum iudicia agnoscenda,nec licere alicui ijs contradicere. Paucis respondeo. Siquidem Asotus loquitur de ijs Concilijs,in quibus conueniunt pij,& docent,quæ docenda sunt, è sacra Scriptura rectè intellecta, certè ea Concilia amplectenda sunt,nec licet cuiquam ijs cõtradicere. Amplectenda autem sunt, non quia multitudo ita docet, sed quia ex autoritate sacræ Scripturæ ita docet. Si uerò Asotus loquitur de Concilijs suorum Prælatorum, qui putant se in mitris suis episcopalibus habere Spiritum sanctum captiuum,& cùm nec pietate, nec etiam aliquoties eruditione sacrarum literarum sint ornati,sentiunt sibi licere quidquid,quantumuis à scriptura abhorrens, statuere, ac Ecclesiæ seruandum obtrudere, palàm & ingenuè fateor, quòd decreta talium Conciliorum non solum non sint agnoscenda, uerum etiam ipsis,quoquomodo fieri potest & licet, seueriter contradicendum. Quare quòd Arius,Nestorius, Eutyches, & Macedonius contradixerint pijs Conciliorum decretis,impium est, non quia contradixerunt Concilijs, Sed quia contradixerunt Testimonijs scripturæ, quibus ea Concilia ad confirmanda sua decreta, uerè ac synceriter utebantur. Quòd autem Hieremias cap. 26. contradixit Concilio Sacerdotum, Prophetarum & totius

totius populi, qui aduersus eum in domo Domini congregati fuerunt: Et Ioseph ac Nicodemus, & nonnulli alij contradixerunt Concilio Caiaphę, & aliorum Pontificum ac Seniorum, qui conuenerunt aduersus Christum: Et Paphnutius Concilio Nicæno de Coniugio sacerdotum: & Ioannes Hussus Concilio Constantiensi de sumendo integro Sacramento in Cœna Dominica, pium est, & sanctum, ac diuinitùs approbatum, quia qui contradicebant, habuerunt à parte sua sacram scripturam, hoc est, oraculum Spiritus sancti, cui non homines tantum, uerumetiam angeli cedere debent. Quod autem Asotus addit, Controuersias de fide terminandas esse publico & communi Iudicio Ecclesiæ, Sciat eas omnes iam esse, diuina clementia, terminatas, decisas, & definitas uno eóq; certissimo Concilio Prophetarum & Apostolorum, quorum decreta & statuta collata sunt in libros Sacræ & Canonicæ scripturæ. De quo Concilio Petrus ita concionatur: Hunc (Iesum) Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, posteaq; resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, quòd ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo Iudex uiuorum & mortuorum. Huic OMNES Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Habes Concilium Prophetarum & Apostolorum. De quo Concilio Paulus quoque scribit. Non estis, inquiens, hospites & incolæ, sed ciues sanctorum ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Quid, quòd etiam duarum muliercularum, Elizabethæ & Mariæ uirginis Concilium, quod Luc. cap. 1. describit, multò certius terminauit & definiuit controuersias de fide, quàm omnia Asotica concilia. Quare ualeat Asotus cum suis Conciliis & Ecclesijs, nos, quæ uerè sunt salutaria habemus iam, diuina clementia, sufficienter definita, ac rogamus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Spiritu sancto suo per ea mentem nostram illustret ac gubernet, & nos in ijs conseruet ac tueatur.

Sed & hoc addit Asotus, In Concilio Constantinopolitano nihil de processione Spiritus sancti à Patre & Filio definitum, ideóq; recipienda & alia Concilia, & nouas Ecclesiæ definitiones, cùm de nouo cœperit aliquid in dubium reuocari. Scilicet in epitoma piæ doctrinæ, in qua hoc præcipuè agitur, ut articuli, de quibus controuertitur, breuiter & summatim commemorentur, omnia possunt aut debent nominatim referri. An non enim omnia pia Conciliorum decreta probantur, cùm autoritas sacræ Scripturæ agnoscitur? Nam, quod ad processionem Spiritus sancti attinet, Scriptura apertè testificatur, Spiritum sanctum procedere à Patre, & mitti à Filio. Nunc ergo, siue dicatur Spiritum sanctum ex Patre per filium, quod Græci, siue ex Patre filióq; procedere, quod Latini contenderunt, non puto salutẽ Ecclesiæ periclitaturã, tantummodò uerè credamus Spiritũ sanctum uerũ ab æterno Deum, unius eiúsdemq; maiestatis cum Patre & Filio. Certè cùm lego controuersiam, quæ fuit ea de re inter Græcos & Latinos, plus inuenio ibi contentionis quàm ædificationis. Et non est obscurum, quàm deridendos sese illi, exteris etiam gentibus propinauerint, quòd ob duas, ut ipsi loquebantur, minimas uoculas, (Ex, & Per,) uniuersum Christianum orbem perturbarent. Nam quòd Asotus existimat: In nouis controuersijs, necessarias esse nouas Ecclesiæ

definitiones, ne istud clemẽtissimus Deus sinat, ut nouũ aliquod dogma de æterna nostra salute in Ecclesiam inducatur. Etsi.n. falsa dogmata reprehendenda, & damnanda sunt, nõ tamen sunt damnanda nouis, sed tantũ ueteribus dogmatis, quę in ueteri, ac uera scriptura sacra continentur. Rectè Tertullianus: Aduersus (inquit) uniuersas hæreses iam hinc præiudicatũ sit, id esse uerum, quodcunq; primum, id esse adulterum, quodcunq; posterius. Facessant igitur noua seu posteriora, nos prima & uetera iam olim cœlestibus miraculis confirmata, agnoscimus, ex quibus, quicquid est posterius & recentius, iudicandum & definiendum censemus.

De Peccato.

HActenus confessi sumus, etiam teste ipso Asoto, pia, orthodoxa, & Catholica. Nunc autem, rem infaustam, postquàm instituitur sermo de Peccato, incipimus & nos Asoto peccare, & nonnulla hęreticorum more, proh nephas dissimulare. Sed benè habet. Aliud.n. est ab Asotica ecclesia erroris & hæreseos accusari, aliud uerè coram uera Dei Ecclesia erroris & hæreseos conuinci. Audiamus igitur Asoticam accusationem, ut depulsio eius rectius cognoscatur.

Confessio Principis affirmat hominem initio conditum esse à Deo iustum, sapientem, libero arbitrio præditum, Spiritu sancto ornatum, ac fœlicem. Ac ad priora quidem uerba Asotus conniuet, posteriora autem illa (Spiritu sancto ornatum, ac fœlicem) arripit, & ad ea ἐσωτίαν suam allinit. Hoc, inquiens, nec in scriptura sacra alicubi apertè dicitur, neque colligitur aliqua necessaria ratiocinatione, nec est per Ecclesiam unquàm certò definitum. Et mox addit: Multò minus dici propriè potest, fœlicem creatum hominem, cùm tam breui ceciderit. Hæc est Asoti subtilitas. Ac profectò habes Asote, hac in parte confitentem reum, quòd hæc uerba (Adam fuit initio Spiritu sancto ornatus, & fœlix creatus) non contineantur hac literarum & syllabarum serie in sacra scriptura: sed quòd non colligantur necessaria ratiocinatione è scriptura, & ueritas huius rei non contineatur in scriptura, hæ demùm meræ sunt nugæ. Adam enim initio conditus est ad imaginem & similitudinem Dei. Hoc cùm latè pateat, tum eò etiam respicit, quòd Adam sit à Deo conditus, Iustus & sanctus. Iustitia enim & sanctitate fuit Adam Deo similis, iuxta quidem creaturę mensuram. Quid ergo dicemus? Potest ne quisquam hominum esse iustus & sanctus absque Spiritu sancto? An non Iustitia & sanctitas dona sunt Spiritus? Cùm igitur fatemur Adamum esse initio iustum & sanctum à Deo conditum, mox fateamur, necesse est, eum donis Spiritus sancti ornatum. Cùm mulier condita esset è costa Adæ dormientis, & adstaret ex improuiso euigilanti, confestim erupit Adam in hanc uocem: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hęc uocabitur Virgo, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, &c. Hæc uerba, quæ liber Geneseos adscribit Adamo, tribuit Christus Deo, uidelicet hoc significans, quòd sint uerba Dei per Adamum loquentis. An non legistis, inquit, quòd is, qui fecit ab initio, masculũ & fœminam fecit eos. Et dixit: Propterea deseret homo patrẽ & matrem &c. Cùm igitur Deus sit locutus per Adamũ adhuc iustum & sanctũ, certè necessaria ratiocinatione sequitur, Adamũ fuisse tunc Spiritu sancto ornatũ, nisi fortè Spiritus sanctus non est uerus Deus Asoto. Paulus Apostolus ad Ephe-

ad Ephesios scribens, facit ex Adamo Prophetam, & Euangelistam de Christo & Ecclesia eius. Membra, inquit, sumus eiusdem corporis, ex carne eius, & ex ossibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur uxori suæ, atque è duobus fiet una caro. Mysterium hoc magnum est, uerum ego loquor de Christo & de Ecclesia. Paulus affirmat uerbum Adami esse magnum mysterium, & prophetare de Christo & Ecclesia. Et Asotus audet affirmare, non posse necessaria ratiocinatione è scriptura colligi, quòd Adam fuerit ornatus Spiritu sancto. Quid est stupida impudentia, si hæc non est? Confitetur ipse Asotus, Adamum in tanta rectitudine atque integritate animi & corporis creatum à Deo, ut inferiores omnes uires, rationi, quamdiu illa Deo subdita esset, obedirent. Potest ne esse aliqua animi rectitudo & integritas absque Spiritu sancto? Et quid? An Adam non uerè cognouit Deum? non obediuit Deo, priusquàm peccauit? Potest autem esse uera Dei cognitio & obedientia, absq; Spiritu sancto?

Non ignoro Augustinum, quem ab Asoto in testimonium non esse hoc loco citatum miror, negare, quòd Adam recens creatus habuerit Spiritum sanctum, & uocare Paulum Apostolum in testem, qui scribit: Factus est primus Adam, in animam uiuentem, extremus Adam, in Spiritum uiuificantem. Et mox: Primus homo de terra, terrenus. Secundus homo ipse Dominus de cœlo. Sed hæc sententia Augustini in eorum pertinet catalogum, quæ in tanto heroë dissimulanda magis quàm exagitanda sunt. Nec obscurum esse potest pressius intuenti, quòd testimonio Pauli ad suum institutum abutatur. Nam si Adam idcircò non fuit ornatus Spiritu sancto, quia scriptum est: Factus est in animam uiuẽtem, certè eadem argumentandi ratione sequitur Christum non habere corpus terrenum, quia dicitur, quòd factus sit in Spiritum uiuificantem. Sed sicut Paulus non negat Christum habere suam carnem, etiamsi dicatur eum factum in Spiritum uiuificantem: ita non negat Adamum habuisse Spiritum sanctum, etiamsi Adam dicatur factus esse in animam uiuentem. Hoc autem docet Paulus, quòd Adam initio creatus sit è terra, ut quamdiu in hac terra uitam ageret, exerceret opera terrenæ & animalis uitæ, hoc est, ederet, biberet, dormiret, uigilaret, ambularet, & id genus reliqua: quæ & exercuisset, etiamsi non peccasset, donec translatus esset in spiritualem ac cœlestem uitam. Christus autem missus sit in Spiritum uiuificantẽ, ut regeneraret homines, ac excitaret eos à morte, nec amplius exercerent opera animalis & terrenæ uitæ, sed haberent & corpora & opera spiritualia. Vides igitur hunc Pauli locum non patrocinari sententiæ Augustini. Ac siquidem humana autoritate utendum est, oppono Augustino Cyrillum, qui clarè affirmat, Adamum initio Spiritu sancto ornatum fuisse.

Cyrillus.

Vbi Deo conditore animal hoc suæ naturæ rationibus absolutum est, accepit statim similitudinem ad illum. Insculpta est enim ei diuinæ naturæ imago, inspirato sancto Spiritu. Ipse enim est Spiritus uitæ, quandoquidem uita secundum naturam est Deus.

Et iterum.

Quod conditum est, ineffabili uirtute animabatur, donóq; Spiritus sancti ornabatur.

Oppono & Hieronymum, qui ita scribit.

Primus homo, & primus uates Adam, hoc de Christo & Ecclesia PROPHETAVIT, quòd reliquerit Dominus noster atque Saluator Patrem suum Deum, & matrem suam cœlestem Hierusalem, & uenerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam &c. Si Adam fuit primus Propheta, & prophetauit de Christo & Ecclesia, ut & suprà ostendimus, fieri non potest, ut caruerit Spiritu sancto.

Audiamus & Ioannem Damascenum.

Fecit, (inquit) Deus hominem purum, prauitatéq; carentem, rectum, fortem, iucundum, securum, omni Virtute decorum, bonis omnibus ornatum, ueluti quendam secundum mundum, in magno quidem mundo paruum, angelum alterum, adoratorem mixtum, inspectorem uisibilis creaturæ, discipulum intellectualis, eorum quæ in terra sunt regem, rectum desuper, terrenum simul & cœlestem, temporalem & immortalem, uisibilem & intelligibilem, medium magnitudine & humilitate, eundem spiritum & carnem, Spiritum propter gratiam, carnem propter elationem &c.

Sed fortassis dicet Asotus hæc patrum dicta per Prælatos suos reiecta esse. Sinamus igitur eum suo sterquilinio frui, & sibi inter suas arundines, quas pro libidine fingit ac refingit, blandiri.

Sed nec hoc potest Asotus surda aure præterire, quòd Confessio dicit hominem initio à Deo conditum esse Fœlicem. Multò minus, inquit Asotus, dici propriè potest fœlicem creatum hominem, cùm tam breui ceciderit. Discamus igitur ab hoc Theologiæ professore non tantum nouam Theologiam, uerumetiam nouam Grammaticam, ut pro breui intelligamus (impropriè.) Adam breui fuit fœlix. Ergo impropriè dicitur fœlix. Pergamus igitur eodem tenore. Adam breui fuit in Paradiso. Ergo impropriè dicitur fuisse in Paradiso. Christus breui transformatus est coram tribus discipulis in monte. Dicitur ergo impropriè esse transformatus. Christus breui fuit in cruce, & fortassis uix tanto tempore, quanto Adam in Paradiso. Dicendum igitur erit Christum minus propriè fuisse in cruce. Itaque minus propriè dicetur nostra peccata expiasse, & nos à morte redemisse. Vide, quæso, in quantas absurditates libido cõtradicendi uanum hominẽ conijciat. Sed non libet nobis tales fraterculi φλυαρίας pluribus persequi. Quis enim tandem esset scribendi finis?

Hic uerò grauiter aduersum nos insurgit Asotus, quòd non fecerimus apertam mentionem Liberi arbitrij post peccatum. Hic & Lutherus in medium producitur, quem dicit, libertatem (proh nefarium scelus,) arbitrij apertè negasse. Hic nos quoque hæreticorum more dissimulamus, quæ erant simpliciter fatenda. Ac docet etiam nos ex altera parte, quomodo nobis loquendum fuisset: Dicatur, inquiens, ut possit sese naturalibus uiribus absque diuinæ gratiæ dono &c.

Primùm igitur non ita mihi sordet Lutherus, ut tam odiosus mihi sit, quàm odiosam eius mentionem facit uirulentus hypocrita. Agnosco Lutherum ut præceptorem, & memoria eius apud me, ut tu hoc scias Asote, sacrosancta est, nec dubito, quin sit diuinitùs excitatus, ut autoritate cœlestis doctrinæ, quam ministerio suo illustrauit, Monasticæ uestræ & Pontificiæ impietates per ipsum prosternantur & conculcentur. Deinde nõ ita obnoxij sumus Asoto, ut necesse habeamus eo loqui modo, quem ipse aut sodalicium eius præscribit.

Nos certè, breuiter quidẽ, sed perspicuè de hoc loco sumus locuti, nec quic-

quicquã malo dolo dissimulamus. Sed Sophistæ tanta spiritus uertigine exagitant, ut quid de libero arbitrio affirment, prorsus nescire uideantur.

Nam si loquendum est de libero hominis arbitrio ante lapsum, non est dubium, quin homo diuina creatione tantas habuerit uires, ut potuisset, si uoluisset, mandatum Dei seruare.

Si autem sermo est de homine post lapsum, manifestum est, quòd uires hominis per peccatum ita sint fractæ & contritæ, ut etsi retinuerunt quandam libertatem, ac, ut ita dicam, possibilitatem, in administratione externarum rerum, quæ sunt homini subiectæ, tamen nec uelint, nec possint per se uerè bonum coram Deo facere. Amissa enim est per peccatum libertas bona & salutaria coram Deo faciendi, & retenta est tantum uoluntas mala, & damnabilia faciendi. Itaque, si propriè & uerè uoluerimus loqui, homini post lapsum, non est relictum liberum, sed seruum & captiuum arbitrium. Cuius rei perspicua testimonia recitata sunt in Confessione Principis. Nec pigebit hîc ex Augustino alia addere.

Augustin. De Spiritu & Litera. cap. 3.

Neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum ualet, si lateat ueritatis uia.

Et contra duas Epistolas Pelagia. lib. 1.

Datur ergo potestas ut filij Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla potest esse ex libero arbitrio, quia nec LIBERVM in bono erit, quod liberator non liberauerit, sed in malo liberum habet arbitrium &c.

Et mox.

Sed hæc uoluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideò libera in bonis non est, quia liberata non est.

Et lib. 3. cap. 8.

Liberum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccatum ualet, Ad iustitiam uerò, nisi diuinitùs liberatum, adiutumq; non ualet.

Et De uerbis Apostoli, Ser. 13.

Non est sic adiutorium Dei, non sic est adiutorium Christi, non sic est adiutorium Spiritus sancti. Prorsus, si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adiuuante, libera uoluntate, sed malè. Ad hoc idonea est uoluntas tua, quę uocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi, Sine adiutorio nihil agas, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes sine adiutorio Dei liberam uoluntatẽ, quanquàm illa NON EST LIBERA. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Et omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Et: Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis.

Et contra Iulianum lib. 2.

Hîc uultis hominem perfici, atque utinam Dei dono, & non libero, uel potius SERVO propriæ uoluntatis arbitrio, &c.

Habes quibus epithetis ornet Augustinus liberum arbitrium in homine post lapsum. Dicit, non ualere nisi ad peccandum, Non esse liberum in bono, Esse captiuatum, Esse damnabilem Ancillam, Et esse Seruum. Etsi autem relinquit ei nomen liberi arbitrij, tamen manifestum est, quòd illis epithetis auferat ei rem ipsam, siquidem sermo fuerit de benè agendo. Ad malè, inquit, agendum, habes sine adiutorio Dei liberam uoluntatem. Quanquàm ILLA NON EST LIBERA.

Deinde, in præsentia non quæritur, quid ualeat liberum arbitrium,

cum gratia, uel adiutorio Dei, Sed quid post lapsum, natura sua, absque gratia regenerationis ualeat. Quis enim negaret efficaciam diuinæ gratiæ? Quis non tribueret humano arbitrio libertatem rectè agendi, si fuerit diuino Spiritu regeneratum? Si uos filius (inquit) liberauerit, uerè liberi eritis. Tanta est diuinæ gratiæ potentia, ut quicquid, quantumuis per se ineptum, incommodum, absonum, & absurdum, arripuerit, necesse habeat id efficere, ad quod efficiendum fuerit ordinatum. Quàm ineptum est lutum è sputo factum, ad illustrandos oculos cæcos? tamen cùm hoc arriperet ex gratia sua filius Dei, factũ est malagma efficacissimum. Quomodo quinq; panes possunt cibare quinque millia uirorum? Sed cùm filius Dei benediceret eos sua gratia, intantum aucti sunt, ut non solum cibarẽt tot millia hominum, uerumetiam implerent duodecim cophinos de fragmentis. Vulgò dici solet, Si Deus uoluerit, securis glocitat sub scamno. Quòd si ineptissima quæq; fiunt, accedente Dei gratia & uoluntate, tam efficacia, quid fieret de aptis & idoneis? Non igitur nunc est sermo, quantum ualeat hominis arbitrium per gratiam Dei, ut glossema Asoti, quo instituit hac in parte Confessionem Principis, uel explicare, uel emendare, planè sit non solum ἀπροσδιόνυσον, & superuacaneum, uerumetiam intempestiuum & ineptum.

Sed est nobis sermo de uiribus liberi arbitrij, absque Dei gratia, quantum uidelicet ualeat liberum hominis arbitrium, post lapsum, si homo nondum fuerit renatus, aut si relapsus fuerit in peccatum uastans conscientiam. Hìc clarè, perspicuè, & sine ulla dissimulatione fatemur, quòd arbitrium hominis sit seruum, captiuum, & mancipium Satanæ, nec uelit, nec possit sese sua ipsius uirtute ad fidem & inuocationem Dei conuertere. Iuxta illud Christi: Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Et illud Augustini: Nemo se palpet: de suo, Satanas est: de Dei, beatus.

Quid autem Asotici? Non solum tribuunt arbitrio hominis post lapsum, nomen, sed etiam rem ipsam libertatis. Etsi enim uerbis iactant, & requirunt gratiam Dei, tamen si doctrinam eorum propius intuearis, uerbis quidem cum Pelagianis pugnant, sententia autem conueniunt. Hæc enim sunt ἀξιώματα eorum.

Præstantibus, quod in ipsis situm est, nunquàm deest, neq; defuit, neque defutura est diuina gratia.

Voluntas ex suis naturalibus potest se disponere, faciendo quod in se est, ad gratiæ susceptionem.

Liberum arbitrium ex suis naturalibus, sine dono gratiæ, potest quodlibet peccatum mortale nouum cauere.

Homo per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest diuina præcepta quo ad actus substantiam implere.

His addit Asotus ipse, quod in capite, De Ieiunio scribit: Peccatores, inquiens, Ieiunantes, aut alia, ex suo genere, bona opera facientes, etiam sine uera pœnitentia, modò non peruersa intentione, non parùm promouent eo ieiunio. Implent enim præceptum, atq; ad pia opera promptiores fiunt, & nonnihil se disponunt. Itaque fatemur ieiunium sine pœnitentia, eius scilicet, qui est in peccato, non esse dignum remuneratione uitæ æternæ, non tamen est peccatum, nec omninò ingratum Deo &c. Hactenus Asotus. Nunc mihi, quæso te, optime Lector, expende, quæ sit Asoticorum Sophistarum uertigo. Affirmant, liberum arbitrium ita esse attenuatum, ut nullus, nisi gratia & clementia diuina eum præuenerit, possit

posit aliquid, quod bonum sit propter Deum operari. Interea autem affirmant & hoc, quòd uoluntas ex suis naturalibus, posit se, faciendo quod in se est, ad gratiæ susceptionem disponere. An sese ad susceptionem gratiæ disponere, non est bonum opus? Paulus dicit: Omne, quod non est fide, peccatum est. Asotici dicunt, liberum arbitrium posse sine dono gratiæ, quodlibet peccatum mortale nouum cauere. Et ieiunium sine uera pœnitentia, quæ certè exigit fidem, non esse peccatum, nec Deo displicere. Paulus dicit: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Asotici autem dicunt, quòd homo posit per liberum arbitrium, ex suis naturalibus, (quæ certè non sunt spiritus, sed caro) diuina præcepta, quod ad actus substantiam, implere. Extat autem diuinum præceptum: Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

Et substantia actus, qui in hoc præcepto exigitur, est Dilectio Dei ex toto corde. Sentiunt igitur Asotici, hominem posse absque gratia Dei, è suis naturalibus Deum ex toto corde diligere. Quid potest furiosius dici? Etsi enim addunt, hanc legis impletionem non fieri ad intentionem præcipientis, Sic enim loquuntur, tamen hæ sunt meræ præstigiæ, quas impietati suæ ad perstringendos oculos imperitorum prætexunt. Quæ enim est alia præcipientis Dei intentio, quod aliud eius institutum, quàm ut substantia actus iuxta Legem suam perficiatur? Quare fieri non potest, quin si uerè impleueris Legem, quo ad substantiam actus, impleas eam etiam ad intentionem præcipientis, nisi fortè in lege de Diligendo Deo, non requiratur ad substantiam actus Dilectio ex toto corde. Et in lege, de non committendo adulterio, non requiratur ad substantiam actus, ut ne concupiscas quidem alienam mulierem.

Sed pergo.

Augustinus dicit: Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes EX TE, displicet Deo. Et iterum: Cùm homo secundum se uiuit, non secundum Deum, similis est Diabolo. Asotici autem dicunt, Si feceris quod in te est, dispones te ad susceptionem gratiæ. Et si ieiunaueris sine uera pœnitentia, impples præceptum, & places Deo. Quare si quis similis fuerit Diabolo, qualis est iuxta Augustini sententiam, qui secundum se, & ex se uiuit, disponit se ad gratiam Dei, implet præceptum, & placet Deo. Tam prodigiosas sententias debemus Asoticis.

Augustinus dicit, Liberum arbitrium captiuatum, non ualere nisi ad peccandum. Asotici autem dicunt, tale arbitrium ualere ad dispositionem gratiæ, ad cauenda noua peccata mortalia, & ad implenda præcepta Dei quo ad substantiam actus. Quis ad tanta portenta non obstupescat? Sed hæc hactenus.

Dicet autem quispiam. Si post lapsum, nihil uirium relinquitur libero arbitrio, nisi ad peccandum, & si liberum arbitrium ex se non est nisi seruum, captiuum, & mancipium Satanæ, quod, obsecro, discrimen est inter hominem & saxum, aut truncum? An sicut truncus arboris, in conficienda statua, nihil agit, sed tantum patitur, ita & liberum arbitrium habet se ad consequendam ueram salutem, merè, ut ita dicam, passiuè? Nihil certè minus. Non habet quidem liberum arbitrium ex se ipso, quo se ad accipiendā salutem præparet, aut quo salutem mereatur, habet autem quo beneficia Dei excipiat.

Postq̄ enim homo lapsus est in peccatum, & factus est seruus peccati,

tanta opprimitur tyrannide, ut nec uelit, nec possit se suis uiribus è seruitute peccati & Satanæ uindicare, & ad libertatem iusticiæ conferre. Nec est inter uoluntates hominum, si naturam eorum corruptam consideraueris, ullum discrimen. Vna est uniuersi humani generis massa, unum omnium hominum ingenium, ut secundum electionem, propositum Dei maneat. Sicut Esau, non habet in se, ex sua natura, quo se ipse conuertat uel præparet ad Deum, ita nec Iacob habet. Ambo in peccato concipiuntur, ambo sunt tyrannidi Satanæ obnoxij. Ambo declinauerunt, hoc est, in Adam mortui sunt, & facti sunt inutiles. Quòd autem Deus odio habuit Esau, & dilexit Iacob, non est ex pręparatione Iacob, multò minus ex merito eius, sed tantum ex gratuita Dei electione. Et tamen Iacob non habuit se ad electionem Dei sicut truncus, aut saxum. Neque enim truncus in hoc est à Deo ordinatus, ut sit capax diuinæ electionis ad ueram & æternam salutem: nec in trunco est arbitrium, quod ad accipienda dona Spiritus sancti conuerti ordinaria Dei dispensatione queat. Iacob autem & Esau, sunt homines ad imaginem & similitudinem Dei creati, ut sint donorum Spiritus sancti, & æternæ salutis capaces. Et est in unoquoque arbitrium, quod etsi per peccatum factum est mancipium Satanæ, tamen retinuit aptitudinem, qua potest per Spiritum sanctum ad libertatem iusticiæ flecti. Hæc arbitrij aptitudo facit discrimen inter Iacob & truncum, non facit autem discrimen inter Iacob & Esau. Vterq; enim hanc habet aptitudinem, & uterq; corrupta sua natura seruituti peccati obnoxius est. Sed quòd alter eligitur, & donatur Spiritu sancto, ut & uelit & possit uocationi Dei obsequi, ac æternam salutem assequi, gratuita est clementia Dei: quòd autem alter relinquitur in seruitute peccati, nec donatur Spiritu sancto, iustum est iudicium Dei, qui cuius uult, misereatur, quem uult indurat. Quid enim Iacobo deberetur, agnoscimus in Esau, qui non liberatur. Et habet Iacobus, propter quod gratias agat Deo, non habet Esau, cur de iniusticia Dei conqueratur. Itaque si in humano arbitrio post lapsum consideraueris uim agendi, non est, nisi seruum, & captiuum Satanæ. Si autem consideraueris in eo aptitudinem, non est saxum aut truncus, sed est in hoc diuinitùs cõditum, ut sit capax cœlestium donorum Spiritus sancti. Et siquidem Veteres scriptores, cùm arbitrium post hominis lapsum, uocant liberum, intelligunt nomine libertatis hanc aptitudinem, de qua nunc diximus, non est, cur de uocabulo rixemur. Sicut enim libenter utimur nomine liberi arbitrij, si per liberum intelligatur aptum seu uertibile, ita non dubitamus, quin qui ex ueteribus scriptoribus piè de libero arbitrio senserunt, hanc de uocabulo libertatis sententiam habuerint: Vnde eruditè dixit Bernhardus: Tolle liberum arbitrium, non erit quod saluetur. Tolle gratiam, non erit unde saluetur. Vocat Bernhardus liberum arbitrium, non quod saluet, sed quod saluetur. Hoc quid aliud est, quàm si diceret, Liberum arbitrium post lapsum hominis, non in hoc liberum est, ut se ipsum ad gratiam præparet, & præcepta Dei, quo ad actus substantiam impleat, sed ut à gratia præparetur, & per Spiritum sanctum renouetur, quo sicut antea seruiuit captiuum Iniusticiæ, nunc liberatum seruiat Iusticiæ. Si autem Asoticę Sophistæ contendunt & cogũt ueteres scriptores hoc de libero arbitrio sentire, quod suprà in Axiomatis eorum cõmemorauimus, etsi uicem maiorum nostrorũ, qui de Ecclesia filij Dei optimè meriti sunt, dolemus, quòd scripta eorum tam miserè à uanissimis hominibus deprauentur & sordidentur,

didentur, ac si quo modo licet nobis, ut gloriam nominis eorum ab iniuria uindicemus, non deerit eis opera nostra, tamen quia suus debet esse modus rixarum, & Pater è cœlis clamauit, non de Hieronymo, non de Augustino, non de Bernhardo, non de Concilio Aransicano, sed de filio suo Domino nostro Iesu Christo: HVNC AVDITE, non debet nobis fraudi esse, si autoritati hominum præferamus autoritatem Filij Dei, qui dixit, Quod natum est ex carne, caro est. Et, Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Aciterum: Si filius uos liberauerit, uerè liberi estis. Ergo si non liberauerit, non habetis arbitrium liberum, sed seruum & captiuum.

Nam, quòd Asotus in fine scholiorum huius capitis, arguit è testimonijs, quæ Confessio Principis ex Augustino, Ambrosio, & Bernhardo recitauit, hos scriptores idoneos testes esse ad probandum consensum Ecclesiæ, & tum credendum esse eis, cùm referunt non suam, sed Ecclesiæ sententiam, Sciat & hoc addendum, quòd tum sint testes consensus Ecclesiæ, cùm quæ dicunt & docent, habeant uera testimonia sacræ Scripturæ, & tum referant sententiam Ecclesiæ, cùm sequuntur sententiam Spiritus sancti, quam ipse in sacra Scriptura patefecit.

Verus enim consensus ueræ Ecclesiæ non constat in uno, & altero, & tertio, adde etiam centesimo Scriptore, Sed in sacra ipsa scriptura, à qua qui recedunt, dubium non est, quin à uero Ecclesiæ consensu recedant, etiamsi alijs sexcentis testibus non hominibus tantum, uerumetiam Angelis comitati, accedant. Sed de autoritate sacræ Scripturæ, & de uera Catholica Ecclesia, suprà copiosè.

De Iustificatione.

ME miserum, in quantas mihi præstigias, in quàm tetras & horribiles tenebras, quas clarissimæ luci huius loci Asotus offundit, ingrediendum est. Confessio Principis commemorat breuiter & perspicuè ueram & Apostolicam sententiam de Iustificatione peccatoris coram Deo, & probat eam testimonijs tam sacræ Scripturæ, quàm ueterum scriptorum. Asotus autem uno impetu in scholijs & Confessione sua euomit, quicquid est non solum monasticarum impietatum, uerumetiam Ethnicæ Idolomaniæ, ut satis mirari non possim, qua homo ille sit uel impudentia uel confidentia, quòd audeat tam horrendas blasphemias nomini Catholicæ Ecclesiæ adscribere. Cùm enim sententiam suam de Iustificatione impij recenset, & facit mentionem fidei, spei, charitatis, ac reliquarum rerum, quas Sophistica cæcitas sine ullo pio sensu coaceruare solet, addit:

1. Propter has uirtutes intrepidè Catholica fides hominem iustum esse coram Deo confitetur.
2. Et earum meritis sibi esse fidendum.
3. Sentit etiam uera fides Catholica hominem ita iustificatum, non reputatione tantũ, sed ueritate etiam coram Deo iustum esse, & gratia Dei continuò egere &c.
4. Qua simul cum libero arbitrio opera fidei, spei & charitatis exercet, quibus coram Deo proficit in Iustitia, & HIS MERITIS in iudicio Dei sibi VERACITER FIDENDVM ESSE.

Habes manifestam impietatẽ Asoti, quòd cùm coram tribunali Dei, in

ſeueriſsimo Dei iudicio, in quo non poteſt conſtare, niſi perfectiſsima, & abſolutiſsima iuſticia, confidendum tantum ſit ſolo & unico Mediatore Dei & hominum, Domino noſtro Ieſu Chriſto, palàm doceat non ſolo Chriſto, ſed etiam Virtutibus, quæ in nobis ſunt, confidendum eſſe. Itaq; tot facit mediatores, quot ſunt uirtutes, quas nos ſeueritati diuini iudicij opponere iubet.

Sed addit hypocrita præſtigias quaſdam, quibus ſperat ſe impietatem celaturum. Nam cùm Confeſsio Principis dicit, hominem fieri Deo acceptum, & reputari coram eo iuſtum, propter ſolum filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, addit Aſotus, Solum, (inquiens) cùm dicimus, excluditur quicquid aut contrarium, aut alienum eſt à Chriſto. Propter ſolum ipſum iuſtificamur, non aliquo contrario, uel alieno ab ipſo. At uerò uirtutes hæ ab ipſo ſunt, neq; eis fidimus niſi propter ipſum. Ipſi, ut cauſæ, atque ita prius. Illis, ut effectibus, & poſterius. Habes uerba Aſoti.

Et mox.

Paulus dicit, Spe ſaluati ſumus. Chriſtus in Euangelio, Fides tua te ſaluam fecit. Et Petrus, Charitas, inquit, operit multitudinem peccatorum. Cur non fidendum illis, quibus ſaluamur, quibus cooperiuntur peccata? Sed ſolo, inquiunt, merito Chriſti. Fatemur. Hoc eſt, nullo quod non ex eius merito in nobis ſit.

Et iterum.

Fides ſola, quia nihil ſine illa. Et mox. Fides ſola. Quæ ergo ante fidem ſunt, aut ab illa aliena, illa excluduntur à Iuſtificatione, non fidei opera, non illa, quæ Paulus dicit Sanctos per fidem uiciſſe, inter quæ & charitas, & cæterarum uirtutum opera ſunt.

Habes nunc præſtigias Aſoti, quibus tamen tantum abeſt, ut impietatem ſuam tegat, ut cùm antea audiuerimus manifeſtũ Sophiſtam, nunc audiamus execrabilem Ethnicum, & Idolatram. Quare, etſi hic locus de Iuſtificatione impij extat aliâs ſcriptis noſtrorum perſpicuè illuſtratus, & non ſpero me explicatione eius ullum operæprecium in Aſoto & maxima parte ſodalicij eius facturum, propterea quòd uelamen in lectione ſacræ Scripturæ impoſitum ſit cordibus eorum, & ſenſus ipſorum ſint obcæcati, tamen ſuſcipiam & ipſe, diuina gratia adiutus, quædam dicenda, ut rationem ueræ fidei noſtræ coram uniuerſa Eccleſia filij Dei exponam, & teſtificer, quæ neceſsitas coëgerit nos deſerere non Catholicam Eccleſiam, ut calumniantur Aſotici, ſed Sophiſticam & Monaſticam impietatem. Aſotus enim de Iuſtificatione impij è commentarijs ſuorũ ita diſſerit, ut haud obſcurè appareat, eum nondum unquàm ante tribunal Dei conſtitiſſe, & de ſeueritate diuini Iudicij uel ſaltem leuiter deguſtaſſe. Alioqui enim fieri nõ potuiſſet, ut tam frigidè, imò tam Philoſophicè, imò tam Ethnicè de Iuſtificatione diceret.

Cùm igitur diſſerendum nobis ſit de Iuſtificatione, primùm omnium exponemus uſum huius uocabuli, ne ambiguitas eius aliquid obſcuritatis afferat.

Hoc enim uocabulum, Iuſtificare, ſolet aliquoties uſurpari Hebræo more, pro Iudicare, ut in tribunalibus Iudicum fieri ſolet. Et quia illic homines aut abſoluuntur aut condemnantur, idcircò Iuſtificare nunc ſignificat hominem abſoluere, nunc etiam condemnare. Apud Matthæum & Lucam dicit Chriſtus: Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Hic per Iuſtificari, intel-

ri, intelligitur Iudicari aut Condemnari. Sed hoc rarius, Illud alterum significatum, pro Absoluere, frequentius est in sacra Scriptura, præsertim ubi apud Paulum agitur de Iustificatione hominis coram Deo.

Actor. decimotertio, dicit Paulus: Per hunc (Christum) adnunciatur uobis remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Mosi Iustificari. Hic (Iustificari) est Absolui, liberari, & Remissionem seu condonationem peccatorum consequi.

Et mox, In hoc, omnis qui credit, Iustificatur, hoc est, Absoluitur à peccatis, & consequitur remissionem peccatorum.

Rom. 8. Quis est, qui accusat? Deus est, qui iustificat, hoc est, Absoluit, liberat ab accusatione, remittit peccata, & imputat iustitiam Christi.

Esa. 5. Væ qui iustificatis impium pro muneribus, hoc est, Absoluitis impium ab accusatione propter munera.

Luc. 7. Publicani iustificabant Deum. Non faciebant ipsi Deum iustũ, Sed iudicabant & pronunciabant eum iustum.

Aliquoties usurpari solet Latino more, pro facere Iustum, hoc est, renouare in iustũ, & donare ei Spiritum sanctum, qui excitet eum ad facienda opera iustitiæ, & efficiat, ut ambulet in lege Domini obedienter.

Apocal. 22. Qui iustus est, Iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc, hoc est, Qui per fidem reputatur Iustus propter Christum, Iustificetur & sanctificetur adhuc, renouetur per Spiritum sanctũ, ut pergat subinde magis ac magis ambulare in operibus Iustitiæ.

Quod cùm de uocabulo Iustificationis ita se habet, uideamus nunc ueram & Apostolicam sententiam de Iustificatione hominis coram Deo.

Homo enim corrupta sua natura impius est, & sub peccatum uendítus. Postquàm autem Deus ex gratuita sua clementia, uertit ad eum oculos misericordiæ suæ, ut liberet ipsum à peccatis, & seruet eum perpetua salute, solet hoc iustificandi modo uti, uidelicet, quòd patefaciat homini Christum filium suum, per Euangelion, & aperiat ei aures mentis, ut Euangelion fide excipiat, & in Iesum Christum credat. Cùm igitur homo credit in Christum, tunc Iustificatur duplici ratione. Vna, iuxta alterum, ac Hebræum significatũ Iustificationis, quòd absoluitur à peccatis, & consequitur remissionem peccatorũ, ac imputatur ei Iustitia Christi, adeóq; adoptatur in filium Dei, & hæredem æternæ salutis, idq; tantum propter Christum, quem fide accepit. Cùm enim Deus proprio filio non pepercerit, quemadmodum Paulus loquitur, sed pro nobis omnibus tradiderit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quare quicunque accipit per fidem Christum à Deo Patre donatum, is simul etiam accipit remissionem seu condonationem peccatorum, Iustitiam Christi, & ius adoptionis filiorum Dei, ac cœlestis hæreditatis. Hæc est una ratio iustificandi, qua uidelicet iustificamur coram Deo, hoc est, absoluimur à peccatis, & pronunciamur liberi ab æterna morte propter iustitiam Christi, quæ nobis ex gratuita Dei clementia per fidem imputatur. Et hæc ratio Iustificandi, ut natura prior est, ita durat per omnẽ hanc uitam, quamdiu uitam in hac carne agimus.

Altera ratio est iuxta alterum, & Latinum significatum Iustificationis, quòd cùm credimus in Christum, donamur Spiritu sancto, qui renouat nos, & efficit in nobis opera Iustitiæ, ut mortificetur caro, & non ambulemus secundum carnem, sed secundum Spiritum.

Hæc iustificandi ratio priori ita coniuncta est, ut ab ea nõ recedat. Qui-

cunque enim per fidem in Christum Iustificatur, pro Hebræa loquendi consuetudine, hoc est, absoluitur coram tribunali Dei à peccatis, & adoptatur in filium Dei, propter Christum, is etiam statim iustificatur, pro Latina loquendi consuetudine, hoc est, excitatur à Spiritu sancto, ut non solum detestetur opera carnis, & fugiat peccata, uerumetiam faciat opera iustitiæ, & ambulet in lege Domini obedienter. Quæ iustitia & obedientia, etsi fit in homine per Spiritum sanctum, tamen in hac carne nõ est perfecta, ideóq; semper respiciendum est ad priorem illam Iustificationem, qua condonantur nobis peccata gratis per fidem, propter Christum. Hęc est paucis uera & Apostolica sententia de Iustificatione, sicut eam exposuit & illustrauit Paulus in Epistolis ad Romanos & ad Galatas.

Nunc igitur conferamus huc Sophisticam & Asoticam doctrinam de Iustificatione. Primùm enim dicunt, quòd homo utens ratione præparet sese uiribus liberi arbitrij ad promerendum fauorem Dei, si non de condigno, certè de congruo, & ad accipiendam gratiam eius. Deinde quòd Deus infundat homini suam gratiam, hoc est, dona sua, quæ sunt fides, spes & charitas.

Hæc dona in homine, tanti faciunt, ut affirment, quòd homo propter ipsa fiat uerè coram Deo Iustus, & quòd debeat his in Iudicio Dei confidere. Sentiunt enim hominem, postquàm hæc dona à Deo accepit, non amplius esse & manere iniustum, nec tantum reputari iustum, sed etiam uerè esse coram Deo iustum, tantáque iustitia præditum, ut possit ac debeat fiduciam æternæ suæ salutis in ea collocare.

In hac doctrina de Iustificatione hominis utuntur quidem Sophistæ nominibus uirtutum, Fidei, Spei & Charitatis, quas apud Paulum legerunt, Sed sententia eorum est Ethica, & Ethnica. Principio enim, quod dicunt de præparatione ad suscipiendam gratiam Dei per uires liberi arbitrij, Suprà demonstratum est, liberum arbitrium in ijs, qui nondum sunt per fidem renati, ualere tantum ad peccandum. Nisi igitur peccare sit sese ad suscipiendam gratiam Dei præparare, fieri non potest, ut liberum arbitrium præparet sese ad gratiam Dei. Deinde, etsi hæ tres uirtutes, Fides, Spes & Charitas, sint dona Spiritus sancti in homine, tamen homo non est propter eas coram Deo Iustus, multò minus potest ijs coram tribunali Dei confidere.

QVOD HOMO PROPTER SVAS VIRTVTES, non sit coram Deo Iustus.

INitio, ne quis ambiguitate uocabulorum deceptus, aliud intelligat, quàm institutum sit, nomine nostrarum uirtutum, non intelligimus hoc loco, eas uirtutes quas homo, natura suæ rationis, uel liberi arbitrij absque singulari Spiritus sancti dono habet, quales multas & insignes habuerunt etiam Ethnici. Etsi enim tales uirtutes suam habent laudem, & commendationem coram hominibus, sua quoq; habent præmia, in hac corporali uita, tamen tantum abest, ut homines sint propter eas iusti coram diuino Iudicio, in quo de æterna salute agitur, ut ne quidem ijs, ad accipiendam iustitiam, cuius Deus ad conferendam ueram salutem, rationem habeat, præparentur, quemadmodum suprà dictum est. Et Augustinus clarè dicit: Si Gentilis nudum operuerit, Nunquid, quia non ex fide, peccatum est? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est, nudum operire, peccatum sit, Sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Et

mox: Stulta & noxia uoluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, hoc est, sola peccata. Omne enim, uelis, nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Non est igitur nobis nunc sermo de uirtutibus Impiorum, propter quas manifestum est, quòd homo non sit iustus coram Deo. Sed loquimur de uirtutibus piorum, qui sunt per Spiritum sanctum renati, & quas uirtutes in ipsis Spiritus sanctus operatur. De his sine ulla uerborum obscuritate dicimus, quòd homo non sit propter eas, coram tribunali Dei, uerè in hac mortali carne Iustus.

Etsi enim Spiritus sanctus operatur in homine, fidem, spem, charitatem, & reliquas uirtutes, tamen hæ nondum sunt in homine, propter carnem eius, quam adhuc in hac uita gestat, integræ, & perfectæ. Neq; enim tantum fiduciæ, tantum spei in Deum habemus, neq; tantum diligimus, neq; tanta sumus castitate & sobrietate, quantum debemus, & quantum diuina lex, quæ est perpetua & immota Dei uoluntas, à nobis exigit.

Psal. 51. Tibi tantum peccaui, & malum coram te feci, ut Iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Hic loquitur Dauid, non solum de adulterio & homicidio suo, quod fortasis Asotici obijcient, Sed utitur iuxta Hebræam consuetudinem præterito pro præsenti, Peccaui pro PECCO, & Feci, pro facio, ac loquitur de uniuersis suis operibus, quorum etsi quædam bona uidentur, tamen infecta, & sordidata peccato originali, non sunt perfectè bona, ideóq; & ipsa in peccatorum catalogo recensentur. Vnde mox sequitur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Itaque cùm Dauid dicit, TIBI tantum pecco, & malum coram te facio, hæc est sententia: Quicquid facio, peccatum est. Aut enim prohibitum est lege Domini, & manifestum est peccatum, sicut adulterium, & homicidium. Aut mandatum est lege Domini, & minus atq; corruptè facio, quod facio. Itaq; etiam in bonis operibus pecco, hoc est, minus facio, quàm debeo, nec impleo legem seu uoluntatem Domini ea perfectione & integritate, quæ à me exigitur.

Psalm. 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Loquitur autem non de ijs tantum iniquitatibus, quæ sunt apertè in malis operibus, sed etiam quæ sunt occultè, in bonis operibus, ac sentit, quòd nulla prorsus sint hominum merita, quæ possint obijci diuino iudicio, & quæ sufferre aut placare queant diuinam indignationem.

Lucæ 17. Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Non docet Christus suos discipulos mendacem hypocrisim, sed ingenuam ueritatem. Cùm ergo iubet eos fateri, se inutiles esse Seruos, certè ueritas sit, necesse est. Nō essent autem inutiles Serui, si quæ præcepta sunt, & debuerunt facere, fecissent integrè, perfectè, & sine omni uicio. Manifestè igitur significat Christus hoc dicto, quòd obedientia suorum Sanctorum sit mutila, manca & imperfecta, nec possit seuero Dei iudicio opponi, ut cùm dicere iubet: Quod debuimus facere, fecimus, hæc sit sententia. Quod fecimus, debuimus facere, sed non fecimus omnia, nec fecimus perfectè, quæ debuimus facere, Ideóq; fatemur nos inutiles esse seruos.

Roman. septimo. Non quod uolo, facio bonum, sed quod non uolo malum, hoc ago. Et mox: Reperio per legem uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum sit. Ac iterum: Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem

me legi peccati, quæ est in membris meis. Non loquitur Paulus de externis & crassis peccatis, quæ manifestè pugnant cum lege Dei, qualia sunt adulterium, homicidium, & id genus alia. Neque enim hæc mala faciebat Paulus, externis operibus, postquàm conuersus est ad Christum: Sed loquitur de interno & originali malo, quod cuiuis bono operi adiunctũ est, & quod efficit, ut nullum bonũ opus, etiam in Sanctis, & à sancto Spiritu excitatum, sit integrè & perfectè bonum.

Galat. quinto. Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Loquitur Paulus non de impijs, qui non sunt renati, & qui carent Spiritu sancto, Sed de pijs, qui ornati Spiritu sancto, faciunt bona opera. Et dicit, quòd etsi pij per spiritum sanctum uellent libenter omni uitio carere, tamen non faciant perfectè bonum, propterea quòd caro, quæ nondum est omninò mortificata, pugnet in ipsis cum spiritu, & inficiat bonum, quod agunt.

1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Certè Paulus credebat, sperabat, & diligebat, quantum quilibet alius pius, imò plusquàm multi alij. Ego (inquit) non solum uinciri, sed & mori paratus sum, pro nomine Domini Iesu. Et: Optarim esse anathema à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem. Et tamen non audet profiteri, se propter uirtutes suas esse coram Deo Iustificatum.

Et cùm Psalmus dicat: Pro hac (impietate) orabit ad te omnis Sanctus, Ac iubeamur orare: Remitte nobis debita nostra, manifestum est, quòd bona opera, quæ faciunt pij, non sint perfecta coram Deo iusticia, sed indigeant remissione debitorum.

Huc referenda sunt etiam Testimonia ueterum piorum patrum, quę perspicuè docent, Iusticiam nostrorum operum, eorum uidelicet, quæ spiritus sanctus in nobis operatur, imbecilliorem, & imperfectiorem esse, quàm ut propter eam coram Deo iusti simus.

Augustin. In Psalm. 70.

Domine memorabor Iusticiæ tuæ SOLIVS. O Solius. Quid addidit, Solius, rogo uos? Sufficeret memorabor Iusticię tuę. Solius (inquit) prorsus, ubi meam non cogito. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Iusticia tua SOLA liberat me. Mea SOLA, non sunt nisi peccata.

Hic uociferabitur fortassis Asotus, Augustinum loqui non de Iusticia, quam Deus ipse in se habet, & quæ est bonitas, clementia, ac misericordia, qua Deus hominem propter Christum filium suum complectitur, Sed de Iusticia, quam in nobis operatur, hoc est, de uirtutibus quas Deus nobis infundit, ut hæc sit iuxta Asotum sententia Augustini, quòd Dauid fateatur se sola suarum uirtutum, quas accepit, iusticia liberari. Sed huic expositioni oppono aliud dictum Augustini, ex Psalm. 42.

Augustinus.

Spera in Domino, quoniam confitebor illi. Quædam sanat præsens allocutio, relíqua purget fidelis confessio. Planè TIME, si iustum te dicis, si non habes illam uocem ex alio Psalmo: Non intres in iudicium cum seruo tuo. Quare, ne intres in iudicium cum seruo tuo? Misericordia tua mihi opus est. Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu

tuo

tuo omnis uiuens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, quia quicunq; hîc uiuit, quantumlibet iustè uiuat, Væ illi, si cum illo in iudicium intrauerit Deus. Nam ex alio Propheta arrogantes & superbos idem sic obiurgat: Vt quid uultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me dicit Dominus. Noli ergo iudicio contendere. Da operam esse Iustus, & QVANTVMCVNQVE FVERIS, CONFITERE TE PECCATOREM. Semper spera misericordiam &c.

Et aliâs.

Ipsa nostra Iustitia, quamuis uera sit, propter ueri boni finem, ad quem refertur, tamẽ tanta est, in hac uita, ut potius REMISSIONE PECCATORVM constet, q̃ PERFECTIONE VIRTVTVM. Talis est oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris: Dimitte nobis debita nostra.

Huc pertinet etiam, quod Confessio Principis, postea in cap. De lege, ex Augusti. in Epistola ad Hieron. recensetur. Plenissima, (charitas) quę iam non potest augeri, quamdiu hic homo uiuit, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, ex uitio est. Ex quo uitio non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet &c.

Hæc & alia id genus scripta publicum testimonium ferunt Augustino, quòd sentiat Iustitiam nostram, hoc est, eas uirtutes, quas Spiritus sanctus in renatis operatur, esse corruptas, deprauatas, & imperfectas. Quòd si Asotus, uel alius quispiam opponat quædam alia dicta Augustini, & uociferetur, Augustinum diuersa sentire, nõ pugnabo quidem contumeliosè pro humana autoritate, retinebo autem sententiam Spiritus sancti, quam mihi testimonia sacræ Scripturæ, quæ paulò antè commemorauí, tradunt, nec dubito quin pius quisque, si dicta Augustini rectè expendat, iudicaturus sit eum hoc uerè sentire, quod antea recensuimus. Audiamus & testimonium Bernhardi.

Bernhard. In Cantica Canticorum, Homilia. 68.

Nam & de meritis, quid sollicita sit, cui de proposito Dei firmior suppetit, securiorq; gloriandi ratio. Non potest seipsum negare Deus, neque non facere, quæ iam fecit.

Ac mox.

Sufficit ad meritum, Scire, quod non sufficiant merita, Sed ut ad meritum satis est, de meritis non præsumere, sic carere meritis satis est ad Iudicium.

Porrò infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere nõ nequiuerint, sed neglexerint. Merita proinde habere cures, habita, data noueris. Fructum speraueris Dei misericordiam, & omne periculũ euasisti, &c.

Hic iubet quidem Bernhardus, ad merita Christi, etiam nostra merita addere. Sed qua fuit pietate, intelligit more ueterum scriptorum, per Merita, non dignitatem & perfectionem bonorum operum, sed ipsa bona opera, quæ unusquisque ex fide facere debet, & nisi ea fecerit, non habet ueram & uiuam fidem. Extat & aliâs dictum Thomæ Aquinatis, qui ita scribit: Quidam perueniunt ad salutem, non merito proprio, sed alieno, sicut pueri & stulti baptisati. Quicunque autem habent usum liberi arbitrij, tenentur ad meritum Christi, & meritum proprium addere. Si ergo Bernhardus & Thomas, per merita propria intelligunt simpliciter opera, quæ ex fide facere debemus, iuxta mandata Dei, rectè quidem sen-

tiunt, obscurè autē & κατάχρησικῶς loquuntur. Si uerò per propria merita intelligunt tantam nostrorū operum perfectionem & integritatē, ut propter ipsa simus corā Deo iusti, faciant hoc suo periculo. Ego. n. non sum in uerba eorum iuratus. Certè de Bernhardo melius spero, qui aliâs perspicuè concionatur de immundicia nostræ iustitiæ, qua immundicia fit, ut non possint esse ulla nostra merita, propter quæ simus coram Deo Iusti.

Bernhard. Serm. 5. de dedicatione Ecclesiæ.

Quid modò necesse est singulas eius (animę) miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in uitium omne procliuis, postremò totius confusionis & ignominiæ impleta. Nimirum, Si ipsæ quoque Iustitiæ nostræ OMNES ad lumen ueritatis inspectæ, uelut pannus menstruatæ inueniuntur, Iniustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebrę sunt, ipsæ tenebræ quantæ erūt? Bernhardus apertè dicit, quòd OMNES nostrę Iustitiæ, (Loquitur autē de Renatis) inueniantur uelut pannus menstruatæ, & uocat eas tenebras: quomodo ergo non sentiret eas esse corruptas, & imperfectas, ac nomine meriti indignas?

Gregor. In cap. 9. Iob.

Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti. Quæ beatus Iob opera exercuit, sacræ huius historiæ textus ostendit. Holocaustis quippe multiplicibus autorem placare studuit. Et mox: Castitatis mundiciam in corde custodiuit, qui obtestando se aperit dicens: Si deceptum est cor meum super muliere. Humilitatis culmen medullitus tenuit. Ac iterum: Inter hæc ad uirtutum cumulum, per excellentiorem uiam charitatis, & inimicos dilexit, qui ait: Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Et non dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius. Quia ergo uir sanctus sua opera uerebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus & erga iniquitatès solet. Quid ergo est, quòd mira opera faciens, hæc ipsa etiam ueretur patiens, cùm dicit uerebar opera mea, nisi quòd in Sancti uiri actibus, uerbisque colligimus, ut si placere Deo ueraciter cupimus, postquàm peruersa subigimus, ipsa in nobis etiam BENE GESTA timeamus. Duo quippe sunt, quæ in bonis operibus necesse est, ut studiosè formidentur, desidia uidelicet, & fraus &c.

Recensuimus testimonia tam sacræ Scripturæ, quàm ueterum quorundam patrum, ex quibus manifestè probatur, quòd uirtutes hominum per Spiritum sanctum renatorum sint sordidæ, inquinatæ, & imperfectæ. Etsi enim Spiritus sanctus ipse perfectus est operator, tamen homo per carnem ita imbecillis & imperfectus est, ut quod Spiritus sanctus per eum ut uiciosum organon in hac carne operatur, fiat & ipsum imbecille ac imperfectum. Fieri autem non potest, ut cum imperfecta & sordida iustitia non constet coram tribunali Dei, simus propter eam coram Deo Iusti. Tribunal enim Dei non est contentum externa tantum & speciosa coram hominibus iustitia, Sed exigit perfectissimam, absolutissimam, & quæ omni uitio careat. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex TOTO corde tuo, ex TOTA anima tua, & ex TOTA fortitudine tua. Requirit non partem cordis & animæ, Sed TOTVM cor, & TOTAM animam. Maledictus autem, qui non permanet in omnibus sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.

Et

Et Paulus, Lex (inquit) Spiritualis est, ego autem sum carnalis, uenditus sub peccatum. Si Lex est Spiritualis, certè exigit iusticiam tanta Spiritus sancti perfectione integram & absolutam, ut prorsus nihil carnis, nihil uitij adhæreat. Nos autem quamuis è Spiritu renati, adhuc tamen gestamus carnem, præ qua omnis nostra Iusticia est imbecillis, & sordidata. Lex, inquit Paulus, imbecillis est per carnem. Et, Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur. Siquidem ne potest quidem.

Psalm. 143. Non intres in iudicium cum Seruo tuo, quia non Iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Hic loquitur Dauid, non de eo, qui nõdum renatus est, sed de se ipso iam renato, Cùm Seruo, inquit, TVO. Mox complectitur generaliter Vniuersum humanum genus, siue impios, siue pios. Non Iustificatur, inquiens, in conspectu tuo OMNIS VIVENS. Quomodo ergo hoc intelligendũ est? An nullus Viuens, ne quidem propter Christum, per fidem, in conspectu Dei iustificatur? Absit. Hæc enim est præcipua Euangelij doctrina, quòd Iustificemur, hoc est, recipiamur propter Christum, in quem credimus, in gratiam Dei, absoluamur à peccatis, adoptemur in filios Dei, donemur Spiritu sancto, expurgemus reliquias peccati, uincamus mortem, adeóq; ornemur æterna iustitia & fœlicitate. Sed quod Psalmus dicit, intelligendum est, iuxta Interpretationem Pauli, qui ad Romanos & Galatas scribens, Non iustificatur, inquit, ex operibus Legis omnis caro. Quod Psalmus simpliciter dicit: Non iustificatur omnis uiuens, hoc Paulus explicat, Non iustificatur, uidelicet, EX OPERIBVS LEGIS. Ecquæ, obsecro, sunt illa Legis opera, ex quibus nullus hominum in conspectu Dei, coram tribunali Dei Iustificatur? Num sunt opera Legis Cerimonialis? Sic quidem sentiunt nonnulli, Sed huic sententiæ Paulus ipse manifestè obsistit. Loquitur enim de ea lege, per quam est agnitio peccati, & quæ iram operatur, quemadmodum Roman. capite tertio & quarto scriptum est. Nulla autem pars Legis magis nos in agnitionem peccati ducit, & iram operatur, quàm Moralis, cuius epitome est Decalogus. Et aliàs Paulus de Lege scribens, adducit nominatim in exemplum hanc legem è Decalogo. Non concupiscas. Peccatum, inquiens, non cognoui, nisi per Legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi Lex dixisset, Non concupiscas. Hoc idem scribit Hieronymus, Ex operibus, inquiens, Legis non iustificabitur omnis caro. Quod ne de Lege Mosi tantum dictum putes, & non de omnibus mandatis, quæ uno legis nomine continentur, idem Apostolus scribit, dicens: Consentio legi Dei, iuxta interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis &c. Et Augustinus: Ex operibus, inquit, legis non iustificabitur omnis caro. Non solum autem illa opera legis, quæ sunt in ueteribus Sacramentis, & nunc reuelato Testamento nouo non obseruantur à Christianis, sicuti est Circumcisio præpucij, & Sabbati carnalis uacatio, & à quibusdam escis abstinentia, & pecorum in sacrificijs immolatio, & neomenia, & azymum, & cætera huiusmodi, uerumetiam illud, quod in lege dictum est, Non concupiscas, quod utiq; & Christianus nullus ambigit esse dicendum, Nõ iustificat hominem, nisi per fidem Iesu Christi, & gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum.

Et iterum: Quamuis illos, quibus Circumcisio persuadebatur, ita corripere atq; corrigere uideatur Apostolus, ut legis nomine eandẽ circum-

cisionem appellet, cæteraſq; eiuſmodi legis obſeruationes, quas tanquàm umbras futuri iam nunc reſpuunt Chriſtiani, id tenentes, quod per illas umbras figuratè promittebatur, tamen LEGEM, ex qua neminem dicit Iuſtificari, non tantum in illis Sacramentis, quæ habuerunt promiſſiuas figuras, uerum etiam in illis operibus uult intelligi, quæ quiſquis fecerit, iuſtè uiuit, Vbi eſt illud, Non concupiſces &c.

Habes, quòd cùm Paulus dicat nullum Iuſtificari ex operibus legis, intelligat per opera legis non opera tantum Cęrimonialia, ſed etiam Moralia, & quæ in Decalogo continentur.

Videamus ergo nunc de Fide, ſpe & charitate, propter quas uirtutes Aſotus intrepidè (ut ipſe loquitur) ut autem res ipſa teſtatur, impudenter & peruicaciter confitetur, hominem iuſtum eſſe coram Deo. Quid igitur? Num hæ uirtutes non continentur, non mandantur in Decalogo? Certè, cùm dicitur, Non habebis deos alienos coram me, exigitur & fides in Deum, & Spes de bonitate Dei, & charitas erga Deum. Sicut & Spiritus ſanctus ipſe interpretatur, cùm dicit: Diliges DOMINVM Deum tuum ex TOTO corde. Quid eſt ex toto corde diligere Deum, niſi totam fiduciam in Deo collocare, totam Spem ſuam in clementiam Dei referre, toto dilectionis affectu Deum complecti? Quòd ſi uerò ſermo eſt de Charitate in proximum, continetur & hæc in Decalogo multis præceptis, & ſummatim in hoc uno, Diliges proximum tuum, ſicut ceipſum, proponitur.

Cùm igitur Dauid & Paulus dicant, Nullum hominem iuſtificari ex operibus legis, & hæ tres uirtutes, Fides, Spes & Charitas, contineantur inter opera Legis, & præcipiantur à lege, quemadmodum nunc demonſtrauimus, reliquum eſt, quòd propter has uirtutes nullus hominum ſit in conſpectu Dei, teſtimonio Dauidis & Pauli, Iuſtus. Nam, quod Paulus ſcribat nos Fide iuſtificari, & ſpe ſaluari, & Salomon ac Petrus dicant multitudinem peccatorum Charitate operiri, ſuo loco ſatis perſpicuè, propicio Deo, explicabitur. Nunc in inſtituto pergemus. Ecquid enim cauſæ eſt, cur homo non Iuſtificet ex operibus Legis? Num, quia lex non ſatis iuſta, & perfectè bona opera præcipit? Nihil minus. Lex Dei exigit perfectam fidem, integram ſpem, & abſolutam charitatem, exigit omnes uirtutes ſanctiſsimas, & nulla ex parte uiciatas. Homines autem, quamuis renati, non poſſunt præ imbecillitate, adeóq; corruptione carnis ſuæ hanc perfectiſsimam Legis iuſticiam integrè præſtare. Lex, inquit Paulus, ſancta quidem eſt, & præceptum ſanctum, ac iuſtum & bonum. Ego autem carnalis ſum, uenditus ſub peccatum. Et mox: Velle adeſt mihi, at ut faciam bonum, non reperio.

Manifeſtum igitur eſt, quòd cùm iuſticia operum ſeu uirtutum, quas Lex Dei mandat, & Spiritus ſanctus in renatis operatur, ſit in hominibus imperfecta, & carne ſordidata, nec ſatisfaciat diuinæ Legi, fieri non queat, ut homo ſit propter eam coram tribunali Dei Iuſtus.

Poſtquàm autem oſtendimus, quòd homo non ſit propter ſuas uirtutes coram Deo, ueritate ſeu reipſa Iuſtus, quemadmodum Aſotus impiè nugatur, oſtendendum nunc erit, priuſquàm alteram impietatem, quam Aſotus de fiducia in uirtutibus & meritis earum collocanda euomit, refellamus, hominem eſſe Iuſtum imputatione. Nam quibus καινοφωνίαις uanus homo priora allatrat, ſuo loco refutabuntur.

Quòd

QVOD HOMO IVSTIFICETVR CORAM DEO Imputatione Iusticiæ Christi.

CVM dicimus hominem Iustificari imputatione Iusticiæ Christi, non hoc sentimus, quòd non debeamus bona opera facere, & iusticiam fidei exercere, ac uocationi Dei obedire, quemadmodum mendaces Sycophantæ nos coram Regibus & Principibus, & uniuerso mundo calumniantur, Sed quòd cœlestis Pater donauerit nobis unigenitum filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, unà cum omnibus suis bonis, ut cum Iusticia nostra in hac carne sit impura, nec cõstet meritis nostrorum operum, aut perfectione nostrarum uirtutum, confidamus tantum in conspectu Dei iusticia & meritis Domini nostri Iesu Christi, propter quem Deus nobis reconciliatus est, & remittit peccata nostra, & adoptat nos in suos filios, ac renouat nos per Spiritum sanctum, ut uocationi eius obediamus. Confidendum autem erit, tantum meritis Christi, quòd propter ipsa simus Deo accepti, & habeamus remissionem peccatorum, non solum initio nostræ regenerationis, uerumetiam per omnem uitam nostram. Tametsi enim sumus per Spiritum sanctum renati, & facimus uirtute eius bona opera, tamen semper necessaria est nobis Remissio peccatorum propter solum Christum, & semper nobis sub uenia, sicut Augustinus loquitur, uiuendum est, propterea quòd etiam ipsa bona opera indigeant peccatorũ remissione, propter Christum, quemadmodum paulò antè ostendimus, & postea, si res ita ferat, quædam addentur. Nunc, quod de Imputatione Iusticiæ Christi instituimus, prosequemur.

Rom. 5. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per Obedientiam unius, iusti constituentur multi.

Et mox: Quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, sic & gratia regnaret per Iusticiam ad uitam æternam, per Iesum Christum. Quod antea dixit, Obedientiam Christi, nunc uocat Iusticiam eius, & docet, quòd sicut propter inobedientiam & iniusticiam Adæ constituamur omnes peccatores, per propagationem, ita propter Obedientiam & Iusticiam Christi constituamur Iusti, per fidem. Nam quemadmodum ei, qui nascitur ab Adamo, imputatur præuaricatio Adæ, ex qua sequitur carentia Spiritus sancti, & dominatio spiritus maligni, qui infert in hominem omne malum, etiamsi homo non peccauerit ad similitudinem transgressionis Adæ, sicut Paulus loquitur: ita ei, qui renascitur in Christo, hoc est, Credit in Christũ, imputat obedientia & Iusticia Christi, ex qua sequitur donatio Spiritus sancti, qui incipit in homine mortificare carnẽ. Et quanquàm hæc mortificatio non completur perfectè in hac uita, nec satisfacit perfectè legi Dei, tamen homo est acceptus Deo, propter Christum & Iusticiam eius, quam fide sua complectitur.

Rom. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Christus autem habet perfectam Iusticiam, imò ipse est uera, perfecta & absoluta iustícia. Cùm igitur per fidem accipimus Christum à Patre donatum, accipimus etiam Iusticiam eius, ut ea in conspectu Dei ita confidere possimus, perinde ac si nos ipsi eam præstitissemus.

Rom. quarto. Non scriptum est propter illum tantum, imputatũ fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui

excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra,& resurrexit propter Iustificationem nostri. Hîc perspicuè docet Paulus,quòd cùm credimus in Christum, tunc imputatur nobis & mors & Resurrectio eius, ut habeamus remissionem peccatorum propter Mortem eius,& uiuificemur uera ac æterna iusticia,& fœlicitate propter Resurrectionem eius.

Gal.3. Quicunq; in Christum baptisati estis, Christum induistis. Si totum Christum in Baptismo per fidem induimus, consequens est, quòd induamur etiam iustitia eius,quæ sic nobis imputatur, ut eam possimus, nostro nomine,Iudicio Dei opponere.1.Cor.1. Christus factus est nobis à Deo Sapientia,Iustitia,sanctificatio & redemptio.2.Cor.5. Eum,qui non nouit peccatũ, fecit pro nobis peccatum, ut nos efficeremur Iustitia Dei per illum.Dicimur autẽ effici Iustitia Dei per Christum,non quòd mutemur in Deum,sed quòd Christus impetrauerit sua hostia pro peccatis, ut propter ipsum absolueremur à peccatis,& iudicaremur coram Deo Iusti.

Bernhard. In Cantic. Canticor. Serm. 43. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et ego fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum,quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligere,& inter ubera mea collocare curaui,collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei, primùm uidelicet infantilium illarum necessitatum. Deinde laborum,quos pertulit in prædicando,fatigationum in discurrendo,uigiliarum in orando,tentationum in ieiunando,lachrymarum in compatiendo,insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuiciorum, sputorum,colaphorũ, subsannationũ, exprobrationum,clauorũ, horumq; similium, quæ in salutẽ nostri generis sylua Euangelica copiosissimè nascitur protulisse. Vbi sanè inter tot odoriferæ myrrhæ huius ramusculos minimè prætermittendam putaui, etiam illam myrrham, qua in cruce potatus est: sed neq; illam qua unctus est in sepultura. Quarum in prima applicuit sibi amaritudinem meorum peccatorum. In secunda futuram incorruptionẽ mei corporis dedicauit. Memoriam abundantiæ suauitatis horum eructabo quoad uixero. Inæternũ non obliuiscar miserationes istas,quia in ipsis uiuificatus sum. Et mox.

Mihi hic salutaris fasciculus seruatus est,Nemo tollet eum à me. Hæc meditari dixi sapientiam.In his IVSTICIAE mihi PERFECTIONEM constitui,in his plenitudinem scientiæ,in his diuitias salutis,in his COPIAS MERITORVM. Et Serm. 61. Quid non boni in petra? In petra exaltatus,in petra securus,in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps est enim & caducum terrenum omne. Conuersatio nostra in cœlis sit, & nec cadere nec deijci formidamus.In cœlis petra, In illa firmitas atque securitas est. Petra refugium erinacijs. Et reuera, ubi tuta firmáque infirmis securitas & requies, nisi in VVLNERIBVS Saluatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur,non cado.Firmatus enim sum supra firmam petram.Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, Sed non perturbabitur,quoniã VVLNERVM DOMINI recordabor. Quid tam ad mortem,quod non Christi morte saluetur?

Et statim.

Ego uerò fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex Viscer ibus Domini,

Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus & pedes, latusque lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo, id est, gustare & uidere quàm suauis est Dominus.

Ac iterum.

Maiorem miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini. Non sum planè meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quòd si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorũ? Nempe ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & inæternum, ego quoque misericordias Domini inæternum cantabo. Nunquid Iustitias meas? Domine memorabor Iustitiæ tuæ SOLIVS. Ipsa est enim MEA. Nempe factus es mihi tu iustitia à Deo. Nunquid mihi uerendum est, ne non una ambobus sufficiat. Non est pallium breue, quod secundum Prophetam non possit operire duos. Iustitia tua, iustitia inæternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter, larga & æterna iustitia. Hactenus Bernhardus. Quid autem potest de Iustitia Filij Dei, & de meritis eius, quæ nobis imputantur, magis piè & perspicuè dici? Ego certè, quoties hanc Bernhardi homiliam, & similia eius dicta lego, non solum gratulor mihi magna animi alacritate meam ipsius salutem in uulneribus Filij Dei, uerumetiam rapior in singularem amorem Bernhardi, & iudico eum fuisse uirum ingenti pietate præditum, ac nunc cum Christo fœliciter uiuere. Etsi enim aliàs in scriptis eius hoc dictum lego, (Nam & ego interdum abstineo, Sed abstinentia mea, satisfactio est pro peccatis) & alia quædam incommoda dicta, ac uideo in ipso non cucullam tantum, uerumetiam mores quosdam monasticos, tamen ea omnia confero ad illa eius dicta, quæ paulò antè recitaui, & quæ uideo eum excelsissimo animo, & summa fidei magnitudine protulisse, præsertim cùm aliàs quoq; dicat, fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cęterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Et celebratur hoc quoque dictum eius. Vapulem sanè, quatenus miseriaris afflicto, qui non reperis in bonum, quod remuneres. Tempus meum perdidi, quia perditè uixi, pro quo, quid agam non habeo, nisi quòd cor contritũ & humiliatũ non despicies. Quanquàm igitur uideo adhuc in Bernhardo speciem hypocriticæ uitæ, & apparet eum alicubi Asoticis opinionibus patrocinari, tamen cùm confero hæc ad ista, quæ liber à monasticis affectibus & in ueris tentationibus protulit, intelligo eum coram Deo, coram Deo (inquam) omnem Monasticam cucullam & hypocrisim abiecisse, & Solo Christo filio Dei indutum incedere. Quòd si nunc ἄσωτος quispiam abutitur ad stabiliendam impiam suam sententiam, autoritate Bernhardi, & obtrudit nobis quædam dicta eius, quæ uidentur approbare merita Iustitiæ nobis inhærentis, & operũ monasticorum, non concedam quidem, Bernhardum uel sic sensisse, uel ad extremum in ea sententia perstitisse. Sed si Asotus pergat contentiosius urgere, nihil dissimulabo, malo periclitari salutẽ unius hominis, (etsi ego de Bernhardo spem non abijcio) quàm uniuersæ Ecclesię, quæ ex autoritate Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ credit, se non propter merita

uirtutum, quas à Deo accepit & habet, Sed propter solum DOMINVM nostrum Iesum Christum, quem per fidem possidet, & in quo omnem suam fiduciam collocat, coram Deo Iustificari.

Accedamus autem nunc ad alteram impietatem Asoti refutandam, cùm affirmat, quòd debeamus uirtutibus nostris & meritis earum coram Iudicio Dei ueraciter confidere.

NON EST VIRTVTIBVS, QVAS ACCEPIMVS, ET MERITIS earum, coram Deo confidendum.

DOlendum, ac non fictis lachrymis deplorandum est, rem Christianismi in eam fortunam deuenisse, quòd in populo Dei non solum impunè liceat docere fiduciam coram seuero tribunali Dei, in uirtutes nobis inhærentes, & adscribere hanc doctrinam uniuersæ Ecclesiæ Dei, uerumetiam necessarium sit, ut ea doctrina pluribus refutetur. Quid enim in Ecclesia Dei notius, quid certius, quid firmius esse debet, quàm quòd ad consequendam ueram & æternam salutem, in solum unum Deum, Patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Iesum CHRISTVM Filium eius unigenitum, ac in Spiritum sanctum, credendum sit, & confidendum? Nunc autem cùm in ea tempora incidimus, in quibus exigitur, ut homines non uno tantum Deo creatore, Sed etiam creaturis eius, hoc est, uirtutibus, quæ sunt creaturæ, confidant, & pugnandum nobis est, non tam cum Ethnicismo, quàm cum Antichristianismo, agite dum faciamus nostrum officium, & explicemus coram Ecclesia uere Catholica Asoticam impietatem, ne ijs, qui sunt sanabiles, nostra opera defuisse uideamur. Solet quidem Asotus, cùm dicit, fidendum esse uirtutibus & meritis earum, addere pronomen (SIBI:) Earum, inquiens, meritis, SIBI esse fidendum. Et mox: His meritis in Iudicio Dei SIBI ueraciter fidendum esse: & uidetur, quòd hoc pronomen (SIBI) referat Deum. Sed si hæc locutio resoluatur, non minus apparebit impietas, quàm si simpliciter diceretur, Fidendum esse meritis uirtutum. Cùm enim dicitur, Fidendum est Deo, meritis uirtutum, nihil aliud (nisi sit absurdissima locutio) intelligi potest, quàm si diceretur, Fidendum esse Deo propter uirtutes, & propter merita uirtutum. Et hanc esse Asoti sententiam, ex eo etiam manifestum est, quòd oppugnet hanc partem Confessionis Principis, in qua dicitur, quòd non sit confidendum meritis uirtutũ in Iudicio Dei. Quare siue addatur pronomen (SIBI) siue non addatur, eadem est impietas, dignissima quæ grauiter refutetur.

Exod. uigesimo: Non habebis alienos deos coram me. Hîc nobis diligenter considerandum est, qui sint dij alieni. Nomine enim alienorum deorum, non intelligendi sunt tantum Dæmones, quos Ethnica impietas coluisse dicitur, Sed etiam omnes bonæ Dei creaturæ, ex quibus homines solent diuinos cultus, absque uerbo Dei instituere, & ipsis honorem ac maiestatem Dei tribuere.

In Exod. cap. trigesimo secundo, dicunt Israelitæ ad Aheronem: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Et postea, instituto uitulo, acclamauerunt: Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quid igitur dicemus? Num Israelitæ tam insani, tam uecordes fuerunt, ut senserint Aheronem posse ipsis uerum Deum architectari, & aureum uitulum, quem Aheron instituerat, eduxisse ipsos, & liberasse à seruitute Aegyptiaca? Hoc ne per somnium quidem potuit ipsis in mentẽ uenire. Sciebant enim uitulum tunc minimè conflatum, cùm ex Aegypto educerentur, Sed

Sed intelligunt nomine Deorum, cultum diuinum, cuius merito consequantur gratiam Dei, & conseruentur diuinitùs inter tot discrimina, quæ in deserto sunt subeunda. Cùm enim dicunt: Fac nobis Deos, qui nos præcedant, hoc uolunt dicere: Institue nobis Sacra, & cultus diuinos, quos faciamus ad placandum Deum, ad promerendam gratiam Dei, ut nos ex hoc horribili deserto incolumes educat. Et cùm uociferantur: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, hoc sentiunt: Ista sunt uere pia & diuina Sacra, quorum merito Deus noster, qui nos eduxit è terra Aegypti, ita nobis placatur, ut & deinceps nos sit defensurus. Vnde & cùm Aheron hunc nouum Dei cultum dedicaturus esset, non iubet præconem clamare: Cras erit solennitas Vituli, Sed solennitas Domini, hoc est, ueri Dei Israelis, quippe quòd hic aureus uitulus in honorẽ ueri Dei, ut ipsi quidem iudicauerunt, instituebatur.

In 3. Reg. 12. instituit Ierobeam duos aureos uitulos, & dixit ad suos Israelitas: Nolite ultrà ascendere in Hierusalem. Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quid? Fuit ne Rex prudentissimus tanto mentis furore, ut cogitaret hos uitulos esse uerum illum Deum, qui liberauerat Israelitas ex Aegypto? Fuerunt ne Israelitæ tam deploratæ impietatis, ut agnoscerent hos uitulos, iam primùm à Rege suo architectatos, uerum, cœlestem & æternum esse Deum? Nihil certè minus. Non iudicauerunt ipsos uitulos esse uerum Deum, Sed institutionem eorum, esse cultum uero Deo, qui ipsos ex Aegypto eduxerat, tam gratum, tam acceptum, ut propter ipsum stabiliat & conseruet regnum eorum. Si enim placet Deo, iuxta legem Mosi, oblatio uitulorum carneorum, qui uiliori precio habentur, cur non placeret ei institutio uitulorum aureorum, qui magno sumptu constant? præsertim cum institutione huius cultus non intermittatur oblatio uitulorum carneorum, sed potius coram uitulis aureis frequentissimè celebretur.

Quid ergo est, quòd hi uituli aurei uocentur Dij alieni? & cultores eorum, Idolatræ? Exprobratur enim Ierobeamo, quòd fecerit sibi deos alienos, & conflatiles: Vt me, inquit Dominus, ad iracundiam prouocares. An non aurum, ex quo uituli conflati erant, fuit bona Dei creatura? Certè nec ipsa uitulinæ formæ sculptura per se impia est. Et instituebantur uituli, non in honorem Dæmonum, sed ueri Dei Israelis. Quid ergo deest, aut potius adest eis, propter quod sint dij alieni, & cultores eorum habeantur Idolatræ? Primùm, Instituebantur in diuinum cultum absque uerbo Dei. Vbi autem non est uerbum Dei, ibi non potest esse uera fides. Fides enim ex auditu est. Et auditus per uerbum Dei. Quod autem non est ex fide, peccatum est, etiamsi habeatur alioqui pro diuinissimo cultu. Deinde Israelitæ confidebant se merito huius cultus consequi gratiam Dei, & impetrare à Deo omnia genera beneficiorum. Vadam, inquiunt apud Prophetam, post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas meas, & lanã meam, linum meum, oleum meum, & potũ meum. Hoc autem est transferre maiestatem, quæ soli creatori filio Dei, benedicto semini Abrahę, hoc est, Domino nostro Iesu Christo, debetur, in opus manuum nostrarum, & adorare creaturam. Quicquid enim benedictionis siue spiritualis, siue etiã corporalis promissum erat Israelitis, hoc promissum erat nõ propter ipsorum sacra, sed propter Semen Abrahæ, hoc est, propter filium Dei, ex semine Abrahæ nasciturum. Quare, etsi Israelitæ putauerunt se celebrare uitulinum cultum in honorem ueri Dei, ta-

men quia pollicebantur sibi merito huius cultus benedictionem Dei, idcirco & cultus ipse est Alienus Deus, & cultores sunt Idolatræ.

In 3. Reg. 16. instituit rex Ahab cultum Baal. Instituit autem eum, non in honorem alicuius dæmonis, sed in honorem ueri Dei Israelis. Erant enim cærimoniæ colendi Dei à Gentibus mutuatæ, quibus obseruandis Rex sperabat se uero Deo Israelis præstare cultum gratissimum. Vnde & apud Prophetam: In die illo, dicit Dominus, uocabis me, Mi uir, & nō amplius uocabis me Baali, hoc est, coles me, ueris cultibus, non fictitijs. Et tamen cultus Baalitícus, manifestè uocatur tam Deus alienus, quàm Idolatria.

Multa est mentio Excelsorum in libris Regum, παραλειπομένων, & Prophetarū, in quibus fiebant ab Israelitis sacrificia, & adolebantur Thymiamata, idq; , non in honorē Diaboli, sed in honorem & cultū ueri Dei Israelis. In 4. Reg. 18. Rabsaces uociferatur ad Legatos Ezechiæ. Quòd si (inquiens) dixeritis mihi, In Domino Deo nostro habemus fiduciam, nonne iste est, cuius abstulit Ezechias Excelsa & Altaria, & præcepit Iudæ & Hierusalem, Ante altare hoc adorabitis in Hierusalem? Et 2. Paralip. 33. Adhuc (inquit) populus immolabat in Excelsis Domino Deo suo. Habes perspicua testimonia scripturæ, quòd Israelitæ immolauerint in Excelsis, non Diabolo, sed uero Deo Israelis. Et tamen hic cultus uocatur à Prophetis Fornicatio, hoc est, Idolatria. Quid ita? An non Sacrificia & incensa Thymiamatum commendabantur diuina lege? Rectè, Sed suo loco, hoc est, in tabernaculo, aut templo, coram arca propiciatorij, Et ad adumbrandum sacrificium filij Dei, non ad confidendū meritis illorum sacrorum, quòd Deus propter ipsa esset propicius, condonaret peccata, & conferret omnia genera beneficiorum. Hoc enim est Creaturæ, bonæ quidem per se, sed non in hunc impietatis abusum diuinitùs ordinatæ, tribuere, quod est Solius Creatoris, Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi.

Descendamus autem ab Excelsis ad templum ipsum Hierosolymitanum, & ad Sacrificia eius, quæ diuinitùs erant instituta, & uidebimus ea quoque in conspectu Dei esse abominanda, & in Idolatriam conuersa, si homines ijs coram tribunali Dei confidant. Nolite, inquit Hieremias, Confidere in uerbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Cùm autem facit mentionem Templi, intelligit omnes cultus & omnia Sacra, quæ in templo iuxta legem peragebantur. Hæc idcircò reijciuntur, quia hypocritæ ijs confidebant. Vnde & paulò pòst dicitur: Holocautomata uestra, (dicit Dominus) addite uictimis uestris & comedite carnes, quia non sum locutus cum Patribus uestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocautomatum & uictimarum. Ac profectò præceperat Dominus & instituerat Sacrificia, quemadmodum testantur libri Mosi. Non autem instituerat, ut sacrifices ijs coram Deo confiderent, sed ut admonerentur de sacrificio filij Dei, & confiderent se Deo gratos esse propter solum filij Dei sacrificium, atq; ex hac fide, in uocatione Dei ambularent.

Esaias cap. 2. uaticinatur non de captiuitate Babylonica, ut nonnulli sentiunt, sed de abiectione Iudæorum, post aduentum Christi, & recenset aliquot causas diuinæ seueritatis erga Iudæos. Inter eas causas, & hæc una est, Repleta est, (inquit) terra eius Idolis, opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Manifestum autem est, quòd ijs temporibus Iudæi uehementer abominati sint externa simulacra, ac restiterint,

quoquo-

quoquomodo potuerunt,ne ea aut in templo, aut in ciuitate instituerentur.Quæ ergo fuerunt tunc Idola eorum,& quæ illa manuum opera,quæ adorauerunt? Non solum sunt idola aut simulacra, quæ ex auro & argento,aut lapide & ligno fiunt,sed omnia ea opera,uel ab homine excogitata, uel à Deo præcepta,quorum meritis confidis te expiare peccata,& consequi benedictionem Dei.Nam hæc maiestas competit soli Sacrificio Christi filij Dei,cui etiam soli acceptum ferendum est omne meritum benedictionis. Non est autem obscurũ, quòd Scribæ & Pharisæi tribuerint hanc maiestatem suis operibus, non tantum ijs, quæ iuxta præcepta Dei faciebant,sed etiam illis,quæ ipsi excogitauerant.

Apud Lucam ascendit Pharisæus in templum,& orat:Deus,inquiens, gratias ago tibi,quòd non sim sicut cæteri homines,raptores,iniusti,adulteri, uelut etiam hic Publicanus: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Quid hic audis, quod uideatur reprehensione dignum? Agit Deo gratias, quòd non sit homo sceleratus, sicut cæteri homines.Hoc certè pium est,referre Deo acceptum donum iusticiæ.Honestum est,non esse raptorem,& adulterum. Et non dubium est, quin Pharisæus nec fuerit raptor nec adulter coram humano Iudicio. Honestum etiam est, non imitari turpes mores publicanorum. Honestum item est, sobriam uitam ducere, & dare unicuiq; quod suum est. Quid ergo deest Pharisæo ad iusticiam? Hoc nimirum ei deest, quòd è sua Iusticia faciebat idolum,& adorabat opus manuum suarum,hoc est, ut Christus dicit, quòd sua iusticia confidebat, ac alios præ se fastidiebat. Quare etsi temporibus Christi & Apostolorum, Iudæi non habuerunt externa idola, aut externos deos alienos, tamen quia confidebant sua Iusticia, & suis uirtutibus,terra eorum repleta fuit idolis, & adorauerunt opera uirtutum suarum,ideóq; iustè sunt à Deo,tanquàm idolatræ,exhæredati.

Transeamus à Iudæis ad Gentes. Non enim sentiendum est de Gentibus,præsertim Philosophis,ac alijs sana mente præditis, quòd existimuerint ligna,aut lapides,aut bestias,aut alias creaturas,quas coluerunt,esse ueros & æternos Deos.Deus ipse, inquit Cicero, qui intelligitur à nobis, non potest alio modo intelligi,nisi mens soluta quædam, & libera,segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno. Ac rursus: Ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quòd habeat noticiam aliquam Dei, ipsisq; in hominibus, nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Et iterum: Esse præstantem aliquam,æternamq; naturam, & eam suspiciendam,admirandamq; hominum generi,pulchritudo mundi, ordóq; rerum cœlestium cogit confiteri. Sed rectius Apostolus: Quod de Deo cognosci potest,manifestum est in illis (gentibus)Deus enim illis patefecit. Siquidem, quæ sunt inuisibilia illius, cognoscuntur ex creatione mundi, ipsaq; æterna eius potentia & diuinitas per opera intelliguntur. Et Tertullianus,Anima,inquit, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentijs euigorata, licet falsis dijs exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno,ut ex aliqua ualetudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat solum, quia propriè uerus hic unus Deus, bonus & magnus,& quòd Deus dederit,omnium uox est. Iudices quoq;,cùm testatur, Illum Deus uidet, & Deo commendo. Et: Deus mihi reddet. O testimonium

animæ naturaliter Christianæ. Deniq; pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit &c.

Cùm igitur Ethnici habuerint diuinitùs προλῆψιν quandam de Deo, non est existimandum, quòd admoniti senserint, simulacra sua, quæ uiderunt formari, & destrui, aut bestias, quas uiderunt nasci & interire, esse ipsum uerum æternum Deum, quo autore, bona quæq; accipiant.

Quæ ergo fuit impietas, quæ Idolatria eorum? Hoc Paulus ipse perspicuè exponit. Detinent, inquiens, ueritatem in mendacio. Et, Cùm Deum cognouerunt, non ut Deum glorificauerunt. Ac mox: Mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerumetiam uolatilium, quadrupedum & reptilium. Nam quemadmodum Israelitæ, cùm in deserto instituerent aureum uitulum, dicuntur in Psalmo mutasse gloriam suam (quæ erat Deus ipse) in similitudinem uituli comedentis fœnum, non quòd senserint uitulum esse uerum æternum Deum, sed quòd iuxta opinionem ipsorum uerus ille & æternus Deus, qui ipsos ex Aegypto eduxerat, hoc cultu delectaretur, & placaretur, sicut suprà expositum est: ita Ethnici dicuntur mutasse gloriam immortalis Dei in imagine hominis aut bestiæ, aut alterius creaturæ, non quòd crediderint statuam Iouis, aut canem, aut felem, aut crocodilum, aut accipitrem, quæ Aegyptij coluerunt, esse uerum illum & æternum Deum, cuius informationem in animo diuinitùs habebant, Sed quòd senserint hunc Deum communicasse illis rebus suam uirtutem, aut per eas sese colendum & adorandum proponere, & hunc cultum uisibilibus illis rebus exhibitum tantoperè placere uero Deo, ut propter ipsum cultoribus faueat, & omnia benedictionis genera in eos effundat. Etsi enim apud Esaiam Ethnici dicunt conflatili, Vos dij nostri, Et curuantur ante sculptile, & dicunt: Libera me, quia Deus meus es tu, tamen Spiritus sanctus solet in describenda Idolatrarum impietate magis recitare ea uerba, quæ ipse audit in recessibus cordium impiorum, quàm quæ impij uel suo sensu cogitant, uel ore proferunt. Apud Mosen dicunt: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Impij autem non fatentur, se prauitatem, sed potius pietatem sequi. Apud Esaiam dicunt: Posuimus mendacium spem nostrã, & mendacio protecti sumus. Hæc sunt uerba impiorum, non quæ ipsi cogitare uidentur, sed quæ Spiritus sanctus in latebris cordium eorum audit. Apud Hieremiam dicunt: Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, & unusquisq; prauitatem cordis sui mali faciemus. Quid? putas ne Impios tam perfricta esse fronte, ut fateantur se facturos prauitatem mali sui cordis, & non potius contendant, se summam sectari pietatem, & cultum facere Deo gratissimum? Recitat ergo Spiritus sanctus, nõ quæ impij ore fatentur, nec quæ sibi cogitare in corde uidentur, sed quæ impietas ipsa coram Deo, altissimo clamore uociferatur. Sic & Prophetæ affirmant Ethnicos adorare lignea & lapides, & dicere, Liberate nos, Vos estis dij nostri, non quòd Ethnici sentiant hæc ipsa esse uerum & æternum Deum, sed quòd hoc cultu confidant, & polliceantur sibi uerum Deum, cuius anticipationem quandam naturaliter, diuino beneficio, ut Paulus testatur, habent, liberaturum ipsos ex omnibus afflictionibus, & daturum ipsis uaria genera beneficiorũ. An non & Israelitæ ipsi, Reges, Principes, sacerdotes & Prophetæ eorum, dicunt apud Hieremiam, ligno: Pater meus es. Et lapidi, Tu me genuisti? Et tamen nunquàm fuerunt tam deplorata impietate, ut tale quid

ante

ante ligneum aut lapideum idolum procumbentes, uerbis oris sui fate-
rentur, aut per somnium ipsis in mentem ueniret, Sed Spiritus sanctus
commemorat talia uerba, qualia facta eorum coram Deo sonant. Pau-
lus quoque de Impijs dicit: Quorum Deus Venter est, Et uocat Aua-
rum, Idolatram. Quis autem unquàm procubuit ante uentrem & pecu-
niam suam, & dixit: Tu es Deus meus? Et tamen opera eorum uociferan-
tur hæc uerba in auribus ueri Domini Dei nostri. Reliquum igitur est,
quòd cùm præceptum Dei mandat, ne habeamus alienos deos, coram ue
ro Deo, non prohibeat uel solem & lunam aspicere, uel aurum, argen-
tum, lapides & ligna habere, uel imaginem ex his bonis Dei creaturis ar-
chitectatam in prospectu collocare, uel uirtutibus operam dare, Vt enim
hoc est necessarium, ita illa per se non sunt impia, Sed nomine alienorum
deorum intelligat cultus diuinos, & sacra, quæ uel absque uerbo Dei, uel
contra ueram uerbi Dei sententiam instituuntur & obseruantur, idq; non
in honorem Dæmonis, sed ueri Dei, ut propter merita eorum Deus sit
propicius, & conferat in cultores omne genus beneficiorum. Quod cùm
ita se habeat, manifesta nunc est Asotica impietas, quæ docet, quòd homo
sit coram Deo propter uirtutes Iustus, & quòd meritis uirtutum sit in iu-
dicio Dei ueraciter sibi fidendum.

Dominus enim Deus noster, cœlestis Pater, misertus humanæ inter-
necionis, ex gratuita tantum clementia sua, proposuit nobis, non ullam
creaturam, quantumuis illustrem, ac ne Angelicam quidem, Sed tan-
tum unigenitum Filium suum ab æterno ab ipso genitum, ac ipsi consub
stantialem, eademq; cum ipso natura, gloria & maiestate præditum, qui
assumpto in eandem personam homine, contereret caput Serpentis, con-
ferret benedictionem ad omnes gentes, expiaret peccata humani gene-
ris, placaret iram Dei, impetraret hominibus ius adoptionis filiorũ Dei,
& aboleret per mortem suam, sicut Epistola ad Hebræos loquitur, eum,
qui mortis haberet imperium, hoc est, diabolum, ac liberos redderet eos,
quicunque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti.

Nec proposuit nobis hunc unigenitum suum Filium, ut eum qua-
si per transennam tantum inspiciamus, Sed ut hoc solo coram tribunali
Dei, in Iudicio eius confidamus, propterea quòd propter hunc solum ue-
lit nobis esse propicius, & peccata condonare, ac ueram & perpetuam sa-
lutem conferre.

Esaiæ 42. Ego Dominus, hoc est nomen meum. Gloriam meam al-
teri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Non est obscurum, quòd
in eo loco Deus Pater concionetur de filio suo, & commemoret maiesta-
tem ac officium eius, ut inuitet auditores ad fidẽ. Docet igitur, quòd hæc
gloria & maiestas, uidelicet, esse uerum ab æterno Deum, esse fœdus po-
puli, esse lucem gentium, & aperire oculos cæcorum, ac educere uinctum
de conclusione, & sedentes in tenebris de domo carceris, in nullam crea-
turam, ac ne in angelicam quidem, sed in solũ unigenitum filium suum
Dominum nostrum Iesum Christum, conueniat.

Ioannis tertio, Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui
credit filio, habet uitam æternam. Qui uerò non credit filio, non uidebit
uitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne Iudicium dedit filio,
ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem. In Solum autem Pa-
trem credendum, & sola misericordia Dei confidendum. Quare etiam in

solum Christum est credendum, & sola expiatione peccatorũ per ipsum facta confidendum, ut sicut Pater honoratur, & ipse honoretur.

Actor. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Non est (inquit) datum nomen ALIVD. Ergo impietas & Idolatria est, in quacunq; re, quocunq; nomine uocetur, quæ non est Christus ipse, fiduciam suam coram tribunali Dei, ubi agitur de æterna salute, collocare.

Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per NOMEN eius, quisquis crediderit in eũ. Quare tantum detrahitur nomini Christi, quantum remissionis peccatorum alteri nomini tribuitur.

1. Tim. 2. Vnus Deus, Vnus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum PRECIVM Redemptionis pro omnibus.

Nunc ergo conferamus huc Asoticam impietatẽ. Dicit Asotus, quòd homo sit Iustus coram Deo, propter has uirtutes, Fidem, Spem & Charitatem, & quòd meritis operum harum uirtutum sit in iudicio Dei ueraciter, (sic enim loquitur) sibi fidendum. Quæramus igitur primùm, Num hæ uirtutes sint in hominibus in hac uita perfectæ, an habeant adhuc aliquid sordium admixtum? Non est dubium, quin quæcunq; sunt piorum opera, in hac terra, sua adhuc habeant uicia, quemadmodum suprà copiosè demonstratum est. Nec est dubium, quin nulla Iusticia possit in seuero Dei iudicio consistere, nisi sit ex omni parte perfecta. Quomodo igitur fieri potest, quòd homo propter has aut alias uirtutes corã Deo iustus esset?

Deinde, quæramus, num hæ Virtutes sint Christus ipse, Creator, an sint Creaturæ eius? Credo Asotum, ne in ipsa quidem febri sic furere, ut dicat eas esse Christum ipsum creatorem, sed esse eius creaturas. Cùm ergo iubet nos his uirtutibus confidere, an non manifestè iubet nos Creaturis, idque in negocio ad æternam nostram salutem pertinenti, confidere? Hæ uirtutes, sunt quidem bonæ Dei creaturæ in nobis, & habent suum usum, quemadmodum aliâs copiosè explicatum est, Sed docere, ipsis coram iudicio Dei, ubi agitur de æterna nostra salute, confidendum, hoc demùm est ex donis, donatorem DEVM, ex Creaturis, Creatorem, quantum est in impijs, facere, adeóque coram Deo alienos deos habere. Quid igitur detestamur Ethnicos, qui sicut Honori, Quieti, Virtuti, Victoriæ, Fœlicitati, ita & Fidei, Spei, quam uocarunt Veniliam, & Charitati, quam dixerunt, Concordiam, sua templa, suáq; sacrificia instituerunt? Cur nos cessamus, & uirtutibus, quibus & quarum meritis iubet nos Asotus confidere, non & sua delubra excitamus? Quo enim est confidendum, hoc etiam est inuocandum. Fidei enim opus est Inuocatio. Quod autem est inuocandum, hoc etiam est Adorandum. Instituemus igitur delubra Virtutum, instituamus suas singulis uirtutibus statuas, procumbamus ante eas in genua nostra, eleuemus manus nostras, & augeamus litaniam, dicentes: O sancta Fides, ô ueneranda Spes, ô adoranda charitas, ô inuiolata castitas, ô triduanum ieiunium, ô sacra cuculla, ora pro nobis, aut potius defende nos, ne abripiat nos Diabolus ad æternum ignem. Rides ne, Lector? Nunc uerò non est locus ridendi, sed irascendi, & tantam impietatem detestandi, quòd ea sit & impudentia & licentia fraterculorum, ut audeant nobis prætextu Christianorum

norum nominum Ethnicam impietatem & Idolatriam amplectendam obtrudere. Ac fortasis aliquo modo tolerabile uideri posset, si tantum nominibus fidei, spei & charitatis, quæ sunt uirtutes nobis necessariæ, ad suam impietatem abuterentur, Sed hoc demùm modis omnibus detestandum est, quòd in suas Contritiones, Virginitates, cœlibatus, paupertates, uota, cucullas, Ieiunia, horas Canonicas, & infinita id genus alia, transferant gloriã & maiestatẽ soli filio Dei debitam, ac doceant ea esse satisfactionẽ, (recito enim uerba Asoti) maximã, & meritum æternæ uitæ.

Sed habet Asotus suas præstigias, quibus sperat se mentes hominum ita fascinaturum, ut existiment Fraterculorum impietatem esse ueram pietatem. Cùm enim Confessio Principis dicat, hominem reputari coram Deo Iustum, propter SOLVM filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem. Hic Asotus addit talem corruptelam, Solum cùm dicimus (inquiens) excluditur, quicquid aut contrarium, aut alienũ est à Christo. Propter solũ ipsum Iustificamur, non aliquo contrario, uel alieno ab ipso. At uerò Virtutes hæ ab ipso sunt, neq; eis fidimus nisi propter ipsum. Ipsi ut causæ, atq; ita prius. Illis ut effectibus, & posterius. Hactenus Asotus. Expendamus igitur singula ex ordine.

Cùm dicimus (inquit) Solum, excluditur quicquid aut contrarium aut alienum est à Christo. Itáne metuendum fuit, ne sentiamus nos propter Diabolum, qui est contrarius & alienus à Christo, Iustificari? Sed agite dum, sequamur hanc interpretationis normam, & ubi Spiritus sanctus adscribit aliquid SOLI Deo, intelligamus more Asotico, pro eo quod non est contrarium aut alienum à Deo: uideamusq; quo tandẽ ducamur.

Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi SOLI, hoc est, iuxta Asotum, nulli cõtrario & alieno à Deo seruies. Ergo seruiendum etiam est Angelis, SOLI, LVNAE, STELLIS, Cœlo & terræ, quia hæ sunt bonæ Dei creaturæ, & non sunt contrariæ Deo, nec alienæ ab eo. Seruiendum etiam erit igni, niui, glaciei, & spiritui procellarum. Hæc enim intantum non sunt Deo contraria, ut etiam faciant, iuxta Psalmum, uerbum seu uoluntatem eius.

1. Reg. 10. Hodie proiecistis Dominum Deum uestrum, qui SOLVS, hoc est, iuxta Asotum, nihil contrarium, aut alienum à Deo, saluauit uos de uniuersis malis & tribulationibus uestris. Ligna autem & lapides non sunt contraria aut aliena à Deo, quia sunt bona Dei creatura. Imo ne Diabolus quidem, quatenus est creatura Dei, est alienum quiddam & contrarium Deo. Quare non tantum uerus Deus, iuxta Asotũ, sed etiam ligna, lapides & Diabolus saluauerunt Israelitas.

2. Paralip. 6. Tu SOLVS (hoc est, nihil contrarium & alienum à te) nosti corda filiorum hominum. Cùm autem anseres & gallinæ non sint quiddam contrarium aut alienum à Deo, sequitur iuxta Asotum, quòd sint cordium humanorum scrutatores.

Iob. 9. Qui extendit cœlos SOLVS, hoc est, iuxta Asotum, nihil contrariũ & alienum à Deo. Volatilia autẽ cœli & pisces maris, non sunt contraria seu aliena à Deo. Reliquum igitur est, quòd unà cum Deo extendant cœlos. Deus quidem, ut prius, Volatilia autem, & pisces maris, ut posterius. Quis ad tam absurda & horrenda non obstupescat?

Sed redeamus ad Iustificationẽ. Solum cùm dicimus, (inquit Asotus) excluditur quicquid aut cõtrarium, aut alienum est à Christo. Ergo iuxta Asotum, quicquid nõ est contrarium aut alienum â Christo, includitur in

ratione Iustificationis, & dicendum est nos propter illud Iustificari. Immanè, quanta est multitudo illarum rerum, propter quas coram Deo Iustificamur. Nam & propter equos & asinos Iustificabimur. Hæ enim bestiæ non sunt contrariæ aut alienæ à Christo, cùm sint per ipsum creatæ. Ac profectò, si propter ullam rem, quæ non sit contraria aut aliena à Christo, iustificamur, maximè omnium, propter Asinum Iustificabimur. Vide enim mihi bonitates & utilitates Asini. Asinus est bona Dei creatura. Asinus confert utilem operam in gestandis saccis & lignis. Asinus portauit quondam ligna, cùm immolandus esset Isaac. Super asinũ imposuit Moses uxorem & liberos, cùm rediret in Aegyptum. Per asinum Deus quondam locutus est. Asino uectus est Christus filius Dei in Hierusalem. Et quod mirandum est, scribunt nonnulli Hebræi, hunc ipsum esse asinum, tanto tempore diuinitùs nescio quo in loco, fortasis in antro Trophonij, conseruatum, qui antea portauerat ligna ad holocaustum Isaaci, & gestauerat uxorem ac liberos Mosi. Accedit & hoc, quod non est oscitanter considerandum, quòd Asinus gestet in tergo figuram crucis, ut & ipsi Asotici scriptores admirentur, quî fiat, quòd cùm Christus turpiter sit affectus in cruce, & tamen homines uenerentur crucem, in asino autem insidens, magno sit honore affectus, & tamen asinum, quantumuis cruce signatum, non uenerentur. Habes bonitatem & utilitatem, ac si libet, maiestatem Asini, quam certè non habet à seipso, sed diuino beneficio. Cùm igitur tantum abest, ut sit animal contrarium, & alienum à Christo, ut etiam Christo in maximis honoribus seruierit, & adhuc figuram crucis eius gestet, non uidetur aliud sentiendum, quàm ut propter hoc insigne animal coram Deo Iustificemur. Quòd si Asotus dicat se de uirtutibus tantũ, quæ in nobis sunt, non de alijs creaturis, quæ sunt extra nos, loqui, etsi habeo, quod respondeam, tamen libet in præsentia, ad potestatem potius Pontificum confugere, quàm alia refutatione uti. Nam si adhuc aliquid defuerit asino, quo minus propter eum Iustificemur, facilè compensabunt hoc Pontifices, si saltem uoluerint. Possunt enim recitata benedictione quadam, asinum sic consecrare, ut si quis non crediderit, nos propter eum Iustificari, sit anathema. Ne quis autem existimet me Pontificibus plus tribuere, quàm sibi ipsi sumant, operæpretium iudicaui hîc commemorare, quid in libro eorum, cui Titulum fecerunt, Pontificale, hisce diebus legerimus, Præsertim cùm hæc nonnihil ad institutum nostrum faciant. Nam cùm Pontifices instituunt nouam crucem consecrare, recitant hanc orationem.

Oramus te Domine sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, ut digneris bene ✝ dicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit Remedium salutare generi humano, sit Soliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, Sit Solamen & protectio, ac tutela contra sæua iacula inimicorum, per Dominum nostrum &c.

Habes consecrationem ligni crucis. Si autẽ Pontifices possunt lignum è proxima sylua acceptum, consecrare, ut sit remedium salutare humano generi (libet enim iterum uerba eorum recitare, Δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά,) soliditas fidei, bonorum operum profectus, Redemptio animarum, Solamen & protectio, ac tutela contra sæua iacula inimicorum, quomodo non possent etiam asinum ita consecrare, ut propter ipsum coram Deo Iustificaremur? præsertim cùm asinus, quippe quòd animatus, longè præstantior sit ligno inanimato. Bone Deus, quãta est Pontificij regni impietas,

pietas. Quid enim in medio Ethnicismo, magis Ethnicẽs, quid in medio Magismo, plus magicẽs fieri potest, q̃ quòd lignum alicunde ex proxima sylua aduectum, cõsecretur, ut sit Redemptio animarum, & protectio ac tutela contra sæua iacula inimicorum? An hoc nõ est consecrare lignum, ut dicatur ad ipsum, Pater meus es tu, & Deus meus? Et tamen tanta est uanissimorum istorũ hominum impudentia, ut non solum hæc Ecclesiæ Christi credenda obtrudant, uerumetiam, nisi quis ea approbet, exosculetur & adoret, diro eum anathemate deuoueant? Sed pergamus.

Consecrauimus Asinum, & collocauimus eum in throno maiestatis Christi. Nunc collocemus in eodem throno alias quoque creaturas. Existimo enim ipsum satis amplum & spacioſum esse, ut possit, præter Asinum, etiam alias creaturas capere.

Dicit Asotus: Propter solum ipsum iustificamur, non aliquo contrario uel alieno ab ipso. At uerò uirtutes hæ ab ipso sunt. Hactenus Asotus. Si ergo idcircò iustificamur propter has uirtutes, quòd sint ab ipso Christo, reliquum est, quòd non tantũ Iustificemur corã Deo, propter has tres uirtutes, Fidem, Spem, & Charitatem, uerumetiam propter omnes alias uirtutes, imò propter omnes creaturas, siue in cœlo, siue in terra. Omnes enim sunt à Deo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factum est. Nunc demùm incipio metuere, ne Thronus maiestatis Christi nimis angustus fiat, cùm omnes creaturæ, quæ sunt innumerabiles, in eo sint collocandæ. Sed maneamus in choro harũ trium uirtutum, de quibus præcipuè agitur. Manifestũ quidem est, quòd hæ uirtutes sint in pijs hominibus dona Dei, & quòd earũ autor sit Spiritus sanctus, num uerò idcircò propter eas coram Deo Iustificamur? Etsi enim Deus operatur has uirtutes in hominibus, tamen nondum sunt in hac quidem carne perfectæ. Deus perfectissimus quidem artifex est, & autor rerum absolutissimus, homo autem, organon artificij Dei, peccato ita corruptus est, ut quas in ipso uirtutes Deus operatur, corrumpantur & ipsæ. Infunde optimum uinum in uasculum acetosum, statim acescit & uinum. Da indu-strium citharistam, sed si habuerit citharam parùm aptam, non admodũ concinnè pulsabit. Quòd si uirtutes, quas Deus in homine operatur, idcircò perfectæ sunt, quòd sint à Deo, quid est quod Paulus ait: Idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Et iterum: Caro concupiscit aduersus Spiritum, Et spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis? Quid est & illud, quòd Dauid exclamat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et: Nõ intres in Iudicium cum seruo tuo, quia non Iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens? An Dauid non habebat fidem, spem & charitatem? An non hæ uirtutes erant in Dauide ex Deo? Quid ergo est, quòd non audeat ijs coram Iudicio Dei confidere, sed potius Iudicium Dei deprecatur, & exclamat: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam?

Atenim Asotus affirmat se non fidere ijs uirtutibus, nisi propter Christũ ipsum. Ipsi ut causæ, atq; ita prius: illis, ut effectibus, & posterius. Quid est, obsecro, uanitas, quid sunt præstigiæ, si hæc non sunt? Quam enim idolomaniam hoc prætextu non excusabis? Extat quorundã Sophistarũ conclusio, quòd Imagines rerum adorandarum, eadem specie adorationis, adorandæ sint, qua res ipsæ significatæ, Vt si res adorãtur latria, adorabuntur etiam imagines latria: si dulia, dulia; si hyperdulia, hyperdulia,

Hęc idolatria nunc autore Asoto, rectè excusabitur. Adorabit idolatra statuam ligneam ad effigiem filij Dei formatam, & dicet, Non adoro lignũ nisi propter Deum. Psalmus dicit: Nolite confidere in Principibus, neq; in filijs hominũ, in quibus non est salus: Sed respondebit Asoticus quispiam, non confido Principibus, aut filijs hominum, nisi propter Deum. Hieremias ait: Maledictus homo, qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Asoticus autem dicet: Non confido in homine, nec pono carnem brachium meum, nisi propter Deum. Paulus scribit Auarum esse Idolatram. Respondebit autem auarus, se non colere pecuniam, nisi propter Deum, cuius dono eam possideat. Ergo ne ab Idolatria excusabitur? Quin potius, si piè sentiendum & loquendum est, inuertas, necesse erit. Tantum enim abest, ut propter Deum, confidendum sit uel Principibus, uel filijs hominum, uel opibus, uel uirtutibus, ut ijs propter Deum haudquaquàm sit confidendum. Deus enim uetuit, ne in conspectu suo, ulla creatura, Sed solo ipso, Solo, inquam, ipso, Sola ipsius bonitate, Clementia & misericordia confidamus. Nunquid non, (inquit) ego DOMINVS, & non est ultrà Deus absque me. Deus iustus & saluus non est præter me. Et: Mihi, MIHI, inquit, curuabitur omne genu.

Hîc uerò uociferabitur fortassis alius quispiam. Quid? Si non est ulla creatura in conspectu Dei, ubi agitur de æterna nostra salute, confidendum, quid est, quòd necesse habeamus Christo, qui certè non est tantum Deus æternus, & omnipotens rerum creator, uerumetiam homo, & ea tenus quoque creatura, confidere? An non est nobis Passione, Sanguine & Morte eius, (quæ sunt creaturæ) coram Iudicio Dei fidendum? Profectò, his maximè omnium fidendum est. Hic enim homo non est simplex homo, sed etiam uerus ab æterno Deus. Et Passio, Sanguis ac Mors eius, non sunt solius creaturæ hominis, sed etiam Creatoris Dei. Iudæi non hominem tantum, sed etiam Dominum gloriæ crucifixerunt. Et Paulus: Posuit uos (inquit) Spiritus sanctus Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo. Dicit Deum acquisiuisse sibi Ecclesiam Sanguine suo. Sanguis igitur Christi, non est hominis tantum, sed etiam Dei ipsius, (qui cum homine in unitate personæ coniunctus erat) Sanguis. Et de hoc Sanguine rectè ac piè dicitur, quòd eo propter Deum confidamus.

Augustinus super illud Psalmi, Adorate scabellum pedũ eius, ita concionatur: Videte, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terrã, cùm dicat apertè scriptura: Dominum Deum tuum adorabis. Et hîc dicit: Adorate scabellum pedum eius. Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit, Terra autem scabellum pedum meorũ. Anceps factus sum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursus, Timeo non adorare scabellũ pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellũ pedum eius. Quæro quid sit scabellũ pedum eius, & scriptura mihi dicit, Terra scabellũ pedum meorũ. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit n. de terra, terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnẽ accepit. Et quia in ipsa

carne

carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & nō solum non peccemus Adorando, sed peccemus Non adorando.

Et iterum in alio loco: Quid quòd carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus, quàm diuinitati deseruis? Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atq; deitati unita est, ut non alium atque alium, sed unum eundemq; Deum & hominem Dei filium confitear. Denicq; si hominem separaueris à Deo, ut Photinus, uel Paulus Samosatenus, illi ego nūquàm credo nec seruio. Veluti si quis nostrum aut purpuram aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm uerò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino, humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ unitam, unum Dei filium, Deum uerum & hominem uerum, qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. Hactenus Augustinus. Agite dum igitur, doceant Sophistæ, Virtutes non tantum esse à Christo, sed etiam esse Christum ipsum, hoc est, assumptas esse à Deo in unitatem personę, nulla erit mora, quin eas adoremus, & ipsis confidamus. Sed hoc suscipere, uel cogitandum, quæ esset impietas? Reliquum igitur est, quòd non sit confidendum uirtutibus propter Christum, Sed potius propter Christum non sit eis confidendum, ut soli Christo maneat uera gloria atque maiestas conferendæ in nos æternæ salutis.

Sed ne Asotus ordinem confidendi confundat, affirmat Christo confidendum esse, ut causæ, atque ita prius, uirtutibus autem ut effectibus, & posterius. Agnoscimus ergo Synodum Platonicorum deorum, in qua summus rerū opifex, ὁ τόδε τὸ πᾶν γεννήσας, reliquos deos ita alloquitur: Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε ἔργων.

Sed enim, non quæritur hoc loco de ordine confidendi, sed de fiducia ipsa. Non quæritur, prius ne an posterius sit uirtutibus fidendum, sed, Num eis sit fidendum, siue id posterius siue prius fiat. Hæc enim est uera catholicæ Ecclesiæ doctrina, quòd in solum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum sit credendum, idq; tam prius, quàm posterius. Ego enim sum, inquit, alpha & ω, primus & nouissimus. Et: Ex illo, per illū, & in illum omnia, & quòd coram tribunali Dei, ubi agitur de æterna nostra salute, Solo Christo filio Dei, mediatore Dei & hominū sit confidendum, quemadmodum suprà copiosè explicatum est. Nunc autem, cùm Asotus scribit, confidendum esse uirtutibus ac meritis earum, etsi addit, posterius, & ut effectibus, tamen facit, quantum in ipso est, ex eis deos, posteriores quidem, & minorū gentium, ut quondam loquebantur, attamen Deos. Fiducia enim ęternæ nostrę salutis collocanda est in Solo Domino Deo nostro, ac eo homine, qui non tantum homo est, sed & uerus ac æternus Deus. In quacunq; igitur re fiduciam salutis æternę collocaueris, eam pro Domino Deo tuo constituis, & quantum fidei posueris in meritis tuarum uirtutum, tantum abstrahis à Domino nostro Iesu Christo, sicut piè dixit Bernhardus: Deest gratiæ, quicquid meritis deputas.

Ac profectò Asotus prodit ipse haud obscurè suam idolatrian. Dicit se confidere uirtutibus ut effectibus. Effectus autem, nō sunt creator ipse, sed Creatura. Quid ergo confidere effectibus aliud est, quàm confidere

creaturis? Maledictus autem, qui gloriam immortalis Dei in creaturas mutat, & de æterna sua salute creaturis confidit. Ex quo, quid de Asoto sequatur, secum ipse expendat. Quòd si uerò Asotus adhuc pergat suam sententiam tueri, & habeat suos Prælatos suffragatores, reliquũ est, ut quemadmodum superioribus diebus legimus mutatum Dauidis Psalterium, & quod Spiritus sanctus de Domino Deo nostro cecinit, hoc Marialatra quispiam transtulit ad Mariam uirginem.

Domina mea in te speraui, de inimicis meis libera me.

Confitebor tibi Domina in toto corde meo, & narrabo in populis laudem & gloriam tuam.

In Domina confido, propter dulcedinem misericordiæ nominis tui.

Conserua me Domina, quoniam speraui in te.

Exaudi Domina iusticiam meam, & amoue à me tribulationẽ meam.

Ad te Domina clamabo, & exaudies me.

Dixit Dominus dominæ meæ, Sede mater mea à dextris meis.

Cantemus Dominæ gloriosæ Virgini Mariæ, in hymnis & confessionibus benedicamus eam. Domina nostra OMNIPOTENS post Deum, nomen eius, currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Et multa id genus alia, quæ cùm libellus publicè extet, superuacaneum est hoc loco pluribus enumerare: quin & hæc uel pauca recitans, cohorresco. Quemadmodum ergo (inquam) Psalterium Dauidis mutatum est in Marialatrian: ita necessarium fuerit, idem Psalterium denuò iuxta Asoticam formam emendare, ad hunc propè modum.

In Domino confido, ut causæ, In uirtutibus autem, ut effectibus: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?

Ad te Domine, prius quidem, ad uirtutes autem posterius, leuaui animam meam. In te, ut causam, in uirtutes autem, ut effectus, confido, non erubescam.

In te Domine prius, In uirtutes autem posterius, speraui, non confundar inæternum, In Iusticia non tua tantum, sed etiam mearum uirtutum libera me.

Miserere mei Deus, non tantum secundum magnam misericordiam tuam, sed etiam secundum merita mearum uirtutum. Et secundum multitudinem non solum miserationum tuarum, sed etiam meritorum meorum.

Deus non tantũ in nomine tuo, sed etiam in nomine mearũ uirtutum saluum me fac, & in uirtute non tam tua, q̃ meorũ meritorum iudica me.

Existimas fortasis, optime Lector, me abuti ocio, & recitare hæc laudendi gratia, Sed profectò res maximè seria agitur. Omninò enim Angelus Satanæ producendus est in lucem, ut agnoscatur, & uitari queat. Non enim dubium est, quin si Asotica doctrina constiterit, horribiles istæ, ac multò plures & detestabiliores blasphemiæ sequantur.

Fingamus autem merita uirtutum, iuxta Asoticam doctrinam, non hoc, quod recensui, inferre, patet tamen Prælatis alia uia, qua ex meritis uirtutum faciant Christũ, & collocent ea uel in ipso Throno Christi, uel ad scabellum pedum eius. Nam cùm suscipiunt Salem benedicendum, ita eum exorcizant, ut sit in salutem credentium, sit omnibus sumentibus sanitas corporis & animæ, ac effugiat, (Recito enim uerba eorum) & discedat ab eo loco, in quo aspersus fuerit, omnis phantasia & nequitia, ac uersutia Diabolicæ fraudis, omnisq̃ spiritus immundus. Quòd si tanta est

Pontificum

Pontificum potestas, ut queant exorcismo suo, ex sale facere remedium ad salutem corporis & animæ, & ad effugandos dæmones, inuocet salutem Asotus Pontifices, ut exorcisent etiam merita uirtutum, in æqualitatem & maiestatem Christi. Ita fiet, ut Asotus possit nobis medium digitum ostendere, & nos conuincere, quòd etiamsi impietas sit, meritis suarum uirtutum in conspectu Dei confidere, tamen exorcismo suorũ Pontificum summa fiat pietas, & perpetua corporis & animæ salus.

Priusquàm autem pergam ad refutanda alia, quæ Asotus hoc loco negatur, uisum est huc referre quod in cap. De Inuocatione Sanctorum, de Solo & Solitario scribit. Omninò enim conuenit ei argumento, quod hìc de fiducia in merita uirtutum recitatur.

Confessio Principis dicit: Omnis Spes salutis nostræ collocanda est, non in Sanctis, sed in solo Domino Deo nostro &c. Ibi Asotus addit has scorias, SOLO, inquam, sed non Solitario. Nulli fidimus, quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs, quæ ab eo uirtutem cooperandi salutem nostram habent &c. Hactenus Asotus.

Metuit fortè, ne ex Deo faciamus Monachum. Quod enim nobis est Solitarius, hoc Græcis est μοναχός. Nisi autem Asotus aliam habeat Latinam Grammaticam, quàm usitatam, non uideo quod sit tantum in significato discrimen inter Solum & Solitarium, ut alterum Christo sit tribuendum, alterum ipsi adimendum. Non ignoramus quidem Christũ non esse Solitariũ, sed esse cum Patre & Spiritu sancto, & habere Angelos ministros, milia miliũ, decies milies centena milia, ut est apud Danielem, ac possidere cœlũ & terrã & omnia quæ in eis sunt. Sed in procuranda & tribuenda nobis uera & æterna salute, nõ est agnoscendus ullus alius autor, præter solum & Solitarium Dominum Deum nostrum, Patrem, Filium & Spiritũ sanctum. Quid autẽ sibi Asotus hoc discrimine, hoc est, uanitate uelit, non dissimulat ipse. Nulli, inquiens, fidimus, quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs, quæ ab eo uirtutem cooperandi salutem nostram habent. Reuertitur ergo Asotus ad ordinem Platonicum, & ponit unum summũ rerum opificem, qui condiderit sibi cooperarios, & dederit eis aut infuderit diuinã suam uirtutem, qua unà cum ipso homines saluent. Hæc est Asotica de Deo Theologia. Nos uerò edocti diuina scriptura per Spiritum sanctũ, credimus Vnum tantum & Solum, ac solitarium Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse nostrum uerũ & æternum Saluatorem, & hunc Deum nulli creaturæ tribuere diuinam suam uirtutẽ saluandi, nisi uni illi homini, quem filius Dei in unitate personæ assumpsit, Domino nostro Iesu Christo. Gloriam meam, inquit, alteri non dabo, & laudẽ meam sculptilibus. Gloria autẽ & laus, quæ propriè soli Deo competit, est Virtus æterna salute saluandi. Ego, inquit, Dominus Deus tuus, sanctus Israel, saluator tuus. Et mox: Ego sum, EGO sum Dominus, & nõ est absq; me saluator. Et aliâs: Ego Dominus Deus tuus ex terra Aegypti, & Deũ absq; me nescies. Et, Saluator non est prẽter me. Quid est, Non est præter me saluator, nisi, ego sum Solus & solitarius tuus Saluator, in quo solo & solitario omnis spes salutis nostræ collocanda est?

Esaiæ 42.

Oseæ 13.

Non est obscurum, quòd scriptura tribuat etiam hominibus ac præsertim heroibus, in libro Iudicum, nomen Saluatoris, quòd liberauerint Israelitas è tyrannide hostium suorum, nos autem loquimur nunc non de externa & temporali, ac mundana, sed de uera, æterna ac cœlesti salute.

Ac manifestum quidem est, quòd Deus ad adnunciandã, & conferen-

dam hanc cœleſtem ſalutem utatur tanquàm organis, creaturis ſuis, Angelis, Prophetis, Apoſtolis, Miniſterio prædicandi uerbi Dei, & Sacramentis, his autem non ſic utitur, ut in ipſa ſuam ſaluandi uirtutem, hoc eſt, maieſtatem ſibi ſoli propriam, transfundat. Hæc enim maieſtas Soli inter creaturas filio hominis, Chriſto Domino noſtro, qui eſt & filius Dei, contigit, Sed ita eis utitur, ut per ipſa, per (inquam) ipſa tanquàm organa uirtutem ſuam ad ſaluandos homines exerceat. Neque enim Deus aſſumpſit in unitatẽ perſonæ, uel Angelos, uel Prophetas, uel Apoſtolos, uel Sacramenta, ſed tantum Semẽ Abrahæ, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ideóq; in hunc ſolum contulit uirtutem ſaluandi. Pater (inquit) diligit filiũ, & omnia dedit illi in manus. Et: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quare, ſi quis dixerit, Deũ dare alteri inter filios hominum aut alias creaturas, præterquàm uni, ſoli & Solitario Domino noſtro Ieſu Chriſto uirtutem ſaluandi homines æterna ſalute, anathema ſit, propterea quòd nobis tot Chriſtos, quibus confidamus, obtrudat, quot Creaturis datam eſſe à Deo ſaluandi uirtutem affirmat.

Paulus ad Corinthios ſcribens, uocat ſe & collegas ſuos, Cooperarios Dei. Ne quis autem exiſtimet, datam ipſis ſaluandi uirtutem, ſed ipſos tantum eſſe eius diuinæ uirtutis organa, addit Dei Agricolatio, Dei ædificatio eſtis. Et paulò antè: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum, Deus.

Apud Matthæum dat Chriſtus Apoſtolis poteſtatem aduerſus immundos ſpiritus ut eijcerent eos, & ſanarent quemuis morbum. Non transfundit in Apoſtolos ſuam poteſtatem & uirtutem, quam habet diuina maieſtate contra Satanam, alioqui feciſſet ex ipſis Chriſtos, hoc eſt, deos & homines in unitate perſonæ, Sed utitur eis, tanquàm organis, per quæ diuinam ſuam uirtutem & poteſtatem exerceat. Vnde & cùm hanc ſibi uirtutem adſcribere inciperent, non potuerunt dæmonium eijcere.

In Actis Apoſtolicis, promittit, eos accepturos uirtutem, aduenìente ſuper eos Spiritu ſancto. Non promittit eos habituros uirtutem ſaluandi, quos uelint, ſed accepturos admiranda dona Spiritus ſancti, ut loquantur uarijs linguis, & teſtificentur miraculis ueritatem Euangelij in toto orbe terrarum. In Numeris, inſtituitur Serpens æneus, ut qui percuſſus, aſpexerit eum, uiuat. An putas in talem Serpentem collatam diuinam uirtutem conſeruandi ueneno affectos, in uita? Nihil certè minus, ſed Deus uſus eſt eo tanquàm organo, & ut ſcriptura ipſa dicit, ligno, quo ſuam, quam ſibi ipſe reſeruauit, uirtutem exerceret. Vnde & Ezechias contriuit eum, quippe quòd extra ſuum uſum, ad quem in deſerto diuinitùs ordinatus fuerat, non erat niſi æs, ad conferendam uitæ incolumitatem nihilo conducibilius, quàm putridum lignum.

Apud Matthæum, & alios Euangeliſtas mulier hæmorrhouſa tangit fimbriam ueſtimenti Chriſti, & ſanatur. Non erat uirtus ſanandi in fimbria. Non enim fimbria erat Chriſtus ipſe, ſed uirtus erat in Chriſto, qui eam per fimbriam, pro bona ſua uoluntate, erga miſeram mulierculam exercebat.

In Actis Apoſtolicis ſanantur infirmi per umbram Petri, & per ſudaria Pauli. Nunquid diuina uirtus ſanandi collata & transfuſa erat in umbram, & Sudaria? Hoc certè fuiſſet ex umbra & Sudarijs facere Deum umbraticum, & ut ita dicam, Sudariatum. Sed uiſum eſt Deo ijs temporibus ſuam diuinam uirtutem, quam ſibi retinebat, per hæc externa organa,

organa, seu, ut Paulus loquitur, uasa aut instrumenta, testificari.

Sciat igitur uniuersa turba Asotica, quòd nihil in tota rerum natura sit, quod habeat Virtutem saluandi homines æterna salute, præter solum & Solitarium Dominum nostrum Iesum Christum, unigenitum filium Dei, nec sit in ulla alia re, quocunq; nomine inter creaturas uocetur, Spes ueræ & æternæ salutis nostræ collocanda.

Sed habet Asotus testimonia scripturæ, quibus uidetur sibi probare, uirtutibus fidendum. Paulus (inquit) dicit: Spe salui facti sumus. Christus in Euangelio: Fides tua te saluam fecit. Et Petrus: Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Cur non fidendum illis quibus Saluamur, quibus cooperiuntur peccata? Hactenus Asoti uerba. Quæso autem te, suauissime mi Lector, num hæc Asotica legens teneri potes, ut non uel stulticiam huius hominis rideas, uel inscitiam eius deplores? Cur (inquit) non fidendum illis, quibus Saluamur? Paulus autem ad Corinthios scribens: Omnibus, inquit, omnia factus sum, ut omnes facerem Saluos. Ergo ne Paulo tanquàm Saluatore nostro confidendum erit? Quid ergo est, quòd unà cum Barnaba insilit in turbam Lycaonũ, qui uolebant ipsis sacrificare, & exclamat: Viri cur facitis ista? Nos quoq; ijsdem, quibus uos, obnoxij malis sumus homines, adnunciantes, ut ab istis uanis conuertamini ad Deum uiuum? Agnoscimus quidem Paulum insignem filij Dei Apostolum, & electum organon. Sed cùm sciat maledictum esse hominem, qui confidit in hominem, cohorresceret ipse ad eius uocem, qui diceret se fiduciam æternæ suæ salutis in ipso collocare.

Quis est, inquit, Paulus? Quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit? Et iterum: Num Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptisati estis?

Scribit Paulus aliàs ad suum Timotheum: Attende tibi & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum Saluum facies, & eos qui te audiunt. Hortabimur ergo, iuxta Asoticam dialecticam, Timotheum, ut fiduciam æternæ salutis, in seipso collocet, hortabimur & auditores eius, ut salutis suæ æternæ fiduciam collocent in Timotheo, quia Paulus scribit ad eum, Hoc faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt? Vides, quàm horribilibus tenebris inuoluuntur hi, qui obfirmata fronte aduersus piam doctrinam incurrunt.

Nam, quod Christus sæpè repetit, Fides tua te saluum fecit. Et Paulus: Fides imputatur ad Iusticiam, non est intelligendum, quòd uel merito, uel dignitati fidei in hominibus, tribuatur iusticia aut salus. Opus enim fidei, ut est in homine, nunquàm est in hac uita tantæ perfectionis, ut respondeat diuinæ iusticiæ. Sed etsi est uirtus sua commendatione dignissima, & ad Iusticiam atque salutem consequendam necessaria, tamen quia est imperfectum in homine opus, non potest dignitate suæ actionis coram iudicio Dei consistere, & necessarium est, ut imperfectum eius non imputetur. Sicut præclarè Augustinus dicit, nostram Iusticiam constare in hac uita, remissione potius peccatorum, quàm perfectione uirtutum. Quòd autem fides dicatur hominem iustificare aut saluum facere, referendum est ad Christũ filium Dei, qui fide accipitur, & per fidem, ut Paulus inquit, in nobis inhabitat. Fides enim saluum facit credentem, nõ propter fidem, quæ, ut dixi, imperfectior est, quàm ut possit perfectæ iusticiæ Dei respondere, Sed dicitur credentẽ saluum facere, propterea quòd per eam Christus, qui Solus est salus nostra, accipitur. Itaq; non est fidendum

huic uirtuti, ut Asotus nugatur, Sed soli Christo filio Dei, qui per fidem se ita nobis donat, ut Iusticiam seu Obedientiam eius possimus opponere Iudicio Dei, & ab æterna morte seruari.

Idem dicendum est de Spe. Spes enim excellentissima est uirtus, & Beatus uir, cuius est nomen Domini Spes eius. Hæc autem uirtus, non eo commendatur, quòd uel sit perfecta in homine, uel afferat merito suæ actionis homini salutem & beatitudinem, Sed quòd retineat in homine diuturnis & grauibus aduersis perculso, Christum Filium Dei, quem per fidem accepimus, ut fiamus salui Spe, non propter Spem, quippe quòd sit imbecillior in homine, quàm ut mereatur salutem, Sed propter Christũ, Spe inter uaria certamina & pericula retentum. Neque quòd confidendum sit Spei, sicut Asotus hallucinatur, sed quòd confidendum sit Soli Christo, qui, etsi Spes non est perfecta in nobis, perfectus tamen est ipse, & facit nos omnium bonorum suorum participes. Si enim Deus tradidit pro nobis filium suum, & donauit eum nobis, qui fieri posset, ut & non cum eodem donaret nobis omnia?

Quod autem de Charitate ex Petro citatur, Charitas operit multitudinem peccatorum, non ignoro, quòd nonnulli ueterum abutantur hoc dicto, ad probandam expiationem peccatorum, per merita operum charitatis in hominibus, Sed uera sententia huius dicti petenda est ex Prouer. Salomonis, cap. 10. unde Petrus hoc mutuatus est. Sic.n. dicit Salomon: Odium suscitat rixas, & uniuersa delicta operit charitas. Hic opponuntur inter se Odium & Charitas. Ac odium quidem autor est multarum rixarum, multorumq; delictorum. Inter hos enim, qui se inuicem hostili animo infectantur, odium excitat nunc lites & rixas, nunc maledicta & detractiones, nunc pugnas, bella atq; homicidia. Charitas autẽ efficit, ut multa delicta euitentur. Inter hos enim, qui sese mutua charitate complectuntur, nõ sunt rixæ, non execrationes, non bella, aut homicidia. Charitas, inquit Paulus, patiens est, benigna est; Charitas non inuidet, non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt: nõ irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniusticia, sed congaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hoc uerè est operire multitudinem peccatorum, non quòd charitas expiet multa peccata coram Deo, sed quòd præcaueat & prouideat, ne multa peccata inter homines designentur. Hæc est uera sententia dicti Salomonis, quam cognouisset Asotus, si saltem uel Lyram dignatus fuisset inspicere. Sic enim scribit Lyra: Vniuersa delicta operit charitas, quia sicut odium per rixas manifestat defectus aliorum, Sic charitas celat, nisi quantum correctio fraterna requirit. In hanc sententiam citat & Petrus hoc dictum: Ante omnia (inquiens) charitatem inter uos uehementem habentes. Nam charitas operiet multitudinem peccatorum, hoc est, si charitas fuerit inter uos uehemens & ardens, efficiet, ut non solum alter alterius peccata nõ diuulget odiosè, uerumetiam multa euitentur, ne committantur. Bernhardus uidetur hoc dictum interpretari de charitate, quæ est Deus ipse, ut sit sensus, Deus ex immensa sua charitate cõdonat hominibus multa ipsorum delicta, Iuxta illud Ioannis: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, Sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Bona quidem sententia, sed quæ non est apta interpretatio dicti Salomonis & Petri.

Nunc ergo considera mihi, q̃ industriè Asotus probet Charitati confidendum

fidendum esse. Si enim per charitatem intelligit charitatẽ Dei, quæ Deus ipse est, sicut Ioannes dicit, & qua condonat nobis nostra delicta propter Christum, rectè quidem loquitur, Sed quo cum pugnat? Omninò enim hac Dei charitate confidendum est, & hoc uolumus, hoc spectamus, ut omnem fiduciam salutis nostræ in gratuita Dei clementia seu charitate collocemus.

Si autem intelligit charitatem, quæ in nobis est, uel erga Deum, uel erga proximũ, & sentit eam charitatem expiare peccata nostra coram Deo, ideoq; ea in Iudicio Dei confidendum esse, nõ iam simpliciter est impius, sed etiam contumelioſus in Christum filium Dei, quòd charitati tribuit, quæ soli filio Dei tribuenda sunt.

Ibi uerò Asotus grauiter in nos assurgit, & succenset, quòd separemus Christum à uirtutibus, & uirtutes à Christo. Cùm enim dicimus, nos solo merito Christi saluari, addit Asotus, Fatemur (inquiens,) hoc est, nullo, quod non ex eius merito in nobis sit. Nec meritum Christi excludit uirtutes, nec uirtutes meritum Christi, Sed coniuncta sunt. Paulus Roman. 5. de Christo: Per quem (inquit) habemus accessum per fidem in gratiam istam. Semper coniungit Christum, & fidem, & fidei charitatem. Quare uos ista separatis? Hactenus Asotus. Miserrimam Pauli, tanti Apostoli, & tam insignis Gentium doctoris conditionem, quòd testimonio suo necesse habeat Sophisticæ impietati patrocinari. Nam cùm ad Romanos scribit: Per Christum habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, docet Ecclesiam, quòd Christus morte ac resurrectione sua meruerit & impetrauerit nobis, ut si in eum credimus, reciamur à Deo in gratiam, condonentur nobis peccata, adoptemur in filios, consequamur pacem conscientiæ, & gloriemur de cœlesti gloria, quam certò nos propter Christum assecuturos speramus. Hæc est propria Pauli in hoc loco sententia, consolatione plenissima. Asotus autem dictã Pauli eò torquet, perinde ac si Paulus doceret, quòd Christus meritus esset, ut infunderentur nobis hæ tres uirtutes, Fides, Spes, & Charitas: Et postea nos his uirtutibus expiemus peccata nostra, & mereamur æternam uitam. Hæc est uetus Sophistarum doctrina, & impietatis iamdudum perspicuè conuicta.

Obscurum quidem non est, quòd hæ uirtutes sint Dona Dei, & quòd Christus impetrauerit, ut his clemẽter à Domino Deo nostro donemur. Quid enim habes, quod non accepisti? Sed hoc impium est, sentire, quòd Christus tradat, infundat & communicet cum his uirtutibus suam ipsius maiestatem ac dignitatem, ut & ipsæ expient peccata hominum coram Deo, & mereantur possessoribus suis æternam uitam ac fœlicitatem. Expiare enim peccata coram Deo, Placare iram Dei in Iudicio eius, & mereri æternam fœlicitatem, maiestas est, & dignitas & officium, quod soli isti personæ, quę est Deus & homo, competit. Nec potest in alteram rem, quocunque nomine uocetur, transferri, nisi furore quodam fingantur aliæres, quæ sint in unitate personæ, Deus & homo. Nihil quidẽ certius, nihil firmius ac uerius est, quàm quòd homines fiant per fidem participes beneficiorum Christi, & capiant fructum meriti Christi, & expiationis peccati, quæ per Christum facta est. Ei enim, qui in Christum credit, non amplius imputantur peccata, propter Christum. Et si quid adhuc uicij hęret in uirtutibus credentis, condonatur ei, propter merita Christi. Itaque tantum abest, ut homo & uirtutes eius expient peccata corã Deo, ut tam

ille, quàm hæ peccatorum expiatione, quæ per Christum facta est, indi-
geant, & fructus eius participes fieri necesse habeant.

Sed dicere, quòd homo ipse, aut uirtutes eius accipiant ex merito Chri-
sti, uirtutem expiandi peccata coram Deo, & promerendi æternam ui-
tam, hoc perinde est, ac si quis diceret, Christum meritum esse, ut homi-
nes aut uirtutes eorum, fiant Deus & homo in unitate personæ, sicut est
Christus ipse.

Accipimus quidem ex Christi merito Spiritum adoptionis filiorum
Dei, non autem accipimus, ut persona illa, quæ est Christus, fiamus, & ut
ea, quæ huius personæ peculiaria sunt, quod genus sunt, Expiare peccata,
& mereri æternam uitam, corã Deo peragamus. In hunc enim usum pe-
culiaris ordo Sacerdotalis inter Israelitas institutus est, & peculiaria sacri-
ficia definita fuerant, ut cùm nec alteri, nisi legitimo sacerdoti, sacrificare
Deo pro peccatis licuerit, nec alia Sacrificia, præter certa & definita pro
peccatis offerre permissum fuerit, palàm significetur, quòd officium ex-
piandi peccata coram Deo, pertineat non ad ullum alium hominem, præ-
terquàm ad personam Christi, qui Abrahæ promissus erat. Omnis quidẽ
sacerdos, (inquit epistola ad Hebr.) assistit quotidie Sacra peragens, & eas-
dem sæpius offerens hostias, quæ nunq̃ auferre possint peccata. Hic uerò
una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexterã Dei, id quod
superest expectans, donec reddantur inimici eius scabellum pedum eius.
Vnica enim oblatione perfectos effecit inæternũ eos, qui sanctificantur.

Et apud Esaiam cap. 43. dicit filius Dei: Ego sum, Ego SVM IPSE,
qui deleo iniquitates tuas propter Me, & peccatorum tuorum non recor
dabor. Et cap. 63. Torcular calcaui SOLVS, & de gentibus non est uir
mecum. Vnde & in Passione sua desertus fuit ab omnibus hominibus,
tam senioribus quàm iunioribus, ac Solus sustinuit crucem, non inter in-
nocentes, sed inter sceleratos latrones, ne quis gloriari posset, se fuisse so-
cium Christi, in expiandis peccatis humani generis. Et Paulus: Vnus, in-
quit, Deus, Vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Je-
sus, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον, hoc est, precium redemptionis
pro omnibus. Et Christus ipse: Venit, (inquit) filius hominis, ut daret
animã suam, λύτρον, redemptionis precium pro multis. Quare, quisquis
affirmat Christum communicare dignitatem suam redimendi hominis,
& expiandi peccata, cum homine ac uirtutibus eius, fateatur, necesse est,
quòd cõmunicet cum ipsis suam ipsius animam, hoc est, faciat ex ipsis per-
sonã Christi, Quo quid absurdius dici potest? Etsi enim Sophistę nihil ta-
le uerbis suis fatentur, tamen impium eorũ dogma talia in auribus Domi
ni Dei nostri, & ueræ Ecclesiæ eius haud obscurè sonat. Ac uidentur qui-
dem aliquoties non absurdè loqui, Sed si sententiam eorum expenderis,
nihil magis absurdũ inuenies, Sicut & Irenæus dicit, hæreticos nobiscum,
ὅμοια μὲν λαλεῖν, ἀνόμοια δὲ φρονεῖν. Dicunt enim, quòd fides Iustificet & Sal-
uet propter Christum. Idem & nos dicimus. Sed illi sentiunt, fidem ideo
saluare propter Christum, quòd Christus conferendo homini fidẽ, confe-
rat uirtuti fidei unà cum spe & charitate dignitatem expiandi peccata co-
ram Deo, & promerendi æternam uitam. Hæc sententia contumelio-
sa est in maiestatem Christi, sicut suprà ostendimus. Nos autem intelli-
gimus tale dictum iuxta sententiam Spiritus sancti, uidelicet, quòd
Christus expiauerit peccata nostra, & placauerit nobis iram cœlestis Pa-
tris. Cùm igitur credimus in Christum, tunc Deus Pater non amplius
imputat

imputat nobis peccata, Sed condonat ea nobis propter Christum, quem per fidem apprehendimus, & donat etiam nos propter eum Spiritu sancto, ut reliquias carnis expurgemus, & bona opera faciamus, non ut horum meritis peccata nostra expiemus, Hæc enim iam per Christum expiata, & nobis propter CHRISTVM condonata sunt, Sed ut ueritatem fidei exerceamus, & gratitudinem ac obedientiam Domino Deo nostro pro beneficijs suis, quali possumus officio, in hac uita probemus atq; testificemur. Habes igitur eiusdem dicti diuersissimas sententias, & hanc quidem piam, illam autem impiam, & cum Euangelio Christi pugnantem.

Nam, quòd Asotus affirmat Paulum semper coniungere Christum & fidem, ac fidei charitatem, nos autem ea separare, facit nobis luculẽtam iniuriam. Fatemur quidẽ, quòd non coniungamus & confundamus ea, sicut Asotici ea coniungunt, & cõfundunt. Sed coniungimus ea, ac etiam disiungimus, Sicut res ipsa est, & sicut Paulus ea coniungit ac disiungit. Coniungit, quia docet Christum Solum esse expiatorem peccatorum nostrorum. Et qui per fidem apprehenderit Christum, eum capere fructum huius expiationis, & donari Spiritu sancto, ut renouetur, & faciat ex fide opera charitatis. Vos, (inquit) in libertatem uocati fuistis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per Charitatem seruite uobis inuicem. Et paulò antè: In Christo Iesu, neque circumcisio quicquam ualet, neque præpucium, sed Fides per dilectionem operans. Sic coniungit Paulus Christum, fidem & charitatem, uidelicet quòd Christus Solus sit expiator peccatorum, & redemptor noster, Fides autem una manu apprehendat Christum, & credat, quòd propter ipsum solum condonentur nobis peccata coram Deo, alteram autem manum extendat ad facienda opera charitatis, quibus Deo gratitudinem suam declaret. Sic & nos coniungimus ea, & omninò ita coniungenda esse docemus.

Disiungit autẽ & separat ea Paulus, cùm significat, quòd alia res sit Christus, alia fides, alia charitas, & quòd non habeamus remissionem peccatorum propter opera legis, inter quæ sunt etiam fides, spes & charitas, sicut suprà ostendimus, Sed tantum propter Christũ filium Dei, quem per Fidem accipimus, per Spem retinemus, & cui per Charitatẽ grata officia exhibemus. Aliud enim est officiũ Christi, aliud Fidei, aliud Spei, aliud Charitatis. Cùm igitur sint officijs distincta, habent suum inter se discrimen, ut si, quod alterius est, alteri tribueris, omnem eorum fructum amittas.

Quòd autem interea addit Asotus: Nec meritum Christi excludere uirtutes, nec uirtutes excludere meritum Christi, diuinandum erit, quid sibi hæc uerborum obscuritas uelit. Aut enim sentit, quòd commendatione meriti Christi, non damnentur aut reiciantur uirtutes, ut non fiant: rectè quidem sentit, Sed quomodo hæc huic loco conueniunt? & quo cum pugnat Asotus? Nos enim non simpliciter docemus, sed etiam urgemus, ut postquàm Christus meritus sit nobis condonationem peccatorum, summam demus operam, ne peccatum amplius in nobis regnet, Sed ut omne nostrũ studium in sectandis honestis uirtutibus collocemus. Aut sentit, quòd nec commendatione meriti Christi adimatur suum uirtutibus meritum: nec commendatione meriti uirtutum adimatur quicquam merito Christi, hoc quidem fortiter ab Asoto asseueratur, sed non probatur, Et suprà perspicuè est refutatum. Tantum enim merito Christi detrahitur, quantum meriti uirtutibus tribuitur, & sua Christo Filio

Dei maiestas sacrosancta atque inuiolata relinquenda est, ut uirtutes fruantur quidem merito Christi, hoc est, ut imperfectio earum non imputetur propter Christum, non autem habeant partem meriti Christi, & expient peccata coram Deo. Hæc enim maiestas & dignitas, expiare uidelicet peccatum, est Solius Christi, unici inter Deum & hominem mediatoris.

Iam, Asotus etiam hoc reprehensione dignum putat, quòd Confessio Principis dicit, Meritum Christi fieri nostrum per fidem, ac existimat congruentius, iuxta illud Ioannis: De plenitudine eius accepimus, dicendum, participari à nobis, & communicari. Sed haud obscurè significat, se nec uerba confessionis, nec dictum Ioannis Euangelistę intelligere. Cùm enim dicimus Meritum Christi fieri nostrum per fidem, mutuatum est ex Paulo, qui dicit: Si Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Nam si Deus donauit nobis Christum filium suum, quem per fidem accipimus, certè donauit etiam nobis unâ cum ipso, meritum eius. Donauit autem nobis, non quòd Christus ipse partem sibi retineat, & partem cum uirtutibus communicet, quemadmodum Asotus & reliqua Sophistarum colluuies impiè nugantur, sed ut nos merito eius fruamur, hoc est, ut propter meritum eius condonentur nobis peccata non solum malorum, sed etiam bonorum operum. Nam quòd bona opera nostra, & uirtutes non sint in nobis perfectæ, & indigeant peccatorum remissione, pluribus antea demonstratum est. Quod autem Ioannes scribit: De plenitudine, (non plenitudinem) eius accepimus, Asotus ita intelligere uidetur, quòd Christus habeat plenitudinem meritorum, Sed partem huius plenitudinis communicet cum uirtutibus, ut & uirtutes expient peccata, & mereantur hominibus æternam uitam. Hæc autem est impia expositio. De plenitudine enim meritorum Christi, non tam crasse cogitandum est, ut pars eius in alterum transfundatur, quemadmodum ex uase uini pleno solet pars uini in alterum transfundi: Quantum enim in alterum transfuderis, tantũ alteri abstuleris, Sed quòd Christus semper suam sibi plenitudinem perfectam retineat, communicet autem nobiscum fructum eius plenitudinis, uidelicet, quòd ipse plenè ac perfectè expiauerit peccata nostra, non autem communicet partem huius expiationis cum hominibus aut uirtutibus, ut & hæ expient peccata, Sed communicet usum seu fructum eius cum ijs, qui credũt in ipsum, ut condonentur eis peccata propter Christum. Cùm uerò hunc locum Ioannis aliâs copiosius explicuerimus, & ueram eius sententiam ostenderimus, non erimus nunc longiores. Cæterùm, quas aspergines deinceps huic loco de Iustificatione affundit Asotus, partim antea sunt refutatæ, partim tam manifestæ sunt φλυαρίαι, ut refutatione uideantur indignæ. Nã, quòd subinde inculcat, ubi Paulus de Fide disserit, & Confessio Principis testimonia de Iustificatione fidei recenset, ibi intelligendã esse eam fidem, quę per dilectionem operatur, existimat, credo, bonus uir, nos non tam firma esse memoria, ut recogitare possimus, quid Paulus de fide scribat, & nos oblitos esse, quid Eccius, Cochleus & alij φενακάται de fide per charitatẽ operante, usque ad rauim sint uociferati. Et cur non adscribit huc omnia fidei encomia, quæ in sacris literis extant? Sed quid ea in præsentiarum ad institutum faciunt? Cùm enim uel Paulus scribit, uel nos ex Paulo docemus, quòd Iustificemur gratis per fidem, non loquimur de nulla, sed de

uera

uera fide, Non loquimur de Ethnica aut Diabolica, cuius Iacobus facit mentionem, sed de Christiana fide, quæ est, nõ solum credere, quòd unus sit Deus, Sicut & Diaboli credunt, ac contremiscunt, sed etiam credere, quòd Iesus sit uerus Christus, & quòd hic Christus solus sit expiator peccatorum nostrorum, & ut Paulus loquitur, Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio nostra. Et hæc Fides, non solum apprehendit ac possidet Christum, uerumetiam efficax est per charitatem, & diffundit se per omnia genera uirtutum. Quid autẽ hinc sequitur? Num quia Paulus dicit, quòd fides operetur per charitatem, idcircò sentiendum est, quòd fides Iustificet propter Charitatem? Nihil certè minus. Arbitramur, inquit aliàs Paulus, hominẽ Iustificari fide absq; operibus legis, hoc est, absq; charitate, quæ & ipsa est opus legis, quemadmodum suprà copiosè demonstratum est. Quòd si Charitas idcircò iustificat, quòd Paulus dicat fidẽ operari per charitatem, certè iustificauit Saram uxorem Abrahæ conceptio & retentio Seminis, propterea quòd Apostolus dicat Saram per Fidem accepisse uim ad concipiendum & retinendum semen, ac peperisse filium præter ætatis rationem. Hoc enim est fidem operari per conceptionem & retentionem seminis. Iustificauit etiam Israelitas casus murorum Ieriho, quia idem Apostolus scribit, muros Ieriho cõcidisse per fidem: Hoc enim est fidem operari per casum murorum. Quid autẽ potest absurdius dici? Fides enim, de qua nũc loquimur, habet duplices, ut ita explicandi gratia dicã, manus. Vnam, quã extendit sursum, & apprehendit Christum unà cũ omnibus beneficijs suis. Et hac parte dicimus: Nos Iustificari, hoc est, cõsequi remissionẽ peccatorũ & Spiritum sanctũ, per fidẽ, non quidẽ propter meritũ huius actionis, sed propter Christum, qui Fide, quamuis imbecilli, accipitur. Alteram quam protendit deorsum ad exercenda opera charitatis, ac reliquarum uirtutum. Et hac parte testificamur quidem ueritatem fidei, & probamus gratitudinem nostram erga Deum, ac exercemus fructus fidei, non autem iustificamur, non consequimur remissionẽ peccatorũ, & reconciliationem cum Deo propter hos fidei fructus. Quare cùm Paulus scribit, quòd fides operetur per charitatem, non est sentiendum, quòd hoc dicto pugnet cum reliqua uniuersa sua doctrina de fide: Non enim dicit, Fides Iustificat propter charitatem, sicut uaniloqui interpretantur, Sed quòd doceat, cuius ingenij sit uera fides, qua apprehendimus Christum, & consequimur remissionem peccatorum, uidelicet, quòd ea fides nõ sit ociosa, sed uiua, & efficax, nec possit teneri, quin postquàm apprehendit Christum, propter quem solum remittuntur nobis peccata, declaret sese per opera Charitatis.

In explicandis testimonijs, quæ Confessio Principis ex Ambrosio citat, uidetur sibi Asotus non solum uictoriam ex deuictis hostibus reportare, uerumetiam in sublimi curru uehi, & triumphare. In altero enim testimonio docet Ambrosium loqui de operibus legis Cærimonialis, de circumcisione, lotionibus, neomenijs aut ueneratione Sabbati. In altero arguit nos apertæ aut maliciæ aut ignorantiæ: affirmat nos peruertere sensum Patrum, & decipere simplices. Itaque nos miseri homunciones traducimur captiui & confusi, ob oculos omnium ciuium, ante triumphalem tanti heros currum, ut ne quenquam quidem è Spectatoribus intueri audeamus. Sed benè habet. Asotus decreuit sibi ipse absq; legitimo Senatus consulto, triumphum. Quare, si paulisper commorati fuerimus, uidebimus eum, etiam à pueris luto conspersum, è foro discessurũ. Primùm

enim, non erat Ambrosius nobis tam ignotus, ut cùm in Confessione Principis recitanda essent testimonia, quòd coram Deo Iustificaremur Sola fide, nõ potuerimus alia, ac penè illustriora dicta ex Ambrosio commemorare, quibus hanc propositionem confirmaremus. Quid enim illud, quod Ambrosius ad Irenæum scribit? Quia per legem, inquiens, peccatum cognoscitur, Sed culpa non relaxatur. Videbatur Lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores: Sed ueniens Dominus Iesus, peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographũ nostrum sui sanguinis effusione deleuit. Hoc est quod ait, Superabundauit peccatum per legem, Superabundauit autem gratia per Iesum, quia postquàm totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit. Sicut testificatus est Ioannes dicens: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur ex operibus, quia nemo factis suis iustificatur: Sed qui iustus est, donatum habet, quia per lauacrum Iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & uenia donatur.

Et illud de Latrone: Fides est, quæ peccata cooperit, quæ uincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. Ac mox: Sicut sufficit Iudæ ad scelera, deseruisse Christum, ita illi (latroni) sufficit ad innocentiam, Domino credidisse. Hactenus Ambrosius. Quid autem est aliud, Nemo glorietur ex operibus, quia nemo factis suis Iustificatur. Et, Sufficit latroni ad innocentiam, Domino credidisse, quàm si quis dicat, latro, aut etiam quiuis alius homo iustificatur per solam fidem?

Sed uisum nobis est, hæc, quæ in Confessione Principis extant dicta Ambrosij, recitare, non tam propter sententiam, de qua uel absque Ambrosio, ex Paulo certi sumus, quàm propter formam locutionis. Non enim est obscurum, quantis conuicijs Sycophantæ flagellent in nostra doctrina hanc uocem, SOLA, cùm dicimus, nos Sola fide coram Deo Iustificari, & quantis calumnijs eam apud imperitos exagitent. Voluimus igitur dictis ueterum publicè testificari, nos hanc loquendi formam non excogitasse recens, sed eam apud ueteres quoque usitatam fuisse. Quare, cùm Ambrosius in explicatione Epistolæ ad Romanos, utatur hac uoce in eodem argumento, non semel sed iterum atque iterum, nihil alienum ab instituto nostro fecimus, etiamsi Ambrosius excludat opera legis cærimonialis, & interpretetur tantùm de baptismo.

Deinde non ignoramus Ambrosium, & alios quosdam ueterum scriptorum, per opera legis, apud Paulum, cùm dicit, Arbitramur hominem iustificari per fidem absq; operibus legis, intelligere, opera tantũ legis cærimonialis, ut sunt Circũcisio, Lotiones, Neomeniæ, Sabbata, & id genus alia. Sed hìc quæritur, num hæc expositio sit uera, & conueniat cum sententia Pauli? Nos autem suprà copiosè demonstrauimus, testimonijs nõ tantum Pauli ipsius, sed etiam Hieronymi & Augustini, quòd cùm apud Paulum dicitur, hominem iustificari per fidem absque operibus legis, intelligenda sint per opera legis, non tantum opera legis cærimonialis, sed etiam moralis aut naturalis. Hìc ergo considera mihi, q̃ prudenter Asotus autoritatem ueterum scriptorũ, ad quos tamen nos remittere solet, tueatur. Recenset expositionem Ambrosij, qua per opera legis apud Paulum intelliguntur opera legis cærimonialis. Manifestũ autẽ est, quòd Hieronymus & Augustinus intelligant per opera legis non tantum opera legis cærimonialis, sed etiã legis Moralis, seu Decalogi. Quo igit̃ nos uertemus?

Ad

Ad Ambrosium ne, an ad Hieronymum & Augustinum? De hac re sollíciti sint Asotici. Nos enim habemus, diuina clementia lucernã, cui dum attendimus, à recta uía non aberrabimus.

Sed hic demùm gloriæ nominis Ambrosij insigniter succurrit Asotus, cùm docet Ambrosium uerba Psalmi: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. nec de pœnitentibus, nec de martyribus, sed tantum de Baptismo, exponere. Hîc nos apertè aut mali sumus, aut ignorantes, qui & sensum patrum peruertamus, & simplices decipiamus. Itaque Asotus non solum uindicat Ambrosium ab iniuria, quam putat ipsi illatam, uerumetiam dimittit nos grauibus contumelijs probè laceratos. Ac de ignorantia quidem, non est, quod respondeam. Fateor ipse ingenuè, me plurima ignorare, & in eorum esse catalogo, quibus in gratia, ut Petrus loquitur, & cognitione Domini nostri & Seruatoris Iesu Christi, crescendum est: Sed quòd in recensendo testimonio Ambrosij accusemur malíciæ aut impostúræ, hæc demùm luculenta est iniuria. Confessio Principis simpliciter recitat ueram sententiam de nostri Iustificatione, uidelicet, quòd coram tribunali Dei nullus planè sit locus meritis hominum, sed tantum misericordiæ Dei, & meritis solius Domini nostri Iesu Christi, qui fide à nobis accipitur. Et addit: Idcircò sentimus ueteres ac maiores nostros rectè dixisse, Nos coram Deo SOLA fide Iustificari. Hactenus Confessio. Mox igitur duo suscipimus probanda. Alterum, quòd in Iudicio Dei, ubi agitur de æterna nostra Salute, Solum meritum Christi ualeat. Alterum, quòd ueteres rectè usi sint hac forma loquendi, Sola fide Iustificamur. Ac significamus, quid cùm hæc locutio in ueteribus non sit damnata, non debeat in nobis damnari, præsertim cùm per eam non abijciamus obedientiam, quam præceptis & uocationi Dei debemus, Sed intelligamus, quòd in iudicio Dei solo merito Christi, quod fit nostrum per fidem, constare possimus. Hæc sententia ut est pia, ita habet sua firma testimonia, tam sacræ Scripturæ, quàm ueterum scriptorum, quemadmodum & Confessio Principis recitauit, & suprà copiosè ostendimus. Quod igitur est nostrum peccatum? quæ malicia? quæ impostúra? Suscipimus probandum, quòd ueteres rectè dixerint, nos coram Deo sola fide Iustificari. Et ut probemus eos hac locutione usos, recitamus testimonium Hilarij, & Ambrosij. Hæccine est malicia, aut impostura? An hoc falsum est, quòd sint hac locutione usi? Sed alio, (inquies,) sensu, quàm uos uti soletis. Primùm, recitauimus dicta Ambrosij, non tam propter sensum, sicut paulò antè dixi, quàm propter loquendi formam, ut autoritate ueterum probaremus, eam loquendi formam, quam Sycophantæ in nobis iam multis annis flagellarunt, non esse impiam, si sententia non fuerit impia. Deinde, quia credimus Ambrosium fuisse hominem pium, & nunc in CHRISTO fœliciter quiescere, credimus etiam, quòd cùm adductus sit ad seuerum tribunal Dei, non confisus fuerit suis uirtutibus, Sed solo merito Domini nostri Iesu Christi. Etsi enim excidérunt ei aliquoties, cùm hîc uitam ageret, nonnulla uerba, quæ uidentur humanas uirtutes opponere seuero Iudicio Dei, tamen extant in eo non obscura uestigia rectæ fidei, qua Solum meritum Christi iudicio Dei, in ueris tentationibus opponitur. An non hæc est insignis commendatio fidei, quod suprà recitauimus: Sufficit Latroni ad innocentiam, DOMINO credidisse? Quare, cùm lego, quod in commentarijs ad Romanos scribit: Manifestè beati sunt, quibus sine labore uel opere

aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, &c. non possum, nec debeo, iuxta charitatis regulam, cogitare eum aliter sentire, quàm quod uera doctrina Euangelij continet, uidelicet, nos assequi beatitudinem nullo nostræ iusticiæ merito, sed solo merito Domini nostri Iesu Christi, quẽ per fidem apprehendimus.

Sed Ambrosius, (inquis) loquitur de Baptismo, non de pœnitentibus, aut Martyribus. Quid, obsecro, hoc ad institutum? Si uerum est, quòd hi qui Baptismum suscipiunt, sola fide iustificentur, hoc est, (sicut Ambrosius loquitur) beati sint, nulla ab ipsis pœnitentiæ opera requisita, nisi tantum ut credant: quid in tali testimonio recitando accusamur maliciæ aut imposturæ? Fingamus enim non esse generaliter uerum, certè si in aliquo saltem casu uerum est, non sumus uel mendacij, uel malicię damnandi. Et non potest institutum nostrum Asoto ignotum esse. Cùm enim recitamus Veterum testimonia, non eò recitamus, quòd omnia ipsorum dicta indiscriminatim probemus, Sed, quòd ea, quæ uidentur cum uera sententia sacræ Scripturæ conuenire, seligamus, reliqua autem suis autoribus relinquamus. Non enim obscurum est, quòd in Ecclesiasticis scriptoribus dissimiles sententiæ reperiantur, ut nisi cum iudicio legeris, non habeas aliquoties, quo te uertas. Quare, quæ dicta in Ambrosio probauimus, ea usum fuit recitare. Quæ autem non uidebantur probanda, iudicauimus nos honestius facere, si ea silentio tegeremus, quàm si pluribus exagitaremus.

Nunc autem quid faciamus? Postquàm enim Asotus hoc dictũ Ambrosij, quod fuerat dissimulandum, non solum in lucem producit, uerumetiam nobis tanquàm preciosissimam gemmam, intuendum obtrudit, eò necessitatis nos adigit, ut aut officium sit deserendũ, aut cum Ambrosio, uiro de Ecclesia filij Dei optimè merito pugnandum, quorum alterum hominis est impij, alterum uidetur ingrati. Ego certè agnosco in Ambrosio multa insignia dona Dei, & amo eum plurimùm, ac detestor eam uirulẽtiam, qua eum insectatus est Hieronymus, si modò uera sunt, quæ de hac re commemorat Ruffinus. Sed Asotus odio dignus est, qui in Ambrosio denudat, quod fuisset singulari studio contegendum. Cùm igitur iecerit aleam, agite dum, suscipiamus dictum Ambrosij expendendum, non certè, ut Ambrosium flagellemus, sed ut importunitatem Asoti refutemus. Nam Ambrosius ipse, ea est modestia & ingenuitate, ut permittat pijs liberum de scriptis suis iudicium, nec exigat tyrannicũs, ut quæuis dicta sua, pro sacrosanctis Dei oraculis habeamus. Ego raptus, inquit, de tribunalibus, atque administrationis infulis, ad sacerdotium, docere uos cœpi, quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quàm discere. Discendum igitur mihi simul & docendum est, quoniam non uacaui ante discere. Et quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum uiuit. Hæc est insignis modestia Ambrosij, qua æquo animo feret, ut alicubi de dictis suis uel piè dubitemus uel amicè conferamus.

In expositione igitur huius Psalmi, Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. cuius testimonio Paulus ad Romanos utitur, sic scribit Ambrosius: Quomodo autem ad pœnitentium personam potest pertinere, cùm dicit: Beati quorum tecta sunt peccata, cùm constet pœnitentes labore & gemitu remissionem peccatorum acquirere? Aut quomodo martyrio congruit, quod dicit: Beatus uir cui non imputabit Dominus peccatum, cùm

cùm sciamus gloriam martyrij passionibus & pressuris acquiri? Prophe-
ta autẽ tempus fœlix præuidens in Saluatoris aduentu beatos nuncupat,
quibus sine labore uel aliquo opere PER LAVACRVM remittun
tur & teguntur, & non imputantur peccata. Hactenus Ambrosius. Quid
igitur dicemus? Negari non potest, si liberè & seueriter iudicare uolue-
ris, quin Ambrosius referat illud Psalmi: Beati quorũ remissæ sunt iniqui
tates, ad eos tantũ, qui baptisantur. Sed hîc quæritur, nũ hæc sententia con-
stet, & cum Psalmo uerè conueniat. Primùm. n. quæramus, quis sit huius
Psalmi autor, & quo tẽpore traditus sit Ecclesiæ Dñi. Scimus præcipuum
eius autorẽ esse Spiritũ sanctũ. Nunc autẽ quærimus de organo, aut homi
ne, quo primùm Spiritus sanctus ad hunc Psalmũ dictandũ usus est. Ma-
nifestũ igitur est, & publico cõsensu approbatũ, ꝙ autor eius sit Dauid ille
rex Israelis, qui ætatem in his terris egit, mille, circiter, annos, priusquàm
institutus fuit Baptismus. Nec recitat in eo Psalmo Prophetiam tantum,
quid futurum sit temporibus aduentus Christi, Sed proponit Ecclesiæ
omnium temporum generalem doctrinam, ut cognoscamus, quomo-
do contingat hominibus beatitudo. Etsi enim tunc primùm, cùm Chri-
stus aduenit, & passus est pro peccatis nostris mortem, impleta est pec-
catorum expiatio, & patefacta per prædicationem Apostolorum, in or-
be terrarum, tamen usus ac fructus eius non pertinet tantum ad eos,
qui post reuelationem Euangelij baptisantur, uerumetiam diffusus
est ad illos, qui ab initio mundi crediderunt in semen mulieris, Abra-
hæ, & Dauidis, hoc est, in Iesum Christum Dominum nostrum. Quot-
quot enim credunt in Christum, siue fuerint ante aduentum eius, siue
post, ijs remittuntur & teguntur iniquitates, & non imputantur pecca-
ta, propter Christum. Quòd si perrexeris reliqua huius Psalmi legere,
haud obscurè uidebis, quòd Dauid suo ipsius singulari exemplo inferat,
sicut & aliâs solet, doctrinam Ecclesiæ uniuersalem. Sequitur enim in
Psalmo: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniusticiam meam non
abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam DOMI-
NO, & tu REMISISTI IMPIETATEM PECCATI MEI.
Hæc certè Dauid de sua persona loquitur. Quid ergo? num Soli ipsi re-
mittitur impietas peccati, eo quòd agnoscit peccatum, & credit in uentu-
rum Christum? Absit, Sed quemadmodum aliâs suo exemplo hortatur
uniuersos ad fidem & inuocationem: Ipse, inquiens, pauper clamauit, &
Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eũ:
Accedite ergo ad eum, & illuminamini, & facies uestræ non confunden-
tur. Ita & hoc loco docet suo exemplo, quomodo reliquis omnibus con-
tingat beatitudo. Tu, inquit, remittis impietatem peccati mei. Hæc est
mea beatitudo. Beati igitur omnes, quorum remittuntur & teguntur ini-
quitates, & quibus non imputantur peccata. Vnde & additur: Pro hac
(impietate) orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Omnem
sanctum, non se tantum, dicit orare pro peccati impietate, ut non impu-
tetur, quocunq; fuerit tempore. Sed & Ambrosius ipse, in libello, cui titu-
lum fecit, De Apologia Dauid, haud obscurè significat, Dauidem hunc
Psalmum, non de futuris tantum hominibus, sed etiam de seipso iam pre-
sente intelligere. Texit igitur, (inquiens) peccata sua an non? Sed quis hoc
neget, cùm hic ipse docuerit Propheta, quòd remittantur iniquitates, te-
gantur peccata, non imputentur à Domino? Peccatũ remissum sibi esse
docuit, sicut scriptum est, Delictũ meum agnosco, & iniusticiam meam

non operui &c. Etsi enim Ambrosius in eo quoque loco meminit lauacri, & addit alia quædam incommodiora, de quibus nunc non est dicendi locus, tamen manifestè docet, quòd Dauid, qui ætate sua non peruenerat ad tempus institutionis externi baptismi, loquatur in eo Psalmo, etiã de seipso, & affirmet se planè idem remissionis peccatorum beneficium accepisse, quod postea per baptismum erat dispensandum. Quare non est sentiendum, quòd Psalmus uaticinetur tantum de ijs, qui accipiunt remissionem peccatorum per baptismum, Sed quòd contineat generalem doctrinam, qua erudimur, interprete Paulo, beatitudinem uniuersæ Ecclesiæ, siue illius ante aduentum Christi, siue istius, quæ est post aduentum Christi, in hoc consistere, quòd propter Christũ habeat remissionem peccatorum, & non imputentur, sed tegantur ei peccata.

Deinde, quòd dicitur hunc Psalmum non pertinere ad pœnitentes, nec congruere martyrio, considera mihi, quæso, quid hinc absurdi sequatur. Nam, si non pertinet ad pœnitentes, certè non pertinet etiam ad eos, qui baptisantur. Quid enim hi aliud sunt, si modo uerè baptismum accipiunt, quàm pœnitentes? Vetus quidem Ecclesia nõ requisiuit à catechumenis baptismum accepturis, publicum & solennem ritum pœnitentiæ, qui ritus, etsi suo fortasis tempore, aliquo modo utilis fuit, tamen non est ad salutem coram Deo necessarius, requirenda autem fuit semper uera pœnitentia. An enim hi, qui baptismum petebant, non debuerunt peccata sua agnoscere ac detestari, & credere quòd ea remittantur propter Christum, & sese tradere in obsequium uocationis Dei? Hoc autem uerè est agere pœnitentiam, etiamsi id nullo externo, & aliquandiu usitato ritu profitearis. Hunc enim ritum, etiam impij hypocritæ fingere potuerunt, ueram autem pœnitentiam coram Deo agere, dum manent hypocritæ, nõ possunt. An impœnitentes sunt baptisandi? An non Baptismus, pœnitentiæ Sacramentum est? Baptisabat (inquit Marcus) Ioannes in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Et Petrus: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptisetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorũ. Quòd si is Psalmus non pertinet ad pœnitentes, quid est, quòd hactenus suum locum habuerit inter eos Psalmos, quos uocârunt pœnitentiales?

Progrediamur ad Martyres. Si hic Psalmus non congruit martyribus, non habebunt martyres remissionem iniquitatum, non tegentur eis peccata, sed imputabuntur, ideoq; non erunt beati. Si martyribus non congruit, martyres non orabunt: Remitte nobis debita nostra, nec orabunt pro peccati sui impietate, sed dicent, peccatum non habemus. Et quis enumerare posset omnia absurda, quæ sequuntur, si dixerimus hunc Psalmũ nec ad pœnitentes, nec ad Martyres pertinere? Certè Augustinus haud obscurè significat eum ad uniuersam Ecclesiam pertinere. Iam olim, inquiens, contra superbos clamatum est: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Non enim imputat his, qui fideliter ei dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris &c. Hæc autem est precatio uniuersę Ecclesię. Manifestum igitur est, quòd hic Psalmus non ad unum tantum hominum genus in Ecclesia, nec ad unum tantum tempus, sed ad uniuersam omnium temporum Ecclesiam pertineat. Nam quòd pœnitentes laborent & ingemiscant, & martyres passiones ac pressuras sustineant, significat quidem in pœnitentibus debere esse agnitionem peccatorum, & probat martyres in sustinendis pressuris

obedire

obedire uocationi Dei, non autem probat diuersas esse uias, quibus accipientes Baptismum, Pœnitentes, & Martyres remissionem peccatorum & beatitudinem consequantur. Non alia uia latro in cruce, alia Stephanus, alia Ioannes Euangelista saluatur. Alius aliam quidem habet uocationem in his terris, alius aliud uitæ genus sectatur, alius alio mortis genere ex hac uita excedit. Vna autem omnium uia est ad uerã & æternam salutem ac beatitudinem perueniendi, Iesus Christus Dominus noster, qui Solus expiauit peccata, tam latronis, quàm Stephani, & Ioannis Euangelistæ. Vna quoque est fides, qua tam hi, quàm ille remissionem peccatorum, & æternam uitam accipiant, uidelicet, ut credant se habere Deũ propicium, & Deo esse acceptos, non propter suas seu actiones seu passiones, sed propter solum Iesum Christum, propter solam Iesu Christi actionem & passionem, obedientiam & mortem. Non enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid ergo de dicto Ambrosij sentiendum sit, perspicuum est. Quid autem de nobis & de fructu nostri Euangelij sit sentiendum, non recuso ipse quoque, bonorum uirorum iudicium subire. Nec dubito, quin hi iudicaturi sint, quòd Asotus multò rectius (ut primùm de Ambrosio dicam) honori nominis Ambrosij consuluisset, si nostro exemplo dictum eius, quod nunc importunitate Asoti coactus fui dijudicare, silentio præterijsset, quàm quòd uerenda tam uenerandi patris non solũ denudauerit, uerumetiam pro honestissima corporis parte omnibus intuenda obtruserit. Ac uenia quidem dignus est Ambrosius, quòd ea fuerit pietate, ut uerisimile sit, eum uerba sua emendaturum fuisse, si ab amico esset admonitus. Asotus autem graui reprehensione dignus est, quòd in tanta luce Euangelij non solum ipse in tenebris maneat, uerumetiam Ambrosium, & alios ueteres scriptores ad se in tenebras pertrahere conetur, ac in eos, qui impio ipsius conatui obsistunt, grauissimis contumelijs inuehatur. Nam qualis sit fructus nostri Euangelij, crede mihi Asote, omnes æqui & boni uiri, quos tu ad huius rei dijudicationem uocas, rectè iudicabunt, & Christus ipse suo tempore ita patefaciet, ut commoueatur terra, & contremiscant columnæ cœli. Non ignoro, quosdam esse, qui gloriantur quidem nomine Euangelij, non respondent autem ei ullo fructu. Sed iniquissimum est, à quorundam moribus, de toto doctrinæ genere pronunciare: nec tuipse æquo animo ferres, si ego de uniuersis fratribus tui ordinis (etsi hic ager, ut est natura sterilis, ita quantum in ipso est, non profert, nisi zizania) ex eorum moribus, qui ante aliquot annos, Bernæ Eluetiorum, propter impias suas præstigias & imposturas, Vulcano sunt consecrati, iudicarem, qui te quoque admonere debuissent, quod sit illud genus hominum, à quo & sensus Patrum, ut tu loqueris, peruerti, & simplices decipi soleant. Ac profectò ridiculum est, quòd scribis nos commemorationẽ dicti Ambrosiani cogitasse decipere simplices. Quæ. n. scripsimus, hoc consilio scripsimus, nõ ut statim uulgarent, Sed ut Patribus Synodi Tridentinæ exhiberentur, quo esset ὑποθεσις, de qua cum bonis uiris conferremus. Et sunt quoque exhibita, priusquàm essent uulgata. Quid ergo? Num putas nos tam amentes fuisse, ut existimaremus Patres eius Synodi, quorum multi ibi conuenerant, eruditione & sapientia insignes, tam facile à nobis decipi posse? Egregiam uerò laudem tribuis illis Patribus, quòd eos tam stultæ simplicitatis insimulas, ut non potuissent absque tẽ imposturam istorum nouatorum & hæreticorum deprehendere. Papæ,

quanta tua est industria, qua tantam operã, in obseruandis hæreticorum imposturis, Ecclesiæ nauasti, ut dignus sis Cardinalitio galero, & Patres ingratissimi sint, si non primo quoq; tempore te ea dignitate ornârint.

Sed pergamus in nostro instituto. Recitat Asotus etiam loca quædam scripturæ, quibus somniat se refutare nostram piam sententiam de Iustificatione impij.

Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Existimat ergo Asotus, quòd testimonio huius dicti homines sint coram Deo Iusti propter Dilectionem, & quòd meritis eius sit in iudicio Dei uere fidendum. Odiosum hominum genus, quod ex integra oratione excerpit unum & alterum uerbum, quod exagitet, & quo uerum eius orationis statum deprauet. Non docet Christus, quòd remissio peccatorum sequatur dilectionem, & quòd dilectio mereatur peccatorum remissionem, Sed potius docet, quòd dilectio sequatur remissionem peccatorum, & quòd beneficium remissionis peccatorum excitet dilectionem. Dicit enim in parabola. Duo debitores erant cuidam creditori. Vnus debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Cùm autẽ illi non essent soluendo, condonauit utriq;.

Porrò, per debitorem quingentorum denariorum intelligit Christus mulierem peccatricem. Quare, cùm addit, Debitores nõ fuisse soluendo, sed utriq; debita condonata, haud obscurè significat, quòd mulier peccatrix non expiauerit peccata sua meritis suorum operum, ac ne quidem potuerit ea suis meritis expiare, Sed quòd necessariũ fuerit, ut peccata condonarentur ipsi ex mera & gratuita Dei clemẽtia. Deinde, Christus ex Pharisęo quærit: Dic, uter horũ plus diliget? Hac interrogatione perspicuè significat, quòd dilectio sequatur beneficium remissionis peccatorum, non remissio dilectionẽ. Si autẽ sequitur, quomodo mereretur eam? Hanc eandem sententiam testificatur Christus, cùm postea addit: Cui minus remittitur, is minus diligit. Quo dicto Christus iterum significat, quòd dilectio nõ prȩcedat remissionem peccatorũ, tanquàm meritum, sed sequatur tanq; fructus. Postremò, Christus in fine dicit: FIDES tua te saluam fecit. Cùm ergo tribuit FIDEI remissionẽ peccatorum & salutem, non est dubiũ, quin auferat eam ab omnium operũ meritis, & adscribat eam gratuitæ tantum clementiæ Dei per Iesum Christũ. Vbi enim prędicatur Fides, qua apprehenditur Christus, qui solus est expiator peccatorũ, ibi opponitur ea omnium operũ meritis, & significatur, quòd remissio peccatorum cõtingat nobis gratuita tantũ clementia Dei propter Christũ, non propter ulla nostrorũ operum merita. Ei, qui operatẽ, inquit Paulus, merces non imputatẽ secundum gratiam (hoc est) gratuitam Dei clemẽtiam, sed secundum debitum. Ei autẽ qui non operatur (hoc est) non confidit meritis operũ, sed credit in eum, qui Iustificat impiũ, imputatur fides sua ad iustitiã. Et iterum: Israel, qui sectabatur legẽ iustitiæ, ad legem Iustitiæ non peruenit: propter quid? Quia nõ ex fide, sed tanquàm ex operibus legis, hoc est, nõ quærebant Israelitæ remissionem peccatorum in Christo, per fidem, sed in meritis suorum operum. Cùm igitur FIDES opponatur meritis operum, & Christus dicat ad mulierem peccatricem: Fides tua te saluam fecit, manifestè significat, quòd mulier consequatur salutẽ, hoc est, remissionem peccatorum, non propter meritum dilectionis, sed tantum gratuita clementia propter Christum. Quod ergo dicit, Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum, ut conueniat cum totius parabolę statu, ac reli-

ac reliquis dictis, adeoque cum uniuersa Euangelij doctrina, sumitur dictio, (Quoniam) καταχρηστικῶς, pro (idcircò) ut sic exponatur. Remittuntur peccata eius multa, Idcircò diligit multum. Nam ut sic intelligamus, cogũt tum alia, quæ iam recensuimus, tum & ea uerba, quæ mox sequuntur, Cui minus remittitur, is minus diligit.

Scribit & Ambrosius, quòd dilectio sequatur Fidem. Qui diligit (inquiens) utiq; credit, & credendo unusquisque diligere incipit. Denique Abraham credidit, & sic diligere cœpit. Manet igitur adhuc firmũ & fixum, quòd habeamus remissionem peccatorum, (hoc est,) simus Iusti coram Deo, non propter dilectionem nostram, sed propter dilectionem Christi, quam per fidem agnoscimus, & qua Deo tam accepti sumus, ut adoptet nos in filios, & unigeniti filij sui cohæredes.

Quæ loca ex Ezechiele, & Actis Apostolicis de pœnitentia allegantur, probant quidem pœnitentiam esse agendam, id quod & nos non solum probamus, uerumetiam diligenter urgemus, non autem probant, quod Asotus instituit. Somniat enim, sicut postea sequitur, tres Sophisticas pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, & homines propter merita horum operum esse coram Deo Iustos, & debere ijs coram Iudicio Dei ueraciter confidere. Sed hæc impietas paulò antè perspicuis argumentis refutata est. Et illæ partes pœnitentiæ, quas Sophistæ enumerant, non sunt partes ueræ, sed fictæ, & hypocriticæ pœnitentiæ. Vera enim pœnitentia constat primùm Agnitione peccati, non quòd hæc expiet peccatum coram Deo, aut propter ipsam remittatur peccatum, Sed ut per hanc excitetur peccator ad quærendam peccati remissionem in Christo. Deinde constat FIDE. Cùm autem dico fidem, non intelligo imaginariam illam fidem, quam & impœnitentes habere possunt, nec intelligo historicam tantum, quam & impij, ac etiam dæmones habent, Sed intelligo ueram & Christianam, quo nomine statim reijciuntur omnia nostrarum uirtutum merita. Vera enim & Christiana fides est, collocare fiduciam æternæ suæ salutis in Solo Domino nostro Iesu Christo, & in sola ipsius obedientia, qua placauit nobis patrem, & impetrauit nobis ius cœlestis hæreditatis. Sicut Moses (inquit) exaltauit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Quare, cùm dico Fidem, admitur humanis uirtutibus omne æternæ salutis meritum, & tribuitur tantum Mediatori inter Deum & hominem, qui est Dominus noster Iesus Christus.

Postremò uera pœnitentia constat etiam fructibus fidei, seu bonis operibus, quæ debent agnitionem peccati, & fidem sequi. Constat autem his fructibus, non quòd meritis horum expientur peccata, sed ut testificemur ueritatem pœnitentiæ, & probemus nostram gratitudinẽ, quam debemus Domino, pro tantis beneficijs quæ Christus nobis immeritis impetrauit, & nos per fidem agnoscimus. Qui ergo hoc modo egerit pœnitentiam, custodierit præcepta Dei, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, nec ultrà recordabitur Dominus iniquitatum eius, Sicut uerè dicit Ezechiel, & delebuntur peccata eius, sicut piè concionatur Petrus. Non autem delebuntur, propter merita nostrarum seu actionum, seu passionum, sed tantum propter meritum DOMINI nostri Iesu Christi, quem fide amplectimur. Sed de uera pœnitentia postea, suo loco, uolente Deo pluribus.

Producitur & Iacobus in medium, & cogitur impietatem fraterculorum approbare. Miror autem Asotum in tanta luce nondum uidere, & quid de Epistola Iacobi, & quid de his dictis, quæ ex ea de iustificatione factorum recitari solent, sentiendum sit. De Epistola eius scribit Hieronymus. Etiam ipsa, inquiens, Epistola Iacobi ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem. Et Eusebius: Iacobi, inquiens, dicitur esse Epistola, quæ inter Catholicas prima est. Sciendum autem est, eam esse adulterinam. Non enim multi ex ueteribus mentionem eius faciunt, sicut nec eius, quæ Iudæ inscribitur. Et iterum: Quibus (scripturis) contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc. Epistola, quæ Iacobo tribuitur, & Epistola Iudæ &c. Habes ueterum testimonia, quòd epistola Iacobi, & si habet quandam autoritatem ex antiquitate, tamen apud ueteres non est habita eo loco, quo γνήσιαι Apostolorum scripta habentur. Ac profectò Veteres uidentur grauibus causis moti, cur iudicauerint hanc Epistolam non esse Apostolici Spiritus. Continet enim quædam incommodè dicta, quæ nisi interpretatione mitigentur, non conueniunt cum uera Apostolica doctrina. Dicit hominem Iustificari ex factis. Et addit: Quemadmodum corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides absque factis mortua est. Confert fidem cum corpore, seu trunco. Opera autem cum Spiritu. Hoc manifestè pugnat cum Paulo, qui dicit: Quicquid ex fide non est, peccatum est. Et Epistola ad Hebræos: Sine fide (inquit) impossibile est Deo placere. Hæc dicta testificantur, quòd in collatione fidei & operum, cum Spiritu & corpore seu trunco, fides sit uelut Spiritus, Opera autem uelut Corpus. Opera enim absque fide, uerè sunt tanquàm mortuum corpus, quod habet quidem speciem hominis, nihil autem habet ex se uitæ humanæ, nisi accesserit Spiritus seu Anima. Vide mihi præcipuum opus, & maximam uirtutem, Charitatem. Hæc, si non accesserit Fides, si non fuerit ex fide, tantum abest, ut sit uirtus, quæ faciat hominem iustũ coram Deo, ut etiam reputetur in peccatum. Extant apud Ethnicos Scriptores exempla eorum, qui tanta charitate sese mutuò prosecuti sunt, ut alter non dubitauerit pro altero mortem subire. Magna charitas sit, necesse est, quæ ponit animam suam, pro amico. Et tamen quia hæc Ethnicorum charitas fuit absq; fide, quid aliud erit coram Deo, quàm mortuum corpus? Propheta dicit: Iustus è sua fide uiuit. Iusti uitam seu animam ait esse fidem, quomodo igitur epistola, quæ inscribitur Iacobo, audet fidem cum mortuo corpore conferre, cum potius opera sint mortuum corpus, nisi uiuificentur Fide?

Omnis arbor bona, inquit Christus, facit bonos fructus. Sicut ergo fructus non facit bonam arborem, sed bona arbor facit fructus bonos, ita nec opera, quæ sunt fructus fidei, faciunt fidem bonam, sed fides bona, facit opera bona. Quæ cùm ita se habent, dubium non est, quin hoc dictum epistolæ, quæ inscribitur Iacobo, pugnet cum Propheta, cum Apostolo, & cum Christo ipso Domino nostro.

Sed agite dum, demus hanc epistolam esse Apostolicam, & rectè dici, hominem Iustificari ex factis, debuisset certè Asotus, uel ex ipso Augustino admoneri, quomodo hoc dictum commodè possit intelligi. Quoniam Paulus Apostolus, (inquit Augustinus) prædicans Iustificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cùm semel in Christum credidissent, etiam si malè

si malè operarentur, & facinorosè flagitiosèq; uiuerent, saluos se esse posse per Fidem, locus iste huius epistolę eundem sensum Pauli Apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideóq; magis Abrahæ utitur exemplo, uacuam esse fidem, si non benè operetur, quoniã Abrahæ exemplo etiam Paulus usus est, ut probaret, hominẽ Iustificari sine operibus legis. Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidẽ comitata sunt, satis ostendit Paulũ Apostolum non ita per Abraham docere Iustificari hominẽ per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari, Sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorũ operum arbitretur se peruenire ad donum Iustificationis, quæ est in fide. Et mox: Vnde manifestum est, quod Paulus Apostolus dicit: Arbitramur hominem Iustificari per fidem sine operibus. Nõ tamen ita intelligendum est, ut accepta fide, si uixerit dicamus eum iustum, etiamsi malè uixerit. Ideo exemplo Abrahæ & Apostolus Paulus utitur, quia sine operibus legis, quam nõ acceperat, per fidem Iustificatus est. Et Iacobus, quia Fide ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus Apostolus prædicauit. Et aliâs: Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iusticiam. Ergo ex fide iustificatus est Abraham. Iam qui audit, non ex operibus, sed ex fide, obseruet illam uoraginem, de qua locutus sum. Vides ergo quia non ex operibus, sed ex fide Iustificatus est Abraham: Faciam ergo quicquid uolo, quia etsi bona opera non habuero, & tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad Iusticiam. Si dixit & decreuit, lapsus dimersus est, Si adhuc cogitat, & fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei ueruscq; intellectus, non solum periclitantẽ à periculo liberat, sed & dimersum à profundo eleuat. Respondeo ergo tanquàm contra Apostolum, & dico de ipso Abraham, quod inuenimus etiam in epistola alterius Apostoli, qui uolebat corrigere homines qui malè intellexerant istum Apostolum. Iacobus enim in epistola sua contra eos, qui nolebant benè operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: & non sunt sibi aduersi Apostoli. Dicunt autem opus omnibus notum, Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex Fide. Laudo superædificationem operis, Sed uideo fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, Sed in fide agnosco radicem: si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illud esset, qualecunq; illud opus esset, Rursum, si sic teneret fidem Abrahã, ut cùm ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum, non facio, & tamen credo, quia me etiam contemnentem iussa sua liberat Deus, fides sine operibus mortua esset. Hactenus Augustinus. Sed quanto rectius interpretatur Iacobũ, quàm Asotus? Hic enim suscipit ex Iacobi uerbis docendum, quòd propter facta simus coram Deo Iusti, & quòd meritis factorum, seu operum sit in Iudicio Dei ueraciter fidendum. Hæc si fuerit sententia Iacobi, quam ei Asotus affingit, nihil dissimulo, adduci nõ possum, ut credam, hunc esse eum Iacobum, qui in Synodo Hierosolymitana dixit de uocatione gentium sententiam plenam Prophetici Spiritus, & cuius pietatem Ecclesiastica scripta magnis sermonibus celebrant. Augustinus autem interpretatur Iacobum uerecundius, ac tolerabilius. Non dicit eum hoc agere, ut confidamus in Iudicio Dei meritis factorum, sed dicit eum reprehendere illos, qui somniarunt, quòd postquàm credidérint in CHRISTVM, existiment ad se non pertinere, benè operari.

Non dicit eum docere, nos coram Deo Iustos esse propter facta, Sed dicit, eum reijcere illorum sententiam, qui putant, se, si semel crediderint, posse per fidem saluos esse, etiamsi facinorosè, flagitioséq; uiuerent. Commendauit (inquit) Abrahæ opera, contra eos, qui de sola fide præsumentes, nolebant benè operari, qui ad iussa Dei, apud semetipsos dicebant, Non facimus, & tamen credimus, quia nos etiam contemnentes iussa sua liberat Deus &c. At hos, ne nos quidem probamus, sed grauissimè reprehendimus. Cùm enim in doctrina ueræ Iustificationis, de fide loquimur, quem admodum paulò antè indicaui, non loquimur de mortua, seu nulla, sed de uera, uiua & Christiana fide, quæ, ut complectitur solum Christum pro expiatore peccatorum, & redemptore, ita teneri non potest, quin se se exponat ad facienda opera charitatis, & omnia genera uirtutum. Quòd si inter auditores nostros porci fuerint, qui ad nutrienda, & tuenda scelera sua arripiunt nomen fidei, & existimant se suo officio defunctos, si saltem cogitauerint se credere, etiamsi interea omne flagitiorum genus sectentur, non est in tanta hominum corruptione mirandum, cùm ne Paulus quidem cauere potuerit, ne multi prædicatione Euangelij de gratuita Dei misericordia per Christum, abuterentur ad licentiam carnis. Et extat apud Matthæum parabola, in qua, optimi seminis pauciſsima pars in terram bonam cecidit. Simile quoque est regnum cœlorum, hoc est, prædicatio Euangelij, uerriculo iacto in mari, & contrahenti ex omni genere, pisces, tam malos, quàm bonos. Quod Augustinus de sua domo, hoc de nostra quoq; dicere possumus. Quantumlibet, inquiens, uigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines uiuo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm Arca Noë, ubi tamen inter octo homines, reprobus unus inuctus est. Aut melior sit, quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, Eijce ancillã & filium eius. Aut melior sit, q̃ domus ipsius Iacob, ubi lectum patris filius incestauit. Aut melior sit quàm domus Dauid, ubi filius eius cum sorore cõcubuit &c. Quid ergo? inquient Asotici. Si agnoscitis etiam inter uos, multos esse malos, cur propter malos, nobis admixtos, à nobis recessistis? Respondeo. Nõ recessimus à uobis propter malos uobis admixtos, ac speramus multa esse milia hominum in uestra plebe, qui non curuant genua sua ante Baal. Sed recessimus, partim quia uos expulistis nos omni genere crudelitatis, partim, quia cum impia doctrina, & impiam doctrinam tyrannnicãs defenditis, non agnoscimus uos pastores, Sed potius lupos, non ædificatores, sed destructores Ecclesiæ, ac planè eos, quos Christus fugere & cauere iussit. De hoc autẽ argumento aliâs opportunius. Nunc à παρέργῳ ad ἔργον reuertamur. Augustinus ergo, interpretans Iacobi dictum: Homo Iustificatur ex factis, non dicit hanc esse Iacobi sententiam, quòd debeamus factis in iudicio Dei confidere, sed quòd debeamus benefacta sectari, & bona opera facere, ut quod dicitur: Homo iustificatur ex factis, sit Augustino idem ac si diceretur, Homo debet iusta opera facere, idq; ex fide. Dicit enim Augustinus: Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed uideo fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illud esset, qualecunq; illud opus esset. Quid ergo est Iusta opera ex fide facere? Num est credere, quòd propter opera simus coram Deo Iusti, & meritis eorum sit coram iudicio Dei ueraciter fidendum? At hæc non est uera & recta fides, sed detestanda incredulitas,

credulitas, & impietas, ſicut ſuprà copioſè demonſtratum eſt. Num eſt credere, quòd unus tantum ſit Deus? Hoc quidem credendum eſt, Sed nondum ſatis eſt dictum aut explicatum, de eo, quod exigitur, ut iuſta opera faciamus ex Fide. Quæ eſt ergo illa Fides, de qua nũc quæritur? Hæc nimirum, ut credamus, quòd Solus filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus expiauerit peccata noſtra, & reconciliauerit nobis cœleſtem Patrem: Et ꝙ cœleſtis Pater adoptauerit nos in filios ſuos, nõ propter noſtrã iuſticiam, ſed tantũ gratuita ſua clementia propter Iuſticiam & obedientiã ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si autem ex hac fide iuſta opera facienda ſunt, quid, quæſo, aliud conſequitur, quàm quòd faciendo iuſta opera, nõ debeamus horum operum meritis, ſed tantum meritis Chriſti Domini noſtri confidere? Itaq; Iuſta opera ex fide facere, prorſus pugnat cum eo, quod Fraterculi docent, Iuſtis operibus fidendum eſſe, & homines propter Iuſta opera coram Deo eſſe Iuſtos.

Quàm congruenter autem Aſotus citat ad tuendam ſuam impietatẽ, ſcriptum Iacobi, tam congruenter citat etiam dicta Pauli de Iudicio Dei iuxta opera noſtra, & de factoribus Legis. Ac Paulus, rectè quidem ſcribit: Non auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur: mirandũ autem eſt, tantum eſſe Sophiſtarum λήθαργον, quòd quæ dicta Pauli manifeſtè pugnant cum ipſorum ſententia, ea impudenter ſoleant ad defendendam ſuam ſententiam citare. Aſotus enim allegat hoc dictum Pauli, ut probet nos propter noſtra facta coram Deo iuſtos eſſe, & meritis factorum coram Iudicio Dei confidendum: Paulus autem docet eo loco & dicto prorſus contrarium. Docet enim non Gentes tantũ, ſed etiam Iudæos eſſe peccato obnoxios, propterea quòd coram Deo iuſtificentur, non qui audiunt tantum legem, & externis factis eam ſectantur, ſed qui Legem factis perfectè exprimunt, & eam uerè, ſine omni uicio implent. Nullus autem Iudæus Legem nunquàm ita fecit & impleuit, ut nullum in ipſo uicium eſſet. Quare nullus Iudæus iuſtificatur coram Deo propter facta Legis, nec poteſt meritis factorum Legis coram Iudicio Dei confidere. Si enim de factis ſeu operibus Legis ἀκριβικτικῶς dicendum eſt, duplex eſt conſideratio. Aliâs enim conſiderantur facta Legis, ſecundum quod à Lege exiguntur. Hoc autem modo conſiderata, ſunt perfectiſsima, & abſolutiſsima. Lex enim non exigit tantum externam ſpeciem factorum, Sed exigit facta, ex omni parte perfecta. Diliges, inquit, Deũ ex TOTO corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Quid poteſt perfectius & abſolutius dici? Vult Lex, ut diligamus Deum, non uerbis tantum, non manibus tantum, non leui tantum cordis cogitatu, ſed totis uiribus noſtris. Nihil ſit in tota anima, in toto homine, in omnibus uel cogitationibus, uel locutionibus, uel actionibus hominis, quod pugnet cum Deo. Quòd ſi quis hoc modo facta legis præſtaret, negari nõ poteſt, quin iuſtificaretur coram Deo ex factis ſuis. Nullus autem in uniuerſo humano genere, quod ab Adamo iuxta ſeminalem propagationem deſcendit, unquàm uel fuit, uel eſt, uel erit, qui hoc modo legem impleuerit, aut in hac uita implere queat. Solus Ieſus Chriſtus, æternus filius Dei, & ſuo tempore, de Semine quidem Abrahæ deſcendens, de ſpiritu ſancto autem conceptus, & ex uirgine homo natus, impleuit legem Dei factis ſuis tanta perfectione, ut peccatum nunquàm fecerit, nec inuentus ſit dolus in ore eius. Quare ſolus ipſe hanc laudẽ reportat, quòd abſque ullo confuſionis & pudefactionis metu, ad Deum Patrẽ dicere potuerit;

Me propter innocentiam meam ſuſcepiſti & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. Et Paulus rectè ſcripſerit: Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti fuimus multi, ita per OBEDIENTIAM unius iuſti conſtituentur multi. Aliâs conſiderantur facta legis, non ſecundum quod à lege præcipiuntur & exiguntur, ſed ſecundum quod ab hominibus quantumuis piis, in hac corrupta natura fiunt. Hoc autē modo conſiderata, tanta ſunt imperfectione, ut pro cōdonanda impietate, quæ adhuc in ipſis reliqua eſt, neceſſe habeat orare omnis ſanctus, & exclamare: Non intres in Iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Nā ſi Paulus, cùm dicit, Factores legis iuſtificabuntur, ſentiret homines hoc modo, quē nunc recenſuimus, ex factis ſeu operibus legis Iuſtificari, quomodo paulò pòſt diceret, Arbitramur hominem Iuſtificari fide abſq; operibus legis. Et ad Galatas: Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt? Et Auguſtinus, Sic (inquit) intelligendū eſt, Factores Legis iuſtificabuntur, ut ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur, ut non Iuſtificatio factoribus accedat, ſed factores legis, iuſtificatio præcedat. Vides igitur Aſotum cùm ex dicto Pauli ſuſcipit probandum homines eſſe iuſtos propter facta legis, & meritis horum factorum coram iudicio Dei confidendum, non ſolum cum uera ſententia Pauli, uerum etiam cum interpretatione Auguſtini, quem fortaſsis ſodalicium Aſoti nō poſtponit Dominico ſuo, ſicut Paulum, pugnare.

Idem ſentiendum eſt de reliquis dictis Pauli: Reddet unicuique ſecundum opera ſua. Et: Ira, indignatio, & tribulatio in omnem animam hominis operantis malum &c. Et: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. Quid ergo? Num quia Deus reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, & prout geſſit ſiue bonum ſiue malum, idcircò ſumus iuſti coram Deo propter opera noſtra, & confidendum eſt meritis eorum coram iudicio Dei? Quid igitur eſt, quod Paulus ex Propheta ſcribit: Qui gloriatur, in Domino glorietur? Nunc autem, autore Aſoto, non tantum in Domino, ſed etiam in operibus noſtris gloriandum eſt. Et imputanda eſt nobis merces, nō ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum: aut quia noſtra opera ſunt dona Dei, imputanda erit nobis merces, partim ſecundum gratiam, partim ſecundum debitum. In Deuteronomio dicitur ad Iſraelitas: Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit gentes Dominus Deus tuus in cōſpectu tuo, propter Iuſticiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſsiderem. Non poteſt ferre Deus, ut Iſraelitæ confidant ſua iuſticia, & glorientur ſe in regnum terræ Canaan introductos propter ſuam ipſorum Iuſticiam, & ferret, ut quod Aſotus docet, gloriaremur nos propter noſtram Iuſticiam introduci in regnum cœleſte? Daniel precaturus liberationem è captiuitate Babylonica, & reſtitutionem in terram Iſrael: Non in iuſtificationibus noſtris (inquit) proſternimus preces ante faciem tuam, Sed in miſerationibus tuis multis. Et Aſotus concionatur nobis, quòd acceſſuri ad horrendum iudicium Dei, debeamus confidere meritis noſtrarum iuſtificationum, ſic uidelicet dicturi: Accedimus ad Iudicium tuum, non tantum in miſerationibus tuis multis, ſed etiam in Iuſtificationibus noſtris magnis. Dauid exclamat, Non intres in Iudicium cum ſeruo tuo, hoc eſt, cum operibus & meritis ſerui tui. Et

Aſotus

Asotus exigere audet: Intres in Iudicium cum seruo tuo, quia propter mea opera sum coram te Iustus, & audeo tibi propter merita eorum medium digitum ostendere.

Augustinus dicit: Væ hominum uitæ, quamuis laudabili, si remota misericordia discutias eam. Asotus autem, si non uerbis, certè sensu cordis dicit, Bene, imò optimè laudabili hominum uitæ, quòd non tantum misericordia Dei, sed etiam seueritate iudicij eius constet. Alioqui enim cur diceret meritis operum coram iudicio Dei ueraciter confidendum? Miserrimum, & conclamatæ cæcitatis hominem, qui uel cogitare audeat, se fiducia suorum factorum, ad tam horrendũ Dei tribunal accessurũ: Siue.n. hæc dicta, quæ de ferenda sententia in iudicio Dei secundum opera nostra concionãtur, referas ad legẽ, siue ad Euangelion, fieri nõ potest, ut meritis eorũ confidas. Nam si hoc aut id genus aliud dictũ (Reddet unicuiq; secundũ opera sua) uox legis est, certè, cùm Paulus dicat, q; lex iram operetur, & occidat, manifestũ est, quòd & illud dictũ, operetur irã, & occidat. Quis.n. hominũ est qui operibus suis legem Domini perfectè impleuit? Quis potest dicere, mundum est cor meum? Omnes, inquit, declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Maledictus autem omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quare, cùm dicitur, quòd Dominus reddat unicuique in iudicio suo secundum opera sua, & opera nostra sint corrupta, nec satisfaciant legi Domini, nihil aliud reliquum est, quàm quòd ex hoc dicto iram Dei & sententiam æternæ mortis ac damnationis aduersum nos cognoscamus: Christus ad glorioſum adolescentem dicit: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Ergo si non seruaueris mandata Dei, non ingredieris in uitam. Nullus autem hominũ seruauit, ac ne seruando quidem seruat. Quicunq; enim, inquit Paulus, ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Cùm igitur Dominus ferat sententiam suam iuxta opera nostra, quæ tamen mandata Dei non implent, nihil aliud nobis expectandum erit, præter æternam maledictionem. Vbi ergo manet operum nostrorum gloriatio? ubi iusticiæ factorum nostrorum fiducia? Si autem hoc, aut aliud id genus dictum (Reddet unicuiq; secundum opera sua) retuleris ad Euangelion Christi, ibi ne sic quidem licebit fiducia nostrorum operum ad tribunal Dei accedere. Iudicabitur enim coram Deo secundum opera nostra, non quæuis, sed secundũ ea, quæ fecimus ex Fide Domini nostri Iesu Christi: sine.n. fide impossibile est Deo placere. Et: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Fides autem in Christum non permittit, ut confidas meritis tuorum operum, sed ut confidas tantum meritis Christi. Quare cùm dicitur, Iudicium Dei fieri secundum opera, quæ ex fide Christi fecimus, adimitur eo ipso omne meritũ nostris operibus, & tribuitur tantum Christo mediatori nostro, ut quantum credimus in Christum, tantum meritis nostrorum operũ diffidamus. Quid plura? Scriptura, inquit Paulus, concluſit OMNIA (uidelicet tam mala quàm bona opera hominum) sub peccatũ, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hæc enim unica nostra Salus, & unicũ nostrum asylum est, quòd cùm credimus in Christũ, & confidimus solo mediatore Christo, Deus non recordetur amplius in iudicio suo peccatorum nostrorum, nec faciat nobis secundum peccata nostra, nec retribuat nobis secundum iniquitates nostras, quæ adhuc reliquæ sunt etiam in ipsis bonis operibus nostris, sed corroboret super nos misericordiã suam, secundũ altitu-

dinem cœli à terra, & tam longè faciat à nobis iniquitates noſtras, quantum diſtat ortus ab occidente, idq; non propter opera iuſticiæ, quæ nos fecimus, ſed tantum propter Ieſum Chriſtum filium ſuum, quem propoſuit reconciliatorem, ut omnis qui in ipſum credit, non pereat, ſed habeat æternam uitam.

Quod Aſotus ex Hilario in Matthæum adducit, uidet ipſe durius dici, quòd beatam illam æternitatem de noſtro promereamur, & præſtandũ ſit aliquid ex proprio ut bonum uelimus, malum omne uitemus. Quare conatur uerba Hilarij ſua gloſſa mitigare. Ex proprio, (inquiens) & Noſtro, cùm dicit, non putes quòd gratiam excludat, ſed quia noſtra etiam ſunt, quæ gratiæ. Facit enim gratia, ut nos faciamus &c. Hactenus Aſoticum pharmacon. Sed aut Hilarius aſpernatur ac reſpuit tale pharmacon, aut ſi admiſerit, locus eius nihil patrocinatur Sophiſticæ impietati, quę docet meritis noſtrorum operum in iudicio Dei confidendum. In eo enim loco Hilarius manifeſtè opponit gratiæ, ſeu dono Dei, noſtrum & proprium. Etiam nunc, inquiens, pſeudoprophetarum fraudulentiam, & hypocritarum ſimulamenta condemnat, qui gloriam ſibi ex uerbi uirtute præſumunt, in doctrinæ Prophetia, & dæmoniorum fuga, & iſtiuſmodi operum uirtutibus. Atque hinc ſibi regnum cœlorum pollicentur, quaſi uerò eorum aliquid proprium ſit, quæ loquuntur & faciunt, & non omnia uirtus Dei inuocata perficiat, cùm doctrinæ ſcientiam lectio afferat, dæmonia Chriſti nomen exagitet. Hactenus Hilarij uerba, quibus reprehendit pſeudoprophetas, & hypocritas, quòd polliceantur ſibi regnum cœlorum, propter dona Dei. Quaſi uerò, inquiens, eorum aliquid proprium ſit, quæ loquuntur & faciunt, & non omnia uirtus Dei inuocata perficiat. Et mox addit, quod Aſotus recitat. De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumq; eſt aliquid ex PROPRIO. Ergo iuxta Hilarium, ſi quis uerba eius cenſoria ſeueritate expendat, hypocritæ non aſſequuntur regnum cœleſte propter dona ſua, propterea quòd ea dona non ſint ipſorum propria, ſed Dei. Si uoluerimus autem regnum cœleſte aſſequi, neceſſe habeamus illud non de donis ſeu uirtutibus Dei in nobis, ſed noſtris ipſorũ proprijs uirtutibus promereri. Quomodo igitur non excludit gratiam Dei, qui gratiæ ſeu donis Dei opponit, quod eſt noſtrum & proprium? Quòd ſi noſtra ſunt, quæ gratiæ, ſicut Aſotus loquitur, an non etiam gratia faciebat in pſeudoprophetis & hypocritis, quod ipſi in eijciendis dæmonibus, & præſtandis alijs uirtutibus faciebant? Si noſtrum proprium eſt, quod gratia in nobis facit, quomodo donum eijciendorum dæmonum, non erat pſeudoprophetarum & hypocritarum proprium, cùm non potuerint id abſque ſingulari Dei dono, ſeu gratia præſtare? Nam quod Sophiſtæ de gratia gratis data, & gratia gratum faciente garriunt, neſciunt quid loquantur. Si enim per gratiã Dei intelligamus fauorem ſeu beneuolentiam, quæ eſt in Deo erga nos, ſicut ſcriptura magna ex parte utitur nomine gratiæ in hoc ſignificato, manifeſtum eſt, eam beneuolentiam eſſe gratuitam, ac nullis humanis meritis impetratam. Non quòd nos, inquit Ioannes, dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos. Si autem gratiam acceperis pro donis Dei quæ in nos conferuntur, ut omnia ſunt gratuita, ita non eſt niſi unum Donum, quod nos Deo gratos & acceptos faciat, Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Propter hunc enim ſolũ Deus fauet hominibus, & quotquot credunt in eum, fiunt propter ipſum Deo tam grati & tam accepti, ut remittat

mittat eis omnia peccata, & adoptet eos in filios & hæredes suos. Quare, quocunq; modo nomen gratiæ sumatur, certè si nostrum proprium est, quod gratia Dei in nobis facit, erit & donum ejiciendorum dæmonũ hypocritis proprium, quòd non poterant id uel habere uel exercere, nisi ex fauore & gratia Dei. Hilarius autẽ distinguit NOSTRVM, & PROPRIVM, à gratia, seu dono, & uirtute Dei in nobis. Videtur igitur in eo quod dicit, De NOSTRO est beata illa æternitas promerẽda, præstandumq; est aliquid ex PROPRIO, gratiam Dei manifestè excludere. Ego quidem existimo Hilarium multò commodius sensisse, quàm locutũ esse, nec tribuo ei illam impietatem, quòd senserit nos ad consequendũ regnum cœleste non indigere gratia Dei. Sed uisum est uerba eius paulò seuerius expendere, ut manifestũ fiat, quàm aptè, q̃ congruenter Asotus testimonium eius adducat, & duriciem uerborũ eius mitigare conetur.

Ponamus autem Hilarium non respuere, sed admittere pharmacon Asoti, uidelicet promerendam esse æternam uitam de NOSTRO & PROPRIO, quod ex gratia Dei habemus. Quid ergo? Num idcirco confidendum est in iudicio Dei nostris propriis operibus? Si habemus ea ex gratia, seu gratuita clementia Dei, non habemus ea ex nostro merito; nec habemus ea in hoc corruptissimo carnis nostræ statu, perfecta. Etsi enim Deus operatur ea in nobis Spiritu sancto suo, tamen quia caro pugnat cum Spiritu, quamdiu in hoc seculo uitam agimus, fieri non potest, ut ea opera sint in nobis perfecta, quemadmodum suprà copiosè exposuimus. Non est igitur operibus aut meritis eorum, sed tantum gratuita Dei clementia, ex qua opera in nobis fiunt, confidendum. Itaque cùm primùm addideris operibus gratiam Dei, aufers ab ipsis omnem fiduciam, & iubes eam in sola gratuita Dei beneuolentia collocare. Quòd si per gratiam, inquit Paulus, nõ iam ex operibus, quandoquidem gratia, iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia. Nisi fortè Asotus sentiat partem fiduciæ æternæ nostræ salutis in gratuita Dei clemẽtia, partem in meritis nostrorum operum esse collocandam. Sed iam suprà ostendimus tantum adimi gratiæ Dei, quantum nostris meritis tribuitur, & idolomaniam esse, fiduciam æternæ salutis, in creatura & non in solo Deo creatore & Seruatore collocare.

Sed de his hactenus. Equidem de Hilario & alijs uetustioribus Ecclesiæ scriptoribus ita sentio, quòd labor eorum non fuerit in Ecclesia Filij Dei inanis, & spero, quòd cum Christo, cui ministerio suo seruierunt, fœliciter uiuant. Nec offendor in ipsorũ lectione, etiamsi uerbo promerendi sæpè ac multùm utantur. Cùm enim exhortantur ad facienda bona opera, & ad ducendam uitam pio dignam, solent liberrimis uerbis uti, & ita urgere, perinde ac si benè operari, & honestè ac piè uiuere totum esset situm in nostrarum uirium potestate, & mereremur nostra ipsorum honestate ac pietate cœleste regnum ac æternam uitam. Id autem non faciunt hoc cõsilio, ut doceant Ecclesiam, nostram naturam tam integram esse, ut possit suis uiribus opera Deo grata facere, & meritis eorum consequi æternã uitam, sed quia loquuntur cum renatis, qui sunt Spiritu sancto donati, ututuntur his formulis loquendi, ut excitent ignauos è ueterno suo, & inflamment cohortatione sua cessantes, ad testificandum bonis operibus, quod uerbis profitentur, & ad quod dono spiritus, quem acceperunt per fidem, uocãtur atq; ducuntur. Nam quemadmodum parens, cùm iubet filium suum cessatorem bonam operam in studio literarũ nauare, aut

uineam, seu agrum diligenter colere, solet ei non uestem tantum insignẽ, sed etiam domum, agros, & quicquid est bonorum paternorum promittere. Hæc omnia, inquiens, tibi relinquam, tua erunt, & tui laboris præmia, si monitionibus & præceptis meis obedieris. Quid igitur? An non filius, eo ipso, quo natus est filius, habet ius paternæ hæreditatis? Nec meretur eam ullo labore, sed accipit eam iure natiuitatis, quod habebat iam inde ab initio cùm in lucem ederetur, & cùm adhuc uagitu suo in cunis nonnunquàm parenti molestus esset? Et tamen audit à parente labores, audit studia, audit dona, audit merita. Hic si nunc importunus Sophista instituereet disputationem & contenderet, quòd filius non acciperet hæreditatem patris gratuito iure natiuitatis, sed meritis laborum & studiorũ, an non iudicaretur ab utroq; tam parente quàm filio, insanus? Da enim seruum, da mercenarium. Is etiamsi sexcenties plus in domo patrisfamilias laboraret & studeret, quàm filius, tamen non caperet eam, quæ debetur filio, hæreditatem. Nihilo saniores sunt Fraterculi, quòd cùm legunt scripta Ecclesiasticorum patrum, quibus exhortantur ad bona opera eos, qui sunt renati, & quibus iam debetur iure renascentiæ, ad quam gratuitam Dei clementia peruenerunt, cœleste regnum, cõtendant ex uerbo promerendi, hæreditatem cœlestem contingere nobis nostrorum operum meritis, non sola gratuita Dei misericordia per Iesum Christum Dominum nostrum. Si enim diligenter expendas uerbum promerendi in pijs patribus, magis eo significant, quid bona opera nostra ex clementia Dei comitetur, quàm quid ijs coram Deo mereamur. Verũ enim est, quòd fidem in Christum, & bona opera ex fide comitetur æterna uita & cœleste regnum, non est autem uerum, si propriè de merito siue illo congruo sue cõdigno loquaris, quòd cœleste regnum operibus nostris coram Deo mereamur, & quòd meritis operum nostrorũ, in iudicio Dei sit confidendum. Quare pij Patres, ex una quidem parte uehementer urgent, & instant, ut bona opera faciamus, quasi & ex nobis ipsis ea facere possimus, & propter ipsa regnum cœleste mereamur: ex altera autem parte diligenter docent, quòd bona opera, quæ Deo placent, non sint nostra, sed dona Dei. Quo cauere uolunt, ne operibus nostris aut meritis eorum in conspectu Dei confidamus. Augustinus dicit: Da operam esse iustus, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem esse, & semper spera misericordiam. Ac iterum: Dona sua coronat Deus, non merita tua. Bernhardus dicit: Merita habere cures, habita data noueris, fructum speraueris Dei misericordiam, & omne periculum euasisti, paupertatis, ingratitudinis, & præsumptionis. Quid hoc aliud est, quàm si dicerent apertis uerbis, Iubemus quidem te summum studium in faciendis bonis operibus ponere, interea autem iubemus etiam te, ne meritis bonorum operum, sed Sola gratuita Dei clementia propter Iesum Christum, in iudicio Dei confidas? Si enim Deus sua dona, non merita nostra coronat, & si fructum meritorum sperare debes Dei misericordiam, reliquum est, quòd fiducia æternæ nostræ salutis non in donis Dei, sed in donatore ipso Deo, & non in meritis nostris, sed in misericordia Dei sit collocanda.

Quod cùm ita se habeat, manifestum est, quàm odiosum hominum genus sint Sophistæ, quòd quæ pij Patres scribunt ad exhortationem tantum bonorum operum, illi ad commendanda operum merita, & ad obscurandam gratiam Dei excerpant, & quę Patres docent ad tollendam fiduciam operum, ea illi ad stabiliendam ipsam in medium producant.

Recitat

Recitat etiam Asotus expositionem Ambrosij in illud Pauli ad Galatas: Fides per dilectionem operans, Sed quomodo hoc dictum Pauli uerè sit intelligendum suprà demonstratum est. Quare si Ambrosius sua expositione hoc uult, quod Paulus & Christus, uidelicet eam fidem, quæ accipit remissionem peccatorum in Christo, nec esse, nec debere esse mortuam, sed uiuam, & efficacem, diffundentem sese, tam ad charitatem, quàm ad omnia alia uirtutum genera, ut ex ea fide ambulemus in uocatione Dei, & incipiamus Deum diligere ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos, rectè & piè sentit, & habet nos obsequentes discipulos. Si autem hoc uult, quod Asotus ex ipso colligere conatur, uidelicet, quòd contingat nobis Remissio peccatorum & uita æterna per fidem, PROPTER Charitatem, & quòd simus coram Deo Propter uirtutem charitatis Iusti, ac debeamus meritis eius in iudicio Dei confidere, Suo id periculo faciat. Nobis necessum est, ut summum doctorem, Spiritum sanctum audiamus, qui docet, quòd habeamus remissionem peccatorum, propter solum Christum filium Dei, & quòd collocanda sit fiducia salutis nostræ tantum in meritis Christi, qui solus est precium redemptionis pro peccatis nostris.

De loco Ambrosij, quem locum Asotus ex commentarijs eius in epistolam ad Romanos adducit, suprà satis dictũ est. Itaq; concludit tandem: Possunt, inquiens, innumera loca ex Prophetis & Apostolis atq; antiquioribus Patribus afferri, quibus apertè docetur (recito autem uerba Asoti) ita nobis soli gratuitæ Dei clementiæ semper fidendum esse, ut tamen non uerimus, iudicandos nos fore coram tribunali suo ex operibus. Nec unquàm Paulus uel Ecclesiastici autores, Sola fide nos Iustificari dicentes, charitatem, pœnitentiam, & alia negarunt.

Quorsum, obsecro, Asote, quorsum? Quo te prorípis? Amphora cœpit Institui, currente rota, cur urceus exit? Vide mihi, quæso, detestandam hominis tergiuersationem. Initio huius loci de Iustificatione instituit confiteri, & probare, hominem propter uirtutes esse coram Deo Iustum, & harum meritis in iudicio Dei ueraciter fidendum. Quod ut est impium, ita spero me perspicuis ac firmis argumentis refutasse. Nunc autem in epilogo, uel oblitus, uel pœnitens instituti sui, concionatur nobis, iudicandos nos coram Deo ex operibus, Et cùm dicitur, Sola fide nos iustificari, non negandam esse charitatem, pœnitentiam, & alia. Quis, quæso, illud non confitetur, quis hæc negat? Non hoc agitur nunc, bone uir, utrum ne Deus Iudicaturus sit, & redditurus unicuique secundum opera sua. De hoc enim non est controuersia, & quale sit, paulò antè exposuimus. Nec hoc agitur, Vtrum ne, charitas, & pœnitentia negentur, cùm dicimus, nos Sola fide Iustificari. Tantum enim abest, ut hæc negemus, ut qua possumus seueritate ea exigamus. Exigimus autem, nõ quòd Deus Iustificet nos, hoc est, Remittat nobis peccata, & suscipiat nos in suam gratiam, propter merita charitatis, & pœnitentiæ nostræ, Sed quòd ad consequendam Iustificationem, seu peccati condonationem, necessarium sit, ut peccatum agnoscamus, quo excitemur ad quærendam peccati remissionem in Christo, ac postquàm credimus nos habere peccati remissionem, propter solum Iesum Christum DOMINVM nostrum, necessarium sit, ut Deo simus grati, & prosequamur eum quanta possumus dilectione, ac iuuemus quoque ex mandato eius, proximum nostrum, quibus licet officijs. Itaque non iam quæritur, num opera cha-

ritatis & aliarum uirtutum sint præstanda: Profitemur enim ea multis de causis, quæ aliâs pluribus enumerantur, necessariò facienda, Sed quæritur, num propter hæc opera simus coram DEO iusti, & num meritis eorum sit coram iudicio Dei ueraciter fidendum. Hæc suscepit Asotus probanda. Hæc nos suscepimus refutanda, & spero uanitatem eorum à nobis, diuina clementia adiutis, ita patefactam, ut apud pios quosque nullum dubium relinquatur, quin in Iudicio Dei Solis meritis Domini nostri Iesu Christi sit confidendum, & Sola fide in Christum iustificemur, & condonationem peccatorum, atq; cœlestem hæreditatem consequamur.

Hic nunc nemo, spero, arguet me inuerecundiæ & impudentiæ, si appellem Prælatos illos, quos Asotus Catholicæ Ecclesiæ præsidere uociferatur, ut tandem apertè & perspicuè Sententiam suam de hoc Asoti scripto exponant. Affirmat enim se in eo respondere de Fide, non singulariter sua, sed Catholicæ Ecclesiæ. Et Catholicam fidem intrepidè confiteri, hominem esse coram Deo iustum propter uirtutes, & earum meritis sibi esse fidendum. Quare si hæc scribit uestro mandato & assensu, & hæc stat uobis sententia, quid, quæso, frustrà tot laboris, & impensæ sumitur, ut aliquando fiat aliquis controuersiarum modus, & in doctrina religionis conueniamus? Quam enim fidem Asotus nomine Catholicæ suæ Ecclesiæ profitetur, ea est, quam ab initio orbis terræ inspirauit Satan impijs, & propter quam impij pios semper sunt crudeliter persecuti. Hæc illa fides seu religio est, propter quam Cain occidit Abelem, Ismael cogitauit opprimere Isaacum, Esau meditatus est necem fratri suo Iacob, Gentes abominatæ sunt posteritatem Abrahæ, Iudæi interfecerunt Prophetas, Regnum Samariæ insidiatum est regno Iudæ, Scribæ & Pharisæi morti tradiderunt Christum Filium Dei, & persecuti sunt Apostolos eius. Hæc illa fides, seu religio est, propter quam Ethnici sæuierunt quondam tam immaniter aduersus Christianos, & propter quam hisce temporibus coram Iudæis & Turcis, nihil est nomine Christiano detestabilius. Etsi enim alia gens alijs utitur nominibus, & ritibus, alioque prætextu suam causam agere uidetur, tamen summa impietatis omnium in hoc consistit, quòd non agnoscant Christum filium Dei, & uerum eius officium, sed obtrudant se ipsos Deo, pro Christo, hoc est, confidant se placare iram Dei meritis suarũ uirtutum, & esse coram Deo iustos propter suas, quas uel sibi ipsis parauerunt, uel à Deo acceperunt, uirtutes. Hæc est illa superbia & arrogantia, ad quam Satan parentes nostros, initio conditi orbis, instigauit, cùm diceret: Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Hæc deinceps propagata est in uniuersum humanum genus, nec quisquam ex ea suopte ingenio liberari potest, nisi diuinitùs seruetur, & per Euangelion ueri Christi, filij Dei, renascatur. Reliqui autem & numero & potentia atque autoritate superiores, manent semper excæcati, & opinione suæ diuinitatis inebriati. Nec unquàm committet Satan, quin quamdiu est Princeps huius mundi, & deus huius seculi, excitaturus sit suos illos Christos, qui omni crudelitatis genere pios in uero Christo renatos persequantur. Sicut enim in cœlo cœpit uerum CHRISTVM unigenitum filium Dei ab initio oppugnare, ita nunc deiectus, teneri non potest, quin in hac terra, nõ solum insidietur ipsi, uerumetiam in homines, in quibus ipsum per fidẽ inuenit, immaniter grassetur, ut nulla sit uel tolerabilis tranquillitas in his terris sperando, nisi

da, nisi dum Cain occiderit Abelem, aut Esau in exilium eiecerit Iacobum, aut si ita Domino uisum est, Ismael cum matre è domo Abrahæ in desertum ablegatus fuerit, aut tandem ueniat dies ille omnibus quidem impijs horrendus, nobis autem, qui in uerum CHRISTVM credimus, exoptatissimus, quo maiestas Christi ita illustrabitur, ut iam nemo impietatem suam uerbis defendere & colorare queat, sed factis dependere cogatur. Quare, si uos Prælati, quorum nomine Asotus dicit se hanc de nostrorum meritorum fiducia Confessionem intrepidè recitare, approbatis eam uestra assensione, & cogitatis eam, quoquo modo potestis, tueri, nihil iam aliud reliquum est, nisi quòd quicquid uel pactorum ineatur, uel Conciliorum, aut Colloquiorum instituatur, impleturi sitis Patrum uestrorum mensuram. Et si uobis diuina clementia adempta fuerit facultas, nunquàm tamen uobis deerit uoluntas.

Quòd si autem Asotus scripsit hæc priuata sua temeritate, ac nullo uestro uel mandato uel assensu, ut equidem libenter credo, & spero bonam uestram partem, non eò processisse, ut cogitetis fiducia uestrarum uirtutum, & non potius Solis meritis DOMINI nostri Iesu Christi, ad tribunal Dei, & ad thronum maiestatis eius accedere, ac non magis cum Dauide orare, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, quàm cum Asoto impudenter dicere, Iudica me Domine secundum merita operum meorum, quibus ego intrepidè confido: Si hæc, inquam, scripsit Asotus suo priuato arbitrio, certè compescenda erit fraterculi impudentia, & frenum temeritati eius iniiciendum, quòd quæ sua ipsius ac suorum fraterculorum & omnium aliorum hypocritarum impietas est propria, eã Catholicæ Ecclesiæ tam inuerecundè adscribere audeat. Ego quidem, in hoc meo scripto non sum mihi conscius alicuius falsæ opinionis, nec dubito, quin eam doctrinam sequar, quæ est consentanea Propheticæ & Apostolicæ scripturæ, & eam impietatem refutem, quam Ecclesia uerè Catholica detestatur: Ne autem Asotus prætexat meum exemplum suo peccato, testatum hîc apud omnes relinquo, me hæc nullo, neque Illustrissimi Principis ac Domini, D. Christophori ducis Vuirtenbergensis &c. domini mei clementissimi, cuius Confessionem defendendam suscepi, neque meorum collegarum, neque cuiusuis alterius hominis, sed meo solius periculo scribere. Nam quòd scribam, uisus mihi sum, optima officij mei ratione excitatus. De qua re in præsentia plura non dicam. Asotus uiderit, quo consilio, & quo euentu id uniuersæ Catholicæ Ecclesiæ, & Ecclesiasticis Prælatis tribuat, quod est proprium Fraterculorum, Sophistarum & omnium hypocritarum. In lege Mosi, qui falso infamasset uirginem, quòd cùm ipsi in uxorem esset tradita, non inuenisset eam uirginẽ, uerberatur, & præterea aliquot argenti Siclis condemnatur. Asotus autem Ecclesiam Christi, quæ est castissima uirgo, tot stupris infamat, quot operum meritis eam in conspectu Dei confidere affirmat. Quanto igitur ipse supplicio dignus est? In libro Iudicum instituit Gideon Ephod, ex aureis torquibus architectatum, & cùm in eo fornicaretur omnis Israel, factum est (inquit Scriptura) Gideoni & omni domui eius in ruinam. Quanta ergo ruina manet Asotum & sodalicium eius, quòd non solum ipse fornicatur cùm operibus suis, in quorum meritis fiduciam salutis suæ collocat, uerùmetiam, nisi alij hoc impudicitiæ exemplum probent & sectentur, dignos iudicat, qui ferro & igni exterminentur? Non optârim (Deus

nouit) uel leuem afflictiunculam Asoto: optârim potius, ut ueram agat pœnitentiam, & omnes afflictiones effugiat. Hoc autem non est ferendum, quòd in Catholicam Ecclesiam congerat ueterem & naturalem omnium hominum, qui non sunt in Christo renati, idolomaniam, nisi fortè de sua tantùm Ecclesia loquatur, quæ iam olim huic furori ita assueta & inflammata est, ut teneri non possit, quin ardore eius absumatur. Sed tempus est, ut & alia, quæ sequuntur, capita Confessionis perstringamus.

De Lege.

AIVNT alicubi portorium ad pontem fluuij institutum fuisse, ut qui illac transiret, tot numos daret, quot uicijs corpore inquinatus esset. Venit quispiam maculis scabiei in facie notatus. Exigitur ab eo numus, sed cùm recusat dare, portitor detrahit ei pileum. Ibi cùm in capite appareret alopecia, Ergo numerabis nũc, inquit portitor, duos. Iterum repugnat uiator, & eò tandẽ iurgiorum procedunt, ut congrediantur & luctentur. In qua luctatione uiator deprehenditur hernioſus. Itaq; qui initio unum recusabat numum, necesse habuit tres numerare. Quam nobis, inquies, fabulam, in re tam seria narras? Nihil est periculi, amicissime mi Lector, si modò libeat Asoto, & Pontificibus eius, huic rei opem ferre. Nam si possunt putrescibile lignum consecrare & benedicere, ut fiat Redemptio animarum, ac tutela contra sæua iacula inimicorum, quemadmodum suprà ostendimus, certè non minus poterunt mendacium consecrare, ut fiat ueritas. Et si licet ipsis, cùm libet, è sacra Scriptura facere fabulas Aesopi, quomodo non econtra liceret eis è fabulis Aesopi facere sacram Scripturam? Sed ad rem. Quod in fabula recitauimus, hoc planè accidit Asoto. Paulò antè, in loco Iustificationis non uoluit fateri uicium impietatis suæ, qua dicitur, Meritis uirtutum nostrarum esse coram iudicio Dei confidendum, sed potius suscepit ostentandum & defendendum. Nunc autem dum pergit repugnare & luctari, apparet aliud eius uicium, quòd affirmet, Legem Dei non exigere à nobis in hac uita eam perfectionem, quam simpliciter præcipit. Ac tolerabile quidem esset, si uno tantum & altero uicio laboraret. Nunc autem hoc abominandum est, quòd in toto ferè corpore non sit mica sanitatis. Nam, quòd Maiores eius hactenus dixerunt, Legem Dei, sicut recitatum aliâs, tum etiam apud Matthæum capite quinto, sexto & septimo, esse nimis oneratiuam, ideoq; distinxerunt eam in præcepta & consilia, hoc Asotus, nouo quidem colore, sed ueteri impietate dicit, Legem Dei aliud exigere pro statu huius uitæ, aliud simpliciter.

Cùm enim Confessio Principis recenset ueram rationem diuinæ Legis, quòd exigat à nobis tam sancta, tam perfecta opera, ut si ipsa præstaremus tanta perfectione & integritate, quantam Lex Dei requirit, reputaremur propter ea coram Deo iusti, & consequeremur meritis eorum salutem, hîc Asotus addit hanc, si Deo placet, interpretationem. Ea (inquiens) perfectione, quam Lex exigit pro statu huius uitæ, & non solum, quam simpliciter exigit. Itaque perspicuè significat, se sentire, quòd Lex Dei non exigat in hac uita, eam perfectionem, quæ in beatis futura est in cœlesti regno, ut quod Lex dicit, Deum esse diligendum ex toto corde, &

de, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & apud Matthæum, ne quidem fratri iraſcendum, nec concupiſcendam alienam uxorem, nec reſiſtendum malo, ſed obuertendam percuſſori alteram maxillam, ac inimico quoque benefaciendum, & id genus reliqua, pertineat non ad hoc præſens, ſed ad futurum ſeculum. In hoc enim præſenti ſeculo parùm referat, etiamſi non benè credas in Deum, & ſis corde inuido ac uirulento in proximum, & habeas animum cogitationibus fœdiſsimarum ſordium inflammatum, modò non conſentias, & geſtes cucullam, ac dicas Horas beatæ Mariæ uirginis. Hoc fundamento poſito extruit deinceps Aſotus reliquum ædificium, uidelicet, hominem adiutum gratia diuina, (quæ tamen appendix qualis ſit, poſtea explicabitur) non ſolum poſſe Legem DEI in hac uita implere, uerum etiam opera ſupererogare, & pluſquàm præceptum ſit præſtare. Hæc eſt magna Fraterculorum cæcitas & impietas. Et quanquàm iam antea ſcriptis noſtrorum ſit perſpicuè & ſufficienter refutata, tamen recitabimus & nos quædam, ut Aſotícæ ſordes, à Confeſsione Principis abluantur, & ipſa priſtino ſuo nitori reſtituatur.

Deteſtandum enim & ſeueriter damnandum eſt, quòd Aſotus ſententiam Legis ita diſtinguat, ut doceat aliam dictam & datam pro ſtatu huius uitæ, aliam pro ſtatu futuræ uitæ. Non enim obſcurum eſt, quòd ea ſit ſimpliciter ſententia diuinæ Legis, ſeu Decalogi, (Epitomes uidelicet Legis) quæ & à Moſe ac Prophetis traditur, & quæ à Chriſto & Apoſtolis eius explicatur, nimirum, quòd non exigat tantum externa opera, & uulgares affectus cordis, ſed exigat perfectiſsimam in toto homine, & in uniuerſis uiribus eius, ſanctitatem, quemadmodum aliâs dictum eſt. Quid enim maius, quid perfectius præcipi poteſt, quàm quòd in his duobus mandatis, ſi modò rectè iuxta ſententiam Spiritus ſancti explicueris, continetur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum? Si autem legis impletio, non exigitur ab hominibus in hac uita, iuxta eam ſententiam, quæ eſt ſimpliciter legis ſententia, uide mihi, quæſo, quanta contumelia afficias legis autorem, Dominum Deum noſtrum? Primùm enim, ſi Deus non ſeriò exigit legis ſuæ impletionem ab hominibus in hac terra, iuxta ſimplicem, ueram, rectam, ſpiritualem, & æternam eius ſententiam, quid eſt, quòd ferat & promulget eam tot horrendis tonitruis, tam micantibus fulguribus, tantaq; maieſtate, ut auditores Iſraelitæ ad uocem eius non aliter contremuerint, quàm ſi gladius ceruici eorum immineret? Cur moriemur, inquiunt, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si audierimus ultrà uocem Domini Dei noſtri, moriemur. Næ tu ridiculum mihi legislatorem facis, qui ſic grauiter cum auditoribus ſuis tumultuetur, & tamen ueram & ex omni parte perfectam legis ſuæ impletionem, in hac uita non requirat ſeriò. Metitur fortaſsis Aſotus Dominum Deum noſtrum, è quorundam ingenio, qui cum fraterculis ſuis prohibeant ſcortationem, ſubintelligunt, ſi non caſtè. Nam quid addi ſoleat, non puto Aſoticis eſſe ignotum. Hic eſt honor quo hypocritæ diuinam Maieſtatem afficiunt.

Deinde Paulus de Lege dicit: Per legem agnitio peccati, Per legem peccatum fit maiorem in modum peccans, Lex iram efficit, & Lex occidit. Si autem non exigit in hac uita tantam perfectionem, quantam pij habebunt in regno cœleſti, quomodo duceret in agnitionẽ peccati? quomodo faceret peccatum peccantius? quomodo efficeret iram? quomodo

perterrefaceret conſcientiam, quomodo hominem æternis maledictionibus obnoxium redderet? quomodo occideret? Nam ſi in hac uita & in hac carne, nihil maius, nihilq; perfectius per legẽ requiritur, quàm quod in ea, accedente & adiuuante ordinaria Dei gratia, præſtari poteſt, nec quicquam amplius Deo ex lege eius debetur, certè per legem non eſt agnitio peccati, ſed agnitio iuſticiæ: & Lex non efficit iram, ſed tranquillitatem, nec perterrefacit, ſed conſolatur, nec occidit, ſed uiuificat. Neceſſe igitur eſt, ut Paulus concionem ſuam, quam de lege habuit, recantet, & non dicat: Peccatum occaſione accepta per præceptum, genuit in me omnem concupiſcentiam, ſed dicat, Peccatum, occaſione accepta per præceptum, genuit in me omnẽ iuſticiam. Ibi enim non loquitur Paulus de ſe adhuc impio, ſed iam pio, & à gratia Dei adiuto. Quòd ſi Deus nõ exigit ſeriò impletionẽ ſuæ legis, in hac carne, ſecundum eam ſententiam, quam lex ſimpliciter habet, quid, obſecro, eſt, quòd Moſes tanta ſeueritate exigit obſeruationem eius, ut dicat, ſicut Paulus recitat, Maledictus Omnis, qui non manſerit in OMNIBVS, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius, ut faciat ea? Nam inter ea, quæ ſcripta ſunt, etiam hoc cõtinetur: Diliges Dominũ Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Et: Nõ oderis fratrẽ tuum in corde tuo. Quid, quòd Chriſtus ipſe, cùm apud Matthæum exponeret aliquot præcepta Legis, iuxta ſimplicem & ueram eorum ſententiam, addit: Quiſquis dixerit, Fatue, obnoxius erit gehennę incendio. Et: Omnis, qui audit à me ſermones hos, & non facit eos, aſſimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domũ ſuam ſuper arenam? Si lex nõ ſeriò requirit perfectam & nulla ex parte uitioſam ſui impletionem, cur ædificat domũ ſuam ſuper arenam, & obnoxius eſt gehennæ incendio, qui eam non præſtat? Tanta eſt ſeueritas diuinę legis, quæ eſt æterna Dei uoluntas, & tanta eſt corruptio humanæ naturæ, ut niſi Sanguis unigeniti filij Dei interceſsiſſet, nulla unquàm potuiſſet, iuxta propoſitum Dei, reconciliatio inter Deum & humanũ genus fieri. Et hypocrita audet legem Dei tantæ leuitatis infamare, ut dicat eam non exigere perfectionem illam, quæ ſimplici eius ſententia cõtinetur. Itaq; non eſt tantum in legem Dei, uerumetiam in ſanguinem Chriſti cõtumelioſus. Et quid? Exiſtimat ne hypocrita Dominum Deum noſtrum tuliſſe legem ſuam, nõ tantum pro hominibus in hoc ſeculo, ſed etiam pro beatis in futuro & cœleſti regno? Atqui Paulus dicit: Iuſto Lex non eſt poſita, ſed iniuſtis & inobſequentibus. Cùm igitur beati in cœleſti regno non ſint amplius iniuſti & inobſequentes, non eſt data Lex, quæ ipſis, ſed quæ nobis in hac carne uiuentibus, quid faciendum aut omittendum ſit præſcribat. Et Auguſtinus, cùm alicubi dixiſſet, carnem ſubijci nobis in Reſurrectione, & nos nulla aduerſitate quati, quo minus Legem & præcepta diuina ſeruemus, poſtea hæc uerba diligentius expendens, interpretatur ea paulò clarius, ne quis ſentiat, Legem Dei hominibus in hac terra promulgatam, etiam poſt reſurrectionem docendam. Non eſt ita (inquiens) accipiendum, tanquàm & in illo Dei regno, ubi incorruptibile & immortale corpus habebimus, de Scripturis diuinis Lex & præcepta ſumenda ſint, ſed quia perfectiſsimè ibi lex æterna ſeruabitur, & illa duo præcepta de diligendo Deo & proximo, non in LECTIONE, ſed in ipſa perfecta & ſempiterna DILECTIONE tenebimus. Hactenus Auguſtinus. Quæ eſt igitur ſimplex, uera, ſpiritualis & æterna ſententia legis, ea & ſi in hac uita, propter imbecillitatem carnis, perfectè impleri non poteſt, tamen tanta

ſeueritate

ſeueritate ab omnibus hominibus obſeruanda & implenda exigitur, ut niſi cuſtodierint, æternis maledictionibus obnoxij fiant, in quibus etiam perpetuò pereundum eſt, niſi ſi quis ad Chriſtum conuertatur, & in ipſo benedictionem per fidem conſequatur.

Sed ut fœcundus eſt error, & alter alterum parere ſolet, ita poſtquàm Aſotus fecit ex Deo ridiculum legislatorem, qui tulerit legem, cuius exactam obſeruationem & impletionem non requirat ſeriò in hac uita, texit nunc ex hoc uno alios duos horribiles errores. Alter eſt. Lex, inquiens, per gratiam Dei, quam per Chriſtum habemus, impletur ea integritate, quam exigit ab hominibus in hac uita. Et mox: Lex impletur per gratiam, quantum pro huius uitæ modulo à Deo exigitur. Alter eſt. Habet, inquit, uera fides iuxta Propheticam & Apoſtolicam doctrinam quædam iubere uel prohibere, præceptis, quibus non obedire, peccatum eſt: quædam uerò proponere ſub conſilio, cui non parere nullum peccatum eſt, ſed minus bonum, Obedientia uerò illorum gratior, per quam uidelicet SVPEREROGAMVS nonnihil his, ad quæ ex neceſsitate tenemur. Habes uerba Aſoti, quorum quædam mutuatus eſt ex Auguſtino: ſed quæ Auguſtinus tolerabiliter dixit, ea Aſotus impijs appendicibus & ſententijs deprauat. Ac uidetur quidem in priori illo de Implectione Legis nonnihil dicere, cùm adiungit, impleri eam per gratiam Dei. Fatemur enim & nos, quòd Lex impleatur per Dei gratiam, quam habemus per Chriſtum: ſed quod nos uera & pia, hoc Aſotus falſa & impia ſententia affirmat. Lex enim Dei exigit ab homine tantam perfectionem, quantam nullus unquàm in hac uita præſtitit, aut præſtare poteſt, quemadmodum ſuprà explicatum eſt. Et tamen, niſi quis eam in hac uita omni perfectione impleuerit, non habebit partem cœleſtis regni. Maledictus (inquit) omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Quomodo igitur conſulitur noſtræ ſalutí? Hìc proponitur nobis ex gratia, ſeu clementia Dei, Chriſtus Dominus noſter, qui Legem perfectiſsimè, faciendo & patiendo, abſque ullo uitio, ita impleuit, ut cùm ueniſſet princeps huius mundi, non haberet in ipſo quicquam, quod coram Deo accuſaret. Deus ergo obedientia Chriſti filij ſui ita delectatur, ut omnibus, qui fiduciam ueræ & æternæ ſalutis ſuæ in ipſo collocant, non ſolum condonet peccata ſua, uerumetiam imputet eis obedientiam, qua Chriſtus legem impleuit, ut ea coram tribunali Dei perinde confidant, ac ſi ipſi Legem ſuis ipſorum factis præſtitiſſent. Sic enim Paulus ſcribit: Quemadmodum, inquiens, per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti fuimus multi, ita per Obedientiam unius, iuſti conſtituentur multi. Et iterum: Deus proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri poteſt, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Inter hæc autem Omnia, quæ Deus nobis cum Chriſto filio ſuo donat, præcipuum locum obtinet Obedientia eius, qua Legem impleuit. Cùm igitur hanc donatam Obedientiam & Iuſtitiam in Chriſto habemus, manifeſtum eſt, quòd habeamus etiam in Chriſto donatam nobis ueram & perfectam Legis implectionem. Qui autem hoc dono diuinitùs ornatur, is etiam donatur & ornatur Spiritu ſancto, ut deinceps ducat uitam non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum, & ambulet in uocatione Dei obedienter, non quòd ea opera, quæ ex hac fide facimus, ſint perfecta Legis impletio: Caro enim in hac uita, nunquàm nõ concupiſcit aduerſus Spiritum, nec ſub-

ditur legi Dei: Itaque non sinit opera nostra, quamuis à Spiritu sancto excitata, perfecta esse, & absoluta, Sed quòd Spiritus fidei teneri non possit, quin declaret, quoquo modo in hac carne fieri potest, suam præsentiam & ueritatem. Quare, cùm dicimus, Nos implere legem Dei per gratiam quam habemus per CHRISTVM, intelligimus iuxta Apostolicam doctrinã, quòd Deus complectatur nos sua gratia & fauore propter Christum, in quem credimus, & imputet nobis impletionem Legis, quam Christus perfectè præstitit, ut cùm accusamur uiolatæ legis coram tribunali Dei, possimus opponere eam legis impletionem, quam filius Dei præstitit. Sic enim dicit Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Iustum. Et Paulus: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui Iustificat, (hoc est) remittit & condonat iniustitiã. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexterã Dei, qui & intercedit pro nobis. Hæc est uera & pia sententia de nostra legis impletione, quemadmodum aliâs copiosè demonstratur.

Asotus autem, cùm dicit, Homines implere legem per gratiam Dei, ea integritate, quam exigit ab ipsis in hac uita, Primùm si utitur, ut sunt haud obscura argumenta, nomine gratiæ iuxta morem Fraterculorum, intelligit per eam, non fauorem illum, & gratuitam clementiam, quæ est in Deo erga homines propter Christum, sed intelligit Tres, quas uocant, Theologicas uirtutes, Fidem, Spem & Charitatem, quæ nobis à DEO dantur, & sunt in nobis. Etsi autem nomen gratiæ usurpatur alicubi, pro donis, quæ diuinitùs in nos conferuntur, tamen cùm dicitur legem impleri per gratiam Dei, non potest hæc gratiæ significatio huc congruere, propterea quòd lex Dei non impleatur nostris uirtutibus, sed impletio eius, quæ per Christum facta est, imputatur nobis tantum per fidem, ex gratuita Dei clementia, propter Christum, sicut antea copiosè explicatum est. Deinde sentit, quòd Lex Dei exigat ab hominibus in hac uita tam leuia, tam possibilia, tam facilia, ut si quis donatus fuerit, pro huius carnis conditione, tribus illis Theologicis uirtutibus, possit non tantum Legem implere, sed etiam plura, maiora ac Deo gratiora facere, quàm lex ab homine in hac uita exigat. Hæc est extrema cæcitas, & detestanda impietas. Etsi enim facilè concessero, si de absoluta Dei omnipotentia sermo est, Deum posse hominem uirtutibus ita renouare, ut nihil amplius sit in eo carnalis uicij, tamen huius potentiæ exemplum nullum prorsus in uniuerso humano genere, quod secundum seminalem, ut ueteres loquuti sunt, rationem ab Adamo propagatum est, extat, & nobis intuendum est in ordinariam eius potentiam, qua intelligimus, quid Deus facere & uelit & soleat. Itaque si de hac ordinaria Dei potentia sermo fuerit, fieri non potest, ut homo, quamuis Spiritu sancto, & ut fraterculorum uerbis utar, Theologicis uirtutibus donatus, impleat operibus suis Legem Dei absque omni uicio, tantum abest, ut queat plura, maiora & gratiora Deo præstare, quàm lege Dei in hac uita sint præcepta. Nam si hoc uerum esset, cur, obsecro, Dauid exclamaret: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens? Cur Ioannes scriberet: Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis? Et quid singulis momentis orandum esset, Remitte nobis debita nostra? Vbi petitur remissio debitorũ, quomodo ibi potest esse impletio Legis? quomodo supererogatio?

Augusti-

Augustinus alicubi ait: Multum nobis in hac carne tribueremus, nisi usq; ad eius depositionem sub uenia uiueremus. Qui necesse habent sub uenia usque ad mortē uiuere, quomodo plus satisfacerent legi, quàm deberent? Et iterū: Nunc satis, inquit, benè uiuitur, sine crimine. Sine peccato autem qui se uiuere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut ueniam non accipiat. Affirmare autem se legem Dei ita implere, ut non solum faciat, quæ Lex ab ipso requirit, uerumetiam plura & maiora faciat, an non hoc est palàm gloriari, se sine peccato uiuere? Reliquum igitur est, quòd fraterculi, qui iactant se legi Dei intantū satisfacere, ut etiam meliora supererogent, non id agant (iuxta sententiam Augustini) ut peccatum non habeant, sed ut ueniam non accipiant, quo nihil horribilius, nihil pernicioſius, nihil damnabilius fieri potest.

Sed quia hæc Asotica impietas sæpè iam ac multum refutata est, accedamus nunc ad eluendas sordes, quibus Asotus commaculat testimonia sacræ Scripturæ, quæ Confessio Principis in hoc loco adducit, ut deinceps & ea, quæ Asotus in sua, si Deo placet, Confessione citat, à deprauationibus uindicemus.

Rom. tertio: Per Legem agnitio peccati. Hic addit fraterculus: Sed per gratiam impletio. Rectè, non autem eo modo, quo Asotus & sodalicium eius intelligunt Gratiam, & Impletionem, sed quo paulò antè clarè & perspicuè demonstratum est. De Augustino & Paulo in suis locis dicemus. Nam quòd ait, Paulum non dicere, Per legem sola cognitio peccati, quid hoc ad institutum? Certè Paulus ea uerba simpliciter scribit, quę Confessio Principis recitat. Nec ignoramus alium quoque usum esse diuini Legis. Si autem de præcipuo & spirituali usu Legis in homine peccatore dicendum est, quemadmodum in hoc præsenti instituto usurpatur, certè non est alius usus Legis, quàm ut ducat nos in agnitionem peccati, & occidat: quo etiam manifestè probatur Asotica impietas, qua affirmatur, Legem Dei non exigere plura uel maiora ab hominibus in hac uita, quàm quæ uirtutibus suis præstare possunt: & mandata Prælatorum posse præstantiora seu gratiora opera præcipere, quàm lex diuina præcipit, hoc est, Prælatos esse Deo ipso sapientiores.

Rom. 7. Lex spiritualis est, Ego autem carnalis sum. Sed mox, (inquit Asotus,) ibidem inquiens, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? respondet, Gratia Dei per Iesum Christum. Etsi nō nego, quin Paulus sentiat se gratia Dei liberari à corpore mortis huius, tamen uerus textus Pauli non sic habet, quemadmodum Asotus recitat. Sed hæc est uera eius lectio: Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Deinde Paulus in hac uita non sic liberatur à peccato per gratiam, ut Legi Dei perfectè satisfaciat, & nullum amplius uicium habeat, sed ut condonetur quidem peccatum, & ipse Spiritu sancto excitetur ad obedientiam, retineat autem peccatum in carne usque ad mortem. Vnde & mox addit ea uerba, quæ Asotus omisit, quia uidebantur à sententia eius dissentire. Itaque idem ego, (inquit Paulus) mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Quid potest aduersus fraterculorum impietatem clarius dici?

Paulus etsi seruit mente Legi Dei, hoc est, agnoscit legem Dei, sanctam, & delectatur ea, (sicut paulò antè expositum est) ac renatus per Spiritum sanctum ambulat etiam aliquo modo in uocatione eius, tamen ille idem Paulus, carne seruit legi peccati. Quomodo autem, qui uel aliqua

ex parte seruit Legi peccati, non solum impleret Legem Dei perfectè, uerumetiam maiora & præstantiora faceret, quàm quæ lex Dei exigit.

Ro. 8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deũ. Nã legi Dei nõ subdit, siquidẽ ne potest quidẽ. Hic iterũ addit Asotus, Sed statim, inquiens, ibi dicitur, Vos autẽ in carne nõ estis, sed in spiritu, si tamẽ spiritus Dei habitat in uobis. Quid ergo? Nũ quia in Paulo sequitur: Vos autẽ nõ estis in carne, sed in Spiritu, priora illa uerba Pauli uana sunt & falsa? Certè utrũq; uerissimè dicit, & Romanos, ad quos scribit Paulus, nõ esse in carne, quia renati erant in Christo, & affectum carnis esse inimicitiam aduersus Deũ, ac legi Dei ne posse quidem subdi. Aliud enim apud Paulum est, Esse in carne, aliud habere carnem. Omnes Sancti in hac uita habent adhuc carnem, non solum iuxta corpoream substantiam, uerumetiam iuxta corruptionem naturæ. In renascentia enim caro Sanctorum non mutatur in Spiritum, sed sicut Sancti retinent substantiam carnalẽ, ita retinent etiam, quamdiu in hac terra uitam agunt, corruptionem carnalem. Si enim non retinerent carnem, seu corruptionẽ carnis, quomodo Paulus diceret: Video aliam Legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis? Et iterum: Caro concupiscit aduersus spiritum, Spiritus autem aduersus carnẽ. Hæc inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Et ex hac pugna intelligimus affectum carnis, qui adhuc reliquus est in omnibus Sanctis in hac uita, esse inimicitiam aduersus Deum, ac nec posse quidem legi Dei subijci, donec prorsus in morte aboleatur, ac resurgat noua & spiritualis caro, sicut Paulus ad Corinthios docet. In carne autem esse, est Spiritum sanctum repellere, & affectui carnis obsequi. Dauid cùm uideret è solario domus suæ Batsabeam Vrię uxorem, ac non solum sollicitaretur ad adulterium, uerumetiam reijceret Spiritum sanctum alioquin uocantem, & obsequeretur affectui carnis, profectò, etiamsi nondum contaminauerat alienam uxorem, nec procurauerat cædem mariti eius, tamen fuit tantisper in carne, dum admonitus à Propheta resipiscceret, ac iterum affectui spiritus obsequeretur. Cùm uerò apprehenderet oram chlamydis Saulis, & sollicitaretur ad uindictam, & ad inferendam mortem Sauli, habuit & sensit manifestè affectum carnis, sed quia resistebat huic affectui, Spiritu, & compescebat motum carnis, non erat in carne. Petrus, cùm in atrio Pontificis tanto metu contremiscceret, ut affectui carnis morem gereret, & Christum negaret, erat in carne, donec agnito peccato, ad Christum conuerteretur. Cùm uerò audiret uarias sententias hominum de Christo, & uideret in eo humiliorem & abiectiorem speciem, quàm quæ responderet tantis Prophetarum promissis de Messia, haud dubiè sollicitatus fuit à carne, ut cogitaret hunc nõ esse uerum Messiam, sed quia restitit affectui carnis, & obsecutus est affectui spiritus, erumpens in hanc insignem confessionem, Tu es Christus filius Dei uiui, non erat in carne, sed in spiritu. Et tamen uterq; tam Dauid quàm Petrus, tunc, cùm non essent in carne, habebant adhuc carnem, non solum corporea substantia, uerumetiam naturali corruptione, propter quam ille exclamabat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et propter hac impietate orabit ad te omnis sanctus. De hoc autem dicitur: Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo non uis. Erat enim Petrus propter confessionem Christi crucifigendus. Cùm ergo dicitur, quòd ducendus sit, quo non uelit, significatur, obediuisse quidem

eum

cum uocationi Dei in subeunda cruce, habuisse autem affectum carnis huic uocationi inimicum. Quare, etsi Paulus dicit Renatos non esse in carne, tamen cùm affirmat se facere, quod non uelit, & uidere aliam legem in membris suis, rebellantem legi mentis suæ, & captiuum ducentem se legi peccati, affirmat etiam renatos habere adhuc carnem, præ qua non impleant legem Domini perfectè, tantum abest, ut excellentiora faciant opera, quàm lex Domin exigit.

Galat. 3. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus &c. Hic iterum addit Asotus: At ibi statim, (inquiens) Christus uos redemit de maledicto legis. Et rursum: Iam non sumus sub pędagogo, Omnes enim filij Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Miror, quomodo Asotus potuerit animo suo imperare, ut hæc Pauli uerba recitaret. Non enim dubito, quin sint sudes in oculis omnium hypocritarum, Nec possunt hypocritę splendorem eorum rectis oculis ferre, nisi ea uanissimis suis somnijs commaculent.

Quid ergo est, quòd Paulus, præter illa uerba, quæ Confessio Principis recitat, addit & ea, quæ Asotus adducit? Num quia Christus redemit nos de maledictione legis, idcircò homines possunt legi Dei non solum perfectè satisfacere, uerumetiam nonnihil supererogare, & gratiora facere opera, quàm lex in hac uita exigit? Hoc enim in præsentia agitur. Sed hoc ipso Asotus haud obscurè significat, quàm in Paulo planè sit ὄνος πρὸς λύραν. Prorsus enim contrarium ex Paulo sequitur. Si enim necesse est ut Christus redimat nos de maledictione legis, perspicuum erit, quòd nos intantum non possimus aliquid supererogare legi, ut nè satisfacere quidem ei queamus. Etsi autem hoc scriptum Pauli, tanta luce per nostros illustratum est, ut si Asotici dedignantur ea legere, cæcitate sua dignissimi sint, tamen quia hæc scribo, non Asoto, sed sanabilibus, non pigebit pauca quædam, (Nam copiosior explicatio ex alijs nostrorum scriptis petenda erit,) de uera sententia eius loci apud Paulum, commemorare. Paulus enim probaturus quòd cõsequamur benedictionem Abrahæ promissam, hoc est, Remissionem peccatorũ, adoptionem in filios Dei, & regnũ cœleste, nõ propter opera legis seu propter merita bonorum operum, sic argumentatur: Quicunque sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Sententia autem huius argumenti hæc est.

Omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege, maledictus est.

Sed omnis qui est ex operibus legis seu facit opera legis, non permanet in omnibus quæ scripta sunt in lege. Faciendo enim legem, non facit legem, quia non implet eam perfectè.

Omnis igitur qui est ex operibus legis, seu facit opera legis, maledictus est.

Nihil hic est ambigui. Propositio est Mosi in Deuter. cap. 27. Assumptionem autem, & si Paulus in Galatis non ponit, probat tamen eam copiosè in Epistola ad Rom. cap. 1. 2. 3. & 7. Reliquum igitur est, quòd qui facit opera legis, nõ solum non consequatur benedictionẽ, uerumetiam sit obnoxius maledictioni. Intelligimus autem per opera legis, non cærimonialia tantum, sicut suprà exposuimus, sed maximè omnium moralia, ut quo plura & maiora facias opera moralia, eo magis obnoxius sis male-

dictioni. Quomodo igitur consequeris per ea benedictionem? Hîc nunc uociferabitur Asoticus quispiam: Quid magis absurdi dici potest? An nō hoc est bona opera, quæ lex præcepit, damnare, & homines ab obedientia diuinæ legis deterrere? Sed his uociferationibus hypocritarum iam assueti sumus, & calumniæ eorum non sunt nobis ignotæ: Quicquid enim dicant, certè Paulus manifestè dicit: Quicunque sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt. Hîc autem Paulus non agit de bonis operibus inter nos in hac uita faciendis: Certissimum enim est, quòd debeamus & necesse habeamus in hac uita bona opera, quæ Deus præcepit, facere, sed loquitur de bonis operibus coram Deo in conscientia faciendis, hoc est, Iudicio Dei opponendis. Nulla enim bona opera, etiam sanctissimorum hominum, tam perfecta, tam consummata, tam absolutæ pietatis sunt, ut possint seuero Dei iudicio opponi, & coram tribunali eius constare. Quicquid enim boni fecerint Sancti, Lex Dei semper inuenit in eo, quod accuset, & maledicat. Hîc ergo accedit Christus, & redimit Sanctos à legis accusatione & maledictione. Sed quomodo? Num eo modo, quem Fraterculi intelligunt, uidelicet, quòd Christus infundat hominibus quasdam uirtutes in hac uita, quibus diuinæ legi ita satisfaciunt, ut etiam multa supererogent? Sed hanc esse impiam sententiam, abundè demonstratum est. Quomodo ergo redimit nos Christus ab accusatione & maledictione legis? Sic certè nos redimit, quemadmodum in Paulo sequitur. Christus, (inquit) redemit nos à maledictione, dū factus est pro nobis Maledictio. Habes ex Paulo ipso, quomodo redimamur à Legis maledictione, uidelicet, non infusione uirtutū in nos, sed assumptione maledictionis in Christum: Redemit, inquit, nos à maledictione, dum ipse factus est pro nobis maledictio. Assumpsit enim horrores inferni, assumpsit crucem, assumpsit mortem, quæ sunt Maledictio Legis, & his, cùm ipse esset innocens, peccata nostra coram Deo ita expiauit, ut cùm deinceps Lex accusat & maledicit Sanctos, quòd non satisfaciant legi, quòd non habeant opera perfectè bona, Christus, in quem credunt, absoluat eos ab hac accusatione & maledictione, & habeant in ipso & propter ipsum benedictionem, hoc est, remissionem peccatorum, Iusticiam, & uitam æternam. Quare sicut Confessio Principis allegauit ad suum institutū, testimonium Pauli conuenientissimè, ita quod Asotus ex Paulo adiungit, manifestè damnat hypocritarum impietatem, qua meritis suorum operum in iudicio Dei sibi confidendum esse somniant, tantum abest, ut Asoticæ uertigini patrocinetur.

Iam nec hoc, quod postea Paulus dicit: Non amplius sub Pædagogo sumus. Omnes enim filij Dei estis &c. quicquam opis Asoto ad confirmandam Pharisaicam suam sententiam afferre potest, sed potius magnoperè cum ea pugnat. Quid enim? Num quia sumus filij Dei, apparet nunc in hac uita, quod sumus? Certè, si homo in Christo renatus Legem in hac uita ita impleret, ut posset legi aliquid supererogare, iam non solum appareret reipsa esse filius Dei, uerumetiam conditio eius longè melior esset in hac, quàm in futura uita, propterea quòd illic nullus sit supererogationi locus. Sed Paulus rectè muniuit uerba sua aduersus omnē hypocriticam impietatem. Cùm enim dixisset: Omnes filij Dei estis, addit, PER FIDEM, quæ est in Christo Iesu. Vocat Galatas filios Dei, Sed per fidem, eamq; quæ habetur in Christum Iesum. Vbi autem est Fides in Christū, ibi non creditur, quòd nostræ uirtutes sint tanti coram Deo momenti, ut impleant

impleant Legem Dei, & mereantur æternam benedictionem, sed creditur, quòd Iustitia Christi nobis imputetur, & quòd ea sola in conspectu Dei sit confidendum, ut in hac uita Iusti simus, non iustitia, quæ in nobis est, sed quæ est in Christo Domino nostro. Vnde & postea dicit Paulus, Nos Spiritu ex fide, Spem iustitiæ expectamus. Non ait, quòd nunc in hac uita habeamus perfectam Iustitiam, in nostris uidelicet operibus, sed quòd speremus & expectemus eam ex fide. Quod autem speratur, nondum reipsa habetur. Et Ioannes: Nunc, inquit, filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus. Scimus autē, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Quare nisi Asotus sentiat, homines eo quòd sint filij Dei per fidem, tam perfectè in hac uita propter uirtutes ipsorum Iustos esse, ut prorsus nullum uitium ipsis inhæreat, non uideo, cur uoluerit hæc Pauli uerba Instituto Confessionis Principis opponere, nisi fortè libeat ei arma nobis porrigere, quibus eum deijciamus.

Augustini testimonium, quod Confessio Principis, ex libello, De Spiritu & litera recitauit, prorsus pugnat cum Asotica impietate, & tamen homo impudentissimæ frontis, audet adhuc, nescio quam perfectionem in hac uita somniare. Etsi autem abhorreo à tractandis illis minucijs, tamen Asoti uel eruditum iudicium, uel honestus animus, in hoc Augustini loco interpretando, non est silentio prætereundus. Augustinus manifestè hîc docet contra Asotum, quòd hæc præcepta: Diliges Deum ex toto corde, & proximum sicut teipsum, non impleantur in hac uita. Et tamen affirmat ea non esse frustrà nobis proposita, sed ut cognosceremus, quid nobis desit, & ad quæ nobis sit connitendum. Et addit. Ac per hoc, quantum mihi uidetur, in ea quæ PERFICIENDA est IVSTICIA, multùm in hac uita ille proficit, qui quàm longè sit à perfectione Iustitiæ proficiendo cognoscit. Hic Asotus arripit illa uerba Augustini, (Perficienda est Iustitia) & ait: Est ergo in hac uita aliqua Iustitia perficienda. Quod Augustinus clarè loquitur de futura uita, in qua sit iustitia perficienda, hoc Asotus detorquet aperta deprauatione, ad præsentem uitam, ut quod Augustinus adiungit, (Multum in hac uita) & coniungit cum ijs quæ sequuntur, Asotus ab ijs separare, & cum prioribus coniungere uideatur, quasi Augustinus ita scripsisset. In ea quæ perficienda est Iustitia multùm in hac uita. Et mox aliam sententiam incipiat. Ille proficit, qui quàm longè &c. Inuitus ista attingo. Nihil enim aut parum faciunt ad institutū. Ostendenda tamen erant, ut emissarij Asoti uideant, quàm eruditum & probum uirum ad oppugnandam Confessionē Principis delegerint, & nostri sciant, quid in alijs locis tractandis ab Asoto sit expectandum.

Sed ut Asotus aliquando etiam uerum dicat, addit in suis Scholijs: Non est tanta hæc perfectio, quanta patriæ. Agimus Asoto gratias, quòd dum nostra oppugnat, ea confirmet. Nam & nos idem planè sentimus, sed hoc adijcimus, quòd nihilominus illa perfectio, quæ futura est in patria, exigatur à nobis, etiam in hac uita, non quòd possimus eam hîc præstare, sed ut cognoscamus, quàm longè, (sicut Augustinus dicit,) ab ea perfectione absimus, & ut omnes sub peccatum concludantur, ac omnium os obstruatur, soliq; Domino Deo nostro gloria reddatur, ut qui gloriatur, non glorietur in suis uirtutibus, sed tantum in filio Dei Domino nostro Iesu Christo.

Quo autem longius progredimur, eo plura Sophismata Asoti deprehendimus. Augustinus de Charitate scribit, quòd in alijs sit maior, in alijs minor, in alijs nulla. In nullo autem, quamdiu homo hîc uiuit, plenissima. Hîc, cùm Asotus audit Charitatem in nobis esse, adijcit: Illa uerò est plenitudo Legis, ut Paulus inquit Rom. 13. Qua adiectione Asotus significat, nos posse Legem in hac uita implere charitate. Hoc est manifestum Sophisma. Primùm enim, &si nomine charitatis, si simpliciter enuncietur, solet intelligi charitas tam erga Deum, quàm erga proximũ, tamen Paulus eo loco non loquitur de charitate in Deum, sed de charitate erga proximum. Qui diligit, inquiens, alterum. Et: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quare nomine legis intelligit etiam eo loco, tantum legem secundæ tabulæ, quæ est de dilectione proximi, ut qui alterum diligit, impleat etiam eam legem, quæ est de alterius, nimirum proximi, dilectione. Sed qui hanc implet, nondum implet legem primæ tabulæ, quæ est de Dilectione Dei. Nondum enim statim diligit uerè Deum, qui diligit proximũ, hoc est, qui, ut Paulus recenset, nõ designat adulterium, non occidit, non furatur, non dicit falsum testimonium, non concupiscit, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, Diliges proximum &c. Deinde Paulus, cùm dicit: Charitas seu dilectio est plenitudo legis, non affirmat, quòd nos nostra dilectione impleamus hanc legem perfectè in hac uita, sed docet, quid ea lex à nobis exigat, & qua re impleatur. Nam hęc lex impletur quidem dilectione, quam exigit, sed quis est qui eam potest tanta perfectione in hac uita præstare, quanta ab ipso per legem exigitur? Vides ergo nunc præstigias Asoti. Est in nobis dilectio, Ergo implemus legem dilectionis, Siquidem plenitudo legis est dilectio. Rectè loqueretur Asotus, si prius probasset in nobis tam perfectam esse dilectionem, quantam Lex exigit. Sed hoc Augustinus ipse negat. Plenissima, inquiens, quæ iam non potest augeri, quamdiu hic homo uiuit, est in nemine. Quare in nemine quoque est uera huius legis impletio, in hac uita.

Vides autem, optime mi Lector, quòd Asotus ex hoc testimonio Augustini, luculentam & insanabilem plagam acceperit. Cùm enim Augustinus dicat: Quamdiu (charitas) augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, ex uicio est. Et statim piè ac eruditè exponit, quid ex hoc uicio consequatur, Ibi Asotus fortiter, imò impudenter dissimulans, qua de re agatur, concionatur interea nobis, quòd non excludamur à regno, si non consenserimus motibus & operibus innatæ concupiscentiæ. Sed heus tu, bone uir, non sic facilè te elabi patiemur. Primùm enim, si tibi sermo est de crassis motibus conscientiæ, & indiscriminatim de hominibus renatis & non renatis, falsum est, quòd non excludantur à regno cœlorum, qui non consentiunt motibus concupiscentię. Multi enim fuerunt honesti Ethnici, qui &si non consenserunt concupiscentiæ adulterij, aut homicidij, aut furti, sed restiterunt, nec opere designarunt, tamen excluſi sunt è regno cœlesti. Homo enim non ideo recipitur in regnum cœleste, quia non consentit concupiscentiæ peccati sui, sed quia hoc peccatum non imputatur propter Christum, per fidem. Quare qui non sunt renati in Christo per fidem, etiamsi non consentiant suæ concupiscentię, tamen necesse habent à cœlesti regno exulare. Habet & consensus ipse in Renatis multum discriminis, quòd alius sit consensus carnis, alius consensus Spiritus, sicut Paulus ad Rom. cap. 7. docet. Sed hæc uerè Apostolica

ſtolica & Theologica, ſi Aſoticis commemoraueris, perinde eſt, ac ſi ſurdis fabulam narrares.

Deinde hoc loco non agitur, quale ſit uicium corruptæ noſtræ naturæ, ex gratuita Dei clementia. Non enim ignoramus, quòd hoc uicium, ſi credimus in Chriſtum, non imputetur nobis, ſed clementer remittatur propter Chriſtum, Sed hoc agitur, quale hoc uicium ſit ſua ipſius natura, & quid in homine, etiam renato, efficiat. Hîc ergo Auguſtinus manifeſtè ſtat à noſtra parte, aduerſus omnem Aſoticam impietatem, & ſicut aliâs ex Paulo docet, quòd hoc uicium concupiſcat aduerſus Spiritum, & rebellet legi mentis, hoc eſt, quòd ſit natura ſua uerè peccatum, ita & hîc docet, quòd ex hoc uicio renati minus faciant, quàm debent, & non ſit in terra Iuſtus, qui non peccet, Nec Iuſtificetur in conſpectu Dei omnis uiuens, Quòd & propter hoc uicium, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis nõ eſt. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere, Dimitte nobis debita noſtra, cùm iam omnia in Baptiſmo dicta, facta, cogitata dimiſſa ſunt. Minus autem facere, quàm debemus, Non facere bonum, ſed peccare, In conſpectu Dei non Iuſtificari, Falli eum, qui dicit ſe non habere peccatum, & continenter orare, ut dimittantur nobis debita, an hoc eſt legem Dei, perfectè, quantum Spiritus ſanctus in hac uita exigit, implere, & legi ſupererogare, ac tam ſibi quàm alijs regnum cœlorum mereri? De his enim rebus nunc agitur, & ad hæc refutanda teſtimonium Auguſtini adductum eſt. Ac profectò Auguſtinus in hoc loco tam apertus, tam perſpicuus eſt, ut ad eum omnia alia ipſius dicta, quæ pro temporum ſuorum ratione de noſtra legis impletione, & de meritis noſtrorum operũ, uel paulò obſcurius, uel impropriè ſcripſit, meritò exigenda ſint, & per eũ interpretanda. Nec dubito, quin tam ipſe Auguſtinus quàm uera eius Eccleſia, ex hoc loco, & alijs ſimilibus erudita, abiecerit in grauibus tentationibus, & uera peccati agnitione, coram ſeuero Dei tribunali, omnem fiduciam in ſuas uirtutes, aut ſatisfactiones, & merita, & collocauerit eam Solam, in Sola Dei clementia, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Obſcurum enim non eſt, quòd Sancti ſæpè ac multùm aliter extra tentationem, & coram humano Iudicio, quàm in tentationum grauitate, & coram diuino iudicio ſentiant ac loquantur. Cuius experientiæ cùm Aſotus uideatur omninò expers, non eſt mirum, quòd tam Sophiſticè, tam Phariſaicè, tam Ethnicè, de uirtutibus & meritis earum ſcribat.

Sed cùm Aſotus aliâs ſoleat eſſe impudentiſsimus, hîc, cùm remittit nos ad Auguſtini conciliationem, de dictis Ioannis, Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. Et: Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. ſua impudentia ſe ipſe uincit. Auguſtinus enim in eo loco, qui extat lib. 2. de peccato. merit. & remiſsione cap. 7. clariſsimè approbat noſtram ſententiam, & refutat Sophiſticas impietates de perfecta legis impletione in hac uita, & de meritis noſtrarum uirtutum. Non ex qua hora (inquit) quiſque baptiſatur, omnis uetus infirmitas eius abſumitur, ſed renouatio incipit à remiſsione omnium peccatorum. Et inquantum quiſque ſpiritalia ſapit, qui iam ſapit, intantum renouatur. Cætera uerò in Spe facta ſunt, donec etiam in re fiant, uſque ad ipſius corporis renouationem in meliorem ſtatum immortalitatis &c. Et mox: Profectò enim, qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus eſt renouatus, & inquantum nondum eſt renouatus, intantum adhuc in uetuſtate eſt. Ac iterum:

Primitias Spiritus nunc habemus, unde iam filij Dei reipsa facti sumus, In cæteris uerò Spe, sicut salui, sicut innouati, ita & filij Dei, re autem ipsa sicut nondum salui, ideo nondum plenè innouati, nõdum etiam filij Dei, sed filij seculi &c.

Et in alio loco, contra Epistolam Parmeniani: Qui rectissimè, inquit, sapiunt, intelligunt quemlibet hominum, quamuis iam pro consortio societatis humanæ non absurdè dici possit, iustissimè uiuere, non tamen posse esse sine uicio, quamdiu caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem. Habes memorabilia Augustini, uiri de Ecclesia Dei optimè meriti dicta. Qui autem tam clarè, tam perspicuè affirmat, quòd non infirmitas nostra absumatur in baptismo, quòd cùm renouamur de die in diem, adhuc simus in uetustate, quòd reipsa nondum simus nec salui, nec plenè innouati, sed adhuc filij seculi, quòd nemo etiam si pro consortio humanæ societatis iustissimè uiuat, non tamen possit esse sine uicio, quamdiu caro concupiscit aduersus Spiritum: hæc, inquam, & id genus multa alia, cùm Augustinus manifestè asseueret, quomodo non manifestè etiam pugnaret cum fraterculorum impietate, qua iactant, se non solum implere legem Dei, quantum iuxta sententiam Spiritus sancti in hac uita ab homine exigitur, uerumetiam plura, & excellentiora facere, quàm Lege Domini sint mandata? Mirandum igitur est, qua fronte Asotus audeat in medium adducere Augustinum, quem constat, si rectè inspiciatur, Asoticas impietates apertè refutare.

Operæprecium autem est aliam quoque uertiginem Asoti, quam ipso Augustinus excitat, intueri. Confessio Principis recitat insigne illud dictum Augustini: Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur. Hic, bonus ille uir Asotus, concedit quidem, nos consequi remissione peccatorum præmium, (Sic enim libet ei loqui) quod consequimur impletione præceptorum. Concedit etiam, quòd necesse habeamus orare, Dimitte nobis debita nostra: Et quòd nullus sit sine peccato, Sed addit, quòd non propterea nullus sit Iustus. Putas ne Asotum mentis suæ satis esse compotem? Num, obsecro, nunc agitur, An homo quispiam sit iustus, & non potius, An homo operibus suarum uirtutum, sit coram Deo Iustus, & an meritis uirtutum sit in Iudicio Dei confidendum? Non quæritur nunc, An sit, sed quomodo sit homo Iustus? Et nos quidem respondemus iuxta Propheticam & Apostolicam doctrinam, hominem esse Iustum ex fide in Iesum Christum: Asotica autẽ colluuies respondet hominem esse Iustum ex operibus, seu meritis suarum uirtutum. Sed hæc responsio refutatur non solum Propheticis & Apostolicis testimonijs, uerumetiam hoc dicto Augustini, quod in præsentia citatur, adeoq; refutatur suis ipsius Asoti uerbis. Si enim necesse habemus orare: Dimitte nobis debita. Et uerum est, nullum hominem esse sine peccato, quomodo homo potest esse ex operibus aut meritis suarum uirtutum coram Iudicio Dei, (De hoc enim nunc agitur) Iustus? Sed facessant hinc Asoticæ φλυαρίαι. Nos rem ipsam ita teneamus, quòd siquidem pium hominem in Christo renatum intuemur iuxta carnem seu corruptionem naturæ suæ, sicut non potest dicere, mundum esse cor suum, & se esse coram Deo iustum, ita necesse habet cum Dauide exclamare: si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et: non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ Iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Si autem intuemur eum iuxta fidem, qua amplectitur Christum filium Dei,

Dei, uidemus hominem tam Iustũ & sanctum, ut consequatur hæreditatem cœlestis regni. Iustus autem & Sanctus est, non propter suas quas habet uirtutes, Sed quia Deus non amplius imputat ei suam iniustitiam, & donat eum Iustitia filij sui Domini nostri Iesu Christi, ut ea coram tribunali Dei confidat & glorietur. Hæc est piorum Iustitia, aliena, uidelicet, in Christo, non autem propria, in ipsorum operibus aut meritis uirtutum.

Sensit etiam Asotus plagam à Hieronymo acceptam, sed uideo eum esse athletam forti animo, quòd etiamsi deijciatur, & ad humum prosternatur, non tamen fateatur se uictum. Hieronymus dicit hanc solam esse hominum perfectionem, si imperfectos se esse nouerint, & hanc esse ueram hominis sapientiam, nosse se imperfectum. Quo testimonio apertè significatur, quòd homo in hac uita non possit legem Dei suis uiribus perfectè implere. (Hoc enim Confessio Principis probandum suscepit) & quòd homo non possit meritis suarum uirtutum in Iudicio Dei confidere. Asotus autem, uir probus, principali statu huius loci fortiter dissimulato, concionatur interea de aliqua, nescio qua, perfectione in hac uita, & sperat se suo officio rectè defunctum, si quædam alia loca Hieronymi, quæ nihilo plus ad rem faciunt, quàm si baculus staret in angulo, è regione adijciat. Quis enim negat aliquam esse in hac uita perfectionem hominum, si fiat collatio, non ad exactam perfectionem Dei, sed ad alia inter creaturas imperfectiora? Nos autem, cùm in præsentia disputamus de perfecta impletione Legis diuinæ, non conferimus hominem cum asinis, aut bobus, nec conferimus eum cum hominibus impœnitentibus, & apertè sceleratis, Non enim dubium est, quin honestus uir perfectior in uita sua dici possit, quàm publicus latro aut incendiarius, Sed disputamus de ea hominis perfectione, quæ confertur cum uera diuinæ legis sententia, & quæ constet in seuero Iudicio Dei. Hic manifestum est, quòd nulla prorsus sit operum hominis perfectio, quæ plenè satisfaciat ueræ sententiæ diuinæ legis, & quæ sua integritate coram tribunali Dei constare possit. Et hoc etiam testificatur Hieronymus, non solum ijs testimonijs, quæ Confessio Principis, uerumetiam, quæ Asotus ipse adducit. Sed quid Asoto, cum Hieronymo, uiro tam docto & eloquente, cui admodum familiare est, Rhetoricis illis & iucundis ἐναντιώσεσι ludere, ut his, quasi aculeis, Lectori fortius, quod docendum suscepit, infigat. Quod eruditi uiri consilium, ualde dubito, num Asotus præ nimia sua eruditione & sanctitate assequatur.

Postquàm autem deterſimus Sotica aspergines à Testimonijs, quibus Confessio Principis utitur, & restituimus ea pristino suo nitori, reuertemur nunc ad excutienda tam sacræ Scripturæ, quàm ueterum scriptorum testimonia, quæ Sotus in suis scholijs & Confessione recenset. Etsi enim posito uero fundamento, & confirmata pia sententia testimonijs Spiritus sancti, ueritas oppugnari quidem, non autem expugnari potest, & aduersus eam, non nisi depraua tiones, fallaciæ, & calumniæ proferri solent, tamen ne Asotus queratur se nimis fastidiosè à nobis contemni, agite dum, percurremus ea, quæ ipse opposuit. Initio ergo probaturus, homines posse Legem implere ea perfectione, quam exigit pro statu huius uitæ, allegat dictum Christi, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, Primùm, ostendimus antea, quòd Lex exigat in hac uita summã perfectionem, uidelicet, non minorem, q̃ qualem pij habituri sunt in cœlesti

regno. Amen dico uobis, inquit Christus, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præterierit ex Lege, quoad omnia facta fuerint. Quorum uerborum hæc est sententia. Lex (moralis) seu Decalogus, non durat tantum usque ad priorem aduentum Messiæ, Sed durabit, donec hic mundus constiterit, & ita durabit, ut Deus obseruationem eius tanta semper seueritate exigat, ut etiam uelit minimas literas, aut apiculos impleri. Non est contentus, si iuxta externas tantum literas & syllabas impleatur, sed exigit, ut etiam ea, quæ uidentur minutissima, obseruentur, & in tantum non admittatur aliquod uitium, ut ne ociosum quidem uerbulum loquaris, tantum abest, ut aliquid incredulitatis, aut dubitationis erga Deum concedatur. Vanissimum igitur est, quod Asotus affirmat, Legem alia exigere pro statu huius uitæ, quàm simpliciter. Deinde, quod Christus dicit adolescenti: si uis ad uitã ingredi, serua mandata, remittit adolescentem ad Legem. Quid autem est Lex? In quem præcipuum usum data est Lex? An non data est, ut operetur iram, ut deducat in agnitionem peccati, ut occidat? Si data fuisset Lex, inquit Paulus, quæ posset uiuificare, uerè ex Lege esset Iusticia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare, cùm Christus remittit adolescentem ad Legem, non significat, quid adolescens possit, sed quid debeat præstare. Videbatur quidem adolescens sibi insigniter iustus, & iam præstitisse Legem, Omnia, inquiens, hæc seruaui à iuuentute mea, Sed erat, ut mox res ipsa probauit, hypocrita. Remittitur ergo ad Legem, non ut discat, se posse, sed ut discat se non posse Legi perfectè satisfacere, & ut agnoscat peccatum, ac sentiat se æterna morte dignum, quo excitetur, ad quærendam remissionem peccatorum, & ueram Iusticiam, in Christo.

Sed hæc altiora sunt, quàm quæ hypocritæ, quorum cordibus uelamen est impositum, intelligant, & sunt in alijs scriptis copiosè explicata.

Hic uerò considera mihi fidum monitorem. Confessio Principis utitur uerbo reputandi, Hominem (inquiens) si faceret opera Decalogi ea perfectione & integritate, quam Lex exigit, uerè coram DEO operibus suis Iustum REPVTANDVM. Hic Sotus monet hoc uerbum cauendum. Non sola, inquiens, reputatione sumus Iusti, sed ueritate. Quæ, obsecro, hæc est istius hominis uel incogitantia, uel imperitia? Moses, cùm describeret Iusticiã fidei Abrahæ, utitur hoc reputandi uerbo expresè. Paulus in hac ipsa disputatione, & in huius Mosaici dicti expositione, quæ extat ad Romanos cap. 3, utitur hoc uerbo, in eodem capite, penè decies, & Sotus tanta est impudentia, ut magna, qua sibi præditus uidetur, autoritate iubeat hoc uerbum cauere? Quid? cauenda ne sunt uerba Spiritus sancti, ne nobis uenenum aliquod occultum instillent? O hominem non uno tantum Cardinalitio galero dignum. Deinde hypocrita suis phantasijs inebriatus, non uidet, quid dicatur, aut de quo agatur. In eo enim loco, Confessio Principis, non dicit, nos sola reputatione, Sed etiam ueritate Iustos esse, si quidem opera Decalogi ea perfectione, quam Lex exigit, præstaremus. Dicit enim expressis uerbis, VERE CORAM DEO, operibus suis Iustum reputandum. Sed Asotus aliò respicit. Assumit enim, quòd homo possit legem Dei, quantum ab ipsa in hac uita exigitur, perfectè implere, imò nõ implere tantum, uerumetiam ei quædam excellentiora supererogare, ideoq; putat hominem in hac uita esse iustũ, nõ tantum ex imputatione per fidem, uerumetiam reipsa, propter opera.

Sed

Sed hanc impietatem refutauimus antea, & Paulus in eo loco, in quo Reputandi uerbo, quod Asotus tanquàm uenenatum cauere iubet, toties uitatur, tam grauiter, tam perspicuè refutat, ut nisi hypocritæ essent deplorate cæcitatis, fieri non posset, quin ea luce illustrarentur.

Cæterùm, cùm Confessio Principis neget hominem posse in hac uita Decalogum operibus suis implere, tantũ abest, ut possit aliquid supererogare, hic Asotus cum sua ecclesia credit auxilio gratiæ omnia posse fieri, iuxta illud Christi: Apud homines hoc est impossibile, apud Deum autem omnia sunt possibilia. Quomodo intelligendum sit, quòd dicimus legem posse per gratiam Dei impleri, paulò antè indicauimus. Nunc igitur expendamus ueram sententiam eius dicti, quod Christus apud Matthæum de diuite recitat, ut uideamus, quàm appositè ab Asoto huc transferatur. Nam si Asotus sentit Christum loqui de absoluta Dei potentia, quis nescit Deum esse omnipotentem? Et hac ratione possibile est Deo, ut non solum diuitem, uerumetiam equos, asinos, & anseres, imò & fraterculos faciat saluos. Nunc autem non quæritur, quid Deus possit absolutè, sed quid uelit & soleat facere ordinariè. Etsi enim non est impossibile Deo, ut efficiat, quo homo in hac etiam uita impleat operibus suis Decalogum perfectè, tamen quantum nobis uerbo suo, quod in sacra Scriptura continetur, patefecit, non solet carnem hominis in hac uita in Spiritum mutare, sed relinquit carni suam corruptionem & imbecillitatem, & dat Spiritum quo carnis cupiditas compescatur, & subinde magis ac magis expurgetur, non quòd plena fiat expurgatio in hac uita, sed ne caro spiritui dominetur, & ne secundum carnem uita ducatur. Itaque impossibile quidem est apud homines, ut homines siue diuites siue pauperes saluentur, possibile autem est apud Deum, non eo modo, quem Asotus somniat, nisi appellet, ut dixi, ad absolutam Dei potentiam, Sed illo modo, quem suprà expositimus, uidelicet, quòd Deus recipiat hominem, qui audit Euangelion Christi, & credit ei, in gratiam, & non solum condonet ei peccatum, sed etiam adoptet eum in filium, gratuita clementia, propter Christũ, ac donet eum omnibus beneficijs Christi, inter quæ ex una parte est perfectissima Iustitia, qua Christus Legi diuinæ satisfecit, ex altera parte Spiritus sanctus, ut homo confidat illa coram tribunali Dei, perinde ac si ipse legem impleuisset: Hoc enim est ex gratia legi satisfacere, huius autem uirtute incipiat carnem mortificare & in uocatione Dei ambulare: Hoc enim est fidem & gratitudinem suam testificari. Sed de hac re antea copiosius, quàm ut necesse sit hic plura addere.

Sequitur in Scholijs Asoti, non alius ferè μυκτηρισμὸς, aut potius σαρκασμὸς, quàm quo olim antiquus coluber filium Dei in pinnaculo templi mordere conabatur. Nam quemadmodũ tum obijciebat Christo dictum illud scripturæ, (Angelis suis mandauit de te &c.) ut uel fiduciam eius argueret uanitatis, uel eum in temeritatem impelleret, Ita nunc serpentino suo gressu arrepit ad Confessionem Principis, & ubi ea reijcit opera supererogationis, ac dicit, sententiam illam Fraterculorum & Sophistarum de operibus supererogationis alienam esse à Prophetica & Apostolica doctrina, ibi Satan euomit uirulento suo ore quædam dicta Scripturæ, quibus ita nos irridet, ut uideatur sibi de nobis iam triumphare. Sed tu Domine Iesu Christe, Fili Dei, qui caput huius serpentis contriuisti, fer, quæso, mihi opem, da uirtutem seruo tuo, ut uirulentiam eius in iugulum ipsius regerere possim. Periclitatur tui nominis gloria,

Periclitatur æterna salus eorum, pro quibus tu mortuus es, & quos tu Sanguine tuo redemisti. Hic enim agitur, num tu una cum Prophetis & Apostolis tuis, stes ab eorum parte, qui uidentur sibi multò meliorem & rectiorem uiam ad æternam salutem, quàm tu, excogitasse, & nobis proposuisse. Spero igitur te intantum nobis non defuturum, ut etiam palam, nobis Satanam uicissim derisum, consputum, & pedibus tuis conculcatum ostendas. Faciamus nunc periculum, num diuina clementia adiuti, queamus Satanæ uirulentum suum μυκτηρισμὸν excutere. Cõfessio Principis affirmat falsam esse eorũ sententiam, qui dicunt, hominẽ in hac uita eò posse peruenire, ut non tantum impleat suis operibus Decalogum, uerumetiam possit plura & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt, quæ uocant opera supererogationis. Astotus autem dicit, suam Ecclesiam habere autoritatẽ quædam proponendi sub consilio, quorum obedientia supererogemus nõnihil ijs, ad quæ ex necessitate (recito enim uerba eius,) tenemur. Et in huius rei testimonium allegat quædam dicta scripturę: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia. Et: De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et de Eunuchis apud Prophetam: Dabo eis in domo mea & in muris meis, nomen melius &c. Itaque docere conatur, quòd Ecclesia eius possit quædam statuere, quæ si obseruentur, maiora sint & præstantiora, quàm ea, quæ diuina lege sunt præcepta. Ea autem sunt, ut nominatim exprimantur, Paupertas, Cælibatus seu Virginitas, & obedientia Monastica. Conferamus igitur nunc ea, quæ isti excellentiora diuina lege iactant, cum Lege Domini, & operibus eius, ut uideamus utra præponderent.

Guardianus, aut Prior Dominicanus dicit: Si meo consilio fueris obsecutus, & uoueris Paupertatem, & Virginitatem, ac tradideris te in monasticam disciplinam, multò excellentiorem præstabis cultum Deo, quàm Lege Dei præceptum fuerit.

Lex autem Dei est: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua. Quid ergo dicemus? Potest ne ullum opus tali, ac tanta dilectione maius & excellentius excogitari? Quid ni? An non audis, quòd Prior Dominicanus dicat: Paupertatem & Virginitatem uouere, aut seruare, esse gratius opus, quàm id ad quod necessitate tenemur. Tenemur autem necessitate ad dilectionem Dei ex toto corde, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine nostra. Quid ergo aliud reliquum est, quàm uotum Paupertatis & Virginitatis multò esse præstantius & Deo gratius, quàm diligere Deum ex toto corde? Immanè, quanta est hæc hypocritarum impietas. Siccine creatura honorat creatorem suum? Siccine reueretur maiestatẽ Dei uermis & putredo? Deus, qui est æterna sapientia, dedit Legem perfectissimam, qua nihil potest absolutius inueniri. Illud autem execrabile genus hominum audet profiteri, se posse consilia proponere, quibus, si obsecutus fueris, maiora & præstantiora facias, quàm ea, quæ diuina lege sunt præcepta. An non hoc est sapientiam & industriam suam, non æquare tantum, uerumetiam præponere sapientiæ & industriæ diuinæ? Satan dixisse quondam fertur: In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, Similis ero altissimo. Nunc autem nouum Satanarum genus exortum est, qui non contenti, Similes esse, sed Altissimo altiores esse cõtendunt. Initio conditionis humanæ putauit Satan sibi sufficere, si persuaderet homini, ut affectaret esse sicut sunt Dij, scientes bonum

bonum & malum. Nunc autem, (rem horribilem, & nefariam,) homi-
num genus est, qui fastidientes utilissimam scilicet illam sapientiam &
scientiam, quam Deus de bono & malo habet, affectant, imò se iam ha-
bere, multò maiorem, & excellentiorem, iactant. Quid est, obsecro,
blasphemia in Deum, si hæc non est? Dixit quondam Moses de Lege Do
mini: En hæc est uestra sapientia & intellectus coram populis. Et in Psal-
mo dicitur: Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium
Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Quid? An non hæc diui-
næ Legis encomia erunt mutanda, & in Consilia Guardianorum & Do-
minicanorum transferenda? Quanto rectius aut tolerabilius Domini-
canorum κορυφαῖος scribit, quòd in his duobus præceptis: Diliges Deum
ex toto corde, &, Proximum sicut teipsum, consistat essentialiter uitæ
Christianæ perfectio. Et quòd consilia non ordinentur sic ad præcepta, ut
sine quibus præcepta seruari non possunt, sed sicut ea, per quæ præcepta
facilius, melius & perfectius seruantur. Et tamen hic quoque suam uerti-
ginem patitur, cùm aliàs affirmet, obseruationem consiliorum esse diffi-
ciliorem obseruatione mandatorum, & multa id genus alia absurda effu-
tiat, quæ in præsentia enumerare nihil opus est.

Sed testimonia, inquiunt, sacræ Scripturæ nobis suffragantur. Non
ignoro Angelum Satanæ solere sese in angelum lucis transfigurare. Ob-
iiciebat Satan etiam Christo scripturam in Sancta ipsa ciuitate Hieruſa-
lem, & in pinnaculo templi. Procidebat quoque apud Marcum Chri-
sto ad genua, & uociferabatur, Tu es Filius Dei, Sed iubetur obmu-
tescere. Cùm igitur posuerim iam certum, firmum, & fixum funda-
mentum, quòd fieri non possit, ut homines consilijs suis sapientiores sint
diuina lege, & quòd nullum opus maius dilectione Dei ex toto corde,
quam lex Domini præcipit, excogitari possit, liceret mihi nunc Satanam
magis ridere & ad tartarũ suum remittere, q̃ de allegationibus suis, quas
scimus deprauato sensu adduci, sollicito esse. Sed ut necesse habeat maio-
ri ignominia & confusione discedere, age, percurramus dicta scripturæ,
quæ solent obijci, ut ueram eorum sententiam explicemus.

Si uis, inquit Christus, perfectus esse, uade, uende omnia, quæ ha-
bes, & da pauperibus &c. Hæc uerba dicuntur ad diuitem, qui cùm pro-
fiteretur, se omnia præcepta Dei à Iuuentute obseruasse, audit, Si uis per-
fectus esse. Ergo potest aliquid maius & perfectius præceptis Dei præ-
stari? Nihil certè minus. Quis enim dixerit, Vendere omnia, & dare
pauperibus, quod mandatur huic diuiti, maius & præstantius esse, quàm
Diligere Deum super omnia, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota for-
titudine, quod generale præceptum Domini exigit? Paulus ad Corin-
thios scribens: Si distribuero, inquit, in cibos pauperum omnes faculta-
tes meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Loquitur
autem ibi de Charitate erga proximum, & antefert eam distributioni om
nium facultatũ in pauperes: quanto magis antefert huic charitatẽ in Deũ?
Quid igitur est, Si uis perfectus esse? Primùm, quod hoc loco ad diuitem
dicitur, nõ est arbitrarium consilium, cui iuxta referat, siue diues obsequa-
tur, siue nõ obsequatur, sed est diuiti necessarium mandatum. Necessitas
salutis suæ exigebat, ut huic mandato obsequeretur. Quare cùm non ob-
sequitur, pronunciatur regno cœlorum indignus. Facilius est (inquit
Christus) camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum
Dei ingredi. Et mox significat, apud homines impossibile esse, ut talis

diues,qui obedientiam(sicut hic diues) detrectat,saluetur. Quare uanum est, quod dicunt, Christum hæc consulendi,non præcipiendi animo, locutum.Deinde,non est præceptum generale,sed tantum personale. Non enim, quia huic diuiti dicitur, Vende omnia,& da pauperibus,& sequere me,idcirco omnibus alijs præcipitur,ut deserant suas facultates, & conferant se ad eremum, aut monasteria. Apud Marcum, qui curatus erat à Dæmonio,rogabat Iesum, ut ipsum sequeretur, & cum ipso esset. Iesus autem non permisit ei, sed ait: Vade in domum tuam ad tuos,& adnuncia illis,quanta tibi fecerit Dominus,& misertus sit tui. Quòd si hic præteruisset exemplum eius dicti,quod Christus ad diuitem locutus est, & maluisset suæ sapientiæ,quàm uerbo Christi morem gerere,& posthabita sua familia Christum externo comitatu,sicut alij discipuli, qui peculiariter ad hoc uocati erant,sequi,profectò,quantum peccauit diues non deserendo familiam,& non sequendo Christum,tantum peccasset ille uir deserendo familiam, & sequendo externum contubernium Christi. Alia enim erat huius,alia illius uocatio. Neque enim quod dictum est ad adolescentem diuitem,idem est, cum eo quod aliâs dicitur: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me.Hoc uniuersis mandatur, & seruandum est in medijs etiam diuitijs, in media regni maiestate: Illud autem, Vende omnia,& da pauperibus, (nisi ἀλληγορικῶς intelligas)non pertinet,nisi ad hunc adolescentem,& ad eos,qui nominatim ad externam desertionem facultatum, & ad externũ contubernium, atque comitatum Christi uocabantur. Idem sentiendum est de hoc dicto: Omnis,qui reliquerit domum uel fratres &c.propter me, centuplum recipiet,& uitam æternam possidebit. Non enim docet,ut abijcias uel amicos, uel facultates, uel uitam absque certa Dei uocatione, sed consolatur te,si ad uocationem Dei certam necesse habeas hæc deserere. In uocationem enim ipsam est intuendum, ut iudicemus hoc esse opus Deo gratũ, quod est diuinæ uocationis,hoc autem ei esse ingratum, quod est uel manifestè contra Dei uocationem,uel præpostera imitatione,ad singularem cultum Dei ab humana ratione excogitatum,etiamsi alioqui uideatur iustissimum, & sanctissimum.

Cùm igitur Christus ad diuitem dicit:Si uis esse perfectus,uade & uende omnia &c.nullo modo sentiendum est, quòd uel arbitrarium ei consilium dederit, uel imposuerit ei aliquod maius & præstantius opus uera & perfecta dilectione Dei & proximi faciendum,sed quòd proposuerit ei notam,qua manifestè probaret,se,quod iactabat,Deum ex toto corde,& proximum sicut seipsum, diligere. Diues enim gloriabatur quidem se præcepta Dei impleuisse:Omnia hæc,inquiens, seruaui à Iuuentute mea, & mirabatur quid sibi adhuc deesset:sed erat Pharisaica doctrina cæcatus, & hypocrita, ut existimaret se satisfacere diuinæ Legi, si externam uitam honestam duceret, nec uideret, quàm longè adhuc à uera & perfecta Dei & proximi dilectione,hoc est, ab impletione Legis abesset. Quare Christus proponit ei duo facienda, quibus probet se Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum uerè diligere. Alterum est,ut ex præcepto suo facultates suas omnes largiatur pauperibus, quo testificetur,se diligere proximum. Alterum,ut relictis omnibus,ipsum pauperem, pauper sequatur, & ministerio, ad quod eum sit uocaturus, sublata in humeros cruce, fungatur, quo probet se Deum uerè ex toto corde & ex tota anima diligere. Cùm Deus tentaturus esset Abrahamum, iussit eum offerre & in holocau-

holocaustum mactare unigenitum filium suum Isaac. Quid ergo dicemus? Num Deus iussit Abrahamum hac filij oblatione aliquod excellentius & præstantius opus, quàm est dilectio Dei ex toto corde, facere? Nihil certè minus. Sed exigit ab ipso hoc opus, ut probaret, num ipsum ex toto corde uerè diligeret. Vnde & cùm Abraham in obsequio esset, dicitur ei: Nunc cognoui, quòd timeas Dominum. Non dicitur, Nunc cognoui quòd præstantius opus timore Domini feceris, aut aliquid legi supererogaueris, sed quòd timeas Dominum, hoc est, uerè diligas Dominum. Quod tamen non sic intelligendum est, perinde ac si Abraham hoc opere satisfecisset diuinæ Legi tam perfectè, ut ex operibus suis corã Deo iustificatus esset, Sed quòd diuina clementia adiutus præstiterit maius opus, q̃ ab ullo homine in uniuerso terrarum orbe expectatum fuisset. Etsi enim Abraham fecit hoc opere Deo cultum gratissimũ, & manifestè probauit, se Deum ex animo diligere, non tamen potuit hoc opere coram Iudicio Dei confidere, sed necesse habuit gratuitam Dei clementiã implorare, quemadmodũ Paulus de Abrahamo, ex hoc dicto, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusticiam, copiosè docet.

Sic & Christus tentaturus diuitem, num uerè diligat Deum & proximum, non mandat ei opus dilectione Dei & proximi maius & præstantius, sed exigit ab ipso exemplum, quo probet se id uerè facere, quod iactabat. Ac Abraham quidem inuentus est in tentatione probatus, Diues autem abijt tristis, & apparuit, quod erat, mendax hypocrita. Quare, quod Christus dixit: Si uis perfectus esse, Vade, uende omnia, & da pauperibus &c. hanc habet sententiam. Tu gloriaris quidem te diligere proximum sicut teipsum, & interea existimas quoque te diligere Deum ex toto corde. Vt autem cognoscatur te hoc uerè, seriò & perfectè præstare, da exemplum. Et ne tu exemplum tuo arbitrio eligas, præscribo tibi, quod faciendum est. Age, distribue facultates tuas in egenos, & tum scietur aliquo modo, te proximum tuum seriò diligere. Præterea: Sequere me, relictis omnibus, ut opera tua in diuulgando meo Euangelio utar, & tum cognoscetur aliquo modo, te uerè Deum diligere. Hæc est uera huius loci sententia, quam & fundamentum uniuersæ Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, & analogia fidei, & circumstantiæ eius loci perspicuè probant. Quare magna est fraterculorum cæcitas, & impietas, quòd hypocriticam & Pharisaicam suam paupertatem collocent non solum in æqualitate operum diuinæ legis, uerumetiam in sublimiori gradu supererogationis. Sed progrediamur ad explicanda alia dicta, quibus Satan uidetur sibi in nos uehementer insultare. 1. Corinth. 7. dicit Paulus: De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium tamen do &c. Ergo Virginitas opus est multò melius & Deo gratius atque acceptius, quàm sint opera diuinæ legis? Ergo uirginitatem seruare, excellentius est, quàm Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine, Et proximum sicut seipsum? Ergo collocemus in regno cœlesti Virgines Vestales Romanorum, Virgines Athenienſium, Virgines Lacedæmoniorum, & multas alias, quarum commendatione plena est historia gentium? Cùm enim hæ uirgines plus fecerint, quàm diuina lege exigitur, & præstiterint opus supererogationis, reliquum scilicet est, ut in altiori cœlo, q̃ in quo sanctæ matriarchæ, Sara, Rebecca, Lia, Anna, & aliæ piæ coniuges, siue Veteris, siue Noui Testamenti habitant, collocentur. Non prædicamus, inquis, Virgines seculi, Nec Virginitas sola saluat.

Manifestum igitur est, quòd Virginitas non sit supra, sed infra legem, & rectius dixerit Christus: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, quàm si dixisset, Si uis ad uitam ingredi, serua Virginitatem. Quid ergo est, quòd Paulus dat consilium, ut Virgines maneant innuptæ? Quid est, Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu? Quid est, Qui non iungit matrimonio uirginem suam, melius facit? Hæc certè sunt insignia uirginitatis encomia. Nec dubiũ est, quin honestis mentibus, nihil sit uirginali pudore & modestia amabilius. Sed ne quid controuersiæ ambiguitas uocis afferat, definiendum & constituendum prius est, quid nomine Virginitatis intelligamus. Nam, cùm postea Confessio Principis conferat in capite De uotis Monasticis, cælibatũ & coniugium cum Iudaismo, Græcismo, Seruitute & libertate, ibi Asotus quærit rimam, qua elabatur, manifesto & impudenti Sophismate. Dicit enim, cælibatum, non autem Iudaismũ, nec Græcismum, pertinere ad Virtutem. Itaque quod est externum uitæ genus, & habitus corporis, hoc ipse in catalogum uirtutum animi refert, alterum cum altero ita confundens, ut appareat ipsum, aut insignem esse impostorem, aut imperitum Thrasonem. Nomen enim Virginitatis aut cælibatus duplicem habet considerationem. Aliquoties enim hoc nomine intelligitur externa corporis integritas, aut uitæ genus â Coniugio liberum. Aliquoties autem intelligitur uirtus animi, hoc est, pudicitia, & castitas mentis, siue illa specialis, quam propriè uocamus castitatem, siue illa generalis, quam uocamus pietatem. Si ergo sermo est de Virginitate aut Cælibatu, ut de uirtute animi, & de castitate ac pietate mentis, quis pius & honestus dubitat eam esse singulari commendatione dignissimam? Sed in hac consideratione, Virginitas nõ tantum ab externis illis, & corporalibus uirginibus, uerumetiam ab omnibus uiduis & coniugibus, adeoq; ab omnibus hominibus, quotquot ad ęternam & cœlestem uitam adspirant, exigitur. Huc nos uocat Paulus, cùm dicit: Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquàm in die compositè ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuijs, non contentione & æmulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum. Et iterum: Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Manifesta autem sunt opera carnis, Adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia &c. Et Petrus: Non accommodetis uos pristinis concupiscentijs, quibus dum adhuc ignorabatis Christũ, agebamini, sed quemadmodũ is, qui uos uocauit Sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni conuersatione reddamini, &c. Et iterũ Paulus: Mulier salua fiet per generationem liberorũ, si manserit in fide, dilectione & sanctificatione, cum castitate. Quo loco Paulus non loquitur de filiorum castitate, perinde ac si tum mulier fieret salua, cùm gigneret filios, qui essent permansuri uirgines, non uidelicet saluanda, si filij fiant mariti, sicut solet hic locus depraui, sed loquitur de castitate mulierum coniugũ, exigens & ab his in medio coniugio pudicitiam & castitatem. Ac rursus: Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis â scortatione, & sciat unusquisque uestrũ suum uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ. Et aliâs: Adiunxi (inquit Paulus) uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. Exigit Paulus ab uniuersa Ecclesia, hoc est, â uirginibus, uiduis, & coniugibus, ut sint VIRGO. Et in Apocalypsi dicitur: Hi sunt, qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati. Virgines enim sunt, tales uidelicet, quales Paulus adiunxit Christo, hoc est, qui non coinquinantur

quinantur cum alienis dijs, sed soli Christo adhærent. Hieronymus ipse quoq; tantus Virginitatis encomiastes, affirmat in Ecclesia ex meretricibus fieri Virgines. O quanta, inquiens, clementia Dei. Meretrix, quæ cum multis amatoribus fornicata est, & ob crimen bestijs tradita, postquàm reuertitur ad uirum, nequaquàm reconciliari ei dicitur, sed despon deri. Et uide, quid sit inter Dei coniunctionem, & hominum. Homo cùm uxorem accipit, de uirgine mulierem facit, id est, non uirginem. Deus etiam meretricibus copulatus eas mutat in Virgines &c. Manifestũ igitur est, quòd Virginitas, ut est uirtus animi, exigitur non ab uno tantũ hominum genere in Ecclesia Christi, sed ab uniuersa Ecclesia. Si autem nomine Virginitatis intelligitur externa corporis integritas, tunc nõ est animi uirtus, sicut Asotus nugatur, sed corporis habitus, & recensetur unum, inter tria externa uitæ genera, quæ sunt Virginitas, Viduitas, & Coniugiũ. Videamus ergo, de qua Virginitate loquatur Paulus, cùm dicit: De Virginibus præceptũ non habeo, sed consilium do, Et quæ in eo loco epistolæ ad Corinth. uirginitas, atq; quomodo cõmendetur. Non potest autẽ uel obscurũ uel dubium esse, quin Paulus loquatur ibi, nõ de spirituali, sed de corporali Virginitate. Dicit enim, se non habere præceptum de Virginibus. Certè si loqueretur de Virginibus Spiritualibus, haberet præceptum Domini. Ab omnibus enim diuina lege exigitur, ut sint Spirituales Virgines, hoc est, ut sint casti, pudici, & Soli Christo per fidem adhærentes. Omnibus præcipitur & mandatur, ut sint puro & mundo corde, & caueant ab omni impudicitia. Fornicatio (inquit) & omnis immundicia, ne nominetur quidem inter uos, sicut decet Sanctos. Et iterum: Scitote, quòd omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi. Quarè, cùm dicit, se non habere præceptum de Virginibus, manifestum est, quòd nõ loquatur de Spirituali Virginitate, quæ est castitas & pietas mentis, quæ etiã præcepto Dei seueriter exigitur, sed loquatur de Virginitate corporali. Quod cùm ita se habeat, cõsideremus nunc quid illud sit, quod Paulus præferat illic hanc Virginitatem Coniugio, & dicat eum, qui nõ elocauerit filiam suam uirginem, melius facere. Quid enim? Num hoc spectat, quòd custodia corporalis Virginitatis sit supererogatio diuinæ Legis, aut cultus Deo multò gratior, quàm sint opera à Deo præcepta? Quid? nũ corporalis Virginitas, quæ est paucorum, Deo est acceptior, quàm spiritualis Virginitas, hoc est, castitas & pietas animi, quæ est omnium piorum? Nihil certè minus. Qui enim dixit, Seruum & liberum, marem & fœminam, unum esse in Christo Iesu. Et: Neq; circumcisionem, neq; præpucium, quicquam in Iesu Christo, sed nouam creaturam ualere. Et: Corporalem exercitationem paululum habere utilitatis, pietatem autem ad omnia utilem esse, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis ac futuræ: qui hæc, inquam, & multa id genus alia dixit, quomodo anteferret arbitrarium uitæ genus uirtutibus & operibus diuinitùs præceptis? Et, qui docet Iustum uiuere, non ex operibus legis, sed è sua Fide, quomodo doceret eum uiuere è sua Virginitate, aut cælibatu? Sed cùm antefert Virginitatem seu cælibatum Coniugio, non confert ea inter se, qualia sint per se in conspectu Dei, sed qualia sint & fiant iuxta personarum conditionem, & temporum ac aliarum rerum circumstantiam, atque opportunitatem. Nam si per se consideraueris, indifferentia sunt, & iuxtà coram Deo refert, siue in cælibatu uel Virginitatis uel Viduitatis, siue in Coniugio uitam agas, modò credas uerè in Christum, & serues

castitatem atque pudicitiam animi, ac ambules in præceptis Dei. Si autem consideraueris ea secundum conditionem personarum, & circumstantias temporum ac aliarum rerum, præfert Paulus aliquoties Cælibatum Coniugio. (Neque enim ipse probo opinionem Iouiniani, si sensit, nullo modo fieri posse, ut cælibatus præferatur aliquoties coniugio,) aliquoties præfert Coniugium Cælibatui. Nam, cùm ea est personæ conditio, ut habeat donum continentiæ, & ea sunt tempora, ut & nubendum sit Ethnico, & singulis horis expectanda sit persecutio, ibi tum Paulus consilio suo rectè præfert cælibatum Coniugio: Arbitror (inquit) hoc bonum esse, uidelicet, ut uirgo non nubat. Ac mox: Qui non elocat uirginem suam, melius facit. Et iterum: Beatior est, si sic maneat, iuxta meam sententiam. Quid ergo est, quod dicit, Melius facit, Et: Beatior est? Num beatior est propter uirginitatem, coram tribunali Dei, q̃ maritata? Nihil certè minus: Suprà enim ostendimus, quòd hæc uitæ genera per se in cõspectu Dei sint indifferentia, sed beatior est, quia minus habebit afflictionis, minus periculi in persecutione. Sic enim Paulus ipse interpretatur, cùm dicit: Si nupserit uirgo, non peccauit, attamen afflictionem in carne habituri sunt hũiusmodi. Et iterum: Arbitror hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem. PROPTER PRAESENTEM, (inquit) NECESSITATEM. Vna est, quòd cum eo tempore paucissimi adhuc essent Christiani, nubendum esset Ethnico: Quod, & si per se non est impium, Sanctificatur enim maritus incredulus per uxorem, tamen est periculosissimum. Quid si enim maritus Ethnicus fuerit importunior, & nõ permittat uxori curare ea, quæ sunt Domini? Quid si uxor degeneret in mores mariti Ethnici, & curet impiè ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit uiro? Hæc certè tanta sunt pericula, quæ meritò debeant uirginẽ deterrere, ne nubat uiro Ethnico. Altera necessitas est, quòd in tanto odio Ethnicorum & Iudæorum aduersus Christianos, singulis momentis expectanda erat persecutio, & eiectio in exilium. Consultius igitur erat abstinere à coniugio, ut ad perferendum exilium expeditior esses.

Sed cùm sint aliæ uel personarum, uel temporum circumstantiæ, tunc Paulus ipse præfert Coniugium cælibatui. Dicit enim: Propter stupra uitanda, suam quisque uxorem habeat, & suum quæq; uirum. Et iterum: Si se nõ continent, nubant. Melius enim est nubere, quàm uri. Cùm aliâs dixit: Melius facit, qui uirginem suam non elocat, &: Beatior est, si sic maneat, Nunc dicit: Melius est ut nubat. Et aliâs: Volo iuniores (uiduas) nubere, liberos gignere, domum administrare. Quid sibi uult hæc consiliorũ uarietas? Num Paulus ex eodem ore calidum & frigidum efflat? Num est inconstantiæ arguendus? Absit, Non est hæc inconstantia, sed est honesta, prudens & pia consiliorum, iuxta rei circumstantias, mutatio. Nam quod Paulus addit: Qui cælebs est (inquiens) curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qui duxit uxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. Et mox: Innupta curat quæ sunt Domini, ut sit sancta cum corpore tum spiritu &c. Absit longissimè à Paulo, ut his uerbis cælibatum ita prædicet, quòd nullus cælebs curet ea quæ sunt mundi, sed omnes sint propter cælibatum caram Deo Sancti, Coniugium autem ita infamet, quòd nullus coniunx possit in cõiugio curare, quę sunt Domini, & placere Domino. Quę enim hæc esset cõtumelia, in tam honestum uitæ genus, & in coniugij autorẽ? Si nupta non potest curare, nisi ea, quæ sunt mundi, & si placere uiro, est impium,

impium, quid est quod aliâs scribit, mulieres Saluas fieri, per generationem liberorum, si manserint in fide, ac dilectione, & sanctificatione, cum castitate? An manere in fide, ac reliquis uirtutibus, nõ est curare quæ sunt Domini, & placere Domino? Quid quòd Petrus hortat uxores, ut lucri faciant maritos per bonam conuersationem, & dent operam, ut Spiritus sit placidus & quietus? An Petrus hoc loco non fungitur officio Apostolico, cùm docet, quomodo uxor debeat placere uiro? An non Paulus ipse docet aliâs, quòd uxores debeant uiris subditæ esse? Hoc autem est docere, quomodo uxores placeant uiris. Non igitur hoc uult Paulus, quòd Coniugium sit per se tam prophanum, tam damnatum uitæ genus, ut nemo possit in eo curare quæ sunt Dei, & placere Deo, Sed ostendit & reprehendit uicium Coniugum. Sicut enim curare quæ sunt DOMINI, & placere Domino, non est per se uirtus cælibatus, sed uirtus aliquorum cælibum: ita curare quæ sunt mundi, & placere coniugi, non est per se uicium coniugij, sed uicium multorum coniugum. Ac fieri potest, ut sint cælibes, qui curent quæ sunt mundi, & curent, ut placeant mundo, qualis ferè est conditio cælibum hypocritarum, ac præsertim eorum, qui contendunt cælibatum præferendum coniugio, contrà autem coniuges curent, quæ sunt Dei, & ut placeant Deo. Quid ergo hîc dicemus? num & in his anteferendus est coniugio cælibatus? Quare non est sentiendum, quòd Paulus in hoc loco aut damnet coniugium, aut commendet per se cælibatum præ coniugio, Sed quòd iudicet de cælibatu & coniugio, secundum temporum, personarum, & aliarum id genus rerum circumstantias. Pius quispiam Ecclesiastes adhibetur in consilium à quodam ciue, ecclesiæ suæ alumno, de suscipienda uel agricultura uel mercatura, utrum ne uitæ genus sit ipsi ad pietatem conducibilius, & utrum, quod sequatur, sit eligendum. Hîc necesse habet Ecclesiastes, hæc duo uitæ genera, non solum inter se coram Deo, in cuius conspectu sunt indifferentia, sed etiam ad personæ qualitatem, & ad temporum ac aliarum rerum circumstantias conferre. Siquidem enim (inquiet) suscipies mercaturam exercendam, necesse habebis magno periculo tum uitæ, tum fortunarũ omnium, in terris peregrinari, aut in mari nauigare. Accedit & ueræ salutis periculum. Non habebis tempus, ut cures quæ sunt Dei, & ut placeas Deo, hoc est, Non licebit tibi frequenter audire conciones uerbi Dei, non erit tibi præ negociatione integrum, ut sæpè ueniàs in Ecclesia ad publicas preces, & ad communionem Cœnæ Dominicæ. Si autem sectatus fueris Agriculturam, manebis domi in tuo prædio, expectabis benedictionem Domini de cœlo. Interea licebit singulis diebus festis, unà cum Ecclesia ad concionem uerbi Dei, ad preces, ad communionem Cœnæ Dominicæ conuenire: ut de ingenio tuo nihil dicam, quod ad exercendam agriculturam multò aptius, quàm ad mercaturam uidetur. Quare censeo melius te facere, & beatiorem futurum, si magis agriculturam, quàm mercaturam sequaris. Hîc agricultura præfertur mercaturæ, quia sic exigit personæ qualitas. Sed si ingenium ciuis uidetur ad mercaturam natum, & ea est opportunitas uel locorum uel temporum, ut ciuis in exercenda mercatura, non tam rei suæ priuatæ, quàm patriæ ac reipub. seruiat, nec habeat, ut agrum colat, sed magis, ut mercaturam exerceat, hîc certè, dicit Ecclesiastes, præfero mercaturam. Etsi enim multa adeunda sunt pericula, & non licebit tibi domi cum Ecclesia ad conciones, ad preces, ad σύναξιν conuenire, tamen quod ad peri-

cula corporis attinet, tuebitur te Dominus, siquidem ambulaueris in uocatione eius, & inuocaueris eum ex fide. Quod autem ad audiendas conciones attinet, licebit ut tecum accipias librum sacræ scripturæ, & diligenter in itinere euoluas: interea si cubi accesseris ad aliam ciuitatem, in qua est Ecclesia, coniungas te cum ea. Aut si nauigandum est, habebis comites, quibuscum conuenias, ut uobiscum ducatis pium & eruditũ Ecclesiæ ministrũ, ac in naui ipsa publicam Ecclesiæ formam instituatis. Hic mercatura præfertur Agriculturæ, quia sic rerũ circumstantiæ exigunt. Idem planè sequitur Paulus, in dando consilio de Coniugio, & Cælibatu. Cùm uidet donum continentiæ, & circumfert oculos ad præsentem necessitatem, præfert cælibatum coniugio. Cùm autem considerat personæ qualitatem, & non inuenit in ea donum continentiæ, aut uidet alias uel opportunitates, uel circumstantias, manifestè præfert coniugium cælibatui. Melius est, inquiens, nubere, quàm uri. Et: Volo ut iuniores Viduæ nubant. Vbi ergo manet illud: Nupta curat ea, quæ sunt mundi, ut placeat uiro? Scio quidem hoc esse uicium quarundam nuptarum, Sed quia tu diuinitùs es ad nuptias ordinata, & maius tibi periculum impendet, cùm uersaris in cælibatu, quàm in coniugio, uolo ita cures quæ sunt mundi, & ita placeas uiro, ut tamen interea maximè omnium cures, quæ sunt Dei, & ut placeas Deo. Sic habeas coniugem, quasi non habeas: sic gaudeas, quasi non gaudeas: sic emas, quasi non possideas: sic utaris hoc mundo, tanquàm non utaris. Hoc si feceris, multò magis curabis, in media rerum mundanarũ cura, quæ sunt Dei, quàm uanus quispiam hypocrita, & sordidus fraterculus, qui propter impurum suum cælibatum, pollicetur, nõ sibi tantum, uerumetiam omnibus, qui ab ipso merita sua redimunt, cœleste regnum. Sed quid opus est in præsentia, locum Pauli genuinæ suæ sententiæ restituere, cùm non obscurum sit, quòd hypocritæ, si adhibenda est fides Cardinali Cusano, nõ patrocinentur Cælibatui suo, principaliter & seriò, ex testimonijs Pauli, sed potius è libera potestate suæ ecclesiæ, cui etiam Iudicium Domini Dei nostri cedere debeat. Visum igitur est, uerba Cusani recitare.

NICOLAVS CVSANVS CARDINALIS
in Epistola 3. ad Bohemos.

Arbitraria potestas Ecclesiæ credita, irrestrictè à Sponso ligandi & soluendi, iudicat & discernit inter meritoria opera, & unum præfert alteri, secundum locum & tempus uariando, uti quondã uita coniugalis uirginali, posthæc uirginalis prælata coniugali existit, & de his multas ex tempore circa sacrificia & sacramenta mutationes legimus. Et nõ est dubiũ, quin pro tempore existens, iuxta Salomonis doctrinã, quisq; suum iudicium & sensum, ne propriæ innitatur prudentiæ, Ecclesiæ iudicio subijcere & conformare debeat. Qui ergo secundũ hoc iudicium operatur, per cordiũ & uoluntatũ scrutatorem remuneratur, iuxta feruorẽ operantis. Quare nec esse erit, iudiciũ Ecclesię in illis conforme esse iudicio Dei remunerantis, ita, ut sicut quondã coniugium præferebatur castitati per Ecclesiam, ita & apud Deum remunerantẽ, & postea mutato iudicio Ecclesiæ, MVTATVM est & DEI IVDICIVM. Hactenus Cusanus. Etsi autẽ consilium de suscipiendis uitæ generibus, capiendũ est iuxta circũstantias personarũ, temporum, locorum, & aliarum rerum, quemadmodũ suprà exposuimus, alienum tamen à uera Christi Ecclesia est, quòd Cusanus faciat ex personalibus consilijs generalia præcepta, q; distribuat quibusuis operibus

ribus sua coram Deo merita, quòd sentiat ad mutationem sui iudicij, mutari etiam iudicium Dei, id quod & auditu horrendum est. Nam quod ad Apostolos dicitur: Quicquid remiseritis in terra &c. intelligendum est de ministerio prædicandi Euangelij, quo credentibus peccata remittuntur, incredulis retinentur, non intelligendum est de condendis legibus, & de distribuendis inter opera meritis, quemadmodum aliàs copiosè explicatum est. Vides igitur, quòd hypocritę, siquidem, ut uerisimile est, Cardinalis sui sententiam non damnauerint, etiamsi iactant dicta Pauli de suo cælibatu, tamen confidant potius autoritate suæ Ecclesiæ, quæ cùm decreuerit, uitam Virginalem, in nouo Testamento magis esse meritoriam, sicut ipsi loquuntur, quàm coniugalem, necesse habeat Deus ipse huic decreto cedere, & sententiam suam mutare, etiamsi iudicauerit, melius esse, pro personę conditione, matrimonium contrahere, quàm contempta diuina ordinatione periculosum cælibatum sectari. Hic est honor, quo summa maiestas ab hypocritis celebratur, & tamen ea adhuc sunt impudentia, ut audeant in tantis blasphemijs sibi nescio quæ merita, & quas corollas in cœlesti regno polliceri. Etsi autem non cupio, in cõmemorandis Fratercu lorum nugis, patientia pij Lectoris abuti, tamen, ut pręter Cusani testimonium, quod iam recitaui, adhuc manifestius cognoscatur, Fraterculos patrocinari suo cælibatui, suisq; consilijs, non ex Paulo, cuius scripta non admodum magni facere uidentur, nec è sola suæ Ecclesiæ potestate, sed maximè omnium è suo Dominico, libet hìc adscribere, quæ Antoninus Archiepiscopus Florentinus scriptis suis de Dominico tradiderit, præsertim cùm hæc plurimùm faciant ad testificationem & explicationem eorum, quæ in præfatione προλεγομένων, ad Illustriss. Principem D. Christopho rum &c. de collatione Pauli & Domini recitaui.

ANTONINVS ARCHIEPISCOPVS FLORENTInus parte 3. Histor. Titu. 23.

De Domino, (inquit) multipharièm multisque modis prænunciatum est de eo. Huic enim, inquit Princeps Apostolorum, omnes prophetæ testimonium perhibent. Actor. 10. De Dominico autem & ordine suo, Zachar. 11. cap. cùm ait: Assumpsi mihi duas uirgas, unam appellaui Decorem, aliam funiculum &c. Exponit Abbas Ioachim, duas uirgas esse duos ordines mendicantium &c. Et mox: Decor est ordo Prædicatorum, per habitum decorum, quasi prælatorum. Funiculus dicitur ordo Minorum, quia funiculo manifesto cinguntur. Et sequitur. Et paui gregem, id est, populum Christianũ doctrina eorum. Sed apertius prænunciatus fuit, & declaratus particularius in pictura quadam, quę reperta est in ecclesia S. Marci Venetiæ, Vbi anteq̃ Dominicus nasceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur à cunctis, quarum una erat admodum religiosi in habitu ordinis prædicatorũ cum lilio in manu, altera similitudinem habebat Apostoli Pauli, prout pingi consueuit, Super quam scriptum erat, Hagios Paulus, id est, Sanctus. Sub figura uerò ad pedes sic, Per istum itur ad Christum. Sub figura altera scriptum erat, Hagios Dominicus, sub ipso uerò: Facilius itur per istum. Nec mireris de scriptura huiusmodi. Quia doctrina Pauli, sicut cæterorum Apostolorum, erat inducens ad fidem & obseruantiam præceptorum. Doctrina Dominici ad obseruantiam Consiliorum, & ideo facilius per ipsum itur ad Christum. Hactenus Antoninus. In quẽ igitur usum citat Asotus testimonia Pauli? An nõ auditPaulũ, ac reliquos quoq; Apostolos, (nam & hi unà cum Paulo in or-

dinem redigendi erant) inducere ad obseruantiam præceptorum, Domi-
nicum autẽ ad obseruantiam consiliorum? Phy, detestandos Fraterculos,
qui tam effrenata sunt impudentia, ut audeant palàm tã scripturis, quàm
picturis, uanissimas impostoras maiestati Apostolicæ doctrinę anteferre.

Sed inspiciamus etiam eum locum, quem ad commendationem im-
puri sui cælibatus ex Esaia producunt. Scilicet, tanta est sanctitas monasti-
ci cælibatus, ut etiam Prophetæ eum è Spiritu sancto præuiderint, & sint
Esaiæ 56. de eo uaticinati. Sic enim dicit Esaias: Non dicat Eunuchus, ecce ego li-
gnum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint
sabbata mea, & elegerint, quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum, da-
bo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius &c. Ma-
nifestum quidem est, hunc locum Esaiæ non tam ab Augustino, quàm
à Hieronymo de allegoricis Eunuchis, hoc est, de ijs, qui sua sponte absti-
nent se à coniugio exponi. Sed hoc quæritur, num horum expositio,
cum propria sententia Prophetæ conueniat. Non est ignotum, qua in-
famia, quo probro laborârint steriles in ueteri Testamento. Cùm enim
fœcunditas sit benedictio Domini, uidebatur sterilitas esse maledictio,
non in regno tantum terreno coram hominibus, uerumetiam in regno
cœlesti coram Deo. Et extat Lex de Eunuchis, Deuter. 23. quæ non per-
mittit Eunuchos intrare in Ecclesiam Domini, hoc est, publico officio in
populo Dei fungi. Quare, qui inter Israelitas erant Eunuchi pij, sollicita-
bantur putare, ne sicut erant abiecti in populo Dei, ita essent etiam à Deo
ipso, & ab æterna sua salute, propter sterilitatis suæ maledictionem abie-
cti. Sed Esaias suscipit eos in concione sua consolandos, & cohortandos,
ut bonam Spem concipiant. Si enim ueram pietatem sequantur, non
minus fœlicitatis apud Deum consequantur, quàm fœcundi. Non enim
uaticinatur illic de futuris allegoricis, seu spiritualibus Eunuchis, sed con-
cionatur de literalibus, ut ita dicam, & corporalibus Eunuchis, qui pro-
pter corporalem maledictionem metuebant sibi ab æterna maledictio-
ne. Nam quemadmodum Propheta, in eo loco, si literam intuearis, non
uaticinatur de futura gentium uocatione ad Euangelion, sed consola-
tur præsentes proselytos, qui ad Iudaismum accesserant, ne abijciant ani-
mum, & non dicant: Separatione diuidet me Dominus à populo suo,
sed sciant se, etiamsi non sint de externo semine Abrahæ, Domino gra-
tissimos esse, si modò ueram pietatem sequantur: ita etiam concionа-
tur eo loco, iuxta literã, de externis Eunuchis seu Spadonibus, & monet
eos, ut non dubitent de uera & æterna sua salute, etiamsi sint corporali
maledictioni obnoxij. Nam si fœdus Dei tenuerint, si ueram fidem se-
cuti fuerint, intantum non nocebit ipsis corporalis maledictio, ut longè
maiorem benedictionem sint consecuturi, quàm multi, qui sibi propter
fœcunditatem beatissimi uidentur, interea autem præcepta Dei non ob-
seruant.

Sed concedamus sanè, quòd Propheta loquatur de allegoricis Eunu-
chis, qui sua sponte abstinent à coniugio, & agunt uitam in cælibatu, quid
ergo sentiendum? Num Deus daturus est talibus Eunuchis nomen me-
lius, & nomen sempiternum, propter cælibatum? Minimè omnium.
Propheta enim addit expressè: Si custodierint sabbata mea, & elegerint,
quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum. Hoc nimirum illud est, quod
Deo in Eunuchis placet. Non respicit Deus externam personam, Sed re-
spicit ueram animi pietatem. Si tenuerint, inquit, fœdus meum. Præci-

puum

puum fœdus, quod pepigit Deus cum Abrahamo est, quòd daturus sit ei Semen, in quo consequantur benedictionem omnes gentes. In hoc Semen, qui est Christus, credere, ac fiduciam suam in eo collocare, & ex hac fiducia, uocationi Dei seruire, hoc demùm est tenere fœdus Dei, & Sabbata rectè custodire, ac eligere, quæ Deo placent. Nec est dubium, nisi apud impuros cælibes, quin Paulus ex hoc Esaiæ & ijs similibus locis sumpserit, quod ad Corinthios scribit: Circumcisio, inquiens, nihil est, & præputium nihil est, Sed obseruatio mandatorum Dei. Et ad Galatas: In Christo Iesu neq; circumcisio quicquam ualet, neq; præpucium, sed noua creatura. Deus enim nõ respicit personã, sed pietatem hominis. Quare, etiamsi Esaias concionaretur non de corporalibus, sed de allegoricis Eunuchis, tamen non pronunciat eos fœlices propter externum suum cælibatum, sed propter ueram pietatem, seu propter Christũ, in quem uerè credunt, & cuius uocationem ex fide sequuntur. De uera autem sententia huius loci in Esaia copiosius scripsi in commentarijs, quibus Esaiam exposui. Nõ libet igitur nunc longius in eo explicando immorari.

Eat nunc Satan, & subsannet nos obiectione dictorum sacræ Scripturæ, ad commendandum impurum suum cælibatum. Quo enim magis conatur se autoritate spiritus sancti tueri, eo amplius solet turpitudo eius illustrari, ac pudefieri.

Perstrinximus breuiter quidem, sed quantũ ad hoc institutũ satis uidetur, dicta sacrę Scripturę, quæ Sotus Cõfessioni Principis obiecit. Transeamus nunc ad explicanda ea scripturæ dicta, quæ Sotus in sua Confessione ad stabiliendam suam impietatem recitat. Suscipit enim probandum, quòd possimus per gratiam Dei non solum implere Decalogum ea integritate, quam exigit ab hominibus in hac uita, uerumetiam nonnihil supererogare his, ad quæ ex necessitate tenemur. Et allegat initio testimonium Pauli Rom. 8. Lex Spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis &c. Rectè de Paulo Petrus: Dilectus, (inquiens) frater noster Paulus iuxta datã sibi sapientiam scripsit uobis, etiam in omnibus ferè epistolis, loquens de his, inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ Indocti parumq; firmi detorquẽt, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Quòd si Asotus usquàm aliâs, certè hoc dicto Pauli, quod ex epistola ad Romanos commemorat, ita abutitur, ut planè in contrarium sensum detorqueat. Legit enim in Paulo hæc uerba: (Vt Iustificatio legis impleretur in nobis) & his è medio corpore excerptis, definit nos posse in hac uita legem Dei implere, neglecto interea fundamento totius doctrinæ Pauli. Hæc enim doctrinæ Pauli summa est, quòd homo non iustificetur ex operibus legis, sed per fidem Domini nostri Iesu Christi. Et intelligit hanc doctrinam non tantum de Renascendis, sicut φρενα-πάται interpretantur, Sed etiam de Renatis, ut pij per omnem uitam non iustificentur, hoc est, non habeant remissionem peccatorum, nec sint Deo accepti propter sua opera, sed tantum propter Christum, per fidem. Hinc sunt dicta illa: Scimus quòd Lex spiritualis est. At ego carnalis sum. Et: Idem ego, seruio quidem mente Legi Dei, carne autem Legi peccati. Et: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam Legi Dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Et: Caro concupiscit aduersus Spiritum. Spiritus autem aduersus carnem. Hæc inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Et id genus multa alia, quæ certè intelligenda sunt de Renatis in Christo, & docent, quòd etiamsi

pij donati sunt Spiritu sancto, tamen caro eorum non mutatur in Spiritũ, aut non tota purificatur à sua corruptione in hac uita, Sed pergit naturam suam peccato inquinatam retinere, & Spiritui sancto ita obsistere, ut non possint operibus suis, quæ semper sua habent uicia, Legem Dei in hac uita perfectè implere. Et tamen nisi quis Legem Domini perfectè impleat, non potest assequi cœleste regnum. Firma enim & fixa est sententia: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus Legis, nec eos opere complet. Quo igitur nos uertemus? Non solum enim impij, qui non sunt Renati, uerumetiam pij per Spiritum sanctum Renati, hac in parte imbecilliores sunt, quàm ut queant operibus suis Legi plenè satisfacere. In hac igitur difficultate, in hoc discrimine succurit nobis Paulus suo ministerio, & docet, quòd & si multùm adhuc peccati sit in Renatis, nihil tamen sit in eis damnationis. Quam ob causam? Quia & si caro corruptior & imbecillior est, quàm ut possit Legi Dei in hac uita perfectè subijci, Deus tamen hoc compensat per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. Misit enim hunc in has terras, ut assumpta humana carne, absque tamen peccato, fieret hostia pro peccato, & expiaret peccatum. Nec hoc tantum, uerumetiam donauit eum nobis, ut Iustificatio legis in nobis impleretur. Quo modo? Num eo modo, quem finxerunt uani Sophistæ, uidelicet, ut spiritu suo efficiat, quo Legi Dei operibus nostris, in hac uita, perfectè, absque omni uicio satisfaceremus? Donat quidem nos Spiritu sancto, ut opera carnis mortificemus, & non secundum carnem ambulemus, non autem, ut operibus legem Dei perfectè in hac uita impleamus, sed ut impletionem eius, in Christo perfidem habeamus. Christus enim sicut expiauit passione sua peccatum perfectè corã Deo, ita satisfecit etiam sua obedientia legi Dei perfectè. Cùm igitur Christus sit nobis à Deo donatus, donata est etiam nobis obedientia eius, qua legem impleuit, ut etiamsi nos nõ impleamus legem, tamen quia Christus, noster est, habemus in Christo ueram & perfectam legis impletionem. Sicut enim Inobedientia Adæ, qua coniecti sumus in omne malum, fit nostra, per naturalem propagationẽ, ita & Obedientia Christi fit nostra per fidem, ut quam Iusticiæ perfectionem lex exigit, eam nos in Christo possideamus, dum Obedientia eiũs nobis coram Deo imputatur, quæ & sola accusationi ac damnationi legis coram tribunali Dei opponi potest. Hæc est uera Pauli sententia, cui & illud accedit, quòd aliàs dixit: Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per Obedientiam unius Iusti constituuntur multi. Et illud: Christus est τέλος, finis seu perfectio aut consummatio legis ad Iusticiam omni credenti: (hoc est) Christus satisfecit legi perfectè, & qui in Christum credit, habet & ipse in Christo satisfactionem legis. Et illud: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur Iusticia Dei in illo, hoc est, Christus factus est hostia pro peccato nostro, ut si credimus in eum, reputemur coram Deo tam iusti, quàm si nos ipsi uniuersæ legi eius perfectè in hac uita satisfeciss/mus. Quod cùm ita se habeat, manifestum est, locum Pauli, qui est ad Roman. 8. intantum non patrocinari Sotico errori, ut ei maximè omnium obsistat & refutet.

Sed hic considera mihi, quanta laude Sotus celebret Apostolum Paulum, ex Epistolis eius 2. Timoth. 4. & 1. Corinth. 9. Affirmat enim Paulum non solũ impleuisse Iusticiam legis, uerumetiam supererogasse quę-

dam,

dam,ultra ea,quæ neceſſariò(Hæc enim ſunt uerba Aſoti)impoſita erant. Intempeſtiua (inquiunt) beneuolentia, ab inimicitia nihil differt. Sotus tribuit Paulo quæ ipſe nunquàm agnouit. Nec dubito,quin ſi Paulus coràm adhuc in corpore ſuperſtes adſtaret, & nimia illa encomia, quæ nulli puro homini in hac uita competunt,audiret, teneri non poſſet,ut non uolaret in capillos, aut quia Aſotus raſus eſt, in capitiũ eius,uel ſaltem inſiliret conſciſsis ueſtibus ſuis in eum, ſicut quondam in Lycaones inſiliit, & exclamaret:Cur iſta de me dicis Aſote? Ego quoq; ijſdẽ obnoxius ſum malis, quibus alij homines, adnuncians, ut uos hypocritæ ab iſtis uanis opinionibus, ad ueram cognitionem Chriſti, qui ſolus hanc habet laudem, quòd uniuerſam Iuſticiam legis perfectè impleuerit, conuertamini. Iterum enim nobis redeundum eſt ad fundamentum, & caput doctrinæ Pauli. Docet enim hominem Iuſtificari fide abſque operibus legis. Docet hominem conſequi remiſsionem peccatorum, & adoptionem filiorum Dei,non propter merita ſuorum operum,ſed tantum propter Chriſtum, per fidem. Nec eſt dubium, quin ſentiat ſe quoque, eodem modo, quo docet alios homines, coram Deo Iuſtificari. Non ſcriptum eſt(inquit)propter Abrahamum tantum,imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter NOS, quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis &c. Qui autem docet, ſe fide iuſtificari, & iuſticiam ipſi per fidem imputari, fieri non poteſt, ut ſentiat ſe Iuſticiam legis impleuiſſe. Alioqui enim ſentiret ſe non ex fide, ſed ex impletione Iuſticiæ legis, & ex meritis operum ſuorum Iuſtificari,ut merces non imputaretur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Quid autem multis opus eſt? Audiamus Pauli ipſius Confeſsionem. Peccatum,inquit,occaſione accepta,genuit in me omnem concupiſcentiam.Siquidem abſque lege, peccatum erat mortuum,Ego autem uiuebam quondam ſine lege. Porrò ueniente mandato, peccatũ reuixit, ego uerò mortuus ſum. Et mox: Lex eſt ſpiritualis, Ego autẽ ſum carnalis, uenditus ſub peccatũ.Fatetur ſe, etiam poſt renaſcentiam, habere adhuc peccatum,quod per legem agnouerit. Quomodo ergo impleret Iuſticiam legis? Et iterum: Video aliam legem in membris meis,rebellantem legi mentis meæ,& captiuum reddentem me legi peccati,quæ eſt in membris meis. Fatetur ſe habere legem in carne ſua pugnantem cum lege Dei, quomodo igitur impleret iuſticiam legis? Et aliâs, affirmat quidem ſe iuxta Iuſticiam,quæ eſt in lege, factum irreprehenſibilem, uidelicet coram humano iudicio,ſed addit:Arbitror omnia damnum eſſe,propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi,habeóq; pro reiectamentis, ut Chriſtum lucrifaciam, utq; reperiar in illo, non habens meam Iuſticiam ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt Chriſti &c. Quòd ſi Paulus impleuiſſet iuſticiam legis perfectè (De tali enim impletione ſermo nobis eſt) non certè ſic contemptim abijceret eã,nec gloriaretur de Iuſticia fidei, ſed potius de Iuſticia legis.Et quid obſecro illud eſt, quod ſtatim ab initio eius epiſtolæ quæ data eſt ad Timot.ſcribit:Certus,inquiens,ſermo,& dignus,quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus uenit in mundũ, ut peccatores ſaluos faceret,quorũ ego PRIMVS SVM. Non dicit ſe primum peccatorem fuiſſe,ne quis exiſtimet ipſum hoc loco tantum ad perſecutiones ſuas reſpicere,Sed dicit,Se iam in præſentia primũ ac præcipuum peccatorem ESSE.Nec eſt hypocrita,quod genus hominũ ſolet quidem uerbis

fateri se peccatores, ut laudem humilitatis assequantur, in corde autẽ sentiunt se tanta esse iustitia, ut nisi ea sustinerent orbem, iamdudum collapsus fuisset: Sed est homo uerax: quod fatetur lingua aut calamo, hocidẽ sentit corde. Et est quoq; reipsa uerissimum. Quo enim altius raptus est in cœlum, & magis cognouit Christum, eo manifestius & certius cognouit peccatum suum, ut fuerit duplo peccantior peccator quàm alij homines. Semel, quia gestauit idem peccatum in carne sua, quod in omnes homines propagatum est. Et iterum, quia cùm alij peccatores non soleant magnitudinem peccati sui exactè intueri, Paulus ita eam agnoscit, ut exclamare cogatur: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis obnoxio? Et quid? Putas ne Paulum tanta fuisse impudentia, tantaque suæ ipsius iustitiæ fiducia inebriatum, ut adductus ad tribunal Dei, non dixerit cum Dauide: Non intres in iudicium cum seruo tuo. Et, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit, Sed apud te est propitiatio. Et: Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam.

Quid ergo est, quod ad Timotheum dicit: Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui? Quid est, quod ad Corinthios scribit, se Euangelion Christi prædicasse gratuitò? Non affirmat se Iustitiam legis ita impleuisse, ut etiam quædam supererogârit, sicut Asotus nugatur, sed cùm dicit, se cursum consummasse, & fidem seruasse, loquitur de Ministerio suo, & de cursu Euangelij, quem summa, qua potuit fide, & diligentia, inculpatè & irreprehensibiliter coram hominibus peregit, Non gloriatur se toti legi coram Deo perfectè satisfecisse. Quomodo enim hæc gloriatio conueniret cum summa doctrinæ eius? Sed exponit, quanto studio defunctus sit suo officio, in diuulgando Euangelio Christi. Sicut & in Actis Apostolicis dicit: Vos scitis, inquiens, à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni animi humilitate, cumq; multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum, ut nihil subfugerim eorum, quæ essent in rem uestram, quin adnunciarem uobis & docerem uos publicè ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum. Et iterum: Argentum & aurum, & uestem nullius concupiui, imò ipsi scitis, quòd necessitatibus meis, & his, qui mecũ sunt, suppeditauerunt manus hæ. Ac rursus: Ego non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Iesu. Quod igitur ad ministerium prædicandi Euangelij attinet, potuit Paulus dicere, Nihil mihi conscius sum. Sed quia non Iustificatur ex operibus suis in conspectu Dei omnis uiuens, necesse habuit addere: Non autem in hoc sum iustificatus. Fieri enim potest, ut functionem tuam summa fide, ac planè nulla mali conscientia peragas, necesse tamen habes coram Deo fateri, & precari; Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. De Iosia dicit scriptura: Similis illi nõ fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & uniuersa uirtute sua, iuxta omnem Legem Mosi, neque post eum surrexit similis illi. Hæc de Iosia sic recitantur, perinde acsi perfectè, absq; omni uicio impleuisset hanc Legem: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Et tamen Iosias retinuit adhuc peccatum in carne sua, & humanas suas imbecillitates, ex quibus paulò pòst temerè aggreditur Pharaonem contra uerbum Dei, & ex quibus necesse habuit coram Iudicio Dei exclamare: Si iniquitates obseruaueris

uaueris

uaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quare quòd scriptura dicit eum reuersum esse ad Dominum ex toto corde suo, iuxta omnem legem Mosi, non respicit ad corruptam naturam Iosiæ, qua semper in hac uita fuit obnoxius peccato, nec respicit ad exactissimam diuinæ Legis sententiam, quam nullus hominum in hoc corpore ita implere potest, ut propter suorum operum Iusticiam constet coram seuero Dei iudicio, Sed respicit ad functionem regiæ suæ uocationis, quam in gubernando regno, & abroganda impietate, ac instauranda uera religione tanto studio sectatus est, nihil ut in eo iuxta hamanum iudicium desiderari, aut reprehendi potuerit. Sic & Paulus commemorat fidem suam in ministerio Euangelij tam diligenter seruatam, ut nihil sibi conscius sit. Et tamen semper agnoscit se peccatorum primum, quia aliud est humano, aliud diuino iudicio satisfacere, & aliud est, Deo placere ex meritis suorum operum, aliud est Deo placere, ex gratuita eius clementia & bonitate. Sed cur addit Paulus, Reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est Iustus Iudex? Non certè loquitur de Iusticia Legis. Docet enim aliàs, neminem ex operibus Legis Iustificari. Et: Non habens, (inquit) meam Iusticiam ex Lege, Sed loquitur de Iustícia Euangelij seu Fidei, quæ Iustícia est, quòd habeamus remissionem peccatorum coram Deo tantum propter Christum, & quòd Deus sit nobis propicius, atque adoptet nos in filios suos, & cohæredes filij sui, non propter merita nostrorum operum, sed tantum propter Iusticiam seu Obedientiam Christi Filij sui, quem nos fide amplectimur. Vnde & addit Paulus: Reddet coronam Iusticiæ, non solum mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Qui ergo sunt, qui diligunt aduentum Christi? Non certè impœnitentes, ἄσωτοι, & in reprobum sensum dati, qui contemnunt Christum: Nec hypocritæ, qui cùm sperent se meritis suorum operum consecuturos misericordiam Dei, & uideant se nondum satis meritorum habere, ad mentionem aduentus eius non aliter trepidant, præsertim in tentatione, quàm si tyrannus quispiam gladio ceruici ipsorum imminaret, Sed soli pœnitentes, & credentes, quòd Christus sit non tam Iudex, quàm Aduocatus ipsorum, & pronunciaturus sit de ipsis sententiam iudicij sui, non iuxta seueritatẽ & maledictionem legis, sed iuxta clementiam & benedictionẽ Euangelij, ut accipiant hæreditatem cœlestis regni, non ex meritis suorum operum: Si enim hæc in ipsis obseruarentur, quis sustineret? Si hoc obseruarentur, uæ Paulo, uę Petro, uę uniuerso mundo, Sed ex gratuita promissione Dei, propter Iesum Christum Dominum nostrum. Hic est cursus, quem Paulus consummauit, hoc est Euangelion quod in orbe terrarũ prædicauit, uidelicet, quòd qui in Christum credunt, consequantur æternã uitam, ex gratuita clementia Dei propter Christũ. Qualẽ ergo Iusticiæ coronam, nimirum, gratuitam, propter Christũ, aliis exhibendam promisit, talem etiam haud dubiè sibi dandã intelligit, hoc est, non propter opera legis meritam, sed propter Christum, cui in ministerio suo fidem seruauit promissam. Deinde, cùm addit, (IVSTVS Iudex) nõ intelligit seuerum, qualis Christus Iudex est erga omnes incredulos, impœnitentes & hypocritas, qui cùm ignorato aut contempto Christo, nullam aliam, præter legis iusticiam norũt, iudicabuntur etiam secundum sententiam legis, ideoq; damnabũntur perpetuò, Sed intelligit Iudicẽ Iustum, hoc est, probũ, ueracem & seruantem promisit. Promissi autẽ, quòd qui in ipsum credit, non solum nõ iudicetur secundum seueritatem

& maledictionem legis, sed etiam ipse fiat unà secum, Iudex uiuorum & mortuorum. Vos, inquit, qui secuti estis me in regeneratione, (hoc enim est testimonium fidei eorum in Christum) cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et Paulus: An nescitis, inquit, quòd Sancti mundum iudicabunt? Hæc est illa iusticiæ corona, quam Christus reposuit, non ijs, qui iactant se non solum implere Iusticiam legis, uerumetiam nonnihil legi supererogare, & confidunt meritis suorum operum, sed quam reposuit Paulo, & omnibus diligentibus aduentum eius, qui fiducia solius gratuitæ clementiæ propter Christum, ad tribunal Dei accedunt. Nam, quod Asotus garrit, Paulum idcircò aliquid legi supererogasse quia prædicauerit Euangelion gratuitò, satis indicat, quanto sit acumine ingenij ad tractandas sacras literas, & quàm diligenter ac circumspectè dicta scripturæ expendat. Quid enim? Num quia Paulus non est usus uulgari libertate, sed prædicauit Corinthijs Euangelion gratuitò, idcircò supererogauit aliquid legi, & fecit, plusquàm lex Dei exegit? Non est quidem dubium, quin per se, per se, inquam, liberum sit, ex Euangelio stipendium accipere, aut prædicare Euangelion ἀδιάπτωτον, sed multa sunt per se libera, quæ ex circumstantijs fiunt necessaria, & diuinitùs præcepta. Vesci Idolothyto, per se liberum est. Vesci autem cum offendiculo proximi, non est amplius liberũ, sed peccatum aduersus hanc legem, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Si propter cibum, inquit Paulus, frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulas, ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Et de tali operum genere Paulus scribit: omnia, inquiens, mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Vesci pomo per se liberum est, sed cùm in Paradiso accederet Verbum Dei, quo esus pomi ex arbore scientiæ boni & mali prohibebatur, tantum peccatũ factum est, ut cum hoc designaret Adam, coniecerit non se tantum, uerumetiam uniuersum humanum genus in omnia genera malorum. Respicere post tergum per se liberum est, Sed cùm præciperet Lotho & familiæ eius, ne in fuga è Zodomis post tergum respicerent, & uxor Lothi hoc negligeret, conuersa est in statuam Salis. Videamus ergo, num quod hoc loco dicitur, Ex Euangelio stipendium accipere, & per se liberum est, factum sit Paulo diuinitùs ita prohibitum, ut si extorsisset à Corinthijs stipendium, peccasset aduersus Euangelion Christi, & suam uocationem. An enim non fuit Paulo diuinitùs mandatum, ut in ministerio suo sic sese gereret, quo aliquos lucrifaceret ac seruaret? An non ad hoc diuinitùs uocatus erat, ut non abuteretur sua potestate in Euangelio, & ut Euangelio nullum daret offendiculum? Profectò hæc erant officia, quæ Paulus Christo, ex uocatione sua debebat. Intellexit autem Paulus, & uidit, quòd si à Corinthijs acciperet stipendium, multos deterreret ab Euangelio, & poneret Euangelio apud Corinthios offendiculum. Sic enim perspicuè testatur ipse: Non fuimus usi, inquit, hac potestate, sed omnia sufferimus, NE QVOD offendiculum demus Euangelio Christi. Et iterum: Vt cùm Euangelizem, gratuitum efficiam Euangelion Christi, in hoc, NE ABVTAR potestate mea in Euangelio. Neq; enim Paulus omninò, nullo prorsus accepto stipendio Euangelion prædicauit. Cæteras (inquit) ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis Stipendio, quo uobis inseruirem. Et cùm apud uos essem & egerem, nõ onerosus fui cuiquam. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt

fratres

fratres qui uenerant à Macedonia. Sed apud Corinthios is rerum ſtatus erat, ut Paulus intelligeret, ſe ualde retardaturum ibi curſum Euangelij, ſi ab ipſis ſtipendium extorqueret. Quare his circumſtantijs non erat iam amplius apud Corinthios liberum, accipere Stipendium, ſed prohibitum, idque non humana, ſed diuina autoritate, ex his uidelicet legibus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum. Dilectio enim Dei exigebat, ut non poneret Euangelio, ad quod adnunciandum uocatus erat, offendiculum. Dilectio proximi exigebat, ut ipſum importuna ſua libertate ab Euangelio non deterreret. Si eſca (inquit) offendit fratrem meum, haudquaquàm ueſcar carnibus inæternum, ne fratri meo ſim offendiculo. Sic & dicendum erat: Si acceptio ſtipendij offendit fratrem meum Corinthium, haudquaquàm accipiam ſtipendium inæternum, ne fratri meo ſim offendiculo. Quod igitur Paulus fecit, non eſt ſupererogatio legis, ſicut Aſotus nugatur, ſed eſt debitum officium, quod quantum ad Paulum apud Corinthios attinet, in præceptis de dilectione Dei & proximi continetur. Quòd ſi Petrus eaſdem habuiſſet cauſas apud Ioppenſes, ubi aliquandiu commoratus eſt, debuiſſet quoque ex diuino præcepto, ab accipiendo ſtipendio, abſtinere. Non enim liberum eſt, ſed diuinitùs præceptum, non Remorari curſum Euangelij, & proximo nullum ponere offendiculum. Ecce igitur nunc, non Pauli ſupererogationem, Sed Aſoti uanitatem, qui Paulo id tribuit, quod cum uniuerſa ipſius doctrina pugnat.

Allegantur etiam dicta ex Ezechiele & Iacobo. Ezechiel dicit: Spiritum meum ponam in medio ueſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis &c. Iacobus dicit: Eſtote factores legis, & non auditores tantum &c. Sed quo, Aſote, quo? Nos nunc diſſerimus de perfecta legis impletione, & de ſupererogatione legis. Aſotus autē concionatur nobis ex Ezechiele & Iacobo, ambulandum eſſe in præceptis legis, & faciendam, non tantum audiendam eſſe legem. Quin dicit: In principio creauit Deus cœlum & terram. Ergo non ſolum poſſumus legem Dei perfectè implere, uerumetiam legi aliquid ſupererogare? Fratercule, non hoc agitur, utrum ne ambulandum ſit in præceptis Dei, & Lex Dei facienda, non audienda tantum. Quis hæc negat? quis hæc ignorat? Sed quæritur, An nos noſtra legis obſeruatione, tam perfectè ei ſatisfaciamus, ut nō ſolum eam, iuxta ſententiam Spiritus ſancti impleamus, uerumetiam nonnihil ſupererogare queamus? Sed quia hæc ſuprà copioſè explicuimus, pergemus ad reliqua.

Teſtimonia Auguſtini & Hieronymi, quæ Sotus commemorat, continent nonnulla & commodè & incommodè dicta. Etſi enim Auguſtinus & Hieronymus ſunt immodici admiratores cælibatus, quem & nos, ſed ſuo loco laudamus, tamen non ſunt ijs erroribus, quibus monachi hypocritæ, implicati. Auguſtinus dicit, quòd ad cōſequendam egregiam gloriam in æterna uita, parùm ſit liberatum eſſe à peccatis, niſi aliquid ipſi liberatori uoueatur, quod non ſit criminis non uouiſſe, ſed uouiſſe & reddidiſſe ſit laudis &c. Quanto tolerabilius loquitur Auguſtinus, quàm hypocritæ, qui ſentiunt ſua uota, & ſuum cælibatum eſſe expiationem peccatorum coram Deo, & meritum æternæ uitæ? Et tamen, ſi liberè eſt iudicandum, ne ſic quidem defendi poſſe uidetur. Neque enim cùm Paulus dicit: Conſilium do de uirginibus, conſulit Virginitatem uouendam, ac ſibi ipſi uinculum uoto inijciendum, quia diſertè addit: Non ut la-

queum uobis iniiciam. Neque probabile est, quòd uouenda sit Virginitas seu cælibatus, alioquí per se liber, ut consequaris in æterna uita, singularem præ coniugibus gloriam. Etsi enim sicut tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum in die Iudicij, quàm ciuitati Euangelij contemptrici, ita etiam alter altero erit in die Iudicij glorioſior. Stella (inquit) à ſtella differt in gloria, tamen hæc differentia gloriæ, non uenit ex meritis eorum operum, quæ homines ex aceruo eorum, quæ per ſe libera ſunt, ad cultum Dei ſuo proprio arbitrio ſeligunt, ſed ex iis, quæ homines pij ex certo Dei mandato, & uocatione aut faciunt, aut patiuntur. Et tamen ne ſic quidem datur locus meritis noſtrorum operum, ſed tantum gratuitæ Dei clementiæ. Non enim dubium eſt, quin quæ homines ex eorum numero, quæ per ſe libera ſunt, ad ſingularem cultum Dei, ſuo proprio arbitrio, abſque certo Dei mandato, ſeligunt, pertineant ad eos cultus, de quibus Chriſtus ex Eſaia concionatur, FRVSTRA colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominũ, quemadmodum ſuo loco, in gratiam hypocritarum, in quorum oculis hoc dictum Chriſti ſudes eſt, copioſius Deo propicio demonſtrabimus. Cùm autem Spiritus ſanctus pronunciet eos cultus, quos homines non ex mandatis Dei, ſed ex conſilijs, hoc eſt, operibus per ſe liberis, ſeligunt & inſtituunt, fruſtraneos acinanes, quomodo uotum Virginitatis ſeu Cælibatus, quod & ipſum eſt ex ordine conſiliorum & per ſe liberorum, meretur gloriam in æterna uita ſingularem? Quare quod Auguſtinus de hac re ſcripſit, ſuo, non Eccleſiæ periculo ſcripſerit. Nam quo illud Pauli: De Virginibus conſilium do, reſpiciat, ſuprà explicatum eſt.

Eodem pertinet quoque illud Auguſtini: Multa ſunt facienda, non iubente Lege, ſed libera charitate, & ea ſunt in noſtris officijs gratiora, quæ cùm liceret nobis, etiam non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus. Quid? an quæ impendimus ex charitate, & cauſa dilectionis, non ſunt officia diuinitùs præcepta? Quid ergo illud eſt: Diliges proximum, ſicut teipſum? Et: Mandatũ nouum do uobis, ut diligatis inuicem, ſicut ego dilexi uos? Fateor, multa ſunt opera, quæ non uerbis, ſeu literis diuinæ legis diſertè mandantur, ſed quæ in ſententia legis continentur & exiguntur. Diuinæ Leges ſunt capita uniuerſalia, & continent in ſe ſuas ſpecies, & ſingularia. Non dicit Lex: Da quatuor aut ſex numos egenti. Non dicit lex: Obliga ſemimortuo uulnera, infunde oleum & uinum, impone illum in iumentum tuum, duc eum in diuerſorium, & commenda eum, depromptis duobus denarijs, hoſpiti. Sed dicit: Dilige proximũ ſicut teipſum. Et, Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & uiderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Quod Samaritanus præſtitit ſemimortuo, præſtitit quidem ex libera charitate, ſed non erat liberum, tam miſerum hominem crudeliter negligere, Sicut Leuita & Sacerdos negligebant. Quòd Chriſtus ſoluit tributum, fecit quidem ex libera uoluntate, ſed erat debitũ officium eius uocationis, ad quam à patre ſuo in has terras miſſus erat. Venit enim filius hominis, non ut dominaretur, ſed ut ſeruiret. Suſcepit & mortem ſua ſponte, & liberrima uoluntate, ſed ex uocatione Dei.

Ioannes ἐλεήμων Epiſcopus Alexandrinus expendit egenti duas libras auri, & cùm egens fateretur hoc beneficium maius eſſe, quàm quod agnoſcere, aut pro quo, uel uerbis ſatis gratiarum agere poſſet, reſpondit Ioannes, Nondum (inquiens) ſanguinem meum pro te effudi frater, ſicut

mandauit

mandauit mihi Dominus meus Iesus Christus. Quod præstitit egenti, libera charitate præstitit, & tamen ingenuè ac uerè quoq; fatetur, se adhuc minus fecisse, quàm mandatum fuerit. Quare non sunt ista opera Supererogationis, sed legitimæ uocationis, ideoq; factu necessaria, non ut coacto & inuito, sed ut spontaneo, hilari & liberali animo fiant. Quod autem ab Augustino dictum est remissibiliter, hoc ab Asoto dicitur irremissibiliter. Ille enim, & si suas habet infirmitates, tamen mansit in uera Ecclesia Christi, ubi est infirmitatum remissio. Hic autem alienus est â uera Ecclesia, extra quam non est peccatorum remissio. Ille est homo uerè pius, quia haud obscurè testatur, se omnem salutis suæ fiduciam in solo merito obedientiæ Christi collocare: hic autem est hypocrita, & Idolatra, quia collocat fiduciam salutis suæ in meritis suæ ipsius obedientiæ, & aliorum suorum operum. Quare, & si idem dicunt, tamen quia non idem sentiunt, unus assumitur, alter relinquitur.

Cæterùm, quod de perfectione nostra, & de impletione legis ex Augustino & Hieronymo affertur, suprà explicatum est. Manifestum enim est, quòd sit aliqua perfectio hominum, uidelicet, si fiat collatio ad imperfectiores, & quòd pij impleant ex gratia Dei Legem secundum hominis mortalis capacitatem, pro huius uitæ modulo, sicut Augustinus loquitur. In præsentia autem non de hoc agebatur, sed num Lex Dei non amplius ab homine exigat, quàm quantum ab ipso in hac uita præstari potest. Et: Num homo per Spiritum sanctum renatus, satisfaciat in hac uita diuinæ legi, tam perfectè, ut nõ solum operibus suis coram Iudicio Dei confidere, uerumetiam nonnihil legi supererogare possit. Demonstratum autem est, quòd Lex Dei non sentiat sibi satisfactum, cùm homo facit quædam opera secundũ externam speciem, sed exigat in hac uita perfectissimam & absolutissimam sui impletionem, adeoq; tantam, quanta pijs donabitur in futura uita. Demonstratum item est, quòd homo tanta sit naturæ suæ corruptione per peccatum, ut etiamsi renascatur per Spiritum sanctum, tamen non impleat operibus suis Legem Dei perfectè, tantum abest, ut possit nonnihil legi Dei supererogare. Manet igitur hic locus de Lege, in Confessione Principis aduersus omnes portas inferorum, inuiolatus, ut per Legem, in ueram peccati nostri cognitionem adducti, excitemur ad quærendum Christum filium Dei, & in eo solo ex gratuita Dei clementia remissionem peccati consequamur.

De bonis operibus.

HIC iterum necesse habet Sanctissimum Catholicæ Ecclesiæ nomen, turpissimis Fraterculorum fœditatibus seruire. Et si unquàm aliàs, certè hoc loco testificatur Asotus, se tam proiecta & effrenata esse impudentia, ut nihil prorsus pensi habeat, quid scribat aut loquatur, modò non conticescat. Quæ enim est hypocritarum, Pharisæorum, & Fraterculorum impietas, audet temerarius homo non solum pro summa pietate iactare, uerumetiam Ecclesiæ Catholicæ adscribere. Et cùm nõ habeat, quod respõdeat, mauult manifestè pugnantia effutire, quàm uictrici ueritati palmam deferre. Libet igitur ipsa Confessionis eius uerba recitare, ut palàm cognoscatur, q̃ graues habeamus causas, cur Fraterculorum doctrinam reprehendamus & deseramus.

Credit,(inquit) Catholica Ecclesia, quòd bona opera quæ â Deo præcipiuntur,necessaria sunt ad salutem,& gratia eius fieri à nobis,atque ita habent proprium suum præmium,æternam gloriam. Nec inferius aliquid illa, uerum est & proprium horum bonorum operũ præmium. Sentiendum itaq; iuxta Catholicæ Ecclesiæ hunc sensum,bonis operibus,quæ ex diuina gratia fiunt, ITA ESSE FIDENDVM, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam,necessaria sint & utilia,nec propterea NOBIS, SED DIVINAE GRATIAE propter Christum fidimus. Quanquàm enim omnia opera nostra perfectioni gloriæ comparata, imperfecta sint, non tamen omnia sunt peccata, sed multa iusta, perfecta & plena coram Deo inueniuntur humana opera,sed non aliunde,quàm â misericordia Dei, & Christi meritis in nobis. Quare his solis fidimus,nõ nobis, nec tamen sine aliquo uel leuiori peccato,propterea credimus Iustos in hac uita esse.Hactenus Asotus. Hæc autẽ nõ est CONFESSIO,sed CONFVSIO, nõ est ueritas,sed uanitas, sed uertigo. Quod ut planum faciam,commemorandum est initio consilium, quo Confessio Principis hunc locũ de bonis operibus nominatim exponendum susceperit. Non.n.est obscurum,quòd Sycophantæ traducant nos palàm in orbe terrarum, perinde ac si bona opera diuinitùs præcepta,reiiceremus & damnaremus. Et quia magno studio urgemus doctrinam uerè Apostolicam,de gratuita Dei clementia, idem planè de nobis spargi solet,quod olim de Apostolis,nos uidelicet docere,faciendа esse mala,ut eueniant bona,& licere nobis peccare,quòd nõ amplius simus sub Lege,sed sub gratia.Nec hoc obscurum est,quòd Fraterculi,hypocritæ & Pharisæi,merita suorum operum,non eorũ tantum, quæ per se sunt lege Domini præcepta, sed etiam eorum, quæ sibi legi diuinæ supererogare uidentur,ita extollant,ut censeant se ijs & Ecclesiam sustinere,& tam sibi,quàm alijs peccata expiare, cœlestem iram placare, & æternã uitam, ab ipsis mortis faucibus uindicare. Quod &si Asotus ipse in hac sua Confusione palàm profitetur,tamen uisum est huc adscribere,quod Fratercu li eius Dominico ordinis sui Magistro tribuunt. Ne enim existimemus, fratres Dominicanos habere minorem præceptorem,Dominicũ, quàm nos reliqui vulgares Christiani, Christum habemus, solent Dominicum suum cum Christo conferre,&si nõ inueniunt omnia æqualia, inueniunt tamen omnia ferè similia,aliquoties etiam maiora in Dominico. Sed audiamus.

ANTONINVS ARCHIEPISCOPVS FLORENTINUS parte 3. Histor. Titu. 23.

Dominus, (inquit)dilexit nos, & lauit nos â peccatis nostris,in sanguine suo.Dominicus uerò charitatis perfectione non uacuus,noctẽ impendebat Deo, meditationi, & orationi uacans patriæ, diem uerò proximis accommodabat prædicationibus, disputationibus contra hæreticos, in exhortationibus ad fratres, audiendis Confessionibus insistendo. Ita zelus compassionis ad proximos comedebat eum,ut pro redimenda persona ab infidelibus capta, se offerret uenundandum. Trinam disciplinam quasi quotidie de manu propria,non chordula,sed catena ferrea usque ad sanguinis effusionem capiebat,Pro suis culpis unam,quæ minimę erant, Pro in purgatorio existentibus aliam, Tertiam pro his qui uersanturin mundo &c.Et ne quis putet scriptori hæc temerè excidisse, paulò pôstre/ petit eadem de disciplinis clarius. Ex magna, inquiens, charitate, tres sibi

disciplinas

disciplinas cum catena ferrea quotidie dabat usque ad sanguinis effusionem, Vnam uidelicet, pro peccatoribus in seculo degentibus, ut conuerterentur ad pœnitentiam. Secundam pro his animabus, quæ in purgatorio cruciantur, ut subleuarentur à pœnis. Tertiam pro suis peccatis, quæ tam modica & leuia erant, ut pro eis satisfaceret &c. Ac ne hæc gemma amitteretur, aut obliuioni traderetur, repetit & inculcat Scriptor eadem tertiò. Scilicet tanti fuit meminisse Dominicũ Christo similem esse, & sicut hic expiauit peccata nostra sanguine suo, ita etiam illũ non pro suis tantũ, quæ sanè paucissima & leuicula fuisse dicunt, sed etiam pro uiuorũ & mortuorũ peccatis, non alieno, sed suo ipsius sanguine satisfecisse. Nec hãc esse solius Dominici, si modò scriptor uera de eo narrat, uerum etiã uniuersæ colluuiei Fraterculorum sententiam, testatur Asotus in hac sua confusione, cùm dicit: Bonis operibus ita fidendũ, ut sint necessaria & utilia ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam. Confessio igitur Principis, cùm suscepisset capita uerè piæ doctrinæ recitanda, & hæreticas ac Pharisaicas impietates notandas, tribuit bonis operibus, quæ ei Spiritus sanctus certò tribuit, & adimit eis, quæ ipsis ex doctrina Prophetica & Apostolica, quæ est uerus consensus Catholicæ Ecclesiæ, meritò adimuntur. Itaq; duo tribuuntur bonis operibus, ijs uidelicet, quæ Deus præcepit, & quæ pij ex fide faciunt. Alterum est, quòd sint factu necessaria. Debemus enim Deo obedientiam, & gratitudinem; & fides in Christum, si uera est, teneri non potest, quin se bonis operibus exerceat, & ea tanquàm fructus proferat. Alterum est, quòd hæc opera mereantur ex gratuita Dei clementia, sua quædam tam corporalia, quàm spiritualia præmia. Sic enim uisum est cœlesti parẽti, ut & si nihil, si ius suum persequi uelit, nobis debet, tamen quia adoptauit nos ex gratuita clementia, in filios suos propter Iesum Christum, per fidem, per quam etiam habemus quæ præcipua & uerè necessaria sunt, condonationem peccatorũ, & ius æternæ uitæ, idcircò loquitur in scriptura nobiscum, ut pater cum filijs, ac pollicetur præter illa generalia & uerè necessaria, quæ sunt condonatio peccatorum, & ius æternæ uitæ, quæ & iam per fidẽ habemus, alia noua præmia, ut renouet testimonia suæ gratuitæ clementiæ, & excitet in nobis studium benè operandi, quemadmodum in superiori capite ostendimus. Quæ autem adimuntur bonis nostris operibus, hæc sunt, quòd non expient peccata coram Deo, nec mereantur factoribus uitam æternam, quòd sint imperfecta, nec possint seueritatem diuini Iudicij ferre, ideoq; non sit eis confidendum, sed soli diuinæ misericordiæ propter Christum. Hic Asotus tribuit bonis operis, non tantum ea, quæ eis Confessio Principis tribuit, uerum etiam quæ eis adimit. Dicit claris uerbis, quòd bona opera, necessaria & utilia sint ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam, atq; ita eis esse fidendum. Et tamen ut hanc impietatem aliquo modo tegat, & imperitis tenebras offundat, addit, tam in Confusione sua, quàm in Scholijs suis, quòd bona opera habeant hanc seu uirtutem, seu prærogatiuam, (nescio enim quo nomine delectetur Asotus) à misericordia Dei & meritis Christi. Et quanquàm manifestè affirmet, quòd bonis nostris operibus sit fidendum, tamen tanta uertigine laborat, ut mox neget, ac sibi ipsi contradicat. Sed ut sceleratus hypocrita etiam hoc aliquo modo tegat, pro (Bonis operibus) utitur uocabulo, (NOBIS.) Nec propterea (inquiens) NOBIS, sed diuinæ gratiæ propter Christum fidimus. Non ausus fuit dicere (Nec pro-

pterea fidimus bonis operibus) ne parùm memor suæ paulò antè dictæ impietatis uideretur, Sed eadem prorsus est sententia, Et bonis nostris operibus, Et nobis fidere. Nam quod hypocrita hîc dissimulat, suprà expresse dixit: His, inquiens, meritis, in Iudicio Dei sibi ueraciter fidendum. Et: Virtutes hæ ab ipso sunt, neque eis fidimus, nisi propter ipsum, Ipsi ut causæ, illis ut effectibus & posteriùs. Quare manifesta est uanitas & uertigo fraterculi, quòd gladio uerbi Dei ea sit percussus amentia, & furore, ut palpet in meridie, sicut cæcus solet in tenebris palpare.

Ac primùm quidē, quòd affirmat bona opera habere ex meritis Christi, ut expient peccata coram Deo, ut placent iram Dei, ut mereantur æternam uitam, detestanda est impietas. Et quanquàm eam antea refutauimus, tamen nunc quædam repetemus & addemus, ut hypocrisis impostura huius magis perspicua fiat. Vident enim uani homines, nec possunt negare, nisi extremo furore laborent, quòd Legendæ eorum, ut uocant, multò plus tribuerint meritis operum, quàm par sit, & absque contumelia Christi ferri queat: & tamen ne impietas ipsorum nota fiat, solent hoc uti κρησφυγέτῳ, quòd quicquid meriti opera habent, hoc habeant ex merito seu sanguine Christi. Tũ enim demùm opera esse merita, si fuerint sanguine Christi tincta. Sic enim sibi, nõ tam bellè quàm piè loqui uidentur. Quis ad hæc ouium uestimenta, non potius exhilaresceret, quàm exhorresceret? Sed intueamur propius, & deprehendemus luporum rapacitatem. Manifestum enim est, quòd expiare peccata, placare iram Dei, & mereri æternam uitam, tantæ sint maiestatis, ut non possint in aliud quiddam, siue in cœlo siue in terra, competere, quàm in eam solam personam, quæ est Deus & homo, hoc est, in Iesum Christum Dominum nostrum. Infinitæ est potentiæ, Creare cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Nec potest nec debet hæc potentia in alterum, præterquàm in Deum ipsum creatorem conferri. Cuicunque enim rei tribueris, facis ex ea, quantum in te est, Deum Creatorem. Non est autem minoris potentiæ & maiestatis, Iram Dei placare, & uitam æternam mereri, quàm cœlum & terram creare. Sicut ergo maiestas creandi cœli & terræ, non potest nec debet alteri, præterquàm uni soli Deo creatori attribui, ita maiestas expiandi peccati, placandæ iræ Dei, & merendæ æternæ uitæ non potest, nec debet aliò transferri, sed in una sola illa persona, quæ est DEVS & homo, relinqui. Vnus enim Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Itaque si dixeris, bona opera hominum expiare peccata, & placare iram Dei, cùm fuerint tincta sanguine & meritis Christi, perinde fuerit, ac si dixeris, Musca potest creare cœlum & terram, si fuerit tacta potentia Dei. Hoc autem est ex musca facere, non Elephantem, sicut habet prouerbium, sed Deum ipsum creatorem. Quare, cùm hypocritæ tribuunt suis operibus maiestatem expiandi peccati & placandæ iræ Dei, ex sanguine & meritis Christi, sicut collocant sua opera in throno Christi, ita quo magis pij uideri uolunt, eo contumelioſiores sunt in Christum filium Dei. Sed de hoc suprà copiosius.

Consideremus etiam ipsum uerum finem expiationis peccatorùm, quæ per Christum facta est, & manifestè deprehendemus hypocritarum uanitatem. Filius enim Dei descendit de cœlo, & suscepit negocium conciliationis, non propter bona opera hominum, ut ipsa fierent merita expiationis peccatorum, & placationis iræ Dei, sed propter homines ipsos, ut peccata

ut peccata eorum, suo ipsius sanguine expiarentur, & ipsi æternam Salutem suo solius merito consequerentur. Nam & hoc meritum, & hunc finem Spiritus sanctus in scriptura tam perspicuè proponit, ut qui non uidet, planè nihil uideat.

Esaiæ quinquagesimotertio: Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra. Et mox: Omnes nos, quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Non dicit Propheta: Vulneratus est propter bona nostra opera, ut ipsa fierent propiciatio pro iniquitatibus nostris, Sed, Vulneratus est, propter mala nostra opera, ut expiarentur, Et, Attritus est propter scelera nostra, quę non tantum sunt in peccatis, uerumetiam in bonis nostris operibus, sicut antea perspicuè cõprobatum est. Si autem bona nostra opera indigent ipsa, uicij sui expiatione, quomodo possent alia opera expiare?

Ioan. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Agnus Dei non in hoc offertur & mactatur, ut efficiat, quo bona nostra opera tollant peccatum mundi, Sed ut ipse sua ipsius oblatione illud tollat.

Matthæi uigesimosexto: Hic est Sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ. Non ait: Qui pro bonis operibus effunditur, ut sint merita remissionis peccatorum, sed qui effunditur pro Multis, uidelicet hominibus, non Iudæis tantum, sed etiam gentibus, non ut bona eorum opera expient peccata, sed ut ipsi remissione peccatorum, tam in malis quàm in bonis ipsorum operibus fruantur. Aliud enim est beneficium mereri, aliud beneficium accipere & eo frui. Filius Dei meretur effusione sui sanguinis, beneficium remissionis peccatorum. Homines autem accipiunt hoc beneficium per fidem, & fruuntur eo in omni uita sua. Nec si fruuntur, ut ipsi expient peccata, sed ut ipsis peccata non imputentur.

1. Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Non dicit, filium Dei reiecisse peccata nostra, in bona nostra opera, ut per ea expiarentur, sed pertulisse ea ipsum in suo ipsius corpore, in suis ipsius actionibus & passionibus, ut per has expiarentur. Nec dicit, ipsum idcirco pertulisse peccata nostra super lignum, ut pro ijs, nostra iusticia satisfaceremus, sed ut peccatis mortui, iusticiæ uiueremus.

1. Tim. 2. Dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Nõ ait: Effecit, ut nostra opera essent preciũ redemptionis, sed dedit, (inquit) SEMETIPSVM, redemptionis precium.

Quid multis opus? Petrus uno dicto testificatur uniuersam Catholicam Ecclesiam in hoc consentire, quòd habeamus remissionem peccatorum, non per nomen nostrorum operum, sed tantum per nomen Christi. Huic, inquiens, testimonium ferunt omnes Prophetæ, (Hic enim est consensus Catholicæ Ecclesiæ) quòd remissionem peccatorum accipiat per NOMEN EIVS, quisquis crediderit in ipsum.

Quæso autem te, qua necessitate, aut qua utilitate Christus filius Dei conferret suam expiandi peccati, & promerendæ æternæ uitæ maiestatem, in bona hominum opera? Consideremus enim hominem cum operibus suis, uel ante conuersionẽ ad cognitionem Christi, uel post conuersionem ad Christum, cùm homo adhuc in obsequio fidei cõstat, uel cùm in peccata conscientiam uastantia relabitur, & amittit Christum, ac uideamus, nũ aut necessitas aut utilitas aliqua cogat, ut nostra opera accipiant

meritum expiandi peccati, & placandæ iræ Dei, ex merito Christi. Nam si fuerit sermo de bonis operibus, quę homo facit ante conuersionẽ suam ad Christum, manifestum est, quòd ea opera non solum non accipiant ex merito Christi, meritum expiandi peccati, ut etiam ipsa sint peccatum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Et: Oratio, inquit Augustinus, quæ non fit per Christum, non solum nõ potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.

Si autem sermo est de homine iam ad Christum conuerso, & in uocatione Dei piè ambulante, ne sic quidem uel necessarium, uel utile est, ut sentiamus, quòd opera nostra mereantur merito Christi expiationem peccatorum, & placationem cœlestis iræ. Nam, qui in Christum uerè credit, habet remissionem peccatorum, & propicium Deum, in Christo ipso, & propter Christum ipsum. Quæ ergo necessitas est, aut quæ utilitas, ut quærat peccatorum remissionem, & placationem iræ Dei, in suis operibus, quam antè habet perfectissimè, & plenissimè, in Christo? Nisi fortè sentias, te in uno & solo Christo, ac propter unum & solum Christum, non habere satis remissionis peccatorum, & fauoris Dei. Sed quis ita insaniat? Nam ut nonnulli diuitias & thesaurum beneficij Christi aliquo modo explicent, dicere solent, Vnam solam guttam Sanguinis Christi tam preciosam esse in conspectu Dei, ut posset esse sufficiens expiatio pro peccatis non huius tantum, sed etiam innumerabilium, si essent, mundorum. Ac Deus tanto fauore cõplectitur eum, qui est ad ipsum per fidem conuersus, & ab ipso propter Christum, in filium adoptatus, ut non solùm condonet ei peccata, quæ externis operibus designauit, sed etiam clementer conniueat ad id uicium, quod adhuc carni inhæret. Itaque fit, ut cùm Deus eum hominem, qui in Christum credit, paterno affectu prosequatur, boni consulat, non tantum ea opera, quæ homo facit iuxta præscriptum diuinæ Legis, uerumetiam ea, quæ per se sunt indifferentia, qualia sunt, edere, bibere, dormire, ambulare, & quæ sunt huius generis alia. Vade, inquit Salomon, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio uinum tuum, quia Deo placent opera tua. Et Ioannes: Omnis, inquit, qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet. Et non potest peccare, quòd ex Deo natus est. Non hoc uolunt Salomon & Ioannes, quòd qui renatus est, non possit relabi in peccata, & quòd peccata Deo placeant, Sed hoc uolunt, quòd qui habet propicium Deum, & est ab ipso adoptatus in filium, is non tantum Deo placeat, cùm ea facit, quæ ex Lege mandata sunt, uerumetiam cùm ea facit, quæ per se libera sunt, & indifferentia. Qui enim dilectus Dei filius est, multò plus placet Deo, esu, potu, & somno suo, quàm omnes hypocritæ, cum omnibus suis triduanis Ieiunijs, chameunijs, & flagellationibus. Imò hi sunt in conspectu eius cum omnibus operibus suis execrabiles, cùm ille, etiam cum imbecillitatibus suis, sit DEO acceptissimus. Hæc non eò dicuntur, ut carni frena laxemus, sed ut amplitudinem beneficij Christi cognoscamus, & sciamus, quòd & si bona opera piorum placent Deo, ex merito Christi, non tamen idcircò habeant, ex hoc merito, quòd & ipsa expient peccata, & mereantur æternam uitam, alioqui dicendum esset, quòd pij expient peccata sua, & mereantur æternam uitam, faciendo opera, non solum quæ diuinitùs sunt mandata, uerumetiam quæ per se sunt indifferentia, hoc est, edendo, bibendo, dormiendo, oscitando, sternutando, festucam leuando, & quis ea omnia enumerare

merare posset? Nã & hæc placent Deo, & pij, qui ea faciunt, fruuntur merito Christi per fidem. Quis autem, uel ab ipsis met hypocritis, non exibilaretur, qui seriò affirmaret, se suo esu, potu, somno, oscitatione, sternutatione, ac ijs etiam uiliori actione, expiare peccata sua, & mereri æternam uitam? Etsi enim hypocritæ adscribunt aliquoties expiationem peccatorum rebus penè abiectioribus, aspersioni uidelicet aquæ benedictæ, tunsioni pectoris, & id genus alijs, tamen quia collocãt magnam pietatis suæ partem in ieiunijs, & uigilijs, ferre non possent, ut expiatio peccatorum, & meritum æternæ uitæ, esui, potui, & somno adscriberentur, præsertim cùm & Paulus dicat: Esca non commendat nos Deo. Et: Regnum Dei non est cibus aut potus, sed Iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

Si uerò sermo est de homine ad impietatem, & in peccatum uastans conscientiã relapso, & si hypocritæ proponunt ei tres pœnitentiæ suæ partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quibus sentiunt eum conuerti ad Deum, & expiare peccata, ac mereri æternam uitam, tamen ostendemus propicio Deo, in suo loco, has esse Pharisaicas & fictitias pœnitentiæ partes, & nihil certius est, quàm quòd relapsus, eadem gratuita clementia per fidem propter Christum, in gratiam Dei recipiatur, qua initio, cùm ex Ethnica impietate & Idolatria, ad Christum conuerteretur, receptus fuit. Etsi enim Baptismus semel acceptus, non est in conuersione relapsi repetendus, tamen repetendum, audiendum, & credendum est idem Euangelion de Christo, quod ab initio est prædicatum & fide acceptum. Hoc Euangelion autem docet, quòd homo non iustificetur ex operibus Legis, sed ex fide in Christum, hoc est, quòd Deus remittat nobis peccata, & adoptet nos in filios, nõ propter ulla merita nostrorum operum, sed tantum gratuita sua clementia, propter Iesum Christum, si in eum credimus.

Actor. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

Rom. 8. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, (hoc est, remittit crimina, & iniusticiam.) Quis ille, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.

Rom. 11. Dona & uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit. Sicut ergo ab initio, cùm Deus hominem ad fidem uocauit, condonauit ei peccata, gratuita sua clementia propter Christum, ita postea cùm homo à peccatis, in quæ relapsus est, conuertitur, inuenit ad hùc eandem gratuitam Dei clementiam, propter Christum, nec fieri potest, ut Deum unquàm gratuitæ suæ clementiæ, quam nobis in Christo exhibuit, pœniteat.

2. Timoth. 2. Si negabimus, (& perduraverimus in negatione) & ille negabit. Si increduli sumus, (& ad fidem reuertamur) ille fidelis manet, negare seipsum non potest.

1. Ioannis 2. Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ, Iesum Christum Iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Habes idem Euangelion, eundem Christum, eandem fidem in conuersione relapsi, quæ initio erant in prima conuersione ex impietate. Etsi enim ueteres non recipiebant relapsos, nisi publicis pœnitentiæ ritibus, ta

men hæc externa ſpectacula, nõ fuerunt expiationes peccatorum coram Deo, ſed tantum proteſtationes agnitionis peccatorum coram hominibus, & expiationes offendiculorum, quæ Eccleſiæ ex peccatis data erant, ſicut ſuo loco demonſtrabitur. Nam quod ad ueram expiationem peccatorum coram Iudicio Dei attinet, ſicut ſolus Chriſtus filius Dei expiauit peccata humani generis ſua paſſione & morte, ita tam impius, quàm relapſus, ſi conuertuntur, habent peccatorum remiſsionem in ſolo Chriſto Filio Dei per fidem. Quæ cùm ita ſe habeant, reliquum eſt, quòd tribuere meritum expiationis peccatorũ, & æternæ uitæ, operibus noſtris ex merito Chriſti, non ſolum non ſit neceſſarium & utile, ſed ſit etiam contumelioſum & blaſphemum in Chriſtum filium Dei, qui & ſi excitat ſpiritu ſancto ſuo pios ad bona opera, & clementer condonat, quod in eis reliquum eſt peccati, maieſtatẽ tamen expiandi peccati, placandi Dei, & promerendæ æternæ uitæ Soli ſibi ita retinet, ut uelit quidem fructum horum beneficiorum ad homines transferre, & eorum ipſos participes reddere, nõ uelit autem maieſtatem ipſam cum ulla creatura ſiue in cœlo ſiue in terra communicare. Nam quòd nonnulli affirmant, operibus noſtris meritum expiationis peccatorum idcircò tribuendum, ut homines excitentur ad facienda bona opera, Reſpondeo, ueritatem ad ſui ſtabilimentum non indigere mendacijs & impoſturis. Facienda omninò ſunt bona opera, & ad hæc admonendi ſunt homines, non autem nugis, & mendacijs, ſed ueritate, uidelicet, præceptis Dei, ingenio ueræ fidei, officio, gratitudine, & alijs id genus cauſis: quibus ſi homines ad ſectanda bona opera non excitantur, fruſtra laborauerís mendacio: quòd ſi multum efficit, hypocriſim externam, non uerè pia opera in homine efficit. Deinde, & ſi ſuprà copioſè refutatum eſt, quod Sotus toties impudenter & impiè affirmat, bonis operibus fidendum eſſe, tamen, quia hoc loco addit quaſi correctionem aut explicationem, Nec propterea, inquiens, nobis, ſed diuinæ gratiæ propter Chriſtum fidimus, oſtendendum erit, Sotum in eorum catalogo contineri, de quibus Paulus ſcribit: Aberrarunt, inquiens, quidam, & deflexerunt ad uaniloquium, uolentes eſſe legis doctores, non intelligentes quæ loquuntur, neq; de quibus aſſeuerant. In primis autem, ne uocabuli ambiguitate ludamur, cùm dicitur: Fidendum eſſe diuinæ gratiæ, nomine Gratiæ intelligi poteſt, aut fauor ſeu beneuolentia, qua Deus homines in Chriſtum credentes complectitur, aut donum illud trium uirtutum, Fidei, Spei & Charitatis, in hominibus. Si ergo Aſotus intelligit nomine gratiæ donum uirtutum, hoc uult dicere, fidendum eſſe dono Dei, hoc eſt, uirtutibus, quæ in nobis ſunt. Hæc autem eſt uetus eius impietas & uanitas, & antea pluribus confutata. Qui enim collocat fiduciam ſuam in eo dono, quod à Deo accepit, non iam uerè confidit in donatorem Deum, ſed in donum ipſum Dei, non confidit uerè in Creatorem, ſed in creaturam. An non etiam ſapientia, fortitudo, diuitiæ ſunt dona Dei? Et tamen apud Hieremiam dicit Dominus Deus: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, non glorietur fortis in fortitudine ſua, non glorietur diues in diuitijs ſuis. Quid autem eſt gloriari in Sapientia ſua, niſi Sapientia ſua coram Deo confidere? Si uerò nomine gratiæ intelligit gratuitum fauorem, clementiam & beneuolentiam Dei erga nos, conſiſtere non poteſt, ut ſimul confidamus meritis uirtutum, quæ in nobis ſunt, & gratuitæ beneuolentiæ, quæ in Deo eſt. Hoc enim eſt claudicare, iuxta Baalitas, in duas partes, Et colere quidem Dominum, iuxta Samaritas,

Samaritas, nihilominus autem timere suos deos, adeoq; duobus dominis simul seruire. Si ad expiandapeccata, & consequendam æternam uitam confidendum est meritis operum gratiæ, certè debebitur his meritis expiatio peccatorum, & uita æterna. Si autem est debitum, non est gratia. Ei, inquit Paulus, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et iterum: Si per gratiam, iam non ex operibus, quandoquidem gratia, iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia. Eligat igitur hypocrita utrum uelit. Aut confidat gratuita Dei clementia, & nullo modo potest confidere meritis uirtutum suarum, aut confidat ijs meritis, & nullo modo potest confidere gratuita Dei clementia. Diliges, (inquit) Deum ex TOTO, non dimidiato corde. Et: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes. Et: Nemo potest duobis dominis seruire. Sicut nemo potest colere alienum Deum, propter uerum Deum, quia uerus Deus uetuit, ne colas alienum Deum: ita nemo potest meritis uirtutum confidere, propter Deum, quia Deus exigit, ut non suis uirtutibus in nobis, quæ sunt creaturæ, sed sola ipsius gratuita clementia & misericordia, quæ est Creator ipse, confidamus. Manifesta igitur est uertigo, & non tam ridicula, quàm detestanda inconstantia Asoti, quòd nunc quidem dicat, ad expiandapeccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam, fidendum esse bonis operibus, nunc autem dicat: Diuinæ gratiæ propter Christum, non nobis fidendum.

Eadem est uertigo, cùm in Confusione sua addit: Quanquàm omnia, inquiens, opera nostra perfectioni gloriæ comparata, imperfecta sint, nõ tamen omnia sunt peccata, sed multa iusta, perfecta & plena coram Deo inueniuntur humana opera, sed non aliunde quàm à misericordia Dei &c. Quæso te, amicissime Lector, potes ne in animum inducere, ut credas, Asotum, cùm hæc scripsit, sobrium aut mentis suæ compotem fuisse? An hoc non est turbari, moueri & errare, sicut ebrius & uomens? An non manifestum est, sapientiam eius, sicut Psalmus loquitur, deuoratam esse? Fatetur, omnia nostra opera, perfectioni gloriæ comparata imperfecta esse. Et tamen mox addit: Non omnia esse peccata, sed multa iusta, perfecta & plena coram Deo, idque ex misericordia Dei, & meritis Christi. Ac mox hac illac uacillans, Nõ tamen, (inquit) sine aliquo uel leuiori peccato. Tribuit nostris operibus imperfectionem, tribuit aliquod, uel leuius peccatum. Et tamen audet uociferari multa eorum inueniri Iusta, perfecta & plena coram Deo. Sed ne uideatur nimis impudenter loqui, addit, ea opera non aliunde sic esse, quàm à misericordia Dei, & meritis Christi in nobis.

Suprà exposui, quomodo intelligendum sit, quod dicimus, Bona nostra opera, esse peccata, uidelicet, non quòd per se ipsa facta, quatenus conueniunt cum Lege Dei, peccata sint, Sed quòd sint imperfectiora, quàm ut Legi Dei plenè satisfaciant, & quòd minus habeant, quàm debẽt, ideoque sint uiciosa. Quod ne ipse quidem Asotus negare potest, ac si negaret, conuincitur autoritate non sacræ tantum scripturæ, sed etiam Augustini, qui ait: Plenissima (charitas) quæ iam non possit augeri, quamdiu hîc homo uiuit, est in nemine, quamdiu autẽ augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, EX VICIO est.

Sed hoc uicium existimat Asotus leuius esse, quàm quod requiri debeat. Scilicet hypocritis illis leuicula sunt, Non benè credere in Deum,

Dubitare de clementia & bonitate Dei, Dubitare de ueritate promissionum Dei, & si quæ sunt id genus alia, quæ ex peccato originali in homine reliqua sunt. Et leuiculum est tale cor gestare, ex quo, si sibi relinquatur, exire solent cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia & conuicia.

Deinde, manifestum quidem est, quòd imperfectio seu uicium bonorum operum, quæ ex fide fiunt, non imputetur à Domino ex misericordia, propter merita Christi, sed condonetur. Dicere autem talia opera ex meritis Christi esse coram Deo iusta, perfecta & plena, hoc certè aut est impudenter effutire, quod nescias ipse quid sit, aut est affirmare hominem in hac uita non Spe, sed re ipsa perfectè & plenè beatum ac fœlicem esse, ut non iam Spiritu ex fide Spem Iustitiæ, iuxta Paulum, expectemus, sed rem ipsam possideamus. A qua sententia, cùm Asotus ipse abhorrere uideatur, quid est, quòd inanibus uerbis, perfectionem & plenitudinem humanorum operum in hac uita, coram Deo iactet? Nunc enim non quæritur, qualia sint bona hominum piorum opera, ex condonatione & clementia Dei, seu, ut alij loquuntur, ex bonitate Dei acceptantis, Sed quæritur qualia sint bona opera, collata ad ueram sententiam diuinæ legis, & è sua ipsorum dignitate. Etsi enim Deus non imputat pijs uicia bonorum suorũ operum propter merita Christi, tamen opera non sunt idcircò in se, coram Deo perfecta & plena, nec implent perfectè legẽ Dei, imò eiusmodi sunt, ut pius exclamare cogatur, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Si quis de puero, parentibus quidem dilecto, leproso autem, diceret, & si lepra huius pueri non imputatur ipsi à parentibus, nec est eis abominationi, tamen puer non est sanus, sed uera & abominabili lepra infectus, importunus autem Sophista uociferaretur, Imò puer coram parentibus uerè sanus, & uenustus est, quis hominem litigiosum non iudicaret odio dignum, ac non faciem suam ab eo, tanquàm abominabili ipso auerteret? Confessio Principis perspicuè loquitur de bonis operibus, non qualia sunt ex bonitate Dei acceptantis, sed qualia sunt ex sua ipsorum dignitate, & coram seuero Iudicio Dei. Non possunt, (inquit) seueritatem diuini Iudicij ferre. Hoc cum Fraterculus negare nec possit, nec audeat, nisi planè omnem pudorem abiecerit, tamen ut emissarijs suis aliquid dicere uideatur, concionatur nobis interea, qualia opera nostra sint, ex misericordia Dei. An non eadem ratione, si quis doceret ex Lege Dei, quòd peccatum, seu impietas damnaret homines, posset uanus quispiam ἀγύρτης contendere, Imò, inquiens, peccatum ex misericordia Dei, non damnat homines? Sed ehodum Fraterculle, Non iam hoc agitur, qualia sunt peccata, ex misericordia Dei, Scimus enim ea credentibus in Christum remitti, sed qualia sunt ex lege Dei, & coram seuero tribunali Dei.

Etsi autem spero, quòd ex his quæ dicta sunt à nobis, perspicuum sit, quàm ineptè, quàm incongruenter adducat fraterculus testimonia sacræ Scripturæ in scorijs, (scholijs dicere uolui) & in Confusione sua, tamen uisum est ea perstringere, ut pia scripturæ dicta, ab impijs deprauationibus uindicentur.

Confessio Principis affirmat bona nostra opera mereri ex gratuita Dei clementia quædam corporalia & spiritualia bona, hìc statim quærit Asotus, Cur, inquiens, non æterna & cœlestia, Deum scilicet ipsum? Et remittit nos ad loca scripturæ, quæ se ultimo afferre in hoc capite dicit. Credo autem

do autem eum loqui de eo, quod ad Abrahamum dicit Dominus: Ego merces tua magna nimis.

Primùm, An qui dicit, nos mereri præmia Spiritualia, negat nos mereri æterna & cœlestia? Quid? Spiritualia, non sunt æterna, non sunt cœlestia? Quid cum tam crasso Theologo facias? Scio, discrimen esse donorum Spiritualiùm, & alia esse caduca, alia æterna. Confessio autem Principis loquitur, non tantum de caducis, sed etiam æternis donis. Ac negat quidem, quòd nostra opera mereantur remissionem peccatorum, & uitam ipsam æternam. Et si quidem Sotus quærit, cur hoc neget, facilis est responsio, quia blasphemum est, maiestatem meriti Christi transferre in merita humanorum operum. Maiestas enim promerendæ nobis remissionis peccatorum, & æternæ uitæ pertinet tantum ad unigenitum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Postquàm autem accepimus remissionem peccatorum, & uitam æternam propter Christum, ibi tum cõferuntur in nos uaria dona, prout fidem suam quisq; Domino probauerit, & talẽto suo ex fide usus fuerit. Da filium hominis, Nõ meretur ius paternæ hæreditatis, sed habet illud ex Natiuitate. Postquàm autem factus est hæres, solent in ipsum ex paterna bonitate uaria dona, iuxta obedientiam suam, conferri. Eadem est hac in parte ratio filiorũ Dei. Accepimus, inquit, Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Idẽ Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Itaque in ratione mundanorum hæredum, propositum est nobis exemplum cœlestium, ut quemadmodum illi habent plenum ius hæreditatis paternæ, nullo prorsus suo merito, sed tantum ex Natiuitate, Et tamen accipiunt interea singularia dona, si parentibus diligens præ alijs obsequium præstiterint: ita cœlestes hæredes, assequuntur ius cœlestis hæreditatis, nullo planè suo merito, sed tantum per Renascentiam propter Iesum Christũ: Et tamen quia Paulus plus omnibus laborat, quod & ipsum habet nõ ex se, sed ex gratuita Dei clementia, plus etiam donorum quàm alij, in cœlesti regno consequitur. Qui docti fuerint, inquit Daniel, fulgebũt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quid ista ad Asotum, & Sodalicium eius, qui cùm propter hypocrisim suam non habeant remissionem peccatorum, & ius æternæ uitæ, nihil etiam præmiorum eis in ęterna uita expectandum erit.

Deinde, quòd Deus ad Abrahamum dicit: Ego merces tua magna nimis, impudens est & furiosum eo trahere, perinde ac si doceret nos nostris operibus mereri, ut Deus ipse sit Noster, adeoque Merces nostra. Quæ, obsecro, proportio thesauri illius infiniti & longè omnium perfectissimi, ad opera nostra non tantum finita, sed etiam sordida & mutilata? Docuit nos Christus: Non uos me elegistis, sed EGO elegi uos. Docuit Paulus: Commendat charitatem suam erga nos Deus, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Docuit Ioannes: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Fraterculus autem nunc diuersum nos docet, uidelicet, quòd nostris operibus priores mereamur, ut Deus sit merces nostra, ut Deus nos diligat, nos eligat, & omnem cœlestem suum thesaurum in nos conferat. Sic solent hypocritæ proficere, ut cùm piam doctrinam oppugnandam susci-

piunt, suam ipsorum impietatem subinde magis ac magis prodant. Cùm Dominus ad Abrahamum diceret: Ego merces tua magna nimis, non hoc significat, quòd Abraham meritus sit suis operibus, ut Deus factus sit Deus eius: Respexit enim Deus ad Abrahamum, non propter merita Abrahæ, Sed ex gratuita sua clementia. Trans fluuium, (inquit scriptura) habitauerunt patres uestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nahor, SERVIERVNTQVE ALIENIS DIIS. Tuli ergo patrem uestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus &c. Et aliâs: Si Abraham iustificatus fuit ex operibus, habet quod glorietur, at non apud Deum. Cùm igitur Deus dicit ad Abrahamum: Ego merces tua magna nimis, non commendat merita Abrahæ, sed pollicetur suam gratuitam clementiam, & consolatur miserum in afflictione sua. Nam cùm dicit: Noli timere Abraham, dubium non est, quin Abraham, grauissima tentatione affectus fuerit, ac metuerit, ne Deus, cùm non det ipsi liberos, iuxta promissionem antea dictam: Faciam te in gentem magnam, Et: Semini Tuo dabo hanc terram, abiecerit ipsum, & sit ab ipso auersus, nec habeat ullam ipsius rationem. Itaque cogitat sibi pereundum esse, non tantum in hoc mundo, inter tot alienas & infestas gentes, Sed etiam perpetuò, inter multas Satanarum myriades. Hîc ergo consolatur eum Deus, & confirmat fidem eius, Ego, inquiens, protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Non metuas interitum. Sicut hactenus te in omnibus uijs tuis tutatus sum, ita deinceps te in omnibus aduersis tuis tuebor, & conferam in te maxima quæq; beneficia, idq; non propter tua merita, sed ex mea gratuita clementia, qua te antea ex Idolomania eduxi, & peccatum, in quo conceptus & natus es, condono. Nam uocabulum mercedis, apud Hebræos non tantum significat precium debitum, sed etiam donum gratuitum. Et quæ post hæc uerba in Genesi cap. 15. sequuntur, testimonium ferunt, quòd Deus hoc mercedis uocabulo, non intelligat meritum, sed gratuitum beneficium. Sequitur enim celebre illud dictum: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad Iusticiam. Quod Paulus exponens: Ei (inquit) qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei autem, qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad Iusticiam. Nõ enim est uera fides, quæ innititur meritis operum, sed quæ innititur gratuitæ Dei clementiæ per Christum. Quare cùm scribitur Abrahamum Credidisse, confestim intelligendum est, Abrahamum non esse confisum meritis suæ ipsius iusticiæ, sed tantum diuina misericordia, quæ ipsi in semine suo, qui est Christus, promittebatur.

Sed pergit Asotus testimonijs etiã Pauli (si Deo placet) probare quòd confidendum sit meritis nostrorum operum. Scio, inquit Paulus, cui credidi & certus sum, quia potens est depositũ meum seruare in ullum diem. Et iterum: Spes non confundit. Nihil quidem, ut de utilitate taceam, iucundus est, quàm in sacris literis meditari, ac præsertim uerba Pauli, quæ ad nos è tertio cœlo attulit, diligenter tractare. Sicut enim odoriferi flores, eo suauius redolent, quo plus eos contrectaueris, ita scripta Pauli eo sunt spirantiora, quo magis ea uersaueris. Sed hoc demùm molestissimũ est, quòd uideas Fraterculos, tanquàm immundos porcos, abominandis suis fœditatibus cœlestia illa oracula turpissimè contaminare.

Paulus, tantus gratuitæ clementiæ Dei, quæ nobis in Christo exhibita est, prædicator, ut in hunc usum singulari quodam consilio Dei sit excitatus,

tatus, nusquàm non solet nobis ob oculos ponere, quòd iustificemur coram Deo, seu consequamur remissionem peccatorum, & hæreditatem æternæ uitæ, non ex operibus legis, quæ sunt merita operum, sed tantum per fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, ex gratuita uidelicet clementia Dei propter Christum, si in eum credimus, nihilominus tamen cogitur, uelit, nolit, hoc sentire, quod Fraterculi de suis ipsorum meritis somniant. Vniuersa doctrina Pauli eò spectat, ut abducat nos à fiducia nostrorum operum, ad fiduciam solius Domini nostri Iesu Christi. Et tamen Asotus tanta est impudentia, ut palàm audeat de eo vulgare, quòd & ipse collocauerit fiduciam & spem suam in bonorum suorum operum meritis. Nam quod Paulus dicit: Deum seruare depositum ipsius in illum diem, hoc Asotus interpretatur de deposito bonorum operum. Causa, inquiens, quare non confunditur, est depositum bonorum operum. Qui in priori Epistola ad Timotheum dixerat, se esse peccatorum primum: qui aliàs ingenuè confessus fuerat, se uenundatum sub peccatum, & carne seruire legi peccati: qui scripserat, se habere omnia pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciat, & in Christo reperiatur, non habens, (inquiens) meam iusticiam ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, qui & paulò antè in hac posteriori ad Timotheum Epistola, & in hoc capite dixerat: Saluos nos fecit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam (hoc est,) gratuitam clementiam, quæ exhibita nobis est per Christum, ei audet Pharisaicus scurra adscribere, quòd per depositum suum intelligat depositum bonorum suorum operum, propter quorum merita Deus sit ipsi regnum cœleste daturus. O deploratam hominis temeritatem. Depositum enim, de quo in eo loco Paulus loquitur, non est depositum bonorum suorum operum, id quod è statu uniuersæ doctrinæ Pauli manifestum est, sed est depositum fidei de æterna sua salute, quam sperat ex gratuita Dei dilectione & clementia propter Christum, & de qua certus est ex Euangelio Christi. Postquàm enim Paulus conuersus est ad Christum, agnoscit ex Euangelio eius, quòd non solum remissa sint ipsi peccata, uerumetiam parata hæreditas æternæ salutis & fœlicitatis propter Christum. Et quod Euangelion certò promittit, hoc etiam Paulus firmiter, quantum quidem præ imbecillitate carnis fieri potest, credit. Sed interea, dum quæ Euangelio promissa sunt, reipsa patefiunt, multa accidunt Paulo aduersa, multæ afflictiones, quæ pro uita minantur mortem, pro cœlo infernum, ut periculum uideatur, ne Deus eum odio habeat, & æternam ei salutem neget. Quare Paulus dicitur æternam suam salutem per fidem deposuisse apud Deum, quòd & si tam graues afflictiones ipsi accidunt, ut appareat nullam ei amplius salutis spem relictam, tamen certissimè sciat per fidem, Deum seipsum non negaturum, nec gratuitam suam dilectionem seu clementiam abiecturum, sed firmissimè seruaturum, quod per Christum promisit, nec unquàm commissurum, ut de ijs, quæ de gratuita ipsius clementia in Christo promissa, & in ipsum per fidem deposita sunt, credentem fallat. Vnde & ad Romanos scribens, Persuasum mihi habeo, (inquit) quòd neque mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Loquitur autem Paulus, non de ea dilectione, quam nos habemus erga Deum, sicut à nonnullis exponitur, sed de ea

dilectione, quam Deus habet erga nos, & qua nobis procurauit æternam salutem propter Christum. Et hæc siue dilectio Dei erga nos, siue æterna salus, quæ nobis ex dilectione Dei propter Christum præstatur, est Depositum nostrum apud Deum, si Euangelio Christi, in quo hęc de Dei dilectione erga nos patefacta est, firmam fidem adhibuerimus. Sic enim fieri nō potest, ut Deus, siue acciderit nobis mors, siue uita, auertatur à sua erga nos dilectione, & neget nobis ueram & æternam salutem, quam ex promissione eius, per fidem apud eum, quasi deposuimus, ut eam opportuno suo tempore recipiamus. Quare, cùm Paulus captiuus & uinctus esset, ac expectaret quouis momento mortem sibi inferendam, non uidetur quidem extrinsecus, quòd Deus ipsum diligat, & quòd habeat æternā salutē, sed quia ex Euangelio Christi non dubitat de dilectione, qua Deus ipsum complectitur, & de uera salute, quæ ipsi propter Christum, ex gratuita Dei clementia parata est, idcircò læta & confidenti mente exclamat: Noui certusq; sum, quòd is cui credidi, potens sit depositum meum custodire in illum diem. Hoc vult dicere. Etiamsi uideor nunc abiectissimus hominum, & morti traditus, tamen siue mors siue Satan in me sæuiat, nō dubito, quin Deus me tanto fauore complectatur, ut seruaturus me sit in ipsa morte, & daturus æternam salutem, propter Christum, cuius nomine uinctus sum. Quòd si Paulus intelligeret per depositum, bona sua opera, nunquàm potuisset tam alacri animo, in media mortis expectatione, oculos suos, ad thronum diuinæ maiestatis attollere, propterea quòd bona eius opera suas habuerunt imbecillitates, propter quas non potuissent seueritatem diuini tribunalis sustinere. Nunc autem, quia confidit Sola Dei dilectione & clementia erga ipsum, quæ & certissima est, & firmissima, nec fieri potest, ut auertatur ab eo, qui in Christum credit, tanta est mentis alacritate, ut audeat etiam morti ipsi medium digitum ostendere, & insultare.

Huc facit, quod ad Romanos scribit: Spem non confundere. Video enim Sotum alludere allegatione huius dicti ad Sophistarum suorum definitionem, qui dicunt, Spem prouenire ex gratia, (quam & hoc loco, ut puto, intelligunt de donis gratiæ,) & meritis. Quæ definitio, ita cum Paulo, hoc est, cum uera sententia totius Scripturæ pugnat, ut mirandum sit, qua fronte eam Paulo acceptam referant. Postquàm enim Paulus docuisset nos Iustificari, hoc est, recipi in gratiam Dei, & consequi remissionem peccatorum, ac hæreditatem æternæ uitæ, non propter merita operum nostrorū, sed tantum per fidem propter Christum, addit, nos sic iustificatos habere pacem seu tranquillitatem conscientiæ, & Spem gloriæ Dei, uidelicet, quòd liceat nobis gloriari de clementia Dei erga nos, etiam in omnibus aduersis & afflictionibus, quas patimur, & quibus probamur. Et mox subiungit, quòd hæc Spes non pudefaciat nos. Sed ob quam causam Spes non pudefacit nos? Num quia ea sunt operum nostrorum merita, ut possimus propter ipsa certam spem salutis concipere? Nihil uerò minus. Sed Paulus ipse ueram addit causam. Spes, inquiens, non pudefacit, eo quòd charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic iterum charitas Dei non significat eam charitatem, quam nos habemus erga Deum, sed quam Deus erga nos habet. Nam quòd Paulus hoc loco sic de charitate Dei loquatur, testantur aperte ea quæ sequuntur. Commendat, (inquit) suam charitatem erga nos Deus, quòd cùm adhuc

essemus

essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Quod suprà dixerat (Charitas Dei) hoc statim quasi exponẽs dicit, Deus SVAM charitatem erga NOS cõmendat. Hæc enim est uera illius dicti sententia, quòd Spes idcircò non confundat, seu pudefaciat nos, quia Spiritus sanctus, qui datus est nobis, testificatur copiosè, largè, & effusè in cordibus nostris, quòd Deus diligat nos ex animo, & complectatur nos summa charitate. Nisi enim nos effusissimè amaret, non tradidisset pro nobis filium suum. Nunc autem, quia dedit pro nobis Christum, non cùm aliquid boni fecissemus, non cùm gratiam eius mererémur, sed cùm adhuc infirmi, peccatores & impij essemus, manifestum est, Charitatẽ eius erga nos esse immensam, & inæstimabilem. Spes igitur, quæ non confundit, seu pudefacit, non prouenit ex gratia & meritis, ut Fraterculi balbutiunt, sed tantum ex gratia, hoc est, ex gratuita Dei clementia, ut is demùm uerè & certò sperare possit æternam salutem, non qui deponit Ieiunia, horas Beatę Virginis, quas demurmurauit, Vigilias, Cucullas, & alia operum suorum merita, ad tribunal Dei, sed qui Deponit Deo suam ipsius gratuitam clementiam in unigenito filio suo exhibitam, & credit sè consequi salutem, nullo prorsus suo, Sed tantum Domini nostri Ieiu Christi merito. Nam quòd Spes, quæ nititur suis meritis, & non soli gratuitę Dei clementiæ, confundat coram Deo, & pudefaciat, manifestum est, ex eorum exemplo, qui iactant quidem apud Matthæum sua dona & merita: Nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præstitimus, sed audiunt, Discedite â me qui operamini iniquitatem. Et exemplo Pharisæi, qui apud Lucam obtrudit Deo suam Iusticiam, honestatem coniugij, Ieiunia & decimas, necessè autem habet Spe sua frustrari & pudefieri, quòd publicanus, qui sola gratuita Dei misericordia confidebat, descenderit relicto illo in sua impia hypocrisi, è templo Iustificatus. Mox fatetur Asotus ipse, quòd opera nostra sint imperfecta, ex eo, quod â nobis habent, ut ipse loquitur. Quid ergo suscepit hunc locum oppugnandum? Sed quòd addit, multa esse perfecta ex eo quod habent à Spiritu diuino, iterum uertiginem patitur, quia confestim addit, Non ultima illa beatitudinis perfectione, sed pro mensura huius uitæ. Habemus ergo ipsiusmet Asoti testimonio, quòd nostra bona opera in hoc seculo semper sint imperfecta, siue ex eo, quòd sunt â nobis, siue quòd sunt â diuino Spiritu: Neque enim ne sic quidem, cùm sint è Spiritu sancto, attingunt in hac uita eam perfectionem, quæ à nobis exigitur, ut suprà exposuimus, & quæ futura est in cœlesti regno. Quæ est autem hæc hominis furia, quæ uesania, quòd in Confessione Principis condemnet, quæ ipsemet affirmat & probat? Confessio Principis asseuerat omnia nostra bona opera esse imperfecta, non ea tantum, quæ nos nostris uiribus facimus, sed etiam, quæ Spiritus sanctus in nobis facit. Asotus autem suscipit hoc refutandum, & tamen eo ipso affirmat nostra opera esse imperfecta, tam ex eo quòd sunt â nobis, quàm ex eo, quòd sunt à diuino Spiritu. Non enim respondent ei integritati, quæ est futura in æterna uita. Quis tantam uecordiam non detestaretur? Non sum Asoto iratissimus, qui fortassis eo est ingenio, ut nusquàm sibi constet, & rectiora scribere nesciat, sed illi execratione dignissimi sunt, qui Asotum, hominem tanta uertigine laborantem, ad hoc scriptionis genus impulerunt, & non potius eum ad cellulam suam, & ad demurmurandas horas beatæ Mariæ uirginis (siquidem omninò censent hunc cultũ Deo

ualde gratũ esse) ablegarunt. Nã quod ex Paulo ad Philippenses recitatur: Is qui cœpit in uobis opus bonũ, perficiet usq; ad diẽ Iesu Christi. Et: Deus est is, qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis, pro beneplacito. Nõ hoc vult Paulus, quòd possimus legi Dei in hac uita perfectè satisfacere, aut quòd bona nostra opera sint tam perfecta, ut queant corã seuero tribunali Dei constare, sed altero quidem dicto, sperat Deũ, qui accepit Philippenses in gratiam, & illustrauit eos luce Euangelij, non passurum, ut hæc lux apud eos extinguatur, & hoc bonum ac salutare opus, quod est cognitio Euangelij, in ipsis intercidat, sed cõseruaturum perpetuò, donec Christus de cœlo in maiestate sua patefiat. Sed quid hoc ad institutum Asotis? Num idcircò Philippenses satisfaciunt legi diuinæ, & bona eorũ opera possunt in seuero Iudicio Dei constare? Fortasis hoc vult Asotus, quòd cùm Paulus dicit: Deus perficiet opus bonum usq; ad diem Iesu Christi, sentiat Philippenses posse, diuina gratia, tam bona, tam perfecta opera facere, ut ea in aduẽtu Christi seueritati diuini Iudicij opponere queant, & propter ipsa æternam salutem consequantur. Sed hanc sententiam pugnare cum statu totius doctrinæ Pauli, suprà demonstratum est. Altero autem dicto docet tam uoluntatem benefaciendi, quàm benefactum ipsum esse à Deo, & Deum in nobis utrumq; agere, uidelicet, ut non solum bona cogitemus, sed etiam, quæ bona cogitamus, eadem & faciamus. Sed quomodo? num tam perfectè, ut possimus ea opera seuero Dei Iudicio opponere, & meritis eorum æternam salutem consequi? Hoc tam longè abest à sentẽtia Pauli, quàm longè abest Asotus à uera cognitione Christi. Quare sicut hæc dicta Pauli obseruatione dignissima sunt, ita sententiam Confessionis Principis magis approbant, quàm refutant.

De eo, quod dicitur, Reddet unicuiq; secundum opera sua, suprà copiosè explicatum est. Nam, quod addit Asotus, quòd per dictionem, SOLA, cùm dicitur, (collocandam esse omnem fiduciam, in Sola misericordia Dei, non excludantur bona opera, quæ sunt in nobis ex ipsa misericordia) aut intelligit, bona opera sic non excludi, ut tamen necessariò fieri debeant, sed quid hoc ad institutum? Etsi enim omnis salutis nostræ fiducia collocanda est non in operibus nostris bonis, sed in sola Dei misericordia, nihilominus tamen bona opera facienda esse non solum fatemur, sed etiam urgemus, non uidelicet hoc consilio, ut homines meritis suorum operum confidant, sed ut ueritatem fidei suæ testificentur, & obedientiam atque gratitudinem suam Deo probent. Aut Asotus intelligit bona opera sic non excludi, ut tamen etiam in ijs fiducia salutis sit collocanda. Sed hæc impietas antea pluribus refutata est, quàm ut operæprecium sit, quædam alia hoc loco addere.

Quod Asotus de hoc dicto Psalmi: Non intres in Iudicium cum seruo tuo &c. balbutit, declarat insignem eius imperitiam in explicandis Psalmis, & uera eius dicti sententia suprà exposita est. In Ecclesiasta quidem dicitur: Sunt iusti atque sapientes, non autem dicitur, quòd homines sint iusti corã Deo, propter suam ipsorum Iusticiam, nec dicitur, quòd homines debeant fiduciam salutis suę in iusticia & meritis suorũ operum collocare. Qui enim iusti sunt inter homines, aut sunt ciuiliter tantum Iusti, sicut Ethnici. Et hi non constant cum ciuili sua Iustícia in Iudicio Dei. Aut sunt theologicè Iusti, sicut omnes uerè pij, in Christo renati. Et hi nondum sunt in se & operibus suis, in hac uita perfectè Iusti, sed reputantur coram Deo Iusti, per fidem, propter Iesum Christum, (quemadmodum

dum sæpè expositum est,) & habent Spiritum sanctum, qui &si excitat eos ad facienda bona opera, tamen ea non fiunt in hac carnis imbecillitate, tam perfectè, ut possimus meritis eorum in conspectu Dei confidere, Sed semper dicendum est: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et: Remitte nobis debita nostra.

Ad illud, quod Confessio Principis è Galat. capite quinto, citat: Caro concupiscit aduersus Spiritũ &c. Sotus facit discrimen inter opera, quòd alia sint, quæ Sancti uolunt, sed non possunt, alia, quæ uolunt, & possunt. Volunt Sancti, inquit, Non concupiscere, sed non possunt. Cæterùm multa alia bona uolunt, quæ & possunt, dante eo, qui operatur & uelle & perficere. Crassum Theologum. Quasi uerò pugna carnis & spiritus in hac uita aliquoties sit in homine, aliquoties non sit, & non potius sit continua usq; ad excessum ex hac uita. Ac fieri quidem potest, quòd in Asoto & ipsi similibus nulla sit hæc pugna, quippè quòd careant Spiritu sancto, & nõ habeant nisi spiritum Pharisaicum, qui cùm sit nigrore teterrimus, uidetur ipsis candidissimus. In ijs autem qui uerè sunt pij, caro semper pugnat cum spiritu: & Lex, quæ est in membris, rebellat semper Legi mentis ipsorum. Non uidet, non sentit eam semper homo, sed uidet & sentit eam semper Dominus Deus noster, qui est scrutator cordium & renum. Epitome enim diuinæ legis hæc est: Diliges Deum ex toto corde, Et proximum sicut teipsum. His præceptis caro in hac uita ne potest quidem subdi, & quanquàm homo pius fuerit præditus Spiritu, ac faciat ex Spiritu bona opera, quæ uel ad dilectionem Dei, uel ad dilectionem proximi referuntur, tamen quia adhuc habet carnem rebellantem spiritui, nec potest eã abijcere, nulla prorsus sunt opera diuinitùs præcepta, (de his enim sermo est) quæ possit in hac uita sic præstare, & perficere, ut coram seuero tribunali Dei constent. Nam, quod Psalmus de Sanctis dicit: Omnis uoluntas mea in eis, non hoc significat, quòd Deus efficiat in Sanctis, ut operibus suis impleant legem suam in hac uita tam perfectè, & tam integrè, ut possint eorum meritis confidere, & ea seueritati diuini Iudicij opponere, sed iuxta Hebræi uocabuli proprietatem, pro Voluntas legendum est uoluptas, seu beneplacitum & beneuolentia. Hic enim Psalmus est uox Christi, & hæc est uera huius uersiculi sententia, quòd Christus habeat summam uoluptatem, & afficiatur summo fauore ac beneuolentia erga Sanctos suos, quibus ita delectat, ut malit profundere Sanguinẽ suum, quàm ad interitum eorum conniuere. Sed quo merito eorum sic afficitur filius Dei erga ipsos? Num merito Iustitiæ eorum? Sed Paulus dicit: Cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et Ioannes: Nõ quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos. Quare hic uersiculus Psalmi, non confirmat perfectam Iustitiam Sanctorum, sed confirmat perfectam beneuolentiam Christi erga sanctos, quòd &si & ante renascentiam fuerunt impij, & post renascentiam retinent peccatum in carne, tamen tanto fauore eos complectatur Christus, ut & susceperit eos gratuita sua clementia in gratiam, & condonet eis peccatum adhuc in carne remanens, & adoptet eos in cohæredes cœlestis regni.

Iam, quòd Asotus scribit Paulum, postq; dixisset: Noui quòd nõ habitet in me, hoc est in carne mea bonũ, statim subiungere, Infœlix ego homo, quis me liberabit &c. quid ad propositũ facit? Num quia Paulus addit: Infœlix ego homo, quis me liberabit? Et: Gratia Dei per Iesum Christũ, Et: Nihil nunc est damnationis his, qui sunt in Christo &c. idcircò falsum est,

quod antea dixit: Noui quòd non habitet in carne mea bonum? Imò u/
trumq; ueriſsimum & certiſsimũ eſt, uidelicet, quòd quamdiu pij in hoc
mundo uitam agunt, non habitet in carne eorum bonum, Et tamen nul/
lam habeant damnationem. In pijs enim aut Sanctis, aliud eſt habere pec
catum, aliud habere damnationem. Nam qui ſunt in Chriſto per fidem,
nullam quidem habent damnationem propter Chriſtum, multùm au/
tem habent adhuc peccati in carne ſua, propter quod peccatum, non eſt
iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet: propter quod peccatum,
non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis uiuens: propter quod peccatum,
Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & ueri/
tas in nobis non eſt. Quid ergo eſt, quòd Aſotus huc ex Paulo adſcribat,
quæ nemo negat, niſi fortè hoc uelit, quòd qui ſunt in Chriſto & non uer/
ſantur iuxta carnem, ſed iuxta Spiritũ, in tantum nihil habeant damnatio/
nis, ut etiam nihil habeant peccati, & ut legi Dei ex omni parte, ſine ullo
uitio in hac uita ſatisfaciant, ac merita operum ſuorũ ſeuero Iudicio Dei
opponere poſsint. Sed hæc ſententia iamdudum eſt manifeſtæ impietatis
conuicta. Eadem tam inſcitia, quàm impietate ſuſcipit Aſotus locum Da/
nielis ex nono capite, ſua expoſitione deprauandum. Cõfeſsio enim Prin/
cipis aſſeuerat, non eſſe coram ſeuero Iudicio Dei confidendum Iuſtitia
noſtrorum operum, Et probat teſtimonio Danielis: Non in Iuſtificatio/
nibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuã, ſed in miſerationibus
tuis multis. Hic locus perſpicuè teſtatur, non eſſe fiduciam ſalutis in no/
ſtrorum operũ Iuſtitia, ſed tantum in miſerationibus Dei collocandam.
Aſotus autem opponit huic loco primùm, concionem Ezechielis de pœ
nitentia, ut probet homines eſſe coram Deo uerè iuſtos, & iuſtitia operũ
in Iudicio Dei confidendum eſſe. Expendamus igitur Ezechielem. Si im
pius (inquit) egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus
eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit Iuſtitiam & Iudicium,
uita uiuet, & non morietur. Initio, Ezechiel hac concione nihil noui do/
cet, ſed concionatur planè idem, quod antea in lege continetur. Si audie/
ris uocẽ Domini Dei tui, ut facias atq; cuſtodias omnia mandata eius, ue/
nient ſuper te omnes benedictiones &c. Et: Teſtes inuoco hodie cœlum
& terram, quòd propoſuerim uobis uitam & bonum, benedictionem &
maledictionem. Elige ergo uitam &c. Et: Cuſtodite leges meas & Iudi/
cia, quæ faciens homo, uiuet in eis. Cum his dictis legis cõuenit etiã quod
Chriſtus ait: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Quid igitur? Num
quia Ezechiel dicit: ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis,
Et, Lex ait: Si feceris & cuſtodieris omnia mandata Dei. Et Chriſtus: Ser/
ua mandata, idcircò impius ſic agit pœnitentiam in hac uita, ut nõ ſolum
nullum amplius habeat peccatum in carne, uerumetiam cuſtodiat & im/
pleat OMNIA mandata Dei tam perfectè, ut poſsit & debeat Iuſtitia o/
perum ſuorum, coram ſeuero tribunali Dei conſidere? Sed talem ſenten/
tiam adſcribere legi, & ueris eius concionatoribus, eſt ſuam imperitiam
prodere, & contumelioſum eſſe, nõ in homines tantum, ſed etiam in Spi/
ritum ſanctum ſanctum. Lex enim & conciones eius, ſiue in ſcriptis ue/
teris ſiue noui Teſtamenti contineantur, nõ in hoc ſunt nobis propoſitæ,
ut teſtificentur, homines poſſe in hac uita legi ſatisfacere, & reipſa ex ope/
ribus ſuis uerè coram Deo iuſtos fieri. Non ſequitur. Si impius cuſtodie/
rit omnia præcepta Dei, Ergo cuſtodit omnia præcepta Dei. Sicut non
ſequitur. Si Aſotus eſſet probus uir, Ergo Aſotus eſt probus uir. Si Aſo/
tus

tus uolaret ſuper pennas uentorum, Ergo Aſotus uolat ſuper pennas uentorum. Nec ſequitur: Lex dicit, Serua omnia mandata Dei. Ergo poſtes ea omnia ſeruare. In quem ergo uſum Lex & conciones eius nobis proponuntur? Non certè in hoc proponuntur, ut teſtificentur de uiribus noſtris, quibus Legem ſeruare queamus, ſed de imbecillitatibus noſtris, quarum agnitione ad quærendum Euangelion excitemur. Si data fuiſſet Lex, (inquit Paulus) quæ poſſet uiuificare, uerè ex Lege eſſet Iuſticia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Et mox: Lex Pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide Iuſtificaremur. Quare cùm concio Ezechielis de pœnitentia pertineat ad Legem, ut paulò antè indicauimus, nõ hoc docet, quòd homo poſsit in hac uita ab omnibus peccatis purus fieri, & omnia præcepta Dei perfectè implere, ut ea impletione coram Iudicio Dei confidere debeat, ſed ducit auditorem in agnitionem peccatorum, & oſtendit ei iram Dei, propter inobedientiam & iniuſticiam, non ut in peccatis & ira Dei moriatur & damnetur, ſed ut excitetur ad quærendum Chriſtum, & credendum in Chriſtum, ut in ipſo habeat remiſsionem peccatorum, & quam iuſticiam non poteſt habere in ſuis operibus, habeat eam in Chriſto per fidem. Itaque conciones Ezechielis de pœnitentia, & Danielis de fiducia in miſerationes Dei multas non ſunt opponendæ, ſed coniungendæ. Cùm enim Ezechiel dicit: Si impius egerit pœnitentiam ab OMNIBVS peccatis, & cuſtodierit OMNIA præcepta, audit uiciſsim ab homine in peccati agnitionem ducto, Ego uerò, (inquit peccator,) facilè conceſſerim, me uita uicturum & non moriturum, ſi, quod tu Ezechiel doces, eſſem purus ab OMNI peccato, & cuſtodirem OMNIA præcepta Dei. Nunc autem, & ſi fortaſsis duco honeſtam uitam iuxta æternam ſpeciem, tamen uideo aliam Legem in membris meis rebellantem Legi mentis meæ, & captiuum reddentem me Legi peccati, quæ eſt in membris meis. Quo igitur me uertam? quid faciam? Quo diutius tuam, Ezechiel, concionem audio, quo diligentius eam intueor, eo magis agnoſco peccatum meum, & eo longius uideo me â cuſtodiendis omnibus præceptis Dei abeſſe. Vbi igitur ſalutem conſequar? Hic concionabitur ei Aſotus aut Iebuſita quiſpiam, Si non potes omnia præcepta Dei ſeruare, age, ſerua Conſilia, Indue cucullam, Voue paupertatem, caſtitatem & obedientiam, tranſige uitam in Ieiunijs, in Vigilijs & alijs bonis operibus. Sic enim fiet, ut ab ipſa animæ exhalatione adhuc calidus in cœleſte regnum ingrediaris. Sed penè præterijſſem, Inuoca etiam Beatam Mariam Virginem. Maria mater gratiæ, tu nos ab hoſte protege, & nos in hora mortis ſuſcipe. Aut illud, quod extat publicè in eo horario, cuius titulus eſt, Hiſtoria ſecundum chorum Auguſtenſem de commemoratione beatiſsimæ uirginis Mariæ.

Gaude matrona cœlica
Exultando magnifica
Deum tuum ſalutarem
Qui te fecit ſingularem
Tu ancillam Ieſu Chriſti
Te uocare uoluiſti
Sed ut docet Lex diuina
Tu ipſius es Domina

Nam ius habet & ratio
Matrem præesse filio
Ergo ora supplíciter
Et præcipe sublimiter
Vt nos in mundi uespera
Ad regna ducat suprema.

Aut illud, quod mox in eodem libello sequitur.

O Maria uirgo uirginum
Summum trinitatis sacrarium
Angelorum speculum
Scala Sanctorum omnium
Tutum peccatorum refugium
Cerne pia nostrum periculum
Sume suspirium
Ac nobis placatum tuum pium
Iam redde nobis filium

Sed præstat & illud, quod in eodem libello continetur, recitare.

O Virgo uirginum decus, magna est gloria in salutari tuo, quis enarrare laudes tuas potest? Tu sola sine exemplo, quam elegit Dominus, ut esses MEDIATRIX Dei & hominum, Reparatrix seculi, terminus exilij, ABLVTIO peccati, uia consilij, fiducia pręmij, Scala cœli, Ianua Paradisi &c.

Quarum precum tanta est efficatia, ut quàm primùm eas Legiones inferni audierint, necesse habeant sese confestim ad tartarum suum properare. O cœlum, ô terra, sed reprimam me, ad suum usque locum. Hæc est Fraterculorum Rhetorica, imò Asotorum blasphemia, qua miseros peccatores consolari solent. Sed facessant hinc Asoticæ & Iebusiticæ consolationes. Peccator enim concione Ezechielis de pœnitentia territus, ducendus est, non ad Fraterculorum φλυαρίας & blasphemias, sed ad concionem Danielis, ut dicatur ei: Si agnoscis peccatum tuum, & uides te nec custodiuisse, nec posse custodire OMNIA præcepta Dei, iuxta sententiam Spiritus sancti, & intelligis, te æternam damnationẽ meritum, age, prosterne preces tuas ante faciem Dei, non in tuis Iustificationibus, sed in miserationibus Dei multis. Inuoca Deum, ut exaudiat orationem & deprecationem tuam, & ostendat super te faciem suam, propter Dominũ, hoc est, Iesum Christum Dominum nostrum. Ad hunc Dominũ Iesum Christum conuerte te, & crede in eum, ut cùm non possis ex te, & tuis operibus habere iusticiam & salutem, ex hoc uno, qui se unà cum omnibus bonis suis tibi donauit, consequaris. Nec solum ad Danielis concionem ducendus est peccator, uerumetiam reducendus ad alteram concionem Ezechielis. Cùm enim Ezechiel in concione de pœnitentia iubet impiũ agere pœnitentiam, & conuerti ad Dominũ, docet postea cap. 34. quomodo pœnitentia uerè agi, & conuersio ad Dominũ salubriter fieri possit. Suscitabo, inquiens, super ea pastorẽ unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum. Hæc est concio Euangelij de Christo, ut qui agnitione peccati ita territus ac perturbatus est, ut nullam possit spem salutis è suis operibus corã Deo concipere, conuertatur ad Christum, agnoscat eum pastorem suum, qui

ponat

ponat pro ipso animam suam, & tueatur eam à lupis inferni tanta potentia & clementia, ut etiamsi non impleuerit legem Dei, tamen non moriatur, sed uiuat. Qui enim in Christum credit, ei imputatur Iustitia Christi, & donatur Spiritus sanctus, ut excitetur ad obedientiam, non qua expiet peccata, & consequatur æternã uitam: Hæc enim beneficia habet in Christo, & ex meritis Christi, sed qua testificetur fidem, & gratitudinem suam. Quare Ezechiel & Daniel ita sibi conueniunt, ut uno ore, & uno spiritu, pugnent cum Asotica impietate, & docent, non esse confidendum meritis nostrorum operum, sed tantum meritis Domini pastoris, qui est Christus, solus peccatorum nostrorum expiator.

Deinde, recitat Sotus, quæ apud Danielem in nono capite sequuntur, Abbreuiatas esse septuaginta hebdomadas, ut consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. Hic mihi uide optime Lector, quantum referat, ut in lectione sacræ Scripturæ, uelamen ab oculis & cordibus nostris tollatur. Hæc concio Danielis de Christo, est suauissimum Euangelion de beneficijs Christi, & docet, quòd Christus sit talis peccatorum nostrorum expiator coram Deo, ut Deus nunquàm amplius uelit ea credenti in Christum imputare, & in seuero suo iudicio meminisse, sed potius clementer ei condonare, & largiri, ut Iustitia Christi, in sempiternum fruatur. Iustitia enim Christi est obedientia eius, qua nobis placauit, & reconciliauit Patrem in cœlis, sicut Rom. 5. dicitur. Qui ergo credunt in Christum, fruuntur hac Iustitia perpetuò, primùm quidem, quia possunt eam opponere iræ Dei, in accusatione legis & peccatorum, & confidere, quòd Deus propter eam tanta ipsos beneuolentia complectatur, ut non solum remittat ipsis peccata, uerumetiam adoptet ipsos in hæredes suos, & seruet eos in morte ad sempiternam uitam. Deinde, quia Deus propter eam donat credentibus Spiritum sanctum, qui incipiat carnem in hac uita & in hoc corpore mortificare, ut non secundum carnem, sed secundum Spiritum, uersentur, donec ex hac carne liberati, ornentur in cœlesti regno perpetua Iustitia. Hæc est uera sententia concionis Danielis de beneficijs Christi, sicut est per Apostolicam doctrinam tradita & exposita. Asotus autem habet uelamen ob oculos suos positum, præ quo non potest in ueram Prophetæ sententiam intendere. Existimat enim pro more Pharisæorum & hypocritarum, quòd homines possint operibus suis peccata ita expiare, ut non solum satisfaciant Legi Dei, uerumetiam nonnihil Legi coram Deo supererogent: itaque non tantum reipsa iusti fiant, quod uehiat ex obseruatione præceptorum, sed etiam metas Iustitiæ aliquantum transiliant, quod ueniat ex obseruatione Consiliorum. Hac igitur opinione fascinatus, uenit ad concionem Danielis, & cùm ibi legit: Consummabitur præuaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducetur sempiterna iustitia, statim accommodat ea ad suam, qua inebriatus est, opinionem, & intelligit, quòd Christus ita deleat peccatum & iniquitatem, & adducat sempiternam Iustitiam, ut homo non habeat amplius in hac carne peccatum, ut totus fiat in hoc seculo purus & mundus, & uera operum Iustitia sic in eo uiuat, ut & Legem perfectè impleat, ac insuper etiam Legi nonnihil supereroget. Vides igitur Asotum recitare quidem posse dicta Prophetarum, & aliquoties pia quoque uerba addere, Sed si propius in mentem eius introspicias, nõ inuenies, nisi impiam hypocrisim & Pharisaicas imposturas.

Postremò hoc bellissimum est, quod de miserationibus apud Danielem exponit. Sed libet uerba ipsa Asoti adscribere, ne gemma illa in reliquo precioſorum lapidum aceruo contemptibilis & abiecta iaceat.

Obserua (inquit) quòd inter miserationes Dei, sunt & Opera nostra, à quibus fit, ut illa faciamus. Non ergo in Iustificationibus nostris, ut nostris, & à nobis, sed in miserationibus tuis multis, hoc est, inter cætera, IN IPSIS OPERIBVS NOSTRIS, ut à tuis miserationibus, prosternimus preces nostras. Habes Asotica, & uerè ἀσωτικὰ, hoc est, ab omni salute & pietate alieniſsima. Nam cùm Propheta dicit: Non in Iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis, apertè opponit inter se Iustificationes nostras, & Miserationes Dei, ac intelligit per Miserationes Dei, non dona Dei in nobis, sed affectum clementiæ & misericordiæ in Deo. Quare manifesta est deprauatio Asoti, quòd per Miserationes Dei in hoc loco apud Danielem exponat opera Dei in nobis. Et quæ est hæc Sophistica uertigo? An Iustificationes, quæ erant in Daniele, non erant in eo ex miseratione Dei? Num quæ bona opera Daniel fecit, non fecit ex fide, sed ex carne, hoc est, impietate? Certè quia fuit pius, & multi alij fuerunt in Babylone pij, quæ bona fecerunt, ex fide fecerunt, & habuerunt ea ex dono Dei. Nihilominus tamen non audet in eis, sed tantum in misericordia, quæ est in Deo, precandi fiduciam collocare. Et si enim bona opera, quæ per nos fiunt, sunt à Deo, ne tamen sic quidem sunt tam perfecta, & tam integra, ut possimus ijs coram Deo confidere. Quòd si hæc est ratio interpretandæ scripturæ, quid, obsecro, tam diserte, tam circumspectè à Spiritu sancto dici potest, quod impiorum libidini & calumniæ non pateat? Moses dicit: Non propter tuas Iusticias & æquitatem cordis tui ingredieris in terram, sed quia Gentes impiè egerunt, & ut DEVS compleret uerbum suum. Opponant ergo se Israelitæ hypocritæ Mosi, & dicant ei: Profectò tu falleris, & mentiris. Ingrediemur enim in terram propter nostras Iusticias, non quidem quatenus ex nobis sunt, sed quatenus sunt ex miserationibus Dei in nobis. Vicissim uerò audient: Maledictus omnis, qui non permanserit in OMNIBVS, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Vos autem, & si habetis quasdam iusticias ex Deo, tamen ijs non permanetis in omnibus præceptis legis, nec impletis ea iuxta sententiam spiritus sancti. Quare, quo magis gloriamini de Iusticijs, quas habetis ex Deo, eo plus maledictioni obnoxij estis.

Psalmus 113. precatur: Non nobis (inquiens) Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam & ueritatem tuam. Obsistamus igitur precatori, & inuertamus precationem: Non nomini tuo tantum Domine, sed etiam nobis, Nobis, inquam, quatenus quidem à te sumus creati, da gloriam. Hieremias, imò Dominus per Hieremiam, dicit: Non glorietur sapiens in sapientia sua, non fortis in fortitudine sua, non diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, Scire & nosse me &c. Reprehendāt igitur Sapientes, fortes & diuites Dominū ipsum, & dicant: Cur non gloriaremur in ea sapientia, fortitudine & opulentia, quam tu nobis dedisti? Tua dona sunt. Ex tua miseratione nobis donata sunt. Cur igitur non liceret tam in ipsis, quàm in te gloriari?

An non Pharisæus apud Lucam, bona sua opera, quæ fecerat, Deo ita accepta refert, ut etiam ei pro ijs gratias agat? Sed & hypocritæ apud Matthæum agnoscunt sua dona, esse dona miserationis Dei: Domine, inquiunt,

quiunt, nonne per nomen TVVM (non noſtrum) prophetauimus? per nomen TVVM (non noſtrum) dæmonia eiecimus, per nomen TVVM, (non noſtrum) multas uirtutes præſtitimus? Et tamen audiunt: Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.

Ac profecto, Ethnici, qui agnouerunt quidem Deum, nõ autem glorificauerunt eum, ut Deum, maximam ſalutis ſuæ iacturam fecerunt, ꝙ Aſotus non uixerit ipſorum temporibus, & docuerit eos hanc Theologiam, ut cùm colerent Solem, lunam, ligna, lapides, feles, crocodilos, & alias beſtias, profiterentur, ſe hæc non colere, nec adorare, ut ſua ipſorum opera, ſed ut ſunt ex Deo, & ut ſunt bonæ creaturæ Dei. An non hæc fuiſſet compendiaria uia excuſandæ imò approbãdæ omnis Ethnicæ impietatis, & Idolomaniæ? Tales Theologos profert Pontificia Religio, qui tanto ſunt ingenij acumine, ut è ſacra ſcriptura, non ſolum Phariſaiſmum, & Papiſmum, uerumetiam Ethniciſmum, nec dubito, quin & Turciſmum tueri poſſent.

Teſtimonia, quæ recenſet Confeſsio Principis, ex Auguſtino, Gregorio & Bernhardo, tam apertè, tam perſpicuè probant, Non eſſe confidendum operibus noſtris, coram Deo, nec opera noſtra poſſe ſeueritatem diuini iudicij ferre, ut hypocrita prorſus non habeat, quo ſe uertat. Et tamen ea eſt hominis impudentia, ut cum nihil ſolidi, nihil firmi habeat, quod reſpondeat, tacere tamen & ueritati gloriam dare non poſsit. Nũc Auguſtinus loquitur de matre ſua & orat pro ea. Nunc nulla ſunt noſtra bona opera & merita ſine miſericordia Dei. Nunc opera noſtra proſunt ex meritis Chriſti. Nunc non negantur bona opera, ſed ſunt ex gratia. Nunc ſuſpicio eſt, literam Bernardi eſſe fortè, aut inſcitia aut inaduertentia corruptam. Et tamen etiamſi legatur, ſicut habent exemplaria, paratæ ſunt ſuæ expoſitiones, quibus intelligatur, ut nec merita, nec bona opera negentur. Quid eſt in utramꝙ partem uacillare, quid eſt ſpiritu uertiginis agi, ſi hoc non eſt? Quis negat bona opera? Quis negat, bona piorum opera, eſſe ex gratia ac meritis Chriſti? Non hoc agitur hypocrita, num ſint aliqua bona opera, & unde ſint: nec agitur, qualia bona piorum opera habeantur ex gratuita clementia & miſericordia Dei. Non eſt ueræ Eccleſiæ Dei ignotum, qua ſe extendat Miſericordia Dei. Secundum altitudinem cœli, inquit Pſalmus, à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Nam quos Deus ex miſericordia elegit, hos tanto fauore, tãta clemẽtia complectit, ut placeãt ipſi, non ſolũ cũ operibus, uerumetiã ſine operibus ſuis. Cũ nondũ nati eſſent Eſau & Iacob, neꝙ boni quippiã feciſſent (ut Paulus ait), neꝙ mali, ut ſecundũ electionẽ propoſitũ Dei maneret, non EX OPERIBVS, Sed ex uocante dictum eſt, Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et iterum: Elegit nos in ipſo, anteꝙ iacerẽtur fundamenta mundi. Et addit, Vt eſſemus ſancti & irreprehẽſibiles coram illo per caritatem. Non autem elegit nos propter noſtram ſanctitatem & iuſticiam, ſed ex gratuita ſua clementia, iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ. Placent igitur Electi Deo, etiam ſine operibus, quomodo ergo non placerent ei cum operibus? Imò, ut hypocrita habeat, ad ꝙd cohorreſcat, placẽt Deo multo magis, etiam cum peccatis ſuis, ꝙ omnes hypocritæ cum omnibus ſuis bonis operibus, nõ quòd peccata Deo placeant, quoniam Non Deus uolens iniquitatẽ tu es, Sed quòd electis ſuis clementer ea condonet, & conſeruet ipſos, ne in peccatis ſuis pereant.

Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, neq; rapiet eas quisquam de manu mea. Quare nõ hoc ab ignoto Fraterculo expectabatur, quòd sint bona opera, & qualia sint, si misericordiam & clementiam Dei per Christum considerauerimus, Non hoc in præsentia agebatur, qualia illa opera sint coram Misericordia, Sed qualia sint coram SEVERITATE Dei, Num uidelicet Legi Dei tam perfectè satisfaciant, ut homines possint ijs coram seuero Dei tribunali confidere? & queant eam horrendæ iræ Dei opponere? Hoc certè negat uniuersa tam Prophetica, q̃ Apostolica scriptura. Hoc negant pij Patres, quorum testimonia Confessio Principis recitauit. Quòd si hypocritæ contẽdunt eos, ex alijs locis, suo Pharisaismo patrocinari, nihil ad nos. Habemus hic aperta & perspicua eorum testimonia. Et quia hæc conueniunt cum uerè Prophetica & Apostolica doctrina, speramus eos in tentationibus ipsorum, coram Iudicio Dei, in hac sententia constitisse. Et quid cum Euangelio Christi congruentius, quid iucundius, quid consolatione plenius dici potest, quàm quod Augustinus scribit, & alicubi etiam Bernhardus usurpat: Tota spes mea, (libet enim & hic uerba eorum, quæ non dubito quin sint in oculis hypocritarum spinę & tribuli, iterum recitare) in morte Domini mei. Mors eius, meritum meum est, refugium meum, Salus, uita & resurrectio mea. Meritum meum, Miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Hactenus Augustinus & Bernardus. Quæ dicta, non certè intelligenda & exponenda sunt, iuxta Asoticum Pharisaismum, sed iuxta sententiam Spiritus sancti, qui interprete Apostolo Paulo dicit, Christus Iesus factus est nobis à Deo sapientia, iustitiaq; & Sanctificatio & redemptio. Et: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quare sicut hypocriticæ φλυαρίαι cecidерunt antea in conspectu maiestatis eorum testimoniorum, quæ Confessio Principis, è sacra scriptura commemorauit, ita nunc necesse habent cadere ante ea testimonia, quæ è pijs Patribus recitauit.

Sed reuertamur à scorijs Asoti, ad Confusionem eius, & expendamus loca scripturæ, quæ adducit, ut uideamus, quàm aptè cum statu nostri instituti conueniant.

De Noe dicit Dominus, Te uidi iustum coram me in generatione hac. De Iob, quòd erat simplex & rectus, & timẽs Deum. Et, In omnibus his non peccauit. De Zacharia & Elizabeth dicitur: Erant iusti ambo ante Deum. Etsi hypocrita indignus est, quo cum de sacra scriptura aliquid conferas, quippe quòd præ uelamine, quod cordi eius impositum est, nõ possit uidere uel finem scripturæ, uel officium Christi, tamen scriptura ipsa digna est, quam omni diligentia tractemus, & Ecclesia filij Dei exigit à nobis hoc officium, ut scripturam ab hypocritis fraterculis, tãquàm ab iniustis possessoribus, aut potius prædonibus & grassatoribus recuperemus. Quare, non pigebit hæc loca, quæ iam è scriptura sunt recitata, percurrere. Confessio Principis affirmat quidem bona opera diuinitus præcepta facienda esse, sed negat ea opera posse seueritatem diuini Iudicij sufferre, & ijs esse coram tribunali Dei confidendum. Contrà autem Asotus suscipit probandum, aliquos esse iustos in hac uita, ideoque recitat exemplum Noe, Iob, Zachariæ & Elizabeth. Quis hoc aut negat, aut in præsentia probandum requirit? Non hoc quæritur, Num sint aliqui

qui Iusti in terra, Sed quæritur, quomodo hi, qui dicuntur Iusti, sint Iusti? Quæritur num opera illa iusta, quæ faciunt iusti, possint opponi seuero Dei iudicio? Quæritur, Non qualia habeantur opera illa iustorum seu piorum, coram gratuita Dei clementia & misericordia, sed qualia habeantur coram seueritate Iudicij Dei. Non ignoramus, quòd bona opera piorum placeant Deo, ex gratuita ipsius clementia, sicut antea expositum est, sed si Deus remota clementia, iudicauerit de ijs pro legis suæ seueritate, ibi tum, non inuenit, quod ita placeat, ut condonet peccata, & largiatur cœleste regnum. Quod cùm ita se habeat, uideamus nunc de Iusticia Noe. Te, inquit Dominus, uidi Iustum coram me, in generatione hac. Quid igitur dicemus? Quomodo quæso, uidit Dominus Noam Iustum? Num ex eius natura? Sed manifestum, quòd sicut alij omnes homines, qui iuxta seminalem rationem ab Adamo descendunt, concipiuntur & nascuntur in peccatis, ita & Noe in peccatis conceptus sit & natus. Et quemadmodum de alijs hominibus dictum est, Omnis caro corruperat uiam suam super terram. Et: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et: Omnis homo mendax: Ita de Noe dicendum est, quòd cùm Deus respiceret ad naturam & carnem eius, non uiderit eum coram se, Iustum, sed unà cum omnibus alijs corruptum, inutilem, mendacem & abominabilem. Num autem uidit eum Iustum ex operibus suis? At opera sunt imperfectiora, quàm ut propter ipsa homo coram Deo fiat Iustus. Et necesse est, ut quemadmodum arbor prius est bona, quàm bonos fructus proferat, ita homo antè sit iustus, quàm iusta & Deo grata opera faciat. Etsi enim Noe obediuit uocationi Dei in architectanda arca, tamen ne hęc quidem obedientia caruit in Noe suo uicio, propter quod non fuit in conspectu Dei Iustificatus. Quomodo ergo Deus uidit eum coram se Iustum? Hoc scriptura ipsa significat, cùm ait: Noe inuenit gratiam coram Domino. Non ait, inuenit meritum, inuenit debitum, Sed Gratiam, hoc est, Deus respexit Noham ex gratuita sua clementia. Nam si uoluisset cum ipso intrare in iudicium, non minus potuisset eum iustissimè diluuio perdere, quàm alios homines. Dicit etiam Epistola ad Hebræos, Per fidem admonitus oraculo Noe, ueritus ea quæ nondum uidebantur, apparauit arcam. PER FIDEM, inquit. Noha autem non credidit tantum ei oraculo, quod adnunciabat futurum diluuium, sed credidit etiam, quod maximum omnium erat, Euangelio, quo promissum erat semen mulieris, seu filius Virginis, qui est Christus Dominus noster. Quam fidem testificabatur quoque publicè, quòd statim, postquàm egressus fuerat ex arca, obtulerit Domino holocausta, quæ erant adumbratio Christi, & admonebant pios de expiatione peccatorum, quæ futura erat per sacrificium Christi. Sicut ergo de Abrahamo scriptum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam, ita sentiendum est de Noha, quòd Deus uiderit eum coram se, inter suos συγχρόνους Iustum ex eo, quòd credidit in semen mulieris, in CHRISTVM DOMINVM nostrum. Deus enim tanto fauore prosequitur Christum filium suum, ut in quocunque homine eum per fidem inuenerit, absoluat illum ab omni peccato, adoptet ipsum in filium, uideat ipsum iustum, & agnoscat ipsum hæredem cœlestis regni. Habes Noham Iustum à Deo uisum, non autem ex operibus, nec propter opera, sed ex fide, propter Christum.

Idem de Iobe sentiendum. Quis enim negat eum probum, rectum, ac timentem Dei fuisse? Quis affirmat eum, cùm diceret, Dominus dedit, Dominus abstulit, labijs suis peccasse? Sed hoc quæritur, quomodo fuerit probus ac rectus? Et num opera proba & recta, quæ fecit, per se tanti sint momenti, ut possint coram seuero Dei iudicio constare? Non quæritur, qualiter Deus de ijs operibus, ex gratuita sua clemẽtia, sed qualiter de ipsis, ex seueritate Legis suę iudicet. Iob enim non fuit Iustus natura sua. Fatetur ipse, se ex immundo semine conceptum. Et, Verè, inquit, scio, quòd non Iustificetur homo compositus Deo, si uoluerit contendere cum eo, non potest respondere ei unum pro mille. Nec fuit iustus ex operibus suis. Etsi enim in sufferendis aduersis præstitit admirabilem & heroicam patientiam, & fuit alioqui inculpatæ uitæ, tamen non caruit carne, præ qua non potuit de integritate suorum operum coram se uero Dei iudicio gloriari. Et mox, postquàm Dominus retraxit manum suam, & reliquit eum in carnis suæ natura, manifestè apparuit, quale sit in aduersis ingenium carnis, & quàm contumelioſè tam in Deum, quàm in omnes creaturas inuehatur. Si Iustificare, (inquit) me uoluero, ipse condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quomodo igitur rectus & Iustus fuit? Non nisi ex fide propter Christum. Credidit enim & ipse in semen mulieris, hoc est, in Christum mediatorem, quòd Deus sit ipsi propter hunc propicius, & condonet ei peccata ex gratuita clemẽtia. In hunc. n. usum offerebat holocausta, ut significaret se in eum credere, quem holocausta designabant, & confirmaret ex ijs, tanquàm sacramẽtis, fidem suam, quam in uenturum mediatorem, autore Spiritu sancto, conceperat. Fuerunt & Zacharias atque Elizabeth ambo iusti coram Deo. Sed quomodo? Num ex natura suæ carnis? Sed sunt ambo in peccatis concepti & nati. Num ex operibus? Scriptum quidem est de ipsis, quòd uersati fuerint in omnibus præceptis & Iustificationibus Domini irreprehensibiles: aliud autem est, irreprehensibiliter uiuere, iuxta humanum iudicium, & coram gratuita Dei clementia, aliud irreprehensibiliter uiuere coram seuero iudicio Dei. Nam si ad hoc iudicium adducti fuerimus, nullus hominum est, qui sit non solum reprehensione, uerumetiam damnatione dignissimus. Sed concluſit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare Zacharias & Elizabeth Iusti quidem sunt, non autem coram seueritate Dei, quod hoc loco quærebatur, sed ex gratuita Dei clementia, per fidem, propter Christum, in quo solo ueram suam salutem expectabant.

Da operam, inquit Augustinus, esse Iustus. Et quantumcunq; fueris, confitere te peccatorem esse, & semper spera misericordiam. Libet & huc adscribere testimonium Augustini, quod de Zachariæ & Elizabethæ iusticia nominatim apud eum extat. Illud, inquit, propter quod sic laudauit Sanctum Ambrosium, quia scilicet in scriptis eius inuenit ex laudibus Zachariæ & Elizabeth, posse hominem in hac uita esse sine peccato. Quanquàm negandum non sit, si hoc uelit Deus, apud quem sunt omnia possibilia, consideret tamen diligẽtius, quemadmodum dictum sit. Dictum enim est, quantum mihi uidetur, secundum quandam inter homines cõuersationem probabilem atq; laudabilem, quam nullus hominum iustè posset in accusationis & criminationis querelam uocare.

Quam

Quam prõpterea in Dei conſpectu Zacharias & eius uxor habuiſſe refe/runtur, quia in ea homines nulla diſsimulatione fallebant, ſed ut appa/rebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt hoc ſecundum illam perfectionem iuſticiæ, in qua uerè atque omnino im/maculati perfectique uiuemus. Nam & Apoſtolus Paulus dixit, Secun dum iuſticiam, quæ ex lege eſt, ſe fuiſſe ſine querela, in qua Lege etiam Zacharias ſine querela conuerſabatur, Sed hanc Apoſtolus iuſticiam in ſtercoribus & detrimentis deputauit in comparatione iuſticiæ, quam ſpe ramus, & quam nunc eſurire & ſitire debemus, ut ea quãdoq; ſaturemur in ſpecie, quæ nunc eſt in fide, quamdiu iuſtus ex fide uiuit. Hactenus Au guſtinus.

Manifeſtum igitur eſt, quòd & ſi Zacharias & Elizabeth dederunt o/peram, ut eſſent Iuſti & irreprehenſibiles, tamen neceſſe habuerunt il/lud Pſalmi dicere: Non intres in Iudicium cum ſeruis tuis, quia non Iuſti ficabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et illud Pauli: Nihil nobis con/ſcij ſumus, ſed in hoc non ſumus iuſtificati.

Quòd Paulus dicat: Vos in carne non eſtis, ſed in Spiritu. Et iterum, Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Ac mox: Quicunque Spiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt &c. non hoc uult, quòd homo ſit Iuſtus ex ſuis operibus, aut quod perfecta & integra ſint opera hominum, ut conſtent in ſeuero Iudicio Dei, Sed quòd Iuſtificati, hoc eſt, in gratiam Dei accepti, & abſoluti ab iniuſticia, per fidem propter Chriſtum, donemur Spiritu ſancto, qui excitet nos ad ſectanda bona o/pera, quæ ſic à renatis facta, & ſi Deo placent ex gratuita clementia, tamẽ non placent ei, ſi exegerit ea ad ſeueram Legis ſuæ ſententiã, nec condo/nat propter ea peccatum, nec largitur propter ea regnum cœleſte. Quare nec ijs coram Iudicio Dei confidendum eſt.

De loco Ezechielis, Si impius egerit pœnitentiam, &c. Et Geneſeos: Ego merces tua magna, &c. ſuprà dictum eſt.

Nam quod ad Apoſtolos dicitur, Gaudete & exultate, quoniam mer/ces ueſtra multa eſt in cœlo. Primum, non dicitur, quòd afflictiones A/poſtolicæ mereantur cœlum ipſum ſeu Regnum cœleſte, Sed quòd ha/beant in cœlo multam mercedem. Neceſſarium igitur eſt, ut prius cœ/lum, ſeu Regnum cœleſte conſequaris. Quomodo autem hoc fiet? Num ex meritis uel actionum, uel paſsionum? Num propter opera uel afflictiones noſtras? Nihil minus, Sed ex gratuita Dei clementia per fi/dem propter Chriſtum. Poſtquàm uerò factus fueris per fidem filius Dei & cohæres Chriſti, ac poſsideas iam ex clementia Dei, ius cœleſtis regni, ibi tum accipies dona, uel in hac uita, uel poſt eam, in cœleſti regno, iuxta operam ſeu laborem, quem præ alijs in uocatione tua nauaueris. Quæ ta/men & ipſa dona, non ſunt propriè noſtrorum operum merita, ſi exactè ſit de meritis loquendum, ſed ſunt munera gratuitæ miſerationis Dei, quemadmodum Confeſsio Principis in huius capitis initio ſcribit. Dein de oſtendimus ſuprà, quòd mercedis nomen non ſemper referatur ad Debitum, ſed etiam ad Gratuitum, præſertim ſi fuerit colloquium pa/rentis cum filiolis ſuis, quo modo etiam Spiritus ſanctus nobiſcũ in ſcri/ptura loquitur. Poſtremò, cùm noſtra opera ſint tam imperfecta & ui/cioſa, ut non poſsint ullam rationem meriti coram ſeuero iudicio Dei ha/bere, manifeſtum eſt, quòd cùm uel actionibus uel paſsionibus noſtris promittitur merces, non debeatur nobis ex noſtro merito, ſed tantum

ex gratuita Dei promissione. Quare cùm dicitur, mercedem eorum, qui patiuntur persecutionem propter Christum, multam esse in cœlo, & pro leui & momentaneo tribulationis nostræ rependendum nobis æternum gloriæ pondus, & id genus alia, non significat Spiritus sanctus, quid afflictionum patientia ex dignitate suæ uel actionis uel passionis coram seuero Dei iudicio mereatur, Non enim reputo, inquit Paulus, afflictiones præsentis temporis pares esse ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos, Sed significat, quid afflictionem ex gratuita Dei promissione & clementia sequatur.

In quem suum usum Sotus citet dictum Augustini, Multi baptisati fideles sine crimine sunt, sine peccato autē in hac uita neminem dixerint, quantumlibet Pelagiani &c. non uideo. Nam si hoc dictum commemorat, ad oppugnandam hoc loco Confessionē Principis, insanit, quòd quę eam confirmant, in sui ipsius perniciem recitet. Si autem commemorat ad eam probandam, delirat, quòd immemor sui instituti, probet, quæ suscepit improbanda.

De loco Pauli, Reposita est mihi corona Iusticię, supra copiose. Hîc autem uide mihi, optime Lector, mirandū Asoti, & sodalicij eius impudentiam, quòd insignia illa, & memorabilia dicta Augustini, & aliorum piorum Patrum, quibus damnatur fiducia nostrorum meritorum, audeant ad eam confirmandam in medium producere. Augustinus dicit: Si dona Dei sunt bona merita tua, nō Deus coronat merita tua, tanq̄ merita tua, sed tanquàm dona sua. Bernardus dicit: Merita habere cures, habita data noueris. His & alijs id genus dictis, non hoc uolunt pij Patres, ut fiducia salutis nostræ collocanda sit in meritis nostrorum operum, sed ut non sit in ipsis collocanda. Cùm enim uersantur in exhortanda Ecclesia, ut faciāt bona opera, & ducant uitam pijs hominibus dignam, duos præcipuè locos tractare solent. Alter est, quòd Bona opera necessariò sint facienda, quę que officium hominis pij sit, ut & faciat obedienter, quæ Deus præcepit, & sufferat patienter, quæ Deus sufferenda imponit. In hoc loco cùm uersantur, ibi tum liberrimè de meritis loquuntur, ac bona opera tam seueriter exigunt, perinde ac si nos nostris meritis remissionē peccatorum, ac uitam æternam consequeremur. Quid enim liberius dici potest, quàm quòd Bernardus de Ieiunio concionatur? Bonū, inquiens, & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittūtur hoc modo peccata. Nō solum autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio uiciorum: non solum obtinet ueniam, sed & promeretur gratiam: non solum delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus. Alter est, quòd bona opera, qūæ facimus, nō sint nostra, sed dona Dei. Quid enim habes, quod nō accepisti? Hūc autem locum solent priori coniungere hoc consilio, ut libertatem aut uehementiam suā, qua in exhortatione ad bona opera usi sunt, exponant, & doceant, qūòd & si facienda sunt bona opera, tamen non sit meritis eorum, sed tantū gratuita Dei clementia, in Christo exhibita, confidendum. August. in Psal. 58. Attendens (inquit) Dauid omnia bona quæcunq̄ habere possumus, siue in natura, siue in instituto, siue in ipsa conuersatione, in fide, in spe, in caritate, in bonis moribus, in Iusticia, in timore Dei, totum nō esse, nisi exilius donis, ita concluſit: Deus meus, misericordia mea. Et mox. Misericordia mea, quid est? Totum quicquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, inuocando te. Vt essem, quid feci? Vt essem, qui te inuocarem,

quid

quid egi? Si.n.egi aliquid ut essem, iam eram antequ essem. Porrò, si omni no nihil eram antequ essem, nihil te promerui ut essem. Fecisti ut essem, & non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, & potuit mihi alius da re, ut bonus sim? Et Bernh. Hoc totū (inquit) hois meritū, si totā spem po nat in eo, qui totum hoiem salūū fecit. Et cùm aliâs dixisset: Merita habe re cures, habita data noueris, addit. Fructū speraueris Dei misericordiā.

Ex his uides, quòd etli pij Patres docēt multa & magna de meritis no strorum operum, tamen cū addunt, ea opera nō esse nostra, sed Dei dona, & amandant nos ad Misericordiam Dei, perspicuè significant, quòd quę concionantur de meritis operum, per hæc sint exponenda, ne quis fiduci am salutis suæ in operibus suis, & non in misericordia Dei collocet. Quid aūt Asotica colluuies? Legūt in sacris literis, Mercedem, legunt in pijs Pa tribus, Merita operum. Confestim ergo inferūt, nos nostris operibus me reri remissionem peccatorum & uitam æternam, & horum operum me ritis in Iudicio Dei confidendū esse. Cúmq; Augustinus dicat, Deus non coronat merita tua, tanq; merita tua, sed tanquàm dona sua, Asotus pu tat se Augustinum rectè sequi, si intulerit, confidendum esse nostris me ritis, non ut nostris, sed ut Dei donis. Atqui, bone uir, Augustinus non loquitur de nostra fiducia, sed de Dei coronatione. Quod igitur Augu stinus piè dixit, eo Asotus Sophisticè & impiè abutitur. Quid enim est, quod dicitur, Confidendum esse nostris meritis, non ut nostris, sed ut Dei donis? Si ita intelligitur, facienda quidem esse bona opera, non au tem meritis eorum, sed tantum gratuita Dei clementia, cuius dona sunt bona opera, confidendum, pia quidem est sententia, & ea est, quam propugnamus, sed obscurè & periculosè dicitur. Si autem intelligitur, quòd bona opera ita sint facienda, ut coram Deo non tantū gratuita Dei clementia, uerumetiam merito bonorum operum confidas, sicut impia est sententia, ita & uerba fiunt impia, & damnanda. Quòd si Asotus sequi tur illam priorem sententiam, sceleratissimus impostor, & detestandus sycophanta sit, necesse est. Non potest enim ignorare, quòd Confessio Principis eam sententiam non solum sequatur, sed etiam propugnet, & tamen ipse suscipit cum ea bellum, ac re quidem ipsa consentit cum Con fessione, uerbis autem cum ea pugnat, ut tam nobis quàm Suis præsti gias obijciat, se non frustra in hoc certamen descendisse. Si autem alte ram sententiam sequitur, manifestè impius est, & non unum tantum Deum, sed tot deos, tot Christos colit, quot operum meritis coram Deo se confidere profitetur. Quare, siue hanc, siue illam sententiam se quatur, effugere non potest, quin uel sceleratę impostura, uel detestandę impietatis damnetur.

Postremò concludit Asotus Cōfusionem suam testimonio Gregorij & Augustini, quorum alterum dicit asserere, nos in hac uita perfectos, al terum, nos ex Dei miseratiōe operari bona, quibus corona redditur. Sed cùm Confessio Principis ostenderit in superiori loco, ex Hieronymo, eā esse hominibus perfectionem, si se imperfectos esse nouerint, & paulò an tè explicu erimus quid illud sit, Deum coronare sua dona in nobis, non abutemur patientia Lectoris, ut eum diutius in hoc loco detineamus. Non enim dubito, quin quod Confessio Principis proposuit, satis ex plicatum, probatum & confirmatum sit, uidelicet, quòd cùm bona nostra opera sint tam imperfecta, ut non queant seueritatem diuini Iudicij sufferre, fiducia salutis nostræ non in meritis eorum, sed in

Sola misericordia Dei, quæ nobis in Christo filio eius exhibita est, collocari debeat.

De Euangelio Christi.

Confessio Principis recitat in hoc loco discrimen Legis & Euangelij, quod cùm in tanta Luce piæ doctrinæ sit uulgatissimum & decantatissimum, non putaui quenquam exoriturum, qui hunc locum oppugnandum susciperet. Et recitauit eum Confessio Principis, magis ne uideretur hoc discrimen Legis & Euangelij negare, aut aspernari, sicut & eodem consilio recitauit superiora quædã loca de Deo, de filio Dei, & de Spiritu sancto, quàm ut uel dubitaret, uel disputãdum proponeret. Sotus autem ut declararet se esse publicum Hyperbolum & Sycophantam, uel non intelligens, uel dissimulãs quid agatur, nunc quidem manifestam exercet Sophisticam, nunc uerò aut secum, aut sine aduersario pugnat. Exponemus igitur paulò copiosius, quid nomine Legis & Euangelij in hoc loco intelligamus, ut Asoti uanitas & uertigo manifestè cognoscantur.

Nam si de generali usu huius uocabuli Legis, quẽadmodum & Confessio Principis non dissimulat, loquendum est, refert nomen illud Hebræum תורה Thora, quod significat Doctrinam. Sunt autem in Sacra scriptura præcipuè duę diuersæ species doctrinæ. Altera, quę pręcipit quę sunt facienda, & uetat quæ sunt uitanda. Altera, quæ promittit, diuinitùs ex gratia & clementia Dei accipienda. Si ergo Legis uocabulo intelligas doctrinam, quæ sit genus ad has duas species, tunc & Euãgelion de Christo, quo nobis promittitur in Christo remissio peccatorum & æterna uita, solet dici Lex, hoc est, doctrina, quæ nobis salutaria proponit.

Esa. 2. & Mich. 4. De Zion exibit Lex. Hîc per Legẽ nõ intelligendus est Decalogus, qui antè exierat de Sinai in deserto, sed intelligenda est doctrina Euangelij de Christo, quæ à die Pentecostes exiuit per Apostolos in uniuersum mundum.

Esa. 42. Legem eius insulæ expectabunt. Hîc nomine Legis intelligẽdum est Euangelion de Christo, quod in gentibus est patefactum.

Esa. 51. Attẽdite ad me popule meus, & tribus mea, me audite. Quia lex à me exibit, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Hîc iterum, per Legem & Iudicium intelligenda est doctrina Euangelij, quæ sparsa est in orbem terræ, & qua illustrati sunt populi.

Hier. 31. Post dies illos, dicit Dominus, Dabo Legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et ero eis in Deum &c. Etsi non ignoro, hũc locum uulgo ita exponi, quòd Deus daturus sit Spiritũ sanctum, qui inflectat & excitet corda hominum, ut in præceptis Dei ambulent. Quæ sententia, si ita accipiat̃, non ꝙ pij in hoc seculo impleãt operibus suis præcepta Dei perfectè, sed quòd donati Spiritu sancto incipiãt, & aliquo usq; pergant in obediẽtia, quam Deo debemus, bona est & pia, tamen si uerba ipsa propriè considerentur, per Legem intelligendum est Euangelion de Christo, & est sensus. Post hos dies, uidelicet cũ plenitudo temporis uenit, & Ego, (dicit Dominus, Christus filius Dei,) homo factus fuero, prædicabo Euangelion meum, ut quotquot credunt in cordibus

cordibus suis, accipiant remissionem peccatorum, & habeantur coram Deo perinde ac si uniuersum Decalogum impleuissent, adeoque adoptentur in filios Dei, & cohæredes meos. Hæc autem fides, qua Euangelion meum agnoscitur, non solum eo ualet, ut credentes accepti sint Deo, sed etiam excitabit eos, ut incipiant carnem suam mortificare & in mandatorum Dei obedientia ambulare. Etsi enim bona opera, quæ credentes Euangelio, in hoc seculo faciunt, non sunt perfectè bona, nec satisfaciunt per se seueritati diuinæ Legis, tamen placent Deo propter meritum eius, & fiet in futuro seculo, ut pij exuta omni carnis imperfectione, perfecta & æterna iustitia ornentur. Et quanquàm in hoc seculo necessarium est ministerium prædicandi Euangelij, ut ex auditu donetur Fides, tamen postquàm reuelabitur Euangelion meum, & uulgabitur in uniuersum mundum, tanta erit lux piæ doctrinæ, ut omnes discipuli Euangelij uideantur præ scribis & legis interpretibus, doctores. Omnes enim qui audient Euangelion, & credent, tanta luce illustrabuntur, ut cognoscant Deum à minimo usq; ad maximum, donec in futuro seculo cognoscant Deum facie ad faciem, & uideant eum sicuti est. Vide mihi quo euentu Petrus habuerit primam concionem Euāgelij apud Gentes in domo Cornelij Centurionis. Adhuc, (inquit Lucas) loquente Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem. Et mox: Audiebant illos loquentes linguis & magnificantes Deum. Hoc certè illud est, quod in Hieremia dicitur, Omnes cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum. Et quod postea Ioannes scripsit: Vnctio, inquiens, quam uos accepistis ab eo, manet in uobis. Et non necesse habetis, ut quisquam doceat uos, Sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium. Quanquàm enim hæc unctio & cognitio per se nondum est in hoc seculo perfecta, tamen si conferatur ad eam, quam habuerunt homines de Deo ante aduentum Christi, est clarissima, &, quod est certissimum, in futuro seculo perficietur ad summum.

Romanorum octauo: Lex Spiritus uitæ per Christum Iesum liberũm me reddidit à iure peccati & mortis. Hîc per Legem Spiritus uitæ intelligendum est Euangelion, quod aliâs Paulus ad Corinthios scribens, uocat administrationem Spiritus, qui uiuificat, & administrationem Iustitiæ. Doctrina enim Euangelij, quæ patefacit Iesum Christum, subministrat nobis Spiritum sanctum, ut credamus in Christum. Qui autem credit in Christum, non est amplius obnoxius iuri peccati & mortis, hoc est, maledictioni & damnationi, sed est ab his liber propter Christũ, quia reputatur propter hunc iustus, & conseruatur in morte, ne pereat, sed habeat æternam uitam.

Si ergo hoc modo de significato huius uocabuli, LEX, dicendum est, uidelicet, ut generaliter intelligatur pro Doctrina, tunc Euangelion de Christo rectè dicitur, Lex Noua, non quòd Christus non fuerit etiam antea ueteribus promissus, cùm de ipso adnunciatum sit ab initio orbis terræ, Sed quòd aduenìente Christo, ueteres umbræ sint impletæ, & facta sint noua omnia, tam Euangelij in uniuersum mundum diuulgatione, q̃ ueteris hominis renouatione.

Si autem loquendum est, non de generali usu huius uocabuli Legis, quo significat doctrinam, sed de speciali eius usu, de quo plerunque Paulus, in disputatione de Iustificatione hominis, legitur, tunc signi-

ficat quidem suis in locis præcepta cærimonialia & Iudicialiã, maximè autem omnium naturalia & moralia, quæ cum in Decalogo, tanquàm in compendio contineantur, rectè Decalogus nomine legis significatur.

Rom.3.Per legem agnitio peccati.

Rom.4.Lex iram operatur.

Rom.7.Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi Lex dixisset: Non concupisces.

1.Cor.15.Potentia peccati, Lex.

In his & similibus locis apud Paulum nomine Legis præcipuè intelligendus est Decalogus, seu Lex naturalis aut moralis. Etsi enim agnitio peccatorum uenit etiam suo quodam modo, è Lege cærimoniali & Iudiciali, tamen maximè omnium uenit è Lege naturali seu morali, quæ est Decalogus. Sicut & Paulus ipse perspicuè significat, cùm ait: Concupiscentiam non nouissem, nisi Lex diceret, Non concupisces. Sed occasione accepta, peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscẽtiam. Et mox: Peccatum occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit.

Si ergo de hoc significato nominis Legis sermo est, tunc tãtum abest, ut Euangelion sit Lex, ut alterum alteri ex diametro opponatur. Per Legem enim agnitio peccati, quod est in carne. Per Euãgelion autem agnitio Iustitiæ, quam habemus in Christo per fidem. Lex operatur iram, Euangelion autem gratiam: Lex occidit, Euangelion autem uiuificat. Postquàm enim homo corruptus est per peccatum, & audit ueram sententiã Decalogi, atque confert cum ea suas uires, manifestè agnoscit, se non solum longissimè à uera iustitia, quam Decalogus exigit, abesse, uerumetiam se imbecilliorem, quàm ut eam implere queat, ideoq; necesse habet iudicium de se ipse ferre, se perpetuæ damnationi obnoxium. Quis ibi horror, & tremor, quę ibi trepidatio & mors in conscientia non exurgit? Quo se miserrimus peccator conferat, quo confugiat? Num ad operum suorum iustitiam? Sed ea propter seueritatem Decalogi non potest in iudicio Dei consistere. Num ad clementiam & misericordiam Dei? Sed in Decalogo dicitur: Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Peccator autem non custodiuit præcepta Dei. Quomodo igitur speraret misericordiam Dei?

In his angustijs, & inferni doloribus, quos Lex excitauerat, succurrit Euangelion, quo adnunciatur, quòd Christus expiauerit peccata nostra, & reconciliauerit nos cum Deo Patre, ut quotquot in Christum credũt, non damnentur per Legem propter peccatum, sed saluentur per fidem propter Christum. Itaq; si nomine legis Decalogus intelligitur, certè Euangelion Christi, sicut Confessio Principis rectè dicit, non est Lex.

Habes explicationem huius uocabuli Legis, quantum quidem ad præsens institutum sufficit. Videamus nunc etiam explicationem uocabuli Euangelij. Etsi autem molestum fortassis erit Lectori, has grammaticas minutias audire, tamen quia non puduit Asotum, lucem ueritatis Sophismatum suorum tenebris obscurare, officium exigit, ut dispulsis, quoquo modo fieri potest, tenebris, ueritatem illustremus. Nomine igitur Euangelij nonnũquàm significatur Liber, in quo & conciones Christi tam de uera sententia legis, quàm de proprio suo officio, propter quod in hanc terram præcipuè missus est, & aliæ res gestæ CHRISTI

conscriptæ

conſcriptæ ſunt. Vt cùm dicimus Euangelion ſecundum Matthæum, aut ſecundum Ioannem, intelligimus uel librum totum, quem Matthæus aut Ioannes de concionibus & rebus geſtis Chriſti conſcripſit, uel etiam περικοπὴν aliquam ex eo libro deſumptam, & à reliquo corpore ad ſuum quendam uſum abſciſſam. Sed ſi in hoc noſtro propoſito de ſignificato huius uocabuli propriè, iuxta etymologiam eius loquendum eſt, cùm ab εὖ, & ἄγγελος, qui eſt nuncius, deducatur, ſignificat, quemadmodum Confeſsio Principis diſertè recitat, & Aſotus, aut non intelligit, aut malicioſè diſsimulat, & aliò ſe proripit, bonam, lætam, & iucundam adnunciationem de filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, quòd ipſe ſolus ſit expiator peccatorum noſtrorum, placator iræ Dei, & Redemptor ac Seruator noſter. Cùm autem uideam, nihil ferè eſſe tutum à Sophiſtarum & Fraterculorum deprauationibus, explicanda erit & hæc Euangelij deſcriptio paulò clarius. Nam cùm dicimus Euangelion eſſe iucundam adnunciationem de filio Dei, non loquimur de literis & ſyllabis, quibus uerba Euangelij, uel in papyro continentur, uel uoce recitantur, extra proprium, legitimum & ordinarium ſuum uſum. Etſi enim Euangelion idcirco literis mandatum eſt, ut ex ijs, tanquàm è penu, ſuo tempore ad ſuum uſum depromatur, tamen per ſe, per ſe (inquam) extra ſuum officium & uſum, nec eſt triſte nec iucundum, nec occidit, nec uiuificat, Sed loquimur de adnunciatione Euangelij, ut eſt in proprio, legitimo, & ordinario ſuo officio ac uſu, in quem diuinitus eſt inſtituta. In hiſtoria Eſther extat edictum, ut ſi quis uel uir uèl mulier, non uocatus intrauerit interius atrium Regis, ſtatim interficiatur, niſi fortè Rex aureum ſceptrum, pro ſigno clementiæ ad eum porrexerit. Hoc ſceptrum, etſi erat ex auro architectatum, tamen per ſe, uel in abaco collocatum, uel in ciſta incluſum, nullam cuiquam afferebat uitæ ſalutem, Sed ſi Rex ipſum manu apprehenderet, & intranti porrigeret, tum erat in ſuo legitimo uſu, & attactum ſeruabat intrantem, ne à ſatellitibus Regis interficeretur. Sic & de Euangelio ſentiendum eſt, quòd cum uel literis tantum continetur, uel etiam uoce pronunciatur, ſed extra ſuum legitimum uſum, per ſe non eſt efficax. Cùm uero aſſumitur in eum uſum, ad quem diuinitus eſt inſtitutum, & uel loquitur, uel adnunciatur, uel etiam cogitatur legitima ſua ordinatione, tunc eſt uerè cœleſte organon, quo Spiritus ſanctus omnem ſalutem in electis ſuis operatur, adeoque uerè eſt ſceptrum illud, de quo Pſalmus canit: Sceptrum uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, quo domineris in medio inimicorum tuorum. Et extant multa alia teſtimonia ſcripturæ, quibus probatur, adnunciationem Euangelij de Chriſto eſſe cœleſte organon, quo Spiritus ſanctus ad conferendam electis ſuis æternam ſalutem utitur.

Mar. decimoſexto: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui crediderit (inquit). Quid aut cui crediderit? Certè ſubintelligendum eſt Euangelion, ut ſit ſenſus, Qui crediderit prædicationi Euangelij, & baptiſmum Euangelio additum ſuſceperit, ſaluus erit. Prædicatio igitur Euangelij inſtituta eſt diuinitùs in hũc uſum, ut auditoribus à Deo electis afferat ſalutem.

Romanorum primo. Non pudet me Euangelij Chriſti. Potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem omni credenti. Hìc Euangelion ſignificat externam adnunciationem Euangelij de Chriſto, & dicitur eſſe uirtus

seu potentia Dei, hoc est, potens & efficax organon, quo Deus confert in credentes salutem.

Roman. 10. Fides ex auditu est, auditus per Verbum Dei. Hoc autem est, (ut Paulus paulò antè dixit) Verbum fidei, quod prædicamus. Prædicatio igitur uerbi Dei, quod est Euangelion de Christo, in suo ordinario usu, est organon, quo Deus effundit in electos suos donum fidei.

1. Corinth. 4. In Christo Iesu per Euangelion ego uos genui. Si regeneramur per prædicationem Euangelij, certè ea est organon quo per Spiritum sanctum uiuificamur.

Galat. 3. Vtrum ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Prædicatio fidei est prædicatio Euangelij de Christo. Cùm autem per hanc datur Spiritus sanctus, manifestum est, quòd sit cœleste organon, quo salus & uita in nos confertur.

1. Thessa. 2. Cùm acciperetis sermonẽ à nobis, quo discebatis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Hic sermo est prædicatio Euãgelij, quæ cùm sit efficax in credentibus, perspicuum est, quòd sit organõ ad hoc diuinitus ordinatum, ut per illud credentes cœlestem uitam consequãtur.

1. Pet. 1. Renati non ex semine mortali sed immortali, per sermonem uiuentis Dei, manentem inæternum. Et mox. Hic autem est sermo qui per Euangelion ad uos delatus est.

Si per prædicationem Euangelij defertur ad nos sermo Dei, semẽ immortale, & manens inæternum, quo renascimur, certè prædicatio Euangelij est organon ad hunc usum institutum, non ut sit litera occidens, sed ut sit administratio spiritus, quo Electi uiuificantur.

Habes quid sit Euangelion, hoc est, lęta & iucũda adnunciatio de Christo filio Dei, cum est in proprio, legitimo & ordinario suo usu.

Quæ cùm ita se habent, uideamus nunc primũ Sophismata Soti. Vociferatur enim in sua Confusione: Credit, inquiens, Catholica ecclesia à Christo nouam Legem datam, nouumq; Testamentum conditum, Legem, inquam, Spiritus uitæ, &c. Audio quidem uerba Sacræ scripturæ, audio uerba Pauli, Sed si sententiam, quam his uerbis hypocrita tegit, intuearis, uidebis eam plenam uertiginis & impietatis. Dicit, Christum dixisse nouam Legem, & nouum Testamentum. Et mox addit: Quam Legem & Testamentum Euangelisauit ipse, præeunte Ioanne Baptista, & sequentibus Apostolis, & prophetæ promiserunt. Et in Scorijs, Euangelion, inquit, quod & Christus, & Apostoli adnunciauerunt, certè nonaliud est, q̃ ipsum Testamẽtum nouum, & Lex noua. Hîc audis, Christum & Apostolos Euãgelisasse nouam Legem, & Prophetas promisisse eam, ac Euangelion, quod Christus & Apostoli adnunciauerunt, esse nouam Legem. Sed ne quis ignoret hypocritam furere, subiungit in Confusione sua. Quanq̃ (inquiens) hęc noua Lex & Testamentũ propriè nulla est exterior aut prædicatio, aut scriptura, &c. Quid igitur de hac uertigine dicendum est? Num Christus & Apostoli, cùm adnunciarent Euãgelion, non sunt usi externa uoce, aut prædicatione? Quid? Num Euangelistæ, cùm conscripserunt conciones Christi, non sunt usi externis literis, syllabis & dictionibus? Cum Ioannes scribit, Christum dixisse, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam ęternam. Quid? Num hæc ipsa uerba, horum ipsorum uerborũ adnunciatio, hæc ipsa scriptura, non sunt proprię

priè Euangelion, & nouum Testamentum? Cùm ergo Sotus affirmat Christum prædicasse Euangelion seu nouam Legem, & addit, nouam illam Legem nõ esse propriè exteriorem prædicationem aut scripturam, diuinandum erit, quid sibi ὁ σκοτεινὸς uelit, præsertim cùm in eadem pagina secum ipse pugnare uideatur. Nunc enim dicit, Euangelium, quod & CHRISTVS & Apostoli annunciauerunt, certè non est aliud, quàm ipsum Testamentum nouum, & Lex noua. Mox uero in eadem pagina addit: Ex hac fit, inquiens, ut in Euangelio, siue in Nouo testamento, aliud sit scriptura ipsa, uel adnunciatio Euangelij, aliud uerò Lex ipsa Spiritus seu noua. Quid, obsecro, est uertigo & furia, si hæc non est? Fortassis enim existimat, Confessionem Principis nomine Euãgelij intelligere literas illas per se & syllabas, quibus Euangelion conscriptum est. Venit autem hîc mihi in mentem eius fabulæ, quam narrant de Satana. Is enim cùm aliquando se humana forma immiscuisset cœtui Fraterculorum, (plurimum enim hoc contubernio delectatur) pertæsus multarum precum, quas illi recitare solent, proiecit librum Psalterij de scalis. Et cùm à proximo fraterculo increparetur: Quid enim inquit Satan, non tamen sunt, nisi uerba? Sic & Asotus, cùm audit Euangelion celebrari, Quid (inquit) Euangelion? Non est nisi litera. Et quia Paulus ad Corinthios scribens, Litera, inquit, occidit, sentit Asotus, prædicationem siue scripturam Euangelij esse literam occidentem, quod & aliâs scripsit, & hoc loco non solùm affirmat, uerumetiam Augustino adscribit: Augustinus, inquiens, libro de Spiritu & litera docet & efficaciter probat, quòd ad literam occidẽtem scriptura omnis, & quicquid exterius proponitur, pertinet. Quanto excusatius maritus ille, qui cùm percuteret suam mulierem, incusso in eam libro Bibliorum, & mulier conquereretur, se malè tractari, Quin imò, inquit maritus, bona ibi uerba sunt. Non habes quod conqueraris. Sed Asotus, homo stupidus & uanus, sicut nõ intelligit sententiam Confessionis Principis, ita luculentam iniuriam facit Augustino. Augustinus enim suscipit in libello de litera & spiritu explicandum illud Pauli ad Corinthios, Litera occidit, Spiritus autem uiuificat, & scribit quidem, quòd per literam nonnunquàm intelligatur Scriptura falsò intellecta, quę sententia & si per se, extra hunc locum Pauli, non est falsa, Verissimum enim est, quòd scriptura falsò intellecta magna afferat incommoda, atq; adeo plerunq; mortem ipsam, & infernum, Tamen non conuenit cum eo dicto, quod Paulus ait, Litera occidit. Paulus enim in hoc loco non loquitur de litera falsò, sed uerè & rectè intellecta, hoc est, de Lege seu Decalogo, cùm intelligitur secundum uerum & rectum sensum Spiritus sancti. Audiamus igitur uerba ipsa Augustini. Doctrina illa (inquit) qua mandatum accipimus, continenter rectéq; uiuendi, litera est occidens, nisi adsit uiuificans spiritus. Neq; enim solo illo modo intelligendum est, quod legimus, Litera occidit, Spiritus autẽ uiuificat, ut aliquid figuratè scriptum, cuius est absurda proprietas, non accipiamus, sicut litera sonat, sed aliud quod significat intuentes, interiorem hominem spirituali intelligentia nutriamus. Quoniam sapere secũdum carnem mors, sapere autem secundum spiritum, uita & pax. Velut si quisquam multa, quæ scripta sunt in Cantico Canticorum carnaliter accipiat, non ad luminosæ caritatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectum. Non ergo isto solo modo intelligendum est, quod ait Apostolus: Litera occidit, Spiritus autem uiuificat, sed etiam illo, eóq; uel maximè, quòd aper-

tissimè alio loco dicit: Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces. Et paulò pòst ait: Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Hactenus Augustinus. Vides autem, Augustinum, non negare quidem, quin, cùm dicitur, Litera occidit, intelligi possit, de litera scripturæ falso intellecta: manifestè autem affirmare, quòd Paulus loquatur propriè, non de quauis doctrina, quę in scriptura continetur, sed de doctrina, qua mandatum accipimus continenter rectéq; uiuendi, hoc est, de Lege Morali, seu Decalogo, idque non de doctrina Decalogi falso, sed uerè & rectè intellecta. Vnde & mox addit: Volo, inquiens, si potuero, demonstrare illud, quod Apostolus ait: Litera occidit, Spiritus autem uiuificat, non de figuratis locutionibus dictum, quamuis & illic congruenter accipiatur, Sed potius de LEGE aperte quod malum est prohibente. Et iterum cap. decimoquarto. Quāuis euidentius eo ipso loco ad Corinthios, ubi ait, Litera occidit, Spiritus autem uiuificat, NON ALIAM uelit intelligi LITERAM, quàm IPSVM DECALOGVM in illis duabus tabulis scriptum. Habes Augustinum tandem eo euadere, ut sentiat, in Paulo per literam occidentem, non aliud intelligendum, quàm Legem in Decalogo conscriptam. Et hęc profectò uera est & propria sententia Pauli, quòd etsi per Literam occidentem nonnulli intelligunt scripturam falso intellectam, id quod sanè extra hunc locum Pauli nihil incommodi habere uidetur, tamen Paulus propriè loquatur de Decalogo, eóq; iuxta sententiam Spiritus sancti uerè intellecto. Nam paulò antè dixerat: Non in tabulis lapideis. Non autem erat alia doctrina in lapideis tabulis Mosi data, præterquàm Decalogus. Et postea: Administratio mortis in literis deformata in saxis, fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Mosi, propter gloriam uultus eius, quæ aboletur. Scriptum autē est in Exodo capite trigesimoquarto, quòd cùm Moses descenderet de monte & teneret duas tabulas lapideas testimonij, ac Israelitæ uiderent faciem eius cornutam, timuerint propius accedere. Quare perspicuum est, quòd cùm Paulus dicat, Literam occidere, intelligat ipse hoc in loco, non quamuis scripturam, nec scripturam falso intellectam, sed Decalogum, eúmq; uerè iuxta sententiam Spiritus sancti intellectum. Videamus etiam, quid illud sit, quod addit, Spiritus autem uiuificat. Nomen enim Spiritus, uaria habet significata. Nos ea tantum percurremus, quæ ad præsens nostrum institutum pertinere uidentur. Aliquoties enim, sumitur pro ipso Spiritu sancto, qui est tertia persona in diuinitate, & est autor atq; dator uitæ. Quo ibo, inquit Psalmus, à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Et Paulus, Diuisiones (inquit) donorum sunt, & idem Spiritus. Aliquoties sumitur pro admirandis donis Spiritus sancti, qualia effusa sunt in Apostolos, in die Pentecostes. Baptisabit, inquit Ioannes, uos Spiritu sancto, & igni, hoc est, donabit uos admirandis donis Spiritus sancti, specie ignearum linguarum. Et, Nondum erat Spiritus, hoc est, nondum erant effusa admiranda dona Spiritus sancti, quia Iesus nondum erat glorificatus. Et, Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Ac, Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audierant Sermonem. Aliquoties sumitur generaliter pro prædicatione de rebus Spiritualibus. Ne cuiuis, inquit Ioannes, Spiritui credatis, Sed probate Spiritus an ex Deo sunt. Hoc loco per Spiritum, intelligenda est prædicatio de rebus Spiritualibus, ut sit sensus, Non esse cuiuis dogmati, aut prædicationi, credendum, sed eam exigendam

exigendam esse ad uerbum Dei, num sit prædicatio boni & Sancti Spiritus. Aliquoties autem specialiter sumitur pro prædicatione seu ministerio Euangelij de Christo, quo ministerio Spiritus sanctus est efficax in ijs, qui iuxta propositum Dei uocantur. Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Hic nomine Spiritus sancti non intelliguntur admiranda Spiritus dona, qualia Apostoli acceperunt in die Pentecostes: Hoc enim dictum est à Christo ad Apostolos, in die Paschæ, non in die Pentecostes, Sed intelligitur Ministerium prædicandi Euangelij de Christo, quo ministerio Spiritus sanctus utitur, ad patefaciendum & illustrandum Christum, & ad conferendam hominibus fidem in Christum, ac salutem propter Christum. Cùm enim Apostoli tempore passionis Christi abnegassent & deseruissent Christum, uidebantur ex eo ministerio, ad quod antea uocati erant, excidisse. Postquàm igitur Christus resurrexisset à mortuis, recipit eos in gratiam, ac restituit eos pristino ministerio, ut prædicatione Euangelij peccata credentibus remittantur, incredulis autem retineantur. Sic & hoc loco, cùm Paulus ait: Spiritus uiuificat, intelligit nomine Spiritus, Ministerium prædicandi Euangelij de Christo, quo tanquàm organo utitur Spiritus sanctus ad uiuificanda corda hominum, ut agnoscant Christum, & credant in eum, atque propter eum ueram & æternam salutem consequantur. Hoc Paulus ipse haud obscurè significat, cùm dicit: Deus idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti non literæ, hoc est, Decalogi, sicut suprà expositum est, sed Spiritus, hoc est, Euangelij, quo Spiritus sanctus efficax est in cordibus piorum. Et sicut literam mox uocat administrationem mortis, ita & Spiritum statim uocat administrationem Iustitiæ. Quare manifestum est, quòd cùm dicit, Spiritus uiuificat, intelligat per Spiritum, prædicationem seu Ministerium Euangelij de Christo, Quod ministerium est organon, quo Spiritus sanctus uiuificat eos, qui sunt ad uitam ordinati. Etsi enim prædicatio Euangelij de Christo, multis est stultitia, offendiculum & exitium. Prædicamus, inquit Paulus aliâs, Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis autem stultitiam. Et iterum: Christi εὐωδία sumus Deo, in his qui pereunt odor mortis ad mortem, tamen hoc non fit uicio Euangelij, sed uicio impiorum, qui Euangelio non adhibent fidem. Nam quod ad ipsum Euangelij ministerium attinet, ad hoc est diuinitus institutum & ordinatum, ut sit potentia Dei ad salutẽ omni credenti, & in his qui ad salutem destinati sunt, odor uitæ ad uitam.

Habes ueram sententiam huius dicti: Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Nunc ergo considera mihi, quo candore, & qua diuinarum rerum peritia Sotus suscipiat in Confessione Principis hunc locum de Euangelio Christi oppugnandum.

Confessio enim Principis, cùm hoc loco de Lege loquitur, & opponit eam Euangelio, intelligit per Legem, Decalogum, hoc est, Legem moralem seu naturalem, cuius epitome est Decalogus. Per Euangelion autem intelligit Prædicationem seu Ministerium Euangelij de Christo. Asotus autem, quæ perspicua sunt, siue non intelligens, siue ad industria inuoluens, nunc quidem affirmat, Euangelion, quod Christus & Apostoli adnunciauerunt, non esse aliud quàm ipsum Testamentum Nouum & Legem nouam: nunc autem sui ipsius oblitus, refert omnem scripturam, & quicquid exterius proponitur, seu adnunciatur, ad literam

occidentem, Nouam autem Legem dicit esse unctionem & caritatem diffusam in cordibus nostris, & cùm per gratiam Spiritus sancti cordibus persuadentur. Sic enim loquitur ipse. Quasi uerò in hac disputatione sermo nobis sit de donis, quæ nobis diuinitus dantur, & non potius de Ministerio, de organo, de Medio, de instrumẽto, quo in nos Spiritus sanctus dona sua confert. Aliud enim est Remissio peccatorum, Iustitia, Salus, & uita æterna. Aliud, Ministeriũ, per quod hęc dona Dei in nos conferunt. Hîc ergo dicimus, quòd Ministerium legis seu Decalogi, cùm est in suo proprio & legitimo usu atq; officio, in hac corrupta hominis natura, siue scribatur in libris Veteris, siue Noui Testamenti, siue adnuncietur temporibus Patriarcharum ante aduentum Christi, siue temporibus nostris, post aduentum Christi, sit ministerium per quod confertur in nos, seu reuelatur nobis, non remissio, sed augmentum & supplicium peccatorum, non Iustitia, sed iniustitia nostra, non salus, sed perditio nostra, non æterna uita, sed æterna mors & damnatio. Ministerium autem prædicationis Euangelij de Christo, cùm & ipsum est in suo proprio & legitimo usu atq; officio siue in libris Veteris, siue Noui Testamenti scribatur, ac siue illis siue nostris temporibus adnuncietur, sit ministerium, per quod Spiritus sanctus offerat hominibus & conferat in credentes non supplicium, sed Remissionem & condonationem peccatorum, non iniustitiam, sed Iustitiam, non perditionem, sed salutem, non mortem & damnationem, sed æternam uitam & fœlicitatem. De his & alijs id genus rebus, quas Confessio Principis uerius, ut in compendio, attingit, quàm pluribus explicat, debuisset Asotus respondere, siquidem omnino libuisset in hanc harenam descendere, Sed quid cæcatus hypocrita de his rebus cognosceret?

Ne autem Confessio Principis finxisse uideatur, quòd significet, nonnullos sentire, Christum dedisse nouam Legem moralem seu naturalẽ, (de hac enim nunc sermo est,) quæ durioribus & seuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem, agitedum, recitabimus aliquot dicta Ecclesiasticorum scriptorum, quæ uidentur doctrinam Legis & Euangelij ita confundere, ut ex ijs imperiti non aliter iudicẽt, quàm Christum ad hunc usum præcipuè uenisse, ut doctrina sua impleat, quod Legi Mosi desit, & Legem moralem tam perfectam tradat, ut quotquot eam factis suis præstant, (possint autem (ut ipsi quidem sentiunt) per gratiam, in hoc seculo præstare) æternam salutem operibus suis mereantur.

Si Asotus queratur, nos detegere uerenda Patrum, sibi ipse imputet. Confessio Principis summa modestia hunc locum proposuit. Asotus autem sua confusione & scorijs, eo necessitatis nos adigit, ut manifestè sit ostendendum, unde hæc sint desumpta.

TERTVLLIANVS ADVERSVS MARCIONEM libro 4.

NOuam planè patientiam docet Christus, etiam uicem iniuriæ cohibens, permissam à creatore, oculum exigẽte pro oculo, & dentem pro dente. Contrà, ipse alteram amplius maxillam offerri iubens, & super tunicam pallio quoq; cedi. Planè hæc Christus adiecerit, ut SVPPLEMENTA consentanea disciplinæ creatoris.

Et de Monogamia.

Quæ ad Iustitiam spectant, non tantum reseruata permaneant, uerum & AM

& AMPLIATA, ut scilicet redundare possit iusticia nostra super Scribarum & Pharisæorum.

Qui hęc Tertulliani dicta legit, quid aliud intelligeret, quàm Christum dedisse nouam Legem naturalem seu moralem, non quidem contrariam legi Mosi, sed ampliorem, perfectiorem, & excellentiorem? Et tamen perspicuum est, quòd cùm Christus dicat: Ne resistatis malo, Sed quis quis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, non sit noua Lex moralis, quæ non extiterit prius in Lege Mosi, sed sit tantum refutatio imperitiæ Scribarum & Pharisæorum, qui Legem Mosi, in qua & hæc sententia, & si non talibus uerbis, comprehendebatur, peruersè sunt interpretati. Quod enim dicitur in Lege, Oculum pro oculo, ad publicam administrationem magistratus pertinet. Quod autem Christus dicit, Ne resistatis malo, &, Da percutienti maxillam, ad priuatam tolerantiam singulorum pertinet. Nec minus hoc in Lege Mosi, quàm illud exigitur. Lex enim dicit: Diliges proximum sicut teipsum. Significat enim proximum non esse odio habendum, propter iniuriam ab ipso illatam. Lex item dicit: Mea est ultio, & ego rependam, dicit Dominus. Et iterum: Non quæras ultionem, nec memor sis iniuriæ ciuium tuorum. Hæc omnia planè idem significant & exigunt, quod uerba illa Christi, Ne resistatis malo &c. Quare Christus his uerbis non docet nouam Legem moralem seu naturalem, nec affert nouam expositionem Decalogi, nec supplet, quod deest Legi Mosi, nec ampliat, quod erat restrictum, sed affert planè eandem sententiam, quam continet Lex Mosi, & quæ antea in Lege extabat.

Hilarius in Matthæum.

Propositis his, quæ in Lege præscripta sunt, profectu ea, non abolitione transgreditur. Lex uetuit occidere, reatum homicidij seueritate Iudicij expiatura. Sed malæ in alterum commotæ mentis affectio, idem in Euangelijs habet pœnæ, & ex præcepto fidei non minus rea ira est, sine ratione susceptа, quàm in operibus Legis homicidium.

Et iterum.

Lex infidelem Israel intra metum continebat, & iniuriæ uoluntatem iniuriæ uicissitudine coercebat. Fides autem nullius tam grauem dolorem esse patitur iniuriæ, ut ultionem expetat, & illatæ sibi quisquam uindex sit contumeliæ.

Ac rursus.

Amari Lex proximum exigebat. Et inimicum licentiam odij dabat. Diligi uerò inimicos fides præcepit, & petulantes humanarum mentiũ motus publicæ caritatis frangit affectu, non solum iram ab ultione depellens, sed etiã in amorẽ mitigans iniurioſi &c. Apertè dicit, quòd Lex concesserit odium inimici, cùm tamẽ Lex iubeat proximum diligere, & nomine proximi intelligatur nõ amicus tantum, sed etiam inimicus. Et iterum: Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Ac rursus. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Etsi enim licuit contra publicos hostes legitima bella gerere, sicut adhuc pio magistratui licet, tamen priuatum odium erga proximum semper ab initio mundi fuit prohibitum. Et quod Ioannes scripsit: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, semper uerum fuit, non tantum post aduentum Christi, sed etiam sub Patriarchis & Prophetis, ut testantur exempla Cain, Esau, fratrum Ioseph, Saulis, & aliorum. Quare, quod Christus dixit: Diligite

inimicos uestros, non est noua Lex, sed tantum ueteris Legis, quæ per Pharisæos obscurata erat, expositio.

Eusebius lib. 1. Demonstra. Euang. cap. 6.

Moses quidem illorum temporum hominibus, quasi ijs, qui cædibus inquinari soliti essent, non occidere imperabat, ego autem ijs, qui hoc ipsum antea didicerint, & primo illi præcepto satisfecerint, alterum PERFECTIVS impono, atque ut ne iræ quidem perturbatione uincantur præcipio. Et rursus: Moses quidem adulteris, dissolutisque hominibus Legem posuit, non mœchari, maribus non miscerí, uoluptates præter naturam non sectari, & supplicium mortis ijs, qui non obtemperassent, adiunxit, ego autem meos uolo, ne intueri quidem mulierẽ cum petulanti cupiditate.

Et lib. 3.

Moses ponit Legem, quæ dicit: Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non peierabis. At Saluator noster lege proposita, non occidere solùm, sed etiam irasci prohibet &c.

Ac iterum.

Admonebat etiam eos, ut altius saperent ijs, quæ Iudæis à Mose præcepta fuerant. Illum enim Legem illis posuisse, Non occidere, tanquàm procliuibus ad occidendum. Item non mœchari, tanquàm ijs, qui lasciuissimi atque ad libidinem propensissimi essent. Rursus non furari tanquàm seruile maximè ingenium præ se ferẽtibus. Ipsos uerò arbitrari oportere, has sibijpsis nusquàm esse accommodatas Leges, sed animi liberationem ab omni morbo plurimi facere, & ab imis partibus ac de profundo cogitationis, tanquàm à radicibus malitiam pullulantem resecare, iramq; atque omnem minus honestam cupiditatem uincere conari, ac potius ex summa animi tranquillitate, ne irasci quidem, neq; mulierem cum libidine intueri, ac non modo non furari, sed cõtrà, res etiam suas indigentibus erogare. Hactenus Eusebius.

Hic, negari non potest, quin Eusebius sentiat, Christum tulisse suis perfectiorem Legem moralem, quàm Mosen Israelitis. Ac præsertim hoc urget, quòd Moses prohibuerit externum adulterium, Christus autem prohibeat etiam concupiscentiam, & impudicum aspectum. Quasi uerò Decalogus non apertè dicat: Non concupiscas. Et quid perfectius, quid absolutius, quid sanctius præcipi potest, quàm quod in lege expressis uerbis dicitur: Diliges Deum ex totò corde, ex tota anima, ex tota fortitudine. Et, proximum sicut teipsum?

Chrysostomus in Matth. Hom. 16.

Per quæ manifestissimè undiq; relucescit, non ideo ueterem Legem desiisse, in regnũ inducere, quia mala sit, sed quia PERFECTIORVM utiq; MANDATORVM tempus aduenerit. Si uerò ad comparationem Legis nouæ, uetus IMPERFECTA monstratur, ne hoc quidem illam malam esse conuincit &c.

Et iterum.

Cùm fuisset præuaricantibus comminatus supplicia, ac præmia obedientibus ampla posuisset, cúmq; ostendisset, quia meritò à nobis supra prioris iustitiæ mensuras requirat, incipit recentis Legis ordinare præcepta, non simpliciter, sed per comparationem Legis antiquæ.

Ac rursus.

Interrogemus eos, qui ueterem Legem penitus explodunt. Non irasci contrarium

contrariũm est eius præcepto, quo prohibemur occidere, an potius SVPPLETORIVM, per quod illud quoque ipsum custodiri queat. Haud dubiè hoc illius SVPPLEMENTVM, proptereáq; PERFECTIVS.

Et iterum.

Vidisti quantis ad perfectionem gradibus ascenderit, & qutemadmodum nos ad ipsum uirtutis cacumen eduxerit. A superioribus igitur ad inferiora numerando descende. Primus gradus est, nequaq; priorem ad lædendum uenire &c. Et mox: Perspexisti celsitudinem Philosophiæ, & idcirco tã claro est digna præmio, quia tam magno est subiecta præcepto, quódque ingentem semper animum & studium omnino multum requirat. Nam & prẽmium illi tale proponit, quale priorum omnino nulli. Neque enim terræ hic meminit, sicut in mitibus, nec consolationis ac miserationis, sicut in lugentibus atq; miserentibus. Neq; regnum cœlorum memorat, sicut in pauperibus spiritu, persecutionemq; patientibus, sed quod his erat longè sublimius, ut scilicet fierent similes Dei, prout tamen hominibus id esset possibile. Vt similes, inquit, sitis Patris uestri, qui est in cœlis. Hęc & similia dicta Chrysostomi palàm significant, q; Chrysostomus senserit Christũ apud Matthæũ, cùm docet, Non irascendum, nõ aspicien dam mulierẽ ad concupiscendã eam, Malo non resistendum, Maxillã dexteram percussori obuertẽdam, Inimicos diligendos, & benefaciendũ ijs, qui nos odio habent, dedisse nouã & perfectiorem, ac etiam seueriorẽ Legem q; fuerit Lex Mosi. Et quia Chrysostomus multus & cõpiõsus est in prædicandis meritis operum, obscurum esse nõn potest, quin sentiat homines noua illa Lege, hoc est, perfectioribus & excellẽtioribus operibus, quæ iuxta ipsius sententiam noua Lege exiguntur, æternam salutem consequi. Nec hoc in his dictis, quæ recitauimus, dissimulat. Perspexisti, inquit, celsitudinem Philosophiæ, & idcirco tam claro est digna præmio, quia tam magno subiecta est præcepto, quódque ingentem semper animum & studium omnino multum requirat. Nam & præmium illi tale proponit, quale priorum omnino nulli &c. Sed audiamus de hac re etiam Hieronymum.

Hiero. in Epistola ad Gerontiam de Monogamia.

Tunc õculum pro oculo, nunc uerberanti maxillam præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Modo audit Petrus: Conde gladium tuum in uaginam.

Et in Matth. cap. 11.

Iugum meum suaue est, & onus meũ leue. Quõmodo leuius Lege Euangelion, cùm in Lege homicidium, in Euãgelio ira damnetur? Qua ratione Euangelij gratia facilior, cùm in Lege adulterium, in Euangelio cõcupiscentia puniatur?

Etsi autem Hieronymus in eo loco quædam alia addit, quibus conat̃ explicare, cur Euangelion leuius sit Lege, tamen sicut hoc implicat potius q; explicat, ita non est obscurũ, quin sentiat plura, maiora, perfectiora, & grauiora, in Euãgelio, q̃ in Lege Mosi mandata esse. Et quia ipse quoq; sæpe ac multum prædicat merita nostrorum operũ in expiandis peccatis, & promerẽda æterna uita, manifestũ est, quòd perfectioribus & grauioribus operibus, tribuat perfectius & excellentius meritum, atq; præmium.

Fortaſsis autem iucundius eſt Aſoto audire Thomam ſuum Aquinatem, quòd ſint eiuſdem profeſsionis, quàm alium quemuis Scriptorem. Agedum igitur, recitemus ipſa uerba Thomæ. Quanquàm enim Thomas uidetur ſibi omnino diſsimilis, & patitur ipſe quoq; hac in re uertigi nem, ut hanc materiam, de diſcrimine Veteris & Noui Teſtamenti magis inuoluat, quàm euoluat, tamen commemorabimus ea, quæ ad præſens inſtitutum perſpicuè faciunt. Sic autem ſcribit.

Præcepta (inquit) nouæ Legis ſunt grauiora præceptis ueteris Legis, quantum ad hoc, quòd in Noua Lege prohibentur interiores motus animi, qui expreſsè in ueteri Lege non prohibebantur in omnibus, & ſi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur. Hactenus Thomas. Sed quod dicit, utrumque falſum eſt. Primum enim, Lex ſeu Decalogus manifeſtè, perſpicuè & expreſsè dicit, Non concupiſcas. Et, Circuncidite præpucium cordis ueſtri. An prohibere concupiſcentiam, & iubere circuncidere præpucium cordis, non eſt impios & iniquos motus animi aduerſus Deum & proximum, expreſsè prohibere? Quòd ſi nulla alia Lex extaret præter has duas, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, Et proximum ſicut teipſum, dici tamẽ non poſſet, quòd Lex non expreſsè prohiberet impios animi motus, niſi ſi quis Sophiſticã exerceat, & de literis potius ac ſyllabis, q̃ de uera & aperta ſententia rixetur. Vbi enim exigitur dilectio Dei ex toto corde, & dilectio proximi ſicut ſuĩpſius, ibi certè clarè & perſpicuè prohibetur, ne odio habeamus Deum, & proximum. Deinde, an Lex non apponit ſatis horribilem pœnam, cùm ait, Ego ſum Dominus Deus tuus Deus zelotes, reddens iniquitatem Patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem his, qui oderunt me? An odium Dei non eſt interior & impius animi motus? An minari ſupplicium in poſteritatem etiam transfe rendum, non eſt apponere pœnam? Et ut ſciamus nullam eſſe Legem, uel inter minimas numeratam, quæ non habeat ſuam pœnam adiunctam, additur generale νόμικα: Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius, nec eos opere perficit. Vel ſicut Paulus exponens legit: Maledictus OMNIS, qui non manſerit in OMNIBVS, quæ ſcripta ſunt in libro Legis ut faciat ea.

Iactatur & hoc inter ueterum ſententias, quòd Lex comprimat manum & non animum, Euangelion uerò & manum & animum. Ac is quidem, qui collegit Theologicas ſententias, conatur hoc dictum explicatione ſua mitigare. Illud, inquiens, de Lege dicitur ſecundum cærimonialia, non ſecundum moralia, uel quia in Lege non eſt generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiſcentiæ, ut in Euangelio. Eſt & hoc utrumque falſum. Nam qui dixerunt, Legem comprimere manum non animum, intelligunt id maximè omniũ de morali Lege, quẽ admodum teſtificantur ea dicta, quæ paulò antè è ueteribus ſcriptoribus recenſui. Et Lex generaliter prohibet omnem mortiferam concupiſcentiam, ut iam demonſtrauimus.

Adiungemus Thomæ etiam Scotum, quorum diſcipuli & ſi plurimum inter ſe rixantur, tamen autores in ignorantia ueri diſcriminis, quod eſt inter Legem & Euangelion, conſentire ſibi uidentur. Sic autem ſcribit Scotus: Lex noua, (inquiens) continet omnia moralia, quæ

quæ Lex uetus, & addit alia, uel saltem addit aliquam explicationem aliquorum, ad quę fortè ipsi non tenebant, quòd quantum ad hoc est grauior &c. Vides, quàm temerè, quàm dubitanter incedat Scotus. Dicit Legem nouam addere quædam alia, (intelligit autem Moralia) ad ueterem Legem. Et tamen quia uidet hoc uix constare posse, emendat ipse se, Vel saltem, (inquiens) addit aliquam explicationem aliquorum. Sed metuit, ne & in hoc erret, ideo mox subiungit, Ad quæ (inquiẽs) fortè ipsi non tenebantur. Rectè habet τοῦ σκότου, hoc est, Tenebrarum nomen. Quid enim potest tenebricosius, & implicatius dici? Sed tales tenebras merentur, qui oculos à luce Euangelij Christi, ad figmenta humanæ rationis deflectunt.

Sunt & alia dicta inter huius farinæ Scriptores de discrimine Legis & Euangelij, seu ut ipsi loquuntur, Veteris & Nouę Legis uulgata. Omnes differentiæ, inquiunt, quæ assignantur inter Nouam Legem & Veterem, accipiuntur secundum perfectum & imperfectum. Et, Lex noua cõparatur ad Veterem sicut perfectum ad Imperfectum. Et, Mandata Legis sunt minora, In Euangelio autem sunt mandata maiora. Et, Christus impleuit ueterem Legem opere & doctrina. Doctrina tripliciter, uerum intellectum exprimendo, præcepta Legis ordinando, & præceptis superaddendo.

Hæc & similia dicta uidentur sumpta ex Epistola ad Hebræos, ubi dicitur: Nihil ad perfectum adduxit Lex. Hoc igitur Apostolicum dictum explicandum erit, ut uarij errores refutentur. Apostolus enim hoc dicto non intelligit, ꝙ naturalis seu Moralis Lex non sit sufficienter & perfectè tradita aut exposita in scriptis Mosi. Quid.n. potest de Lege Morali suffici entius & perfectius dici, q̃ Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine. Et, Proximum sicut teipsum? Quod opus absolutius & sanctius potest ulla doctrina tradi & exponi? Quare nugæ sunt, quòd dicunt Veterem Legem continere mandata minora & imperfecta, nouam uerò Legem, maiora & perfecta. Dictum autem Apostoli partim eò respicit, quòd Lex, etsi per se perfecta est & Sãcta, ac præcipit tam iusta & pia opera, ut non possint iustiora & magis pia dici, tamen præcipiendo non affert homini uires ea faciẽdi & implendi. Sicut & Paulus dicit, Lex ipsa quidem Sancta, & prꝫceptum sanctum, ac iustum & bonum, sed peccatum occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Partim, & maximè omnium respicit in eo loco ad partem Legis Cerimonialis seu Leuiticæ. Refutat enim Apostolus impiam opinionem Iudæorum, qui sentiebant sanguinem taurorum & hircorum expiare peccata nostra coram Deo, & confert hunc sanguinem cum Sanguine Domini nostri Iesu Christi, ac docet, quòd sanguis hircorum & taurorum, non expiet peccata coram Deo, sed adumbret tantum sanguinem Christi, qui solus sit coram Deo expiator peccatorũ nostrorum. Vnde & postea dicit: In priore tabernaculo offeruntur dona & Sacrificia, quę non possunt iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem. Et iterum: Lex umbram obtinens futurorum, non ipsam imaginem rerum, his hostijs quas singulis annis easdem continẽter offerunt, nunquàm potest accedentes perfectos reddere. Lex enim de Sacrificijs, rectè quidem ac uerè adumbrat Sacrificium Domini nostri Iesu Christi. Et hac in parte non est imperfecta, quia est & diuinitus instituta, & satis ac sufficienter adumbrauit pijs sacrificium Christi, ut potuerint ex sacrificijs fidem suam

confirmare, hac autem in parte dicitur imperfecta, & inutilis, quòd sacrificia eius non expient peccata, ex dignitate actionum seu ex opere ipsorum, ut loqui solent, operato, sicut hypocritæ, & imperiti homines sentiebant. Maiestas enim expiationis peccatorum coram Deo pertinet tantum ad sacrificium & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, non ad sanguinem taurorum & hircorum. Quare absurdissimum est, quòd nonnulli dicunt ueterem Legem esse imperfectam, hoc uidelicet sensu, quòd Lex Mosi non contineat nec exigat perfectam iustitiam operum, quæ uel Deo uel proximo præstanda sunt, aut nòn rectè nec utiliter adumbraverit Sacrificium Christi.

Quid plura? Asotus ipse, ne sit in hoc Symposio asymbolus, & utinque nuè fateatur se esse eorum discipulum, qui ex Euangelio faciunt Legem, quæ duriora præcepta tradat, quàm Lex Mosi, in scorijs suis ita scribit. Si aspicias (inquit) ad exteriorem doctrinam uel scripturam, duriora certè sunt nonnulla, ut illud propter quod dixerunt Apostoli Matth. decimo nono. Si ita est causa hominis cum uxore, melius est non nubere, & similia. Propter quæ etiam intelligi potest illud dictum, Nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum &c. Etsi autem hypocrita habet uarias huius dicti sententias, sicut fatetur ipse, tamen manifestè hîc affirmat, quod antè negauit, & quod refutandum suscepit.

Exposuimus, quid in hac disputatione nomine Legis & Euangelij intelligamus. Et quæ sit uera sententia huius dicti apud Paulum, Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Recitauimus etiam Catalogum quorundam Scriptorum, qui sentiunt Christum dedisse nobis perfectiorem & seueriorem Legem, quàm fuerit Lex Mosi. Quæ omnia paulò copiosius eo consilio exposuimus, ut argentum Confessionis Principis ab Asoticis scorijs repurgaremus. Nunc addemus quædam de ueteri & nouo Testamento, déq; horum inter se discrimine. Neq; enim Confessio Principis negat, neq; dubium est, quin suum sit ueteris & noui Testamenti discrimen, Sed cùm dicitur, quòd Christus non sit nouus Legislator, & non tulerit nouam Legem, significatur, non hoc esse Veteris & Noui Testamenti discrimen, quod nonnulli Scriptores Ecclesiæ obtrudunt. Dicamus igitur quædam de hac re, ut & sententia Confessionis Principis illustretur, & Asotica uanitas refutetur. Non est autem nobis nunc sermo, de ea Testamenti significatione, qua libri Prophetici, Vetus Testamentum, & libri Apostolici, Nouum Testamentum dicuntur, Sed nomine Testamenti hoc loco intelligimus, quod Hebræis est בְּרִית Berith, hoc est, Pactum aut fœdus, Et Græcis διαθήκη, quod propriè significat statutum, aut Constitutionem. Ac ubi Hebræus in sacris literis habeth Berit, ibi Græcus transtulit διαθήκη, & Latinus interpretatus est Pactum, fœdus, aut Testamentum. Etsi autem Deus iniit etiam Pactum, seu Testamentum cum Noha, sicut scriptum est Geneſis 6. & 9. tamen præcipuum est, quod iniit & instituit cum Abrahamo. Pactus enim est cum Abrahamo, & testatus est ei, quòd uelit posteritatem eius multiplicare sicut sunt stellæ cœli, & arena maris, ac dare ei possessionem terræ Canaan, & quòd in Semine suo benedicendæ sint omnes Gentes. Hoc Pactum seu Testamentũ continet duos Articulos, seu duas partes. Altera pars est promissio multiplicatiõis externę posteritatis Abrahę, & possessiõis terræ Canaan. Hęc pars complectit promulgationẽ Decalogi, institutionẽ Sacerdotij Leuitici, & Legũ Politicarũ, quibus Israelitæ in regno

Regno & Politeia eius uterentur. Vbi enim est multitudo populi, & inhabitatio regionis, ibi necessaria est doctrina morum, cultus Dei, & obseruatio publicorum Iudiciorum, ut populus in officio pietatis & honestatis contineatur. Quare cùm Deus promittit Abrahæ se multiplicaturum posteritatem eius, & daturum ei terram Canaan in possessionem, eo ipso promittit, se religionem & Politeian eorum ita constituturum, ut piam, honestam, & tranquillam uitam agere possint. Quod & postea in exitu Israelis ex Aegypto, & in ingressu in terram Canaan impletum est. Altera pars est Promissio de Semine benedicto, hoc est, de Christo nascituro ex posteritate Abrahæ. Et hæc est præcipua pars Pacti seu Testamenti, quod Deus cum Abrahamo fecit. Nam propter hanc, Deus priorem illam Abrahæ promisit. In hunc enim usum promissa est Abrahę multiplicatio posteritatis eius & possessio terræ Canaan, ut in ea & familia, è qua nasciturus erat Christus, & prædicatio, qua Christus uenturus, & peccatum humani generis expiaturus promittebatur, conseruaretur, donec Christus ipse ueniret, ac officio suo in terris defungeretur. Ac illa quidem prior pars uocatur Vetus, posterior autem, Nouum Testamentum, non quòd promissiones diuersis temporibus factæ sint, sed quod diuersis temporibus sint impletæ. Prior enim impleta est eo tempore, quò Israelitæ egressi sunt ex Aegypto, & ingressi in terram Canaan, ac possederunt eam, usque ad aduentum Christi. Etsi enim fuerunt aliquot annis à Babylonijs eiecti, tamen promissus erat eis receptus, ac redierunt etiam postea ad suas possessiones. Posterior autem impleta est in plenitudine temporis, quando Deus emisit filium suum factum ex muliere, factum Legi obnoxium, ut eos, qui Legi erant obnoxij, redimeret.

Quæ cùm ita se habeant, manifestum nunc est, quæ sit Veteris & Noui Testamenti uel conuenientia, uel differentia. Ac Scriptores quidem Scholastici, quos & Asotus in sua Confusione sequitur, affirmant Nouum Testamentum distare à Veteri per Præcepta, Sacramenta & Promissa. Sed quomodo hæc se habeant, explicandũ erit. Primùm eñ, si tempus, quo hæ duæ partes Pacti seu Testamenti, quas recensuimus, dictæ & promulgatæ sunt, consideraueris, manifestum est, quòd cùm Deus promitteret Patriarchis Abrahamo, Isaaco & Iacobo, multiplicationem posteritatis, & possessionem terræ Canaan, simul etiam promitterit se è posteritate eorum missurum Christum. Ad Abrahamum dicitur: Multiplicabo Semen tuum sicut stellas cœli. Et possidebit Semen tuum portas inimicorum suorum. Hæc est pars Pacti, quæ uocatur Vetus Testamentum. Sed mox additur altera pars: In Semine tuo (qui est Christus) benedicentur omnes gentes terræ. Hæc est pars Pacti, quæ uocatur Nouum Testamentum. Ad Isaacum dicitur: Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, dabóque posteris tuis omnes regiones has. Habes Vetus Testamentum. Sed continuo subiungitur: In Semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: Habes Nouum Testamentum. Ad Iacobum dicitur: Terram in qua dormis dabo tibi & semini tuo, eritq; semen tuum, quasi puluis terræ. Ecce uetus Testamentum. Sed accedit statim & nouum: Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Quare si tempus, quo hæc duo testamenta Patriarchis promissa sunt, consideraueris, uno singulis tempore promissa uidemus. Si autem tempus impletionis eorum consideraueris, manifestum est, quòd uetus qui-

dem Testamentum seu Pactum de multiplicatione Seminis Patriarcharum, & possessione terræ Canaan, tunc impleri cœperit, cum familia Israel in Aegypto multiplicaretur, & Israelitæ ex Aegypto proficiscerentur, atq; acciperent Legem in deserto, & postea possessionem terræ Canaan. Nouum autem Testamentum, seu Pactum de mittendo Christo è posteritate Abrahæ, implebatur post egressum ex Aegypto & instauratione Veteris Testamenti, annis plus minus mille quingentis, cùm Christus nasceretur è uirgine in Bethlehem, & postea officio suo defungeretur in Galilæa & Iudæa. Hæc autem non eo dicuntur, quòd uel ante Abrahamum, non fuerit promissio de uenturo Christo, uel ante egressum Israelitarum ex Aegypto, non fuerit inter homines cognitio Legis seu Decalogi: Nam promissio de Christo extitit iam inde ab initio orbis terræ, cùm dictum est, Semen mulieris, seu filius Virginis, conteret caput Serpentis. Et notitia Decalogi solet humanis mentibus à Deo naturaliter imprimi, sicut testatur Paulus, Sed eò dicuntur, quòd promissio de uenturo Christo, quæ antea extabat, determinabatur tum primum, temporibus trium illorum Patriarcharum, Abrahæ, Isaaci & Iacobi, ad certam familiam, è qua Christus esset nasciturus, & Decalogus tum primum, in egressu ex Aegypto promulgabatur manifestis miraculis, & tradebatur scriptus in tabulis lapideis. Habes unum discrimen Veteris & Noui Testamenti.

Deinde, quòd ad præcepta attinet, secundũ quę isti ponunt aliquod discrimẽ inter Vetus & Nouũ Testamentũ, siquidem sermo est de Decalogo, qui est epitome Legis naturalis ac moralis, falsum est, cp Christus, cũ aduenisset, dederit nouam Legem naturalem aut moralem, quemadmodum suprà demonstratum est. Et dicit ipse Sentẽtiarum autor, quòd Moralia in Lege & Euangelio sint eadem. Addit quidem ea plenius contineri in Euangelio: Sed quid de hoc sit sentiendum, ex ijs, quæ antea copiosè dicta sunt, manifestum est. Nam, quòd Asotus affirmat Christum quædam Legis Mosi reuocasse, inter quæ commemorat illud de libello repudij, quod scriptum est apud Matthæum, capite decimonono, satis perspicuè prodit suam insciti am. Christus enim eo loco non reuocat uetterem Legem Mosi de repudio, nec reprehendit eam, alioqui reprehẽderet Spiritum ipsum sanctum, quo autore hæc Lex lata fuit, sed exponit causam, cur Moses tale repudium permiserit, & reprehendit populum, quòd præ duricia eius, Moses nõ potuerit in ea politia perfectã Legis Naturalis obseruãtiam exigere, Nec reponit in locum eius nouam Legem, sed restituit ueterem Legem naturalem. Manifestè enim dicit, Ab initio non erat sic. Et, An non legistis quòd is, qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit, Propterea deseret homo &c. Hoc certè non est nouam Legem ferre, sed ueterem naturæ Legem, quæ fuit ab initio humanæ conditionis, suæ integritati restituere. Quare si de naturali seu Morali Lege sermo est, uanissimum est, quòd nonnulli sentiunt Christum, in nouo Testamento, nouam Legem tulisse.

Si autem loquendum est de Cęrimonijs seu Sacris & Ritibus Leuiticis, dubium non est, quin externus & Leuiticus horum rituum usus sit in aduẽtu Christi, & in diuulgatione Euangelij eius in orbem terrarum, abrogatus. Hi enim ritus fuerunt adumbratio Christi, & officij eius, quo in terris erat defuncturus. Postq; igitur uenit Christus, deleta est umbra, & positum nobis est ob oculos corpus ipsum. Nox progressa est, dies autem

tem appropinquauit. Sed quo uerius ac certius est, Leuiticos ritus abolitos esse, hoc magis peccat Asotica Ecclesia, quòd hactenus chrismata, thymiamata, & multa alia Leuitica in Sacris suis restituerit, & clarissimo Soli, tenebras umbrarum offuderit.

Si uerò sermo est de præceptis, ut uocant, Iudicialibus seu Politicis, manifestum est, quòd Christus nec ipse nouas politicas Leges tulerit, nec cùm iussisset Apostolos Euangelion suum diuulgare inter Gentes, obtruserit Ecclesiæ Iudiciales seu Politicas leges Mosi, sed concesserit, ut quæuis gens utatur suis Politicis Legibus, si modo non pugnauerint cum Lege naturali. Quis me (inquit) constituit Iudicem, aut diuisorem super uos? Et iterum: Regnum meum non est de hoc mundo. Et testantur ipsi quoque Asotici scriptores, quòd Christus nulla Iudicialia (Sic enim loquuntur) imposuerit. Quo magis detestandum est, quòd Asotus scribat Christum esse Nouum Legislatorem, & instituisse nouum regnum Politicum. Ac paulò antè facit quidem discrimen, inter spiritualem ac cœlestem, & inter mundanam politeian, sed quæ est professio cæcati hypocritæ, facilè cognosci potest, quòd per mundanam politeian intelligat regna secularium Principũ, quæ administrantur legibus Cæsareis, Per Spiritualem aũt & cœlestem politeian intelligat dominationem Prælatorum, ut uocant, Spiritualium, quam gubernant iuxta Leges suas, quas uocant, Canonicas, & iuxta decreta suorum Conciliorum ac scrinia pectoris Pontificij. Si ergo Asotus facit Christum huius Politiæ autorem, certè facit ex Christo non solum Cæsarem Octauianum, aut Iustinianum, sed etiam plusquàm Sardanapalum. Quod cùm ex aliorum scriptis manifestius sit, quàm ut hoc loco repeti debeat, nec sit huius instituti, pergemus nunc ad reliqua, si tamen prius è Bernardo recitemus, quibus moribus prælati suam illam spiritualem & cœlestem politian administrent.

BERNARDVS SVPER CANTICA, SERMO. 77.

Non omnes sunt amici Sponsi, quos hodie Sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui, ut uulgo aiunt, eam quasi addextrare uidentur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant ex omnibus caris eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere, quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti uarietatibus, tanquàm Sponsa procedens de thalamo suo. Nónne si quempiam talium eminus procedentem aspexeris, Sponsam potius putabis, quàm Sponsæ custodem? Vnde uerò hanc illis existimas exuberare rerum affluentiam, uestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem uasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Sponsæ? Inde est, quòd illa pauper & inops, & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispida, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare Sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instituere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare & deuorare, Dicente de illis Domino: Qui deuorant plebem meam ut cibum panis, & quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt. Et in alio Propheta: Peccata populi mei comedent. quasi dicat, Peccatorum precia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum VACVANDIS MARSVPIIS, quàm uicijs extirpandis? &c.

Hæc est illa Spiritualis & cœlestis politeia, quã Prælati gubernant. Sed fortasis talis erat Prælatorum politeia, temporibus Bernardi. Nunc autem, postquàm Asotus in mundo natus est, & in Dominico suo renatus, emẽdata scilicet est in melius. Quare pergemus in nostro instituto. Nam quod ad Decalogum seu Legem naturalem, aut Moralem attinet, sicut cognitio eius fuit à condito homine, diuinitus humanæ menti inscripta, & sententia eius postea in tabulas lapideas relata, ita obedientia eius semper ab hominibus, siue illis, qui fuerunt ante Legem scriptam, siue istis, qui fuerunt à Mose usq; ad Christum, siue his, qui sunt à priori aduentu Christi, usq; ad extremum diem huius mundi, ac posteriorem Christi aduentum, seueriſsimè exigitur. Sed in hoc loco non est prætereundũ, quòd & si Christus non liberauit homines, ne obediant amplius Decalogo, seu naturali Legi (in hac enim disputatione, per Decalogũ intelligimus Naturalem tantum Legem, non Mosaicam illam de die Sabbati determinationem, quæ & ipsa in Decalogo continetur, non est autem Legis naturalis, sed Leuiticæ aut Mosaicæ) tamen liberauit eos, qui in ipsum credunt, ne maledictione Decalogi damnẽtur. Decalogus enim exigit perfectam obedientiam & iusticiam. Et si quis eam non præstiterit, execratur eum extremis malis. Ab hac autem execratione redemit nos Christus, ut Paulus ait, dum factus est pro nobis execratio. Quod beneficium Christi, non pertinet tãtum ad eos homines, qui sunt post aduentum Christi & diuulgationem Euangelij eius, in terris, sed etiam ad illos, qui fuerunt ab initio orbis terræ, ante aduentum ejus, & crediderunt in ipsum. Itaq; sicut obedientia Decalogi seu Legis naturalis semper exigitur, ita execratio eius semper per Christum in ijs, qui credunt in eum, antiquatur & aboletur. Quòd aũt attinet ad Leuiticas Leges, abrogati quidem sunt externi earũ ritus, sed postquàm aduenit Christus, ueritas eorũ ita illustrata est, ut quibus nunc autoritate Mosi utendum susciperet, uideretur Christum aduenisse negare. De forensibus uerò & Politicis Legibus Mosi, sicut post aduentum & exaltationẽ Christi sublata est Politeia Mosaica, ita cùm Christus dixit, Prædicate Euangelion OMNI creaturæ, hoc est, non tantum Iudæis, sed etiam Gentibus, omnibus, inquam, populis, in uniuerso orbe, permittit unicuiuis genti ac populo, ut suis forẽsibus atq; politicis Legibus utatur, tantum ut audiat Euangelion, & credat in Christum, quòd ipse placauerit iram Dei, & impetrauerit nobis adoptionem filiorum Dei, atq; ex hac fide testificetur quouis potest pietatis officio gratitudinẽ suam. Habes aliam tam conuenientiam, quàm differentiam Veteris & noui Testamenti.

Venio ad Sacramenta. Nam & in his dicunt esse discrimẽ inter Vetus & Nouum Testamentum. Etsi autem Circuncisio & Baptismus, Agnus Paschalis, & Cœna Dominica, diuersa sunt Sacramenta, Res tamen, quæ per ea significantur, & beneficia, quæ per ipsa offeruntur, & dispensantur, non sunt diuersa. Circumcisio enim non solum fuit signum eius promissionis, quæ erat de multiplicatione Seminis Abrahæ, & possessione terræ Canaan, quod uocabatur Vetus Testamentũ, ut suprà dictum est, sed fuit etiam signum illius promissionis, quæ erat de uẽturo semine benedicto, hoc est, de Christo Seruatore nostro, quod uocatur Nouum Testamentum. Vnde & Paulus ad Roma. de Abrahamo scribens: Accepit (inquit) signum circumcisionis signaculum Iusticiæ fidei, quę fuerat in præpucio, hoc est, Abrahã fuit iustificatus seu absolutus à peccatis, & Deo acceptus

per

per fidem, quam habebat in Christum de posteritate eius uenturum, priusquàm circumcideretur. Accepit autem ex institutione Domini circumcisionem, ut hoc signo confirmaretur in fide, quam habebat non solum de promissione multiplicationis seminis & possessione terrę Canaan, sed etiam de Christo è posteritate sua uenturo. Itaq; qui in populo Israelitico accepit circumcisionem, non minus coniunctus est per hoc Sacramentum Ecclesiæ Dei, nec minus consignatus fuit in communionem beneficiorum Christi, hoc est, Remissionis peccatorum & æternæ uitæ, quàm qui hisce temporibus accipit baptismum. Et qui uescebatur tunc agno Paschali, qui adumbrabat Christum, ex fide, non minus capiebat fructum corporis & sanguinis Christi uenturi, hoc est, remissionis peccatorum & uitæ æternæ, quæ per mortẽ & sanguinem Christi impetrata sunt, quàm is qui nunc sumit Cœnam Dominicam. Quid, quòd & hi, qui egressi ex Aegypto, uagabantur adhuc incertis sedibus in deserto, & credebant in Christum Abrahæ promissum, comederunt, suo quodam modo, corpus Christi in Manna, & biberunt, ad quod fortassis Asotus & fraterculi eius obstupescent, sanguinem eius in aqua, profluente de petra? Sic enim Paulus scribit: Omnes, (inquiens) eandem escam spiritualem comedebant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant autem de Spirituali, quæ illos comitabatur, petra, Petra autẽ erat Christus. Dicit quidem aliâs Paulus: Nunc propius adest nobis salus, quàm tum, cùm credebamus, hoc autem intelligendum est, non de meliori & excellentiori salute, sed de illustriori reuelatione salutis. Eadem enim salus, eadem remissio peccatorum, eadem æterna uita, quæ nobis in exhibito nunc Christo offertur & traditur, oblata fuit & tradita ueteribus in Christo suis temporibus exhibendo, & reuelando, nobis quidem manifestiori, & his obscuriori prædicatione, utrisq; autem rerum ueritate, per eundem Christum Seruatorem nostrum. Quare & si diuersa sunt Sacramenta Ecclesię, quæ fuit ante aduentum Christi, & quæ est post aduentum eius, tamen sicut una est Ecclesia, ita unus est Christus tam Adami, Abrahami, Dauidis, Esaiæ, & aliorum Patriarcharum, quàm Petri, Pauli, Stephani, Cypriani, Augustini, & omnium piorum. Iesus Christus (inquit Apostolus) heri & hodie, idem est etiam in secula. Traditur in Promissis quoque discrimen. Lex, inquiunt, promittit terrena, Euangelion autem cœlestia. Hoc quidem tolerabiliter dicitur, siquidem rectè intelligitur. Nam si hoc sensu diceretur, quòd cum duplicia promissa sint Abrahæ, alterum multiplicatio seminis, & possessio terræ Canaan, alterum Christus è posteritate eius nasciturus, qui est æternus noster Seruator, illud quidem quod terrenum fuit, exhibitum sit ueteribus Patriarchis, hic autem Christus, qui & ipse promissus erat, & est cœlestis Seruator, non sit temporibus eorum exhibitus & natus, bona esset sententia, & amplectenda. Si autem isto sensu diceretur, quòd Veteribus Patriarchis, & pijs, qui fuerunt ante aduentum Christi, non fuissent promissa, nisi terrena, nobis autem, qui sumus post aduentum Christi, non promittantur, nisi cœlestia, manifesta esset uanitas. An non enim Adamo promissum fuit, quòd Semen mulieris, seu filius Virginis contriturus sit caput Serpentis? Conterere autem Caput Serpentis, est spoliare Satanam sua potentia, ut & peccatum expietur, & mors uincatur, & exterminetur, ac pro peccato, Iustitia, pro morte, uita æterna reddatur. Quid? an hæc non sunt cœlestia bona? At enim, inquies, litera nõ sic sonat. Quasi uerò nunc de externo literarum sono, & non

potius de uera literarum ſententia, quam pij quique per Spiritum ſanctum intellexerunt, tractaremus. Ad Abrahamum dicitur: In Semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ. Hoc dicto promittitur Chriſtus, promittitur benedictio per Chriſtum, quæ eſt Remiſsio peccatorum, & uita æterna. Hæccine tu dices, non eſſe bona cœleſtia? Cùm Chriſtus de Abrahamo dicit, Abraham Pater ueſter exultauit ut uideret diem meum, uidit, & gauiſus eſt: Putás ne ſentit, quòd Abraham in ipſo non uiderit niſi terrena & caduca, ac non potius cœleſtia & æterna? In Exodo dicitur: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Ex hoc loco probat Chriſtus ipſe reſurrectionem mortuorum. Quomodo igitur ueteribus nõn eſſent promiſſa bona cœleſtia?

In Leuitico capite decimooctauo dicit Dominus, Cuſtodite Leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, uiuet in eis. Exiſtimas ne nomine uiuendi Spiritum ſanctum intelligere tantum externam & corporalem, non autem æternam & cœleſtem uitam? Hæc quidem porcorum de grege Epicuri ſententia eſt. Chriſtus autem ipſe interpretatur de æterna uita. Si uis (inquiens) ad uitam (uidelicet æternam, De hac enim quæſiuerat Scriba) ingredi, ſerua mandata. Eſaias concionatur de Chriſto: Vocabitur, inquiens, pater futuri ſeculi. Et multiplicabitur impe rium eius, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & Iuſticia, amodo & uſque in ſempiternum. Hic certè promittuntur in Chriſto cœleſtia & æterna bona, quæ & ſi non cogitauerunt carnales Iudæi, quorum Deus uenter eſt, intelligit tamen Spiritus ſanctus & intellexerunt pij per Spiritum ſanctum. Et capite uigeſimoquinto. Præcipitabit (inquit) in monte iſto faciem uinculi colligati ſuper omnes populos, & tegumentum, quo omnes nationes tecti ſunt. Præcipitabit mortem in ſempiternum, uelſicut Paulus legit, abſorbebit mortem in uictoriam.

Hic perſpicuè concionatur Eſaias, quòd Chriſtus ſuperaturus ſit mortem, & daturus æternam uitam. Quo cum conuenit etiam concio Oſeæ capite decimotertio: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus, inferne. An hoc non eſt promittere cœleſtia? Quid, quòd & Daniel ait: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut cõſumetur præuaricatio, finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur iuſticia ſempiterna. Qui hæc non iudicat cœleſtia bona, inſanit. Ac breuiter, ubi in libris Veteris Teſtamenti prædicatur de uita & benedictione reddenda ijs, qui uel Legem ſeruant, uel in Chriſtum Abrahæ & Dauidi promiſſum credunt, ibi Spiritus ſanctus maximè omnium intelligit æternam uitam & cœleſtem benedictionem. Itaq; tam Lex quàm Euangelion promittunt æterna & cœleſtia bona. Etſi enim nullus hominum Legem ita ſeruat, ut perfectè eam impleat, ideoque nullus ex meritis operum Legis conſequatur æternam uitam & cœleſtem benedictionem, tamen Lex, quæ eſt Sancta, factoribus ſuis hæc bona promittit. Nobis autem, qui ſumus in his terris, poſt aduẽtum Chriſti, non promittuntur tantum cœleſtia, ſed etiam terrena. Primùm, inquit, quærite regnum Dei & Iuſticiam eius, & hæc omnia, uidelicet, alimenta & ueſtimenta, adijcientur uobis. In oratione Dominica iubemur petere panem quotidianum. An non hoc ipſo, quo ſic orare iubemur, promittitur nobis quotidianus uictus, qui eſt terrenus? Apud Lucam dicit Chriſtus: Amen dico

dico uobis, nemo est, qui reliquit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos, propter Regnum Dei, qui non recepturus sit multò plura in hoc tempore, & in seculo uenturo, uitam æternam. Hîc simul & terrena & cœlestia promittuntur. Et Paulus clarè dicit, Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat præsentis uitæ ac futuræ. Quid plura? Euangelion, cùm concionatur Deum nobis esse factum propicium propter Christum filium suum, promittit nobis non spiritualia tantum & cœlestia, uerumetiam corporalia & terrena bona, uidelicet Deum seruaturum nos non æterna tantum salute, sed etiam in his corporalibus necessitatibus. Ne sitis, inquit, solliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis aut bibituri, neque corpori uestro, quibus indumentis usuri. Nonne anima pluris est, quàm cibus, & corpus pluris, quàm indumentum? Et mox: Si gramen agri, quod cùm hodie sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, ô parum fidentes? Quare sicut Lex nomine terrenorum bonorum promittit etiam cœlestia, ita Euangelion, nomine cœlestium bonorum, promittit etiam terrena, quòd ubicunque promittatur nobis Deus propicius, ibi significetur, Deum effusurum in nos uaria genera tam terrenorum in hac uita, quàm cœlestium beneficiorum.

Augustinus contra Adimantum Manichæi discipulum scribens, duobus uerbis exponit discrimen Veteris & Noui Testamenti. Hæc est, inquiens, breuissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, TIMOR, & AMOR. Hoc dictum Augustini rectè intelligendum est. Nam si intelligeretur de præceptis, uidelicet, quòd in Nouo Testamento, reuelato Christo, data esset Noua Lex de amore, Caritate seu dilectione, quæ antea non extitisset in Lege Veteris Testamenti, falsa esset sententia. Commendatur quidem in concionibus Noui Testamenti Caritas seu dilectio, de meliori nota, nihil autem maius & excellentius dici & exigi potest, quàm quod in Lege dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Et, Proximum sicut teipsum. In his duobus mandatis, inquit Christus ipse, tota Lex & Prophetæ pendent. Nam quod aliâs dixit: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuò, sicut ego dilexi uos, non idcirco nouum uocat, quòd antea nihil tale extiterit: Neque enim his uerbis aliud exigitur, quàm quod Lex dicit: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, Sed quod Christus hoc, quod & Lex exigit, & ipse aliquoties antea inculcauerat, noua repetitione commendet. Vnde & Ioannes in prima sua Epistola, uocat hoc præceptum Vetus & Nouum. Vetus, quòd ab initio semper exigitur dilectio proximi, eaque non tepida, sed tam ardens, ut etiam animam pro salute proximi ponas. Hæc enim est uera sententia huius præcepti, Diliges proximum sicut teipsum. Nouum autem, quòd subinde repetatur & renouetur. Quare cùm dicitur Vetus & Nouum Testamentum distingui Timore & Amore, non est intelligẽdum, quòd maior aut melior Lex de Caritate uel Dei uel proximi data sit in aduentu Christi & diuulgatione Euangelij eius, quàm antea, Christo nondum patefacto, extiterit.

Sed si dictum Augustini intelligitur de effectione Ministerij Legis & Euangelij, uera est sententia. Ministerium enim Legis, quod, quemadmodum suprà explicuimus, Paulus uocat Literam, ducit in agnitionem peccati, operatur iram, & occidit. Manifestum igitur est, quòd

excitet atque efficiat timorem. Ministerium autem Euangelij, quòd Paulus uocat Spiritum, offert remissionem peccati, pollicetur gratiam seu fauorem Dei, & uiuificat. Perspicuum igitur est, quòd excitet atque efficiat in credente amorem. Interea hoc quoque non est dissimulandum, quòd hic Amor, seu Caritas, quam excitat in credentibus Spiritus sanctus per Ministerium Euangelij, non sit perfecta impletio Legis. Augustinus enim aliâs dicit: Lex data est, ut gratia quæreretur, Gratia data est, ut Lex impleretur. Intelligunt autem nomine Gratiæ, Amorem seu Caritatem diffusam per Spiritum sanctum in cordibus piorum. Ac uerba quidem Augustini per se nihil incommodi habent, si ita intelligantur, quòd Lex ostendendo nobis peccatum excitet nos ad quærendam remissionem peccati in Christo, per gratuitam Dei clemẽtiam, Et quòd cùm remissa nobis sint peccata, gratuita Dei clementia propter Christum, non condemnemur coram Deo, sed ita absoluamur, perinde acsi totam Legem perfectè impleuissemus. Ostendimus enim antea, quòd cùm dicitur, Legem gratia impleri, intelligenda sit nomine Gratiæ, gratuita Dei clementia & misericordia, qua non imputantur nobis peccata propter Christum, & qua ab accusatione & maledictione Legis absoluimur. Quæ absolutio habetur coram Deo, propter Christum, pro nostra Legis impletione. Si autem in uerbis Augustini, nomine gratiæ intelligitur Caritas, quæ in nobis est, & quòd ea Caritas Legem Dei tam perfectè impleat, ut homo possit fiducia eius ad tribunal Dei accedere, & constare, hoc demum cum Prophetica & Apostolica doctrina uerè ac manifestè pugnat. De quare, quoniam antea sæpe ac multùm diximus, non erò nunc longior. Nam quod uel ad conuenientiam uel ad differentiam Veteris ac Noui Testamenti attinet, spero in præsentia ita planum factum esse, ut qui magis studiosus fuerit ueritatis quàm amans contentionis, sibi mediocriter satisfactum esse fateatur. Hypocritam Sotum nihil moror, quippe quem uideam in harum rerum cognitione nondum esse factum Catechumenum, ac in Schola Christianorum non didicisse, nisi quod Psittaci solent, uerba Sacræ scripturæ & maiorum suorum, sine mẽte recitare.

Etsi autem dicta scripturæ, quæ commemorat, nihil prorsus pugnãt cum Confessione Principis, quæ non negat suum esse Veteris ac Noui Testamenti discrimen, quemadmodum iam copiosè explicatum est, tamen, quia suus debetur honos Sacræ scripturæ, & non sunt ferendæ Fraterculorum deprauationes, paucis ea percurremus.

Esaiæ trigesimotertio, Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus rex noster. Non est obscurum, quòd hoc dictum intelligẽdum sit de Christo. Sed num probat, Christum uenisse in hunc mundum, ut ferat nouam Legem naturalem seu Moralem, & ut instituat in terris tale Ecclesiæ suæ Regnum, quale fuit uel Nabuchodonosoris, uel Alexandri Magni, uel Iulij Cæsaris, uel etiam Dauidis aut Salomonis? Nihil certè minus. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Et, Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Inter uos autem non sic. Sed qui maior est inter uos, fiat sicut iunior. Num probat Christum esse autorem Regni Pontificij, & Canonum Pontificiorum? At hoc Regnum tantum abhorret à Regno Christi, quantum magna pars Pontificum & Fraterculi eorum absunt à uera pietate. Nihil nunc dicam, de tyrannide, quam Pontifices, & satellites eorum, legibus

gibus suis, in Ecclesia filij Dei, & in conscientijs hominum, prætextu uerbi Dei exercent: nihil de impietate & Idolomania, quam pro libidine sua instituunt, & quibus possunt armis tuentur: considera saltem in præsentia luxum & fastum eorum, quem, qui fuerunt spectatores, affirmant luxum Persicum atq; Sybariticum superare. Et quia fortè in hoc argumentum incidi, libet hîc referre, quod Erasmus in Ecclesiasta suo, de Roberto Lycio commemorat. Erat Robertus Lycius (inquit) apud Cardinales & summum Pontificem dicturus. Quos cùm uideret strepitu plusquàm regio ingredi, deniq; & Pontificem gestari hexaphoro, & ab omnibus adorari. Vbi tandem consedissent, iamque expectaretur uox hominis. Is nihil aliud prolocutus, Phy Sanctum Petrum, Phy Sanctum Paulum, subinde cũ execrantis uoce expuens, nunc in dextrum, nunc in sinistrum, nec aliud addens è medio proripuit sese, relinquens omnes attonitos, alijs suspicantibus eum uersum esse in furorem, alijs dubitantibus, num in hæresim quampiam aut Iudaismum, paganismumue prolapsus in eas blasphemias erupisset. Cumq; ageretur de homine coniiciẽdo in uincula, Cardinalis quidam, qui propius nouerat eius ingeniũ, atq; etiam amabat, persuasit, ut prius ad Põtificem euocaretur, paucisq; Cardinalibus testibus, audiretur. Rogatus, quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respõdit sibi longè aliud argumentum fuisse præparatum, & paucis summã oration is exposuit. Cæterum, ubi spectarẽ (inquit) uos tanto strepitu, tantisq; delitijs uiuere, simulq; reputarem, q̃ humilem, laboriosam, & inamœnã uitam egerint Apostoli, quorum uices geritis, colligebam aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contenderint in cœlũ, aut uos rectà ad inferos proficisci. Sed de uobis, qui tenetis claues regni cœlorũ, nihil malæ suspicionis in animũ inducere potui. Supererat, ut illorum stulticiam detestarer, qui quum licuisset ad istum modũ splendidè suauiterq; uiuere, maluerint per omnem uitam ieiunijs, uigilijs, ac laboribus discruciari.

Hanc fabulam eo recensui, ut si Asotus sentit uerba Esaiæ pertinere ad instituendum & confirmandum Regnum Pontificium, boni quique intelligant, qualis Regni autorem faciat Christum Dominum nostrum. Sed facessant hinc Asotica. Quod in Esaia dicitur, Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, non est uox Romanorum Pontificum & Cardinalium de suis Canonibus & Decretis, sed est uox ueræ Ecclesiæ de Euangelio, quod Christus adnunciauit, & quo Christus gubernat in his terris Regnum suum, & dominatur in medio inimicorum suorum, donec ponat eos scabellum pedum suorum. Christus enim idcirco dicitur Iudex, Legifer, & Rex noster, non quòd instituat Politica Iudicia, & ferat nouam Legem naturalem seu Moralem, ac suscipiat administrationem regni Mundani, sed quòd adnunciet Euangelion miseris & afflictis hominibus, uidelicet, peccata per ipsum remitti, iram Dei placari, & quotquot in ipsum credunt, in filios Dei, atque suos cohæredes adoptari. Hoc Euangelion est Iudicium, quod Christus in his terris instituit, & iuxta cuius sententiam iudicabit in extremo die, de uniuerso humano genere. Hoc Euangelion est Lex illa, quæ exijt de Zion, & de Hierusalem. Hoc Euangelion est sceptrum illud, quo Regnum suum administrat. Quare Ecclesia excipit eum meritò hac faustissima acclamatione, & congratulatione, Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: Ipse saluabit nos. Hactenus expectauimus salutem sub Iudicibus Iedeone, Iepte, Samsone: Sub

Legiferis seu doctoribus Elí ac Samuele: Sub Regibus Dauíde, Salomone, & posteris eorum. Etsi autem hí bonam operam nauârunt in defendo & docendo Israele, non tamen liberârunt nos sua potentia & sapientía â peccatis, â Satana & â morte. Hactenus expectauimus salutem â Scribis, Phariſæis & Rabinis, ſed longè à uera salute uerba eorum. Hactenus expectauimus salutem à Pontificibus & Canonibus eorum, ſed uidemus eos innumerabiles populorum cateruas ad perpetuum gehennæ incendium ducere. Quare Chriſte, fili Dei, te Solum agnoſcimus Iudicem, Legiferum & Regem noſtrum, & tuam ſolius salutẽ, quam nobis in Euangelio tuo offers, expectamus.

Eſa. decimoſexto. Præparabitur in miſericordia Solium, & ſedebit ſuper eum in ueritate, in tabernaculo Dauíd Iudicans, & quærens Iudicium &c. Rectè & hic locus Eſaiæ intellígitur de Chriſto. Sed ídem accidit Aſoto, quod Iudæis. Vbí enim Iudæí legunt in Prophetís de Regno Meſsiæ, & uident prædicarí inſignem maieſtatem, & pluſquàm Regium apparatum, ibi non niſi mundanũ regnum ſomniant, Ita Aſotus cæcatus ſplendore Pontificiæ maieſtatis, ubi legít de Chriſto Iudicia, & Leges, exiſtímat intelligenda eſſe Decreta & Canones Pontificũ. Sed quod Prophetæ concionantur, Chriſtum adminiſtraturum regnum ſuũ, in Iudício & Iuſtícia, Chriſtus ípſe apud Ioannem interpretatur: Cùm uenerít, inquiens, Paracletus, arguet mundum de peccato, de Iuſticía & de Iudício, hoc eſt, Chriſtus longè aliter adminiſtrabit regnum ſuum in his terrís, quàm Mundaní Príncipes. Hí enim ſuſcipiunt tantum curàm, ſi multum, de externis ſceleribus, de externa uitæ honeſtate, & de externis hoſtibus. Chriſtus autem, adminiſtrabit Regnum ſuum per Euangelion, quod confirmabit magnís míraculis Spíritus ſancti: & in genere quidem peccatí, ſudicat ſummum eſſe peccatum, Non credere in ipſum. Qui enim non crediderit, condemnabitur. In genere autem iuſticiæ, iudicat ſummam eſſe iuſticiam & uirtutem, Credere quòd ípſe abíerit ad Patrem, hoc eſt, quòd morte ſua expíauerit peccata, & placauerit nobis Patrem, & Reſurrectione ſua reſtituerit nos ueræ ac perpetuæ uítæ. In genere uerò Iudicíj, quo ſontes puniuntur, ſudicat ſummum hoſtem eſſe príncipem huius mũdi, qui eſt Satan, & quí per Chriſtum ita uictus et oppreſſus eſt, ut deinceps nihil prorſum iuris in eos, quí credunt in Chriſtum, habeat. Hæc omnía adnunciantur nobis per Euangelion Chriſtí. Quare cũ Prophetæ dicunt, Chriſtum regnaturum in Iudício & iuſtícia, non ſignificant eum laturum leges Iudiciales aut forenſes, nec laturum Canones Põtificios: ſed patefacturum & díuulgaturum Euangelion ſuum ín orbe terrarum, ut qui credunt, ſeruentur: quí autem nõ credunt, condemnentur.

Daniel. 2. In diebus regum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, ꝙd inæternum non diſsípabitur, & regnum eius alterí populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet uniuerſa regna hæc, &c. Cur Aſotus uoluerít hunc Danielís locum huc adſcríbere, non admodum perſpicuè uídeo. Si enim intelligit eum de regno Chriſtí (quí & uerus eſt ſenſus) quis ín Eccleſia negat, & Chriſtum habere regnum, & hoc Chriſtí regnum eſſe perpetuum? Num ídcírco faciendus eſt è Chriſto forenſis legislator, & Babylonicus aut Romanus Imperator? ímo quía regnum eius eſt perpetuum, ídeo nec leges eíus ſunt forenſes, nec regnũ eius eſt aut Babylonicũ aut Romanũ, ſed ſpirituale & cœleſte. Sí aũt intellígit hũc Danielis

locum de

locum de Regno Pontificum, non pōteſt eſſe obſcurum, quid bonus uir ſentiat. Cùm enim Propheta de illo perpetuo regnō dicat: Commi/nuet & conſumet uniuerſa alia Regna, & ipſum ſtabit inæternum, ſom/niat Aſotus Regnum Pontificium autoritate prophetici uaticinij perpe/tuō duraturum, & redacturum omnia alia Regna in ſuam poteſtatem. Manifeſtum igitur eſt, quo Pontifices & Fraterculi adſpirent, & quid ſi/bi Reges ac Principes à Pontificibus & Fraterculis eorum expectare de/beant. Eant nunc, & tueantur ſanguine piorum, Pontificiam tyranni/dem & Idolomaniam, reportaturi tandem non eam tantum mercedem, quam fabulæ uocant, anguinam, ſed quam ipſorum etiam Canones pro fitentur, ut etiamſi duxerint eos Satanæ inæternum mancipandos, repu/gnare tamen aut contradicere non audeant. Tu uerō, optime Lector, ſci/as Danielem non eſſe uaticinatum de Pontificio Regno, niſi ſi, quod in capite ſeptimo & octauo de Antiocho Epiphane dicitur, in Regnum Pontificium competat, Sed de Regno Chriſti, quod eſt Regnum ſempi/ternum. Primùm, quia Chriſtus ſemper habet ſuam ueram Eccleſiam in his terris, & tuetur eam aduerſus omnes furores Pontificios & Satani cos, donec ueniat nouiſsimus huius ſeculi dies. Deinde, quia Chriſtus ue/niet magna maieſtate ad iudicandos Viuos & Mortuos, & ducet ſecum Eccleſiam ſuam ad cœleſte & perpetuum Regnum. Mortui, inquit Pau/lus, in Chriſto reſurgent primùm, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui e/rimus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum Domini in aē/ra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Omnia enim mundana, omnia Sardanapalica, & Sybaritica Regna, qualia ſunt Pontificia, tranſibunt, ſo/lum autem Regnum Chriſti perpetuō ſtabit.

Ioannis decimooctauo, (inquit Aſotus) non negat ſe Chriſtus Re/gnum habere, ſed non eſt, inquit, de hoc mundo. Putásne Aſotum ſana mente præditum fuiſſe, cùm hoc dictum Chriſti huc adſcriberet? Confeſ/ſio Principis in hoc capite exponit, Chriſtum non eſſe nouum legislato rem, nec nouam Legem tuliſſe, nec nouum Politicum regnum inſtituiſ/ſe. Et nomine Legislatoris intelligit talem, qualis fuit Moſes, quales etiā fuerunt Lycurgus, Solon, Numa Pompilius, Iuſtinianus, & alij forenſes Legislatores. Nomine autem Legis intelligit Decalogū ſeu naturalem Legem. Et nomine regni Politici intelligit Regnum mundanum, quale fuit Pharaonis in Aegypto, Dauidis in Iſrael, Nabuchodonoſoris in Ba/bylone, Alexandri Magni in Macedonia, Iulij Cæſaris Romæ, quemad/modum Confeſsio Principis haud obſcurè ſignificat, & paulō antè clarè explicatum eſt. Nam quod Chriſtus apud Matthæum & Lucam de non iraſcendo, non concupiſcendo, malis non reſiſtendo, inimicos diligēdo, & de alijs ſimilibus concionatur, non eſt nouus Decalogus, nec eſt noua Decalogi expoſitio, ſed eſt uetus ueteris Decalogi explicatio, ſicut antea explicuerat Decalogum Spiritus ipſe ſanctus per Moſen & Prophetas, obſcuratus autem erat traditionibus Scribarum & Phariſęorum. Et quā/quàm Prophetica ſcripta non utunt̄ ijs omnino uerbis in explicando De calogo, quibus Chriſtus utitur, eadem tamen eſt ſententia, ſicut aliàs co/pioſè demonſtratum eſt. Manifeſtum etiam eſt, quōd Chriſtus nullas no uas forenſes aut Iudiciales Leges inſtituerit. Manifeſtum item eſt, quōd Chriſtus nō ſuſceperit in hoc mundo adminiſtrationē externi & Politici regni. Sed cū Satan offerret ipſi omnia Regna mundi, ſeueriſsimè eum re pulerit: cùm uulgus ipſum in Regem eligendum cogitaret, fugerit: cùm

Apostoli de primatu contenderent, grauiter reprehenderit. Hæc sunt, de quibus Confessio Principis in hoc capite loquitur. Et tamen Asotus tam perfricta est fronte, ut audeat his tanquàm contrarium opponere illud dictum Christi, Regnum meum non est de hoc mundo. Quæso uos, Prælati, quorum patrocinium Asotus suscepit, teneri ne potestis, si hæc in scripto Asoti legeritis, quin non solum uehementer ὑπερασπιστῇ uestro, tam inepto, tam impudenti succenseatis, uerumetiam sententiam uestram de eo mutetis, si fortè hactenus cogitaueritis eum in ordinem Cardinalium, quo tamen dignissimus uidetur, cooptare? Cùm enim allegat hoc dictum Christi, Regnum meum non est de hoc mundo, an non sententiam Confessionis Principis, maximè omnium confirmat, tantum abest, ut refutet? Arripit uocabulum Regni, & existimat, quòd quia Christus habeat Regnum, idcirco necessario sequatur, quòd ferat etiam Leges forẽses, & habeat dominationem pro mundano more in Regionibus huius terrę. Beati, inquit, Pauperes Spiritu, quoniã ipsorũ est regnum cœlorum; Affirmat pauperum Spiritu esse REGNVM. Pauperes igitur Spiritu habent potestatem condendi Leges forenses, & dominationem super Regiones Gentium. Petrus dicit Christianos esse genus electum, & regale Sacerdotium. Et Apocalypsis: Fecit nos, inquit, Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo. Si Christiani sunt Reges, necesse est ut suum quisque, quantumuis Priuatus, seu Opifex, seu Agricola, habeat regnum. Inuadant igitur Opifices & Agricolæ regna Principum, & condant, iuxta Dialecticam Asoti, Leges forenses, ac exerceant dominationem summa, qua possunt, in his terris maiestate. Sed abeant horrendæ Asotorum absurditates. Habet quidem Christus regnum, sed quale sit, exponit ipse perspicuè: Regnum meum, inquiens, non est de hoc mundo, uidelicet hoc sentiens, quòd Regnum suum non sit Politicum, seu mundanum, non sit Cæsareum, aut Imperatorium, non sit Pontificium, quod est plusquàm mundanum, sed Spirituale, nõ quales Pontifices & Fraterculi uocantur Spirituales, sed quod habet Regem spiritualem, Christum ipsum Dominũ nostrum. Et habet sceptrum spirituale, quòd est Euangelion, quòd emissum è Zion, gubernat per Spiritũ sanctum Ecclesiam in toto orbe terrarum. Hoc etiam sceptrum est lex Spiritualis, non illa, quæ uocatur Decalogus: Hic enim emissus est è monte Sinai, sed Euangelion, quod est emissum in orbem terrarum è monte Ziõ, sicut suprà dictũ est. Habet & bona Spiritualia, non Principatus illos Pontificum, non Præbendas Canonicorũ & Vicariorum, non aureos calices, non argenteas cruces, sed dona Spiritus sancti, quæ sunt, gratuita Remissio peccatorum propter Christum, Iusticia, adoptio in filios Dei, uictoria mortis, & æterna uita. Hoc est regnum illud quod Christus dicit non esse de hoc mundo, regnum cœleste & æternum. Nam quale officium Rex ille in his terris habeat, & qui sint subditi huius regis, exponit ipse perspicuè. Ego, inquiens, in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum. Ad q̃d? num ut dominer more gentium? num ut instituam tantam Pontificum maiestatem in his terris, quæ superet splendorem Regum & Monarcharum? Num ut condam Leges & Canones Pharisaicos, quibus conscientiæ hominum ita inuoluantur, ut de uera salutis uia prorsus desperent? Nihil certè minus, sed ut testimonium perhibeam ueritati, ut doceam Euangelion, quo Deus uerè cognoscatur & colatur. Habes officium Regis. Sed & qui sint subditi eius additur: Omnis qui est ex ueritate, audit uocem

uocem meã. Nam omnis, qui est ex mendacio, audit Scribas, Pharisæos, Fraterculos, Pontifices, audit humanas & Pontificias traditiones, & reliquas id genus nugas. Qui autem est ex ueritate, qui amat ueram doctrinam pietatis, audit uocem Christi, quę est Euangelion, quod per Apostolos uulgatum est in orbe terrarum, & autore Spiritu sancto literis mandatum, ac diuina prouidentia, ad nos usq; inuitis Satanis, & Fraterculis prõpagatum. Desinat igitur Asotus uerbo Christi abuti, & timeat Dominũ, ut cùm hactenus fuerit uanus Professor Pontificiarum traditionum, tandem fiat uerus piæ doctrinæ catechumenus.

Addit & hoc, quòd Christus promittat se ædificaturum Ecclesiam, cui postea tribuat autoritatem iudicandi de peccatis, & soluendi atq; ligandi. Sed cûm Asotus intelligat nomine Ecclesiæ, non ueram Christi, sed Pontificiam Fraterculorum, non est opus ut pluribus respondeamus. Nego enim Pontificiam Ecclesiam, esse à Christo ædificatam, nego ecclesiæ Pontificiæ datas esse claues Regni cœlestis. Quare iniquè & tyrannicè usurpat, quod est ueræ Ecclesiæ Christi. De quare in προλεγομένοις copiosè dictum est.

Matthęi quinto: Nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum &c. Cur Asotus hoc dictum adscribat, obscurum uidetur, nisi fortè significare uelit, quòd Christus ijs dictis, quæ sequuntur, doceat nouum Decalogum, nouam Legem naturalem, aut Moralem. Sed hoc satis antea refutatum est. Christus enim in ea concione non abrogat ueterem Decalogum, nec docet nouam uetetis Decalogi sententiam, quæ antea per Mosen & Prophetas non fuerit tradita, Sed refutat nõuas Scribarum & Pharisæorum deprauationes, & dõcet ueram, & ueterem ueteris Decalogi sententiam. Docet autem eam hoc consilio, non quòd significet hominem posse eam in hac uita perfectè implere, sed ut homõ ducatur in agnitionem peccati, & excitetur ad quærendum Christum, ut in Solo ipso habeat remissionem peccati, & accipiat Spiritum sanctum, quo uocationi Dei pro uirili obsequatur. Quare hoc dictum Christi, quod Asotus adscripsit nihil ad rem, nisi fortè det nobis occasionem, ut seruata dicti sententia accommodemus ad nostra tempora, & dicamus nostris uerbis: Nisi abũdauerit Iustitia uestra plusquàm Pontificum, Prælatorum, & Fraterculorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum.

Adscribit huc Asotus etiam illud apud Matthæum: Non quod intrat per os, coinquinat hominem. Et illud in Actis Apostolicis: Quod Deus sanctificauit &c. ut probet Christum abrogasse Legem de discrimine ciborum. Sed in quem usum, aut contra quem aduersarium hoc probat? Hanc cantilenam canat sibi & suis, qui &si sentiunt se non teneri Leuitico aut Mosaico ciborum discrimine, tamen aliud discrimen in cibis excogitarunt, quo putant se non minorem cultum Deo præstare, quàm Iudęi sua abstinentia. Nos, ut clarè fatemur, quòd Lex Leuitica seu cærimonialis de generibus ciborum abrogata sit, unà cum abrogatione Mosaicæ Politiæ, diuulgato inter omnes gentes Euãgelio, quemadmodum suprà exposuimus, ita etiam affirmamus quòd autoritate horum dictorum, sublatum sit non solum Leuiticum, uerum etiam Pontificium, & Asoticum discrimen ciborum, nec licuerit Põtificibus præscribere Ecclesiæ certum genus ciborum, quorum abstinentia homines expient peccata corã Deo, & mereantur æternam uitam.

Deinde,& si hoc dictum Christi,Non,quod intrat in os coinquinat hominem, latè patet,sicut iam attigimus , tamen Christus in eo loco Matthæi, quo hoc dictum recensetur, non reprehendit discrimen ciborum, quod Moses diuino Spiritu excitatus Israeliticæ Politiæ tradiderat , & quod Christus ipse,ut ciuis Israeliticus, suis temporibus obseruabat, Sed reprehendit uanam superstitionem, quam Scribæ & Pharisæi in abluendis manibus suis, non ex Lege Domini , sed ex traditione Ecclesiæ suæ Pharisaicæ sectabantur. Ex quo etiam loco iudicamus & damnamus magna animi fiducia, uniuersas illas Traditiones, quas Pontificia Ecclesia, hominibus tanquàm cultus Deo gratissimos,& ueras peccatorum expiationes,absque testimonio uerbi Dei seruandas obtrudit.

Nam,quod ad Petrum dicitur: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris,cur non etiam Pontifices,qui gloriantur se Petri successores, sibi hoc dictum intelligunt? Cur in generibus ciborum,uestium,& dierum , cur in gradibus consanguinitatis & affinitatis commune dicunt, quòd Deus purificauit? Sed huic difficultati facilè medebitur Asotus,si saltem in mediũ produxerit illud Cusani, quod suprà retulimus:Ad mutationem Iudicij Ecclesiæ, mutari & Iudicium Dei. Vides igitur quàm ineptè & impertinenter allegauerit Asotus hæc dicta, quòd etiamsi probent Leuiticum ciborum discrimen nihil ad nos pertinere, tamen probare non possint,Christum esse Legislatorem noui Decalogi, & institutorem nouarum Legum Iudicialium aut forensium in his terris,quod Confessio Principis improbandum susceperat.

De libello repudij suprà dictum est. Quòd autem addit Asotus, Christum promulgasse,Ioannis 3. legem de necessitate Baptismi, & tradidisse multa alia noua præcepta, & noua Sacramenta ad salutem necessaria, manifestam exercet Sophisticam.Confessio enim Principis loquitur manifestè de Lege Naturali seu Morali,uidelicet, quòd Christus non ad hoc ueneritin hunc mundum,ut nouum Decalogum doceret, aut mundanum Principatum more Regio administraret, Sed ut doceret Euangelion suum,& expiaret morte sua peccata nostra,ut propter ipsum solum haberemus peccatorum remissionem,si crederemus in eum. Asotus autem concionatur nobis de nouis Sacramentis,quæ Christus instituit.Quid ergo?Num institutio nouorum Sacramentorum est Legis naturalis? Vanus homo tantis furijs agitatur,ut hinc inde iactatus, non meminerit,de quibus rebus sermo fiat. Confessio Principis nihil in hoc loco de Sacramentorum institutione dicendum suscepit,sed de doctrina Legis naturalis,& de discrimine Legis,quæ occidit,& Euangelij, quod uiuificat. Ac paulò antè exposuimus,quid sit de ueteribus & nouis Sacramentis sentiendum. Nam, quæ Sacramẽta Euangelij,præter Baptismum & Cœnam Dominicam,Asotica Ecclesia fingit,suo loco explicabitur. Quæ autem Christus alia noua præcepta ad salutem necessaria dederit,quę in his duobus ueteribus præceptis:Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, Et,Proximum sicut teipsum,non continentur,tum respondebitur, cùm Asotus ea in medium produxerit.

Postremò cogit & coaceruat Asotus multa dicta è Sacris literis,atq; etiam ex Augustino,quibus probet discrimen esse,inter Vetus & Nouum Testamentum.Sed hac in re belligeratur sine hoste.Quis enim negat suũ esse Veteris & Noui Testamenti discrimen? Quis deinceps negabit Asotum esse impudẽtem Sycophantã, qui cõmemoratione tot testimoniorũ scriptu-

scripturæ, suspitionem iniicere conatur, perinde ac si Confessio Principis suũ ueteris & noui Testamenti discrimen negaret? Nam, quòd in Scorijs suis miratur, cur noui Euangelistæ, ut ipse loquitur, negent Christum nouum Legislatorem, maximè cùm hæc ad sua, inquiens, fulcienda nec adiuuant, quæ de eis dicunt, nec nobis quicquam detrahunt, nõ miror ego, quòd hypocrita nõ intelligat, quantum hæc illustrent ueram doctrinam pietatis, & quantum consolationis afferant pijs & afflictis mentibus: miror autem hominis stuporem, quòd non uideat, quantum ea incommodi afferant suis Prælatis, hoc est, impio regno Pontificio. Nam si Christus non est nouus Legislator, qualem quidem Confessio Principis describit, & nos suprà explicuimus, quid uos, qui gloriamini uos esse Vicarios Christi in terris, usurpatis uobis autoritatem nouas Leges condendi, regna huius terræ mutandi, Reges & Principes deijciendi, subditos Principum à iuramentis & ab obedientia sua absoluendi? Hæc & id genus alia detrahuntur uobis, quod tu scias Asote, cùm uerè & iuxta sententiam Spiritus sancti exponitur, Christum non esse nouum Legislatorem. Nobis autẽ, hoc est, ueræ Ecclesiæ Christi, nihil iucundius adnunciari potest, quàm quòd Christus uenerit in hunc mundum, non ut Legislator, sed ut Saluator. Cùm enim Lex operetur iram, & occidat, sumus sic satis ex ueteri Lege afflicti, ut si Christus uenisset in has terras, ad ferendam, præter illam ueterem, nouam eiusdem generis Legem, bis certè miseri, bis mortui, & deplorati fieremus. Nunc autem, ô fœliciſsimum diem, uenit Christus non ut Legislator, hoc est, occisor, sed ut Seruator & uiuificator. Non misit Deus, (inquit) filium suum, ut iudicet mundum, (Hoc est esse Legislatorem) sed ut Mundus per ipsum saluetur, Hoc est esse Seruatorem. Quod uerum & proprium officium Christi, cùm ecclesia Pontificia seu Asotica non solum ignoret, uerumetiam oppugnet, habemus grauissimas causas, cur eam deseramus, de perpetua uidelicet salute nostra periclitaturi, si diutius in ea hæsissemus.

Hic finem faciemus primæ περιοπῆς huius Apologiæ. Si Dominus uitam & ocium propicius concesserit, reliqua etiam Capita, quæ sequuntur, suo tempore percurremus.

APOLOGIAE CONfessionis Illustrissimi Principis ac Domini D. Christophori, Ducis Vuirtenbergensis, &c.

ΠΕΡΙΚΟΠΗ ΔΕΥΤΕΡΑ:

AVTORE IOANNE BRENTIO.

PIO LECTORI S. D.

SPeraui futurum, ut in hac secunda Pericopa absoluerem ea, quæ de Sacramentis aduersario respondenda uidebantur. Sed accidit, præter opinionem, ut plura essent commemoranda, quàm initio cogitaueram. Volui igitur hanc secundam Pericopen in duas partes diuidere, quarum priorem nunc damus, in qua & ea, quæ sequuntur, capita explicantur.

Baptismus.
Confirmatio.
Pœnitentia, & partes eius, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Similiter & partes, quæ recẽseri solent, Satisfactionis, uidelicet, Oratio, Ieiunium & Eleemosyna.

Benè uale, & his fruere, donec quæ reliqua sunt, adijciantur.

ΠΕΡΙΚΟΠΗ ΔΕΥΤΕΡΑ.

HIeremias Propheta Domini, ab utero matris suæ Sanctificatus, idolomaniam suorum Israelitarum reprehensurus, non ea tantum sacra damnat, quæ manifestam præ se ferebãt impietatem, uerumetiam, quæ diuinitùs erant instituta. Etsi. n. Moses accepit de cœlo mãdata, de uictimis & holocaustis in Ecclesia Israelitarũ seu instaurandis seu cõstituendis, tamen cùm impij hypocritæ transferrẽt ea, opinione, seu potius superstitione sua in lõgé aliud operis genus, quàm Spiritus sanctus cogitauerat, audet Propheta exclamare. Hæc (inquiens) dicit Dominus Zebaoth Deus Israel: Holocautomata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum Patribus uestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocautomatum & uictimarum.

In eandem planè reprehensionem incurrunt Sacramenta Sophisticæ & Asoticæ ecclesiæ, quòd & si quædam eorum, tradita sunt nobis & commendata, à filio ipso Dei, tamen Sophisticis delirijs, & magicis impietatibus ita sunt sordidata, & turpificata, ut in ijs nihil minus, quàm maiestatem diuinæ institutionis agnoscere queas. Baptismus non ferè solet dispensari, nisi aqua prius uarijs execrationibus adiurata, & ad campanas quoque, quas ita uocant, transfertur. In Confirmatione sua, Simiæ sunt.

Viderunt

Viderunt Apostolos cõferre credentibus impositione manuum suarum admirandum donum linguarum. Hoc & ipsi imitatione sua usurpant, & imponunt adolescentibus chrismate suo inunctis manus, sed quibus aliquoties adhuc infantibus conferre non possunt, ut benè uernacula lingua loquantur, tantum abest ut faciant eos aljjs linguis eloquentes. Pœnitentiam ita docẽt, ut emendationem uitæ rectius ex Ethicis Philosophorũ, q̃ꝫ è Sententionarijs Sophistarũ didiceris. Quid de Eucharistia? Bone Deus, quantum ibi apud ipsos est Magiæ & Idolomaniæ? Ordinẽ tum demùm legitimum esse putant, cùm sacrificulos suos magico oleo consecrant. Matrimonium pro Sacramento habent, sed quod in suo illo ordine, hoc est, in Sacrificulis prophanũ & execrabile iudicant. Extrema unctione, quæ quondam erat sacramentũ, quo corporalis sanitas admirabiliter conferebatur, tum demùm utuntur, cùm iam decorporali sanitate conclamatũ uidetur, non usuri ea, si sperarent infirmum pristinam sanitatẽ iterum recuperaturũ. Quare nihil impedit, quo minus & nos aduersus istos exclamemus: Sacramenta uestra addite sacrificijs uestris, & comedite panem, ac bibite uinũ, quia nõ est locutus filius Dei cum Apostolis suis, maioribus nostris, & non præcepit eis, in die, qua eduxit nos de morte ad uitam, de uerbo talium Sacramentorum & Sacrificiorum, Sed hoc uerbum mandaui eis, Docete, inquiens, Seruare omnia quęcũq̃ EGO præcepi uobis. Cùm igitur nunc differendũ sit de Sacramentis, & hactenus negociũ mihi fuerit cum hypocrita & Idolatra, nunc mihi negocium erit etiam cum Incantatore & Mago. Quod ne quis audacius quàm uerius à me dici existimet, quæso, pius Lector, diligenter expendat, non ea tantum, quæ Sotus in sua Confusione & Scorijs commemorat, uerumetiam illa, quæ Soticæ ecclesiæ scriptores literis suis, cùm de aljjs rebus, tũ præcipuè de Sacramentis, mandârunt. Nos ea, quæ ad nostrum hoc institutum pertinere uidebuntur, attingemus.

De Sacramentis.

DE numero Sacramentorum manifestè significat Confessio Principis, se nõ pugnare. Varia enim est huius uocabuli acceptio, & in Ecclesiasticis disputationibus lõgè alia, q̃ ueteribus fuit usiata. Quare consultius uidebat̃, res ipsas, q̃ nomẽ & numerũ harum rerꝫ dijudicanda proponere. Sotus autem tanta est animi impotentia, ut ne modestã quidem ἀνοχὴν æquo animo ferre queat. Cùm. n. Confessio Principis diceret: uisum esse quibusdam, numerum Sacramentorũ in septem contrahere, ibi tum cõfestim Pontificius Aristarchus, pro graui sua autoritate, assurgit, & ὀβελὸν suum expedit, quo hæc uerba Cõfessionis iugulet. Nullus, inquiens, Catholicorꝫ est, qui nomen Sacramenti contrahat ad septem ista, sed Ecclesia septem agnoscit, à Christo Domino instituta &c. Expendamus igitur hæc noui Aristarchi uerba. Nullus, inquit, Catholicorum est, qui nomen Sacramenti contrahat ad septem ista. Accipio. Ergo, qui affirmant, septem esse Sacramenta, nõ sunt Catholici. Quid enim tergiuersaris Asote? An non hanc sententiam tua uerba apertè præ se ferunt? Sequitur autem. Sed Ecclesia (inquit) septem agnoscit, à Christo Domino instituta. Ergo Ecclesia non est Catholica. Modò enim dicebas: Nullum Catholicorꝫ cõtrahere nomen Sacramenti ad septem ista. An enim Ecclesia non constat ex Catholicis? An qui in Ecclesia sunt,

non sunt Catholici? Si ergo nullus Catholicorum est, qui contrahat nomen Sacramenti ad septẽ ista, & Ecclesia affirmat esse septem Sacramenta, certè Ecclesia, iuxta Asotũ, non sit catholica, aut nõ constet ex catholicis, necesse erit. Vide, quæso, quo libido cõtradicendi uanum hominẽ abripiat. Sed fortasis hoc uult garrire, quòd nullus priuato suo arbitrio finxerit esse septem Sacramenta, Ecclesia autem acceperit ea à Christo publicè instituta. Si hæc est Asoti sententia, cogitent, obsecro, hi, qui Asotum ad Confessionẽ Principis oppugnandã emiserunt, quantum iudicio suo falsi sint, quòd delegerint hominẽ tam balbum, qui non possit rectè eloqui, quod sentit, & susceptæ causæ, præ infantia sua, magis obsit, quàm prosit.

Sed age, inspiciamus causas, cur isti septem tantum Sacramenta, & nec plura nec pauciora numerent. Sacramenta, inquiunt, sunt medicinæ spirituales. Sunt autẽ septem differentiæ morborum spiritualium, quorum alij sunt culpæ, alij pœnæ. Septem item sunt uirtutes, quarũ tres sunt Theologicę, quatuor Cardinales. Adhæc, septem sunt gradus processus humanæ uitæ. Congruum igitur est, ut sint septem Sacramenta. Quid? An hæ sunt satis graues, & dignæ causæ, cur non nisi septẽ sint Sacramenta? Sed an non eadẽ licentia possent uel pauciora uel plura excogitari? Cur. n. non est unum tantum Sacramentũ, quia unus est tantũ Christus? Cur nõ duo Sacramenta, quia duo sunt Testamenta? Cur non tria, quia tres sunt personæ in una diuinitate? Cur nõ quatuor, quia quatuor sunt Euangelistę? Cur nõ quinque, quia sunt quinq; sensus corporis, aut quia sunt quinq; libri Mosi? Cur non sex, quia sex fuerunt hydriæ in nuptijs Canæ Galilææ? Cur non octo, quia octo sunt partes orationis, aut potius quia octo sunt beatitudines? Cur non nouem, quia sunt nouem peccata aliena? Cur nõ decem, quia decem sunt præcepta Decalogi? Cur non undecim, quia undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montẽ ubi constituerat illis Iesus? Cur non duodecim, quia duodecim sunt Apostoli, & duodecim articuli fidei? Denique cur non septuaginta, quia Dominus præter duodecim designauit septuaginta legatos? Et quis tandem erit numerandorum sacramẽtorum finis? Insignem sapientiam, cui non solum cognitum est, quòd Deus disposuerit omnia in mensura, numero & pondere, uerumetiam quid causæ sit, cur tanto quoduis numero & nec minori, nec maiori constet.

Conferamus etiam quædã ex his Sacramentis, cum descriptione Sacramenti, quã Sotus recitat, ut sciamus, q̃ probè septenarius numerus et conueniat. Septem, inquit, Sacramẽta, hoc est, septẽ quędam corporea elementa, quæ ex rebus materialibus uisibiliter perficiuntur, à Deo instituta &c. Dicit Sacramenta esse corporea elemẽta, & perfici ex rebus materialibus uisibiliter. Quod alij dicunt, Sacramenta cõstare ex materia & forma. Et Augustinus. Accedit (inquit) uerbũ ad elementum, & fit Sacramentũ. Pergamus igitur. Fatentur doctores ipsi septẽ Sacramentorũ, quòd instituere nouum Sacramentũ pertineat ad potestatem excellentiæ (Sic. n. loquuntur) quæ soli Christo cõpetit. Quòd si solius Christi est nouũ instituere sacramentũ, profectò solius etiam Christi est, certã definire sacramenti materiam, & certũ corporeum elementum. Numerant autẽ inter sacramenta, Confirmationem. Dent igitur materiam, dent elementum eius. Producunt autẽ in medium Chrisma. Et tamen negare nõ possunt, quin Christus cõtulerit in Apostolos spiritũ sanctũ absq; chrismatis unctione, nec instituerit ipse in Confirmatione, chrismatis usum. Reliquum igitur est, quòd Confirmatio sit sacramentum absque elemento per Christum definito,

definito, ideoque nequaquàm in eo ordine, quo est Baptismus, & Cœna Dominica, collocandum.

Numerant & Pœnitentiam, & Matrimonium inter sua Sacramenta. Sed quæ est materia pœnitentiæ? quod est corporeum elementum matrimonij? Hîc nisi fingant aliquid loco materiæ seu elemẽti, nihil habent, quod prætexant. Ac profectò hoc bellissimũ est, quòd fingant proprium pœnitentiæ elementum seu materiam, peccatum. Quid? Est ne peccatũ, res quædam corporalis, & externum elementum? Accedat igitur uerbũ, & fiet Sacramentum? O bellos Sacramentarios, à quibus etiam peccatum sanctificatur. Quòd si tanta est libido habendi uaria Sacramẽta, quid est quòd faciant chrisma, aliquorum Sacramentorum materiam tantum, & non sinunt esse singulare Sacramentum, cùm Augustinus alicubi dicat, quòd Sacramentum chrismatis, in genere uisibilium signaculorum, sit sacrosanctum, sicut ipse Baptismus? Quid est, quòd inter sua Sacramenta non retinuerint etiam Ablutionem pedum, quam Bernardus non solum coniungit cum Baptismo & Cœna Dominica, uerumetiam contendit uerum esse Sacramentum? Sed placuit illis septenarius numerus, qui cùm contineat in se plurimum sacrosancti mysterij, uisus fuit Sacramentis congruentissimus, ut etiam ex numerò aliquid sanctitatis cõciperent. Sinamus igitur eos sua Arithmetica frui, Nos res ipsas inspiciamus.

De Baptismo.

MIRANDA est humani ingenij in rerum laudationibus & uituperationibus uarietas. Quod enim alij ad infernum usq; deijciendum censent, hoc alij in cœlo collocandum iudicant. Ioannes Baptista, & si exponebat officium suum perspicuis uerbis, tamen ab alijs habetur Dæmoniacus, ab alijs, Messias ipse. Quid potest magis uarium & discrepans dici? Idem & Baptismo contigit. Postquàm enim Baptismus constat & dispensatur aqua, solent eum contemptores rerum diuinarum risu excipere: Quid, inquiunt, potest ne me paruxillum aquæ saluare? Asotus autem, ponit Baptismum in tanto fastigio, ut nõ solum eum pro Sacramento Christi, uerumetiam pro Christo ipso celebret. Expendamus igitur, quæ Confessioni Principis in hoc loco obijciuntur, ut & sua Baptismi dignitas conseruetur, & Asoti uanitas refutetur.

Ac initio, Credit, (inquit Confusio Soti) Catholica Ecclesia, per Baptismum, qui adultis & paruulis necessarius est, ueraciter & plenè omnium peccatorum remissionem ac abolitionem fieri, non per fidem solùm uel suscipientis uel tradentis, & cuiuscunque denique, quanquàm in adultis ad hoc sit necessaria, sed per ipsam uirtutem Sacramenti, diuinamq; promissionẽ. Hactenus uerba Asoti. Quæso te, amicissime mi Lector, potes ne ex his uerbis aliquid certi aut firmi de uera Baptismi ratione colligere? Ac siquidem Sotus bonus uir esset, & doctrinam Christianismi rectè intelligeret, possent fortassis hæc uerba, cùm dicit, Remissionem omnium peccatorum fieri per baptismum, non per fidem solum, à clemente interprete ita exponi, ut significent, quòd postquàm credideris in Christum, non liceat Baptismum contemnere, sed debeas ordinationi filij Dei obedire, & Sacramento Baptismi consignari, ut certò cognoscas, beneficium Chri

sti, quod est, Remissio peccatorum, & adoptio in filios Dei, non ad alios tantum, uerum etiam ad teipsum pertinere. Hæc est pia sententia. Sed quia uelamen, quod positum est ob oculos Asoti non est nobis ignotum, nec ipse dissimulat, uerba eius longè aliam sententiam habeant, necesse est. Hac enim opinione fascinatus est, quòd Remissio peccatorum contingat nobis propter merita uirtutum, quę Deus nobis infundit, & operum, quæ nos facimus. Fides autem est uirtus, & Baptismus est opus, à baptisante quidē nobis traditum, à nobis autem acceptum. Existimat igitur hypocrita, quòd consequamur Remissionem peccatorum, nō tantum propter meritum huius uirtutis fidei, quippe quæ sola non sit satis digna, propter quam remittantur peccata, sed etiam propter meritum, dignitatem, atq; efficaciam baptismi. Hæc est uetus hypocritarum cæcitas, quòd non intelligant, quomodo consequamur Remissionem peccatorum per solam Fidem, & quis sit uerus usus Baptismi. Remittuntur enim nobis peccata, non propter meritum seu dignitatem huius uirtutis fidei per se, sed propter solum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, quem fide agnoscimus, fide amplectimur, fide inuocamus, ut cùm dicimus, nos consequi Remissionem peccatorum per solam fidem, intelligamus peccata nobis remitti propter Solum Iesum Christum, qui Solus ea expiauit, & nos passione ac morte sua cum Deo Patre reconciliauit. Accedit autem baptismus, non ut sit opus, propter quod condonentur nobis peccata, sed ut sit Sacramentum, seu signaculum, quo certiores reddamur, quòd condonentur nobis peccata, propter solum Iesum Christum, si in ipsum credamus. Itaq; sicut quondam Circumcisio Sacramentum fuit, non ad hoc institutum, ut remitterentur peccata propter meritum huius operis, sed ut esset signaculum, quemadmodum Paulus loquitur, Iusticiæ fidei, quam habebat Abraham adhuc præpuciatus, uidelicet, quòd benedictio, quæ est remissio peccatorum contingeret tantum propter semen Abrahæ promissum, qui est Christus, si in eū crederemus: ita Baptismus est Sacramentum, non ad hoc institutum, ut condonarentur peccata propter meritū huius actionis, sed ut esset certū sigillum, quo qui baptismum accipit, confirmatur in conscientia, quòd Remissio peccatorum, quam solus Christus nobis meruit & impetrauit, ad se haud dubiè pertineat. Quare, cùm dicitur: Nos consequi remissionem peccatorum per Baptismum, tantum abest, ut reijciatur illud, quod à nobis dici solet, nos Remissionem peccatorum consequi per SOLAM FIDEM, ut potius confirmetur & stabiliatur. Non enim condonarentur nobis peccata per baptismum, nisi condonarentur nobis per solam fidem, hoc est, propter solum Christum filium Dei, in quem credimus, & quem solum expiatorem peccatorum nostrorum fide agnoscimus. Ac profectò horribilis est stupor Asoti, quòd hac in re non meminerit Ambrosij, quem suprà nobis contumelioſa malicíæ aut ignorantiæ exprobratione obiecit. Cùm enim Cōfessio Principis allegasset in Cap. De Iustificatione, dictum Ambrosij ex Commentarijs eius in Cap. 4. Epistolæ ad Romanos, quo Ambrosius exponit, eos à Psalmo beatos pronunciari, quibus sine labore uel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi TANTVM VT CREDANT, ibi Asotus uociferatur, uerba Psalmi, iuxta Ambrosij sententiam, nec de pœnitentibus, nec de martyribus, sed tantum de Baptismo intelligenda esse.

Si ergo

Si ergo de Baptismo tantum intelliguntur, & Ambrosius addit, nihil aliud requiri ab ijs, qui Baptismum accipiunt, nisi tantum, ut Credant, perspicuum est, quòd consequamur remissionem peccatorꝝ, in Baptismo per Solam fidem. Et Ambrosius iterum, in cap. 11. ad Rom. dicit: Gratia Dei in baptismate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi SOLAM ex corde professionem, (Vel quemadmodum Thomas Aquinas, Asotici quondam Ordinis, legit) SOLAM FIDEM, & omnia gratis condonat. Cùm igitur baptismus sit Sacramentum, quo certiores reddimur, quòd condonentur nobis peccata gratis, per solam fidem, quemadmodum iam ostendimus, stupenda est uertigo Asoti, quòd in Cõfusione sua scribat, Remissionem peccatorum fieri per baptismum, & non solum per fidem.

Deinde, eiusdem farinæ est, quòd sentit, Infantibus, qui baptisantur, aut alijs, qui sint, ut ipse loquitur, incapaces fidei, non esse necessariam fidem. Quasi uerò ullus sit hominum, qui cùm sit capax imaginis Dei, non etiam sit capax fidei: aut quasi infantes sine sua quadam propria diuinitùs collata fide, salutem consequi possint. Non ignoro, quid Augustinus, & nonnulli alij scriptores de fide infantium sentiant, & dubium non est, quin infantes Ecclesiæ Christi nõ habeant talem, hoc est, tam explicatam, & ut ita dicam, sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spiritus sanctus efficax est, per externum Euangelij auditum. Qua autem pietate fuit Augustinus, non dubito, quin si rectè admonitus fuisset, exposuisset sententiam suam de hac re paulò apertius, & magis perspicuè. Fieri enim non potest, ut siue infans, siue adultus, placeat Deo absq; Christo, & fide in Christum, eaq; propria, & diuinitùs donata. Non uidemus, infantes credere, Sed Deus, qui suos in omnibus creaturis gemitus, quos ipse in eis excitat, & quos hæ pro liberatione filiorum Dei, ut Paulus testatur, emittunt, uidet & audit, tam acutos habet sensus, ut & infantium fidem, qua eos pro sua clementia, & suo quodam singulari modo ornat, intueatur, & agnoscat. Quòd si infantes, qui baptisantur, non habent suam quandam fidem, quid est, quòd baptisator nominatim ab infante quærit, num credat, & susceptor, nomine eius respondet? Si hæc sunt uana tantum spectacula, quomodo talibus ludibrijs, Deus ad iracundiam non prouocaretur? Sed de infantium fide pluribus hîc deserere non est huius instituti, & aliâs copiosè exposuimus.

Accedamus igitur ad id, quod in hoc capite est præcipuum. Dicit Asotus, manifestissimum esse errorem contra scripturam, & Patrum sensum, si quis Concupiscentiam, quæ post Baptismum manet, uerè esse peccatum affirmet. Sed contrà ego, diuina clementia adiutus, probabo testimonijs scripturæ, & Patrum, hanc sententiam esse non solum manifestissimam rectitudinem & ueritatem, uerumetiam Sotum esse uanissimum hypocritam & Sophistam.

Primùm enim negari non potest, quin Concupiscentia, de qua Lex loquitur, Non concupiscas, in hac mortali carne, post Baptismum, semper remaneat. Video, (inquit ille, qui non tantum erat baptisatus, uerum etiam in tertium usque cœlum raptus) aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Et Augustinus: In Baptismo, (inquit) remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala. Et iterum; Concupiscentiam quis ambigat in hac uita posse

minui, non posse absumi? Sed hæc sunt certiora, quàm ut in præsentia egeant longiori & accuratiori probatione.

Deinde, negari non potest, quin hæc Concupiscentia, quæ post Baptismum remanet, uocetur à Paulo, electo Spiritus sancti organo, peccatū. Ne regnet, inquit, peccatum, in mortali uestro corpore. Et iterum: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: Non concupisces. Ac rursus: Si quod non uolo, ego facio, non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Loquitur autem Paulus non tantum de alijs, uerum etiam de seipso iam renato & baptisato, ac manifestè fatetur, peccatum adhuc in se habitare.

Sed Augustinus, (inquiunt,) affirmat Concupiscentiam in regeneratis non esse peccatum: Ac uocari quidem modo quodam loquendi peccatum, quòd peccato facta sit, sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur, quòd manus eam fecerit, non autem esse peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur. Agnosco quidem uerba Augustini, & ueneror insignem hominis pietatem ac eruditionem, Sed quod Augustinus tolerabiliter dicit, & quantum ex alijs eius scriptis colligi potest, nō impiè intelligit, hoc Sophistæ & Asotici fraterculi, impiè & damnabiliter interpretantur. Quod ut planum faciam, sciamus, quòd natura peccati duplicem habeat considerationem. Vna est, quòd pugnet cum Spiritu sancto & cum lege Dei. Altera, quòd faciat homines coram Deo reos, & damnet eos. Exigamus igitur ad has considerationes Cōcupiscentiam, quæ post Baptismum in Renatis remanet, ut manifestum fiat, quatenus aut peccatum, aut non peccatum esse dicatur. Nam si peccatum definimus esse id, quod faciat homines coram Deo reos, & obnoxios æternæ damnationi, certè concupiscentia quæ in Renatis post Baptismum remanet, & non regnat in mortali nostro corpore, uocatur quidem peccatum, non est autem propriè peccatum. Et hoc est, quod Confessio Principis affirmat, hoc peccatū non imputari credenti, sed cōdonari ex gratuita clementia propter Christum. Et quod ex Augustino recitatur: Concupiscentiam carnis dimitti in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Si autem peccatum definimus id esse, quod pugnat cum Spiritu sancto, & cum lege Dei, certè Concupiscentia post Baptismum remanens, nō solum uocatur nomine, sed etiam est uerè reipsa ac propriè peccatum. Manifestum enim est, quòd hæc concupiscentia pugnet cum hac lege: Non concupiscas. Quomodo igitur non esset uerè peccatum? An pugnare cum Lege Dei, non est uerè peccare? Et Paulus dicit: Video aliam Legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. An rebellare legi mentis, hoc est, dictamini & instinctui Spiritus sancti ex Lege Dei, & reddere hominem baptisatum captiuum Legi peccati, non est uerè peccare? Dicit & alias Paulus: Affectus carnis, inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei non subditur. Ac iterum: Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. An inimicitiam gerere aduersus Deū, Legi Dei nō subdi, obsistere Spiritui sancto, & impedire, quo minus legi Dei perfectè obedias, quod Concupiscentia in renatis post Baptismum remanens, designat, non est uerè peccare? Huc facit, quod & Augustinus scribit: In Baptismo (inquiens) remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium Concupiscentiarum mala. Et iterum, quod & Sotus ipse

ipſe recitat, uidelicet, ut manifeſtum fiat, Confeſsionem eius uerè esse Confuſionem, in qua coaceruentur dicta ſcriptorum nullo planè iudicio, ſiue proſint aduerſario, ſiue obſint. Sic autem ſcribit Auguſtinus: Tu qui putas, quòd ſi malum eſſet Concupiſcentia, careret ea, qui baptiſatur, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur, Omni REATV omnium malorum caret, non omnibus malis. Hactenus uerba Auguſtini. Hìc ergo apertè uides, in quo ſignificato Auguſtinus utatur nomine peccati, cùm affirmat Concupiſcentiam remanentem poſt Baptiſmum non eſſe peccatum. Interpretatur enim ſe ipſe, quòd hìc non intelligat nomine peccati, uicium pugnans cum lege Dei, & obſiſtens Spiritui ſancto, Hoc enim uicium manifeſtè aſſeuerat poſt Baptiſmum in renatis remanere, Sed intelligat Reatum: Omni, inquiens, peccato caret, hoc eſt, ut mox additur, Omni REATV. Et poſtea: Percipitur in baptiſmate Chriſtiano perfecta noui-tas, & perfecta ſanitas ab eis malis noſtris, quibus eramus rei, non ab eis, quibus adhuc conflígendum eſt, ne ſimus rei, cùm & ipſa in nobis ſint, nec aliena, ſed noſtra ſint. Quare, & ſi Auguſtinus aliâs dicit: concupiſcentiam poſt Baptiſmum remanentem non eſſe peccatum, tamen non intelligit malum, aut uicium, quod pugnat cum Spiritu ſancto, & quod in carne, in hac uita ſemper remanet, ſed intelligit Reatum, ut ſignificet, hoc uicium remitti quidem credenti in Chriſtum, & non imputari ei, ſiquidem non regnauerit in ipſo, nihilominus autem retinere adhuc hanc peccati naturam, quòd pugnet cum Spiritu, & obſiſtat Legi Dei, ut in Baptiſmo condonentur quidem omnia peccata, non autem tollatur ingenium peccati, cum Spiritu ſancto pugnans, donec mortale hoc induerit immortalitatem. Et hanc ſententiam, quæ & uera, & pia eſt, Confeſsio Principis diſertè expoſuit.

His ita demonſtratis, expendendum nunc erit, & huc conferendum, quid Aſotus de efficacia Baptiſmi ſentiat. Putat enim Baptiſmum tam efficacem eſſe, ut tollat in hac mortali carne non ſolum reatum peccati originalis coram Deo, uerumetiam pugnam eius cum ſpiritu in homine. Niſi enim hæc eſſet ſententia eius, cur ſuſciperet in hoc loco certamen cum Confeſsione Principis? Nam & uerba eius hoc apertè teſtificantur. Credit (inquit) Catholica Eccleſia, per Baptiſmum, qui adultis & paruulis neceſſarius eſt, ueraciter & PLENE omnium peccatorum REMISSIONEM ac ABOLITIONEM fieri. Et poſtea, cùm Confeſsio Principis dixiſſet, peccatum, quod poſt Baptiſmum remanet, credenti non amplius coram tribunali Dei imputari, hìc addit Aſotus, Verum eſt, (inquiens) Sed non ſolum. Hoc enim non imputari, reuera eſt aboleri, & non manere. Hìc apertè ſignificat non ſolum reatum peccati Originalis, ſeu Concupiſcentiæ eius per Baptiſmum remitti & condonari, uerumetiam ingenium eius ita tolli & in carne aboleri, ut non amplius pugnet cum Spiritu. Ac profectò, niſi Sophiſtæ & hypocritæ in ſua impietate non conſtiterint, neceſſe eſt, eos ſic de abolitione peccati in hac carne ſentire. Docent enim hominem poſſe in hac uita, non ſolum Legem Dei perfectè implere, ſed etiam Legi aliquid ſupererogare. Docent bona opera hominis tam perfecta eſſe, ut poſsint coram tribunali DEI, in ſeuero eius iudicio conſtare, & homo debeat meritis eorum confidere.

Hæc & id genus alia constare non possunt, nisi sentias hominem ita esse à peccato purgatum & sanctificatum, ut nõ solum habeat remissionem peccati, uerumetiam nõ habeat pugnam carnis cum spiritu. Nec mirum est, hypocritas tanta esse sanctitate, ut nihil prorsus peccati in se sentiant, cùm habeant baptismum, non uerbis tantum Christi, uerumetiam suis ipsorum exorcismis, insufflationibus, crucibus & chrismate ita sanctificatum, ut fieri non queat, quin carnem hominis reipsa, in hac quoq; uita, totam expurget. Sed uanitas hypocritarum manifesta est, & coarguitur non tantum testimonijs sacræ scripturæ, & ueterum ac recentium Scriptorũ, uerumetiam experientia ipsa. Augustinus, & si cùm de peccatis agitur, excipit suo quodam consilio, & honoris gratia, beatam Mariam Virginem, tamen addit, Si omnes, inquiens, Sanctos & Sanctas, cùm hîc uiuerent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo uos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una uoce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. An illud humilius responderent fortasse quàm uerius? Sed huic iam placet, & rectè placet laudem humilitatis, in parte non ponere fallitatis. Itaq; si hoc uerum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia ueritas in eis non esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia ueritas in eis non esset.

Augustin. To. 7. de Natura & gratia, capite 36.

Et iterum in alio. In paruulis, inquit, certè gratia Dei per Baptismum eius, qui uenit in similitudine carnis peccati, id agitur ut euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non ut in ipsa uiuente carne concupiscentia conspersa & innata repentè absumatur, & NON SIT, Sed NE OBSIT mortuo, quæ inerat nato. Nam si post Baptismum uixerit, atq; ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit, ibi habet, cum qua pugnet, eamq; adiuuante Deo superet, si non inuacuum gratiam eius susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, ut Lex peccati, quæ inest in membris repugnans Legi mentis, penitùs extinguatur, & Non SIT, sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cùm eidem concupiscentiæ subiecta mẽte seruiret, totum aboleatur, ac uelut factum non fuerit, habeatur.

Tom. 7. De peccatorum meri & Remiss. ca. 39.

Et rursum aliâs: Reatus ille, qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum cùm inesset non sentiebatur, ita eius ablatio FIDE CREDITVR, non CARNE uel MENTE SENTITVR.

Contra Iulianum lib 6. capite 2.

Huc facit etiam Petrus Lombardus: Secundum animam, inquiens, iam redempti sumus ex PARTE, non EX TOTO. A culpa, non à pœna. Nec omninò à culpa. Non enim ab ea redempti sumus, ut NON SIT, sed ut NON DOMINETVR.

Li. 3. dist. 19.

Et Thomas Aquinas: Illi qui baptisantur renouantur per baptismum secundum spiritum. Corpus tamen remanet subiectum uetustati carnis, secundum illud, Rom. 8. Corpus quidem mortuum est, &c.

Par. 3. q 68. Ar. 1.

Mirandum igitur est, quo mentis furore Sotus inflammatus sit, quòd audeat contra suorum etiam Patrum testimonia in Confessionem Principis grassari, & affirmare, quòd peccatum per baptismum non solùm remittatur & condonetur, uerumetiam, ita, ut Non amplius in carne sit, aboleatur & euacuetur.

Porrò,

Porrò, priusquàm percurram testimonia scripturæ & Augustini, quæ Sotus hoc loco adducit, inspiciendæ etiam sunt Scoriæ eius. Ac reliqua quidem, quæ balbutit, indigna sunt, quibus occupemur: illud autem silentio non est prætereundum, quòd dicit: Concupiscentiam, cùm quiescit post Baptismum, non esse peccatum. Spiritus igitur Soti, cùm Sotus, uel dormit, uel occupatus lectione horarum de Beata Maria Virgine, non cogitat de innata carnis suæ impietate, de euomenda uirulentia sua erga reprehensores hypocriseos eius, aut de concupiscenda aliena muliercula, non necesse habet ingemiscere, & coram Deo exclamare: Ab occultis meis munda me. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Et: Nihil mihi conscius sum, non autem in hoc sum iustificatus. Nec Sotos eo tempore comprehenditur sub his generalibus spiritus sancti dictis: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et, Ecce, nec stellæ sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo, putredo, & filius hominis, uermis. O igitur sanctum uirum, dignissimum, qui etiam adhuc in hac uita superstes, in Catalogum & Litaniam sanctorum referatur. Sed alij sunt oculi diuinæ Maiestatis, alij humanæ imbecillitatis. Homo uidet ea, quæ extrinsecus apparent. Deus autē intuetur cordium latebras & recessus. Ac in præsentia quidem non loquar de Soto & alijs hypocritis, qui fascinati opinione suæ iusticiæ, ita cæcati sunt, ut cùm sint coram Deo sordidissimi, tamen, cùm concupiscentia quiescere uidetur, existimant se nihil sordium in sinu suo gestare. De pijs autem & Sanctis loquor, qui serio agnoscunt, quòd & si concupiscentia aliquoties coram ipsorum oculis quiescit, nunquàm tamen quiescat coram oculis Domini Dei nostri. Video, inquit Paulus, aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati. Num eo tantum tempore uidet Paulus hanc legem & rebellionem, quo hæc scribit? Manifestū quidē est, quòd cùm dormiret, suam habuerit tam corpore, quàm animo quietem. Et fieri potuit ut cùm peteret sibi mitti penulam è Troade, ac libros, nihil de hac membrorum lege & rebellione cogitarit. Sed interea temporis uidet eam Dominus Deus noster. Videt autem eam, non ut imputet, sed potius, ut propter Christum, in quem Paulus credidit, ignoscat. Vidit enim, & quod sit, & quale habeat ingenium, qualemq; naturam, uidelicet, quòd rebellet spiritui, & captiuum reddat Paulum legi peccati, quæ erat in membris eius.

Ex corde, inquit Christus, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Num quia homo, in præsentia non sentit, non uidet hæc scelera in corde suo, idcircò nec Deus ea uidet? In grano, exempli gratia, pomi aut pyri, nulla apparet imperito rerum arbor: Hortulanus autem quia uidet suo quodam modo in grano arborem, inserit in terram, & uidet suo tempore etiam arborem extrinsecus extantem & fructificantem. In calce nondum aqua perfusa, nihil sentitur caloris. Infunde aquam, mox tantus erumpit calor, ut manum sine periculo admouere non queas. Nunquid quia antea quiescebat calor, non latent in ea caloris semina? Ita concupiscentia, & si quiescit, tamen non est Deo ignota, qui cùm omnia, etiam occultissima uideat, uidet ipsam eo esse ingenio, ut semper in suo conspectu pugnet cum spiritu. Pugnare autem cum spiritu, certè est peccare. Reliquum igitur est, quòd & Concupiscentia, etiamsi coram homine quiescat, sit tamen pec-

catum, non quidem damnans renatos, quibus propter Christum non imputatur, resistens autem in eis Spiritui, quod est bellum cum Deo ipso gerere. Ac profectò multò uerius & modestius, quàm Asotus de hoc peccato, quamuis quiescente, iudicauit Abbas ποιμὴν. Hic, cùm interrogaretur à discipulo, quomodo posset se minorem arbitrari eo, qui esset homicida? respondit: Si seriò cogitaueris, homicidam designasse unum modò peccatum, te autem singulis momentis peccare, ac teipsum occidere. Hęc enim magna est Iusticię pars, seipsum iniusticię coram Deo accusare. Sed hæc hypocritis recensere, est sanctum canibus dare.

Nec hoc dissimulandum est, quòd cùm Confessio Principis dicat: Peccatum repugnare Spiritui sancto, & pugnare cum Spiritu sancto, ibi Sotus argumentatur, Diabolum, hæreticum, & peruersum hominem esse peccatum, quòd repugnent Spiritui sancto. Apertè ergo uides, optime Lector, Sotum aut tanta esse ruditate, ut non intelligat sermonem Latinum, aut tanta esse impudentia, ut in re tam seria, Sophistica uanitate ludere audeat. Cùm enim Latini significare uolunt quædam inter se esse contraria, solent dicere, ea inter se pugnare. Non uides (inquit Cicero) te loqui pugnantia? Quid enim tam pugnat, quàm non modò miserum, sed omninò quicquam esse, qui non sit?

Sotus autem tanta est in Latina lingua eruditione, ut existimet nõ peccata ipsa, quòd sint priuationes & defectus, sed tantum Diabolum, hæreticum, & peruersum hominem, repugnare Spiritui sancto. Quid ergo? Num quia peccata sunt defectus & priuationes, idcircò spiritui sancto nõ repugnant? Nisi fortè ideo non repugnant, quia non habent membra, quibus pugnent, aut imbecilliora sunt, quàm ut queant arma gestare. Immanè, quanto est acumine Sotus, digno prorsus, quod Prælati Episcopatu, eoq; pinguissimo compensent.

Sed hæc & id genus alia minutiora sunt, quàm quæ nobis occupationibus curæ esse debeant, & indigniora, quàm quæ Ecclesiæ filij Dei legenda uel audienda obtrudantur.

Venio igitur ad testimonia sacræ scripturæ & Augustini, quibus Asotus hunc locum de Baptismo oppugnat. Et hìc primùm omnium, Lector de statu huius loci iterum admonendus est, ut sciat, quid Asotus refutandum suscipiat, & quò testimonia, quæ allegat, referantur. Confessio enim Principis credit, quòd in baptismo tollatur quidem & condonetur reatus omnium peccatorum propter Christum, remaneat autem ipsum peccati Originalis ingenium, quo fit, ut pij non faciant, quæcunq; spiritu uoluerint.

Hanc sententiam dicit Asotus esse manifestissimum errorem contra scripturam, & Patrũ, ut ipse loquitur, sensum. Et producitur in medium Paulus ad Rom. 6. Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? An ignoratis fratres: Quicunq; baptisati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptisati sumus &c. Et paulò pòst: Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Ecce, (inquit Asotus) quàm apertè Paulus abolitionẽ peccati, mortificationem eius, & hominis Iustificationem per Baptismum docet. Ita ne Paulus sentit, quòd peccatum non solum remittatur nobis per baptismum, uerumetiam ita è carne tollatur, aboleatur, & euacuetur, ut totus homo sit non imputatione tantum, sed etiam uerè & reipsa in carne sua, coram Deo Iustus, Sanctus, & ab omnibus peccati sordibus expurgatus? Quid ergo est, quòd aliâs dicit: Idem ego, mente quidem seruio legi Dei,

gi Dei, Carne uerò legi peccati? An seruire legi peccati, non est peccare? Et iterum: Velle ad est mihi, at ut faciam bonum, nõ reperio. An bonum non facere, hoc est, malum facere, sicut Paulus ipse exponit, non est peccare? Ac rursus: Caro concupiscit aduersus spiritum. An concupiscere aduersus spiritum, non est peccare? Vani hypocritæ, existimant hoc tantum esse peccare, si quis coram hominibus rapiat, furetur, adulterium designet, aut peieret, interea autem totus homo sit uerè coram Deo Iustus, etiamsi gestet carnem plenam impietate, incredulitate, dubitatione, impudicitia, uirulentia, auaricia, ambitione, & quicquid est occultorum scelerum. Nam, quod Paulus dicit: nos esse mortuos peccato, non hoc sentit, quòd nullum amplius reliquum sit peccatum post Baptismum in carne nostra, quemadmodum paulò antè exposuimus, sed significat in quem usum simus in gratiam à Deo accepti, & in Christum baptisati, uidelicet, non ut indulgeamus peccato, quod adhuc reliquum est in carne, sed ut ei resistamus, & ipsum mortificemus. In hoc enim sumus in mortem Christi baptisati & sepulti, ut quemadmodum excitatus est Christus (inquit Paulus) ex mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Quid? Hæc ne probarent, nullum reliquum esse in renato peccatum? Imò, quia reliquum est, iubemur cum eo pugnare, & affectum eius mortificare. Reliquum autem est, non reatu, non imputatione, sed actu, sed affectu, ut necesse habeamus perpetuò in hac uita operam dare, ne hoc peccatum regnet in mortali nostro corpore, & ne accommodemus ei membra nostra, arma iniusticiæ.

Deinde, quod Paulus addit: Vt aboleretũr corpus peccati, nõ hoc vult, Corpus seu carnem in hac uita per Baptismum ita expurgari, ut peccatũ prorsus ex ea tollatur, sed ut, & si manet, tamen condonetur. Condonetur autem non in hunc usum, ut cupiditati eius seruiamus, sed ut ei posthac non seruiamus.

Postremò, quod in Paulo sequitur: Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, non significat eum, qui baptisatus est in mortem Christi, in hac carne ita Iustum & sanctum fieri, ut nullum prorsus habeat peccatum. Quid enim est: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et: Remitte nobis debita nostra. Et: Noui, quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum? Sed cùm dicitur: Iustificatus est à peccato, intelligit absolutum, & liberatum ab accusatione peccati, ut sit sententia. Qui baptisatus est in mortem Christi, & si gestat adhuc peccatum in carne sua, tamen hoc peccatum est ei condonatum, & ipse liberatus atque absolutus est à iure & accusatione huius peccati. Absolutus autem est, non ut obediat affectui eius ad iniquitatem, sed ut obediat Iusticiæ ad Sanctificationem. Vides igitur quàm inepti, quàm putidi lectores & interpretes Pauli, sint hypocritæ, qui cùm sint fascinati opinione suæ sanctitatis, & legant apud Paulum hæc uerba, Mortuus peccato, Aboletur corpus peccati, &, Iustificatus à peccato, continuò petant ex seipsis commentarium, & existimẽt Paulum docere, tantam esse efficaciam baptismi, ut in eo peccatum non solum condonetur, uerumetiam in hac uita penitùs è carne euellatur, & eradicetur.

Itaque cùm recitant illud usitati Psalmi: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Tibi tantum pecco, & malum coram te facio. Et illud Dominicæ precationis: Remitte nobis debita nostra, recitant ea, nõ seriò, sed honoris tantum, & humilitatis gratia,

cùm si uerè loqui uellent, dicerent: Mundum est cor nostrum. Et: Peccatum non facimus, nec inuenitur dolus in ore nostro.

Sed sinamus hypocritis insignem suam mundiciem, siquidem ea ita delectantur, ut malint reprehensores crudeli morti tradere, quàm suam Sanctitatem periclitari. Nos priusquàm explicemus locum Ezechielis, quem Sotus adducit, inspiciamus alterum testimonium Pauli, quod Ezechieli à Soto subiungitur. Saluos nos fecit, inquit Paulus, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, &c. Et addit Asotus: Hic apertè (inquiens) Paulus docet ueram Iustificationem, & ueram peccati remissionem. Quid, quæso, hoc rei est? Quis negat Paulum docere ueram Iustificationem, & ueram peccati Remissionem? Num idcircò sequitur, nullum remanere à Baptismo peccatum? Vera enim Iustificatio, & uera peccati remissio est, quòd peccatum, & si remanet in carne, in hac uita, credenti tamen, uerè, propter Christum, condonetur, & non imputetur. Ac ne remanens peccatum regnet in nobis, donamur Spiritu sancto, quo reliquias eius mortificemus & expurgemus. Quod tamen in hac uita tantum abest, ut absoluamus & perficiamus, ut quo magis Legem Domini intuemur, eo peccantius fiat (sicut Paulus loquitur,) in nobis peccatum. Miserrimos igitur hypocritas, qui tum demùm ueram fieri peccati Remissionem existimant, cùm non solum peccatum condonatur, uerum etiam in hac uita radicitùs extirpatur. Quo fit, ut in hac uita nunquàm habeant ueram peccati remissionem, ideoque eam in æternum nunquàm sint habituri, nisi fortè eam in ficticio suo Purgatorio consequantur. Nam, quòd Paulus in eo loco addit: Iustificati illius gratia, hæredes efficeremur, iuxta Spem, uitæ æternæ, non significat nos tribus his uirtutibus, Fide, Spe & Charitate, quas Fraterculi nomine Gratiæ intelligunt, ita iustos & sanctos in nobis fieri, ut nihil prorsus sordium coram seuero tribunali Dei relinquatur, Sed dicimur Iustificari gratia Dei, quòd Deus condonat nobis peccatum, ex sua ipsius gratia, ex gratuita sua clementia, & misericordia, propter Christum, ut simus hæredes æternæ uitæ iuxta Spem, non quæ prouenit ex meritis nostris, sed quæ prouenit è solo solius Christi Domini nostri merito, quemadmodum aliàs pluribus explicatum est. Non enim initiò tantum regenerationis, uerumetiam per uniuersam uitam nostram sub gratuita Dei beneuolentia & misericordia ambulamus, ac remissione peccatorum fruimur. Multùm, inquit Augustinus, in hac carne nobis tribueremus, nisi usque ad depositionem eius sub uenia uiueremus. Et iterum: Nunc satis benè uiuitur sine crimine. Sine peccato autem, qui se uiuere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut ueniam non accipiat. Eat nunc Sotus, & iactet se Baptismo suo ita Iustificatum & Sanctificatum, ut non tantum habeat peccati remissionem, sed etiam peccati ex carne abolitionem, ut & hoc loco mirandum sit, quòd cùm sit uiuus Sanctus, non referatur ante mortem suam, in Catalogum Sanctorum, & in publicas illas Litanias, quas Fraterculi & Sacrificuli, ad auerruncanda omnia malorum genera, nunc humili prece, nunc magno boatu recitare solent.

Sed accedamus etiam ad locùm Ezechielis: Effundam, inquit Ezechiel, super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis

mentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos. Non nego, quin Ezechiel uaticinetur de aqua Baptismi. Nego autem, quòd ea aqua tantæ sit energiæ, ut non solum testificetur certitudinem Remissionis peccati propter Christum, uerumetiam carnem ita emundet, ut nihil amplius sordium in ea, coram seuero tribunali Dei resideat. In homine enim renato, si respexeris fidem, qua credit sibi non solum peccata propter Christum condonari, uerumetiam obedientiam Christi ita donari, ut ea tanquàm sua, in conspectu Dei confidere debeat, & si fides, adhuc quidem propter carnem imbecillis est, tamen quia apprehendit Christum filium Dei, unà cum omnibus suis beneficijs, homo iudicatur totus Iustus & Sanctus. Sicut enim Christo ipsi, & obedientiæ eius, qua obsecutus est uoluntati Patris sui usque ad mortem crucis, nihil Sanctitatis & Iustitiæ deest: ita ei homini, qui per fidem agnoscit Christum seruatorem suum, & obedientiam Christi, qua Pater placatus est, nihil coram Deo, uel iustitiæ uel sanctitatis deerit. Quicunque baptisati estis, (inquit Paulus) Christum induistis. Si autem homo indutus est Christo, quæ sordes tam splendido indumento non tegerentur, non absconderentur? & qua ipse mundicie, qua sanctitate in conspectu Dei non luceret? Si autem in renato respexeris carnem, quæ post Baptismum in homine remanet, & si sordes eius non amplius imputantur propter Christum, quo homo per baptismum indutus est, tamen eo sunt adhuc ingenio, ut pugnēt cum Spiritu sancto, & nisi compescantur, expellant spiritum, & regnent in homine. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum. Nam Legi DEI non subditur, siquidem ne potest quidem. Cùm igitur hic affectus carnis, qui in homine post baptismum relinquitur, est inimicitia aduersus Deum, nec Legi Dei subditur, manifestum est, peccatum in homine, aqua baptismi ita mundari, ut reatus quidem eius tollatur, non autem affectus eius, in hac uita, radicitùs euellatur. Sanctificatio, inquit Augustinus, per baptismum etiam nunc confertur & corpori, non tamen nunc corruptio eius aufertur, quæ ipsam quoque aggrauat animam. Et iterum: Quod ergo ait: Et hæc quidem fuistis, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, mutatos eos dixit in melius, non ut ea carerent, quod in hac uita fieri non potest, sed ut ei non obedirent, quod in bona uita fieri potest.

Quid autem opus est alia testimonia Augustini recitare, cùm ea quæ Sotus ipse ex Augustino in sua Confusione recitat, apertè probent, quòd reliquum sit peccatum in homine post baptismum, & quomodo Augustinus utatur uocabulo peccati, cùm dicit: Concupiscentiam in regeneratis non esse peccatum.

Dicit enim: Peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem in baptismo fieri, Sed addit: Hominis ipsius qualitatem non totam continuò commutari. Si qualitas hominis, (intelligendum autem est, Veteris hominis) non continuò tota commutatur in Baptismo, dubium non est, quin relinquantur in eo sordes peccati, quæ subinde sint expurgandæ & mortificandæ. Deinde, quanquàm Augustinus affirmat Concupiscentiam in renatis non esse peccatum, tamen exponit ipse aliâs, quemadmodū etiam suprà meminimus, & Sotus hoc loco recitat, quid nomine peccati intelligat. Omni, inquit, peccato caret, non omni malo, quod planius ita dicitur: OMNI REATV omnium malorum caret. Vides Augustinum nomine peccati, in hoc quidem argumento, in-

telligere Reatum peccati, ut sit sententia, Cõcupiscentiam in renatis non esse peccatum reatu, esse autem peccatum natura & ingenio. Sed hæc antea quoque tam copiosè sunt exposita, ut non dubitem, quin pij Lectores uanitatem Soticæ Confusionis, & ueritatem Principis Confessionis manifestè cognoscant.

Hic uerò haud immeritò sudandum est Asoto, ut cùm susceperit Prælatos suos tuendos, Chrisma quoque, quod & Episcoporum Iurisdictionem definit, & cuius usus ad omne fermè, sicut Dionysius loquitur, sacerdotalis officij functionem adhiberi solet, tueatur. Nisi enim chrisma conseruetur, quæ, obsecro, relíqua erit Prælatis uel dignitas, uel potestas? Imò, quod haudquaquàm est oscitanter considerandum, nullus scilicet uerus erit in orbe Christianismus. Affirmat enim Dionysius diuinam regenerationem nunquàm sine sacratissimo consummari unguento. Quare, nisi Sotus omnes ingenij sui neruos, ad defendendum & conseruandum Chrisma suorum Prælatorum intendat, fieri non potest, ut officium fidelis Patroni implere uideatur, & futurum est, ut salus scilicet uniuersæ Ecclesiæ periclitetur. Sed ad rem. Contendit Asotus usum chrismatis, sicut exorcismos, & reliquas cærimonias, quas tota seruat Ecclesia per orbem terrarum, uel ab Apostolis, uel à plenarijs & uniuersalibus concilijs traditas esse. Quæ autem sic sunt tradita, ea pari fide cum ijs, quæ scripta sunt, suscipienda esse. Expendamus igitur, quã uim hæc Asotica habeant.

Primùm de Traditionibus suprà, in προλεγομένοις copiosè diximus. Neque enim statim ab Apostolis tradita sunt, quæ aliquot scriptores, ab Apostolis tradita esse affirmant: neq; statim sequitur, omnia ea, quæ ab Apostolis tradita certò cognoscuntur, hoc consilio tradita esse, ut uel perpetuò in Ecclesia seruentur, uel seruata, expient peccata & sanctificent hominem coram Deo. Quare, quæ Asotus de Traditionibus ex Paulo commemorat, ad præsens institutum nihil faciunt, & sunt antea à nobis perspicuè explicata.

Deinde, Confessio Principis non ignorat, usum Chrismatis in Baptismo fuisse à nonnullis Scriptoribus & Concilijs celebratum, ac in Ecclesia post diuulgatũ Euangelion fuisse solennem, Sed ignorat eum esse traditũ ab Apostolis, imò non ignorat, sed ex Apostolica doctrina certò nouit, eum non esse hoc modo, hoc consilio Ecclesiæ traditũ, quo eum Scriptores, Ecclesiæ obtrudunt. Certum enim est, quòd Paulus ad Galatas scribens, dehortatur Ecclesiam, à seruitute elementorum. Posteaquàm (inquiens) cognouistis Deum, quin potius cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire vultis? Et ad Coloss. Si mortui estis, inquit, cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Hæc, cùm sit doctrina Pauli, dubium non est, quin fuerit omnium etiam aliorum Apostolorum doctrina. Et Petrus cùm in Actis Apostolicis baptisat gentes, non requisita circumcisione, & in Epistola sua uocat aduenas, Regale sacerdotium, nõ infuso in eos externo chrismate, significat eo ipso, Elementa legis per Euangelion Christi abrogari.

Manifestum autem est, quòd externum Chrisma pertineat ad Elementa mundi. Non enim est legis naturalis aut moralis, sed Leuiticæ, & cærimonialis, ac planè in eo ordine, quo Circumcisio, & obseruatio discriminis ciborum, Sabbatorum, & aliarum cærimoniarum, quas Paulus recenset.

Manifestum

Manifestum igitur est & certissimum, quòd Apostoli, nisi si quis sentiat ipsos cum sua ipsorum doctrina pugnare, non tradiderint Ecclesiæ talem externi chrismatis usum, qualem ei nonnulli Scriptores & Concilio-rum Canones obtrudunt. At enim Clemens, inquiunt, & Dionysius Areopagita testificantur, usum chrismatis ab Apostolis esse traditum. Sed quàm infirmæ autoritatis sint Epistolæ, quæ huic Clemēti vulgò tribuuntur, iam ab alijs rectè iudicatum est. Et extant haud obscura argumenta, quòd quemadmodum Romani Pontifices designarunt crimen falsi in allegatione decreti Nicæni coram Concilio Aphricano, sicut suprà dictum est, ita eadem probitate diuulgârint nomine Clementis, & quorundam aliorum primorum Pontificum ficticias Epistolas, quibus autoritatem tam sui sacerdotij, quàm Romanæ Ecclesiæ, ex antiquitate assererent. Ac aliæ quidem huius Clementis Epistolæ continent quasdam haud obscuras uanitates, quinta autem manifestè tradit dogma Anabaptistarum. Obtrudit enim exemplo Apostolorum, communitatem rerum, uniuersæ Ecclesiæ. Communis uita, inquit, omnibus necessaria est, & maximè ijs, qui Deo irreprehensibiliter militare, & uitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari cupiunt. Et mox: Denique Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait, Communia debere esse amicorum omnia. Et statim addit interpretationem. In omnibus autem, inquiens, sunt sine dubio & Coniuges. Docet ergo hæc Epistola non tantum facultatum, sed etiam Vxorum communitatem. Etsi enim interpres Decretorum Pontificiorum, inter quæ & hæc Epistola relata est, conatur hoc dictum mitigare, & scribit hoc intelligendum esse non de usu carnis, sed de usu obsequij, aut de dilectione, & potest fortasis hæc fuisse ficticij illius Clementis sententia, tamen & sermo est incommodus, ac offendiculo plenus: & exemplum Apostolorum de rerum communione personale, non est in exemplum uniuersale trahendum. De Dionysio autem, cui tribuuntur libri de cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, quid docti, quibus datæ sunt διακρίσεις πνευμάτων, καὶ γένη γλωσσῶν, iudicent, non est obscurum. Neque enim est Areopagita ille, qui fuit auditor Pauli, & cuius fit mentio in Actis Apostolicis. Neque enim uerisimile est, quòd quas describit cærimonias, sint ab Apostolis institutæ. Ac magnam earum partem, ne ipsi quidem Pontifices, qui eas tantoperè iactant, his temporibus obseruant. Quare nec Clemens, nec Dionysius tanti sunt momenti, ut possint Ecclesiæ, prætextu quidem nominis Apostolici, sed contra doctrinam Apostolicam, cærimonias & Sacra obtrudere.

Ponamus autem, morem utendi externi Chrismatis, ab Apostolis profectum, num eo consilio commendatus est Ecclesiæ, ut & sit perpetuus, & ad ueram Sanctificationem necessarius? Video quidem hoc à nonnullis fortiter asseuerari. Dionysius scribit, sicut paulò antè recensuimus, diuinam regenerationem, numquàm sine sacratissimo cõsummari unguẽto. Cyprianus ait: NECESSE est ungi eum, qui baptisatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Concilium Aransicanum pronunciat: Nullus, inquiens, ministrorum qui baptisandi recipit officium, sine Chrismate usquàm progredi debet, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. Et mox additur: NECESSARIA habeatur Chrismatio.

Quid igitur ad hæc dicemus? Num quia hi sentiunt usum externi

Chrismatis esse necessarium, idcircò piaculum est omittere? Assurgendum quidem est coram cano capite, & testimonia ueterum non sunt temerè abijcienda, Sed profectò his omnibus, etiam Angelicis, anteferendum est Testimonium Christi filij Dei, & Apostolorum eius. Christus dicit: Dominus est, & Sabbati, filius hominis. Si Sabbati, tanta seueritate præcepti, quanto magis Chrismatis. Et Paulus: In libertate, inquit, qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et mox addit: Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit. Et tamen Circumcisio non solum erat diuinitùs instituta, uerumetiam seueriſsimè mandata. Masculus, inquit, cuius præputij caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illa de populo suo. Quid ergo de Chrismate sentiendum? Fuit & huius usus in Mosaica politia diuinitùs institutus, nõ autem tanta seueritate, quanta circumcisio. Reliquum igitur est, quòd si quis reuelato Euangelio Christi exegerit usum externi chrismatis, tanquàm necessarium, eodem planè dicto compescendus sit, quo Paulus cõpescuit eos, qui Circumcisionem post reuelatũ Christum, tanquàm necessariam, exigebant: Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si uncti mini chrismate, Christus uobis nihil proderit.

Sed habet Asotus, quod contrà balbutiat. Dicit Apostolos ex politia Mosi, & cærimonijs ueteris legis prohibuisse esum carnium immolaticiarum, sanguinis & suffocati. Visum est, inquiunt, Spiritui sancto, & nobis, nihil ultrà imponere uobis oneris, quàm hęc NECESSARIA, ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum &c. Agnosco quidem decretum Apostolicum, non agnosco autem ineptam Asoti accommodationem, & uariam eius interpretationem. Nihil nunc opus est dicere de Scortatione, quæ & ipsa in eo decreto prohibita est, non est autem Leuiticæ legis, sicut alia, quæ in eo decreto continentur, sed naturalis seu moralis. Prohibetur autem Gentibus nominatim, quòd apud Gentes non putabatur flagicium, Scortari, Et est prohibitum perpetua necessitate. Nunquàm enim licet Scortari. Dicemus uerò de alijs, quæ in eo decreto, ex Leuiticis Cærimonijs recensentur, uidelicet de Idolothytis, Sanguine & Suffocato. Hæc enim uocant Apostoli Necessaria: (hoc est,) necessariò ab ipsis abstinendum. Sed quo modo, aut quo sensu? Num simpliciter seu absolutè? Num ad consequendam aliquam spiritus Sanctificationem? Num perpetuò, & tantisper, dum Christus ad iudicandos uiuos & mortuos aduenerit? Instauret igitur Asotus hoc Apostolicum Decretum, & exigat autoritate eius à Christianis, ne deinceps unquàm farcimínibus suillo sanguine oppletis uescantur. Sed experientia ipsa coarguit eum uanitatis. Quare cùm Apostoli uocant hæc, quæ ex Leuiticis ritibus decernunt, necessaria, non intelligunt necessitatem absolutam, aut per se perpetuam, sed necessitatem Charitatis, quæ tantisper abstinet ab esu sanguinis & suffocati, dum uidet proximum in fide infirmum ex ea abstinentia ædificari. Quòd si uel superstitiosus & pertinax hypocrita, uel piæ doctrinæ hostis, exigit hanc abstinentiam, tanquàm singularem Dei cultum, ad sanctificationem Spiritus, & ad salutem necessarium, ibi tum tantum abest, ut pius abstineat, ut etiam diligenter occasionem quærat, qua his cibis uescatur. Nam quemadmodum Paulus circumcidit quidem Timotheum, ut infirmitati suorum morem gerat, Titum autem non circumcidit, propter obiter (inquit) ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandam libertatem nostram, quàm habemus in Christo

Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent: ita abstinet quidem ab Idolothytis, & sanguinis ac suffocati esu, cùm uidet propter esum suum perire fratrem, pro quo Christus mortuus est: non autem abstinet, sed potius, cùm uidet ueram doctrinam Euangelij propter abstinentiam periclitari, Petrum ipsum, primarium Apostolum reprehendit, & palàm affirmat eum non recto pede ad ueritatem Euangelij incedere. Huc etiam pertinet, quod Christus de offensis Pharisæis dicit: Omittite illos, Duces sunt cæci cæcorum. Vides igitur Apostolos, nomine necessitatis, in decreto suo, non hoc sentire, quòd discrimen illud ciborum debeat in Ecclesia esse perpetuum, & singularis Dei cultus, sed quòd, cùm per se sit liberrimum, debeat ad tempus ex charitate obseruari, donec offendiculum inter Gentes & Iudæos ad Christum conuersos tollatur.

Conferamus nunc cum Apostolico decreto, usum Chrismatis. Nam si certum esset, quod tamen firmis argumentis nondum est probatum, & Sotus ipse postea negat, Apostolos in Baptismo usos esse externo chrismate, non profectò essent eo usi hoc consilio, ut esset necessarium ad Sanctificationem & perfectionem Baptismi, & perpetuò ad singularem Dei cultum in Ecclesia obseruandum: Hoc enim institutum manifestè cum Apostolica doctrina pugnat, Sed usi essent eo liberrima obseruatione, & ad tempus duntaxat, donec mentes credentium Euangelio Christi magis illustrarentur. Sicut & Paulus circumcidit Timotheum, & purificauit se Leuitico more, cum ijs, qui uouerant uotum, & rasit caput in Cenchreis. Quid autem Asotus? Et quo cõsilio exigit à nobis usum chrismatis? Nisi utamur Chrismate, uociferatur nos ab unitate Ecclesiæ recedere, & esse Schismaticos, ac Ecclesiæ hostes. Bona uerba Sote. Tanti ne momenti est Chrisma illud externum, ut si quis eo non utitur, sit schismaticus, ab Ecclesia alienus, & Ecclesiæ hostis? Ac siquidem loqueris de tua, hoc est, Asotica & hypocritica Ecclesia, quæ Romanum Pontificẽ suum caput agnoscit, & si non sumus in uos hostili animo: precamur enim uobis ueram salutis uestræ cognitionem, tamen agimus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi summas gratias, quòd nos à fermento & hypocrisi uestræ Ecclesiæ clementer liberauerit. Actor. 21. Actor. 18.

Si autem sermo est de uera Ecclesia, quæ solum Christum filium Dei, suum caput agnoscit, & quæ solo Prophetico & Apostolicæ doctrinæ, non humanarum traditionum fundamento nititur, tantum abest, ut propter omissionem Chrismatis ab ea recesserimus, ut ipsa iam nos, pro ueris & γνησίοις suis filijs agnoscat, quòd amplexi synceram Euangelij doctrinam, cõmenta hypocriticarum superstitionum deseramus. Sicut enim regnum Dei non est esca, nec potus, ita nec est chrisma, nec oleum. Neque idcircò recessimus à uera Ecclesia, quòd non omnia tum facta, tum dicta Augustini, Hieronymi, Leonis Pontificis, & aliorum quorundam seu Patrum, seu Conciliorum probemus. Filium Dei, & Apostolos eius habemus præceptores, quorum autoritas superat, non hominum tantum, sed etiam Angelorum autoritatem. Ac reueremur quidem maiorum nostrorum canicies, & amicus Augustinus, amicus Hieronymus, magis autem amica ueritas, & maior debetur reuerentia Verbo Domini. Quid enim? An statim sumus schismatici, quia non sumus Chrismatici? Vera Ecclesia Christi, non est tam dura, aut tam crudelis, ut propter omissionem Chrismatis, hoc est, humanæ traditionis, filios suos abijciat. Nam, quod alicubi Augustinus scribit, quòd quæ toto

orbe terrarum seruantur, detur intelligi uel ab ipsis Apostolis, uel plenarijs Concilijs, (quorum dicit in Ecclesia saluberrimam esse autoritatem) commendata & statuta. Et iterum: Si quid horum, inquit, totum per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est: hæc, inquam, & alia id genus dicta Augustini non eo ualent, ut quicquid uspiam in Ecclesia est usitatum & solenne, sine ullo iudicio, & collatione cum uera Prophetarum & Apostolorum doctrina, approbemus. Primùm enim, fieri potest, ut quod in Ecclesia per totum orbem seruatur, nec Apostoli cõmendauerint, nec plenaria Concilia statuerint, sed tantum, quia ab infirmis paulatim in consuetudinem uenit, toleraverint, & conniuerint. Qualis uidetur esse Imaginum usus, quem neque Apostoli instituerunt, neque Concilium aliquod plenarium, quod quidem ego sciam, & quod ante tempora Augustini (Nam quæ Concilia de Imaginibus post Augustinum fuerunt, suo iudicio relinquimus) celebratum est, approbauit.

Aliud autem est aliquid uera Ecclesia approbante, aliud tolerante & conniuente fieri. Deinde fieri potest, ut uel Apostoli, uel ueteres eorũ successores secuti sint ritum quendam cærimonialem, pio quidem consilio, aut saltem non impio, sed quem ritum sequantur posteri impietate. Num ergo propter maiorum exemplum, probanda est posterorum impietas? Serpens æneus instituebatur, diuino mandato, à Mose in deserto, ut quicunque ab ignitis serpentibus percussus aspexisset eum, uiueret. Et multi per aspectum eius sanabantur. Sed cùm postea Israelitæ adolerent ei incensum, Ezechias heroico spiritu excitatus, confregit eum, publicè testificans, quòd non esset nisi Nehusthan, hoc est, res ænea, quæ præter æs, nihil habeat utilitatis. Quare etiamsi certum esset, quòd ritus quispiam cærimonialis initium suum habuisset ab exemplo Apostolorum, aut traditus esset à plenarijs Concilijs, tamen si posteri uterentur eo ad impietatem, & contra Apostolicam doctrinam, pij non sunt subiecti seruituti, nec sunt obnoxij ijs exemplis, quæ ipsis sine certa uerbi Dei autoritate obtruduntur. Nam quod Christus dicit: Adhuc multa habeo, quæ uobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cùm autem uenerit ille, qui est Spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. (Ad hoc enim dictum Christi Sotus respicere uidetur) non significat, usum chrismatis, & aliorum siue Leuiticorum, siue Ethnicorum rituum, reuelationi Spiritus sancti reseruatum. Quid enim? An usus Chrismatis, & aliorum id genus externorum rituum, tam difficilis est intellectu, ut Apostoli non potuerint eum, antequàm admirabile donum Spiritus sancti in die Pentecostes acciperent, portare, & comprehendere? Potuerunt portare reuelationem cœlestis Patris de Iesu filio Mariæ, quòd esset Christus ille filius Dei uiuentis, potuerunt portare institutionem Cœnæ Dominicæ, & non potuerunt portare doctrinam & institutionem Chrismatis? Quæ est hęc Apostolici intellectus extenuatio, aut potius abiectio? Et quid? An non Liber Pontificalium Cærimoniarum, è quo paulò pòst consecrationem Chrismatis recitabimus, manifestè nugatur, quòd Christus, postquàm cum discipulis cœnauit, & pedes eorum lauit, docuerit eos Chrisma conficere? Quomodo igitur connumerandum esset Chrisma inter ea, quæ Apostoli ante missum Spiritum sanctum non potuerint portare? Sed ualeant illa. Nos ueram sententiam huius dicti considerabimus. Augustinus sentit ea, quæ Christus affirmat Apostolos non posse modò portare,

tare, tum demùm rectè percipi, cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Quomodo, inquit, aliquid eorum, quæ post ascensionem Domini scripta sunt, non possent ferre discipuli, etiam nondum sibi misso Spiritu sancto, cùm omnia nunc ferant catechumeni nondum accepto Spiritu sancto? Et paulò pòst. Quod ait: Docebit uos omnem ueritatem, uel deducet uos in omni ueritate, non arbitror in hac uita in cuiusquam mente posse compleri. Quis enim uiuens in hoc corpore, quod corrumpitur & aggrauat animam, possit omnem cognoscere ueritatem? Et addit præterea Augustinus, quòd prætextu huius dicti, seductores horrenda quæque commenta sua defendant. Omnes, inquiens, nequissimi hæretici, qui se Christianos uocari uolunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur. Non est igitur mirum, quòd & Traditionarij quærant ex hoc Christi dicto traditionum suarum patrocinium.

Sed alij hoc dictum Christi, rectius, mea quidem sententia, exponunt, non de ijs, quæ patefacienda erant Apostolis in futura & cœlesti uita, sed quæ Christus patefacturus eis erat in hac præsenti uita, postea quàm mitteret ipsis in die Pentecostes Spiritum sanctum, uidelicet, quòd reuelato & uulgato in orbe terrarum Euangelio Christi, ritus Leuitici abolendi essent, non instaurandi.

ORIGEN. LIB. 2. CONTRA CELSVM.

Quærimus, inquit, quænam essent hæc multa, quæ Iesus haberet suis discipulis dicere, & illi haudquaquàm possent tunc ferre. Et dixerim equidem, non illud Iesus Apostolis, tanquàm Iudæis, Mosaicæ legi secundum literam assuetis & alitis, quod diceret, habuit. Quæ nam scilicet uera lex esset, & quorum cœlestium uel demonstratione, uel umbra, Iudæorum cultus perficeretur, aut quorum nam futurorum bonorũ umbram lex ipsa complecteretur, quę de escis & potu, solennitatibusq;, calendis insuper, & sabbatis ipsis caueret. Et fuissent hæc sanè quàm multa, quæ haberet hic dicere. Sed cùm perspiceret graue admodum esse ex mortalium animis dogmata quædam & opiniones eruere, quæ propemodum & his essent ingenita, & usq; ad uirilem simul coaluissent ætatem, ita ut persuasum iam habeant diuina hæc esse, & ab ijs ipsis discedere impium fore, & eadem hæc ex excellenti illa secundum Christum, hoc est, ueritatis cognitione, arguere, nullius esse momẽti, sed damnosa & inutilia, id ipsumq; auditoribus persuaderi, in aliud quidem, & commodius tempus seruauit, hoc est, ubi & passus esset & resurrexit &c.

ET CYRILLVS IN EVANGELION IOANNIS.

Multa dicenda sibi restare profunda, & ultra quàm humanus animus ferre posset, affirmat. Quæ silentio, inquit, trado, quia nondum à spiritu meo reformati estis. Nam quando ab illo in alios uiros euadetis, quando LEGALES FIGVRAS illius patricinio aspernabimini, quando SPIRITVALIS CVLTVS pulchritudinem, illius ope, umbris anteponetis, tunc, tunc, inquam, mysterij de me uim omnem cognoscetis &c.

Ex his ueterũ scriptorũ monumentis apertè uides, quòd cùm Christus dicat, multa se habere quæ diceret, sed Apostolos non posse ea modò portare, tantũ abest, ut intelligat instaurationem chrismatis, & aliarum Leuiticarum Cærimoniarũ in Ecclesia, sicut somniant Asotici, ut potius abrogationem & abolitionem earum, post ascensum eius in cœlum, futuram significet.

Agnoſcimus autem hanc ueterum ſcriptorum interpretationem, non quia ipſi ita ſcripſerunt, ſed quia circumſtantiæ eius dicti hanc interpretationem exigunt, & res ipſa teſtatur. Paulò enim antè dixerat Chriſtus: Cùm uenerit Paracletus, arguet mundum de peccato, de Iuſticia, & de Iudicio. Exponit autem Peccatum, Iuſticiam & Iudicium longè aliter, quàm uel Iudæi uel Gentes intellígebant, uidelicet, quòd Spiritus ſanctus mundum arguat, non de peccato Leuítico, hoc eſt, de omiſsione Chriſmatis, aut eſu Sanguinis, non de Iuſticia Moſaica, hoc eſt, de obſeruatione ſacrificiorum, aut ſanctificatione carnis, non de Iudicio forenſi, hoc eſt, de lapidatione aut ſtrangulatione ſceleratorum, ſed de rebus longè grauioribus, quas attingit quidem uno & altero uerbo, affirmat autem ſe eas, præ Apoſtolorum imbecillitate, in præſentia non ſuſcipere pluribus explicandas, ſed reíjcere in id tempus, quo iam abſoluerit Paſsionem ſuam, & miſſurus ſit de cœlo Spíritum ſanctum. Res ipſa quoq; teſtificatur, quòd poſt diuulgationem Euangelíj in orbem terrarum, ſublatus ſit uſus Circumciſionis, Sacrificiorum, & aliorum Leuíticorum rituum. Quòd ſi præcipua Leuíticæ legis, quorum obſeruatio maxima ſeueritate exigebatur, abolita ſunt, tanti ne momenti erit uſus Chriſmatis, ut niſi quis eum ſeruauerit, cenſendus ſit ſchiſmaticus, & Eccleſiæ hoſtis? Quod enim Sotus affirmat Apoſtolos quædam íjs, quæ à Chriſto tradita ſunt, magiſterio Spíritus, ex Cærimoníjs ueteris legis, ex ritibus gentium (& ſi paulò poſt, qua eſt homo conſtantia, negat ſe imitarí gentes) & ex naturalí ratione ſuperaddidiſſe, palàm declarat, quanti faciat, tam ueram Eccleſiam Dei, cuí iterum iugum Moſaicæ legis imponere, & quam ritibus Idolatrarum gentium inuoluere conatur, quàm Verbum Dei, quo ſolo gubernanda eſt Eccleſia Chriſti. Primùm enim Magiſterium ueri, & ſancti Spíritus, non ſibí tantum ſumit, ut pugnet cum uerbo Dei, & doceat aliena ab inſtituto Chriſti. Paracletus ſuggeret (inquit) uobis OMNIA. Quæ num etiam cum uerbo Chriſtí pugnantia? Nihil minus. Sed QVAECVNQVE DIXI uobis.

Et iterum: Non loquetur à ſemetipſo. Sed quæcunque audierit, loquetur. Et mox: De MEO accipiet, & annunciabit uobis. Et aliàs: Docentes eos ſeruare omnia. Num quæcunque uiſa fuerint ueſtro arbitrio? Abſit. Sed quæcunque præcepí uobis. Pugnat autem cum uerbo Chriſti, & Apoſtolorum eius, ſi quis in Eccleſia docuerit: Niſi utaris Chriſmate, ſchiſmaticus es, deſertor & hoſtis Eccleſiæ. Chriſtus enim dicit: Venit hora & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt Patrem ſpíritu & ueritate. Ad Petrum Apoſtolum dicitur: Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Paulus Apoſtolus dicit: Poſtquàm uenit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus. Et iterum: In libertate, qua Chriſtus nos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. Hæc omnia teſtificantur, nulli hominum, imò ne angelorum quidem, licere Eccleſiæ Chriſti Leuíticas cærimonias ex ueteri lege, inter quas uſus quoque Chriſmatis continetur, ita imponere, ut niſi quis eas ſeruauerit, diro anathemate dignus ſit. Quare, ſi qui uſum chriſmatis in Eccleſia hoc conſilio inſtituerunt, aut etiam nunc defendunt, ut quiſquis eo non utatur, habendus ſit pro hoſte Eccleſiæ, non certè ducti ſunt magiſterio Sancti, ſed prophani ſpíritus. Alíj autem, qui ſimpliciter ſecuti ſunt exemplum Leuíticum, habuerunt quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam.

Deinde,

Deinde, & si in Ethicis & Politicis possunt aut sententiæ, aut exempla, à Lege Mosi, è scriptis Gentium, ac etiam è naturali ratione peti, tamen non licet ab his petere Sacramenta ecclesiastica. In lege enim Mosi extat explicatio Decalogi, qui est lex naturæ, & scriptores Gentiũ multa de uirtutibus, quæ in Decalogo continentur, tradiderunt: naturali quoque rationi patefecit Deus, quod de ipso cognosci potest, quemadmodum Paulus docet. Quod igitur ad Ethica & Politica attinet, tam ratio humana, quàm lex Mosi & scriptores Gentium suum habent locum, suum usum & dignitatem. Atq; huc pertinet, quod Hieronymus de radenda cæsarie, & circumcidendis unguibus captiuæ mulieris scribit. Et allegoria aureorum uasorum, quæ Israelitæ ab Aegyptijs tanquàm ab iniustis possessoribus abstulerunt. Sic Paulus docet ex lege Mosi, ut qui Euangelion adnunciant, ex Euangelio uiuant. Sic ex naturali ratione docet, mulierem uelandam esse. Sic aliâs citat hemistichia Arati, & Menandri, Ethnicorum poëtarum. *Hiero. ad Damasum, de filio prodigo & frugi.*

Instituere autem, absque certo uerbo Dei, Sacramenta aut Ritus Ecclesiasticos, quibus coram Deo sanctificemur, & exigere usum eorum sub anathematis pœna, exemplo tantum Leuiticæ legis, aut sacrorum Gentiliũ, aut prudentia humanæ rationis, hæc demùm detestanda est insania & impietas. Fieri enim non potest, ut si absque certo uerbo Dei instituis, aut usurpas Sacramenta, ex fide facere possis, quippè quòd fides sit ex auditu, auditus uerò per uerbum Dei. Omne autem, quod non est ex fide, inquit Paulus, peccatũ est. Relinquitur ergo, quòd ea sacra, quæ absq; uerbo Dei petuntur uel ab exemplis legis Mosi & Gentium, uel ab humana ratione, non solum nõ sanctificent hominem, uerumetiam, quia fiunt peccatum, sordident eum.

Sed quærit Asotus rimas, quibus se elabi posse sperat. Cùm enim Confessio Principis allegasset dictum Pauli ex Epistola ad Colossenses: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquàm uiuentes in mundo, his teneminí? hîc, non potest quidem Asotus negare, quin externum Chrisma pertineat ad elementa mundi, arripit autem uerbum TENERI, & exponit pro eo, quod est, Ex lege necessariò obseruare, ac significat, quòd usus Chrismatis, & si hoc tempore, post diuulgationem Euangelij in orbem terræ, non est amplius necessarius ex Lege Mosi, est tamen nunc necessarius ex ordinatione & statuto Prælatorum Ecclesiæ, propterea quòd hi iudicauerint usum Chrismatis, & alia quædam legalia, Christiano cultui, (sic enim loquitur Asotus) conuenientia, ut quæ dudum fuerant obseruantiæ Iudaicæ (sicut Leo scribit) fierent obseruantiæ Christianæ. Expendamus igitur hæc Asotica & Leonina. Sentit Asotus, quòd teneamur usu chrismatis, & quorũdam aliorum rituum Iudaicorum, non quia lex Mosi eos præcepit, sed quia eos nunc Prælati Ecclesiæ præcipiunt. Quæso ergo, unde Prælatis hæc præcipiendi autoritas? Vnde eis instaurandæ legis diuinitùs abrogatæ potestas? Dubium enim non est, quin Lex cærimonialis seu Leuitica Mosi fuerit quidem suo definito tempore, diuina ordinatione instituta, sit autem patefacto & diuulgato Euangelio Christi inter gentes, ita abrogata, ut quisquis eam, tanquàm ad Sanctificationem adhuc necessariam, sequendam putat, conuertatur ad infirma, & egena elementa, fiat debitor totius legis seruandæ, nullam capiat utilitatem à Christo, Christus sit ei ociosus, & excidat ipse à gratia. Hoc enim elogio ornat Paulus eos, qui sacra Leuitica

Mosi tanquàm singularem & necessarium cultum Dei, Ecclesiæ Christi, post Euangelij diuulgationem, seruanda imponunt. Obscurum quidem non est, quòd Apostoli non statim à resurrectione Christi abiecerint in suo cum Iudæis conuictu, usum Leuiticorum sacrorum, hoc autem non idcircò factum est, ut significarent obseruationem eorum Ecclesiæ Christi obtrudendam, sed ut uetera Sacramenta cum honore sepelirent. De qua re operæprecium erit audire Augustinum eruditè disserentem.

AVGVSTIN. IN EPISTOLA AD HIERONYMVM.

Cur mihi, inquit, non licet dicere Apostolum Paulum, & alios rectæ fidei Christianos, tunc illa uetera sacramenta paululum obseruando, uera citer commendare debuisse, ne putarentur illæ propheticæ significationis obseruationes à pijssimis patribus custoditæ, tanquàm sacrilegia diabolica à posteris detestatæ? Iam enim cùm uenisset fides, quæ prius illis obseruationibus prænunciata, post mortem & resurrectionem Domini reuelata est, amiserant tanquàm uitam officij sui. Veruntamen sicut defuncta corpora, necessariorum officijs, deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, uel inimicorum obtrectationibus, tanquàm canum morsibus proijcienda. Proinde nunc, quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, similiter ea celebrare uoluerit, tanquàm sopitos cineres eruens, non erit pius dector, uel baiulus corporis, sed impius sepulturæ uiolator.

Et paulò pòst.

Non tamen ideò fuerant (uetera Sacramenta) tanquàm diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cùm ipsa gratia iam cœperat reuelari, quæ umbris talibus fuerat prænunciata, sed permittenda paululum eis, maximè, qui ex illo populo, cui data sunt, uenerant. Postea uerò tanquàm cum honore sepulta sunt, à Christianis omnibus irreparabiliter deserenda. Hactenus Augustinus.

Obsecro autẽ te, amicissime mi Lector, cùm animo tuo reputes, quanta grauitate Augustinus inuehatur in eos, qui Vetera Sacramenta, inter quæ & usus externi chrismatis continetur, in Ecclesiam Christi reuocant. Dicit eos eruere sopitos cineres. Vocat eos impios sepulturæ uiolatores, & affirmat ea sacramẽta IRREPARABILITER deserenda. Num hæc nihil ad Asoticos Prælatos? Spiritus sanctus ipse abrogat Vetera Sacramenta, & permitteret Prælatis, ut ea in Ecclesia Christi instaurarent? Aut igitur Spiritus sanctus secum ipse pugnat, aut Asotici mentiuntur, se ea magisterio Spiritus sancti restituere. At enim, (inquiunt) non restituimus ea, tanquàm Mosaica, sed tanquàm Christiana, aut sicut ipsi loquuntur, tanquàm Christiano cultui conuenientia. Quid? Conueniunt ne ea Christiano cultui, quæ spiritus ipse Christi abrogauit? Et quæ pij Patres affirmant IRREPARABILITER deserenda? Ac uideri quidem illi possent, se restituere ea tanquàm Christiana, si liberum eorum usum in Ecclesia permitterent. Spiritus enim Christi libertatem eorum docuit. Nunc autem tanta seueritate exigunt, ut nisi utaris, habendus sis schismaticus, desertor & hostis Ecclesiæ. An hoc non est plusquàm Mosaicum? Exigere enim obseruationem Leuiticorum sacrorum ex lege Mosi, est eam exigere, tanquàm necessariam, ex diuina lege, ad salutem. Vsum autem externi Chrismatis sic exigere, ut nisi eum obserues, sis Ecclesiæ desertor & hostis, an non est eam tanquàm lege diuina necessariam, ad salutem exigere? Age uerò, subijciamus pro chrismate, Circumcisionem, aut pe-

aut pecorum Sacrificia, quæ in Lege Mosi fuerunt, diuina institutione usi tata. Num audiendi erunt Asotici Prælati, si dixerint: Nos Prælati in Spiritu sancto legitimè congregati, mandamus uniuersæ Ecclesiæ, ut omne masculinum circumcidatur carne præpucij sui, & ut singulis diebus Dominicis in quauis Parochia externus agnus sacrificetur: Mandamus autem hæc non tanquàm legem Mosi, sed tanq̃ sacra Christiano cultui conuenientia: Circumcisionem quidem carnis, ut admoneat Christianos de Circumcisione cordis: Sacrificium autem agni, ut sacrificium ueri agni, Domini nostri Iesu Christi, quod semel in cruce peractum est, adumbretur non tantum incruento, sed etiam, quo efficacius memoriæ infigatur, cruento modo. Ac mandamus hæc, tanta seueritate, ut si quis ea non obseruauerit, sciat se indignationem omnipotentis Dei incursurum, & meritò tanq̃ schismaticum, desertorem & hostem Ecclesiæ iudicandũ. Hæc, inquam, si Asotici mandarent, prætextu suæ autoritatis, quis tantam ipsorum petulantiam, temeritatem & tyrannidem non execraretur? At nihil uel mitius, uel honestiori prætextu, uel minori tyrannide & impietate, usum externi chrismatis, quod in eodem ueterum Sacramentorum ordine, quo externa Circuncisio, & externum ac Leuiticũ Sacrificium agni, continetur, exigunt. Rectè igitur scribit Augustinus, religionem nostrã, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse uoluit, seruilibus oneribus ita premi, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subijciunt.

Sed Petro dicitur, Tibi dabo claues regni cœlorum: Quodcunq; ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis. Idem ius quoq; erit Successoribus Petri. Primùm autem, Successor Petri in Ecclesia non propriè is dicitur, qui in eodem Throno, quo quondam Petrus sedit, collocatur, sed qui Euangelion illud, quod Petrus à Christo accepit, & tam Iudæis, q̃ Gentibus adnunciauit, Ecclesiæ concionatur. Deinde, hoc dictum est Petro, uerę ecclesiæ ministro, non Successori ueræ Ecclesiæ persecutori. Præterea Claues regni cœlorum, non sunt potestas instaurandarum, exemplo Mosi, cærimoniarum, nec est magisterium cõdendarum nouarum Legum, sed est Ministerium adnunciandi ueteris Euangelij, quod Deus ante promiserat per Prophetas suos, ut Paulus ait, in scripturis Sanctis de filio suo, nunc autem Apostolis mandauit, ut in uniuerso terrarum orbe prædicarent. Et alligare in terra, quod sit alligatum in cœlis, ac soluere in terra, q̃d sit solutum in cœlis, non est Chrisma aut aquam benedictam instituere, sed est adnunciare Euãgelion de Christo, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, & propiciatio coram Deo Patre nostro, ut quisquis hoc Euangelion in terra audit, & credit, soluatur in cœlo ab omnibus peccatis. Quisquis uerò non credit in terra, alligetur & in cœlis. Quare hoc dictum non patrocinatur licentiæ Asoticorum Prælatorum, qua arrogant sibi quiduis prò suo arbitrio mandandi autoritatem.

Cùm autem hoc, & id genus alia dicta, quibus fraterculi tyrannidem & impietatem suorum Pontificum defendere conantur, extent aliâs copiosissimè explicata, prõgrediemur nos ad reliqua. Nam ubi Confessio Principis recitat hunc locum ex Deuteronomio, Caue ne imiteris gẽtes, & requiras cærimonias earum, ibi Sotus adscribit: Non imitamur, inquiens, gentes. Aiunt, Mendacem oportere esse memorem. Paulò antè dixit Asotus in sua Confusione, Apostolos quædam ijs, quæ Christus tradidit,

ſuperaddidiſſe, ex rituum gentium, (Sic enim loquitur) ſimilitudine. Nunc autem hoc palàm, diſertis uerbis negat, Non imitamur, (inquiens) gentes. Quis non uideat hominem tanquàm ebrium uacillare, ac uertigi ne laborare? An hoc non eſt imitari Gentes, exempla ſacrorum, quibus coram Deo ſanctificemur, è ritibus gentium petere? Sed quia addit, hoc fieri Magiſterio Spiritus ſancti, putat ſe cauſam ſuam probè confirmaſſe. Quomodo autem poteſt Magiſterio Spiritus ſancti fieri, quod cum Spiritu ſancto pugnat? Quæ enim Moſes dicit, Caue ne imiteris Gentes. Et iterum: Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, ſinguli, quod ſibi rectum uidetur. Ac rurſus: quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas. Et Paulus: Si nos, aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis aliud Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Ac iterum: Chriſtus uobis factus eſt ocioſus, & à gratia excidiſtis, quicunque per Legem Iuſtificamini, (hoc eſt, ut unam Legis partem, in qua nunc uerſamur, referam) quicunque tantam iuſticiam & ſanctificationem in uſu externi chriſmatis collocat, ut quiſquis eo non utendum cenſet, habeatur deſertor & hoſtis Eccleſiæ, Hæc, inquam, & his ſimilia tam Moſi, quàm Apoſtolorum dicta, certè non ſunt commenta humanorum ſomniorum, ſed oracula Spiritus ſancti. Quomodo ergo Spiritui ſancto tribui poteſt, quod cum oraculis eius pugnat? Quomodo Spiritus ſanctus probat, quod prohibet? In libris Regum, uidit Ahaz Rex Iudæ, altare Ethnicum, in urbe Damaſcena, & cùm arrideret ei pulchritudo formæ eius, miſit exemplar, (ſicut ſcriptura ait), & ſimilitudinem iuxta omne opus eius, ad Pontificem Vriam, ut tale Altare in templo Hieroſolymitano extrueretur. Pontifex igitur obſecutus uoluntati Regis, remouit prius altare æreum, & ſubſtituit Damaſcenum. Quid, obſecro, eſt, quòd in hac religione Regis & Pontificis deſiderari, aut reprehendi queat? Primùm, quæ Rex & Pontifex inſtituerunt, uidebantur publica autoritate, & magno Principum, ac Sacerdotum aſſenſu inſtituere. Deinde, amouebatur quidem uetus Altare, ſed ſubſtituebatur nouum, & ipſa quoque humana ratione iudice, multo auguſtius, ſpecioſius, ac precioſius. Adhæc, inſtaurabatur hoc altare, non ut in eo ſacrificaretur diis Gentium, ſed uero Domino Deo noſtro. Sic enim præcepit Rex Pontifici: Super altare, inquiens, maius offer holocauſtum matutinum, & ſacrificium ueſpertinum. Hæc autem oblatio eo inſtituta erat diuinitus, ut fieret uero Domino Deo noſtro. Sacrificium (inquit) Domino Deo eſt oblatione perpetua in generationes ueſtras. Etſi enim Ahaz, aliàs dicitur immolaſſe Diis Damaſci, tamen, cùm iuſſerit Pontificem in hoc nouo altari iuge holocauſtum, quod in Exodo diuinitus inſtitutum erat, offerre, dubium non eſt, quin iuxta Regis & Pontificis opinionem, oblata ſint in eo ſacrificia ſoli Domino Deo noſtro. Quid ergo huic religioni, quo minus probanda ſit, deeſt? An non Rex & Pontifex totidem uerbis dicere potuiſſent, Non imitamur gentes, ſed Spiritus ſancti magiſterio, quæ in ipſis ſunt rationi naturali, & religioni noſtræ conſona, à Damaſcenis, tanquàm ab iniquis poſſeſſoribus auferimus, ſeruitura in tabernaculo Domini? Sed uana ſunt humana uerba, rebus cum diuino uerbo pugnantibus. Quicquid enim Rex & Pontifex dixerint aut prætexuerint, certè impium & deteſtandum eſt, quod deſignarunt. Manifeſtum enim eſt Verbum Dei, Caue, ne imiteris Gentes, nec dicas, Sicut coluerunt Gentes iſtæ deos ſuos, ita

4. Reg. 16.

Exod. 29.

ita ego colam Dominum Deum meum. Hoc exemplum admoneat Asotum, quid Prælatis eius, in petendis Sacramentis, uel ab abrogatis cæremonijs legis Mosi, uel à ritibus Gentium liceat.

Sed accedamus tandem ad explicationem eius dicti, quod Confessio Principis recitat, Frustra colunt me docentes doctrinas, & præcepta hominum. Huic enim dicto Christi adscribit Sotus: Non sunt, inquiens, homines, sed Spiritus sancti, quæ constat Ecclesiam seruare. Sed interea non meminit, aliam esse Ecclesiam Asoticam, cui cum Spiritu sancto nihil est commercij, aliam uerè piam. Nec meminit, Ecclesiam obseruare, alia approbando, alia conniuendo, & nondum admonitam tolerando. Cùm autem Sotus aliàs indignanter ferat, quòd hoc dictum Christi frequenter in ore habeamus. Hoc (inquiens) unum eorum est, quæ nímium importunè inculcant quotidie isti Confitentes, cùm tamen nunquàm sensum explicent, agedum, suscipiam ipsum, adiuuante Domino, paulò copiosius illustrandum, ut Asotici non habeant amplius, quod de obscuritate eius querantur. Quòd eo libentius faciam, quia uideo hoc dictum Christi esse sudem in oculis eorum. Etsi enim opinor me hoc dictum satis perspicuè in Commentarijs, quos in Prophetam Esaiam scripsi, pro mea tenuitate exposuisse, ut Sotus iniuria queratur, sensum eius à nobis nunquam explicatum, tamen, quia fortasse is Catholicus iste heros, & insigni doctrina præditus, fastidit illa hæreticorum & indoctorum hominum scripta, & mauult in hoc præsenti scripti genere interpretationem eius audire, morem uoluntati eius geramus. *In cap. de Cerimonijs Ecclesiasticis.*

Ac primum, non est dubium, quin Christus hoc dictum, à Propheta Esaia utendum acceperit. Etsi enim, quod Euangelista ex tralatione Septuaginta interpretum recitat, Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum, hoc apud Prophetam, ex Hebræo textu sic legitur, Timor eorum erga me, sunt mandata humanæ doctrinæ, tamen eadem planè est sententia, propterea quòd timere Deum, sit ex usu sacræ Scripturæ, Deum colere ac reuereri. Deinde, manifestum est, quòd Esaias conciónetur eo loco de hypocritis, qui in colendo Deo magis sequuntur mandata hominum, quàm mandata Dei. Necessarium enim est, ut qui suscipit cultum Deo gratum faciendum, cognoscat, quid Deo placeat, & quid à Deo probetur. Cùm autem Deus sit natura sua inuisibilis, cognoscenda est uoluntas eius, ex Verbo, aut mandatis eius. Neque enim fieri potest, ut introspicias in latebras & recessus diuinæ uoluntatis, nisi hæc uerbo eius fuerit patefacta: neque uerè atq; constanter credere potes, cultum tuum Deo acceptum esse, nisi uerbo seu mandato eius edoctus fueris. Quare qui suscipiunt Deum colendum, non ex Dei ipsius doctrina, & mandato, sed ex opinione, doctrina & mandato hominum, non sunt ueri cultores Dei, sed sunt hypocritæ, qui habent quidem speciem pietatis coram homine, sunt autem Deo tantæ abominationi, ut etiam grauia eis supplicia comminetur. Ecce ego, inquiens, addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentum eius abscondetur.

Quod cùm ita se habeat, utitur Christus hac concione Esaiæ aduersus Scribas & Pharisæos, ut significet eam tam latè patere, quòd refutentur in ea, non tantum hypocritæ, qui fuerunt coætanei Esaiæ, uerum etiam qui futuri sunt in omni posteritate. Ac de doctrina quidem & mandatis Domini Dei nostri, extant sua Canonica, quæ uocant, Scripta Veteris &

Noui Testamenti, è quibus petenda sunt, quæ Deus requirit, ut uel credamus & speremus, uel faciamus & patiamur. De doctrina autem & mandatis hominum, hypocritæ suas habent opiniones, & prætextus. Quare operæprecium erit, ut quæ sit doctrina, quæ sint mandata hominum, paulò pluribus, quantum quidem ad præsens institutum sufficit, explicetur, ut manifestè intelligatur, qui cultus sint Deo abominabiles, quæue sacra Deo sint odiosa.

Doctrina enim & mandata hominum, in præsentia, non dicuntur præceptiones bonarum artium, quæ ut sunt dona Dei, ita suam habẽt in suo gradu dignitatem & utilitatem. Nec dicuntur Edicta legum, & Politica mandata Principum, quæ in hoc statuuntur, ut sint terrori malis, & honori bonis, ut honestam & tranquillam in hoc seculo uitam ducamus. His enim mandatis, non tantum propter pœnam, uerumetiam propter conscientiam, ut ordinationibus Dei, obediendum est. Sed Mãdata hominum hoc loco dicuntur, quæ homines de rebus per se liberis, absq; uerbo Dei, in hũc usum excogitant, & instituũt, ut si quis ea fecerit, præstet Deo tam gratum cultum, ut propter eum cultori singulariter faueat, & conferat in eum beneficia tam corporalia quàm spiritualia. Qui autem ea uiolauerit, peccet in Deum, & incurrat tantam eius indignationem, ut obnoxius fiat omni generi maledictionis.

Dicuntur autem mandata hominum propriè de rebus per se liberis constitui. Nam, quę de rebus uerbo Dei manifestè prohibitis statuuntur, & in cultum Dei mandantur, & si & ipsa inter mandata hominum recenseri possunt, tamen quia palàm pugnant cum uerbo Dei, reiicienda sunt in eum ordinem, in quo numeraretur, si quis ad colendum Deum mandaret homicidium aut adulterium. Sic instituit Aheron uitulum aureum in deserto. Hæc enim institutio non erat de re per se libera, sed paulò antè per uerbum Domini grauissimè prohibita: Non facias tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, &c. Sic obtulit Saul hõlocaustum Domino de præda Amalec. Hoc Holocaustum nõ fiebat ex re per se libera, sed apertè prohibita. Dixerat enim Samuel ex uerbo Domini: Percute Amalec, & demolire uniuersa eius. Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à uiro usque ad mulierem, & paruulum atque lactantem bouem & ouem, &c. Quæ igitur statuuntur in cultum Dei de rebus per se liberis, non prohibitis, dicuntur in præsentiarum, statuta seu mandata hominum. Similiter & nomine hominum hoc loco intelligimus non tantum priuatos homines seu Monachos, qui sibi ipsis suo arbitrio uaria sacra ad colendum Deum, & ad ambiendam gratiam eius effingunt, sed maximè omnium homines, qui publicis in Ecclesia Domini muneribus funguntur, & publicam Ecclesiasticæ administrationis autoritatem habent. Hos Israelitę uocarunt Seniores, Nostri uocant eos Presbyteros, Episcopos & Pontifices, Asoto autem uocantur Prælati. Nam Propheta, priusquàm hoc dictum recitat, haud obscurè significat, quos homines intelligat, cùm dicit: Timuerunt me mandato hominum & doctrinis. Ait enim, Claudet oculos uestros, Prophetas & Principes uestros, qui uident uisiones, operiet. Itaq; per mandata hominum, non intelligit propriè mandata hominum priuatorum, qui non habent publicam autoritatem, sed maximè summorum Pontificum, ac eorum, qui sunt in publica administratione populi Dei.

Habes igitur breuiter quid hoc loco per homines & mandata hominum

num sit intelligendum. Sed ut res magis perspicua fiat, exempla sunt inspicienda.

Qua occasione Christus recitet hoc dictum ex Esaia, manifestum est. Discipuli enim eius edebant panes illotis manibus. Extabat autem inter Iudæos Traditio Seniorum & institutum Maiorum, Ne quis illotis manibus uesceretur cibo. Et, ut Marcus addit, Multa alia seruanda susceperant, nempe lotiones poculorum, urceorum, æramentorum & lectorum. Videamus igitur primùm, quibus de rebus hæc traditio instituta fuerit. Nō est autem obscurum, quòd fuerit institutа de re per se libera, de Lotione uidelicet manuum, quæ etsi est honesta coram hominibus disciplina, tamē coram Domino Deo nostro iuxtà ponitur, siue laueris, siue non laueris manus, priusquàm cibum capias. Nihil enim tibi Sanctitatis ex lotione, nihil prophanitatis & immundiciei, ex omissione lotiōis coram iudicio Dei accedit.

Deinde, qui instituerunt hanc traditionem, non fuerunt homines uulgares, sed Seniores & Maiores, quos uocarūt Synagogam magnam, seu συνέδριον, quod nos uocamus Concilium Generale, ordinarij uidelicet Successores eorum septuaginta Seniorum, quibus traditum erat de spiritu Mosi: Quorum tanta fuit autoritas, ut quicquid decreuissent, putabatur esse oraculum Spiritus sancti. Nec minus, q̄ Asotici Prælati, de promissionibus pręsentiæ Dei & Spiritus eius, quas & suprà in προλεγομένοις enumerauimus, gloriabant. Itaq; instituerunt hanc traditionem de lauatione manuum priusquàm sumeretur cibus, non ut esset deinceps res libera, quam iuxtà referat, siue obserues, siue omittas, Sed ut esset tanquam mandatum Dei, quod si obseruares, multum Sanctitatis consequereris, Si autem uiolares, peccares non tantùm in συνέδριον Seniorum, sed etiā in maiestatē ipsam Dei. Nisi. n. hoc sibi uoluisset traditio Synhedrij, Scribæ & Pharisæi non tanta seueritate adorti essent Christum, quòd permitteret, ut discipuli eius non lauarent manus. Cur discipuli tui, (inquiunt) transgrediuntur traditionem Seniorum? Et Marcus, cùm uidissent, (inquit) Pharisæi & Scribæ, qui uenerant à Hierosolymis, quosdam ex discipulis Iesum communibus, id est, illotis manibus edere panes, ἐμέμψαντο, hoc est, cum graui indignatione reprehendebant, & incusabant factum. Nec hoc dissimulant apud Christum. Cur, inquiunt, discipuli tui non ambulant iuxta ritum traditum à maioribus? Hoc uolunt dicere. Quod est à Senioribus & Maioribus nostris traditum, hoc à Spiritu sancto est profectum. Cùm igitur discipuli tui uiolant hanc traditionem, uiolant præceptum Dei, & oraculum Spiritus sancti. Quæ profecto temeritas, anathemate est uindicanda, & nisi tui discipuli resipuerint, ac absolutionem petierint, iudicandi sunt schismatici, desertores & hostes Religionis.

Sed quanta seueritate Pharisæi Traditionem Seniorum suorum asserunt, tanta grauitate Christus eam condemnat. Vocat eam ex Esaia doctrinam hominum, & cultum Dei uanum & irritum, affirmat id genus traditiones, occasionem esse transgrediendi præcepta Dei: dicit esse plantationem, quam non plantauerit cœlestis Pater, ideoque eradicandam: iubet discipulos, ut præceptores talium traditionum omittāt, quòd sint duces cæci cæcorum. Quid aduersus traditiones, & autores earum grauius dici potest? Transeamus ad alia exempla. Non est obscurum, quòd in lege Mosi institutum fuerit, diuina ordinatione, discrimen ciborum, & dierum festorum: quod & tanta seueritate obseruatum fuit, ut is qui college-

rat in Sabbato ligna, lapidibus fuerit, ex mãdato Dei, obrutus. Postquam autem uenit Christus, & iussit Apostolos suos diuulgare Euangelion inter gentes, remissa est huius Legis seueritas, & quæ antea in hoc genere fuerunt seuerissimè constituta, redierunt ad ueterem suam sortem, quam habuerũt ab initio ex creatione Dei, & facta sunt per se libera. Vnde Paulus dicit: Qui uescitur, non uescentem ne despiciat. Et qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Et iterum: Qui diem curat, Domino curat. Et qui non curat diem, Domino non curat.

Cùm igitur inter Colossenses, exorirentur nonnulli, qui ex his rebus iam per se liberis instaurarent nouos Dei cultus, tanta seueritate, ut qui eos non obseruaret, peccaret aduersus Dominum, obsistit eis Paulus Apostolica autoritate, confidenti, & à Spiritu Dñi excitata uoce exclamãs: Ne quis uos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei festi, aut nouilunij, aut Sabbatorum. Quid? An non potuissent & illi respondere Paulo, quod Asotus recitat: Nos superaddimus illa ex cærimonijs Legis, magisterio Spiritus sancti, & quæ nuper erant consuetudinis Iudaicæ, iam facimus obseruantiæ Christianæ: nec subijcimus nos legalibus oneribus, sed amplectimur utilitatem continentiæ quæ Euangelio Christi seruit? Paulus autem, non sinit sibi prætextu pietatis imponi, nec inanibus uerbis illudi, sed potius illis ipse illudit, & μιμήσει uerba eorũ recitat: Ne tetigeris, ne gustâris, ne cõtrectâris. Nec refutat eos simplici tantũ reiectiõe, sed dãnat institutum eorum grauissimis uerbis, Vocat humilitatem & superstitionem Angelorum, Vocat Elementa mundi, Dicit esse mandata & doctrinas hominum, quæ habeant quidem speciem Sapientiæ, propter ἐθελοθρησκείαν, humilitatem, & duriciem, quę erga corpus exercetur, non habeant autem pietatis ueritatem. Autores uero harum traditionum dicit, frustra inflatos à mente carnis suæ, nec iunctos esse Capiti, per quod totum corpus alitur & connectitur. Quis pia mente prędituS, ad talia epitheta non cohorresceret?

Descendamus nunc ad Chrisma, de quò Sotus uociferatur, quòd nisi quis usum eius in Ecclesia approbet, sit schismaticus, desertor & hostis Ecclesiæ. Dubium enim non est, quin usus eius fuerit in politia Mosaica, ad ungendos sacerdotes & Reges, diuina ordinatione institutus. Nec dubium est, quin & hæc ordinatio, patefacto iam, & diuulgato in orbem Euãgelio Christi, sit unà cum reliquis Leuiticis Cærimonijs ita abrogata, ut nullus deinceps ad usum Chrismatis, diuino mandato teneat. Itaq; postq; Christus ascendit in cœlum, usus Chrismatis nec est necessarius, nec per se illicitus, sed in libertatem uindicatus. Sotus autem affirmat usum Chrismatis in Ecclesia tanta seueritate seruãdum, ut qui eum reijciunt & damnant, iudicandi sint schismatici, desertores & hostes Ecclesiæ. Quid ita? Quia Ecclesia agnoscit hũc usum testimonijs Dionysij Areopagitæ, Clementis, (quos ambos dicit Asotus fuisse Apostolorum discipulos) Fabiani, Augustini, Hieronymi, Leonis sanctissimi & doctissimi Pontificis, ac reliquorum Patrum. Si ergo hi testes hoc deponunt, quod Sotus balbutit, uidelicet, reiectionem Chrismatis, in uera Ecclesia Christi, tantum, tamque horrendum esse scelus coram Deo, ut qui hoc iam post Ascensum Christi in cœlum, & diuulgatum Euangelion in orbem terræ, designauerit, sit perfidus, oppugnet Ecclesiam hostiliter, & mereatur in extremas tenebras abijci, profecto necessariò sequitur, quòd testes illi, aut falsò in medium producantur, aut cum doctrina Christi, &

Apo

Apostolorum eius pugnent. Fieri enim non potest, ut cùm Christus usum externi Chrismatis, sanguine & morte sua liberum fecerit, liceat ex eo, non iam dicam Asoticis Prælatis, sed ne Apostolis quidem, aut etiã Angelis, cultum Deo singulariter acceptum, & ad salutem necessarium facere. Quòd si autem faciendum susceperint, certè quod instituunt, non erit mandatum diuinum, sed humanum, & si perrexerint crudeli persecutione defendere, tyrannicum, adeoq; Satanicum. Nam, quod Apostoli instituerunt, ut Gentes ab Idolothytis, suffocato & sanguine abstinerent, suprà est expositum, & instituerunt ea, non sicut Asotus usum Chrismatis exigit, ut singularem cultum Dei, & per se ad salutem necessarium, sed ut singularem cultum seu officium proximo ex caritate tantisper præstandum, donec proximus de libertate per Christum parta erudiretur. Quare nisi testes illi, quos Sotus citat, & quorum autoritatibus suscipit ora nostra claudenda, senserint usum Chrismatis in Ecclesia Christi per se liberum esse, & si in singularem & necessarium cultum Dei instauretur, humanam esse traditionem, & abijciendam superstitionem, fieri non potest, quin aut pugnent cum doctrina Christi & Apostolorum eius, aut si uerè fuerunt homines pij & Sancti, (ut quidem ego de Sanctitate eorum nihil detraho) falsò eis, quod nunquàm senserunt, tribuatur.

Ex his exemplis manifestum est, quòd per doctrinas & præcepta hominum, de quibus Esaias & Christus loquuntur, cùm dicunt, Frustra me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum, intelligendi sint hi cultus, qui ex rebus per se liberis, ab hominibus, siue illis priuatis, siue publicis, hoc consilio instituuntur, ut si quis eos præstiterit, afficiat Deum singulari honore, & mereatur singularia beneficia. Si quis autem non præstiterit, designet peccatum aduersus Deum, & sit dignus, qui è cœtu Ecclesiæ Dei, in tartarum & gehennam ignis præcipitetur.

Cùm autem in hunc ordinem pertineant non solum usus Asotici & externi Chrismatis, uerumetiam uniuersa Sacra Asoticorum Prælatorum, quæ instituerunt de discrimine ciborum & uestimentorum, de aspersione aquæ benedictæ, de esu salis, de usu luti, de ieiunijs, & preculis, de Indulgentijs & Satisfactionibus, de Confirmatione Catechumenorum, de Consecrationibus sacrificulorum, & quis omnes illas ineptias, sordes, & impietates enumerare posset? perspicuum est, quòd hęc & alia id genus omnia Pontificia & Monastica sacra sint frustra neus cultus Dei, & plantatio, quæ sit eradicanda, ac cæcus ducatus, quo sectatores in foueam dejciuntur, denicq; ea sit religio, quæ faciat Christum ociosum, & ejciat factores eius è gratia Christi. His enim elogijs ornant Christus & Paulus sacra humanarum traditionum, ideoq; tantum abest, ut ea possint magisterio Spiritus sancti institui, ut potius Spiritus sanctus ea detestetur, & abominetur.

Habes explicationem huius dicti, Frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum, & existimo me non tantum querelæ Soti, uerumetiam pijs lectoribus, pro mea tenuitate, sic mediocriter satisfeciſſe.

Sed quid multis ad refutandum Asoticum Chrisma opus? Tolerabile esset, si in Baptismo, in Pontificali confirmatione, & in alijs sacris adhiberetur Chrisma simplex & nulla incantatione sordidatum, ac usus

eius permitteretur liber. Nunc autem hoc intolerabile ac detestandum est, quòd non solum usus eius tanquàm ad salutem necessarius exigatur, uerum etiam non adhibeatur in usum nisi Magicis execrationibus turpificatum. Cuius rei satis apertus & locuples testis est liber, cui titulum fecerunt Pontificale. Et quia hic liber non ubique extat, uisum est huc locum illum de Cõsecratione Chrismatis adscribere, ut Lector cognoscat, quibus benedictionibus, execrationibus, ritibus, cærimonijs, salutationibus, inhalationibus, hoc est, Magicis incantationibus Chrisma consecretur. Solet autem hæc consecratio peragi singulis annis, feria quinta, in Cœna Domini.

Pontificale.

HAC die (inquit) in toto orbe Christiano, Chrisma, & Oleũ sanctum, & oleũ Catechumenorũ cõficiuntur. Dominus enim Iesus Christus, postq̃ cum discipulis cœnauit, & eorum pedes lauit, Chrisma conficere docuit. Ipsa quippe pedum lotio, sicut ait Papa Fabianus, nouum significat baptisma, quod Sancti Chrismatis unctione perficitur & confirmatur. Singulis itaq; annis hoc Sacramentum hac die est innouandum, quia Nouum est Sacramentum, Et uetus in Ecclesia concremandum. Hoc profecto à Sanctis Apostolis & eorum Successoribus accepimus. Hoc Sancta Romana Ecclesia & Antiochena, à tempore Apostolorum custodit. Hoc Constantinopolitana, Hierosolymitana, Alexandrina, & Ephesina Ecclesiæ tenent. Mane itaque Sacrista, uel ille ad quem spectat, omnia, quæ ad Chrismatis consecrationem ac oleorum huiusmodi confectionem necessaria sunt, parat, uidelicet, tres ampullas oleo mundißimo plenas, quas in sacrario ponit, & diligenter custodit. Vnam ad oleum infirmorum. Aliam ad oleum Catechumenorum. Tertiam, quæ maior sit, ad Chrisma. Et hæc tertia cooperiri debet de panno serico albo. Prima autem & secunda de serico panno alterius coloris sint coopertæ. Duas mappulas mundas siue uela pro diaconis, qui ampullas oleorum pro chrismate, & oleo catechumenorum, de Sacristia ad chorum portare debent. Et ultra hæc, Faldistorium, & Credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in Presbyterio, ab opposito altaris, iuxta gradus circa finem Presbyterij, & ante ipsam sedem, uersus altare, paratur mensa, mappis ornata, quæ sit iuxta sedem inter ipsam & altare, iuxta dictam sedem hinc & inde. Magis tamen ad finem Presbyterij posita sint Scamna pro duodecim sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes, uertant facies ad altare. Deinde hora competenti, Pontifex uenit ad Ecclesiam, ubi se parat ad Missam, omnibus Pontificalibus ornamentis preciosis albi coloris. Parant se etiam ministri Pontificis. Et ultra illos, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, & alij necessarij, omnes uestibus albi coloris ordini suo congruentibus. Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter, hoc modo. Inprimis procedit Thuriferarius, quem sequuntur duo ceroferarij. Post hos septem Subdiaconi, bini & bini, & in tertio loco tres simul uadunt. Tum septem Diaconi, etiam bini & bini, & in tertio loco, tres. Post hos, duodecim Presbyteri, bini & bini, quos sequitur Subdiaconus librum Euangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito. Deinde Diaconus, & à dextris eius Capellanus assistens. Quos demum Pontifex sequitur, incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum & assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus uel Patriarcha, & in Ecclesia sua, portatur etiam in huiusmodi processione Crux,

Faldistorium est sedes episcopalis.

Crux, per unum ex Ministris ad hoc ordinatum, qui medius inter ceroferarios incedit. Duodecim presbyteri suo ordine iuxta banchos in fine presbyterij positos, hinc & inde stabunt, uel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad Altare uertentes. Post eos stabunt septem Diaconi. Et post diaconos, septem Subdiaconi in gradibus presbyterij. Pontifex uerò, postquàm ante Altare peruenerit, facit Confessionem, Incipitur introitus, & proceditur in Missa more consueto, usq; ad illum locum Canonis, ubi dicitur: (Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas) exclusiue. Priusq; ergo Pontifex uerba ipsa dicat, facta reuerentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem epistolæ Altaris, ubi super alium calicem uacuum abluit digitos, & ad purificatorium extergit. Et ablutio usq; post communionem Pontificis reseruatur. Tum facto iterum Sacramento reuerentia, descendit primum gradum altaris, & ibidem accepta mitra, uadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio ab opposito altaris, & sedet super ipsam uersa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus ministris, Sacerdotibus & alijs paratis prædictis, in suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem, dicit alta uoce in tono lectionis:



Oleum infirmorum.

Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis prædictis cum duobus acolythis hinc inde associatus, uadit ad Sacristiam, ubi accipiens ampullam olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut inuenit, portat eam sinistro brachio amplexatam, ante Pontificem, ubi eam tradens in manum Archidiaconi planè dicens: Oleum infirmorum. Archidiaconus præsentat illam Pontifici, ad benedicendum, idem dicens, collocans eam coram eo supra mensam supradictam. Pontifex surgens cum mitra, exorcizat & benedicit illud, uoce demissa, ita tamen, quòd à circumstantibus sacerdotibus audiri possit, absolutè dicens:

Exorcizo te immundissime Spiritus, omnis incursio Satanæ, & omne phantasma, in nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij & Spiritus ✠ sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei uiui, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare per nomen Dei Patris omnipotentis, & per nomen dilectissimi filij eius Domini nostri Iesu Christi.

Deinde deposita mitra benedicit ipsum oleum, dicens eadem uoce: Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Emitte quæsumus Domine, Spiritum sanctum Paraclitum de cœlis, in hanc pinguedinem Oliuæ, quam de uiridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis & corporis, ut tua sancta bene ✠ dictione sit omni, hoc unguento cœlestis medicinæ perunctio, tutamen mentis & corporis, ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemq; ægritudinem mentis & corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, & Prophetas, & martyres tuos: sit chrisma tuum perfectum nobis Domine à te benedictum, permanens in uisceribus nostris, In nomine Domini nostri Iesu Christi.

℟. Amen.

His expletis, oleum ipsum eo modo quo apportatum fuit, ad Sacrarium reportatur, & diligentissimè conseruatur. Tunc Pontifex reassumpta mitra sedet, & lauat manus. Tum surgit & cum mitra, cum ministris suis, cæteris sacerdotibus & alijs paratis, in locis suis manentibus, accedit usq; ad gradum altaris, ubi deposita mitra, facit reuerentiam Sacramento, tum ascendit ad altare, & incipiens, ubi dimiserat, uidelicet, PER quem hæc omnia &c. procedit in Missa usq; ad communionem corporis & sanguinis inclusiuè, quam Pontifex ipse Solus sumit. Quo facto, diaconus ponit hostiam consecratam pro crastina die reseruandam, in calicem seu uasculum ad hoc paratum, et reuerenter collocat ipsam super medium altaris. Deinde, Pontifex, postquàm se communicauerit & purificauerit, ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio calice sumpserit, facta reuerentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris mitram accipit, & redit ad prædictam sedem cum ministris suis, & alijs assistentibus eo ordine, quo præmissum est, & ibi cum mitra sedet.

Tunc Archidiaconus ſtans apud Pontificem dicit alta uoce, in tono lectionis:



Oleum ad ſanctum Chriſma.

Et mox eadem uoce & tono ſubiungit:



Oleum catechumenorum.

Quo dicto duodecim presbyteri, ſeptem diaconi, & ſeptem ſubdiaconi, parati prædicti & alij miniſtri, quot neceſſarij fuerint, eo ordine, quo uenerunt, pergunt ad Sacrarium, ad deferendum, cum omni decore & reuerentia, oleum chriſmale, & oleum catechumenorum, miniſtris tamen Pontificis cum eo remanentibus qui oblato ſibi thuribulo imponit incenſum, & benedicit more ſolito. Incedunt autem redeuntes ad chorum cum ampullis hoc ordine. Primo thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem ſequitur ſubdiaconus crucem deferens, medius inter duos acolythos cum cereis ardentibus. Tunc duo cantores cantantes uerſus: O redemptor, ut infra habetur. Quos ſequuntur bini & bini ſubdiaconi, & diaconi, deinde unus ſubdiaconus portans uaſculum cum balſamo, tum duo diaconi ampullas olei ad Sanctum Chriſma, & pro oleo catechumenorum portantes, qui habent mappulas mundas, ſiue uela ad collum, quorum extremitates ante pectus dependent, tenentes ipſas ampullas ſiniſtris brachijs amplexatas ſeu circumdatas, & extremitatibus mappularum, quæ à dextris dependent, inuolutas, & coopertas, ita tamen ut à medio ſupra uideri poſſint. Diaconus autem, qui oleum pro ſancto chriſmate portat, à dextris uadit. Hos ſequuntur duodecim ſacerdotes prædicti bini & bini, quibus ſic à ſacriſtia uerſus Pontificem procedentibus duo cantores prædicti cantant uerſus ſequentes.

O redemptor ſume carmen temet concinentium.

Et chorus idem replicat. Deinde duo cantores proſequuntur ſequentes uerſus:

Audi iudex mortuorum, una Spes credentium, audi uoces proferentium domum pacis præmium.

Chorus repetit Verſum,

O redemptor.

Deinde dicti duo cantores proſequuntur Verſum:

Arbor fœta alma luce hoc ſacrandum protulit, fert hoc prona præſens turba Saluatori ſeculi.

Chorus repetit Ver:

O redemptor.

Tum duo illi cantores proſequuntur Ver.

Stans ad aram humi ſupplex infulatus Pontifex, debitum perſoluit omne conſecrato chriſmate.

Chorus repetit Ver.

O redemptor.

Deinde illi duo cantores proſequuntur Ver.

Conſecrare tu dignare rex perēnis patriæ hoc ſignū oliuæ uiuū cōtra iura dæmonū.

Chorus repetit Ver.

O redemptor.

Eis igitur ordine præmiſſo in presbyteriū Eccleſiæ cantādo uerſus prædictos peruenientibus, crux cū candelabris & incēſo ſituātur prope altare iuxta cornu epiſtolæ. Archidiaconus, diaconus, et ſubdiaconus miniſtrātes, ſint ſemper circa Pontificē hinc et inde. Sacerdotes uero duodecim parati iuxta eos duo cornua faciūt, ſex hinc et ſex illinc, uertētes faciē ad altare, à lateribus aſſiſtētes Pontifici tanq̄ eius teſtes, & miniſterij ſacri chriſmatis cooperatores. Diaconi uerò poſt tergū Pontificis, & poſt eos ſubdiaconi parati ſtāt tanq̄ miniſtri et inſpectores. Interim diaconi ampullas olei chriſmalis et olei catechumenorū portātes, et ſubdiaconus cū balſamo ſe firmāt, quouſq; oēs prædicti in

ſuis

suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaq; dispositis, diaconus ampullam olei chrismalis ferens, uenit ante Pontificem, & Archidiaconus illam inuolutam cum mappula, quam diaconus ipse circa collum portauit, de manu eius accipiens, eam sic inuolutam ostendit Pontifici sedenti, & illam super mensam, ante Episcopum positam, collocat diligenter, alio diacono ampullam aliam assiduè inter brachia tenente. Tunc subdiaconus uasculum cum balsamo portans, illud tradit archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens, ipsum supra mensam collocat. Tum Pontifex deposita mitra surgit, & uersus ad altare, habens ante se super mensam ampullam olei chrismalis, & balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum, dicens.

BENEDICTIO BALSAMI.

Dominus uobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus ministeriorum cœlestium & uirtutum omnium præparator, nostras quæsumus preces exaudi, & hanc odoriferam sicci corticis lachrymam, quæ fœlicis uirgæ profluendo sudorem sacerdotali nos opimat unguento, acceptabilem tuis præsta mysterijs, & concessa benedictione sancti ✠ fica. Per Dominum &c. ℟. Amen.

Alia oratio. Oremus.

Creaturarum omnium Domine creator, qui per Moysen famulum tuum permixtis herbis aromatum fieri præcepisti sanctificationem unguenti, clementiam tuam suppliciter deposcimus, ut huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem Sancti ✠ ficationis infundas. Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum, sit sacerdotalis unguenti chrisma perpetuum, sit ad cœleste uexillum, impressione dignissimum, ut quicunq; baptismate sacro renati, isto fuerint liquore peruncti, corporum atq; animarum benedictionem plenissimam cõsequantur, & illi beatæ fidei collato munere perenniter amplientur. Per Dominum &c.

℟. Amen.

Deindè accepta mitra stans adhuc Pontifex, miscet super patenam, uel in aliquo paruo uasculo, balsamum cum modico olei, de ampulla chrismali sumpti dicens.

Oremus.

Oremus Dominum nostrum omnipotentem, qui incomprehensibilem filij sui, sibiq; coæterni, diuinitatem mirabili dispositione ueræ humilitati inseparabiliter coniunxit, & cooperante gratia Spiritus sancti, oleo exultatiõis præ participibus suis liniuit, ut homo fraude Diaboli perditus, gemina & singulari cõstans materia, perenni reddere retur, de qua exciderat hæreditati, quatenus hos ex diuersis creaturarum speciebus liquores creatos Sanctæ Trinitatis perfectione bene ✠ dicat, & benedicendo Sancti ✠ ficet, concedatq; ut simul permixti unum fiant, & quicunq; exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quòd omnibus sordibus corporalis materiæ carens, sit participem Regni cœlestis effici gratuletur, per eundem Dominum nostrum &c.

Quo facto sedet Pontifex, retenta mitra, & halat planè tertiò in modum crucis super os ampullæ chrismalis inuolutæ, ante eum super mensam, stantis. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui iuxta eum sunt, ordinatim, facientes reuerentiam Sacramento in altari posito, & Pontifici, ad mensam prædictam accedunt, & stantes ante eam singuli successiuè eodem modo, ut Pontifex fecerat, in modum crucis, super os ampullæ prædictæ halant. Tum reuerentiam ut suprà facientes, ad loca sua reuertuntur. Quo facto, surgit Pontifex, & stans cum mitra legendo dicit exorcismum chrismalem, absolute dicens.

BENEDICTIO CHRISMATIS.

Exorcizo te creatura olei, per Deum Patrem omnipotẽtem, qui fecit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, ut omnis uirtus aduersarij, omnis exercitus Diaboli, omnis q; incursio & omne phantasma Satanæ eradicetur, & effugetur à te, ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum sanctum, In nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & in caritate Iesu ✠ Christi filij eius Domini nostri, qui cum eo uiuit & regnat Deus in unitute eiusdem Spiritus sancti.

Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus dicit præfationem.

Per omnia secula seculorum.

℟. Amen.

V. Dominus nobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
V. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
V. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum & iustum est.

Verè dignũ & iustum est, æquũ & salutare. Nos tibi semper & ubiq; gratias agere, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus. Qui in principio inter cæteras bonitatis & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna iussisti, inter quæ huius pinguissimi liquoris ministræ oliuæ nascerentur, quarum fructus sacro chrismati deseruirent. Nam & Dauid Prophetico spiritu gratiæ tuæ Sacramenta prænoscẽs, uultus nostros in oleo exhilarandos esse cantauit. Et cùm mundi crimina diluuio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, per oliuæ ramum pacem terris redditam nunciauit. Quod in nouissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cùm baptismatis aquis omnium criminũ commissa delentibus, hæc olei unctio uultus nostros iucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum, prius aqua lotum per infusionem huius unguenti constitueret sacerdotem. Acceßit ad hoc amplior honor, cum filius tuus Iesus Christus Dominus noster lauari se à Ioanne undis Iordanicis exegisset, ut spiritu sancto in columbæ similitudine desuper misso, unigenitum tuum, in quo tibi optimè complacuisse testimonio subsequentis uocis ostenderes, & hoc illud esse manifestè comprobares, quòd oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum Dauid uoce Prophetica decimisset. Te igitur precamur Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, ut creaturæ huius pinguedinem Sancti ✠ ficare tua benedictione digneris, & sancti Spiritus ei admiscere uirtutem, cooperante Christi filij tui potentia, à cuius nomine sancto, chrisma nomen accepit, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas & martyres tuos, ut spiritualis lauacri baptismo renouandis, creaturam chrismatis in Sacramentum perfectæ salutis, uitæq; confirmes, ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ natiuitatis absorpta, sanctum uniuscuiusq; templum, acceptabili uitæ innocentiæ odore redoleſcat, ut secundum constitutionis tuæ sacramentum, regio, & Sacerdotali, Propheticoq; honore perfusi uestimento incorrupti muneris induantur, ut sit his, qui renati fuerint ex aqua & spiritu sancto, chrisma salutis, eosq; æternæ uitæ participes, & cœlestis regni faciat esse participes.

Quod sequitur, dicit planè legendo, ita tamen, quòd à circunstantibus audiri possit.

Per eundem Dominum &c.

℟. Amen.

Præfatione huiusmodi finita, Pontifex balsamum, cum illo modico oleo ex ampulla chrismali sumpto, mixtum commiscet sancto chrismali, reponens ipsum in ampullam chrismalem & dicens: Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, & custodia salutaris in secula seculorum.

Tum Diaconus, qui ampullam chrismalem de sacristia portauit, deponit mappulã siue uelum de ipsa ampulla, dimissa ei sua serica ueste alba, quam antea habebat, & Pontifex capite inclinato salutat chrisma dicens:



Aue Sanctum Chrisma.

Et hoc secundò & tertiò facit, semper altius dicendo. Quod postquàm tertiò dixerit, osculatur labium ampullæ. Quo facto sedet Pontifex, & accipit mitram. Tum singuli duodecim sacerdotes parati prædicti accedunt succeßiuè per ordinem ad mensam, supra quam posita est ampulla chrismalis, & factis reuerentijs sacramento in altari posito, & Pontifici, tertiò in uaria distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet uice semper altius dicendo in tono prædicto:

Aue



Aue ſanctum Chriſma.

Quo tertiò dicto, labium ampullæ reuerenter oſculantur, & ad ſua loca reuertuntur. Quo peracto ampulla in uno latere menſæ prædictæ collocatur. Et mox diaconus aliam ampullam ſua ueſte coopertam cum oleo catechumenorum ferens, accedit ad præſentiam Pontificis, & ampullam ipſam ſine mappula, quam Diaconus ipſe circa collum retinet, tradit Archidiacono, qui illam ſuſcipiens, eam oſtendit Pontifici, & collocat ſuper menſam prædictam, in medio ante Pontificem, ſuper quam ampullam ad ſtatim tam ipſe Pontifex, quàm etiam duodecim Presbyteri prædicti halent, prout ſuprà de ampulla chriſmatis factum eſt. Quo facto Pontifex ſurgens cum mitra, ſubmiſſa uoce legendo abſolutè exorciſmum olei catechumenorum dicit: Exorcizo te creatura olei, in nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & in nomine Ieſu ✠ Chriſti, & Spiritus ✠ Sancti, ut in hac inuocatione indiuiduæ Trinitatis atq; unius uirtute deitatis, omnis nequiſſima uirtus aduerſarij, omnis inueterata malicia Diaboli, omnis uiolenta incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicetur, & effugetur, & diſcedat à te, ut diuini Sacramenti purificata fias in adoptionem carnis & Spiritus, his qui ex te ungendi ſunt, in remiſſionem omnium peccatorum, ut efficiantur eorum corpora, ad omnem gratiam ſpiritualem accipiendam ſanctificata, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui cum eo & eodem ſpiritu ſancto uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.

Deinde depoſita mitra Pontifex ſtans benedicit dictum oleum catechumenorum eadem uoce dicens: Dominus uobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus incrementorum omnium, & profectuum ſpiritualium remunerator, qui in uirtute Spiritus ſancti, imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus Domine, ut emittere digneris tuam bene ✠ dictionem ſuper hoc oleum, & uenturis ad beatæ regenerationis lauacrum, tribuas per unctionem huius creaturæ purgationem mentis & corporis, ut ſi quæ illis aduerſantium ſpirituum inhæſere reliquiæ, uel maculæ, ad tactum ſanctificati olei huius abſcedant, nullus ſpiritualibus nequicijs locus, nulla refugij ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur, ſed uenientibus ad fidem ſeruis tuis, & ſancti Spiritus tui operatione mundandis, ſit unctionis huius præparatio utilis ad ſalutem, quam etiam per cæleſtis regenerationis natiuitatem, in ſacramento ſunt baptiſmatis adepturi, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos & ſeculum per ignem.

℟. Amen.

Deinde Pontifex & ſucceſſiuè duodecim ſacerdotes prædicti reuerenter ſalutant oleum ipſum, dicentes tertiò in tono lectionis:



Aue ſanctum oleum.

Et poſtquàm tertiò id fecerint, oſculantur os ipſius ampullæ, prout ſuprà de chriſmate poſitum eſt. His itaq; peractis ambæ ampullæ per dictos duos Diaconos eo ordine & decore, quo delatæ fuerant, ad ſacrarium ſiue ſacriſtiam proceſſionaliter reportantur: interim dum reportantur, duo præmiſſi cantores cantant hos uerſus.

Vt nouetur ſexus unctione chriſmatis, Vt ſanetur ſauciata dignitatis gloria.

Chorus replicat totum Verſum.

O redemptor.

Tum dicti duo cantores proſequuntur Verſum:

Tota mente ſacro fonte aufugantur crimina. iuncta fronte ſacro ſancta influunt chriſmata.

Chorus replicat Verſum:

O redemptor.

Deinde dicti duo cantores prosequuntur Versum:

Corde natus ex parentis, aluum implens uirginis, pande uitam, claude mortem, consecrato Chrismate.

Chorus replicat Versum:

O redemptor.

Quo replicato dicti duo cantores prosequuntur Versum.

Sit hæc dies festa nobis seculorum seculis, Sit sacrata uera laude, nec senescat tempore.

Chorus replicat Versum:

O redemptor.

Vetus autem Chrisma & oleum Catechumenorum ac infirmorum, si quod remanserat in ampullis, ponitur in lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur: Reliquũ autem quod est in pixidibus siue capsulis cum bombice igni cõburitur, & nouum deinde cum noua bombice in pixidibus siue capsulis imponitur. Interim dum chrisma & oleum Catechumenorum ad Sacristiam portantur, Pontifex sedens cum mitra lauat manus, deinde redit ad Altare & prosequitur Missam, ut in Missali habetur, & dicto. N. dat benedictionem, & denunciantur Indulgentiæ per eum concessæ, quibus denunciatis Pontifex signat altare dicens Euangelion Sancti Ioannis, & accedit ad sinistrorium, ubi sacras uestes deponit, &c.

HACTENVS PONTIFICALE.

Videbor fortasis ualde ineptus & impudens, quòd tam prolixa tantarum abominationum recitatione, abutar pij Lectoris patientia. Sed quid faciendum erat? Accusamur schismatis, & defectionis ab Ecclesia, quòd non utamur consecrato illo chrismate. Quare ostendendæ sunt causæ, cur Pontificiam unctionem deseramus. Inter has autem una è præcipuis est, magica chrismatis consecratio. Libuit ergo eam sic recitare ad uerbum, quemadmodum in Pontificali eorum descripta est, ut pius Lector clare uideat, quid susceperimus refutandum, quanquàm contineãtur in ea tam manifestæ ineptiæ, & tam apertæ abominationes, ut recitatio earum, sit refutatio. Nec dubito, quin si qui inter Asoticos Prælatos aliquid pudoris habent, & tamen suas impietates adhuc cæcata mente indurati amplectuntur, non dissimiliter, patefactis, & in lucem productis his suis mysterijs, afficiantur, quàm in Alexandria olim Ethnici grassati sunt in Christianos, cum Theophilus Episcopus ridicula Serapidis & crudelia Mithrij mysteria palàm ob oculos omnium ciuium traduceret atque ostentaret. Sed quocunque illi sint affectu, certè nostrum nobis officium faciendum est. Perstringemus igitur, quantum ad nostrum institutum sufficere uidetur, Pontificalem chrismatis consecrationem, ut cognoscamus, Asoticos non tantum esse impios Idolatras, sed etiam execrabiles incantatores.

Socrá. lib. 5. cap 16. Hist. Ecclesiast.

Ac initio. Etsi ex Concilio Martini Papæ liberum est, quouis tempore conficere chrisma, tamen Pontifices non consecrant chrisma, nisi feria quinta, in cœna Domini. Et additur ratio. Quia Christus, postquàm cum discipulis (inquiunt) cœnauit, & pedes eorum lauit, docuit conficere chrisma. Hæc, & nonnulla, quæ sequuntur, sumpta sunt è Secunda Epistola, quæ inscribitur Papæ Fabiano ad Episcopos Orientales. Existimatis autem, uos Asotici, nos tam stultos, tam insanos esse, ut fidẽ, in re tanti momenti, uestris domesticis testibus adhibeamus? Habet alioqui Fabianus, in Ecclesiast. historia bonum testimonium, quòd ad Romanum Pontificatum magis diuina, q̃ humana electione peruenerit, & ueritatem Euangelij Christi suo sanguine sit testificatus. Sed quo melior uir probatur, eo minus credibile est, eum esse harum Epistolarũ, & decretorum, quæ ipsi adscribuntur,

adscribuntur,,autorem. Nam cum posteriores Pontifices contenderint, quibus potuerunt artibus, ad omnium Ecclesiarum primatum, & quo hunc obtinerent,non ueriti sunt in concilio Aphricano,sicut antea demõstrauimus, designare crimen falsi, (Si enim ius uiolandum est, imperij gratia uiolandum esse aiunt)res ipsa hortatur nos,ut sentiamus, quòd tales Epistolas & Decreta finxerint ipsi,& primis illis Pontificibus falso tribuerint,quo autoritatem suæ dignitatis & suarum superstitionum, exantiquitate assererent. Nam & stylus Epistolarum,quæ adscribuntur Fabiano,planè conuenit cum stylo aliarum epistolarum,quæ prioribus Pontificibus tribuuntur,& omnes ferè epistolę illæ eandem olent dignitatis ac in Ecclesiam potestatis affectationem, & similis est incondita sententiarum coaceruatio, ut prorsus eundem autorem & eandem officinam referant.

Sed siue uerus,siue ficticius Fabianus hæc scripserit,quæso te, potes ne in animum inducere,ut credas,Christum in nouissima Cœna, post pedũ lauationem,docuisse discipulos confectionem Chrismatis? Quis Euangelista, quis Apostolus hoc testificatur? Lego in Apostolicis scriptis,Christum instituisse tunc Sacramentum Cœnæ suæ, & lauatione pedum admonuisse discipulos modestiæ & mutuæ charitatis, & pijs concionibus ac precationibus confirmasse animos eorum,ad ferendas imminentes afflictiones. De confectione Chrismatis, ne gry quidem. Num, qui uenerat ad delendas ueritate sua umbras Leuiticas, iterum eas utendas instauraret,eo præsertim tempore,quo Ecclesiam sanguine suo iam in libertatem uindicaturus erat? Scilicet Petrus & collegæ eius consecrauerunt & halitu suo sanctificarunt Chrisma antè, in die Pentecostes, aut in uigilia eius,quàm baptisarunt ter mille homines, qui Euangelion Christi tum agnoscebant,& consignarunt eos chrismate. Et quia necessarium est, ut in consecratione chrismatis sit Episcopus, qui locum Christi, & duodecim Sacerdotes,qui locum Apostolorum teneant, quis tum inter Apostolos tenuit locum Christi? Si Petrus,quis suppleuit locum Apostoli duodecimi? An fortasis eo tum usi sunt chrismate, quod Christus ipse in nouissima Cœna consecrauit? Sed & de hoc dubitari merito posset, cùm Philippus baptisaret Eunuchum Aethiopem, in profluenti,& Paulus custodem carceris unà cum domesticis eius,unde acceperint chrisma. Fortasis etiam uerbis Christi & Pauli aliquid addendum erit,ut rectè intelligantur. Ille enim dicit: Qui crediderit,& baptisatus fuerit. Hìc subintelligendum erit,Et chrismate unctus fuerit,saluus erit. Hic dicit: Quicunque baptisati estis,Christum induistis. Hìc adscribendum erit,Et chrismate uncti estis. Præsertim cùm Fabianus scribit baptismum sancti chrismatis unctione perfici & cõfirmari, & idem affirmat Dionysius. Quis ex his dubijs nos explicabit? Equidem non uideo meliorem rationem, qua hi Gordij nexus soluantur, quàm ut simpliciter dicamus, Fabiani uerba, quibus affirmat Christum docuisse confectionem chrismatis, post Cœnam, esse purum putum mendacium. Non dissimilis notæ est,quod additur,baptismum perfici & confirmari sancti chrismatis unctione. Scilicet baptismus Christi,in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti dispensatus,non est perfectus,aut confirmatus,nisi accesserit unctio chrismatis. Quanta,obsecro,est maiestas chrismatis,quòd perficere & cõfirmare possit baptismum,ad cuius perfectionem & confirmationem non sufficit Pater, Filius,& Spiritus sanctus, uerus & æternus Deus? Augustinus dicit:

Accedit uerbum ad elementum & fit Sacramentum. Suppleamus igitur dictum Augustini, Accedit uerbum ET VNCTIO CHRISMATIS ad elementum. Pontificale enim & Fabianus, atq; etiam Dionysius concionantur nobis, quòd baptismus tum demum perficitur & confirmatur, cùm accesserit Chrisma. O fœlices illas uineas Engaddi, O beatam illam uallem & syluam Palæstinæ, in quibus solis Balsamum, ex quo Chrisma confici solet, nasci dicitur. Quod enim absq; his esset, Christiani non possent esse ueri seu perfecti Christiani. Quid ergo si bello aliquo, uel alio casu hæ uineæ excider̃etur? nimirum imperfectus maneret baptismus noster, ideoq; imperfectè etiam indueremus Christum, & imperfectam haberemus peccatorum remissionem. Et quid? Non potuit Christus cogitare, Apostolos suos, non semper commoraturos in Palæstina, ubi in promptu haberent Balsamum, sed etiam ad longinquas terras profecturos? Quid ergo est, quòd uoluit ut Gentes, procul à Palæstina disitæ, tanto locorum interuallo perfectiõ̃ & confirmationem baptismi sui peterent? Atqui scriptura dicit: Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est trans mare positum, ut causeris & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed prope te est uerbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc est uerbum, inquit Paulus, fidei, quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, Saluus eris. Res igitur ipsa testificatur, uanissimum esse, quòd Christus iusserit nos Gentes transfretare mare, & ad nos usque balsamum afferre, quo baptismus perficeretur.

Sed non minus uel mirum uel uanum est, quod sequitur. Singulis, inquit, annis hoc sacramentum hac die est innouandum, quia nouum est Sacramentum. Et uetus in Ecclesia concremandum. Quid? An Chrisma nouum est Sacramentum? Iam igitur erunt uobis non amplius septem, sed Octo Sacramenta. Et quid uetus Chrisma tantum piaculi commisit, ut concremetur? Num designauit aliquam hæresin? Soletis enim hæreticos concremare. Sed bellissima ratio est, quam affert Fabianus, cur singulis annis nouum chrisma sit conficiendum. Sicut enim ipsius diei (inquit) solennitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouandum. Et mox: Ista (inquit) à Sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, uobisque tenenda MANDAMVS. Scilicet Christus non solum docuit in magna feria quinta chrisma conficere, uerumetiam instituit ut hic dies singulis annis, publica obseruatione celebretur. Hoc enim officium eius erat, & in hunc usum uenerat in mundum, non ut tolleret, sed mutaret tantum dierum discrimina. Quid autem de chrismatis innouatione dicemus? Num tam speciosæ cærimoniæ, tam iucunda Apostolici ordinis ac numeri repræsentatio, tot exorcismi, tot carmina, tot precularum recitationes, tot crucium characteres, tot salutationes, tot inhalationes, tam sunt infirmæ, eneruatæ, exangues, & inefficaces, ut uno tantum anno, nec amplius durare queant? Et quis certum durationis earum tempus definijt? Quid dubitamus? Sequitur enim in Pontificali, sed copiosius in Epistola Fabiani. Hæc (inquit) Sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hęc Hierosolymorum & Ephesianorum tenet. In quibus Apostoli præsidentes, hæc docuerunt, & uetus Chrisma incendi, & non amplius, q̃ uno anno uti, permiserũt, atq;

deinceps

deinceps nouo fruí, & non ueterí, iubentes docuerunt. Et additur horribi le fulmen, Si quís, (inquit) his obuiare tentauerit, omnem sibí per uos & per omnes rectè intelligentes, INDVLGENTIAE ADITVM in telligat obseratum. Habes, teste Fabiano, traditionem Apostolicam, ad quam quis non assurgeret?

Sed primùm, manifestum quidem est, quòd Apostoli in his, quæ hîc recensentur, Ecclesijs, Euangelion Christí docuerint, & si nonnulli dubi tant de Petro, num unquàm Romæ fuerit. quæso autem te, putás ne nos à sensu mentís sic abstractos esse, ut credamus ei, qui prætextu Apostolici nominis fert testimonium contra Apostolicam doctrinam? Num adhi beamus fidem ei, qui nomine Apostolicæ autoritatis, cum uniuerso Apo stolorum officio pugnat? Demonstrauimus autem suprà copiosè, quòd talis usus Chrísmatis, qualem Pontificale describit, & qualem Sotus exi gít, prorsus pugnet cum Apostolico officio & doctrina. Vanissimus ígi tur impostor & nugator sit, necesse est, qui talem Chrísmatis usum Eccle siæ Christi obtrudere audet.

Deinde, mandat hæc Fabianus omnibus Episcopis Orientalibus, & mandat tam seueríter, ut nisi obsecuti fuerint, præcludat eís omnem adi tum índulgentiæ. Quid? Num eo tempore omnes Orientales Episcopi agnouerunt Superioritatem Pontificis Romani? Et num is, qui non uti tur chrísmate, tantum scelus, tantam ímpietatem designat, ut nulla ei am plius spes ueniæ apud Deum relinquatur? Hoc certè esset peccare ín Spíri tum sanctum. O miserrimas nostras Ecclesias, in quibus & si homines ba ptisantur iuxta mãdatum Christi, in nomine Patris & Filíj & Spíritus san cti, tamen quía non utuntur chrísmate, obnoxíj sunt æternę damnationí. Sed ô uos deploratæ cæcitatis, & exhausti rubòris homines, qui non uere míni Elementum huius mundi & humanum uestrum, ut níhil grauius dicam, figmentum, non tantum absq; certo uerbo Dei, uerumetiam con tra manifestam Christí & Apostolorum eius doctrinam, tam ímpudenti confidentía Ecclesiæ Sanguine filíj Dei ín libertatem uindicatæ manda re, ut nisi ea obseruauerit, omni cœlestí Salute destituatur.

Sed inspiciamus nunc Consecrationem Chrísmatis, si fortè ex ea ne cessitatem obseruationis eius intelligere queamus.

Habet igítur Consecratio chrísmatis suos peculíares ritus, & cærimo nias, quibus peragatur. Ac minutiores quídem, & uulgares prætereo, ín signiores autem, & precipuas attingam. Initio non una tantum ampulla, sed tres parantur, quarum una impletur & deputatur oleo infirmorum, al tera oleo Catechumenorum, tertia chrísmati. Fortasis hoc íta uisum est Pontificibus, ut hoc numero significetur Sancta Trínitas, & ipsa quoque numeri ratio afferat Chrísmatí nonnihíl sanctitatis.

Deínde sicut ín Diarijs singuli dies suas habent è cõfiguratiónibus stel larum adnotationes, quibus cognoscatur, quíd factu utile, aut inutile fue rit, ita non est bonum iuxta sensum Pontificum, aut utile quouis tempo re Chrísma, & reliqua olei genera consecrare, sed tantum ín magna feria quínta, qua Christus Cœnam suam instituit. Vnde & hæc cõsecratio, non nisi in Missa, quam somniant esse cœnam Domíní, fieri debet.

Adhæc, non est cuiusuis cõsecrare chrísma, sed Pontificis tantum, qui nec ipse Solus tantum mysterium peragit, sed ut omnia uideantur Apo stolicõs agi, adhibentur ei Duodecim Presbyterí, qui repræsentent nu merum & personas Apostolorum. Nam Pontifex locum & maiestatem

Christi obtinet. Adhibentur etiam septem diaconi. Sic.n. uisum fuit Apostolis, ut, ne ipsi præ administratione œconomiæ necesse haberent deserere munus docendi, septem eligerent diaconos, qui mensis discipulorum ministrarẽt. Sed quia indecorum uideretur, ut septem diaconi, sine suis famulis adstarent, placuit Pontificibus ut adiungerẽt septem quasi amanuẽses, quos Subdiaconos uocarũt. Et ne quid Sacri ordinis in tanti mysterij peractiõe deesit, addũtur & Acolythi, qui sint ceroferarij, ac Thuriferarius quoq;. Hîc ergo uide mihi, obsecro, spectaculum Apostolicæ, ac planè cœlestis Hierarchiæ. Procedit thuriferarius, qui scilicet incenso thymiamate expurget aerem, ab omni Satanico fœtore. Quẽ sequunt duo ceroferarij; Luminibus enim etiam in clara luce opus est, ut quemadmodum Prælati illustrant humanis suis traditionibus diuina mandata, ita adiuuarent etiã suis luminibus splendorem Solis, alioqui sic obscuri, ut ad disijciendas tenebras eorum non sufficiat. Hinc succedũt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, non quilibet solus, sed ut omnia sint Apostolica, bini & bini. Accersit eñ, inquit Euãgelista, duodecim, cœpitq; eos emittere binos, ac dabat illis potestatem aduersus immũdos spiritus. Cùm igitur Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri procedant nũc agminatim, pugnaturi aduersus exercitum immundorũ spirituum, qui intra chrisma, tanq; in insidijs latens (sicut exorcismi testantur) congruenter ordinatum est, ut iuxta Apostolicum ritum, bini & bini incedant. Si.n. terni aut quaterni unà incederẽt, immundi spiritus non agnoscerent Apostolicam potestatem, nec discederent è chrismate, ne adiurati quidem. Cæterum, ne Euãgelistæ Marcus & Lucas, qui non recensentur inter duodecim Apostolos, querãtur se ab hoc choro excluſos, præsto adest Subdiaconus, qui ante pectus suum portet librum Euangeliorum, & ut sciamus hanc libri Euangelici gestationem, maximè omnium propter illos duos tantum Euangelistas (Nam reliqui duo Matthæus & Ioannes continentur in catalogo Apostolorum) institutam, sequuntur gestatorem, non tres, non quatuor, sed tãtum duo, alter Diaconus, alter Capellanus, quorũ ille Marcũ, hic Lucã repræsentet.

Sequitur tandem Pontifex, sacris suis uestibus, sicut & alij, ita ornatus, ut nihil in eo, nisi quod cœlestia & diuina designat, agnoscas. Sed cùm aliquandiu sollicitus cogitarem, quid sibi uellet, quòd Pontifex, non solus, sed inter duos digniores Ecclesiæ Canonicos incederet, tandem uenit in mentem, hanc esse ipsissimam Trinitatis imaginem. Pontifex enim locũ Christi filij Dei tenet, alij autem duo, hic quidem Patrem, ille autem Spiritum sanctum adumbrat. Itaq; spiritus immũdi, qui intra chrisma latẽt, cum hanc processionem aduersus se institutã uident, non possunt non toto pectore cohorrescere. Quomodo. n. possent arcẽ suam, quam in chrismate habent, tueri, non tantum aduersus Apostolos & Euangelistas, uerum etiam aduersus Trinitatem ipsam omnipotentem?

Quæ cùm ita sint disposita, instruit tandem Pontifex aciẽ aduersus immundos spiritus, ac primo loco ordinat Sacrum sanctissimum, Missam uidelicet, quam ad certum usq; locũ peragit. Postq; igitur Pontifex, Presbyteri ac reliqui fuerint aduersus dæmones, sacrificio Missæ satis muniti, iubentur ampullæ seu capsulæ oleorum alta uoce, & ut uides, tono lectionis è latebris in medium produci. Metuendum enim erat, ne si ante Missæ sacrificium collocarentur in altari, immũdi spiritus, qui in oleis habitant, impedirent, quo minus Christus de cœlo ad altare descenderet, & panis ac uinum in corpus & sanguinem Christi transsubstantiarentur.

Hoc

Hoc uerò obseruatu haud indignum est, quòd & si oleum infirmorum primo loco producitur, exorcisatur, & consecratur, tamen minori apparatu & humiliori specie producitur, & offertur Pontifici consecrandum, quàm chrisma & oleum catechumenorum. Fortasis, quia infirmis, infirmius etiam oleum competat, ut Deus, iuxta uetus dictum, simile ad simile ducere solet.

Sed accedamus tandem ad consecrationem oleorum. Etsi autem singula, singulos habent exorcismos, & benedictiones, nos tamen in præsentia, ne Lectori iterata unius rei repetitione molesti simus, omnia simul complectemur.

Ac primum, singula olea exorcizantur.

Ad oleum infirmorum dicitur, Exorcizo te immundissime spiritus, omnisq; incursio Satanæ, & omne phantasma, in nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, ut recedas ab hoc oleo.

Ad chrisma dicitur: Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, ut omnis uirtus aduersarij, omnis exercitus diaboli, omnisq; incursio, & omne phantasma Satanæ eradicetur, & effugetur à te.

Immanè, quã tũ robur, & quot legiões Satanarum sunt in Chrismate.

Ad oleum catechumenorum dicitur: Exorcizo te creatura ōlei, in nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi, & Spiritus ✠ sancti, ut in hac inuocatione indiuiduæ Trinitatis, atque unius uirtute deitatis, omnis nequissima uirtus aduersarij, omnis inueterata malicia Diaboli, omnis uiolenta incursio, omne confusum & cæcum phantasma eradicetur, & effugetur, & discedat à te &c.

Ex his exorcismis manifestum est, Soticos Prælatos sentire, quòd in chrismate & reliquis oleis, priusquàm adiurantur, habitet non unus tantum & alter Diabolus, sed legiones, adeoq; exercitus innumerabilium diabolorum. Et quid, quæso, tam horrendi, tam detestandi sceleris balsamum, bona boni Dei creatura, ac singulari odore diuinitùs ornata, dessignauit, ut necesse habuerit tot diabolorum hospitium fieri?

Deinde, postquàm eiectus est exercitus Diabolorum ex oleis, introducitur, ac tanquàm in sua possessione collocatur Spiritus sanctus, unà cum uniuersa sua maiestate, ut ibi certam firmamque sedem, (sed uno tantùm anno. Nam elapso anno, uetera concremantur, & noua consecrantur) habeat, & inde cœlestia sua dona, in ōmnes eos, qui his oleis uncti fuerint, conferat.

Ad oleum infirmorum dicitur, ut possit effici unctiō Spiritualis ad corroborandum templum Dei uiui, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare &c. Et iterum: Emitte quæsumus Domine Spiritum sanctum Paraclitum de cœlis, in hanc pinguedinem oliuæ, quam de uirídi ligno producere dignatus es, ad refectionem MENTIS & corporis, ut tua sancta bene ✠ dictione, sit omni, hoc unguento cœlestis medicinæ peruncto, TVTAMEN MENTIS, & Corporis, ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis. Cæterùm, ut melius intelligamus, quantum ualeat consecratio huius olei, & Spiritus sanctus in eo, usum est hic exlibro, quem uocant, Obsequiale aut Benedictionale, adscribere, quod sacrificulus hoc oleo infirmum ungens, profitetur. Intingat, (inquit Obsequiale) sacerdos pollicē in oleo, & dicat: (ad infirmū) In nōmine Patris & filij & Spiritus sancti, Vngo te oleo sacrato, ut per hanc unctionem acci-

pias plenam remissionem peccatorum tuorꝝ. Sic unguñt, (lõgum enim esset singula uerba recitare) oculi, aures, nares, os, manus & pedes, ut per istam unctionem expietur, quicquid homo ijs membris unquàm deliquerit, &c.

De balsamo, & Chrismate dicitur, Vt huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sancti ✠ ficationis infundas. Et mox: Sit ad cœleste uexillum, impressione dignissimum, ut quicunq; baptismate sacro renati, isto fuerint liquore peruncti, corporum atque animarum benedictionem plenissimam consequantur. Et iterum: Quatenus hos ex diuersis creaturarum speciebus liquores creatos Sanctæ Trinitatis perfectione bene ✠ dicat, & benedicendo Sancti ✠ ficet, concedatq; ut simul permixti unum fiant, & quicunq; exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quòd omnibus sordibus corporalis materiæ carens, se participem cœlestis regni effici gratuletur. Ac rursus, ad Chrisma. Vt fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum sanctum.

Sed hîc incidit dubium. Priusquàm enim Pontifex exorcizat Chrisma oleumq; catechumenorꝝ, & pulso exercitu Satanarũ collocat in eo Spiritum sanctum, halat tertiò in modum crucis super os ampullæ chrismalis, & olei catechumenorum. Eodem etiam modo halant super os prædictarum ampullarum duodecim sacerdotes. Quid igitur ad hęc dicemus? Quid sibi uult halitus ille Põtificis & Sacerdotum? Certè dici non potest, quòd inhalẽt in Chrisma & in oleum catechumenorum, spiritum sanctũ. Nondum enim eiectus est è chrismate & oleo illo catechumenorum spiritus malignus. Itaq; fieri nõ potest, ut hi duo spiritus unà in ijs oleis commorentur. Et tamen dici non debet, quòd hi homines, qui uidentur esse Christus ipse & Apostoli eius, inhalent in hæc olea spiritum malignum. Quo igitur in hac dubitatione nos uertemus? Alius fortasse quispiam nasutulus diceret, eos spiritum malignum inhalare, idq; hoc argumento, quòd mox ad hanc inhalationem sequatur exorcismus. Dicit enim Pontifex, Exorciso te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ut omnis uirtus aduersarij, omnis exercitus diaboli, omnisq; incursio & omne phantasma Satanæ eradicetur & effugetur à te. Vnde autem, & quando in oleum peruenisset exercitus Satanæ, nisi per inhalationẽ Pontificis & Sacerdotum, quæ iam præcesserat? Sed ego putò ordinem à typographo fortassis inuersum. Inhalatio enim rectius sequeretur exorcismum quàm præcederet, ut postq; pulsus esset exercitus Satanæ, introduceretur spiritus sanctus in Chrisma, non tantum uerbis & crucibus, uerum etiam tam sacrorum hominum inhalationibus. Hanc tamen dubitationem alijs solertioribus soluendam relinquo.

Ad oleum catechumenorum dicitur, Vt diuini Sacramenti purificata (creatura olei) fias in adoptionem carnis & spiritus his, qui ex te ungendi sunt, in Remissionem omnium peccatorum, ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata. Et mox: Emittere digneris tuam bene ✠ dictionem super hoc oleum, & uenturis ad beatæ regenerationis lauacrum tribuas per unctionem huius creaturæ purgationem mentis & corporis &c.

Et hæc omnia, uidelicet exorcismi, & consecratiões, fiunt certis ritibus, certis & conceptis uerbis, certis preculis, certis carminibus, certis characteribus

cteribus & crucibus, certis genuflexionibus, atq; ut iam dictum est, inhalationibus, Ac postremò, certis quoq; Salutationibus & osculationibus. Nam, ut nullum dubium sit, quin Spiritus sanctus collocauerit iam thronum suum in chrismate & oleo catechumenorum, ac in ijs uerè habitet, accedit Pontifex, ac deinde singuli duodecim sacerdotes ad ampullas, & in ipsa profectione ter genua sua in uaria distantia corā ampullis flectunt. Inq; singulis genuflexionibus salutant chrisma & oleum catechumenorum, semper altius dicendo, Aue Sanctum chrisma, uel, Aue Sanctum oleum, quemadmodum suprà recitatum est. Ac post salutationem osculantur quoq; labia ampullarum. Quàm ridiculæ enim, quàm ioculares, imò quàm insanæ, & furiosæ uiderentur hæ geniculationes, salutationes & osculationes, nisi iam in his oleis Spiritus sanctus corporaliter habitaret? Interea autem ne mireris, cur salutationem secundò ac tertiò subinde altius repetant. Fortasis enim Spiritus sanctus, & si in oleis præsto adest, tamen aut dormit, sicut quondam Deus Baal, aut est surdaster.

Habes in quem usum, & ut illi loquuntur, effectum exorcizetur & cõsecretur Chrisma, uidelicet, ut in pauca conferam, ad domicilium Spiritus sancti, ad tutamen corporis & mentis, ad euacuandam omnem ægritudinem tam corporalem, & spiritualem, ad consequendam plenissimã mundanarum & cœlestium rerum benedictionem, denicq; ad remissionem omnium peccatorum, & in adoptionem carnis & spiritus.

Et tamen, ut dicam, quod res est, balsamum, ex quo Chrisma conficitur, non habet hoc, quod ei his exorcismis & consecrationibus tribuitur, nec ex naturali ratione, nec ex diuina ordinatione. Nomen ipsum Balsami, si interpreteris, significat præcipuum seu præstantissimum Oleum. Est enim præ omnibus unguentis suauissimi odoris. Et alioqui oleum natura sua tepefacit & mollit corpus, additq; robur & uigorem, ac munit contra algores. Vnde ueteres dixerunt duos liquores humanis corpori bus gratissimos esse, intus quidem uinum, foris autem oleum. Apud Lucam, infunditur oleum, unà cum uino uulneribus, ut sciamus etiam uulnerum medelam ab oleo peti. Et hoc est naturale ingenium olei, ad corporis tantum conditionem spectans. Si autem de spiritu loquendum est, dicit quidem Aristoteles, αὐτὸ τὸ ἔλαιον ἔχει πνεῦμα πολύ. Ipsum oleum habet multum spiritum, non autem loquitur de Spiritu sancto, sed de corporali illo & aërio spiritu. Ac oleum adumbrat quidem spiritum sanctũ, siue propter odoris suauitatem & fragrantiam, siue ut Augustinus dicit, propter exultationem, & inflammationẽ caritatis. Accedit & hoc, quòd Apostoli usi sint quondam oleo, quo conferebant infirmis corporalem sanitatem mirando modo. Erant enim suo tempore diuinitus hoc dono ornati, ut dæmonia ejicerent, & ægrotos sanarent. Quòd autem oleum fiat domicilium Spiritus sancti, & habeat uirtutem tuendæ mentis, euacuandi omnis doloris spiritualis, conferendæ plenissimæ cœlestium rerum benedictionis, omnium peccatorum remissionis, & carnis ac Spiritus adoptionis, hoc demum nec ex naturali suo ingenio, quo initio creatum est, nec ex singulari aliqua & certa ordinatione Dei habet. Nam quòd nugantur, Christum docuisse conficere Chrisma in Cœna sua, suprà refutatum est.

Quid igitur ad hæc dicemus? Certè, si quid ad eum usum & effectum, qui ei nec ex naturali ratione, nec ex diuina ordinatione competit, certis, & ãte ipso excogitatis ritibus, certo uerborum sono, certis cha-

בַּעַל *Baal significat præcipuum.* שֶׁמֶן *Schemen significat oleum. Hinc fit Baalschemen, quod nos diminus balsamum.*

Mar. 6.

racteribus,exorcizandum & consecrandum susceperis, non est pia consecratio,sed magica Incantatio. Ac fieri quidem potest, ut uerba pia,é Scriptis ipsis literis desumpta recites,sed quia Lex Domini extat, Non assumendum esse nomen Dei inuanum,tanto magis impius, & detestandus est uerborum abusus,quanto uerba ipsa magis sunt pia. Sed recitabimus aliquot exempla uulgarium exorcismorum, & ut uocant, Benedictionum,hoc est,Incantationum, ut per collationē intelligamus quales sint exorcismi & consecrationes chrismatis.

SI CVI SANGVIS NIMIVM E NASO EMANAT, fluxus eius solet ab Incantatoribus hac,ut uocant, benedictione sisti.

✠ In Sanguine Adæ orta est mors.
✠ In Sanguine Christi redempta est mors.
✠ In eodem sanguine Christi, præcipio tibi ✠ ô sanguis, ut fluxum tuum contineas.

CONTRA Febrim.

Recipe tres hostias,qualibus sacrificuli in Missis utuntur, & scribe super unam hæc uerba.

Qualis est Pater,talis est uita.

Super alteram scribe hæc uerba.

Qualis est Filius,talis est Sanctus.

Super tertiam scribe hæc uerba,

Qualis est Spiritus,tale est remedium.

Hæ tres hostiæ sic inscriptæ,dandæ sunt febricitanti,ut eas singulis trium continuorum dierum uesperis deuoret,sed ea conditione, ne post harum deuorationem, eo die quicquam nec cibi nec potus sumat. Mandetur etiam ei,ut singulis uesperis recitet quindecies orationem Dominicam,& quindecies salutationem Angelicam,ad gloriam & laudem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

ALIVD contra febrim.

Ducito hominem,quem susceperis benedictione tua à febri liberandum,feria sexta mane,ante ortum solis,ad locum,quo habeat ortum Solis in prospectu,& iubeto eum expãsis manibus uersus solem stare. Quibus ita dispositis,recitato hæc uerba.

Hodie dies illa est,qua Dominus Deus accessit ad crucẽ, sed sicut crux nunquàm amplius ueniet ad eum,ita nunquàm amplius ueniat ad te tam æstus,quàm frigus. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti. Deinde recitato nouies ternas Orationes Dominicas, & ternas salutationes Angelicas. Hæc,ut sint efficacia,non uno die, sed tribus cõtinuis diebus perficienda sunt.

CONTRA uermes infestantes equum.

Tribus continuis diebus summo mane, ante ortum solis hæc,quæ sequuntur,dicito & facito,super equo.

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij,& Spiritus ✠ sancti. Exorcizo te Vermem,per Deum Pa ✠ trem,& Fi ✠ lium,& Spiritum ✠ sanctũ,ut nec carnem,nec sanguinem,nec ossa huius equi edas aut bibas,& ut fias tanta patientia,quanta fuit Sanctus Iob,ac tanta bonitate,quanta fuit S. Ioannes, cum baptisaret Dñm nostrũ in Iordane, In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Recita deinde ter Orationem Dñicam & salutationem

nem Angelicam, in dextram autem equi, ad gloriam sanctæ Trinitatis.

✠ ✠ ✠ ✠

Dominus, Filius, Spiritus, Maria.

Quæso autem te, amicissime mi Lector, ut commemorationem harum ineptiarum & nugarum æquo animo feras. Quid enim facerem? Ostendenda est & in lucem producenda magica consecratio Chrismatis, quæ à Pontificibus fieri solet, ut cognoscatur, nos haud quaquàm temere Chrisma abiecisse. Quomodo autem magis perspicuè ostēderetur, quàm si cum uulgaribus illis adiurationibus, & benedictionibus, quas non pij tātum, uerumetiam qui saltem iuxta hoc seculum prudentes sunt, agnoscunt esse Magicas incantationes, conferatur. In his enim, quas recitauimus, benedictionibus, (sic enim uulgus loquitur) quid uides, quod non uideatur aut Sanctum, aut per se non prophanum? Quid audis, quod uideatur impium? Characteres, qui formantur, sunt Cruces: Verba quæ recitantur, sunt è Sacris literis accepta. Non inuocatur Dæmon, sed Deus ipse Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et tamen, quia hi characteres, & hæc uerba non habent, nec ex natura sua, nec ex diuina institutione, ut sistant fluxum sanguinis, & sanēt hominem febricitantem, ac equum uermiculatum, idcirco boni quiq; facilè intelligunt, quòd non sint piæ consecrationes, sed impiæ & magicæ incantationes, nisi fortè Pontifices sentiant, non, quod sibi, idem etiam Agricolis & mulierculis licere. Alexāder Macedo, cùm Pirata captus ad ipsum deductus esset, rogauit, qua ille re fretus auderet maria infestare? Respondit Pirata intrepide: Ego, inquiens, quoniam id unico nauigio facio, uocor Pirata, tu cùm idem facias magna classe, Rex appellaris. Idem certè mulierculæ, & agricolæ Pontificibus respondere possent. Nos, cùm uel Febrim, uel uaccæ aut equi læsionem, optimis etiam uerbis & preculis exorcizamus, uocamur Incantatrices & Incantatores. Vos autem cum idem in exòrcizando chrismate, aqua, Sale, & multis id genus rebus publico & maximo apparatu faciatis, uocamini beatissimi Patres, & sanctissimi Pontifices. Negari quidem non potest, quin licuerit Alexādro Magnò, ut legitimo magistratui, ea bella, quæ Leges, & necessitas tuendæ publicæ honestatis & tranquillitatis exigebant, gerere. Sic & Ministris Ecclesiæ liceat uerbis Domini, aqua baptisare, & panem ac uinum Cœnæ Dominicę, in corpus & sanguinem Christi sanctificare. Hoc enim exigit institutio & ordinatio Christi. Sed quēadmodum bella, quæ Alexander Macedo, præter legitimam necessitatem gessit, à latrocinio nihil differunt, & sunt coram Deo tanto detestabiliora, quanto speciosiori Regiæ Maiestatis prætextu geruntur: ita Exorcismi, & Consecrationes, quas Pontifices, in sanctificando chrismate, præter Verbum & uocationem Dei faciunt, tanto sunt abominabiliores coram Deo Incantationes, quanto maiori sanctitatis specie fiunt. Ac profecto aniculæ incantatrices uidentur aliquoties magicis suis benedictionibus minus peccare quàm Pontifices. Illę enim promittunt tantum benedictionibus suis bona corporalia: hi autem corporalia & spiritualia, mundana & cœlestia.

At enim, inquiunt, Paulus dicit, Siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et iterum: Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite. Nos uero consecramus Chrisma, non in gloriā hominum, sed in gloriam Dei. Et quod facimus, non facimus in nomine Diaboli, sed in nomine Domini Iesu. An non

audís, nos & consecrare in nomine Dei Patris & Filij, & Spiritus sancti, & preces nostras concludere per Christum Dominum nostrum? Verba quidem audio, sed qui quondam interficiebant Apostolos, iactabant ipsi quoq; uerbis, se hoc facto præstare cultum Deo. Et qui noctu, ad constuprandam uxorem proximi sui per parietem domus ascendebat, & metuebat casum, uidebatur sibi Deum insigni fiducia inuocare, cùm diceret illud Psalmi: In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Hæc scilicet est aptissima uerborum sacræ scripturæ, ad talia instituta accommodatio. In præsentiâ igitur non est iudicandum secundum sonum uerborum, sed secundum ueritatem facti. Ea.n. in gloriâ Dei, & in nomine Iesu fieri possunt, & debent, quæ sunt licita, honesta, uerbo Domini mandata, aut saltem non improbata. Quæ autē sunt illicita, inhonesta, & uerbo Domini improbata (quod genus est, transferre oleum magicis exorcismis, ex naturali suo usu, in usum supernaturalem) tantū abest, ut possint fieri in gloriam Dei, & in nomine Iesu, ut tanto fiant coram Deo magis detestanda, quanto maiori studio nomen Dei ijs prætexi solet.

Augustinus alicubi scribit: Quæ non sunt, inquiens, cōtra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunq; institui uidemus, uel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentū sit. Hactenus Augustinus. Expendamus igitur, quæ sint uerè contra fidem & bonos mores, ut sciamus, quæ sint refutanda, quæ laudanda. Non enim hoc tantum contra fidē est, si quis procumbat ante statuam Iouis, & adoret eam pro Deo suo, Sed contra fidem est, quicquid non fit ex fide. Omne enim quod non est ex fide, inquit Paulus, peccatum est. Atqui, peccatū est cōtra fidem. Quod autem non est per uerbum Dei, non potest esse ex fide. Fides enim ex auditu est (inquit idem Paulus) auditus uero per uerbum Dei. Porrò, Sotus ipse fatetur in Confusione sua, quam de Consecratione aquæ, Salis, herbarum & aliarū rerum scripsit, quòd uirtus Passionis Christi applicetur nobis non tantum per baptismum, & alia Sacramenta. Et addit, Aqua uerò benedicta (inquiens) uel ingressu Ecclesiæ, aut alijs huiusmodi, non certa fide tenemus, hoc fieri, ut sint quasi Sacramenta certo uerbo Dei instituta. Habes uerba Soti, quibus palàm confitetur, quòd quæ docent ac faciunt de Consecratione aquæ benedictæ, & aliarum id genus rerum, non teneant certa fide, nec tanquàm Sacramenta certo uerbo Dei instituta. Cùm igitur omne quod non est ex fide, sit peccatum, & ἄσωτοι non habeant, sicut nec in consecratione aquæ benedictæ, ita nec in consecratione chrismatis, certum uerbum Dei, & certam fidem, quid aliud reliquū est, quàm quòd tales consecrationes sint Peccatum, ideoq; contra fidem, ac uanissima sit gloriatio, si iactaueris te facere eas pietate quadam & fiducia diuinæ bonitatis?

Vide infrà, in cap. De cōsecratione aquæ, salis, &c.

Quid autem de bonis moribus dicam? Non hoc tantum contra bonos mores est, si quis furetur res alienas, aut rapiat uxorem alienam, sed etiam, si quid fecerit, quod cum uerbo Dei pugnet, ac sit coram Deo abominabile, etiamsi uideatur coram hominibus speciosissimum, & religiosissimum.

Holocausta arietum, & multitudo uictimarum, de quibus scribit Esaias capite primo, non uidebantur nec cōtra fidem, nec contra bonos mores. Et tamen dixit Dominus per Esaiam: Quo mihi multitudo uictimarum

marũ uestratum & plenus sum. Holocausta arietum, adipem pinguium, sanguinem uitulorum, agnorum & hircorum nolui.

Sacrificia, quæ Saul ex præda Amalecitarum obtulit Domino, uidebantur esse summus cultus Dei; tantum abest, ut iudicarentur esse contra fidem & bonos mores. Nihilominus tamen Samuel ait: Numquid vult Dominus holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci Domini?

Quid religiosius, & fidei ac bonis moribus conuenientius uidetur Oratione ad Deum? Et tamen Psalmus de impio dicit: Oratio eius fiat in peccatum.

Sed accedo ad rem per se liberam. Lauare manus, priusquàm cibum sumas, tantum abest, ut appareat contra fidem & bonos mores, ut uideatur palàm de puritate fidei admonere, & bonis moribus singulariter conuenire. Sed Christus apertè uocat Pharisaicam illam lauationem, nõ tantum humanam traditionem, uerumetiam uanum cultum Dei, & plantationem eradicandam, hoc est, opus contra fidem & bonos mores, quemadmodum suprà quoq; exposuimus. Quid igitur sentiendum putas de his exorcismis & execrationibus, quibus Pontifices, nec certa fide, nec certo uerbo Dei suscipiunt Chrisma ex naturali suo usu, ad usum supernaturalem, ac penè præstantiorem, quàm sit usus Baptismi, & Cœnæ Dominicæ, transferendum, & mutandum? Venit olim Lupus (libet enim hic, quod bona pace Lectoris fiat, fabulam recitare) ad Romanã curiam. (Magna enim est cognatio huius curiæ cũ lupo, & ferè fieri solet, ut simile ducat ad simile) peccata sua, quæ iã inde ab infantia, multa & grauia designauerat, confessurus. Itaq; enumerat Sacerdoti, secundum omnes circumstantias, filias, neptes, & proneptes, quot oues rapuerit, quot capras dilaniárit, quot uaccas miseris agricolis abreptas deuorauerit, ac ne hominibus quidem discerpendis & deuorandis pepercerit.

Quid multa? Fatetur se peccatorem longè omnium maximum, & petit à peccatis ita absolui, ut tamen erudiatur, quibus operibus pro tantis peccatis satisfacere queat. Sacerdos igitur, nescio quæ ei præterea præscribit, certè hoc ei mãdat, ne deinceps, uno prandio, plus carnis, quàm quod tribus obolis æstimetur, deuoret. Paulò pòst uenit Lupus in syluam esuriens, ac uidet ibi aprum cum succula in cœno uolutari. Quid faceret? Omninò seruandum erat mandatum Sacerdotis. Et tamen fames aliò uocabat, quo & ingenium eius propendebat, nec præsto aderat alius quispiam æstimator. Suscipit ergo ipse iudicium, &, Per meam, inquit, fidem, ac per iuramentum, quo reipublicæ obnoxius sum, non possum maiorem porcum pluris æstimare, quàm uno numo, hoc est, duobus obolis, minorem autem pluris, quàm uno obolo. Itaque deuorat utrumq; porcum, pro tribus scilicet obolis cibum. Hic nunc conferre liceret lupum æstimatorem, cum Pontifice consecratore, sed nondum finis est fabulæ. Anno enim elapso, & redeunte quadragesima, redit & Lupus ad eundem Sacerdotem, & postquàm iterum enumerasset sua peccata, pro more, interrogatur à Sacerdote de satisfactione, quæ nuper ipsi præscripta erat. Lupus simpliciter narrat, quod de duobus porcis factum fuit. Intelligit Sacerdos fraudem, & mandat Lupo, ne deinceps ulla unquàm carne uescatur, ac permittit ei esum piscium. Accepta igitur absolutione, Lupus ad sua reuertitur. Cùm autem non esset copia piscium in sylua, & uesci terra parùm iucundum uidebatur: Dicuntur enim Lupi in fa-

me,terra ueſci,uidet fortè in lacu decumbentem porcum, ad quem accedens: Aue(inquit)dilecte Salmo.Porcus,elato parumper,quaſi egrotans, capite (Intelligebat enim ſuum periculum) reſpondet: Mi lupule,inquiens, non ſum Salmo, ſed miſer porcellus. Quid? inquit Lupus: Putas ne me ignorare diſcrimen inter Porcum & Salmonem? Et porcum pro Salmone deuorat. Miraris fortaſſe, optime mi Lector, quid mihi, inepta huius fabulæ recitatione uelim, Sed profectò, ſi ſalutationem lupi ad porcum, cõtuleris cum ſalutatione Pontificis & duodecim Sacerdotum ad Chriſma, deprehendes lupum multò minus peccare, quàm Pontificẽ & Sacerdotes.Lupus enim non eſt tam inſanus,ut ſentiat porcum mutatum in ſalmonem,& ſe ſalutatione ſua non errare. Pontifex autem ſerió exiſtimat ſe ſuis cærimonijs, exorciſmis, crucibus & inhalationibus mutare & transferre oleum illud terreſtre,in tam cœleſtem uſum,ut fiat habitaculum ſpiritus ſancti,& quiſquis eo oleo unctus fuerit, conſequatur remiſsionem omnium peccatorum, & adoptionem filiorum Dei; ideoq; putat ſalutationem ſuam ad chriſma,cùm inquit: Aue ſanctum chriſma, non ficticiam, ut lupus,ſed ueram,rectam & piam eſſe. Hoc certè maius eſt miraculum, quàm ſi quis porcum mutaret in ſalmonem.

Sed age,ſi faſtidis fabulam,audi rem geſtam.In Pontificijs tenebris piaculum eſt, carnibus feria ſexta, quam diem Veneris uocant, ueſci. Conuenerunt igitur aliquot amiculi in conuiuium, quibus inter alia fercula, proponebatur etiam aſſatus capo edendus. Cùm autem nonnulli eſſent in eo conuiuio, qui ex ueteri ſuperſtitione uidebantur eo die ab eſu carnis abhorrere, ibi tum facetior quiſpiam inter conuiuas, eluſurus uanitatem illorum, admonito proximo, ut ſcutellam cum capone paulò altius attollat, ſumit poculum uino plenum, & effundens uinum ſuper caponem,intenta uoce exclamat: Salmo (inquiens) eſt nomen eius. Itaque repoſito capone in ſuum locum, iubet conuictores bono animo eſſe, & iam Capone,pro Salmone intrepidè ueſci.

Sed libet potius Epiſcopi cuiuſdam factum narrare. Venit Epiſcopus quiſpiam,(Hiſpanum fuiſſe dicunt)in publicum diuerſorium,feria ſexta. Et cùm non admodum delectaretur eſu piſcium, uidit ibi fortè perdices è filo pendere,ac iubet eas in cibum parari. Vxor hoſpitis,nondum uanitatem humanarum traditionum intelligẽs,obſtupeſcit, & admonet uirum eccleſiaſticum de ſexta feria, in qua non ſit licitum ueſci carnibus. Ibi tum Epiſcopus ad mulierem: Quid,inquit, An neſcis me eſſe ſacerdotem,& poſſe mutare panem in corpus Chriſti? quanto magis poſſum perdices mutare in piſces. Facto igitur ſigno crucis ſuper perdices: In nomine,inquit,Patris,& Filij, & Spiritus ſancti, hæ perdices fiant piſces. Itaque hoſpita perdices pro piſcibus aſſauit, & Epiſcopus perdices pro piſcibus deuorauit. Hæc narratio ueriſimilis eſt,& habet teſtem, publicum ſcriptorem.Ridentur nugæ ioculares. Sed quanto tolerabilius illi,quàm Pontifices Chriſmatis exorcizatores.Illi.n.non ignorabant,quòd Capo nõ mutaretur baptiſmo ſuo in Salmonem,& quòd perdices non mutarentur in piſces,ſed captabant tantum riſum,& illudebant alienæ ſuperſtitioni.Pontifices autem uidentur ſibi rem ſeriam agere, & exiſtimant ſe ſuis uerbis, characteribus, inhalationibus, oleum corporale uerè mutare in domicilium Spiritus ſancti, & in medicinam aduerſus omne genus morbi tam corporalis quàm ſpiritualis. Et quod eſt admirabilius, ſentiunt Chriſma ritibus ſuis in tantam efficaciam tranſmutari, ut per unctionem eius non ſolum

ſolum homines conſequantur remiſsionem omnium peccatorum, & ad optionem carnis & ſpiritus, uerumetiam campanæ fugent ſonitu ſuo dæmones, fulmina & grandines. Cùm enim ſuſcipiunt campanam benedicendam, Primùm omnium lauant eam aqua benedicta, exorcizato ſale condita. Mox extergunt & recitant quoſdam Pſalmos, ut exiſtimes eos rem uerè diuinam agere. Deinde faciunt cum pollice dextræ manus ab extra, ut ipſi loquuntur, ſuprà capanam de oleo ſancto infirmorũ, ſignum crucis, & dicunt. Recitabo enim orationem ipſam.

Oremus.

Deus, qui per ſanctum Moyſen legiferum famulum tuum, tubas argenteas fieri præcepiſti, quas dum Leuitæ tempore ſacrificij clangerent, ſonitu dulcedinis populus monitus ad te ad orandum fieret præparatus, & ad celebranda ſacrificia conueniret, quarumq; clangore etiam hortatus ad bellum, tela proſterneret aduerſantium, præſta quæſumus, ut hoc uaſculum ſanctũ tuæ Eccleſiæ præparatum, à tuo ſancto Spiritu, per noſtræ humilitatis ſeruitium ſancti ✠ ficetur, ut per illius tactum & ſonitum fideles inuitentur ad ſanctam matrem Eccleſiam, & ad PRAEMIVM ſupernum. Et cùm melodia illius, auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis deuotio Fidei, & amor ſpiritualis, procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua, uentorum flamina fiant ſalubriter ac moderatè ſuſpenſa, proſternat aëreas tempeſtates dextera tuæ uirtutis, ut hoc audientes tintinabulum tremiſcant & fugiant ante crucis in eo depictum uexillũ, cui flectitur omne genu cœleſtium terreſtrium & inferorum, quod ipſe Deus noſter Ieſus Chriſtus præſtare dignetur, &c. Ex Pontificali.

Poſt recitationem harũ precum, extergunt crucem antea factam mundo linteo. Et poſtquàm quoddam carmen cecinerint, faciunt cum pollice dextræ manus (Recito enim uerba libri Põtificalis, ne fortè ſi à præſcriptis uerbis aberrarem, conſecratio non fieret efficax) de oleo ſancto infirmorum ſeptem cruces exterius ſuper campanam, & deintus cum chriſmate, quatuor, pari diſtantia, dicentes, dum quamlibet crucem faciunt: Conſe✠cretur & ſanctificetur Domine ſignum iſtud, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, in honorem ſancti (Talis) Pax tibi. Poſtremò addunt alias quaſdam orationes, non diſsimiles priori, quas, quia defeſſus ſum cõmemoratione tot horribilium incantationum, nõ libet de uerbo ad uerbum huc adſcribere: & concludunt tandem uniuerſam actionem, Lectione Euangelij de Martha & ſorore eius Maria, quod quàm aptè cum hac actione conueniat, etiam cæci uidere poſſent.

Sed an non, (inquiunt) Paulus dicit: Creaturam ſanctificari per Verbum Dei, & orationem? Cùm igitur recitamus uerbum Dei, & orationes ſuper Chriſma & Campanas, cur non ſanctificarentur? Veram ſententiam huius Apoſtolici dicti Confeſsio Principis in capite de Conſecratione aquæ, ſalis &c. paucis exponit, nec potuit eam Sotus refutare, ut ſuis locis, propicio Deo, indicabimus.

Tum enim ſanctificatur creatura per Verbum Dei, & orationem, non cùm inſtituitur certis exorciſmis, certis characteribus, certis halationibus, certis preculis & carminibus, in illegitimum & alienum tam à natura ſua, quàm à diuina ordinatione, uſum, conſecranda & tranſmutanda, ſed cùm relinquitur in eo uſu, ad quem eſt uel generali creatione, uel ſingulari Dei conſilio ordinata.

Quare cum Chrisma, nec habeat ex naturali quadam ratione, nec ex diuina institutione, quòd sit medicina aduersus omnia genera tam corporalium quàm spiritualium morborum, & conferat remissionẽ omnium peccatorum, atq; adoptionem carnis & spiritus, quemadmodum suprà firmis argumẽtis demonstrauimus, Et tamen Põtifices suscipiunt ipsum ad has res conficiendas, certis ritibus, cærimonijs, characteribus, uerbis, inhalationibus, adorationibus & salutationibus exorcizandum & conflandum, euidentissimum & maximè perspicuum est, quòd Pontifices suo Chrismate non solum faciant uanum & superstitiosum cultum, uerumetiam designent manifestam impietatẽ, & quod est horrendum, Magicam incantationem.

Habes causam, cur nec libeat, nec liceat nobis Pontificali Chrismate uti. Nam quod ad ueteres Patres, quos illi recensent Chrismatis autores, attinet, siquidem chrismate, iuxta Apostolicam doctrinam, liberè, & absq; superstitione atq; incantatione usi sunt, non iudicabunt nos reos schismatis, ac defectionis ab Ecclesia filij Dei, etiamsi usum eius intermittamus. Quod enim Apostolus de discrimine ciborum & dierum affirmat: Qui uescitur, non uescentem, ne despiciat, Et qui non curat diem, Domino non curat, hoc idem seu in usu, seu in intermissione chrismatis de nobis sentient, ut qui eo utitur, non utentem ne despiciat, Qui non utitur, utentem ne iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui de alieno famulo iudicas? Si autem usi fuerunt Chrismate, tanta seueritate, & incantatione turpificato, quantam nobis Sotus & Pontifices eius obtrudunt, suo id periculo fecerint. Nos certè uerbo Domini edocti, contestamur omnem hominem, quòd qui patefacta Euangelij ueritate, sic utitur Chrismate, à gratia excidat, & fiat ei Christus ociosus. Speramus quidem, multos inter Pontifices fuisse bonos ac pios uiros, qui maiorum suorum iudicio contenti, simpliciter, aut potius oscitanter secuti sunt morem, quem à præcessoribus acceperunt, nec dubitamus, quin uera Ecclesia, cùm Dominus hactenus tempora huius ignorantiæ dissimulauerit, sit inter has Magicas incantationes diuinitùs conseruata. Nunc autem, postquàm Deus, reuelato iterum uerbo suo, adnunciat hominibus, ut omnes ubique resipiscant, id demùm insolentissimæ est insaniæ, non si quis ardenti studio uocationem uerbi Dei sequatur, & uera Sacramenta Christi ab humanarum traditionum sordibus expurget, Sed si usitatam Magiam mordicus retineat, & pertinaciter, ac omni crudelitatis genere tueatur.

De Confirmatione.

IN hoc capite, non habet Sotus, è sacra Scriptura, & certo uerbo Dei, quo Confirmationis suæ Sacramentũ confirmet, sed necesse habet ad sacram suam anchoram, hoc est, ad Traditiones cõfugere. Liceret igitur nobis omnes φλυαρίας eius, quas hic tam in Scorijs, quàm in Confusione sua de Pontificali illa Cõfirmatione balbutit, ad ea, quæ in προλεγομένοις de Traditionibus diximus, reijcere, sed quia facit huius commenti Apostolos autores, & metuit, ne nouis Virtenbergensibus, ut ipse loquitur, doctoribus, idem accidat, quod Nouato, ut cùm reijciant Pontificale Chrisma, non sint etiam participes Spiritus sancti, agedum, non grauabor hunc locum paulò copiosius percurrere,

currere, ut pij cognoscant, quanta contumelia Pontifices, & fraterculi eorum, in tuenda sua Confirmatione, Baptismum Domini nostri Iesu Christi afficiant. Simul & illud ostendatur, quòd Pontifices in propugnando suo Chrismate, & Confirmatione, cuius administrationem solis sibi reseruant, habeant potius rationem conseruandæ suæ dignitatis, quàm procurandæ ueræ salutis Ecclesiæ Christi.

Vocamus igitur hoc loco Confirmationem, eam Cærimoniam, qua Pontifex, intincta summitate pollicis dextræ manus Chrismate, signat Confirmandum cruce in fronte, & dicit: Signo te signo Cru✠cis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut repleari s eodem Spiritu sancto, & habeas æternam uitam. Ac deinde dat ei leuiter alapam super genam, dicens: PAX TECVM.

Hanc confirmationem ita definire solent: Libet enim definitionem eius integram recitare, ut ex collatione cognoscatur quantum sit discrimen inter donationem Spiritus sancti, quæ per Apostolos facta est, & inter Confirmationem illam Pontificalem.

Confirmatio, inquiunt, est unctio hominis uiatoris baptisati, aliqualiter consentientis, uel ante susceptionem rationis usum non habentis, facta in fronte, in figura crucis, cum chrismate sanctificato, à ministro idoneo, simul cum debita intentione, certa uerba proferente, ex institutione diuina, significans unctionem animæ, per gratiam roborantem, ad confitendum fiducialiter Christi fidem.

Habes definitionem Confirmationis integram, sicut à suis autoribus recensetur, quam etiam hoc nomine ad uerbum commemorare uolui, ut cùm iterum sicut antè in consecrando chrismate, uideas in Confirmatione exigi certos characteres, certa uerba, & certam partem, in corpore hominis ungendi, admoneari s de cõgruentia cum magica incantatione.

Quod cùm ita se habet, uideamus, num hæc Pontificalis confirmatio sit diuinitùs, sicut definitio gloriatur, instituta.

Sciamus igitur, quòd sint inter ipsos etiam Pontificios scriptores nonnulli, qui apertè testificentur, hanc Confirmationem, nec à Christo, nec ab Apostolis, sed in Concilio Meldensi institutam. Nec Sotus ab his dissentire uidetur, quòd manifestè dicat, Apostolos, nec in aduentu Spiritus sancti, in die Pentecostes, nec deinceps, in principio Ecclesiæ Chrismate usos esse. Hoc uestrum Sote testimonium, quod in re aliena leue esset, in uestra, quoniam contra uos est, grauissimum esse debet. Nam & illi uestri causam addunt. Sacramentum illud (inquiunt) non est institutum, nec à Christo, nec ab Apostolis: tum quia non legitur in scriptura, quando & ubi: tum quia neq; Christus neq; Apostoli usi sunt hac materia neque hac forma, sed sola manuum impositione, &c.

Vide Gabrielem Biel in lib. 4. Sententi. d. 7. de Confirmatione.

Sed Aquinas refutat hanc sententiam, & affirmat, quòd instituere nouum Sacramentum pertineat ad potestatem, (ut ipse loquitur,) excellentiæ, quæ cõpetit soli Christo. Cùm igitur in hac sit persuasione, quòd Confirmatio sit Sacramentũ, eo confugit, quòd asseueret, Christum ipsum instituisse hoc Sacramentum. Sed cùm nõ inueniat, quo loco Christus hoc instituerit, fingit Christũ id instituisse non exhibendo, sed promittendo. Mauult enim quiduis somniare, quàm cùm non habeat de hac institutione certum testimonium scripturæ, ueritati locum dare, & ingenuè uel fateri, Christum non instituisse hoc (ut ipsi uocant) sacramentum, uel negare esse uerum Sacramentum.

Sed expendamus refutationem eius. Dicit: Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioan. 16. Si non abiero, Paracletus non ueniet ad uos. Si autē abiero, mittam eum ad uos. Quid tu Thoma? Existimas ne Christum his uerbis promisisse Pontificalē illam Confirmationem, & non potius admiranda dona Spiritus sancti, quæ Apostolis in die Pentecostes, non unctione chrismatis, sed specie linguarum ignearum collata sunt? Negari certè nō potest, quin Christus, ubi promittit se Apostolis missurum Spiritum sanctum, intelligat de ijs Spiritus sancti donis, quæ uidemus eis mirādo modo in die Pentecostes data. Docebit (inquit) uos omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Et: Ille testimonium perhibebit de me. Et: Arguet mundum de peccato, iusticia & iudicio. Et: Ducet uos in omnem ueritatem. Annunciabit uobis, quæ futura sunt. Et: Me glorificabit. Hæc autem omnia cœperunt impleri in die Pentecostes. Ac manifestum est, quòd quæ Christus de Paracleto ante Passionem suam Apostolis promisit, intelligat de ea Spiritus missione & donatione, quam Lucas in Actis Apostolicis cap. 2. descripsit. Conferamus igitur inter se admirandam donationem Spiritus sancti in die Pentecostes, & Pontificalem Confirmationem, ut clarè cognoscamus, quòd Christus hanc nec promittendo, nec exhibendo tradiderit.

Christus enim contulit in die Pentecostes in Apostolos suos admirandum donum linguarum, & edendorum miraculorum, ut alijs linguis loquerentur, & claudos alioscq; ægrotos sanarent, ac etiam mortuos suscitarent. Pontificalis autem cōfirmatio ne unius quidem uernaculæ linguæ balbuciem expedit, tantum abest, ut cognitionem diuersarum linguarū, & donum aliorum miraculorum in confirmandos suos conferat.

Christus contulit Apostolis suis donum Spiritus sancti, nulla adhibita unctione chrismatis, sed linguis igneis. Visæ, inquit, sunt illis dissectæ linguæ, ueluti igneæ. Pontifices autem conferunt suam confirmationem externo Chrismate, eoq; consecrato. Si enim uterentur Chrismate non sanctificato, aut uterentur pro Chrismate, oleo infirmorum, non esset, ut ipsi loquuntur, Sacramentum.

Christus contulit in Apostolos donum Spiritus sancti, absq; externa figura crucis ad frontem signata. Nisi autem in Pontificali Confirmatione frons signetur figura crucis, non habetur pro uero Sacramento.

Christus in collatione admirabilium donorum spiritus sancti, non est usus certa uerborum prolatione. In confirmatione autem Pontificali, nisi certis uerbis utaris, non est Sacramentum.

Cùm igitur Christus in promissione donationis spiritus sancti, intellexerit eam donationem, quæ exhibita est Apostolis in die Pentecostes, & tantum sit discrimen inter hanc donationem, & Pontificalem Confirmationem, quantum nunc recensuimus, nugatur Aquinas, quòd Christus promittendo Paracletum, instituerit sacramentum Confirmationis.

Sotus autē dissimulans, quod alij affirmant, Christū instituisse Confirmationē Pontificalem, cōfert se ad Apostolos, & dicit, quòd Apostoli docuerint baptisatos insigniendos esse chrismate ab Episcopis, sub certa uerborum forma. Quòd si huius rei testimonium requisieris, Sotus apertè & ingenuè (ut uideatur uelle tandem boni uiri officium facere) confitetur, hanc Apostolorum doctrinam, non contineri scripto, sed traditam esse uerbo. Et recitat testimonia eorum, qui, quod affirmat ipse, confirment.

Primùm

Primùm igitur, accipio hanc Soti confessionem, uidelicet, quòd institutio Pontificalis Confirmationis non contineatur scripto. Et quidem per Scriptum, intelligo scripturam Propheticam & Apostolicam, quam uocamus Canonicos libros Veteris & Noui Testamenti. Demõstratum est autem in προλεγομένοις, quòd in hac scriptura cõtineantur omnia, quæ nobis ad salutẽ necessaria sunt. Et quæ in ea non continentur, eadem facilitate cõtemnantur, qua dicuntur. Reliquum igitur est, quòd cùm Pontificalis Confirmatio non contineatur scriptura Prophetica & Apostolica, non sit ad ueram & æternam salutem necessaria. Nec hoc dissimulant scriptores Scholastici, qui affirmant, hoc Sacramentũ non esse ad salutem necessarium simpliciter (Sic enim loquuntur) non autem debere contemni, hoc uidelicet significantes, licere usum eius intermittere, modò non contemnamus, aut damnemus eum. Cùm autem Spiritus sanctus seueriter exigat usum eorum, quæ ipse instituit & ordinat, testificantur illi suis ipsorum uerbis, quòd Confirmatio Pontificalis non sit à spiritu sancto diuinitùs instituta & ordinata.

Deinde Sotus commemorat testimonia Clementis, Vrbani, Fabiani, Eusebij, & Melchiadis. Et quis non uideat (inquit) quinq; horum Pontificum, & Martyrum, qui omnes ante Concilium Nicænum fuerunt, quo tempore nihil habent de quo Ecclesiam Romanam criminentur, testimonia meritò ab omnibus suscipienda? Respondeo. Non iam hoc agitur, qualis fuerit Ecclesia Romana ante Nicænum Concilium, & quàm pij fuerint hi Pontifices. Potest enim fieri, ut sint aliqui ritus in Ecclesia uetè pia, quos hæc non approbet, sed toleret. Potest etiam fieri, ut & suis erroribus pij quoq; sint inuoluti. Sed quo Romana Ecclesia sanctior fuit ante Nicænum Concilium, & quo magis pios habuit Episcopos, eo minus uerisimile est, quòd agnouerit & approbauerit omnia ea, quæ Epistolæ & decreta, quæ nominibus illorum quinque Pontificum circumferuntur, continent. Non hoc quæritur Asote, num hi Pontifices fuerint ante Concilium Nicænum, sed illud, num quæ scripta nominibus eorum tribuuntur, sint γνήσια, & non suppositicia? Et ut maximè probetur, quòd sint γνήσια, num statim sunt etiam uera, & sacræ scripturæ consentanea? Nã cùm posteriores Pontifices Romani, designauerint crimen falsi, in Decretis Concilij Nicæni, quemadmodum antea ostendimus, & exempla testentur, ψευδεπιγραφίας non esse inusitatas, non possum animo meo imperare, quin cogitem, impostores falsò inscripsisse has Epistolas prioribus Pontificibus, ut speciosò maiorũ titulo suas superstitiones uenditarent. Quòd si autẽ ego cogitatione mea fallor, quid tum postea? Num iuratus sum in uerba Clementis, aut aliorum Pontificum? Et postquàm Lux Euangelij in uera Ecclesia, diuino fauore, patefacta est, donatus sum libertate, ut nõ sim amplius seruus hominum, nec iam humanam, aut Pontificiam, sed diuinam & uerè Apostolicam autoritatem agnoscam. Hæc, aut similia respondere possem, si certò probaretur, Clemẽtem, & alios, qui sequuntur, Pontifices, uerè esse autores earũ Epistolarum, quæ nominibus ipsorum inscribuntur. Nunc autem, non utar in præsentia hoc asylo, sed quia spero Clementem, & collegas eius, quos paulò antè recensuimus, fuisse optimos uiros, malo in hanc partem inclinare, ut sentiam, eos haud quaquàm esse illorum scriptorum autores, quàm ut existimem, eos tam pugnantia cum sacris literis scripsisse. De qua re, & si suprà nõnihil dictum est, tamen nunc quædam pluribus sunt explicanda.

Primùm, Non est obscurum, quòd Vnctio, quæ fit Chrismate, in Pontificali Confirmatione, sumpta sit ex Leuiticis ritibus, qui fuerunt in Politeia Mosaica instituti. Nec hoc dissimulant, tam Scholastici Scriptores, quàm Pontifices, Chrismatis consecratores, quemadmodum ea, quæ super hâc ex Pontificali relata sunt, testificantur. Negari autem non potest, quin Leuitici ritus sint per Christum abrogati, & Mosaicæ umbræ sint per Lucem Euãgelij abolitæ. Etsi enim Apostoli usi sunt impositione manuum, quæ & ipsa est è ritibus Leuiticis, tamen non sunt ea usi seruiliter, sed liberè: nec obtruserunt eam Ecclesiæ necessariò utendam. Cùm igitur Epistola quarta Clementis, exigat unctionem Chrismatis post Baptismum, tanta seueritate, ut censeat eum, qui hanc, cùm possit, non suscipiat, nequaquàm esse perfectum Christianum, non potest esse uerisimile, quòd is Clemens, qui fuit discipulus Apostoli Petri, & qui à Petro didicit, Iugum legis non esse gentibus imponendum, sit epistolæ huius autor.

Deinde expendamus aliquot sententias Epistolarum, quæ huic Clementi inscribuntur, ut ex ijs impostoram ψευδεπιγραφίας cognoscamus.

In prima epistola, (ut præteream quòd dicit Petrum definitum esse fundamentum Ecclesiæ, id quod nunc excutere non libet) affirmat Petrum ad fratres & conseruos dixisse: Dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum uobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado. Et mox, cum Clemens excusaret, Petrus respondens: Pro hoc, inquit, ne me rogaueris. Hoc enim fieri statutum est mihi &c. Quid ergo est, quòd Romana Ecclesia non est obsecuta statuto & mandato Petri, & statim à morte Petri Clementem Pontificem agnouit? Quid est, quòd Clemẽs, quartus demùm post Petrum Pontifex numeratur? Nam Linus & Cletus præcessisse eum dicuntur. Sed hæc profectò bella est mendacij excusatio, quòd affirment Clementem tanta fuisse modestia, ut coëgerit Linum & Cletum munus Pontificatus ante se suscipere. Quid? Errauit ne Petrus iudicio suo, in designando Pontifice Clemente? An electio Petri non fuit Iudicium Spiritus sancti? Cùm ergo Clemens in suum locum intruserit Linum & Cletum, certè Spiritui sancto restiterit, necesse est.

Mox recitat Clemens ipse, quas laudes Petrus ipsi tribuerit. Quem præ cæteris, inquiens, expertus sum Deum colentem, homines diligentẽ, castũ, discẽdi studijs deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, &c. Et iterũ: Quòd si esset alius melior, si quis mihi alius adiutor tam sedulus astitisset, si quis tam plenæ doctrinæ meæ rationẽ cepisset, sed & Ecclesiasticas dispositiones à me tam plenè didicisset, habens alium talem, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem &c. Quæso te, optime mi Lector, arbitraris ne hominem, nõ iam dicam Apostolico spiritu ornatum, sed honesta saltem, & sana mente præditum, tam proiectæ impudentiæ esse, nisi fortè ἐιρωνευόντα, ut audeat publicè tantas laudes, quamuis ab alio auditas, de se ipse iactare? Ego uerò existimo huic impostori, etiam sensum communem defuisse, ac in uniuersam posteritatem cõtumelioſum esse. Tanto enim est furore, ut existimet nullos deinceps futuros homines, qui impostoras eius deprehendere queant.

Prætereo multa. Sed illud, quàm minimè Apostolicum. Cùm enim scribit de æternæ filij Dei natiuitate à Deo Patre, Nec quæratur (inquit) quomodo genuit filium, quod & Angeli nesciunt, Prophetis incognitũ est: Vnde illud dictum est, Generationem eius quis enarrabit? Vide mihi, quæso,

hi, quæso, quàm aptè citetur testimonium Esaiæ. Propheta enim nomine generationis intelligit durationem, & posteritatem. De angustia, inquiens, & de iudicio sublatus est, Generationem eius quis enarrabit? hoc est: Etsi Christus maxima fuit angustia pressus, & crudeli iudicio damnatus, tamen de his omnibus ita liberatus est, ut generationem seu durationem eius nullus possit uerbis explicare. Cùm enim excitatus sit à morte, nõ solum ipse amplius non morietur, uerumetiam habebit regnũ perpetuum, & posteritatem nunquàm desituram. Etsi autem non ignoro, quòd alii quot interpretes exposuerint hunc Esaiæ locum, de æterna filij Dei natiuitate, quæ & pia est sententia, tamen quia non est huic loco apta, alienum est ab Apostolico spiritu, uerba scripturæ in alium sensum detorquere.

Eiusdem notæ est, quòd eodem sensu citetur illud Psalmi: In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. Nam & longè aliter habet ueritas Hebræi textus, & longè alia huius uersiculi sententia est, quàm ficticius Clemens existimat. Accedit & illud, quòd ex Apocrypho scripto Baruch testimonium de Christo recitet. Quasi uerò hoc testimonium alicuius ponderis habeat apud Apostolum Iacobum, & Hebræos suos, ad quos Clemens ille se scribere fingit, & non sint alia illustriora testimonia in scriptis uerè Propheticis, de filij Dei diuinitate ac humanitate.

Quid uerò illud, quod paulò pòst addit: In singulis reliquis ciuitatibus singulos, & non binos uel ternos aut plures Episcopos constitui præcepit (Petrus), qui non primatum aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres ciuitatum non tenent, sed Episcoporũ tantum uocabulo potirentur, quoniam nec inter Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Hoc tamen prouidendum instituit, ne in uillis aut castellis, uel modicis ciuitatibus instituerentur Episcopi, ne uile eorum nomẽ fieret &c. Probè cauet Petrus tam sibi, quàm Romæ suę, ne quisquam alius, præter ipsum, præsit reliquis Episcopis, & ne ulla alia ciuitas præter Romam, agnoscatur mater Ecclesiarum. Sed ne alijs Episcopis omnem adimat dignitatem, curat ut autoritas nominis eorum maneat, nec permittit, ut in paruo oppidulo instituatur Episcopus, Ne uile, (inquiens) nomen eorum fieret. Scilicet hæc tam putida, tam ambitiosa, tam Thrasonica, tam mundana, Petro, tanto cœlestis regni Apostolo, curæ fuerunt? Scilicet qui summa pietate cohortatus est Sympresbyteros suos, ut non exerceant dominationem in hæreditatem Domini, sed sint exemplaria gregis, cogitauit tam se dignitate & dominatione prę ferre alijs, quàm Romam in matrem Ecclesiarum instituere?

Sed iterum cauet Petrus Episcopis. Dicit enim Clemens: Admonere eos (Episcopos) neminem debere docebat, Quia oculi Domini sunt, & qui eos tangit, tangit pupillam oculi sui. Et postea: Ipsi Episcopi, si exorbitauerint, ab istis non sunt reprehendendi uel arguendi, sed supportandi, nisi in fide errauerint. Quis non uidet hæc non solum esse tyrannica, uerumetiam cum ipsa Christi regula, ex diametro pugnãtia? Christus dicit: si peccauerit in te frater tuus, argue eum. Hic autẽ Petrus dicere fingitur, Episcopum, quamuis exorbitantem, noli arguere. Nisi fortè quia Episcopus est, non sit frater. Et obserua, quæso, impostoris huius impudentiam. Episcopi, (inquit) non sunt ab istis reprehendendi, si exorbitauerint, nisi in fide errauerint, Scilicet, si Episcopus fuerit publicus adulter, homicida, incendiarius, peiurus, raptor, latro, conniuendum & obmutescendum est tantisper, dum dicat: Deus non est Deus, aut Chri-

ſtus non uenit in hunc mundum, aut Iudaica uel Sarracenica religio melior eſt quàm Chriſtiana. Sed boni illi uiri nunc etiam hac in parte, & quod ad hanc de fide appendicem attinet, tranquillitati ſuæ conſuluerunt. Cenſent enim promulgatore Aſoto, quòd iudicare de doctrina Religionis non ſit Laicorum, ſed tantum Prælatorum. Itaque ſiue exorbitauerint publicis ſceleribus, ſiue errauerint impietatibus, Laicis ſemper tacendum eſt, & quicquid illi docuerint aut decreuerint pro Spiritus ſancti oraculo agnoſcendum. Hæccine tu putas eſſe Apoſtolica, & non potius è medio tartaro in hunc orbem ab incorporatis Diabolis introducta?

Sed nimis diu hæreo in una Epiſtola. Progrediamur ergo ad alteram. Secunda, primæ tam ſimilis eſt, quàm ouum ouo. Etſi enim, quæ ſecunda Epiſtola de reliquijs Cœnæ Dominicæ, in craſtinum non reſeruandis commemorat, reprehendunt eorum impietatem, qui panem ſuum Miſſaticum, ad publicam adorationem reponunt, tamen quæ mox recenſentur, de clericis, ne ſtatim à ſumptione corporis Domini conueniant ad cõmunes cibos accipiendos, de uaſis ſacris, de pallis altaris, de noua pelui, de uelis ianuarum, de miniſtris inuadentibus proprium cubile ſuarum uxorũ, de calice benè lauando, & de alijs id genus rebus, quas Epiſtola recitat, mirabor, ſi quis tã ſtultus, tam inſanus fuerit, ut credat has eſſe traditiones Apoſtolicas, eaſq; fuiſſe Apoſtolicis temporibus in Eccleſijs uſitatas.

Dicit Chriſtus ad Apoſtolos: Paracletus ille, qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet Pater nomine meo, docebit uos omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunque dixi uobis. Quid ergo dicemus? Num Chriſtus docuit Apoſtolos, & ſpiritus ſanctus ſuggeſſit poſtea Apoſtolis ineptias tã futiles, tam uanas, tam aniles? Qui audiuerunt Chriſtum reijcere Phariſæos, quòd exigerent lauationem manuum, priuſquàm ſumeretur cibus, ij ne poſtea ſolliciti fuiſſent, ut traderent Eccleſijs, quo modo, & quali perui lauarentur altaris uaſa? Qui docuerũt, nos liberatos ab elementis mundi, & fugienda eſſe decreta eorum, qui dicerent: Ne tetigeris, ne guſtãris, ne contrectãris, hi conderent ne noua decreta, Sic laues, ſic extergas, ſic uetuſtate conſumptum incendas? Et tamen impudentiſsimus nebulo audet ad Iacobum ſcribere, ſe hæc de ore ſancti Petri iubentis audiuiſſe. Et addit etiam Clemẽs ille, hac in parte minimè clemens, horribile fulmen: Si quis, inquiens, præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit anathema uſq; ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Sed profectò tædet me tam lectionis, quàm commemorationis tantarum nugarum. Relicta igitur in medio tertia Epiſtola, quę non minus inſulſa & abſurda, quàm priores illæ, continet, propero ad quartam, in qua eſt illud, quod huic noſtræ cauſæ de Chriſmate & confirmatione propriũ eſt. Sic enim dicit: Omnibus feſtinandum eſt, ſine mora renaſci Deo, & demùm conſignari ab Epiſcopo, id eſt, Septiformem gratiam Spiritus ſancti percipere, quia incertus eſt uniuſcuiuſq; exitus uitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodùm ſeptiformi Spiritus gratia ab Epiſcopo, ut memoratum eſt, confirmatus, quia ALITER PERFECTVS eſſe Chriſtianus nequaquàm poterit, nec ſedẽ habere inter perfectos, ſi nõ neceſsitate, ſed incuria aut uoluntate remanſerit, ut à beato Petro accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt. Hactenus uerba Epiſtolæ. Primùm ergo Epiſtola dicit: Baptiſatos ab Epiſcopo conſignari, hoc eſt, ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti percipere.

cipere. Intelligunt autem per hanc septiformem gratiam, septem dona spiritus sancti, quæ ex Esaia sic numerant, uidelicet donũ sapientię, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis & timoris Domini. Nã hæc dona spiritus, dicit Esaias, requiescere super Christũ. Nunc autẽ nouus Esaias, suo nomine Clemẽs dictus, affirmat hæc dona spiritus requiescere etiam super baptisatos, idq; non per Baptismum, qui per simplices tantum sacerdotes, & materia aquæ, elementi vulgaris, & ubiq; obuij, distribuitur, sed per sanctificatum chrisma, quod cùm ex balsamo conficiatur, odore fragrantissimum est & preciosissimum, & per impositionem manuum Pontificalium. Hæ enim manus præsertim mundissimis & tenuissimis chirothecis munitæ, in hunc usum consecratæ sunt, ut cuiuscunq; capiti imponantur, afferant & inferant uniuersam spiritus sancti plenitudinem. Sed ne hæc plenitudo effluat, cautione opus est, uidelicet, ut Confirmatus septem diebus à lotione capitis abstineat. Sic enim refert Põtificale, & libet uerba eius adscribere. Confirmato, inquit, debet ligari frons, & sic manere, quousque Chrisma desiccetur, & non oportet, quòd ligatura septem diebus portetur, Sed decet, ut septem diebus abstineat à lotione capitis.

Porrò, ut intelligamus, quantum momenti in hac abstinentia lauationis situm sit, uisum est hic recensere, quæ scribit Hugo de sancto Victore, in libro, cui titulum fecit, De Sacramentis.

Solent, (inquit) quidam quærere, quanto tempore debeant unctionem Chrismatis obseruare in capite, ut scilicet capita non lauent, qui accipiunr manus impositionem, absque tempore baptisterij. Quibus responderi potest, Conueniens esse, ut tanto tẽpore aduentus spiritus sancti apud unumquemq;, qui eum accipit, celebretur, quãto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur aduentus spiritus sancti super Apostolos, hoc est, septem diebus. Et meritò. Quia septem sunt dona spiritus sancti, & in septem comitibus ad hospitem suum spiritus sanctus uenit. Et dignum est, ut habeat unusquisq; diem suum, & unicuiq; in die suo conuiuium præparetur. Alium diem Sapientia habet, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor. Talia conuiuia Christus apud hospites suos exercet, talia & spiritus sanctus. Hactenus Hugo. Hæccine, an non sunt apta, commoda, pulchra, bella, uenusta, lepida, festiua, concinna, addo etiam cœlestia, Cherubica, Seraphica, diuina, ac plenè supercœlastia & superdiuina? Sed his expendendis, alij, qui maiori ocio abundant, & acutiori sunt iudicio, uacent. Nos nunc quæramus, Vnde tamen tanta concessa sit Episcopis potestas, ut characte re crucis, unctione Chrismatis, certa uerborum prolatione, & manuum suarum impositione infundant in hominem tantam spiritus sancti plenitudinem? Equidem nihil certi possum è Pontificijs scriptoribus cognoscere. Alij enim sentiunt hoc Sacramentum (utor enim eorum uocabulo) à Christo ipso institutum, non quidem exhibendo, sed promittendo, quemadmodum suprà indicauimus. Alij sentiunt institutum à Christo non promittendo tantum, sed & exhibendo. Alij sentiunt ab ipso institutum, nec promittendo, nec exhibendo, sed figurando, uidelicet, cùm apud Matthæum imposuit manus super pueros, & benedixit eis. Alij sentiunt institutum ab Apostolis. Alij, non ab Apostolis, sed ab Ecclesia seu Cõcilio. Cùm igitur Pontifices ipsi nihil certi habeant de institutione suæ Cõfirmationis, & fiducia nostra nõ sit collocanda in re dubia & incerta, ni

hil alieni ab officio pietatis faciemus, si Pontificalem illam Confirmatio-
nem interea, dum certiora attulerint, pro commento humano, & specta-
culo ioculari habeamus.

Nos autem, sicut suprà ostendimus, Confirmationem Pontificalem, non contineri ea promissione, qua Christus pollicitus est Apostolis do-
nationem Paracleti, ita nunc ostendemus, Confirmationem illam non esse eam, qua Apostoli contulerunt Spiritum sanctum in Samaritanos, & in alios multos.

In Actis Apostolicis cap. 8. Apostoli imponunt manus super Samari-
tanos, & hi accipiebant Spiritum sanctum. Nullum autem dubium est, quin per Spiritum sanctum hoc loco intelligendum sit tale donum Spi-
ritus sancti, quale datum est Apostolis in die Pentecostes, uidelicet, ut lo-
querentur alijs linguis. Vnde & Simon obstupescens, petijt, oblata pecu-
nia, eandem sibi potestatem dari, ut cuicunq; imponeret manus, accipe-
ret spiritum sanctum.

Cap. 10. cùm Petrus adhuc concionaretur, & Gentes nondum essent baptisatæ, nec fuissent manus eis impositæ, cecidit super omnes, qui au-
diebant sermonem, Spiritus sanctus. Hoc certè intelligendum est de do-
no linguarum. Mox enim sequitur: Audiebant illos loquentes linguis, ac magnificantes Deum.

Cap. 19. Paulus imponit manus discipulis Ephesijs, & uenit super eos Spiritus sanctus. Quod autem mox sequitur, exponit, quæ fuerint hæc dona spiritus sancti. Loquebantur, inquit, linguis & prophetabant. Con-
feramus nunc Apostolicam actionem, cum Pontificali Confirmatione. Illa enim habet promissionem Christi. Signa, inquit, eos qui crediderint, hæc sequentur, Per nomen meum dæmonia eijcient, Linguis loquentur nouis &c. Hæc autem nec habet certam promissionem, nec certum man-
datum Christi, quemadmodum suprà ostendimus. Illa peracta est impo-
sitione tantum manus, hæc autem peragitur characteribus crucis, unctio-
ne chrismatis, & certa uerborum prolatione. In illa, collata sunt credenti-
bus in Christum admiranda dona spiritus sancti, ut loquerentur nouis lin-
guis, & prophetarent. In hac, cùm & infantes, & adhuc balbutientes un-
gantur, ne hoc quidem in ipsos confertur, ut statim uernaculam suam lin-
guam expeditè loquantur, tantum abest, ut alijs atq; nouis linguis loqui sciant. Quis igitur, quamuis exigui ingenij, iudicaret eandem esse Ponti-
ficalem Confirmationem, cum Apostolica actione? Quod enim Aposto-
lis fuit datum, ut impositione manuum suarum darentur diuinitùs admi-
randa dona spiritus sancti, neque personā eorum egreditur, neq; in exem-
plum trahendum est. Et non, quia recesserunt morbi, ac egressi sunt spiri-
tus mali, postquàm Sudaria, & semicincta Apostoli Pauli imposita sunt super infirmos, idcircò idem efficietur per Sudaria successoris Pauli. Nec, quia multi consecuti sunt corporalem sanitatem, ex obumbratione um-
bræ Apostoli Petri, idcircò alij ex umbra successorum Petri sanitatem consequuntur.

Narrant fabulam de Thoma, ni fallor, Aquinate, quòd cùm fortè in conuiuio Põtificis accumberet, ac Pontifici nunciaretur, magnam ei uim pecuniæ è redditibus suis aduectam, conuersus Pontifex ad Thomam: Ec-
ce, inquit, Thoma, non possum nunc dicere cum Petro, Argentum & au-
rum non est mihi. Ibi tum Thomas respondisse fertur: Vera, inquiens, Pater Sancte, loqueris. Ideoq; , nec potes cum eodem Petro ad claudum dicere:

dicere: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Itaque Pontifices à suis ipsorum defensoribus ridentur. Ac profectò spectaculum illud, quod Pontifices in Confirmatione sua ad imitationem Apostolicæ actionis instituunt, non minus ioculare est, & ridiculum, quàm si, proposito claudo quopiam, imitarentur cærimonias Petri, defigerent in eum oculos, apprehenderent manum eius, ac ut augerent cærimonias, ungerẽt eum Chrismate, & consignarent eum cruce, ac dicerent: Surge & ambula. Interea autem, cùm miser homo nihilo fieret pedibus suis expeditior, nugarentur, se his suis ritibus non externam & corporalem, sed internam & spiritualem sanitatem conferre.

Quis eiusmodi nugatores & impostores æquo animo ferre posset? Et tamen nondum contendere desinunt, se imitatione Apostolorum conferre, in Confirmatione sua, spiritum sanctum.

Deinde Epistola dicit: Aliter perfectus esse Christianus nequaquàm poterit, nec inter perfectos sedem habere. Quid? Nemo potest esse perfectus Christianus, nisi ab Episcopo fuerit Chrismate unctus & confirmatus? Amâbo te, quisquis uel leuiter cognitione cœlestis doctrinæ tinctus fueris, potes ne in animum inducere ut credas, Christo Domino nostro, aut Apostolis eius, uel per somnium tale decretum in mentem uenisse, si quis aut incuria, aut uoluntate nõ susceperit ab Episcopo unctionẽ Chrismatis, & Consignationem crucis, non sit perfectus Christianus? Et tamen huius impostoris tanta est impudentia, ut audeat subijcere, Vt à beato (inquiens) Petro accepimus, & cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.

Videamus ergo initiò, de Christiani hominis perfectione, quantum quidem ad hoc institutum pertinet. Nam si uel carnem uel opera hominis Christiani consideraueris, nulla est perfectio eius in hac mortali uita, etiamsi fuerit summis donis Spiritus sancti ornatus. Caro enim semper concupiscit aduersus spiritum, nec unq̃ legi Dei subditur. Et de operibus nostris scriptum est: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. De qua re suprà copiosè dictum est. Si autem consideraueris hominem iuxta Fidem, quam adhibet Christo Domino suo, & credit, se propter Christum, esse adoptatum in filium & hæredem Dei, ibi tum, & si fides, propter carnem nostram, adhuc imbecillis & imperfecta est, tamen Christus filius Dei, quem fide amplectimur, & qui se credenti totum donat, perfectus est. Itaque iudicatur etiam Christianus coram Deo Patre cœlesti perfectus, non quidem propter operum suorum perfectionem, sed propter Christum filium Dei, quo cum Deus omnia credenti donauit. Quod cùm ita se habeat, inspiciamus nunc testimonia sacræ scripturæ, & expendamus, num Christus aut Apostoli docuerint homines fieri perfectos Christianos uel per baptismum fide acceptum, uel per unctionem Chrismatis, & consignationem crucis. Nam his ritibus, si addideris certam uerborum recitationem, & leuem percussionem alapæ, peragi solet Confirmatio Episcopalis.

Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri (uidelicet) his quis credunt in nomen eius. Affirmat filios Dei fieri per fidem in Christum. Si autem sunt filij Dei, certè sunt etiam hæredes. Hæredes quidem Dei, Cohæredes autem Christi. Et quia Baptismus Sacramentum est adoptionis filiorum Dei, per fidem in Christum, manifestum est, quòd qui baptisantur in Christum, sicut fiunt ueri & perfecti hæredes

Dei, ita etiam fiunt perfecti Christiani, quatenus quidem antea perfectionem Christiani hominis in hac uita exposuimus.

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Num, qui habet & Christum, & in Christo ius uitæ æternę, quod in baptismo per fidem accipitur, non est perfectus coram Deo Christianus?

Galat. 3. Quicunque baptisati estis, Christum induistis. An Christo indutus, non est Christianus coram Deo perfectus? Non enim loquimur nunc de perfectione nostræ ipsorum iusticiæ, in nostris operibus, quam in hac uita non habemus. Nec loquimur de perfectione cognitionis mysteriorum Dei. In hac enim creseendum nobis est, quoad in his terris uitam agimus, & alius habet alio, dona Spiritus illustriora, Sed loquimur de Perfectione, qua coram Deo, propter Christum per fidem censemur. Sic enim perfecti sunt, quotquot in perfectam gratiam Dei propter Christum recipiuntur. Sic tam perfectus Christianus est Infans, in Christum baptisatus, quàm adultus. Non est Iudæus, inquit Paulus, neque Græcus, non est Seruus, neque liber, non est masculus ac fœmina, (Sic non est Infans, nec adultus, non paruulus, nec uir.) Omnes enim uos unus estis in Christo.

Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, MVNDATAM LAVACRO AQVAE per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Quantum hoc est encomium perfectionis Ecclesiæ? Et unde, obsecro, eam habet, & quo Sacramento eam accepit? Certè habet eam à Christo per fidem, qui se pro ipsa exposuit. Et accipit eam per Lauacrum aquæ, hoc est, per baptismum. Vbi ergo manet Confirmationis Episcopalis chrisma? Vbi consignatio crucis? Sed respondent illi: Nec Christum nec Apostolos usos esse suis temporibus Chrismate. Nuncautem, postquàm desierunt admiranda dona spiritus, utendum esse chrismate, nec sine chrismate posse Christianos esse perfectos. Accipimus, sicut & antea, hanc uestram confessionem. Quod autē subijcitis de usu chrismatis, ostendam uel ex uno tantum dicto Christi uanissimum esse.

Sic enim Christus Apostolos suos in uniuersum orbem terræ amanda turus ait: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, Saluus erit. Hæc est generalis γνώμη, pertinens, non tantum ad eam Ecclesiam, quæ temporibus Apostolorum in terris fuit, sed ad omnium temporum Ecclesiam. Quocunque enim tempore, quispiam crediderit, & baptisatus fuerit, Saluus erit. Num uerò, qui saluus erit, qui habet in Christo ius ueræ cœlestis & æternæ salutis, non est censendus Christianus perfectus? Fieri quidem potest, ut non loquatur linguis nouis, ut non restituat ægrotos sanitati, ut non eijciat dæmonia, ut non propheter, ut non possit discernere spiritus. Fieri autem non potest, ut cùm credit Euangelio, & baptisatus est in Christum, nō habeat Fidem, Spem & Charitatē. Et quanquàm etiam hæ uirtutes sint in homine imperfectæ, quemadmodum aliàs perspicuè demonstratum est, tamen qui credit in Christum, & est in ipsum baptisatus, habet & possidet Christum ipsum, qua possessione nihil potest esse perfectius. Et illa quidem admiranda Spiritus dona, quæ paulò antè recensuimus, possunt hominem facere illustriorem, non possunt autem eum facere perfectiorem. Multi, inquit, dicent

dicent mihi in die illo: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præstitimus? Sed audiunt: Nunquàm noui uos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Et Paulus: Si linguis hominum loquar & angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Manifesta igitur est uanitas impostoris huius, qui affirmat, Christianum non posse esse perfectum absque Episcopali Confirmatione, si eam incuria aut uoluntate neglexeris. Multò uanius est, quòd affirmet, eam esse à Domino præceptam, & à Petro, ac reliquis Apostolis Ecclesiæ traditam. Hîc nunc mihi uide, cur Confessio Principis dixerit: horrendum esse auditu, quòd Sacramentum Episcopalis Confirmationis excellat (quæ sententia Melchiadi adscribitur) dignitate sua Sacramentum Baptismi. Non enim horrendum est auditu, quòd operis perfectio maior sit, quàm inchoatio eius. Non est horrendum auditu, quòd Apostoli in aduentu Spiritus sancti, in die Pentecostes maiora acceperint dona spiritus, quàm cùm baptisarentur. Nõ est horrendum auditu, quòd diuersa sint diuinæ gratiæ & clementiæ dona. De his enim rebus Confessio Principis in præsentia nihil disseruit.

Sed illud est horrendum auditu, quòd uos fraterculi & impostores eò audaciæ & temeritatis processeritis, ut audeatis perfricta fronte uestrum Magicum Chrisma, & uestram ficticiam Confirmationem sacrosancto Baptismo Domini nostri Iesu Christi diuinitùs instituto non solum æquare, uerumetiam longè anteferre.

Illud, inquam, horrendum auditu est, quòd uos incantatores non uereminí plus dignitatis & uirtutis tribuere uestris magicis Vnctionibus, & characteribus, & inuocationi nominis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti in Baptismo. Hoc illud est, quod Confessio Principis reprehendendum & detestandum iudicat.

Sed probat (inquit Sotus) Melchiades sententiam suam, quòd Confirmatio Episcopalis excellentior sit baptismo, partim è proprij ministri excellentia: Minister enim baptismi est Sacerdos, Confirmationis autem Episcopus: partim ex effectu ipso. Confertur enim in eo plenitudo gratiæ. Quod autem suprà de Epistolis Clementis dictum est, hoc idem sentiendum erit de scripto, quod tribuitur Melchiadi. Nam si fuit uir Apostolico spiritu, nihil certè scripsit, aut decreuit, quod cum Apostolica doctrina pugnaret. Quod autem ex Epistola eius recitatur, manifestè pugnat cum Apostolica doctrina. Primùm enim temporibus Apostolorum non erat discrimen inter Sacerdotes seu Presbyteros Ecclesię, & Episcopos. Quod ex scriptis ipsis Apostolicis, ac etiam ex ipsa Hieronymi explicatione notius est, quàm ut hoc loco commemorari debeat. Non ignoro quas tenebras ὁ σκότος hîc offundat, & quibus nugis hoc eludere conetur. Sed qua facilitate eas profert, eadem contemnuntur. Deinde, quæ, obsecro, est plenitudo illa gratiæ, quæ in Episcopali confirmatione datur? Dubium quidem non est, quin Apostoli magna & multa Spiritus dona in die Pentecostes acceperint: nec dubium est, quin & hi, quibus Apostoli manus imposuerunt, ornati fuerint admirandis Spiritus sancti donis. Illud autem dubium, imò certissimum est, quemadmodum paulò antè demonstrauimus, quòd Confirmatio Episcopalis, non sit eadem cum Apostolica Spiritus sancti donatione. Et res ipsa testificatur, quòd qui Episcopali Chrismate unguntur, non loquantur linguis nouis, nec conferant mi-

rando modo ſanitatem in ægrotos. Sed conferuntur (inquies) per eam unctionem dona inuiſibilia. Quis autem tibi hoc abſque teſtimonio, non tantum ſacræ ſcripturæ, hoc eſt, Spiritus ſancti, uerumetiam manifeſtæ experientiæ effutienti credet? Et quæſo te, adhibe mihi animum & mentem tuam, ut cognoſcas, quàm contumelioſum ſit ſcriptum Melchiadis in baptiſmū, hoc eſt, in doctrinam Apoſtolicam, quæ nobis baptiſmum pleno ore commendat. Ponit enim antitheſin inter baptiſmum & confirmationem Epiſcopalem. Sicut exigit, inquit, militaris ordo, ut cùm Imperator, quemcunq; in militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum. Ita in baptiſato, benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem, da ei adiumentum militiæ. Et mox: In baptiſmo regeneramur ad uitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. In baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Et quæ ſequuntur. Longùm enim eſſet recitare. In hac igitur antitheſi, quod tribuitur Confirmationi Epiſcopali, hoc adimitur baptiſmo Chriſti. Alioqui enim contentio non conſiſteret. Itaq; cùm Confirmationi tribuantur munitio aduerſus hoſtes, adiumentum militiæ, & corroboratio ad pugnam, manifeſtum eſt, quòd ea baptiſmo adimantur. Quid autem poteſt horribilius dici? Ex hac enim contentione ſequitur, quòd in baptiſmo Chriſti, nec muniamur aduerſus hoſtes, nec adiuuemur ad militiam, nec corroboremur ad pugnam. Hoccine ſcriptum arbitrari potes eſſe Apoſtolicum? Num Apoſtolicum eſt, tribuere humano figmento, quod uerè eſt diuini inſtituti? Oſtendimus enim ſuprà perſpicuis argumentis, quòd Confirmatio Epiſcopalis ſit humanum figmentum, Baptiſmus autem diuinum inſtitutum.

Petrus de Baptiſmo ſcribit: Cuius figuræ nunc reſpondens baptiſmus, nos ſaluos reddit, (qui) non eſt ſordium carnis ablutio, ſed conſcientiæ bonæ ſtipulatio erga Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti. An cùm aſſequimur ſalutem & bonam conſcientiam erga Deum, quaſi ſtipulatione quadam inter nos & Deum in baptiſmo facta, nō ſumus ſatis muniti aduerſus hoſtes noſtros ſpirituales?

Paulus dicit: Quicunq; baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. An qui eſt Chriſto indutus, non eſt ſatis inſtructus & armatus ad pugnam? Scilicet Chriſto indutus, non ſatis roboris habet ad Chriſtianam militiam, & ſatis roboris haberet Epiſcopali Chriſmate unctus? Hæc profectò furia eſt & inſania, non Apoſtolica ſententia. Quare ſcriptum Melchiadis, ſicut & ſcripta Fabiani, Vrbani, & Euſebij illius Romani Pontificis, reijcienda ſunt in eum ordinem, in quem relegatæ ſunt Epiſtolæ Clementis, ac ſentiendum eſt, quòd ſint potius cōmenta uetuſtatis, q̄ monumēta ueritatis.

De Dionyſio ſuprà dictum eſt. Nec miror Pontifices, & fraterculos eorum, ſcriptū de Eccleſiaſtica Hierarchia tribuere Dionyſio illi Areopagitæ, qui fuit diſcipulus Pauli. Quærunt enim patrocinium ſuarum nugarum, è teſtimonijs antiquitatis. Illud autem miror, homines in doctrina uerè Apoſtolica, uel parùm uerſatos, à ratione ſic abſtrahi poſſe, ut credant, eas cærimonias, quas ficticius ille Areopagita deſcribit, eſſe ab Apoſtolis uel uſitatas, uel Eccleſiæ traditas. Ac de alijs quidē eius ſcripti capitibus nunc nihil dicam. De illo autem capite, quod ad hoc inſtitutum pertinet, cui titulus eſt, Μυσήριον τελετῆς μύρου, uiſum eſt nonnulla in præſentia expendere. Nam ſi conſecratio Vnguenti eſt Apoſtolica traditio, quid eſt, quòd poſteriores tot ritus adiecerint? Num Apoſtoli deſtituti fuerunt

runt Spiritu sancto, ut non potuerint ritus consecrandi unguenti perfectè absoluere? Vbi enim in illo capite tot horribiles exorcismi? Vbi ridiculæ illæ salutationes? Vbi Magicæ illæ inhalationes? Deinde, num hoc Apostolicum est, quòd æquat mysterium Consecrationis unguenti, mysterio Cœnę Dominicæ, hoc est, humanum commentum instituto diuino? Sic enim dicit: Δι' ὃ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν, ὡς ὁμοτάγη καὶ ταυτουργὸν τῷ τῆς συνάξεως ἱερῷ τελετουργίῳ ταῖς ἀυταῖς εἰκόσιν ὡς τὰ πολλὰ, καὶ μυσικαῖς διακοσμήσεσι, καὶ ἱερολογίαις διετάξαντο.

(Hoc est.)

Diuini dũces nostri, hanc unguenti cõsecrationem, tanquàm eiusdem ordinis, & eiusdem efficaciæ cum sacris cærimoniis Synaxeos, iisdem, ut plurimùm, figuris, & mysticis dispositionibus, ac sacris benedictionibus constituerunt. Hactenus ille. Ac interpretes intelligunt quidem nomine Ducum, Apostolos, sed ut similes habeant labra lactucas, qualis Autor, tales & interpretes. Postremò: Apostolorũ officium fuit, Ecclesiam, non è ueritate, in umbras, non è die, in noctem, non è luce in tenebras, sed ex umbris in ueritatem, è nocte, in diem, è tenebris in lucem, perdũcere, Vos, inquit, estis Lux mundi. Et: Venit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac Veritate. Et Paulus: Nox, inquit, progressa est, Dies autem appropinquauit. Ille uerò autor, non solum recensęt Ecclesiasticos ritus, uerumetiam solet significationem eorum adiicere, quò re ipsa testificatur, se suis ritibus obtrudere Ecclesiæ Leuiticas umbras, tenebras & noctem. An non Veritas ipsa rerum patefacta est in Euangelio Christi? Quæ est ergo hæc insolentia, aut quæ uecordia, suscipere ueritatem nouis umbris delineandam, ac nouis tenebris involuendam? An nõ uelum templi scissum est, à summo usq; deorsum, & uerus Pontifex ingressus est semel per propriũ sanguinẽ in Sancta Sanctorũ, ut nos omnes, retecta facie gloriam Domini (tanquàm) in speculo repræsentemus? Quid ergo nouum uelum ob oculos nostros obducitur? quid noua Sancta Sanctorum extruuntur? Ac uide, obsecro, quoties nos Dionysius ille unguẽtis suis oblinat, nec ei suæ usquàm significationes desint. Primùm enim, antequàm homo baptisatur, Pontifex, trino sanctæ crucis (Recito enim uerba eius) signaculo, unctionẽ inchoans, tradit eum sacerdotibus toto corpore perungendũ. Deinde, postq; iam baptisatus est, & munda ueste indutus, Pontifex iterũ eum unguento θεουργικωτάτῳ (Sic enim ille loquitur) consignat. Postremò, ne Mortuus quidẽ absq; unctione, adiecta etiã salutatione, dimittitur. In cap. enim, cui titulus est: Μυσήριον ἐπὶ τῶν ἱερῶς κεκοιμημένων, ita scribit: Post orationẽ Pontifex defunctũ salutat, ac post illũ omnes, qui astant. Vbi uerò cuncti consalutauerunt, fundit Pontifex super defuncto oleum. Quid autem hæc olei infusio sibi uelit, paulò pòst exponit. Memento, inquiens, quòd in sancta regeneratione, ante sacrum baptisma, post abiectionem prioris uestitus, datur baptisando unctionis oleum, prima uidelicet participatio sacri symboli. Et nunc in fine omnium infunditur defuncto oleum. Ac tunc quidem unctio olei euocabat baptisandum ad sacra certamina. Nunc autem infusum oleum significat eum qui defunctus est, sacra certamina peregisse, & consummatum esse. Quid nunc in hominibus istis desideratur? Oleo ad suscipiendum baptismum præparantur. Oleo post susceptum baptismum confirmantur. Oleo iam hac uita defuncti à certaminibus absoluuntur. Et quia oleum significat Spiritum sanctum, quis aditus posset spiritui maligno,

Synaxis, cõmunio cœnæ Dominicæ.

ad hominem toties oleo, hoc est, Spiritu sancto, munitum, pateret?

Si pueri in plateis talia luderent, haberent maiores natu, quod riderẽt, Nunc autem, quia Pontifices & Presbyteri, hoc est, Seniores hæc seriò agunt, non est ridendi locus, sed indignandi, sed tantas ineptias, tantam superstitionem detestandi. Christus enim promisit Ecclesiæ suæ, non externum oleum, sed Spiritum ipsum sanctũ, quo eam regeneret, confirmet, & in omnibus certaminibus, ac in morte deniq; ipsa, & inferni horroribus conseruet. Et instituit, non externum oleum, sed prædicationẽ Euangelij sui, Sacramentum baptismi, & Cœnam Dominicam, quæ sint cœlestia organa, quibus Spiritus sanctus nobis exhibeatur, & in nobis cõseruetur, quemadmodum & suprâ, & aliâs copiosè demonstratum est. Quare, ne oleum & operam, in cognoscenda uera pietate, & in consequenda cœlesti salute perdamus, sinamus illos cæcitatis duces, (siquidem omnino figmenta manuum suarum potius quàm certa instituta filij Dei Domini nostri Iesu Christi, amant,) suo oleo frui. Nos uerò hauriamus dona spiritus sancti, per fidem in Christum filium Dei, è uera cœlesti doctrina, & ex ijs Sacramẽtis, quæ scimus certissimo uerbi Dei testimonio, in hunc usum, diuinitùs instituta esse. Ac maioribus quidem nostris, qui externo illo oleo, uel liberè, uel ignorantes usi sunt, ignoscendum erit. Nobis quoque, qui hactenus rerum imperiti, & imprudentes eo peruncti sumus, uemiam apud Dominum speramus. Postquàm autem Euangelion Domini nostri Iesu Christi, prolatum est, diuina clementia, in clarissimam lucem, non iam amplius uersandum est in caligine & tenebris, sed ambulandum est in luce, & fruendum est beneficio Dei summa animi gratitudine, ut hac lũce illustrati ad portum ueræ salutis perueniamus.

De Pœnitentia.

VT in hac mortali uita, in qua omni genere peccati sordidati ac turpificati sumus, nihil nobis, ad consequendam cœlestem salutem, magis necessarium est, quàm ut ueram pœnitentiam agamus: ita nihil nobis prius esse debet, quàm ut uerum agendæ pœnitentiæ modum ac rationem cognoscamus. Sed quo doctrina de uera pœnitentia, in Ecclesia populi Dei, illustrior & magis perspicua extare debet, eo crassioribus tenebris eam Sophistæ, spinosis suis commentationibus inuoluerunt: Et, ne orbis obliuiscatur uanitatis eorũ, prodit nunc Asotus in medium, ac prætexit quidem reuerendum nomen Catholicæ Ecclesiæ, non recitat autem nisi Sophisticos fœtores. Quanquàm ea est hominis balbuties, ut ne illorum quidem sententiam perspicuè referat, nisi fortè de industria studeat esse obscurus, ut cùm sciat se nihil sani dicere, suis tamen aliquid dicere uideatur. Exigit pœnitentiam, quam ratio naturalis docet: Sed cùm hæc corrupta sit peccato, quid doceret, nisi peccatum peccato cumularet? Exigit pœnitentiam, quam lex Mosi prædicat. Etsi autem hæc uerba commodè exponi possunt, & siquidem nomine legis Mosi intelligas doctrinã Mosi, non tantum de Decalogo, uerumetiam de Prophetis post Mosen, de medio fratrum suorum suscitando, hoc est, de Christo filio Dei, uerum est, quòd non aliam pœnitentiæ rationem prædicet Lex Mosi, quàm Euangelion Christi. Sed si consideraueris uelamen, quod uidemus ob oculos Soti positum, existimat hypocrita, quòd tam in scriptis

Prophetis

Propheticis, quàm in scriptis Apostolicis ea exigatur pœnitentia, in qua peccata nostra expientur meritis bonorũ operum, idq; nõ eorum solum, quæ diuina lege mandantur, uerumetiam, quæ bona, ut uocant, intentione, ab hominibus, in gloriam Dei, & beatæ Mariæ Virginis, ac omnium Sanctorum, excogitantur.

Exigit pœnitentiam, sub certa ratione, (sic enim loquitur) & externis signis, Sed quam rationem diuinæ literæ ignorant, & quæ signa præstare possunt etiam uirulentissimi, & arrogantissimi hypocritæ. Meminit Clauium Ecclesiæ, & Sententiæ autoritate earum pronunciatæ, sed quas Claues Sophistica sentina ita interpretatur, ut si rectè iudicaueris, non nisi adulterinas agnoscas.

Dicit promitti huic pœnitentiæ remissionem peccatorum, sed qualis est Sophistica pœnitentia, talis est & eius peccatorum remissio.

Dicit eam pœnitentiam esse uerè ac propriè Sacramentum, sicut Baptismus & Confirmatio. Etsi autem de uocabulo nõ litigamus, tamen cùm definiant Sacramentum constare ex materia & forma, nondum conueniunt inter se nec de materia, nec de forma. Alij enim pro materia ponũt Actus pœnitentiæ: alij peccata. Et ne uideantur dissentire, dicunt alteram esse materiam proximam, alteram remotam. Pro forma autẽ alij ponunt Ordinem, nescio quem, Non enim libet curã in hoc ponere: alij, Absolutionẽ, de cuius tamen certis uerbis nondum inter ipsos conuenit. Et hæc quidem in Soti Confusione. In Scorijs autem egregiam operam nauat in explicanda Confessione Principis. Metuens enim, ne Princeps confitea-tur, peccata remitti nobis, fictè & falsò pœnitentibus, addit: Nobis (inquã) ex corde & ueraciter pœnitentibus. Quasi uerò, is qui peccata uerè agnoscit, & uerè credit sibi peccata propter Christum remitti, non agat pœnitentiam ex corde & ueraciter, nisi insusurret ea in aurem sacrificuli, & recitet singulis diebus ad expianda peccata, ter aut quinquies orationem dominicam, aut in cilicio peregrinetur ad Iacobum Compostellanũ. Deinde concionatur nobis de duplici genere peccatorum, Leuium uidelicet, & grauiorum, & de duplici pœnitentia, quarum altera expiat grauiora, altera leuiora peccata. Nam cùm ad illa expianda sua studia & tempora requirantur, hæc facilè expiari solent, quotidiana uidelicet precatione, ac secundum alios, tunsione tantùm pectoris, aut aspersione aquæ benedictæ. Sed de his suo loco. Nunc pauca quædam de pœnitentia exponemus, quę speramus ad illustrationem nonnullorum sequentium capitum profutura. Nihil autem nunc dicemus de ea pœnitentia, quæ quondam publica erat, & pro atrocibus criminibus exigebatur, quam & Canonicam Satisfactionem appellabant. Nec dicemus de ea, quæ clandestina enumeratione peccatorum coram sacrificulo, & priuata satisfactione, sicut à sacrificulo præscripta est, peragitur. Nam & illam & hanc pœnitentiam præstare possunt etiam ij, qui coram Deo sunt impœnitentes & hypocritæ. Sed dicemus de uera pœnitentia, qua certò assequimur remissionem peccatorũ, iusticiam coram Deo, & cœlestem salutem. Ac ut institutum nostrum rectius intelligatur, producemus in medium, exempli gratia, Dauidẽ. Hic, & si fuerat antea clarissimis donis Spiritus sancti ornatus, & Spiritus dominabatur carni eius, tamẽ postea succumbit, & coinquinat se tanto adulterij & homicidij scelere, ut & caro, deuicto spiritu, dominetur, & ipse æterno ignis gehennæ supplicio obnoxius fiat.

Quid ergo nunc faciat Dauid, ut redeat cum Deo in gratiam, accipiat

remissionem peccatorũ,& liberetur à iure peccati,mortis & inferni? Breuis & facilis est responsio, Agat pœnitentiam. Sic enim Ioannes Baptista, sic Christus ipse clamant: Agite pœnitentiam. Instat enim regnum cœlorũ. Sed illud nunc operæprecium est cognoscere, quomodo uera agenda sit pœnitentia. Non dubitamus quidẽ patere nobis, qui secundũ carnem ambulauimus,& grauia peccata designauimus,receptũ per pœnitentiam ad gratiam Dei,& ad ius cœlestis hæreditatis: Sed quid nobis faciendũ,ut ueram ac Deo gratam agamus pœnitentiam? Hîc aliam uiam demonstrant nobis fraterculi,cum sua ratione naturali, aliam spiritus sanctus. Et Dauidem aliò uocant Camarim & Baalitæ, aliò Nathan Propheta. Nos autem,relictis illis in suo sterquilinio, sequamur eam uiam, quam nobis demonstrant Spiritus sanctus & Prophetæ ac Apostoli eius. In uniuersis enim Propheticis & Apostolicis scriptis,quæ sunt Oracula spiritus sancti, continentur duo præcipuè genera eius doctrinæ,quæ nobis uiam euadendi ex ira Dei, ad clementiam eius, è peccato ad iusticiam, è morte ad uitã, & ex inferno ad cœlum demõstrant. Alterum genus est Lex, cuius epitome est Decalogus. Alterum est Euangelion de Domino nostro Iesu Christo. Lex igitur exigit quidem bona opera, exigit summã in Deum, & suam in proximum charitatem,exigit insignes quascũ uirtutes, quas si præstaremus,nihil nobis ad cœlestem salutem deesset: Sed exigit eas tanta integritate,tantaq; perfectione,ut homo peccato,natura sua,corruptus, non possit eas sic præstare, ut seueritati legis coram Deo satisfiat. Relinquit ergo, quòd lex,& si ostendit nobis quid debeamus facere,& promittit nobis uitam,si fecerimus,tamen quia non largitur nobis uires ea perfectè & integrè faciendi,idcircò ducit nos in agnitionem nostri peccati, nostræq; imbecillitatis ac iræ diuinæ, & meriti æternæ pœnæ propter peccatum. Et hoc est,quod Paulus grauissimè de lege concionatur. Lex, inquiens,operatur iram. Et: Per legem agnitio peccati. Et: Lex subijt,ut abundaret delictum. Et alia id genus dicta. Acturi igitur ueram pœnitentiam, iuxta Propheticam & Apostolicã doctrinam, hoc est, iuxta oracula spiritus sancti,necessarium est,ut primùm omnium audiamus Legem Domini Dei nostri,hoc est,ut agnoscamus quid debuimus,& adhuc debeamus facere coram Deo. Et quia nec fecimus, nec facere integrè in hac mortali uita possumus,agnoscamus peccatũ & imbecillitatem nostram,agnoscamus seueritatem iræ Dei,& fateamur ex animo,nos optimo iure,nõ tantum corporales pœnas, uerumetiam æternum inferni ignis supplicium meritos esse. Hic est primus agendæ ueræ pœnitentiæ gradus.

In hunc gradum Dauid, Petrus, Publicanus, Mulier peccatrix apud Lucam,pœnitentiam acturi,& in uiam redituri, primùm omnium conscenderunt. In hoc autem gradu non est consistendum, ac perpetuò immorandum,sed ultrà pergendum. Cùm in hoc gradu Cain, Saul, Ahitophel,& Iudas constitissent,nec ultrà perrexissent,perierunt. Quare ad altiorum genus cœlestis doctrinæ properandum est,ut ex illo gradu,in præcipuum conscendamus. Hoc autem doctrinę genus est,Euangelion de gratuita Dei clementia erga nos,propter Iesum Christũ,filiũ Dei, qui est propiciatio pro peccatis nostris. Acturi igitur uerã pœnitentiam,necessarium est, ut postquàm ex lege agnouerimus peccatum nostrum, audiamus Euangelion de filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, & agnoscamus ex eo gratuitam Dei clementiam,atq; credamus,quòd Deus remittat nobis peccata gratis,ac adoptet nos in filios & hæredes suos,nullo prorsus meri-

to nostro, sed tantum propter Iesum Christum, unigenitum suum filium. Hic est secundus agendæ ueræ pœnitentiæ gradus. In hunc gradum qui cõscenderit, peruenit in summitatẽ cœlestis scalæ, nec deest ei quicquam uel ad remissionem peccatorum, uel ad iusticiam coram Deo, uel ad adoptionem in ius filiorum ac hæredum Dei. Credenti enim in Christum, donatur etiam Christus. Qui autem possidet Christum, quid amplius desideraret? Qui proprio filio (inquit Paulus) non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem OMNIA nobis donet? Et quæ sunt hæc OMNIA, nisi cœlestia bona, uidelicet, quòd Deus complectatur nos summo fauore, condonet nobis peccata gratuitò, agnoscat nos filios suos, nec imputet nobis reliquias peccati in carne nostra, sed largiatur nobis Spiritum sanctum, quo eas mortificemus, & custodiat nos in omni afflictione, in ipsa denique morte, ne pereamus, sed æternam uitam habeamus. Quare qui in agenda pœnitentia in hunc secundum gradum, qui est fides in Christum conscendit, hic præ Pharisæo, & socijs eius fraterculis, descendit de templo iustificatus, ac in duitur cum adolescente ad Patrem reuerso, Stola prima, ornaturq; annulo, & uescitur magna animi lætitia, cum parente & amicis, uitulo sagina to, frementibus interea, & contabescentibus omnibus fraterculis, quòd ipsis ne auricula quidem hœdi, ex omni seruitute & labore suo contingere possit.

Habes duos gradus pœnitentiæ, in quibus & si peruenisti ad summũ, & consistis in eo rectis ac firmis pedibus, tamen, quia peccatum adhuc inhæret carni nostræ, non quidem descendendum, sed respiciendum erit iterum, suo quodã modo, quamdiu in hoc seculo uitam agimus, de summo ad infimum gradum, ut cum Dauide dicamus: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Tibi, tantum pecco, & malùm coram te facio.

Quod cùm ita se habet, ostendendum nunc erit, quomodo sacræ literæ uocabulo pœnitentiæ utantur. Non enim unius tantum modi est usus eius. Nam aliquoties nomine pœnitentiæ intelligitur tantum primus gradus.

Marc. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Hic habes ambos gradus. Et nomine pœnitentiæ, non utercq;, sed alter tantum, qui est agnitio & detestatio peccati, intelligendus est.

Luc. 24. Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Hic iterum intelligamus nomine Pœnitentiæ, non utrumq;, sed alterum tantum gradum. Nam posterior explicatur nomine Remissionis peccatorum, quæ accipitur Fide.

Actor. 20. Nihil suffugi eorum, quæ essent in rem uestram, quin adnunciarem uobis, & docerem uos publicè, ac per singulas domos, Testificans Iudæis simul & Græcis, eam, quæ erga Deum est, POENITENTIAM, ac FIDEM quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christũ. Obseruabile dictũ, quo Paulus significat nõ solum se nomine pœnitentiæ uti pro altero tantũ gradu, qui est agnitio peccati corã Deo, uerumetiam summã piæ doctrinæ in his duobus capitibus, uidelicet, In agnitione peccati coram Deo, & in fide, quæ est in Iesum Christum, complecti. Quare, si iuxta hunc usum sermo est de pœnitentia, nondum habes in Pœnitentia remissionem peccatorum, & iusticiam coram Deo.

Aliquoties autem nomen pœnitentię complectitur utrumq; gradum, uidelicet agnitionem peccati coram Deo, & fidem in Christum filium Dei, ut pœnitentiam alio nomine rectè uocemus Conuersionem peccatoris ad Deum. Vnde & in scriptis ueteris Testamenti, ubi nostra Latina & vulgata tralatio habet Pœnitentiam agere, ibi Hebræus textus habet uerbum שוב Schob, quod significat Conuerti.

3. Reg. 8. Si fugerit populus tuus inimicos suos, eo quòd in te peccauerint, & agentes pœnitentiam & confitentes nomini tuo uenerint &c. Pro (Agentes pœnitentiam) Hebræus legit, Reuersi ad te.

Et iterum: Si peccauerit tibi, non est enim homo, qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè uel propè, & Egerint pœnitentiam in corde suo &c. Pro (Egerint pœnitentiam in corde suo) legitur iuxta Hebraicam ueritatem: Conuersi fuerint ad cor suum.

Hierem. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo &c. Pro (Pœnitentiam egerit) Hebræus textus Prophetæ habet: Conuersa fuerit.

Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, &c. Vbi vulgata editio legit (Egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis) ibi iuxta Hebraicæ linguæ proprietatem legendum est: Conuersus fuerit ab omnibus peccatis suis.

In his & similibus locis scripturæ, per uocabulum pœnitentiæ non tantum intelligendus est primus gradus, qui est agnitio peccatorum, uerum etiam secundus, qui est Fides in Semen Abrahæ (hoc est) in Christum Dominum nostrum, in quo Solo uera & cœlestis benedictio gentibus contingit. Si ergo utimur uocabulo pœnitentiæ, iuxta hoc, quod iam exposuimus, significatum, tunc continentur eo nomine, omnia, quæ nobis ad redeundum cum Deo in gratiam, & ad consequendam remissionem peccatorum, atque iusticiam coram Deo, necessaria sunt. Nam si peccator, qui instituit pœnitentiam agere, hoc est, conuerti ad Deum, à quo per peccatum auersus fuerat, primùm omnium suscipit audiendam, atque etiam faciendam legem Domini. quid fit? Num statim, ut eam audit, ac faciendam instituit, uerè ipsam facit, & implet? Nihil certè minus: sed hoc fieri solet, quod Paulus recenset: Veniente, inquit, mandato, peccatum reuixit, ego uerò mortuus sum. Et repertum est mandatum, quod erat institutum ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Ac mox: Vt fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum. Hic uides, quid fiat in homine peccatore, cùm ad agendam pœnitentiam suscipit legem Domini audiendam & faciendam. Etsi enim lex bona est, & bona opera exigit, tamen homo peccato ita corruptus est, ut quo intentius in legem intuetur, & eam faciendam instituit, eo grauius agnoscit esse peccatum suum, eoq; minus reipsa comperit, se posse legem facere. Quid ergo faciat? Audit quidem Ezechielem: Si auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iusticiam, ipse animam suam uiuificabit: sed cùm aggreditur hæc facere, comperit peccatum in se subinde peccantius fieri, & quo meliora opera facienda suscipit, eo se peiorem esse sentit. Quo igitur se uertat? Hic non est alia salutaris uia, nisi ut conuertat se ad Christum filium Dei, & credat, quòd ipse expiauerit peccatum, & placauerit iram Dei, ac impetrauerit à Deo Patre suo, ut quotquot in ipsum credunt, adoptentur in filios Dei, & accipiant ius cœlestis hæredi-

hæreditatis. Qui autem adoptatus est in filium Dei, & cœlestẽ hæredem, (quæ est uera & summa hominis fœlicitas) non iam necesse habet hanc fœlicitatẽ operibus suis mereri, sed possidet eam gratuita clementia Dei, propter Iesum Christum Dominum nostrum, & expectat reuelationem eius, magna animi tranquillitate.

Hic, ni fallor, uociferabuntur fraterculi: Quid insuper egemus testibus? Ecce nunc audistis ipsi, quòd Nouatores illi doceant pœnitentiam mutilam, & reddant bona opera contemptui. Dicunt enim manifestè, quòd ad agendam ueram pœnitentiam sufficiat peccata agnoscere & credere in Christum. Vbi ergo manet usus Sacramentorum? ubi bona opera? Sed benè habet, Sueti iam sumus audire uociferationes, & calumnias fraterculorum. His igitur suo morbo (Siquidem ita eis lubet) relictis, nos rei ipsius ueritatem consideremus.

In hac enim de Pœnitentia tractatione, non loquimur de hypocritica, sed de seria peccatorum agnitione. Nec loquimur de ficta, & simulata, sed de uera in Christum fide. Primùm ergo, & si fides in Christum, cùm datur homini per Spiritum sanctum, uera est, tamen in hac mortali carne solet esse imbecillis. Magnitudo enim agniti peccati, & grauitas afflictionum, quæ agentibus pœnitentiam accidere solent, teneri non possunt, quin fidem concutiant, & ad defectionem sollicitent. Quare filius Dei, consulturus humanæ imbecillitati, non solum instituit ministerium prædicandi Euangelij sui, ad concipiendam fidem, per Spiritum sanctum, uerumetiam adiecit duo externa signacula, quæ Sacramenta uocant, alterum Baptismum, alterum, Cœnam Dominicam, ad fidem in nobis confirmandam & conseruandam. Non enim eò institutus est Baptismus, ut propter ipsam actionem, & externam ablutionis susceptionem, peccatum coram Deo expietur, sed ut fides, quam habemus de Christo, quòd Solus ipse expiauerit peccatum nostrum, & qua regeneramur in Christo, atque adoptamur in filios ac hæredes Dei, per Baptismum in nobis consignetur, & corroboretur. Nec Cœna Dominica eo ualet, ut propter dignitatem actionis eius, & propter sumptionem ipsius, consequamur à Deo remissionem peccatorum, sed ut hoc signaculo, imbecillitati fidei, qua fide accipimus remissionem peccatorum, & uitam æternam, succurratur. Quare cùm Baptismus & Cœna Dominica sint signacula fidei, teneri non potest is, qui pœnitentiam agit, quin baptismum, si nondum est baptisatus, accipiat, & Cœna Domini iuxta legitimam institutionem utatur, ut in fide consignatus, & corroboratus, aduentũ Christi tranquilla mente expectet.

Deinde, sua quoq; est bonorum operum ratio. Nam qui uerè agnoscit peccatum, detestatur etiam turpitudinem peccati, & auertit se ab eo, quoquo modo potest. Et qui uerè credit, quòd habeat Deum propicium, propter Christum, nõ ita negligitur à Deo, ut sinat ipsum ociosam & ignauã, ac multò minus turpem & sceleratam uitam agere, sed donatur diuinitus spiritu sancto, quo excitatur ad omnia uirtutũ genera. Nam cùm consideret quanta beneficia à Deo Patre, per Christum acceperit, teneri non potest, quin incipiat Deum, tam clementem Patrem, ex animo diligere, de beneuolentia Dei erga se optimè sperare, nomen Dei in omnibus aduersis inuocare, & gloriam nominis eius, quoquo officio licet, illustrare. Et quia intelligit ex uerbo Dei, & ex ipsa hominis conditione, proximum quoq; diligendum eiq; benefaciendum, non committit, ut hac in parte

sit cessator, sed summum studium suum in hoc confert, ut proximo, siue illi amico, siue inimico, beneuolum suum animum probet, quo obedientiam & gratitudinem suam erga Deum Patrem his etiam officijs testificetur. Postremò, si quid aduersi inciderit, non suscipit cum Deo bellum, sed agnoscit clementem manum Domini, & expectat opem eius, quæ per Spiritum sanctum potest animi fortitudine. Hæc autem opera, non sunt ipsa pœnitentia, qua cum Deo reconciliamur, & qua remissionem peccatorum à Deo accipimus, sed sunt huius pœnitentiæ fructus, & habent hanc cõditionem, ut siquidem uera fuerit pœnitentia, hoc est, si uerè agnouerimus peccatum, & crediderimus in Christum, fieri non potest, quin opera illa sequantur. Si autem hæc pœnitentia, uel nõ fuerit, uel non uera fuerit, nullum opus tam sanctum, tam cœleste, tam diuinum uidetur, quod ad consequendam remissionem peccatorum, & iusticiam coram Deo, ac salutem prosit. Vbi non est pœnitentia illa, quam paulò antè ex Prophetica & Apostolica doctrina, hoc est, ex lege & Euangelio descripsimus, ibi baptismus ridetur, & sumptio Cœnæ Dominicæ cedit in iudicium, & oratio fit in peccatum, & ieiunium coram Deo sordet, & eleemosyna est Deo abominationi. Nam si nihil sum, si nihil utilitatis capio, cùm habeam propheciam, & nouerim omnia mysteria, omnemq; scientiam, ac habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam, & conferam omnes facultates meas in pauperes, & tradam corpus meum, ut comburar, sed absq; charitate in proximum, quanto minus aliquid sum, & aliquid utilitatis capio, si omnes insignes uirtutes habeam, & omnia bona opera faciam, sed absque Prophetica & Apostolica pœnitentia, hoc est, absque agnitione peccati, & fide, qua credendum est, quòd Solus Iesus Christus sit peccatorum nostrorum expiator, & quòd Deus mihi sit propicius, tantum propter Christum filium suum, absq; omni respectu meorum seu operum, seu meritorum. Habent quidem bona opera, quæ impœnitentes faciunt, suam laudem, suaq; merita coram hominibus, & in his terrenis beneficijs. Coram Deo autem, tantum abest, ut ad expianda peccata, & ad promerendum fauorem Dei aliquid faciant, ut si eò transferuntur, habeantur uelut peccatum, sicut scriptura loquitur, ariolandi, & uelut scelus idololatriæ.

Hæc de pœnitentia, quæ ex duobus generibus cœlestis doctrinæ, quæ sunt Lex & Euangelion, cognoscenda est, quasi præfari uolui, ut quæ Ioannes postea de tribus Sophisticis & hypocriticis partibus pœnitentiæ balbutiet, expeditius percurramus.

De Contritione.

INter multa & uaria diuinæ iræ argumenta, illud haudquaquàm postremum locum obtinet, quod Moses in Deuteronomio suo recenset: Adducet, inquiens, Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinẽ aquilæ uolantis cum impetu, cuius LINGVAM intelligere nõ possis, gentẽ procacissimam. Nõ est autem sentiendum, quòd hæc cõminatio tunc tantũ impleta sit, cùm Babylonij, qui ignota Iudæis lingua utebantur, incursionẽ in regnum Iudæ fecerunt, & urbẽ Hierusalẽ solo æquauerunt, uerumetiam cùm post reditum ex Babylone, Scribæ & Pharisæi nouum

nouum genus doctrinæ, quod & hactenus ignotum erat, & à ueteri Prophetarũ doctrina abhorrebat, in Ecclesiam populi Dei, è studijs Gentium introduxerunt, quemadmodũ Esaias futurum prædixerat. Ac tolerabile quidem esset, si hoc malum unà cum politia Iudaica, è medio sublatum esset. Nunc autẽ bone Deus, progressum est in uniuersum orbem Christianum. Etsi enim filius Dei misit Apostolos suos in mundum, qui prædicatione Euangelij uerã uiam æternæ salutis clarè, apertè & perspicuè demõstrârunt, tamẽ cùm homines essent ingrati, exorti sunt in locũ Scribarum & Pharisæorũ, Sophistæ & Fraterculi, qui tam ex Philosophia gentium, quàm è sua ipsorum superstitione excogitarunt tale genus docendi, quale in orbe nunquàm fuit auditum, ac nec Apostolis, nec Scriptoribus paulò uetustioribus cognitũ. Et quo nihil obscuritatis intermitteretur, etiamsi susceperunt nonnulla è sacris literis publicè in Ecclesia populi Dei recitanda, tamen recitarunt ea, peregrina, & maximæ parti populi Dei ignota lingua. Hoc est uerè adducere gentem, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, & est manifestum horribilis iræ Dei signum. Ex hac igitur gente, ne tradamus obliuioni grauitatem iræ Dei, quam Ecclesia hactenus multorum incommodo sensit, neue securi sterta mus, perinde ac si Satan ipse quoq; dormiret, procedit in medium Sotus Sophistarum & Fraterculorum primipilus, incondito suo stridore, & cùm de Contritione loquendum suscipit, sermonem suum ita confundit, ita perturbat, nihil ut sit primum nihil ut secundum. Dicas te audire Heraclitum, aut potius oratorem quendam iocularem. Ac nisi hostes ueræ pietatis emiserint, singulari quodam cõsilio, in apertam & perspicuam Confessionem Principis hominem tam balbum & infantem, mirabor, quid ipsis in mentem uenerit, quòd non imposuerint hoc onus alteri cuipiam, qui sententiam ipsorum apertis uerbis exponere potuisset. Cõfessio Principis aperta est, perspicua est. Et id agit, ut ostendat, quem ordinem Deus in conuertendis ijs, qui post baptismum, in peccata sunt relapsi, seruare soleat, & quo gradu peccator relapsus ad remissionem peccati reuertatur. Ac dicit, quòd in agenda uera pœnitentia, hoc est, in uera conuersione peccatoris ad Dominum, necessaria quidem sit Contritio, quæ est sensus diuinæ iræ & pauor animi, propter peccata, hæc autem contritio nostra, & si est gradus, è quo solemus ad accipiendam remissionem peccati conscendere, tamen non sit tanti meriti, tantæq; dignitatis, ut satisfaciat pro peccatis coram iudicio Dei. Hìc ergo Sotus incipit nobis de Contritione suæ Sophisticæ Ecclesiæ, quã ipse Catholicã uocat, balbutire, quòd Contritio non sit perfecta, nisi ex charitate Dei, quæ ueram fidem præ-
quirit, procedat. Itaq; sententia eius hæc esse uidetur, quòd in agenda pœnitentia, necessarium sit, ut Deus primùm omnium infundat nobis gratiam suam: Sic enim Sophistæ uocant, tres uirtutes, Fidem, Spem & Charitatem. Cùm ergo habueris fidem & charitatem, quæ Deũ super omnia bona & amabilia diligat, tum demùm existimat Sotus procedere perfectum animi dolorem de peccato, qui sit propria dispositio ad remissionem peccatorum, sine qua nunquàm, & per quam semper peccatũ mortale remittatur. Etsi autem sequor, ut uides, uerba Soti, quantum possum, tamen tanta est confusio eorum in Soto, ut uix affirmare ausim, me sententiam eorum assecutum esse. Ac non iniuria scilicet queritur Sotus, in Scorijs suis, quòd eam Catholicam doctrinam de Contritione, quam ipsi intelligunt, nos non intelligamus. Quanquàm enim, quod

Esaiæ 28.

ad me attinet, nõnihil operæ cùm adhuc iuuenis essem in studio Sophisticæ caliginis perdiderim, tamen gaudeo ex animo, & ago summas gratias Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, quòd me ex illis tenebris in tempore liberauerit. Ac existimo me tanto fœlicius in percipienda uera sentẽtia Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, diuina clementia uersari posse, quanto citius illas quasi uoragines, & inferni fauces euaserim. Nam & illud in hoc scripti genere per mihi molestum est, quòd quia mihi negocium est cum Sophista, necesse habeam aliquoties, ad autores harum sordium iterum recurrere, & scripta eorum inspicere. Et tamen hoc interea commodi mihi reportare uideor, quòd & magnitudinem Sophisticarum tenebrarum rectius aspiciam, & amplitudinem diuinæ Clementiæ, qua his temporibus uera lux Euangelij de filio Dei patefacta est, melius cognoscam. Sed reuertor ad institutum. Sotus existimat Contritionem, quæ ad agendam pœnitentiam necessaria est, debere ex fide & charitate diligente Deum super omnia procedere. Quòd si uerò non assequor balbutiem eius, sibi ipse imputet. Suscepit enim recitandam sententiam Sophistæ suo de Contritione, & tamen ne uideatur barbariem eorum imitari, utitur sua quadam, ut ipse putat, elegantiori phrasi. Itaque fit, ut cùm infantiam infantiæ cumulat, quod est per se sic satis obscurum, maioribus tenebris inuoluatur. Sed hoc, qualecunque sit, nos interea, dum aliquid certius cognouerimus, illam sequemur & expendemus sententiam, quam recitauimus, uidelicet, quòd Contritio, quam illi ponunt primam partem pœnitentiæ, debeat procedere ex gratia Dei, hoc est, ex uirtutibus illis Theologicis, fide, spe & charitate. Et hoc modo disponat hominem ad accipiendam remissionem peccatorum. Quid igitur ad hæc dicemus? Equidem arbitror, non esse opus sollicita tantæ absurditatis refutatione, si saltem perspicuè intelligatur. Nos enim in hoc loco, non quærimus de homine, qui postquàm relapsus est in peccatum, iam conuersus est ad Deum, & egit ueram pœnitentiam, De hoc enim non dubium est, quin habeat fidem, spem & charitatem, & detestetur peccata ex animo, Sed quærimus de homine in peccatum relapso quidem, nondum autem conuerso ad Deum, & qui nondum suscepit pœnitentiam agendam. Quærimus de Dauide (exempli gratia) non quas uirtutes habeat aut habere debeat, postquàm ab adulterio & homicidio conuersus est ad Deum, & egit ueram pœnitentiam, sed quid in ipso, nondum conuerso, conuertendo autem, fieri debeat. Quærimus de Petro, non quid post conuersionem ab abnegatione Christi facere, sed quid ante conuersionem, quid in ipso, ut conuertatur, & peccatorum remissionem accipiat, fieri debeat. Hic &, si Sotus uarius est, ac sibi dissimilis? nunc enim ponit in nobis dolorem & pœnitudinem, quæ sit præuia quædam dispositio & remota, qua paulatim gratia ducat hominem ad Deum, Nunc ponit perfectum dolorem, qui sit propria dispositio ad peccatorum remissionem, tamen breuiter hoc sentire uidetur, quòd sit necessarium, ut primùm omnium infundatur peccatori Gratia, hoc est, Tres illæ uirtutes, fides, spes & charitas. His acceptis, procedit contritio, quæ disponat hominem ad satisfaciendum pro peccatis suis. Putas ne hominem sic sentientẽ, sana esse mente præditum? Quid furiosius cogitari potest? Qui enim habet fidem, spem & charitatem, an nondum habet remissionem peccatorum, sed necessarium est, ut per eam, quæ ex his uirtutibus procedit, contritionem, uel ad accipiendam peccatorum remissionem disponatur, uel pro

peccatis

peccatis satisfaciat? Nam fidei nomine intelligimus non eam tantum, quam & impij & dæmones de historia rerum gestarum habere possunt, sed etiam ueram & Christianam fidem, quæ certò credit, quòd peccata expiata sint per solum Christum filium Dei, & quòd Deus condonet credentibus peccata gratis, tantum propter Christum, propiciationem nostram. Vbicunq; hæc est fides, ibi certè est remissio peccatorum. Qui credit filio, inquit Ioannes, habet uitam æternam. Si uitam habet æternam, quomodo non haberet etiam peccatorum remissionem? Nihil igitur uanius dici potest, quàm quòd tum demùm uel disponamur ad accipiendã peccatorũ remissionem, uel satisfiat à nobis pro peccatis, cùm habemus contritionem, postquàm iam credidimus in Christum uerum peccatorum nostrorum expiatorem. Hoc certè est equos, ut vulgò dici solet, ad posteriorem partem currus combinare.

Deinde quomodo hæc sententia conuenit, cum ea, quam Sotus in Scoris suis sequitur: Ante remissum (inquiens) peccatum, nullum est aliud meritum, quàm damnationis. Nam iuxta Sotum, homo accipit gratiam, hoc est, fidem, spem & charitatem, antequàm habet remissionem peccatorum. Hæc enim tum demùm ad contritionẽ, quæ ex his uirtutibus procedit, sequitur. Relinquitur ergo, iuxta Sotũ, quòd nullũ aliud sit meritũ fidei, spei & charitatis, quæ habẽtur ante remissum peccatũ, quàm damnationis. Equidẽ mirabor, si Sotus hanc absurditatem à collegis suis impunè ferat. Sed nihil tam absurdi aduersus Nouatores illos dici potest, quod nõ à uenerabilibus illis Prælatis, obuijs, quod aiunt, ulnis excipiatur.

Accedit & hoc, quòd Sotus Contritionem ita definiat, ut debeat ex dilectione Dei super omnia bona & amabilia procedere. In hac autem mortali uita tanta est corruptio humanæ naturæ, ut nullus hominum sit, qui diligat Deum super omnia bona & amabilia, hoc est, ex toto corde, & ex tota anima, sicut lex requirit. Quare necessariò sequitur, quòd nullus homo unquàm habeat perfectam Contritionem, ideoq; nunquàm uerè sit dispositus ad accipiendam remissionẽ peccatorum, & ad satisfaciendum pro peccatis. Sed sinamus Fraterculos suis sordibus frui. Nos expergiscamur & eam agendę pœnitentię formam, modum, ordinem & rationem, non quã Sophistica uanitas, sed quam spiritus sanctus prescribit, & quam cùm uerbis, tum factis, cum dictis, tum exemplis probat, capessamus. Et quanquàm suprà eam exposuimus, tamen & nunc quędam dicenda sunt. Nam qui post regenerationem relapsus est in peccatum uastans conscientiam, quo prouocauit Deum ad indignationem, & rediturus est cum Deo in gratiã, ac restituendus iuri cœlestis hæreditatis, primùm omnium debet peccatum suum agnoscere, & ad iram Dei expauescere. Nisi enim peccatũ agnoscatur, non magnoperè curatur peccati remissio: & nisi ira Dei nobis nota fuerit, non magnoperè clementiam eius, & placationem iræ eius requirimus. Nam quemadmodum ueteres dixerũt, multos posse ad sapientię cognitionem peruenire, si se stultos agnoscerent, & multos posse sanitatem consequi, si se ægrotos esse scirent: ita multi possent iusticiam assequi, si se peccatores esse nossent. Sed hoc modo peccatum in tantum non expiatur, ut quo magis agnoscitur, eo minus posse à nobis, nostris uirtutibus, expiari uideatur. Vltrà igitur progrediendum est.

Deinde enim, postquàm peccatum est uerè agnitum, respiciendum est in Christum filium Dei, & credendum, quòd iuxta Euangelion eius, peccatum sit sanguine eius expiatum, & quòd Deus Pater cœlestis condo

net nobis peccatum gratis, tantum propter Christum filium suum. Hæc si in nobis uerè fiant, hoc est, si agnouerimus peccatum, & crediderimus nobis peccatum remitti, non propter ulla nostrorum operum merita, sed tantum propter meritum Domini nostri Iesu Christi, habemus iam plenam & perfectam peccati remissionem coram Deo, ne quicquam amplius à nobis, ad expiandum in conspectu Dei peccatum, requiritur, sed completur in nobis, quod Dominus per Prophetam dicit: Propiciabor peccati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Et hæc est pœnitentia illa, quam Prophetícæ & Apostolicæ literæ exigunt. Hæc est pœnitentia, quæ efficit, ut homo, condonatis peccatis, sit Deo acceptus, & reputetur coram ipso iustus. Hæc est pœnitentia, quæ facit ex homine arborem bonam, ut suo tempore bonos proferat fructus. Sicut enim arbor non potest bonos fructus ferre, nisi antea fuerit bona facta, ita homo non potest bona opera, quæ Deo grata sunt, facere, nisi fuerit antea bonus factus. Fit autem ex malo bonus, ac Deo acceptus, per Pœnitentiam, hoc est, per agnitionem peccati, & fidem in Christum peccati expiatorem. Quare necessarium est, ut cùm uoluerimus facere bona & Deo accepta opera, fiamus ipsi antea boni & Deo accepti, per eam Pœnitentiam, quam nunc exposuimus. Sed priusquàm pergam reliqua de hac Pœnitentiæ ratione addere, perstringenda est calumnia, qua Sotus Confessionem Principis grauare conatur. Nam quod affirmat nos non intelligere catholicam doctrinam de Contritione, quale sit, suprà diximus. Nunc quod eo loco addit consideremus. Dicit enim nos putare, quòd Contritio, uel certè dolor huic coniunctus, sit humanum quoddam opus, uirium scilicet humanarum. Et: Magni illi (inquit) assertores gratiæ, non docent gratiam quærere, tunc cùm maximè necessaria est. Primùm ergo, manifesta est calumnia, quòd affirmat nos existimare Contritionem esse opus humanarum uirium. Vbi, quæso, hoc Confessio Principis habet? Certè, si Sotus oculos haberet, facilè potuisset etiam hoc loco uidere, quòd non sentiamus uerã Contritionem esse opus humanarum, ut calumniatur Confessionem Principis, sed diuinarum uirium. Dicit enim Confessio apertè, quòd loquatur de ea contritione, quam in homine excitare solet LEX DEI. Hæc autem lex est organon, quo Deus hominem ducit ad agnitionem peccati, hoc est, ad Contritionem. Homo enim, &si natura sua habet aliquam Legis cognitionem, tamen peccato ita cæcatus est, ut magnitudinem peccati, & grauitatem iræ diuinæ, naturalibus suis uiribus agnoscere non possit; sed Deus mentem hominis in peccati agnitionem ducturus, solet uti lege sua, per quam illustrat oculos mentis, ut nõ tam uideat, quid debuisset Deo præstare, & exterreatur, quòd id nec præstiterit, nec uiribus suis præstare queat. Viuus (inquit Epistola ad Hebræos) est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinq; incidente, ac pertingens usq; ad diuisionẽ animæ simul ac spiritus, cõpagumq; & medullarum. In promulgatione Decalogi, Israelitæ, ad sonitũ buccinæ, & granditatem diuinę uocis ita expauescunt, ut nõ solũ retrocedant, uerumetiam fateantur se è uita excessuros, si amplius talem uocẽ audiant. Quo spectaculo Deus significare uoluit, quòd organo Decalogi excitet in homine contritionem. Nunquid non (dicit Dominus per Hieremiam) uerba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras? Et Paulus: Conclusit (inquit) Scriptura omnia sub peccatum. Quod autem hic tribuit scripturæ, hoc aliâs tribuit Deo

Galat. 3.

Deo ipsi, Concluſit (inquiens) Deus omnes ſub incredulitatem. Qua uarietate ſignificat, Deum per ſcripturam ſeu per legem ſuam patefacere homini peccatum & incredulitatem ſuam, quam alioqui, præ mentis ſuæ excæcatione uidere non poſsit. Quid, quòd & apud Ioannem dicit Chriſtus: Spiritum ſanctum arguere mundum de peccato. Quare, cùm Confeſsio Principis apertè dicat: Legem Dei excitare in homine Contritionẽ, non obſcurè affirmat, Contritionem in homine non eſſe opus humanarum uirium, ſed diuinæ potentiæ: & manifeſtum eſt, Sotum non hoc agere, ut pietatem doceat, ſed ut ueritatem calumnijs inuoluat. Rom. 11.

Deinde, ſcribit nos Magnos (ſic enim ipſe loquitur) gratiæ aſſertores, non docere gratiam quærere, tunc cùm maximè neceſſarium eſt. Equidem libenter agnoſco hoc elogium, & cupio nos etiam maiores eſſe gratiæ aſſertores. Sed quid illud ſibi uelit, quod addit nos non docere gratiam quærere, cùm maximè neceſſarium ſit, nondum ſatis aſſequi poſſum. Quid enim? An quia hìc non fit nominatim mentio petendæ gratiæ Dei, idcircò negatur, eam uel non eſſe neceſſariam, uel non eſſe petendam? Moſes Deuteron. 6. dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Nec addit confeſtim eo loco: Pete gratiam Dei, ut quod præcipit, facere queas: Dicemus ergo Moſen exiſtimare, quòd dilectio Dei ſit opus humanarum uirium, nec ſit inuocandus Deus, ut in nobis dilectionem ſui, Spiritu ſancto ſuo excitet? Paulus ad Rom. cap. 12. ſcribens: Benè, inquit, loquamini de his, qui uos inſectantur. Et: Ne ſitis arrogantes apud uos metipſos, neque cuiquam malum pro malo reddatis. Ac mox: Ne uincaris à malo, imò uince malum bono. Sed quia non ſtatim addit in eo loco: Inuoca Deum, ut det tibi gratiam faciendi, quod doceo, idcóne dicemus eum putare, quòd non debeamus Deum pro illis uirtutibus inuocare, & quòd benefacere inimicis, nec reddere malum malo, ſed malum uincere bono, ſit opus humanarum uirium? Hoc ueſtrum, Sote, non noſtrum aut ſacræ ſcripturæ dogma eſt, quòd quia Deus præcepit bona facere, idcircò poſsimus noſtris humanis ſeu liberi arbitrij uiribus obedire, aut ſabtem nos ad obedientiam diſponere. Habes igitur iterum ſpecimen Soticæ eruditionis, quòd exiſtimet in explicatione piæ doctrinæ omnia ſimul eſſe confundenda & permiſcenda. Etſi enim hoc loco, ut in compendio, non facimus expreſſam mentionem inuocationis diuinæ opis, tamen id fit in ſuis locis copioſè. Quæſo autem, qua occaſione, & quo uſu doceremus hoc loco de petenda, aut, ut Sotus loquitur, quærenda gratia? Docemus enim hìc de homine poſt baptiſmum in peccatum uaſtans conſcientiam relapſo, quo modo, aut quo gradu ad remiſsionem peccati coram Deo perueniat, & cum Deo, cuius indignationem propter peccatum incurrit, reconcilietur. Manifeſtum autem eſt, quòd qui deſignant peccatum uaſtans conſcientiam, amittant fidem, & excidant è gratia Dei. Si ſecundum carnem uixeritis, inquit Paulus, moriemini. Et iterum: Ne erretis, Nec ſcortatores, nec idolatræ, nec adulteri regnum Dei poſsidebunt. Et Ioannes: Qui peccatum facit, ex Diabolo eſt. Qui autem ſunt mortui coram Deo, qui non ſunt hæredes regni Dei, & qui ſunt ex Diabolo, certè non amplius habent fidem, nec ſunt in gratia Dei. Quid ergo ſibi vult Aſotus, cùm iubet hominem, qui in peccatum relapſus eſt, & amiſit fidem, petere gratiam Dei? An nõ exigit ab homine relapſo, quod eſt ipſi impoſsibile? Vt enim petas, ut quæras, ut inuoces no-

men Dei, necessaria est fides. Nam sine fide sicut Deo nullus placere, ita Deum nullus uerè inuocare potest. Facilè quidem est horas beatæ Mariæ Virginis, aut etiam uerba orationis Dominicæ sine fide recitare, Deum autem uerè inuocare, sine fide impossibilè est. Et Sotus ipse dicit, quòd ante remissum peccatum nullum sit aliud meritum, quàm damnationis. Quid ergo sui ipsius oblitus exigit, à peccatore adhuc impœnitente, ut petat gratiam Dei? Quomodo potest eam petere, amissa fide? Quomodo potest eam petere à Deo, à quo per peccatum recessit, quem fugit, quem odio habet? Si ante remissum peccatum nullum est aliud meritum quàm damnationis, erit ergo & petitio seu oratio illa, damnationis, & fiet in peccatum, ut Psalmus loquitur. Nam quod aliâs in Psalmo dicitur: Conuerte nos Deus salutaris noster. Et in Hieremia: Conuerte me & conuertar, oratio est, non impœnitentium, sed eorum, qui iam ad pœnitentiam diuinitùs conuersi sunt. Nisi enim donati essent Spiritu sancto & fide, non possent Deum inuocare. Quare, cùm dicunt: Conuerte nos, significant se diuinitùs ad conuersionem excitatos, & petere, ut Deus opus, quod in ipsis cœpit, conseruet & perficiat. Vnde & in Hieremia additur: Postquàm conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum. Nos autem in præsentia, cùm agimus de pœnitentia, loquimur non de ijs, qui iam sunt conuersi, sed qui sunt conuertendi, & inquirimus, quomodo, & quo gradu à Deo ad conuersionem perducantur. Vides igitur Sotum, tanta mentis hebetudine laborare, ut nullam prorsus habeat rationem eorum, quæ in suis quæq; locis aguntur.

Sed reuertamur à calumnijs Soti, ad ueram pœnitentiæ rationẽ. Deus enim conuersurus ad se, hominem relapsum, non expectat, dum homo quærat gratiam, quippe quòd homo per peccatum auersus, magis fugiat quàm quærat Deum, sed Deus ipse quærit hominem, ac si sequitur usitatam & ordinariam suam conuertendi hominis rationem, primùm omnium ducit eum per legem in agnitionem peccati, ut terreatur, & occidatur, deinde ducit eum per Euangelion in agnitionem Christi filij sui, ut per fidem in Christum refocilletur, & uiuificetur. Viuificatus autem (hoc est) reconciliatus cum Deo, receptus in gratiam Dei, absolutus à peccatis suis, & donatus Spiritu sancto propter Christum, incipit opera uitæ exercere, & officia Deo grata, iuxta uerbum eius facere, non ut meritis horum conciliet sibi fauorem Dei, & satisfaciat pro peccatis suis, Deus enim recepit eum iam in gratiam, & remisit ei peccata, propter Christum, Sed ut probet Deo gratitudinem & obedientiam suam, & testificetur ueritatem fidei suæ. Nam quòd hæc sit ordinaria uia, quam Deus in conuertendis peccatoribus sequatur, non solum illud ostendit, quòd Deus ducturus Israelitas, Ecclesiam suam, in terram Canaan, & instituturus politiam eorum, initio promulgauit Decalogum, per quem uenit agnitio peccati, quemadmodum suprà diximus, deinde addit statim concionem de Propheta, è medio ipsorum suscitando, hoc est, de Christo Domino nostro, propter quem condonatur peccatũ, uerumetiam alia cum dicta, tum exempla sacræ scripturæ testificantur.

Deut. 32. Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego uiuere faciam, percutiam, & ego sanabo, nec est qui de manu mea possit eruere. Hæc enim est consuetudo Dei, quòd uiuificaturus hominem, prius occidit eum, & sanaturus, antea percutit.

1. Samuel. 2. Dominus mortificat, & uiuificat, Dominus deducit ad inferos

feros & reducit. Cùm enim Dominus ſuſcipit hominem collocandum in cœleſtibus bonis, prius conijcit eum in horrores inferni.

Oſeæ 6. Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipſe nos diſcerpſit, & ſanabit, percuſsit, & curabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies &c. Iterum habes, qua uia ſoleat Deus, in ſeruando homine procedere, uidelicet per dilaniationem ad ſanationem, per plagam ad curationem, & per mortem ad uitam.

Inſpiciamus etiam exempla. Adam lapſus eſt in peccatum, & per peccatū amiſit fauorem Dei, & ſpiritū ſanctum, ac factus eſt obnoxius morti, & perpetuæ damnationi, Sed Deus tantæ eſt bonitatis, ut cōuerterit eū ad pœnitentiam, & receperit eum in gratiam. Quo autē modo, & qua uia? Num Adā, poſtquàm peccauit, quæſiuit gratiam Dei? Nihil certè minus: ſed potius, cùm audiſſet uocē Dei ambulantis in Paradiſo, aufugit, & abſcondit ſe inter arbores Paradiſi. Quid ergo factū eſt, ut reciperetur in gratiam Dei, & condonaretur ei peccatū? Primùm ductus eſt in agnitionem peccati ſui. Hoc enim eſt, quod fatetur ipſe, cùm ait: Vocē tuam audiui Domine, in medio Paradiſi, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me. Cui dixit Dominus: Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex arbore, de qua præceperā tibi ne comederes, comediſti? Hæc eſt concio Legis, qua Adam nō ſolū agnoſcit peccatū ſuum, uerumetiam incipit in conſcientia ardere flammis inferni & perire. Et quanq; quærit excuſationem, nullam tamen firmam inuenire poteſt. Ac perijſſet quoq;, niſi Dominus mox ſubiecisſet concionē Euangelij de Chriſto: Filius (inquiens) Virginis conteret caput ſerpentis. Per hanc concionem reuocatur Adam ex morte in uitam, ex inferni flammis, ad gaudium cœleſte. Audit enim concionem de Chriſto, & credit quòd propter ipſum condonetur peccatum, & ſeruetur ad æternam ſalutem. Etſi enim Deus ſtatim crucifigit eum, tamē, quia ipſe agnoſcit Chriſtum, agnoſcit etiam crucem ſibi impoſitam, non ut eſſet expiatio pro peccato coram Deo, Peccatum enim iam condonatum erat propter Chriſtum, ſed ut eſſet monumentum peccati, quo deinceps in officio timoris Domini, & obedientiæ contineretur.

Dauid relapſus eſt poſt circumciſionem, in horrenda peccata adulterij & homicidij. Ac poſt horum ſcelerum deſignationem terſit os ſuum, & egit tranquillam, ut uidebatur, uitam. Nec dubium eſt, quin interea recitauerit aliquot Pſalmos, & obtulerit ſacrificia, Sed quia nondum uerè reuertebatur ad Dominum, nec ueram agebat pœnitentiam, nihil eorum operum fuit Domino gratum. Cùm ergo uiſum fuit Domino reducere eum in uiam, & recipere in gratiam, è qua exciderat, mittit ad eum Nathan Prophetam, qui ipſum concione legis in agnitionem peccati duceret. Poſtquàm autem Dauid agnitione peccati ita terreretur, ut ingenuè fateretur ſe peccaſſe, & uideretur præ pauore periturus, confeſtim audit Euangelion, & abſolutionem: Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Cui cùm fidem adhiberet, reconciliatus eſt Deo, & accepit remiſsionem peccati, ac reſtitutus eſt iuri adoptionis filiorum Dei, propter Chriſtum, in quem peccatum eius translatum fuit.

Quid multis opus? Vbicunque Chriſtus prædicatur Mediator, Seruator, Redemptor, Propiciator, hoſtia & uictima pro noſtris peccatis, ibi Spiritus ſanctus ſignificat homines tum aſſequi remiſsionem peccatorum coram Deo, cùm agnitis peccatis, credunt peccata ſibi remitti, propter Chriſtum. Siue igitur Contritio hominum ſit perfecta ſiue imperfe-

cta, siue sit ante, siue post remissum peccatum, siue procedat ex charitate Dei, siue ex charitate hominum, nunquàm est expiatio peccatorum coram Deo. Et hoc est, quo spectat, quo tendit, ad quod properat Confessio Principis. Et quanquàm hoc Sotus palàm negare non audet, sed potius confirmare uidetur: Dicit enim apertis uerbis in scorijs suis, Peccatum gratis remitti. Et aliàs: Remissio peccatorum non fit ex meritis, tamen de Contritione sic concionari uidetur, quòd quemadmodum alia opera, ita & ipsa accipiat ex merito Christi, ut sit satisfactio pro peccatis nostris. Sed hanc esse impiam sententiam, suprà copiosè explicatum est. Et Confessio Principis etiam in hoc loco aliquot scripturæ testimonia recitat, quibus probatur, quòd Christus passione & morte sua susceperit peccata nostra expianda, non susceperit bona nostra opera, ut sint ipsa peccatorum expiatio, consecranda.

In ca. de Purgatorio.

Et quia Sotus non hoc tantum sibi sumit, ut Confessionem Principis, sed etiam quæ ipsa sacræ scripturę testimonia recitat, sordibus suis conspuet, nostri est officij, ut has abstergamus, & illa suo nitori restituamus.

Allegat ergo Confessio Principis dictum Psalmi: Cor contritum & humiliatum non despicies, & exponit causam, cur Deus non despiciat. Da uidis uel alterius hominis cor contritum & humiliatum, uidelicet, non propter hominis cõtritionem, sed propter contritionem Christi filij Dei. Hic, & si Sotus mox idem affirmare uidetur, Dicit enim, Cuiuscunq; cor contritum & humiliatum Deus non despicit, etiam Ahab. Et mox addit: Et hoc quidem, inquiens, propter Christi meritum, tamen tanta est libido calumniandi in Sycophanta, ut accuset Confessionem Principis, perinde ac si hoc dictum Psalmi de Solo Christo interpretaretur. Verbum tamen illud (inquit) Psalmi nulla ratio nec autoritas habet, ut de solo Christo intelligatur. Quis hoc unquàm dixit? cui unquàm sano, hoc in mentem uenit? An non apertè affirmatur, Deum non despicere cor contritum & humiliatum, aliorum uidelicet hominum. Sed additur causa, cur Deus non despiciat. Nam cùm respicit in unigenito filio suo Domino nostro Iesu Christo, cor contritum & humiliatum propter peccata humani generis, intantũ delectatur hac filij sui obedientia, ut respiciat etiam cor contritum & humiliatum omnium eorũ, qui credunt in Christum, & condonat eis peccata, non propter meritum ipsorum contritionis, sed tantum propter meritum contritionis unigeniti filij sui. Nam Contritio ac humiliatio Ahab, nihil ad nos. Non enim loquimur in præsentia de contritione hypocritarum, qualis fuit Ahab, & quales solent esse fraterculi, sed loquimur de Contritione eorum, qui animo suo ita conteruntur, ut credant in Christum, quòd propter ipsum habeant remissionem peccatorum. Talis autem contritus & humiliatus non fuit Ahab. Etsi scidit ad concionem Prophetę uestimenta sua, operuit cilicio carnem suam, ieiunauit, dormiuit in sacco, ambulauit demisso capite, denicq; omnia ferè ea fecit, quæ fraterculi facere solent, tamen quia mansit hypocrita, nec credidit in semen Abrahæ, & in filium Dauidi promissum, (qui est Christus) quòd propter ipsum solum habeat remissionem peccatorum coram Deo, humiliatio eius non fuit tanti momenti coram Deo, ut adoptaret Ahabum in hæredem cœlestium suorum bonorum. Ac retribuit quidem humiliationi Ahabi illud mercedis, ut nõ inducat malum in diebus eius, sicut scriptura loquitur, Non autem agnoscit eum hominem pium & iustum, nec condonat ei peccata propter humiliationẽ. Quemadmodum

modum enim Deus olim contulit insignes uirtutes in Romanos Idolatras, & propter uirtutes, maximam in orbe terrarum potentiam & auctoritatem: & superioribus temporibus cõtulit in fraterculos hypocritas magnam laudem coram hominibus, & alicubi magnas quoq; opes, propter externam eorum disciplinam, & speciem castitatis eorum, non sic autem uel his uel illis delectatus est, ut reciperet eos propter uirtutes ipsorum in gratiam, & condonaret eis peccata, ac adoptaret ipsos in hæredes cœlestis regni, quia illi non crediderunt in Christum, hi autem, & si iactant nomen Christi, tamen sunt hypocritæ, nec agnoscunt uerum officium Christi, sed quod Soli Maiestati Christi competit, hoc tribuunt etiam meritis suorum operum. Ita Deus delectatus quidem est externa humiliatione Ahab, quòd uideretur aliquo modo cœleste uaticinium honorare, non autem eo delectatus est, ut cõdonaret hypocritæ peccata, Sed ut conferret in eum aliquam mundanam suorum temporum tranquillitatem. Et hoc, ne ipse quidẽ Sotus negare potest. Addit enim: Deum non omnia eodem modo & æqualiter respicere, aliorum quidem ad uitã æternam, aliorum autem ad commoda aliqua temporalia. Ac ne uideatur Christũ excludere, utrobiq; addit meritũ Christi. Sed uanus homo uertigine sua hinc inde ita iactatur, ut nesciat ubi consistere debeat. Nam si utrobiq; tam in Dauidis, q̃m in Ahabi contritione & humiliatione est meritum Christi, quid est, quòd Deus non æqualiter, & eodem modo contritionẽ & humiliationem eorum respicit? Quid est, quòd humiliationem Dauidis respicit ad uitam æternam, Ahabi uerò ad cõmoda tantum temporalia? An non meritum Christi ubiq; sibi est æquale? Cur ergo non æqualiter à Deo respicitur? De hoc uiderit & sollicitus sit Asotus. Nos scimus quidem, quòd Deus Pater cœlestis faueat propter Christum filium suum uniuerso humano generi, ac etiam impijs, & benefaciat eis. Sinit enim solem suum oriri super bonos & malos. In præsentia autem nõ loquimur de generali beneficio meriti Christi, quo etiam impij frui possunt, sed de speciali, quod est Remissio peccatorum, & hæreditas regni cœlestis, Quo beneficio non fruuntur nisi hi, qui uerè in Christum credunt, quòd propter ipsum solum habeant peccatorum suorum remissionem. Non loquimur de Ahabica, hoc est, hypocritica, sed de Dauidica, hoc est, pia & Christiana humiliatione, quarum illa habet comitem, fiduciam in merita suorum operum, hæc autem habet comitem, fiduciam in gratuitam clemẽtiam Dei, propter meritum solius Domini nostri Iesu Christi. Quare cùm Dauid ita habeat cor contritum & humiliatum, ut credat sibi peccata remitti propter solam contritionẽ seu Passionem & mortem Christi, tunc à Deo sic respicitur, ut & accipiat condonationem peccatorum, & ius cœlestis hæreditatis, non propter suæ cõtritionis dignitatem, sed propter dignitatem & meritum contritionis Christi. Ahab autem humilietur quoq; & ipse, non autem uerè credat peccata sibi remitti tantum propter Christum, sed propter merita suorum operum, tunc respicitur quidem à Deo, non autem ut condonentur ei peccata, sed ut consequatur mundanam suorum temporum tranquillitatem. Hoc uerum est discrimen inter humiliationem Dauidis & Ahabi. Quod si Sotus concesserit, quid est, quòd humiliationem Ahabi Confessioni Principis obijcit? Si autem negauerit, homo impudens suo ingenio, & hypocrisi relinquendus est.

Cæterùm, cùm Confessio Principis diceret, peccata nostra expiata esse coram Deo, contritione & humiliatione Solius Christi, ibi Sotus accinit

nobis ueterem suum coccysmum, exclusionem illam non negare, quod ex ea Christi contritione in nobis est, hoc uidelicet, quantum ex aliis eius dictis colligere possumus, significans, Christum contritione sua meritum esse, ut & nostra contritio expiet peccata, Sed hanc φλυαρίαν suprà copiosè refutauimus. Hoc enim certum, firmum & fixum est, quòd Christus passus & mortuus sit non eo consilio, eo usu & fine, ut bona nostra opera acciperent meritum & dignitatem expiandi peccata, sed ut mala nostra opera, quæ seueritas Iudicij Dei nõ tantũ in peccatis, sed etiam in ipsis bonis nostris operibus inuenit, expiarentur corã Deo. Christus, inquam, passus est, non pro bonis nostris operibus, ut ipsa expient peccata, sed passus est pro peccatis, pro PECCATIS, inquam, ut hæc expiarentur, non propter nostras uel actiones uel passiones, sed propter solas actiones & passiones Solius Christi. Et quia Contritione, seu agnitione peccatorum, per se nondum agnoscitur passio seu meritum Christi, Sed TANTVM FIDE, per Euangelion Christi. Fides enim, inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei: Idcircò non occultamus, ut Asotus sentit, non celamus, sed ingenuè, perspicuè, apertè fatemur, & iterum atque iterum profitemur, SOLA fide fieri nos participes placationis Christi. Ac licebit quidem Soto dicere: Nos participes effici placationis Christi, cum corde fideli conterimur & humiliamur coram Deo propter peccatum. Nec hanc locutionem improbamus, nec negamus, quin possit piè à quouis pio dici, Sed sententiam Soti improbamus, sed impietatem, quam Sotus & collegæ eius talibus uerbis Ecclesiæ obtrudunt, detestamur. Existimant enim, quòd Christus ita expiauerit peccata nostra, ut non solum ipse pro ijs coram iudicio Dei satisfecerit, sed etiam conferat in nostram Contritionem & humiliationem uirtutem & meritum satisfaciendi pro peccatis coram Deo. Hæc Asotica commenta, has hypocriticas impietates damnamus. Ac fatemur quidem, Contritionem nobis necessariam esse, non autem ad hoc necessariam, ut propter dignitatem & meritum eius habeamus coram Deo remissionem peccatorum, Sed ad illud, ut agnitione peccati & grauitatis iræ Dei excitemur, ad quærendam remissionem peccati per fidem, in sola solius Christi passione & morte.

Hic uerò, cùm Confessio Principis dixisset: Nos fieri participes placationis diuinæ iræ, cùm credimus SOLVM Iesum Christum esse propiciatorem nostrum apud Patrem cœlestem, bonus & pius uir Asotus arbitratur uicem eorum dolendam, qui cùm putant se esse illustratores fidei & doctrinæ iustificationis, longè tamen ab ea absint. Ac nos quoq; sentimus talium hominũ uicem esse dolendam & deplorandam, Sed qui sint tales, agnoscimus Iudices, non Asotum & fraterculos eius, sed Christum Dominum nostrum, & pios quosque sacris literis uerè eruditos. Videamus autem nunc, uel saltem in hoc uno loco, quàm propè adsit Sotus iustificationi, & quàm rectè ac piè eam intelligat. Primùm, cùm fatemur Iesum Christũ esse SOLVM propiciatorem nostrum, iubet Sotus hoc uocabulum (SOLVM) cauere. Hæccine est illa Soti eruditio & sapientia, qua uerè intelligit doctrinam de Iustificatione? Quid? Hoc ne uocabulum, quo Spiritus sanctus toties in explicãda maiestate Deo Patri & Filio eius propria utitur, tanquàm uenenatum cauendum erit? Et quid accidit Asoto, quòd cùm aliàs relinquat quidem Christo uocabulum SOLIVS, & adimat ei uocabulum, Solitarij: SOLVM, inquiens, sednon Solita-

Solitarium: nunc autem adimat ei etiam uocabulum Solius? Voluit fortaſsis dicere, hoc uocabulum rectè intelligendum, ſed non potuit præ balbutie, commodius uerbum, quàm cauendi, in promptu habere.

Deinde iterum obtrudit nobis ueterem ſuam impietatem. Non excluduntur, inquiens, noſtra, ut à Chriſto ſunt. Ac mox, affirmat noſtram Contritionem, & Orationem reddere Deum propicium, idque propter Chriſtum & ex Chriſto. Diceres Sotum uelle tandem oculos recipere, & in uiam redire. Sed ſub hac ouilla balatione non eſt nobis ignota lupina crudelitas. Arbitratur enim Aſotus, quòd meritum Chriſti in bona opera ita transferatur, ut & ipſa expient peccata coram iudicio Dei. Sed hanc impietatem copioſè in prima Pericopa refutauimus. Paſſus enim eſt Chriſtus mortem, non pro bonis hominum operibus, ut ipſa acciperant uim expiandorum peccatorum, ſed paſſus eſt pro MALIS operibus, ut hæc coram Deo, Sola ipſius morte expiarentur. Et cùm Spiritus ipſe ſanctus relinquat bona opera in homine, propter carnem, imperfecta & uicioſa, quomodo filius Dei, à quo Spiritus ſanctus procedit, infunderet in ea tantam maieſtatem, ut placarent iram Dei? Tanta eſt grauitas diuinæ iræ, ut ad eam uniuerſus orbis contremiſcat, & tu putas hunc omnis creaturæ tremorem, uicioſis hominum operibus ſedari poſſe? Doceat prius Aſotus, Chriſtum facere hominum opera in hac carne ita perfecta, ut nihil prorſus habeant imperfectionis, uitij, ſordium, & prophanitatis, ibi tum ueriſimile erit, quòd conferat in ea meritum expiandorum peccatorum. Sed prius teſtudo leporem præuerterit, aut locuſta Elephantum pepererit.

Nam, quòd addit: Noſtra, inquiens, contritio propicium nobis reddit Deum, ſiquidem de ea loquitur contritione, quæ eſt ante remiſſum peccatum, non eſt, autore ipſo Soto, aliud meritum, quàm damnationis. Si autem loquitur de contritione, quæ ſequitur fidem, tunc inſanit, quòd ea tribuat noſtræ contritioni, quæ antea habentur per fidem in Chriſto: Niſi forte hoc ſentiat Sotus, quòd cùm contritio Chriſti, qua ſola Deus nobis factus eſt propicius, fiat noſtra per fidem, ſit & noſtra propiciatio. Hæc quidem uera eſt ſentẽtia, ſed Sotus falſus eſt Sophiſta, qui aliud corde ſentit, aliud uerbis oppugnat. Et tamen uix crediderim Sotum in cognitione Euangelij Chriſti eò progreſſum, ut ſciat, quid uerè illud ſit, quod dicitur, Contritionem Chriſti eſſe noſtram.

Oratio quoque dicitur nobis Deum reddere propicium, idq; exemplo Moſi & Iobis. Etſi autem Deus oratione Moſi, quæ extat in Exod. ca. 32. dicitur eſſe placatus erga Iſraelitas, non tamen ita placatus eſt, ut incredulis remitteret peccata, & condonaret eis omnia peccatorum ſupplicia, ſed tantum, ut in præſentia non deleret omnem populum. Placatus eſt Dominus (inquit) ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum, uidelicet, ne in præſentia deleret eum. Sed poſtea addit: Qui peccauerit mihi delebo eũ de libro meo. Et: In die ultionis uiſitabo & hoc peccatum eorum. Itaq; Moſes impetrauit quidem oratione ſua, ut Iſraelitæ liberarentur præſenti periculo, ſed non expiauit oratione ſua peccata impiorum, nec Deus remiſit eis peccata propter meritum orationis Moſi. Nos autem in præſenti tractatione de Pœnitentia, illud meritum quærimus, propter quod Deus ita placatur, ut & peccata remittat, & æterna ſupplicia condonet. Hic certè nullum aliud meritum eſt, nõ Contritio humana, non Oratio uel piorum, uel impiorũ, non ieiunium, non eleemoſyna,

non cælibatus, non quicquam aliud, sed Solum meritum filij Dei Domini nostri Iesu Christi, ut qui credit in Christum, habeat remissionem peccatorum, & condonationem æterni supplicij, propter Christum. Ac omninò quidem sentiendum est, quòd Deus placetur oratione piorum, Sed quod rectè uerbis dicitur, rectè etiam & piè sensu intelligendum est, Hæc enim, aut similis locutio exigi debet ad analogiam fidei, & ad fundamentum ac statũ doctrinæ Euangelij, quo docemur, unum Solum Christi meritum esse placationem cœlestis iræ, & expiationem peccatorum coram Deo, ac liberationem ab æterno exitio. Itaque cùm dicitur, Deum placari oratione piorum, non sic intelligendum est, quòd ipsa huius actionis dignitas, seu, ut illi loquuntur, opus orationis operatum mitiget iram Dei. Nam, si id esset meritum huius operis, cur multiloquium in oratione reijceretur? & cur oratio fieret aliquoties in peccatum? Necita intelligendum est, quòd Christus infundat suum meritum nostræ orationi, ut ipsa sit placatio cœlestis iræ, & expiatio pro peccatis. Christus enim ipse passus est pro peccatis nostris, non effecit, ut Oratio, aut aliud bonum opus nostrum pro peccatis pateretur. Et de Oratione ac alijs bonis operibus ita sentire, quemadmodum Sotus affirmat, est tot Christos facere, quot sunt bona opera, quemadmodum suprà copiosè explicatum est. Ac uerbis quidem iactat Sotus hoc loco, se Christo nihil detrahere, sed potius glorificare, Si autem expendas, quid uerè sit glorificare, non possent Fraterculi hac gloria, Christum maiori contumelia afficere. Contumelia enim est, non tantum, aliquid de laude & gloria, quæ cui debetur, detrahere, uerumetiam nimium laudis & gloriæ, quàm debetur, tribuere. Et Lex Domini manifestè significat, qûòd in colendo Deo, peccatum sit, non tantum nimis ad sinistram, uerumetiam nimis ad dextram declinare. Tribuere autem Christo, quòd non solum ipse meritus sit morte sua expiationem peccatorum nostrorum, sed etiam largiatur hoc meritum nostris bonis operibus, est Christo longè plura tribuere, quàm uel ipse agnoscit, uel res ipsa ferre potest. Quid enim? Num aut mors Christi tam inefficax est, ut Sola non sufficiat ad expianda peccata nostra, nisi assumat adiutores? aut peccata nostra tam uilia corã tribunali Dei reputantur, ut possint non tantum sanguine unigeniti filij Dei, uerumetiam nostris tam imperfectis, tam uicijs, tam putidis operibus expiari? Plato introducit (cuius & suprà memini) suum summum Deum, minores suos deos ita alloquentem, Dij deorum, qùorum ego opifex sum. Si ergo Propheta quispiam Domini accusasset Platonem contumeliæ in Deum, quòd faceret plures deos, an non potuisset totidem uerbis respondere: Ego uerò, inquiens, nihil detraho summo Deo, sed glorifico eũ? Anaxagoras & Metrodorus docuerunt innumerabiles esse mundos. Quòd si quis obiecisset eis, diuinam maiestatem contentam fuisse creatione unius tantum huius externi mundi, an non potuissent idem quod Sotus commemorare, se uidelicet hac in parte nihil detrahere Deo, sed glorificare eum, propterea quòd tanto maior gloria & potentia Dei uideatur, quanto plures mundos creasse dicatur. Sed quis uanitatem eorum non agnosceret? Gloria enim & maiestas Dei est, non quam fingit humana cæcitas, sed quam Deus uerbo suo patefecit. Cùm igitur, qûòd Sotus affirmat: Orationes hominum habere propter Christum & ex Christo meritum expiandorum peccatorum, nõ solum non habeat testimoniũ uerbi Dei, uerumetiam pugnet cum eo, quomadmodũ sæpè iam

& multùm

& multùm demonstrauimus, perspicuum est, quòd talibus præconijs in tantum non glorificetur Christus, ut maxima contumelia afficiatur.

Nam, quod ex scriptura docetur, iram Dei placari orationibus piorum, hanc habet sententiam, quòd pij afflictionibus uel suis, uel alienis excitati, sentiunt nõ tam carnis, quàm fidei suæ imbecillitatem, ac metuunt, ne in aduersis sit pereundum. Properant igitur ad inuocationem nominis Dei, & ad preces, non hoc consilio, ut merito seu eloquentiæ, seu querelæ suæ mitigent seueritatem Dei, sed ut admoneantur de Euangelio Christi, quo adnunciatur nobis gratuita remissio peccatorum propter Christum, & de reliquis promissionibus, quibus Deus recipit se uaria beneficiorũ genera tam corporalia, quàm spiritualia propter filium suum in nos collaturum. Euangelion autem Christi, & aliæ promissiones cœlestes, in mentẽ reuocatæ succurrunt imbecillitati fidei, & cõfirmant fidem. Quantum autem fidei habemus, tantum beneficiorum à Deo accipimus. Iuxta fidem, inquit, uestram, fiat uobis. Et: Quęcunq; petieritis in deprecatione, CREDENTES accipietis. Placatur ergo Deus precatione piorum, nõ quòd tanta sit huius operis coram Deo dignitas, sed quòd sit confessio fidei in Christũ, propter quem solum Deus est nobis inuocantibus ipsum propicius. Itaq; precatio nec ex se, nec ex Christo habet, ut ipsa expiet peccatum, & mitiget iram Dei, sed est tantum opus, quo reuocamus in mentem Euãgelion de Christo, unico & uero propiciatore, & ex eo confirmamus fidem. Et quia Deus inuenit in nobis Christum filium suum per fidem, teneri non potest, quin in inuocantes ipsum, effundat omne genus beneficiorum liberalissimè, non propter inuocationis meritum, sed propter meritum Christi. Hæc est uera sententia de precibus nostris, quę sumpta est ex ipsa Euangelij doctrina, & sicut commendat pias preces, ita relinquit suum Christo filio Dei honorem, qui & ipsi soli competit, & nulli alteri uel operi uel creaturæ ita communicatur, ut accipiat & habeat aliquid meriti ad placandam iram Dei, ad expianda peccata coram seuero Tribunali Dei, & ad consequendam æternam salutem.

Sed ecce tibi insignem & fidelissimum catechistam. Metuens enim homo, salutis nostræ sitientissimus, ne minus credamus, quàm oporteat, cõmemorat nobis Symbolon eorum articulorum, qui sint credendi. Et qui dem operæpreciũ est uerba ipsa catechistæ audire. Aduerte (inquit) non solũ hoc credendũ esse, ut iustificemur, quod hic dicitur, sed totam integrã catholicã fidem, non solum Christum esse propiciatorẽ apud Patrem tantũ, sed etiam cætera omnia, Claues datas Ecclesiæ, illã esse unam, & sub uno Christi uicario, successore Petri, & omnia dogmata. Habes catechismũ Asoti, quo quid nobis potest proponi uel eruditius, uel expeditius? Dicit, non solũ credendum esse, Christũ esse propiciatorẽ apud Patrem. Accipimus. Hoc igitur credendũ est. Quid ergo faciamus, si deprehẽdamus alia dogmata, quæ nobis nomine catholicæ ecclesiæ, & Vicarij Christi, ac successoris Petri obtruduntur, cũ illo præcipuo articulo, de solo Christo propiciatore pugnare? Nũ hic articulus abijciendus est, & tenẽdum, quod successor Petri, aut fraterculi eius, quamuis hypocritę, quamuis impij, quamuis idololatrę, quamuis Magi & incantatores tradunt? Et quæ est illa tota integra catholica fides? Num hoc nomine continentur etiam uisiones Dominici, Stigmata Francisci, & Reuelationes Brigittæ? Quid & omnia dogmata? Habent enim & Philosophi sua dogmata. Num & illa sunt credenda? Sed si loquendũ est de dogmatis Christianæ religionis, quid?

num & ea sunt credenda, quæ cùm dogmatis Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ pugnant? Certè credenda sunt, uidelicet, non quòd sint uera, sed falsa, non quòd sint pia, sed impia. De clauibus autem, quæ datæ sunt ecclesiæ, quid attinet multa in præsentia dicere? Quis enim negat claues regni cœlestis datas esse à Christo, & datas esse Ecclesiæ? Negamus autem tales esse datas, quales sibi usurpant Pontifices & Fraterculi eorum. Negamus etiam Christum Ecclesiam suam sic deseruisse, ut opus sit Vicario. Agnoscimus quidem ueram Ecclesiam Christi habere Ministros, non autem habere uicarium Christi. De ministris Ecclesiæ legimus in sacra scriptura, De uicario Christi ne gry quidem, nisi fortè eo in loco, quo Paulus dicit: Non aduenier Dominus, nisi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille sceleros us, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnẽ, qui dicitur Deus aut numen, adeo ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum.

Et successor Petri est, qui doctrinam Petri, non qui locum eius tenet. Sed quid in his commoror? Nos, cùm de iustificatione docemus, quòd credendum sit, solum Iesum Christum esse propiciatorem nostrum apud cœlestem Patrem, non loquimur tantum de cognitione historiæ Passionis Christi, sed de fiducia, quæ collocanda est in sanguine Domini nostri Iesu Christi, quòd is sanguis emundet nos ab omni peccato. Deinde loquimur de summo officio Christi, quo ipse in his terris functus est, uidelicet, quòd propter hanc præcipuè causam uenerit in hunc mundũ, ut expiaret peccata nostra, & redderet nobis Deum propicium. An qui de hoc officio Christi docet, non simul omnia ea, quæ tam Prophetę, quàm Apostoli de Christo tradiderunt, comprehendit? Petrus concionabatur Gentibus Cæsareę, & in Epilogo concionis: Huic, inquit, omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Quid? An Petrus non satis fungebatur suo officio, quia non addidit articulos Sotici catechismi? Paulus ad custodẽ carceris tremefactum, & petentem, quid facere oporteat, ut saluus fiat: Crede, inquit, in Dominum Iesum, & Saluus eris tu & domus tua. Reprehendat igitur Sotus Paulum, quòd non addat: Credas etiam claues Ecclesiæ datas, & Petrum esse uicarium Christi, & omnia dogmata. Sed quid in his Soti uanitatibus perstringendis, tamdiu me detineri patior? Nam quæ in alia scripturæ loca, quæ recitat Confessio Principis, cornicatur, nõ dissimilis sunt notæ, ac superius à nobis uel explicata, uel refutata. Affirmat quidem Confessionem Principis præposterè loqui de contritione, & negat catholicos sentire, quòd contritio Cain, Esau, Saulis, & Iudæ Ischariotis uel fuerit uera, uel sit meritum remissionis peccatorum, Sed addit & affirmat longè absurdiora & horribiliora, uidelicet.

1. Perfectam contritionem ex gratia procedentem, esse meritum æternæ uitæ.

2. Et quoties remisso peccato, in eundem prorumpimus contritionis actum ex charitate, & gratiam & uitam æternam mereri, ac integriorem etiam remissionem peccati. An non hæc digna sunt, quæ utranq; faciant paginam, & quæ à Vicarijs Christi, & Successoribus Petri teneantur? Habete igitur uobis sanctissimi Patres, uestram gratiam, & uitam, quam Contritione uestra meremini, nos eam gratiam & uitam tenebimus, non quam meremur nostra Contritione, sed quam contritione sua meritus nobis est Vnigenitus filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, quem

quem ſolum agnoſcimus noſtrum caput, noſtrum meritum, & noſtram propiciationem. Non miror autem, quòd Sotus uocet noſtram doctrinam de pœnitentia & iuſtificatione, tenebras, quippè quòd & noctua accuſet lumen Solis, & Paulus dicat: Si adhuc uelatum eſt Euangelion noſtrum, in his, qui pereunt uelatum eſt, in quibus deus huius ſeculi excæcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

Sed cùm ea, quæ Sotus in Scorijs huius capitis deinceps balbutit, ſuprà copioſè refutauimus, accedemus ad teſtimonia ſacræ ſcripturæ, quæ in ſua Confuſione recitat. Quæſo autem te, amiciſſime mi Lector, conſidera tamen mihi, in quem uſum Aſotus tot ſcripturæ loca in hoc capite ex Ezechiele, Hieremia, Daniele, Matthæo, Marco, Paulo & Auguſtino commemoret. Num, ut doceat, quòd peccator debeat conuerti ad Deũ, & agère pœnitentiam? Sed quis hoc negat? aut contra quem Sotus pugnat? Non enim hoc nunc agitur, num peccator debeat pœnitentiam agere, Sed quomodo agenda ſit pœnitentia? num iuxta doctrinam Prophetica & Apoſtolicam, an iuxta doctrinam Sophiſticã & Aſoticam? An fortè recenſet ſcripturæ dicta, ut probet noſtrã Contritionem eſſe expiationem peccatorum coram Deo? Sed tam uarius & mutabilis eſt, ut neſcias, quid affirmet. Nunc enim dicit: Eccleſiam Catholicam credere, Contritionem non eſſe meritum remiſſionis peccati, ſed diſpoſitionem neceſſariam, ut per eam, iuſticiam ueram conſequamur. Nunc dicit: Noſtram contritionem reddere nobis propicium Deum, & eſt meritum æternæ uitæ, ac mereri etiam integriorem remiſſionem peccati. Quis hæc tam diſſoluta, tam abſurda, tam pugnantia, nõ libenter aut ignoraret, aut non intelligeret? An mereri remiſſionem peccatorum, & reddere Deum propicium, ac eſſe meritum æternæ uitæ, non ſunt eadem? imò, an mereri æternam uitam non multò maius uidetur, quàm mereri peccatorum remiſſionem? Cur igitur tribuitur Contritioni quod maius eſt, & adimitur ei, quod minus eſt? Sed relinquamus hypocritis ſuas cæcitates, ſuas contritiones & pœnitentias, quandoquidem impuris omnia ſunt impura, nos autem ſectemur eam contritionem, & pœnitentiæ normam ac formam, quam ſuprà ex Prophetica & Apoſtolica doctrina deſcripſimus, & quæ nobis rationem ueræ ac æternæ ſalutis demonſtrat.

De Confeſsione.

INgreſſuro mihi in locum Cõfeſsionis uenit in mentem eius fabulæ, quam nobis Fraterculi, ad commendandam & amplificandam Confeſsionis utilitatem ac neceſsitatem, ſæpè ac multùm recitarunt. Adultera ſuſcepit pro more, peccata ſua ſacrificulo enumeranda. Nec longè ab eo ſpectaculo aberat Sanctus quiſpiam pater, haud ſcio, num de familia Dominici, an Franciſci, certè ſingulari intuendarum ſpiritualium rerum dono ornatus. Cùm igitur adultera cœperat initio recitare quædam, neſcio quæ, peccata, uiſus eſt ſibi uir ille uidere, ex ore adulteræ alterum poſt alterum buſonem egredi, aut potius exilire. Poſtq̃ autẽ buſones ſic ſatis multi, in pauimento ſubſultarent, & quò ſe proripiant, circumſpicerent, ecce tibi, alius buſo inuſitatæ magnitudinis uidetur capitulum ſuum alternis, nunc ex ore adulteræ pro-

ferre, nunc retrahere, donec se per gulam in uentrem, unde ascenderat, iterum reciperet. Quod cùm factum esset, uide mihi, quæso, mirandum spectaculum: bufones, qui antè exierant, omnes uno impetu resiliunt in os adulteræ, & ab ipsa, quasi deuorari uidentur. Cùm igitur uir sanctus, secum attonitus cogitaret, quid sibi hæc uisio uellet, uenit uox de cœlo, ac interpretatur bufones esse peccata, & hos quidem, qui initiò egressi fuerant, significare ea peccata, quæ mulier ingenuè confessa esset: illum autem, qui caput in ore nunc protulerit, nunc retulerit, significare adulterium, quod misera muliercula designauerat, & cogitauerat quidem confiteri, sed pudore tandem uicta, reticuerat. Itaque factum sit, ut & reliqua peccata, quæ antè fuerat confessa, haberentur coram Deo, perinde ac si non essent uel confessa, uel expiata. Talibus nugis illuserunt Fraterculi orbem, & abusi sunt, non tam simplicitate plebeculæ, quàm sapientia & potentia Principum. Tanta enim tyrannide exigunt ab omnibus utriusque sexus (sic enim loquuntur) confessionem illam suam, quam Sacramentalem uocant, ut nisi quis uel saltem semel in anno confiteatur solus omnia sua peccata proprio sacerdoti, decernant eum, uel uiuentem, ab ingressu Ecclesię arcendum, uel morientem, Christiana sepultura priuandum, hoc est, iudicent indignum, quem Christus filius Dei respiciat, & in hæreditatem cœlestium bonorum adoptet. Sed huic asino sua λειοντὴ scriptis nostrorum ac suorum quoq; ita detracta est, ut non satis mirari possim, qua fronte audeant isti adhuc cum sua Confessione in medium prodire. Ac mereretur quidem Sotus sua impudentia, ut coccymos eius surda aure præteriremus, sed quia libuit ei in hanc harenam descendere, age, experiamur quantum armis suis uir Goliathæo apparatu incedens, ualeat. Vera, inquit, fides agnoscit necessariam esse peccatorum omnium lacrymabilem confessionem, ex præceptis Euangelicis & Apostolicis, ex usu ipsius primitiuæ & totius catholicæ ac ueteris Ecclesiæ. μεταλαιωμένε ἡμερῶν πακῶν, ὀρθῶς ἐνθυσωὶς τὴν σεαυτοῦ κεφαλήν.

Cùm igitur nobis differendum sit de Confessione, primùm omnium constituamus de quo Confessionis genere hoc in loco sermo fiat. Non enim loquimur nunc de Confessione laudatoris, sed de confessione fraudatoris, hoc est, peccatoris. Nec loquimur de ea peccati confessione, quæ fit corā Deo, sed quæ exigitur priuatim facienda coram sacerdote, quam alij auricularem, alij Sacramentalem uocant.

Videamus ergo, à quo hæc Confessio, quam dicunt ad salutem esse necessariam, sit instituta, & in quo Legum genere sit reponenda.

Ac primùm, fatentur ipsi, quòd hæc Confessio seu occulta peccatorum enumeratio, non sit iuris naturalis. Relinquitur ergo, quòd sit iuris positiui, & cùm huius iuris altera species sit diuini, altera humani, dubitant, ac pugnant etiam, uestri ipsi Scriptores, Asote, in quod genus positiui iuris, hæc Confessio sit referenda.

De Pœni. d. 1. c. Quamuis. §. Quibus.

Gratianus, post enumerationem uariarum sententiarum, de Confessione, addit: Quibus, inquiens, autoritatibus, uel quibuslibet rationum firmamentis utraq; sententia Satisfactionis & Confessionis innitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, LECTORIS IVDICIO reseruatur. Vtraq; enim fautores habet Sapientes & Religiosos uiros. Hactenus Gratianus. Hìc initiò considera mihi, quòd Gratianus reseruet libero Lectoris iudicio, utrum sentiat Confessionem illam, de qua loquimur, diuinitùs, an humanitùs præceptam,

Si autem ijs temporibus certũ fuisset, eam esse diuini Iuris, quomodo Lectori relinqueretur iudicij libertas? Deinde affirmat utranq; sententiam habere fautores Sapientes & Religiosos uiros. Si ijs temporibus certum & indubitatum fuit, Confessionem esse diuini iuris, quomodo qui contrarium sentiunt, habendi sunt uiri Sapientes & Religiosi?

Gratiani commentator, post expositionẽ opinionis aliorum de institu- De Pœn. d. 5.
tione Confessionis, addit: Sed melius (inquiens) dicitur eam institutam *in principio*
fuisse â quadã uniuersalis Ecclesiæ traditione, potius quàm ex noui uel ueteris Testamenti autoritate. Si uera fides, ut Sotus loquitur, agnoscit necessariam esse Confessionem omnium peccatorum ex præceptis Euangelicis & Apostolicis, an dicent Asotici, nec Gratianum, nec cõmentatorem eius legisse aut meminisse præcepta Euangelica & Apostolica?

Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus apud Gratianũ: Quidam, inquit, Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Et Gratiani commentator: Apud Græcos, inquit, non est necessaria confessio in mortalibus, quia nõ emanauit ad illos traditio talis &c. Quanquàm autem Scotus & alij quærunt hîc suas tenebras, tamen aperta sunt testimonia, Confessionem illam Sacramentalem, seu auricularem non fuisse in Ecclesia Græcorum habitam necessariam ad salutem, ideoq; nec ex ueteri, nec ex nouo Testamento probatam.

Petrus Longobardus recitat multa testimonia eorum, qui sentiunt, quòd sufficiat, si soli Deo fiat confessio sine Sacerdotali iudicio, & confessione Ecclesiæ. Etsi autem suscipit mox ea testimonia eludenda, tamen ijs haud obscurè significatur, quòd illis temporibus nondum fuerit publico omnium consensu approbatum, Confessionem illam, quam uocant, Sacramentalem esse ad salutem necessariam.

Thomas Aquinas ait: Præceptum de Confessione, non est ab homine primò institutum, quamuis sit à Iacobo promulgatum, sed à Deo institutionem habuit, Quamuis EXPRESSA ipsius institutio non legatur.

Ioannes Scotus cunctanter admodum, & dubitanter incedit. Videtur, inquiens, rationabilius tenere, quòd Confessio cadat sub præcepto diuino positiuo, Sed tunc oportet uidere, an explicitè in Euangelio à Christo immediatè, quia patet, quòd non in ueteri lege, an ab ipso explicitè in aliqua doctrina Apostolica. An nec sic, nec sic, Sed dato à Christo & uocetenus ab Apostolis Ecclesiæ promulgato. Primum istorũ esset magis conueniens tenendum, si posset euidenter haberi istud præceptũ ex Euangelio. Nec oportet ad hoc adducere illud Matthæi decimosexto: Tibi dabo Claues regni cœlorum, quia non est nisi promissio de datione futura. Si aliquid in Euangelio ualet, ad hoc uidetur illud Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.

Et paulò pòst: Si omninò (inquit) contendas, quòd per rationes positas in isto membro, nõ probatur fuisse datum ex uerbis Euangelij, nunquid dicemus secundum, scilicet, quòd illud præceptum habetur ex uerbis alicuius Apostoli, dicitur quòd sic, de illo uerbo Iaco. 5. Confitemini alterutrũ peccata &c. Sed nec per hoc uidetur mihi, quòd Iacobus præceptũ hoc dedit, nec præceptũ à Christo promulgauit. Primùm non. Vnde. n. sibi autoritas obligandi totã Ecclesiam, cùm esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, nisi dicas illã Ecclesiam in principio fuisse principalẽ, & per cõsequens eius episcopum principalem Patriarchã, quod non concederent Romani. Nec quòd illa autoritas propriè pro tempore illo erat sibi sub-

tracta. Nec ſecundum uidetur, quia Apoſtoli publicantes præceptũ Domini in ſcripturis ſuis, utebantur modo loquendi, per quẽ potuit innoteſcere, quòd erant præcones Chriſti, ut patet per illud Pauli 1. Cor. 7. ut quando vult publicare illud præceptum Domini, de non dimittenda uxore, dicit: Præcipio non ego, ſed Dominus &c. Quando autem vult facere propriã perſuaſionẽ, dicit de cohabitatione uiri conuerſi ad fidẽ, cum ſua uxore infideli, uel econtra, quia hoc licet ſit ſine contumelia Chriſti, nõ tamen eſt neceſſarium. Dico ego, nõ Dominus. Alioquí nõ poſſet Eccleſiæ conſtare, quòd ipſe ut præco publicaret præceptũ, niſi ex præcedentibus uel ſequẽtibus manifeſtaret ſe eſſe in illa publicatione præconẽ. Vtrunq; etiam membrũ ſimul probatur per illa uerba annexa. Dicendo, n. Confitemini alterutrũ, non magis dicit Confeſsionem faciendam eſſe ſacerdoti, q̃ alij. Subdit. n. Orate pro inuicẽ, ut ſaluemini, ubi nullus diceret ipſum inſtituiſſe nec promulgaſſe præceptũ diuinum: ſed intellectus eius eſt ſicut in illo uerbo: Cõfitemini alterutrum, perſuaſio ad humilitatem, ut ſcilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, iuxta illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus peccatum nõ habemus, noſmetipſos &c. Ita per ſecundũ perſuadet ad charitatẽ fraternam, ut ſcilicet per charitatẽ fraternam ſubueniamus nobis inuicem. Apparet ergo iſtud nõ eſſe de iure diuino promulgato per ſcripturam Apoſtolicã. Vel igitur tenendũ eſt primum membrũ, ſcilicet quòd ſit de iure diuino promulgato per Euangelion, ut in ſecundo uel tertio membro eſt declaratum. Vel ſi illud nõ ſufficiat, dicendũ eſt tertium, ſcilicet, quòd eſt de iure diuino poſitiuo promulgato à Chriſto Apoſtolis, ſed Eccleſiæ promulgato per Apoſtolos abſq; omni ſcriptura, ſicut multa alia tenet Eccleſia, oretenus per Apoſtolos ſibi promulgata ſine ſcriptura, cuius fundamentũ eſt illud Ioan. 20. Multa quidẽ & alia ſigna fecit Ieſus &c. Hactenus Scotus. Non piguit autem in præſentia, ipſa eius uerba recitare, partim, ut reuocemus in memoriam, quales præceptores Eccleſia Dei ante hæc tempora habuerit, & quales adhuc habendi eſſent, ſi conſilia Aſoti promouerent: partim ut manifeſtè cognoſcamus, quanta ſit uanitas & impudentia Soti, quòd uociferetur, confeſsionem illam ſuam, ex præceptis Euangelicis & Apoſtolicis eſſe neceſſariam. Nam ſi hoc eſſet ἀκίνητον, cur de eo tot ſcriptores non admodum uetuſti, & Sophiſticæ Ma tẽologiæ columnę, pendent animi, dubitant, hæſitant, ac reuocant ſeſe interdum, & neceſſe habent tandem eò confugere, ut affirment eſſe traditionem non ſcriptam? Quid? An non legerunt illud Ioannis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis? Et illud Iacobi: Confitemini alterutrũ peccata ueſtra? Et illud in Actis Apoſtolicis: Multi credentiũ ueniebant confitentes & adnunciantes actus ſuos? Certè legerunt, & ſolent ea etiam recitare, nec tamen inueniunt, ubi pedem ponant, & firmiter conſiſtant.

Sed fortaſsis Sotus, qua eſt ingenij induſtria, plura & certiora uidit in his ſcripturæ teſtimonijs, quàm maiores eius, idcircò cõſideremus quam uim habeant, ad ſtabiliendam illam Sacramentalem Confeſsionem.

Chriſtus apud Ioannẽ dicit ad Apoſtolos: Quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis &c. Ex hoc loco ratiocinatur non tam Sotus, q̃ reliqua horum ſcriptorum colluuies, quòd cùm Chriſtus cõmendet Apoſtolis officiũ remittendi & retinendi peccata, detur eis poteſtas iudicandi & cognoſcendi de peccatis. Quare, cùm cognitio peccati nõ poſsit fieri, niſi per accuſationẽ peccatorum, quæ eſt confeſsio, exiſtimant Chriſtũ eo loco Confeſsionem, hoc eſt, enumerationẽ peccatorũ coram ſacerdote mandaſſe.

Sed

Sed si Asotici rem seriã agunt, quid est, obsecro, quòd in recitandis his uerbis Christi, dissimulant & omittunt, quod præcedit, & quod omninò cognitu necessarium est? Christus enim nõ simpliciter dicit: Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis &c. Sed præmittit, ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM, uidelicet significans, eos accipere officium remittendi & retinendi peccata, qui accipiunt ab ipso spiritum sanctum.

Dicat igitur Sotus, aut omnes suos Sacrificulos & Fraterculos, qui auditunt Confessiones vulgi, habere certò spiritum sanctum, & res ipsa arguet eum uanitatis, aut eos, qui carent spiritu sancto, non remittere nec retinere peccata, & quis tunc sperabit in confessione absolutionem suorum peccatorum? Non ignoro, quod ex Magistris suis dicere solent, Per ministerium etiam mali sacerdotis transfundi gratiam benedictionis. Sed quomodo hoc conuenit cum uerbis Christi, qui cùm diceret: Quorum remiseritis peccata, præmittit, Accipite spiritum sanctum? Nisi ergo habueris spiritum sanctum, non pertinet ad te uel officium uel clauis remittendi & retinendi peccata. Audio quidem, te dicere, hanc clauem cunctis dari sacerdotibus, non rectè autem ac dignè eam habere, nisi qui uitam & doctrinam Apostolicam seruant: sed manifestius est uerbum Christi, dicentis: Accipite spiritum sanctum, quàm ut tam facilè eludi queat. Et testimonia scriptorum, quæ Petrus Longobardus recitat, magis perspicua sunt, quàm ut huic glossemati cedant. Perspicuum enim est, quod Augustinus dicit: Remissionem peccatorum uel per seipsum facit Deus, uel per Columbæ membra. Ergo qui non est uerum membrum columbę, per eum Deus non remittit peccata. Perspicuum est, quod Gregorius dicit: Illi soli habent in hac carne positi ligandi & soluendi potestatem, sicut sancti Apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent. Perspicuum est, quod Origenes scribit: Quicunq; uestigia Petri imitantur, habent RECTE ligandi & soluendi potestatem.

Hæc & multa alia testimonia ueterum manifestè negant, malos sacerdotes, ut illi loquuntur, habere potestatem ligandi & soluendi, ideoq; nõ posse eos ullo modo, uel dignè uel indignè soluere aut ligare. Non autem hæc eò recitamus, quòd sentiamus ex Euangelio Christi, si hoc adnunciauerit iuxta doctrinam Apostolicam, impius quispiam Epicureus, nõ posse concipi remissionem peccatorum, Sed ut ostendam uanitatem Soti, & suorum scriptorum, qui cùm ex uerbis Christi: Quorum remiseritis peccata &c. stabiliant auricularem Confessionem, aut fallaciter dissimulant, quod præcedit: Accipite Spiritum sanctum, aut si hoc eis obijciatur, & urgeatur, non habent, ubi consistere queant.

Nam, quod ad ueram uerborum Christi sententiam attinet, non est sentiendum, quòd Christus his uerbis: Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata &c. tradiderit Apostolis aut ministris Ecclesiæ aliquam iudiciariam potestatem, & commendauerit eis cognitionem de occultis hominũ peccatis, Sed quòd cõmendauerit eis officium & Ministerium prædicandi Euangelij sui, ut quotquot Euãgelio credunt, accipiant remissionẽ peccatorum, & soluantur. Quotquot autem non credunt, ligentur, & retineantur eis peccata. Quod. n. Christus hoc loco uocat spiritũ sanctum, non intelligit ea admiranda spiritus dona, quę postea in Apostolos in die Pentecostes contulit, sed intelligit officium & Ministerium spiritus sancti, quod aliâs uocârat Claues regni cœlestis, quas antea Petro & collegis eius promiserat. Tibi, inquiens, dabo claues regni cœlorum,

Claues enim dicuntur, quibus ostiũ aperitur & claditur. Ostium autem cœlestis regni aperitur & claditur, non humana aliqua uiolentia, sed diuina ordinatione, hoc est, prædicatione Euangelij de Christo, ut quotquot adnunciant, Christum esse expiatorem peccatorum nostrorum, soluant à peccatis, & aperiant ostium regni cœlestis omnibus ijs, qui fide agnoscunt Christum: ligent autem, & claudant ostium regni cœlestis, ijs, qui non credunt. Nam, quod dicit Christus: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. eiusdem planè sententiæ est, cum eo, quod apud Marcum dicit: Prædicate Euangelion omni creaturæ. (Hoc est) Suscipite ministerium Spiritus sancti, quod est officium prædicandi Euangelij in toto orbe terrarum. Hoc enim officium est clauis cœlestis regni. Qui ergo crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Hoc est habere reclusas & apertas fores cœlestis regni. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Hoc est habere fores regni cœlorum clausas.

Considera mihi, quæso, exemplum Petri. Accepit enim claues regni cœlestis. Nec est dubium, quin usus sit ijs clauibus in die Pentecostes, quando, accepto iam spiritu sancto, prodijt unà cum collegis, in urbe Hierusalem, magna animi confidentia, ad illustrandam gloriam nominis Christi. Quid ergo fecit? Num glorioſa uoce iactauit maiestatem suam, & dixit: Christus dedit mihi potestatem soluendi & ligandi in cœlo, Dedit ergo mihi etiam in terra potestatem transferendi, constituendi, mutandi & auferendi Imperia, regna & principatus? Christus dedit mihi potestatem iudicandi Angelos dominantes superbis principibus. Dedit ergo mihi potestatem etiam seruos eorum iudicandi & condemnandi? Nihil certè minus. Num exegit Confessionem auricularem, & dixit: nisi quis uestrũ uel saltem semel in anno confessus fuerit solus omnia peccata sua proprio sacerdoti, indignus est Christiana sepultura & cœlesti regno? Minimè omnium. Sed, Certò sciat (inquit) tota domus Israel, quòd Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Hæc uox clauis est cœlestis regni. Hac uoce aperit ostium cœli, & introducit in cœlum, quotquot fide eam excipiunt. Hac uoce claudit cœlum omnibus ijs, qui eam incredulitate contemnunt.

Ac postea, cùm Petrus susciperet Euangelion Christi Cornelio & alijs Gentibus prædicandum, non dubium est, quin tunc Clauibus à Christo acceptis uerè usus sit. Quid ergo fecit? Nũ dixit: Quia uos Gentes, nõ ipsæ me accessistis, sed ego necesse habũi uos sequi, idcircò alligo uos anathemate, & colligo uos Apostolica autoritate nõ solũ in spiritu, uerumetiam in corpore, atq; in omnibus fortunæ bonis, & auferimus uobis uictorias hactenus in armis partas? Nihil minus. Num præcepit eis, ut singuli omnia peccata sua ipsi in aurem insusurrent? Minimè omnium. Sed dixit: Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium ferũt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Hæc uox, ut est ipsissimum Euangelion de Christo, ita etiam est Clauis, qua Petrus Gentes ad fores regni cœlestis ita duxit, ut qui crediderit, inueniat eas apertas, qui uerò non crediderit, habeat eas clausas.

Vide mihi Paulum quoq;, qui & si non accipit Spiritum sanctum unà cum reliquis Apostolis, in die Pentecostes (nondum enim agnouerat Christum) tamẽ postea uocatus est ad Apostolatum, & accepit etiam ipse Spiritum sanctum, atq; claues cœlestis regni. Is ergo, cùm uenisset Antiochiam Pisidiæ, & secum ferret claues Regni cœlorum, quid egit? Num exegit

exegit Confessionem Sacramentalem, & dixit: Nisi singuli enumeretis mihi peccata uestra, non potestis salui fieri? Absit. Sed, Notum sit (inquit) uobis uiri fratres, quòd per hunc (Christum) adnunciatur uobis remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, Per hunc omnis, qui credit, iustificatur. Quid ergo dicemus? Num Paulus abutitur sua claue, & suo spiritu sancto, quòd auditores suos antè, à peccatis suis absoluat, quàm Confessiones eorum audiat? Nõ certè abutitur, sed ministerio suo uerè apostolicè fungitur. Cùm enim Christus dixit: Quorum remiseritis peccata &c. non fecit ex Apostolis uel cognitores uel iudices peccatorum, sed fecit ex eis Ministros ac Prædicatores Euangelij sui, ut in his terris, adnunciando Christum esse peccatorum nostrorum expiatorem, remitterent peccata in cœlo, ijs, qui crederent, retinerẽt autem peccata, & clauderent cœlum ijs, qui non crederent. Vanissimum igitur est, quòd Sotus & collegæ eius colligunt ex hoc dicto Christi, Confessionem Sacramentalem esse ad salutem necessariam.

Multò minus colligi hoc potest ex dicto Iacobi: Confitemini alterutrum peccata uestra. Nam si non satisfaciunt Soto scripta nostrorum, apud quos interpretatio huius loci clarissimè extat, obseruet saltem quid Scotus eius de sententia huius loci sentiat, quam & suprà recensuimus, & superuacaneum est in præsentia ineptias eorum, qui hoc Iacobi dicto, ad stabiliendam suam sacramentalem Confessionem abutuntur, pluribus refutare.

Eiusdem notæ est, quod Sotus recitat ex Actis Apostolicis capite decimonono: Multi credentium ueniebant Confitentes & Adnunciantes actus suos. Putás ne Sotum, cùm hæc hoc loco commemorat, frontem habere? Nos loquimur de ea Confessione peccatorum, quæ exigitur à Pontificibus, uidelicet, ut nisi quis uel saltem semel in anno confiteatur solus, omnia sua peccata proprio sacerdoti, non possit saluus fieri.

Sotus autem ad stabiliendam eam, recitat, quid credentes Euangelio apud Ephesios fecerint. Nos expectauimus præceptũ Domini, aut institutum Apostolicum, ille autem industrius uir commemorat nobis priuatum quorundam Ephesiorum exemplum. Quod tamen quale sit, expendamus. Primùm enim, exemplum unius Ecclesiæ non potest facere generale omnium Ecclesiarum præceptum. Deinde, nõ fit ibi sermo de priuata singulorum peccatorum enumeratione, sed de exhomologesi, hoc est, publica & generali Confessione. Nõ dicitur, Ephesij confessi sunt Soli omnia sua peccata, proprio sacerdoti, & nisi hoc fecissent, nõ potuissent salui fieri. Hę uestrę, impostor, appendices sunt, sed dicitur ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες, hoc est, publicè cõfitentes & adnunciantes actiones suas. Hæc exhomologesis & adnunciatio non fuit priuata omnium peccatorum, coram Sacerdote, enumeratio, sed publica agnitio, & generalis professio, quòd hactenus uitam egerint in uarijs & multis peccatis, nunc autem agant Deo gratias, qui condonet ipsis peccata gratis propter Christum unigenitũ filium suum. Quid autem hoc ad illam Pontificiam Confessionem? In Nehemia capite nono, confitentur filij Israel peccata sua & patrum suorum. Num enumerabant ea coram sacrificulo? At ne uestri quidem Sote, affirmant, hanc enumerationem fuisse in Ecclesia Israelitarum usitatam.

Sunt & alia scripturæ dicta, quæ ad tuendam Pontificiam illam Confessionẽ recitari solent, sed quia Sotus ea præterit, ac uerisimile est, eum nõ

multum fiduciæ in illis collocare, non est nobis usum ea attingere. Nam ex his, quæ recensuimus, manifestum & perspicuum est, quòd Pontificia illa Confessio, de qua in præsentia loquimur, nullam habeat nec ex præcepto Christi, nec ex instituto Apostolorum autoritatem, & fallum est, quod Sotus iactauit, se usum eius Confessionis ex præceptis Euangelicis & Apostolicis, ut ipse loquitur, ostensurum.

Deinde aggreditur ad recensendum Catalogum multorum Patrum, tam ueterum, quàm recentiorum, quorum autoritate stabiliat suam Confessionem. Sed nihil opus est, ut eos sigillatim percurramus. Respondebo uniuersè. Primùm enim, aliorum scripta sunt ficticia, quemadmodum superà de Clemente indicauimus: alij loquuntur, non de Sacramentali Confessione, sed uel de Confessione, quæ fit coram Deo, uel de Exhomologesi, hoc est, publica Confessione, quæ quondam fuit in notorijs criminibus usitata, uel de Confessione fraterna, qua alter suam erga alterum culpam deprecatur. Et si qui loquuntur de sacramentali illa seu Pontificia confessione, non sunt tantæ autoritatis, ut quod non est apertis testimonijs sacræ scripturæ probatum, priuata sua asseueratione stabilire queant. Deinde haud iniquum puto, si mihi idem iuris repetam, quod sibi Sotus sumit. Cùm enim ea Patrum testimonia, quæ Confessio Principis recitat, apertissimè refutent Pontificiam seu auricularem Confessionem, ibi Sotus præscribit quasdam regulas, quæ in explicandis dictis Patrum, si quando cum Catholica Soti & fraterculorum eius Ecclesia pugnare uidentur, sequendæ sint. Sed præstat uerba ipsa Soti audire. In testimonijs Patrum (inquit) si aliqua, quæ in faciem huic fidei uideantur aduersa, inueniantur, non uult eadem non inde scandalizari, nec alijs offendiculum ponere, sed uel PRVDENTER exponere, iuxta intentionem loquentium, & certam HANC regulam fidei, uel agnoscit NON EFFICACIA esse, sed uel REIICIENDA, uel REFERENDA ad speciales leges dispensationis Prælatorum. Et aliàs, si quando dicta Patrum non conueniunt cum sententia Asoticæ Ecclesiæ, dicit eos loqui uel Modestè, uel Mystícè, uel Obscurè, uel Artificiosè, uel ea dicta ab hæreticis inserta. Quis autem tanti interpretis industriam & acumen non admiretur, non exosculetur? Sed prudens uir non cogitauit idem nobis iuris esse in exponendis ijs Patrum testimonijs, quæ ipse aduersus Confessionem Principis allegat, quòd sibi in explicandis illis Patrum dictis, quæ à Confessione Principis aduersus sententiam Asoticæ ecclesiæ recitantur, arrogat. Dicamus igitur paucissimis, de aceruo illo Patrum, quem Sotus nobis ad tuendam suam ficticiam Confessionem obtrudit, quòd ea testimonia sint uel prudenter exponenda, uel non esse efficacia, & aut reijcienda, aut dispensationi Prælatorum reseruanda, ac aliàs quidem Modestè, aliàs mystícè, aliàs obscurè, aliàs artificiosè, aliàs hæreticè dicta.

In his autem omnibus Regulis duo præcipuè capita diligenter sunt obseruanda. Alterum est, quòd Sotus dicit: Testimonia Patrum exponenda esse iuxta certam regulam suæ fidei, aut referenda ad speciales Leges dispensationis Prælatorum. Alterum est, quòd dicit suam fidem, (hanc enim formam loquendi intelligit, ni fallor, suam ecclesiam) non scandalizari ex eo, quòd testimonia Patrum uideantur aliquando suæ sententiæ aduersa. Vtrunq; hoc, continet suum singulare documentum. Illud prius docet Pontificũ & fraterculorum ecclesiam hoc esse instituto, ut primùm quidem fingat sibi dogmata, quæ libet, & quę suę superstitioni, impietati, domina-

dominationi & maiestati consentanea uidentur. Hæc uocatur certa fidei regula. Deinde autem accommodet ad hæc stabilienda tam sacram scripturam quàm dicta Patrum. Quod si aliquoties uidetur impudentius, quàm ferri queat, reijciunt quicquid illud sit in leges dispensationis Prælatorum suorum. Certa, exempli gratia, regula Pontificiæ fidei est: Romanus Pontifex est caput uniuersalis Ecclesię, & Vicarius Christi. Quicquid ergo in scriptura de Petro, aut in Ecclesiasticis scriptoribus de autoritate Ecclesiæ Christi dicitur, hoc necesse habet probare Romanus Pontificem esse Vicarium Christi. Et sicubi hoc minus aptum uidetur, reijcitur ad interpretationem aut dispensationem Prælatorum. Certa regula Pontificiæ fidei est, Confessio Sacramentalis est necessaria ad salutem. Etsi autem uarius est usus huius nominis Confessionis, tamen ubicunq; ferè uel in sacra scriptura, uel in Ecclesiasticis scriptoribus fit mentio Cõfessionis, hoc conferitur ad probandam Cõfessionem auricularem. Et accedit tandem seu constitutio seu dispensatio Prælatorum, qui cùm sint pleni spiritu sancto, errare non possunt.

Vsitatum hactenus fuit, ut clerici non ieiunarent à carne septem plenas hebdomadas ante Pascha, sed sequerentur hac in re consuetudinem Laicorum. Et hæc consuetudo facta iam est certa Lex & Regula fidei. Extat autem in Gratiano manifestus Canon: Statuimus, inquiens, ut septem hebdomadas PLENAS ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini uocati, à carne ieiunent, quia sicut discreta debet esse uita clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet esse discretio. Quid ergo fit? Regula enim fidei, hoc est, Consuetudo, quæ uim legis obtinet, & Canon inter se pugnant. Succurrit ergo interpreti doctrina Soti, qua iubemur ea, quæ dissentire uidentur, exponere iuxta certam regulam fidei suæ. Itaque exponitur (cuius rei & suprà alicubi mentionem fecimus) Statuere pro Abrogare, aut consulere. Statuimus, (inquit interpres) id est, Abrogamus: uel ponitur statuimus, pro consulimus. Quid, obsecro, hac libidine interpretandi, quam sibi Prælati & Fraterculi sumunt, sacrosanctum & inuiolatum uel in Scriptura sacra, uel in scriptoribus Ecclesiasticis manebit? Quin potius abrogemus & abijciamus, quicquid nobis scriptorum Spiritus sanctus in manus tradidit, & pendeamus tantum è certis illis Regulis fidei Pontificum, & è dispensationibus Prælatorum. Sed Tu clementissime Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, defende quæso, tuere & conserua Spiritu sancto tuo ueram tuam Ecclesiam, & quam dedisti ei sacram scripturam, ut qui hisce temporibus gratuita tua clementia à Fraterculorum somnijs, & à Pontificum ludibrijs liberati sumus, Solam lucernam uerbi tui, quam inter nos accendisti, obedienter & perseueranter sequamur. Alterum, quod hoc loco obseruandum diximus, illud est, de Scandalo. Nouit (inquit Sotus) eadem fides non inde scandalizari, etiamsi aliqua, quæ in faciem huic fidei uideantur aduersa, inueniantur. Credo facillimè. Fides enim Pontificia tam firma est & corporis & animi constitutione, ut non solum non scandalizetur è dictis Patrum, uerumetiam è testimonijs sacræ Scripturæ, etiamsi manifestè cum ipsius sententia pugnauerint. Sumamus, exempli gratia, decretum Constantiensis Concilij de altera tantum parte Cœnæ Dominicæ Laicis exhibenda. Etsi enim manifestum est uerbum Christi, de calice Cœnæ Dominicæ: Bibite ex eo omnes, tamen fides Pontificia ex eo intantum non scandalizatur, ut etiam publicè non

uereatur dicere: Licet (inquiens) Christus post Cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub utraque specie panis & uini hoc uenerabile Sacramentum, tamen HOC NON OBSTANTE, &c. Quid igitur dicemus? Non habemus in præsentia aliud, quod de impudentia illa Pontificia dicamus, nisi illud Prophetę: Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.

Vide Sessionē 13. Concilij Constantiensis.

An non illud quoq; extremæ est impudentiæ, ac planè perfricta frons meretricis? Nam historia Ecclesiastica claré & perspicuè affirmat, secretam Cōfessionem peccatorum fuisse quidem aliquandiū in ecclesia Constantinopolitana usitatam, postea autem esse propter stuprum diaconi cum nobili matrona abrogatam, & liberè cuiusque conscientiæ permissum, ut absque secreta Confessione Cœnam Domini sumeret. Episcopi (inquit) Ecclesiastico Canoni presbyterum certum quendam Pœnitentibus constitutum hoc adiecerant, ut qui post Baptismum prolapsi essent, peccata sua coram illo confiterentur. Et alius scriptor: Quoniam prorsus non peccare diuiniorem, quàm humana sit, naturam requirit, pœnitentibus uerò Deus, etiamsi sæpenumerò deliquerint, ignosci præcepit, & illis qui peccata sua confiteri detrectant, delicta, ut credibile est, aggrauantur, inde ab initio Sacerdotibus placuit, ut uelut in Theatro, teste multitudine Ecclesiæ, peccata manifestarentur. Et ad hoc instituti presbyterum aliquem, cuius conuersatio esset optima, tenacem etiam secretorum & prudentem deputarunt, ad quem, qui deliquerunt accedentes, quæ gessissent, confiterentur &c. Habes institutionem Secretæ seu Auricularis, ut nos uocamus, Confessionis. Nec dubium est, quin historia, cùm exigit presbyterum TENACEM SECRETORVM, de auriculari seu secreta confessione loquatur. Audiamus nunc abrogationem eius. Cùm ob hanc rem (inquit, uidelicet ob stuprum diaconi cum nobili matrona) sacris uiris detraheretur, Eudæmon quidam ecclesiæ presbyter, genere Alexandrinus, consilium Episcopo Nectario dedit, ut presbyterum pœnitentiarium abrogaret, permitteretq; ut pro sua quisq; conscientia ad communionem mysteriorum accederet, &c. Et alius: Nectarius (inquit) perplexus, quid commisso facinori competeret, Diaconum illum, qui sceIus hoc ausus fuerat, diaconatu priuauit, & quoniam nonnulli suadebant, ut unicuiq; liberum permitteret, secundum quod sibi ipsi benè conscius esset, & bona fiducia esse posset, ad communionem mysteriorum accedere, munus illud presbyterij pœnitentiarij sustulit, &c. Habes auricularis Confessionis in ecclesia Constantinopolitana abrogationem. Ac nunc quidem non hoc agitur, quid istis uideatur, qui hanc abrogationem improbarunt, sed quid eo tempore in ecclesia de Confessione gestum sit. Perspicuum enim est, ex ea historia, quòd & Confessio auricularis humano consilio fuerit instituta, & postea iterum in Constantinopolitana Ecclesia, propter stuprum Diaconi abrogata, cùm interea in Romana Ecclesia firma manserit, fortassis quia illic Sacerdotes & Diaconi potuerunt sua stupra cautius, quàm Diaconus Constantinopolitanus, cælare. Hic ergo uide mihi insignem Pontificiæ fidei impudentiam. Non enim est obscurum, quòd Chrysostomus successerit Nectario, sub quo abrogata fuit secreta Confessio, in episcopatu Constantinopolitano. Nec est obscurum, quòd Chrysostomus in ijs locis, quæ Confessio Principis in hoc capite recitauit, loquatur manifestè de ea Confessione, quę paulò antè sub Nectario erat abrogata, & propter quam Sacerdotes pessimè in uulgo audiebant.

Socra. lib. 5. cap. 19.

Sozome. lib. 7. cap. 16.

audiebant. Quare, ne uideretur uelle abrogatam instaurare, & populi inuidiam inflammare, manifestè exponit sententiam suam, quòd nihil minus cogitet, quàm ut cupiat abrogatam Confessionem restituere. Non dico tibi, (inquit) ut te prodas in publicum, neq; ut te apud alios accuses. Sed obedire uolo te Prophetæ dicenti: Reuela Domino uiam tuam. Et iterum: Si confundaris alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis conseruo tuo, ut exprobret, dicito Deo, qui ea curat. Hæc est manifesta antithesis, hominũ & Dei, uidelicet, quòd Chrysostomus significet, se non hoc urgere, ut confiteantur peccata sua, uel uni uel multis hominibus, sed Tantum Deo. Et tamen tanta est malicia Petri Longobardi, ac Petri Hispani, qui Lõgobardum præceptorem suum, ut similes habeant labra lactucas, sequitur, ut impudentissimè audeant dicta Chrysostomi deprauare, ac nomen Dei, in his Chrysostomi locis, pro Sacerdotibus Dei interpretari. Longobardus dicit: Illud Ioannis Chrysostomi non ita est intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, Sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit, ubi crimẽ occultum est, Soli Deo PER SACERDOTEM, dicere & SEMEL. Petrus Hispanus dicit: Cùm Chrysostomus dicit: Dic Deo, intelligi potest, in arcano illo iudicio, in quo reuera Deo dicitur, quia locum Dei tenenti homini illud confitẽ. Habes manifestos deprauatores Chrysostomi, quòd cùm Chrysostomus perspicuè excludit nomine Dei, Sacerdotes, isti includant, & illud nomen per hoc interpretentur. Quid nunc synceræ interpretationis tibi in alijs uel sacræ Scripturę, uel Ecclesiasticorum scriptorum locis, de his Petris prõmittere posses? Quis eis, cum semel in aperta corruptela deprehendantur, in alijs tutò fidem adhiberet? Certè hæc impostura manifestè nos admonet, ut ab omni istorum Pharisęorum & Fraterculorum fermento caueamus. Hæc autem de Chrysostomi dictis tam copiosè exposuimus, non quòd autoritate eius multum nitamur. Etsi enim agnoscimus eum, uirum eloquentem, & qui tam uoce quàm scriptis multa beneficia in Ecclesiam filij Dei contulerit, tamen sicut Sotus non uult subijci exemplo Nectarij, qui abrogauit Confessionem in Ecclesia Constantinopolitana, ita liberum nobis est recedere à sententia Chrysostomi, si ipse à sententia sacræ Scripturæ alicubi recesserit. Sed uolui hac in parte optimo uiro hoc officium præstare, ut uindicarem eum ab impudentia Sycophantarum, qui non uerentur dicta eius apertè deprauare, & ut ostenderem, nos in producendis ueterum Scriptorum testimonijs, aduersus Pontificiam colluuiem, & Pharisaicam sentinam, oleum & operã perdere, propterea quòd tanta sint cæcitate percussi, ut etiam manifestam meridiei lucem, tenebras iudicent.

Prætereo minutiora, & futilia Asoti. Illud autem non uidetur præteruendum, quòd cùm Confessio Principis recitat dictum Augustini ex libro 10. cap. 3. Confessionum eius, Asotus arguat nos mendacij. Nos uerò nunq; putauimus futurum, ut in lectionem Confessionis Principis tam crassus asinus incideret, qui quod est industriæ, argueret mendacij. Non enim ignorauimus Augustinum loqui de suis Confessionibus, sed quod Augustinus de his dixit, nos cùm uestra illa auricularì, & Fraterculis, auditoribus eius contulimus. Scripsimus aduersus impia & Pharisaica uestra dogmata, piæ doctrinæ epitomen, in qua recitari solent capita tãtum locorum, non autem explicari copiosa & integra oratione. Itaque uolumus commemoratione huius dicti ex Augustino, reprehendere Frater-

culorum & sacrificulorum, qui urgent auricularem Confessionem, curiositatem. Sicut enim Augustinus reiecit ab audienda seu legenda sua Confessione eos, qui cùm non possint alienos languores sanare, magis hoc agunt, ut aliena errata curiosè cognoscãt, quàm sua emendent: ita nos reiecimus uos Fraterculos & Sacrificulos ab audiendis nostris uel priuatis uel publicis peccatorum Confessionibus, propterea quòd uideamus uos tam imperitos rerum diuinarum, ut non possitis nostros languores sanare, & reipsa comperiamus, uos esse, sicut Augustinus loquitur, curiosum genus ad cognoscendam uitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Confessio igitur nostra, exemplo Augustini, tibi, Deus noster, in cõspectu tuo tacitè fit, & non tacitè. Tacet enim strepitu, & coram uanis hypocritis, & impijs Sacrificulis: clamat affectu, & coram uniuerso cœlestium ciuium cœtu. Neque enim dicimus rectè aliquid hominibus, quod non à nobis tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audies à nobis, quod non nobis tu prius dixeris.

Sed age, Asote, sit sanè ita, quòd non accommodauerimus hoc Augustini dictum aptè ad refutandam uestram Confessionem, num propterea fumus accusandi mendacij? Certè, ueritas est, quòd Augustinus hoc dictum in eo loco, quem ostendimus, scribat: Si autem mendacium dici debet, quod non aptè citetur, quæso te, quot tu mendaciorum, in hoc capite, ut nihil de alijs dicam, reus es, qui testimonia Ecclesiasticorum Scriptorum, quorum alia loquuntur de publica Exhomologesi, alia de secreta confessione, quæ fit in conscientia coram Deo, ad stabiliendam auricularem illam uestram Confessionem manifesta deprauatione torques?

Sed quis istas uani hominis ineptias omnes persequi posset? Audiamus igitur epilogum eius. Confessio, inquit, nec ob institutionem tantum eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, nec ad audiendum Euangelion necessaria est, sed ad participandum meritum, & uirtutem passionis Christi, per sacramentum eius.

Vide, obsecro, iterum, amicissime mi Lector, huius hominis impudentiam & uanitatem. Dicit Confessionem illam suam auricularem necessariam esse ad participandum meritum & uirtutem passionis Christi per Sacramentum eius. Hoc autem ita recenset, perinde ac si iam testimonijs Ecclesiasticorum scriptorum, quæ suprà commemorauit, comprobatum esset, & tamen de hoc participationis modo, ne uerbum quidem ullum in his, præsertim uetustioribus, continetur. Quis igitur tantam hominis impudentiam non execretur? Deinde, dicit Confessionem non esse necessariam ad audiendum Euangelion. Quid? Certè Euangelion est absolutio, seu prædicatio de remissione peccatorum propter Christum. Quid ergo? An uos Fraterculi non confitemini peccata uestra, ut audiatis Absolutionem? An sufficit uobis opus ipsum Confessionis? Vbi ergo manet absolutio, ubi Satisfactio uestra? Ac profectò, cùm Sotus dicit, Sacramentum Confessionis esse necessarium ad participandum meritum & uirtutem passionis Christi, primum quidem uidetur ex Confessione peculiare facere sacramentum: deinde autem facit, quantum in ipso est, Satisfactionem non necessariam. Si enim per Confessionem particeps fio meriti & uirtutis passionis Christi, quid mihi prodest mea satisfactio? An nõ Christus satisfecit passione sua perfectissimè pro peccatis meis, & ego iam per Confessionẽ factus sum meriti passionis Christi, autore Asoto, particeps. Quid ergo nunc mihi deest? Confessio, tanti est momenti, ut quàm primum

mum exonerauero me peccatis meis in aurem Fraterculi, non indigeam amplius nec absolutione, nec Satisfactione. Habes igitur, quòd Sophistæ suo se gladio iugulent, & dum suscipiunt oppugnandam ueritatem, impietate sua se ita impediãt, ut nullo modo sese expedire possint. Ac Sotus suscepit quidem in hoc capite probandum, Confessionem illam auricularem & Pontificiam esse necessariam ad salutem, nos autem ostendimus eam nec esse naturalis iuris, nec diuini instituti, sed humani tantum, ac ab hypocritis, & Psychotyrannis ad conscientiæ carnificinam tralati, tantum abest, ut sit cœleste sacramentum, quo passionis Christi participes reddamur. Relinquamus igitur illis suam Confessionem, nos autem cõfiteamur peccata nostra Domino Deo nostro, & audiamus Euangelion filij Dei, ut per fidem cognoscamus, quòd peccata uerè nobis remissa sint, gratuita clementia Dei, tãtum propter Iesum Christum, unicum nostrũ mediatorem & seruatorem.

Sequit̃ locus, dignissimus, in quo explicando nonnihil operæ colloceмus. Cùm enim Confessio Principis dicit: In agenda pœnitentia necessariam esse fidem, qua credimus nobis certò remitti & condonari peccata gratis, propter solum Iesum Christum Dominum nostrum, hîc insurgit aduersus eam Sotus plenis buccis. Etsi, inquiens, in agenda pœnitentia necessaria sit primo omnium fides, quæ per dilectionem operatur, Specialis tamen illa, qua nobis certò remitti peccata gratis propter solum Christum statuimus, adeo necessaria non est, ut sit contraria ueræ fidei & scripturæ &c. Ac rursus: Quia hanc gratiam ad pœnitentiam mouentem, in Speciali, nulli à Deo promissam esse, sed Deum quorum uult, misereri, & quos uult indurare, Paulo docente, didicimus, asserit catholica fides, nullum in speciali, præter nouam reuelationem, credere posse, hanc gratiam & Dei fauorem sibi concessum esse, &c. Et iterum: Tam longè est à ueritate, ut bonæ uoluntatis, & gratiæ diuinæ erga nos debeamus esse certi, ut hac sola ratione, quia diuinæ gratiæ est nostrum uelle & operari, & non nostrarum uirium naturalium, iubeat nos Paulus timere, quia Deus, inquit, pro bona uoluntate sua operatur uelle & perficere. Atq; ideo, sicut hoc nulli debet, ita nulli promisit, sed quorum uult misereтur, &c.

Et in Scorijs, Cauendum, inquit, quòd dubitationem incurramus, qua dubitamus, an Deus clemens sit, & misericors. Hæc enim peccatum est, & ex cæcitate carnalis nostri hominis, Sed qua dubitamus, an nobis illa contingat, isti dubitationem carnis uocant, & peccatum, cùm reuera sit timor Domini sanctus. Et iterum: Pœnitentia nulli est promissa, nec perseuerantia. Ac rursus: Non iubemur credere, dandum nobis donum pœnitentiæ. Et iterum: De fauore Dei erga nos pœnitentes, & implentes eius præcepta iubemur non dubitare, Sed fauor ad hæc agenda, aut in his perseuerandum, non est promissus alicui. Hactenus Asotus.

Hæc est uetus Sophistarum & Fraterculorum impietas, qua non solum iubent nos dubitare de bona Dei uoluntate, & fauore erga nos, uerum etiam affirmant esse præsumptionem & temeritatem, ac contrarium ueræ fidei & scripturæ, si quis certò statuat & credat, remitti sibi peccata gratis propter Christum.

Nescio alios, ego certè sic sentio, si Asotica Ecclesia non aliam, præter hanc unam impietatem, sequeretur, nos satis iustam habere causam, cur eam desereremus. Quæ enim de Voluntate & fauore Dei erga nos, sic dubitat, non iam est amplius Christiana, sed Ethnica Ecclesia. Quod ut

ostendamus, paulò copiosius explicandum est.

Ac initio, non iam quæritur, quid Deus homini debeat ex merito, manifestum enim est, quòd tanta sit maiestas Dei, tantaque hominis abiectio, ut Deus nulla ratione debitor hominis uel esse uel dici possit. Quis enim prior dedit illi, & reddetur ei? Et: Quid habes, quod non accepisti?

Deinde, non hoc in præsentia quæritur, quàm certa, quàm firma sit fides hominis credentis in Christum. Manifestum enim est, quòd & si homo renatus est per Spiritum sanctum, tamen tanta est corruptio carnis eius, ut nunquàm habeat tam certam tam firmam fidem, quàm ab ipso exigitur. Dubitatio enim de rebus diuinis carni ita agnata est, ut quamdiu uitam in hoc seculo agimus, dubitationem non omnino excutiamus.

Sed quæritur, quàm certa, quàm firma fides à nobis exigatur, & quantam fidem nos Deo præstare debeamus. Non quid in habenda fide agamus, sed quid agere debeamus, quæritur.

Non enim dubium est, quin Christus promissus sit ab initio mundi, nec dubium est, quin prædicatio Euangelij de Christo, exigat fidem in Christum, uidelicet, ut credamus, quòd Christus sit expiator peccatorum nostrorum & Redemptor noster. Prædicate, inquit, Euangelion omni creaturæ. Qui CREDIDERIT, & baptisatus fuerit, saluus erit.

Et: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui CREDIT in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Etsi enim homo peccato corruptus, solet natura sua, quemadmodum paulò antè diximus, de promissionibus Dei, & Euangelio eius dubitare, tamen cùm fides exigitur, exigitur etiam, ut hæc dubitatio mortificetur, & certa ac firma fiducia concipiatur. Nam quemadmodum homo non potest in hac carne perfectè præstare, quod Lex illa exigit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, nihilominus tamen exigitur ab ipso perfecta dilectio Dei, & danda est maxima opera, ut si non possumus in summo, saltem in secundo aut tertio gradu dilectionis consistamus: ita cùm exigitur à nobis, ut Credamus Euangelio Christi, quod promittit nobis remissionem peccatorum in Christo, & si multum adhuc imbecillitatis reliquum est in carne, ut non perfectè credamus, tamen exigitur, ut huic imbecillitati succurramus, & fidem absque ulla hæsitatione habeamus. Quantum enim dubitationis, quantum hæsitationis in carne reliquum est, tantum arguitur mendacij Euangelion Dei.

Quare Spiritus sanctus non hoc agit, ut in iudicio, & còram tribunali Dei cogitemus tantum de diuina misericordia in Christo nobis exhibita, & opinemur cum formidine, ut illi loquuntur, de oppositio, nos esse in gratia Dei propter Christum, ac ex quibusdam coniecturis ratiocinemur cum dubitatione, peccata nobis in Christo remissa esse, sed hoc agit, ut VERE CREDAMVS, & quod Credimus, ac Credere debemus, certò, firmiter, constanter, & sine ulla hæsitatione credamus.

Primùm enim, Prædicatio Euangelij, quæ est certa promissio gratiæ seu clementiæ Dei erga nos, & remissionis peccatorum propter Christum, non est simpliciter & nudè promulgata, sed addita sunt multa & magna miracula. Cæcis redditus est uisus, Claudi sunt sanati, Leprosi mundati, mortui suscitati, Credentes diuersis linguis locuti, & multa alia miracula

miracula à Christo, & in nomine eius ab Apostolis edita sunt. Horum omnium uerus ac legitimus usus est, ut ueritatem & certitudinem Euāgelij confirment. Multa alia signa, inquit Ioannes, fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut CREDATIS, quòd Iesus est filius Dei, & ut CREDENTES uitam habeatis in nomine eius. Et Marcus, Illi (inquit) profecti prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, & SERMONEM CONFIRMANTE sequentibus signis.

Confirmatur autem Euangelion Christi miraculis, non quòd ipsum in se sit imbecille, & instabile, sed quòd homo natura sua corrupta sit excæcatior, quàm qui possit Euangelion suis uiribus certa & firma fide intueri, excitatur autem miraculis, per Spiritum sanctum, ut quod antea dubitanter agnouit, incipiat certius, firmius & constantius credere. Quare, cùm Soticus συρφετὸς damnat eos, qui credunt certò sibi peccata gratis propter solum Christum remitti, tollit uerum usum miraculorum, & reddit, quod in ipso est, cœlestia miracula, uana & ociosa.

Deinde institutus est etiam in hunc usum Baptismus, non ut esset superuacaneum spectaculum, ad inanem tantum speciem excogitatum, sed ut tradat credenti in Christum, manifesto signo possessionem cœlestis hæreditatis, quæ nobis à Deo Patre, Filio & Spiritu sancto promissa est, & ut confirmet fidem eius, qui accipit Baptismum. Quicunque (inquit Paulus) in Christum baptisati estis, Christum induistis. Si Christus induitur baptismo, certè baptismo confirmatur etiam fides in Christum. Et Petrus: Baptismus saluos nos reddit, non qui sit ablutio sordium carnis, sed qui est stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, per Resurrectionem Iesu Christi. Si Baptismus est stipulatio, qua fit bona conscientia coram Deo, propter Resurrectionem Christi, perspicuum est, quòd confirmet conscientiam in fide sua, ut si qua ineſt naturalis dubitatio, subinde magis ac magis mortificetur, & expurgetur. Quare, cùm Sotus dicit, Contrarium fidei esse, si quis statuerit, peccata sibi certò propter solum Christum remitti, excusari non potest, quin sentiat, uerum usum baptismi esse contrarium fidei, & reuocandum esse, abrogato Christianismo, Ethnicismum.

Præterea, est & Cœna Domini in hoc instituta, ut commemoratione mortis Christi, & usu Sacramenti Corporis & sanguinis Christi, fides in nobis alatur, & confirmetur. Poculum benedictionis, inquit Paulus, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est? Vbi autem communicationem Corporis & sanguinis Christi fide percipimus, ibi fieri non potest, quin fides confirmetur & corroboretur. Reliquum igitur est, quòd Sotus, cùm scribit, contrarium esse fidei & scripturæ, si quis certò credat sibi remitti peccata propter Christum, abolet, quantum in ipso est, uerum usum Cœnæ Dominicæ, & arguit Christum ipsum mendacij, aut impostura, qui in Cœna sua exhibet certum remissionis peccatorum sigillum.

Quid multis opus? Vbicunque scriptura exigit fidem erga Euangelion Christi, ibi etiam exigit, ut omnem dubitationem eijciamus, & certam ac firmam fiduciam concipiamus. Dubitatio enim pugnat cum fide, quòd hæc amplectatur Euangelion Christi uerè, Vnde & apud He-

bræos nomen habet à Veritate, illa autem cărnaliter & ambiguè, hoc est, non uerè.

Et quid illæ precationes, CREDO Domine, succurre incredulitati meæ. Et, Domine, adauge nobis fidem, aliud sibi uolunt, quàm ut fides, exterminata dubitatione, accipiat robur, & confirmetur. Ac epistola Iacobi iubet expresse dubitationem abijcere. Si cui uestrum, inquiens, deest sapientia, postulet ab eo, qui dat. Et postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. Si in precatione non licet hæsitare, quomodo liceret hæsitare in fiducia remissionis peccatorum?

Et apud Matthæum increpatur Petrus, quòd dubitauerit: Modicæ fidei, cur dubitabas? Reprehẽditur, qui non firmiter credit se seruandum in aquis, & non dignus esset reprehensione, qui dubitat se seruari in multitudine peccatorum suorum?

Petrus ait: Regenuit nos in spem uiuam, per hoc quòd resurrexit Iesus Christus à mortuis. Et paulò pòst: Succincti lumbis mentis uestræ, sobrij PERFECTE Sperate in eam, quæ ad uos defertur, gratiam. Si regeneramur in Spem VIVAM, & iubemur Sperare PERFECTE in gratiam ad nos delatam, qua fronte audet Asotus affirmare, quòd sit contrarium fidei & scripturæ, si quis statuat, sibi certò remitti peccata propter solum Christum?

Sed uideamus, quanta grauitate Scriptura, hoc est, oraculum Spiritus sancti, tam præceptis suis, quàm exemplis Sanctorum suorum, cohortetur nos ad abijciendam omnem dubitationem, & ad concipiendam certissimam ac firmissimam fiduciam de gratuita Remissione peccatorum propter Christum, ut uideamus etiam quanta sit impudentia & impietas Soti, quòd audeat affirmare id esse contrarium fidei & scripturę, quod Scriptura tam perspicuè, tam seueriter exigit.

Deuteronomij trigesimoprimo: Viriliter agite, & confortamini. Nolite timere, nec paueatis ad aspectum eorum, quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te. Etsi enim Moses cohortatur his uerbis populum suum, ut forti sint animo aduersus gentes Cananæas, & nulla fit ibi mentio de fide Remissionis peccatorum, tamen hæc, & similes cohortationes semper respiciunt ad principalem promissionem de semine Abrahæ, qui est Christus, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Deus enim idcirco est ductor Israelis, & nõ deserit eos, quia missurus erat è posteritate eorum Christũ suum, & quia pij Israelitæ credebant in eum, quòd propter ipsum solum haberent peccatorum remissionem, & essent Deo accepti.

Psal. uigesimosexto. Expecta Dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Esaiæ trigesimoquinto: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite, Pusillamines, confortamini, nolite timere. Ecce Deus noster ultionem adducet &c.

Ephe. 5. Assumite uniuersam armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. Ac mox: Super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere.

1. Pet. 5. Aduersarius uester Diabolus, tanquàm leo rugiens obambulat, quærens quẽ deuoret, Cui resistite FORTES IN FIDE. Quasi de-

de? Videlicet, quòd Christus Iesus uenerit in mundum, ut peccatores saluos faceret, in quibus singuli seipsos primos collocare debent. Et, quòd Deus mundum ita dilexerit, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Et, quòd filium suum ita tradiderit pro nobis, ut etiam unà cum ipso omnia nobis donauerit, ac adoptauerit nos in filios, hæredes quidem suos, cohæredes autem Christi.

Cùm ergo Sotus negat nos debere esse certos de bonā uolūtate & gratia diuina erga nos, quid quæso aliud agit, quàm quòd neget Euangelion Dei de Christo filio suo esse certum, & nos non debere ei fidem certam adhibere? Quid enim? An non debemus esse certi de bona Dei uoluntate & gratia erga nos, cùm Deus non solum promiserit, uerum etiam miserit nobis unigenitum suum filium, quem uoluit esse pro peccatis nostris uictimam? Impurum os, audes ne tu palàm dicere, nos non debere esse certos de bona Dei uoluntate & gratia erga nos, cùm Ioannes dicat: In hoc apparuit Charitas Dei erga nos, quòd filium suum unigenitum misit in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est Charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.

Et Paulus: Commēdat (inquit) Deus charitatem suam erga nos, quòd cùm adhuc essemus peccatores Christus pro nobis mortuus est. Quid? An hoc non est satis certum signū diuinæ erga nos uoluntatis & gratiæ?

Sed pergamus. Habuimus aliquot præcepta seu exhortationes Spiritus sancti de suscipienda fortitudine fidei. Audiamus nunc Sanctorum exempla, seu dicta, quibus significant, se hoc præcipuè agere, ut exclusa dubitatione, certò ac magno & forti animo statuāt se habere Deum propicium, & esse Deo acceptos.

Psal. uigesimosecundo. Dominus regit me, ET NIHIL MIHI DEERIT. Vide, quàm confidenter asseueret, Nihil sibi deesse, cùm habeat Dominum propicium, Rectorem seu Pastorem.

Et mox: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo malā. QVONIAM TV MECVM ES.

Iuxta Sotum autem dicendum fuisset: si ambulauero in medio umbræ mortis, timebo mala, & dubitabo, num tu sis mecum & me protegas.

Psalm. uigesimosexto. Dominus illuminatio mea & Salus mea, quē timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Sed Sotus emendat hoc carmen, Dominus dicitur quidem illuminatio mea & protector uitæ meæ, ego uerò, quia dubito de bona uoluntate & gratia Dei erga me, necesse habeo timere & trepidare, ne fortè mihi accidat, quod uulgo dici solet, Spem & expectationem facere multos stultos. Et, Is cui nimium fidebam, abstulit mihi equum.

Hoffen vnd harren / macht manchen narren.

Psalm. 30. In te DOMINE speraui, NON CONFVNDAR in æternum.

Traw wol ritt dz pferd hinweg.

Roman. 8. Mihi persuasum habeō, quòd neq; mors, neq; uita, neque angeli, neq; ulla creatura poterit nos separare à dilectione, quam Deus erga nos habet propter Iesum Christum Dominum nostrum.

Hic uociferabitur Sotus, se non negare, quin Paulo, & alijs quibusdam noua reuelatione, contigerit hoc beneficium, quòd de gratia & fauore Dei certi fuerint, in speciali autem (Sic enim loquitur) nulli à Deo

promissum. Primùm igitur Sotus manifestè significat, se uim Euangelij de Christo nondum cognouisse, ideoque magis ad Ethnicorum, quàm Christianorum Ecclesiam pertinere. Euangelion enim de Christo non continet tantum generales & uniuersales, sed etiam speciales cœlestium donorum promissiones, imò quod generaliter uniuersis promittitur, hoc etiam ad singulos pertinet, eos uidelicet, qui fide accipiunt. Sicut Moses, inquit, exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut OMNIS, OMNIS (inquam) qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et iterum: Omne, quod dat mihi Pater ad me ueniet, & eum qui uenerit ad me, non ejiciam foràs. Et Paulus, Idem (inquit) Dominus, diues in OMNES inuocantes se. QVISQVIS enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quid ergo? An cùm generaliter OMNIBVS in Christum credentibus promittitur uita & Salus æterna, non etiam promittitur specialiter SINGVLIS? At non omnes, inquis, aut Singuli credunt in Christum. Credunt enim tantum electi. Quid, obsecro, hoc ad propositum? Existimas ne cùm dicimus, nos debere esse certos de gratia & fauore Dei erga nos, ac de Remissione peccatorum propter Christum, loqui de impijs, de incredulis, de Ethnicis, aut de hypocritis Fraterculis, & non potius de credentibus, de pijs, ac ueris & synceris Christianis? Quòd si nulli in Speciali, nisi noua reuelatione, promittitur gratia Dei, & remissio peccatorum, quis est usus baptismi & Cœnæ Dominicæ? Ostendimus enim paulò antè, quòd hæc Sacramenta idcirco diuinitùs sint instituta, ut quod generaliter & uniuersim Euangelio promittitur, sigillatim credentibus applicetur, & ipsi fide sua confirmentur. Quare impietas est, quod Sotus dicit, nulli in Speciali promissam esse gratiam Dei & remissionem peccatorum. Deinde, quòd Sotus in agnoscenda gratia seu dilectione Dei erga nos, exigit nouam reuelationem, fateor quidem pios non sine singulari Spiritus sancti reuelatione posse de uoluntate & gratia seu fauore Dei erga se certos fieri, nego autem hoc ad unum tantum & alterum, sed affirmo ad omnes pios, uerè in Christum credentes pertinere. Sicut enim nemo potest dicere DOMINVM Iesum, nisi per Spiritum sanctum, ita nemo potest, nisi eodem Spiritu autore, de gratia Dei erga se & Remissione peccatorum certus esse. Qui enim, non habet Spiritum Christi, (inquit Paulus) non est eius. Et, Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Quare reuelatio Spiritus de certitudine gratiæ Dei erga nos, non ad unum tantum & alterum sanctum, sed ad omnes pios, in Christum credentes pertinet. Vnde & Paulus, cùm ad Romanos scribens, Persuasum (inquit) mihi habeo, ℘ neque mors neq; uita poterit nos separare à dilectione Dei, non de se ipso tantum loquitur, sed de uniuersa Ecclesia. Non enim dicit: Poterit separare à dilectione Dei ME, sed NOS, uniuersam uidelicet Ecclesiam complectens, sicut & aliàs dicit: Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri essent in uitam æternam.

Et Romanorum quinto: Gloriamur sub Spe gloriæ Dei. Vanissimum autem est gloriari de re incerta, de qua dubites, num tibi unquàm contingat.

Et quid est, quòd Paulus toties nobis πληροφορίαν, hoc est, certam persuasionem commendat, si cogitemus Deum quidē per se esse misericordem

dem & clementem, dubitandum autem sit, num Deus nobis, Nobis, inquam, sit misericors & Clemens. Consolationem, inquit, accipiant corda illorum, cùm fuerint coniuncti in charitate, in omnem opulentiam plerophorias intelligentiæ, in agnitionem mysterij Dei & Patris & Christi. Colo. 2.

Et iterum: Euangelion nostrum fuit erga uos, non per sermonem solum, uerum etiam per uirtutem, & per Spiritum sanctum, perque plerophorian multam. Ac rursus, Accedamus cum uero corde in plerophoria fidei, &c. 1. Thessal. 1. Hebr. 10.

Si accedendum est ad Pontificem magnum in plerophoria, hoc est, certitudine fidei, num sufficit credere tantum, quòd Deus sit clemens & misericors, & non potius requiritur, ut certissimè credamus, quòd Deus sit & Nobis, idq; propter Christum, magnum Pontificem, misericors?

Quid de Martyribus dicemus? An hi susceperunt mortem pro Christi nomine perferendam, hac tantum causa, quia cogitauerunt Deum per se esse misericordem, & non potius quia certò crediderunt Deum ipsis, IPSIS, inquam, tam misericordem ac propicium, ut conseruet ipsos in media morte? Cur. n. prò re incerta & dubia tantos dolores subijssent?

Dona, inquit Paulus, & uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit. Vocat autem Deus per Euangelion suum omnes gentes. Et quanquàm non omnes accipiunt Euangelij uocationem fide, tamen qui accipiunt, certa & firma fide accipere debent, propterea quòd Deum non pœniteat suæ uocationis.

1. Ioannis quinto. Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria nostra, quæ uincit mundum, Fides nostra. Quis est, qui uincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei? Si uictoria nostra constat fide, profectò necessarium est, ut non solum credamus in genere, Christum filium Dei pro peccatis passum. Nam hoc & hypocritæ affirmant se credere, & Angeli Satanæ norunt, uerum etiam ut certissimè & firmissimè credamus Christum passum esse pro NOSTRIS peccatis. Quomodo enim alioqui fides contra tot carnis, mundi & Satanæ assultus constare posset?

Quid plura dicam? Euãgelion de Iesu Christo adnunciatum est ab initiò orbis terræ, & patefactum extremis temporibus, hoc Spiritus sancti consilio, ut Deus testificaretur, se humanum genus tanta clementia & gratia complecti, ut quotquòt Christũ filium suum fide agnoscunt, certissimi fiant, se habere Deum propicium & perpetuum seruatorem, ac non solum credant Deum in genere esse clementem & misericordem, sicut etiã hypocritæ & Ethnici sese credere affirmant, sed esse maximè omnium ac uerissimè & specialiter, imò ut ita dicam, indiuidualiter, erga ipsos, qui Christum fide agnoscunt, clementem & misericordem.

Et huic uerè Catholicæ & Apostolicæ sententiæ totius Sacræ scripturæ adscribunt se, ut debent, etiam Ecclesiastici Scriptores, quorum aliquot testimonia recensere libet.

Greg. Nazianzenus in oratione Consolatoria, in grandinis calamitate.

Præueniamus iram eius in confessione. Velimus ipsum audire, quem admodum prius iratum, ita nunc placatum. Quis scit, inquit, nunquid cõuertatur, & pœniteat, ac relinquat benedictionem? Atqui manifestè hoc

scio. Ego diuinæ clementiæ sum fideiussor. Nam iram, quæ præter naturam eius est, remittet, & ad misericordiam, quæ secundum naturam eius est, conuertetur. Ad illam enim à nobis compellitur, ad hanc uerò inclinatur. Et si corripit compellentes, cur non exaudiret inuocantes? ac natura sua uteretur in remittendo? Tantum nos misereamur nostri, ac iustis Patris uisceribus uiam adaperiamus. Seminemus in lacrymis, quo in exultatione metamus. Fiamus Niniuitæ, & non Sodomitæ, curemus prauitatem, ne prauitate consumamur &c.

Hilarius in Matthæum.

Quanto magis uos modicæ fidei?) Fidei nostræ inuiolabilem confidentiam exemplorum autoritate confirmat, ut tanto maioris periculi res sit Ambigere, quanto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit.

Augusti. de uerbis Domini. Serm. 28.

O homo faciem tuam non audebas ad cœlum tollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi. Omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, ait Apostolus. Non ergo hic arrogantia est, sed fides. Prædicare, quod acceperis, non est Superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lauacrum genuit, ad Patrem, qui per filium te redemit, & dic Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Patrem dicis, quasi filius, sed noli tibi aliquid Specialiter uendicare. Solius Christi specialis est Pater. Nobis omnibus in commune est Pater, quia illum solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per gratiam Pater noster, ut filius esse merearis Ecclesiæ, &c.

Specialiter uendicare. (Hoc est) nõ sẽtias te esse filiũ Dei naturalẽ. Hoc enim tãtum ad Christum pertinet. Nihilominus tamen specialiter nobis uẽ dicãdum est, quòd simus filij Dei per Gratiam.

Et in Ioannem, Tracta. 22.

Paulus dicit: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere, quia in iudicium non uenies? Absit, inquis, ut ego mihi hoc promittere audeam, Sed CREDO PROMITTENTI. Saluator loquitur, ueritas pollicetur, ipse dixit mihi: Qui audit uerba mea, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam, & transitum fecit de morte ad uitam, & in iudicium non ueniet. Ergo audiui uerba Domini mei, CREDIDI. Iam infidelis cum essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit, transij à morte ad uitam, ad iudicium non uenio, NON PRAESVMPTIONE mea, sed ipsius promissione.

Et lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 11. Sanè, inquit, cùm Apostolus dicat: Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei, &c. Etsi autem Augustinus mox addit, tam hominis quàm Dei uoluntatem nobis incertam esse, Cum utraq; (inquit) incerta sit, tamen statim reprehendit eos, qui infirmiori potius, quàm firmiori fidem suam, spem, charitatemq; committunt. Quòd si uerò Augustinus omnino sentit, Incertam esse mihi de meipso uoluntatem Dei, uidetur secum ipse pugnare, & referendum est hoc inter ea Augustini dicta, quæ potius dissimulanda sunt, quàm probanda.

Bernardus De fragmentis septem misericordiarum Serm. 3.

Tria considero, in quibus tota Spes mea consistit, Charitatem ad-

optionis,

ōptionis, Veritatem prōmissionis, Potestatem redditionis. Murmuret iam quantum uoluerit insipiens mea cogitatio dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, Scio cui Credidi, & Certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia uerax in promissione, quia potens in exhibitione. Licet enim ei facere, quod uoluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, &c.

Et in dedicatione Ecclesiæ, Sermo. 5.

Quis poterit saluus esse, dicunt discipuli Saluatoris? Et ille. Apūd homines hoc impossibile, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hęc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, De uoluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore an odio? Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Hîc iam planè fidem nobis subuenire necesse est, hîc oportet succurrere ueritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reueletur, & Spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Persuadeat autem uocando & iustificando gratis per fidem, in quibus nimirum uelut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione, ad futuram magnificationem &c.

Quanto tolerabilius quàm multi alij, interpretatur Bernhardus illud Salomonis, Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit? Negat quidem nos posse hoc scire humano spiritu, palàm autem affirmat, nos hoc scire diuino Spiritu. Et quia omnes credentes in Christum habent Spiritum Dei, (Qui enim non habet Spiritum Christi, non est eius) necessarium est, ut omnes credētes cognoscant, se quidem, quod ad sua peccata attinet, dignos esse odio Dei, Quod autem attinet ad insignē clementiam, quam Deus nobis in filio suo patefecit & exhibuit, se certo receptos esse in gratiam Dei, & Deum ipsos summo amore, propter Christum, in quem credunt, prosequi.

Etsi autem nonnulli sunt, qui concedunt, quòd possimus cognoscere, Deum nos in præsentia fauore suo complecti, negant uerò nos posse cognoscere, num simus in gratia Dei permansuri, num Deus perpetuò nō sit nos deserturus. Et Sotus ipse dicit, Pœnitentia, inquiens, nulli est promissa, nec perseuerantia. Liceret quidem nobis hanc sentētiam suis autoribus tuendam relinquere, sed quia suscepimus hoc argumentum nunc tractandum, non grauabimur, etiā hoc explicare. Duplex enim est cognitio. Altera est humanæ rationis. Hac cognitione fieri non potest, ut sciamus, num simus permānsuri in gratia Dei usq; ad finem. Multa enim & uaria sunt, quæ humanā rationem ita perturbāt, ut sentiat nos potius à Deo abhorrendos, quàm conseruandos. Alia autē est cognitio fidei. Hac cognitione fit, ut sciamus, nos non solum in præsentia esse, in gratia Dei, sed etiā perpetuo in ea permansuros. Hæc scripsi uobis (inquit Ioannes) ut sciatis (uidelicet ex fide) quòd uitam habetis æternam, & ut credatis in nomen filij Dei. Et iterum: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, id quod futuri sumus. Scimus autem (uidelicet ex fide) quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.

Nam cum Euangelion proponat nobis Christum, non tantum ut præsentem, sed etiam ut futurum, adeoq; perpetuum seruatorem, fieri nō potest, ut is uerè in Christū credat, qui non credit, q; Christus seruaturus sit ipsum, in media etiānum morte, ad perpetuam uitā. Quid.n. aliud sibi

uolunt cõciones illæ Euangelicæ? Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui uero non credit, iam cõdẽnatus est. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uerò non credit filio, nõ uidebit uitam, sed ira Dei manet super illum. Oues meæ sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, NEQVE RAPIET EAS quisquam de manu mea.

Et Paulus: Quis nos separabit dilectione Dei?

Et illud Psalmi. In te Domine speraui, non confundar inæternum.

Non dabit inæternum fluctuationem Iusto (hoc est) Credẽti in Iesum Christum Iustum, & nos iustificantem per fidem.

Accedit huc etiam concio Augustini, quam in Psal. 88. habuit. Inæternum, inquit, regnabit Christus in seruis suis. Hoc promisit Deus. Hoc dixit Deus. Si parum est, hoc iurauit Deus. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare &c. Quare, qui uerè agnouit Christum præsentem suum Seruatorem, per fidem, is etiam ea ipsa fide agnoscit ipsum Seruatorem suum perpetuum, in quo nunquam pudefiat.

Sed audiamus nunc acumen Soti, quo in Confessione Principis incurrit. Scriptura, inquit, omnibus dubitandum esse dicit. Vbi, quæso, hoc dicit scriptura? Vbi uidelicet concionatur de Timore. Scriptura (inquit Sotus) ita sperare iubet remissionem peccatorum, & Dei erga nos gratiam ac fauorẽ, ut de ijsdem timere iubeat. Quare sequitur de his NON ESSE FIDEM, cùm uera fides omnem timorem contrarij eius, quod creditur, aufert. Et postea: Cùm nos timere iubeat de salute nostra, fidem excludit, in qua Dominus ipse timorẽ reprehendit: Quid timidi estis modicæ fidei? Hactenus Asotus. Ego uero non tam iniquè sentio de multis eruditis uiris, qui adhuc suo quodam uel fato uel casu in Pontificia caligine errant, quin si Sotus hæc communicato cum ipsis consilio (profitetur enim aliâs se de fide non singulariter sua, sed Catholicæ Ecclesiæ respondere) scripsisset, admonuissent eum tantæ absurditatis, & iussissent eum, si nihil aliud, certè paulò honestius loqui. Dicit enim, Scripturam ita nos iubere remissionem peccatorum, ac Dei erga nos gratiã & fauorem sperare, ut de ijsdem iubeat timere, hoc est, sicut ipse mox exponit, ut de his non sit fides, & fides excludatur. Quid, obsecro, hoc aliud est, ꝙ docere, nõ esse habendam fidem de remissione peccatorum, & de Dei erga nos gratia atq; fauore? Quid autem in cœtu Christianorum, quid nomine Catholicæ Ecclesiæ horribilius, & execrabilius dici potest? Si uos Catholici potestis hanc uocem æquo animo in uestro Patrono ferre, nihil aliud in presentia dicam, quàm illud ueteris Comici, ὄνος τ' ὄνῳ κάλλιστον, ὡς δ' ἐτῷ ὄνῳ. Et uidetis ipsi, nisi cæcitate ipsa magis cæci fuerítis, ꝙ graues habeamus causas, cur Fraterculorum impietates, & uestram, qui eas ferro, igni, aëre, aqua & terra tueminí, Ecclesiam deseramus. Quid enim? An nõ est fides habenda de remissione peccatorum, & gratia ac fauore Dei erga nos? Quid ergo promissiones Dei? Quid Euangelion Dei? Quid Christus ipse? Quid Sacramenta Christi? Quid Apostolicæ cõciones? Denicꝙ quid Christiana ipsa Religio? Quis Ethnicus, quis Iudæus, quis Turca, quis Tyrannus, quis schismaticus, quis hæreticus posset doctrinam Christianæ

næ religionis turpius infamare, quàm si spargeret eam dõcere, quòd non debeamus credere remissionem peccatorum, & Dei erga nos gratiam ac fauorem?

Sed Scriptura (inquit) docet nos de ijsdem TIMERE? Lego quidem timorem, lego tremorem, non autem lego timendum, &, ut Sotus exponit, dubitandum esse nobis, qui credimus in Christum, (Non enim nobis sermo est de incredulis, sed de Credentibus, quemadmodum suprà admonuimus) de Remissione peccatorum, & de fauore atq; gratia Dei erga nos. Nam Scriptura facit mentionem (quantum ad hoc propositum satis est) duplicis Timoris. Vnus est Timor carnis, qui cùm contineat in se dubitationem de ueritate promissionum Dei, tantum abest, ut commendetur, ut potius sit detestandum peccatum, & grauiter reprehendatur. Vnde illæ frequentissimæ uoces in scriptura, Ne timeas, Nolite timere, Non timebo mala, quoniam tu mecum es: Quid timidi estis, modicæ fidei? Alter est Timor Spiritus, timor Dei, hoc est, qui ex Spiritu sancto uenit, & habetur erga Deum. Hic timor non est dubitatio, non est carnalis trepidatio, sed est Cultus, reuerentia & obedientia erga Deum, quem uulgo uocant timorem filialem. Sic dicitur Deutero. 6. Dominum Deum tuum timebis & illi soli seruies. Quid? An Lex cùm iubet nos Dominum Deum timere, iubet nos de Deo & de gratia eius dubitare? Nihil certè minus, sed iubet nos Deum cum reuerenti obedientia colere, & honore eum, diligenti mandatorum eius obseruatione, afficere. Vnde & aliâs ubi Græcus apud Matthæum capite decimoquinto, trãstulit σεβονται με, hoc est, Colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum, ibi apud Prophetam, Esaiæ capite uigesimonono habetur, Timuerũt me, &c. ut manifestum sit, quòd Timere Deum, significet colere Deum. Et in Prouerb. capite primo. Timor Domini, initium sapientiæ. Quid? Hoc ne initium sapientiæ est, si quis de Domino dubitauerit? imò hoc initium est insipientiæ. Sapientiæ autem initium, caput & summa est, colere Deum, reuereri Deum, & mandata eius sibi diligenter ob oculos ponere, ac promissionibus eius confidenter credere. Et apud Esaiam capite undecimo, de Christo dicitur: Replebit eum Spiritus Timoris Domini. Quid? Christus ne implebitur Spiritu dubitationis de Deo Patre suo? Christus ne dubitabit de fauore Dei Patris erga ipsum? Nihil certè minus. Sed implebitur Spiritu reuerentiæ, & obedientiæ erga Deum, qualem reuerentiam filius parenti suo debet. Quare, cùm Psalmus dicat: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et Paulus: Cum timore & tremore uestram ipsorum Salutem operemini, non loquuntur de timore carnis, qui est peccatum, sed de Timore Spiritus, qui est Timor (hoc est) Reuerentia & obedientia erga Deum. Non enim iubent de Deo, de fauore Dei, de Remissione peccatorum propter Christum dubitare, ac Euangelion Christi, quod nobis certam in Christo Remissionem peccatorum adnunciat, mendacij arguere, sed iubent Deum reuerenter & obedienter colere, ac sollicitè in mandatis Dei ambulare. Etsi enim certò credendum est, quòd habeamus remissionem peccatorum, & Deus faueat nobis, propter Christum, tamẽ non est temerè sese conijciendum in peccata aduersus Deum, sed est magna cura, studio, sollicitudine, in præceptis Dei ambulandum, ne Deus tentetur, & ne Deus peccatis ad iracundiam prouocetur. Hoc uerè est seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore, non si dubitaueris de gratia Dei erga te propter Christum, sed si de

gratia Dei certus, sollícitè ambulaueris in uocatione Dei. Sotus autem, immundus porcus, timorem carnis & spiritus ita inter se commiscet, ut ubi legerit in scriptura Timorem, ibi intelligat timorem carnis, hoc est, Dubitationem, de singulari erga nos fauore Dei, quam intantum nõ putat esse peccatum coram Deo, ut etiam uocet eam, Timorem Dei Sanctum. Væ igitur iuxta Prophetam, uobis Asoticis, qui dicitis malum, bonum, & bonum, malum, ponentes tenebras lucẽ, & lucem, tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Sed scriptum est, inquit Asotus, Nemõ scit, utrum odio uel amore dignus sit. Et, Quos uult, indurat.

De dicto Salomonis, & si extant perspicuæ explicatiõnes in commentarijs nostrorum, tamen quia Sotus facit eius dicti hoc loco mentionem, non grauabor & ipse ueram eius sententiam recitare. Ac initio, hebræa ueritas non habet, Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed sic habet: Homo nec amorem nec õdium cognoscit quicquam coram eis. Quod idcirco adnotare libuit, non quòd ueterem tralationem in hoc loco abijciamus, sed ne Soto liceat nomine (Dignus) quod est in ueteri tralatione, pro suo more abuti. Deinde Salomon non hoc sentit, quòd homo non possit ullo modo cognoscere, num Deus prosequatur ipsum odio, an amore. Num enim qui peccat, qui homicidia, qui furta, qui adulteria designat, nescit, utrum odio Dei dignus sit? Potest quidem uideri, Deum contemnere, sed ut Paulus ait, cõscientia eius, quæ ipsum accusat, attestatur, se & peccare, & odio ac supplicio Dei dignum esse. Si autem potest homo peccator scire, se esse Odio dignum, quomodo homo Iustus, hoc est, credens in Christum (Iustus enim ex fide sua uiuit) non cognosceret se amore dignum, non quidem propter sua merita, sed propter Christum, in quem credit? Salomon enim utrumq; coniungit. Si ergo sentiret hominem non posse scire, utrum dignus sit amore, certè necesse haberet etiam sentire, hominem non posse scire, utrum dignus sit Odio. Nunc autem ostẽdimus hoc esse falsum. Quare falsum est & illud, quòd sentiat, hominem nescire, utrum dignus sit amore.

Sed Salomonis sententia est, quòd homõ non debeat de sua uel aliorum coram Deo fœlicitate uel infœlicitate iudicare ab externo rerum euentu. Nam si externum euentum respicias, eadem, inquit, eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti uictimas et sacrificia contemnenti, Sicut bonus, sic & peccator, ut periurus, ita & ille qui uerum iurat. Adulteri lapidibus obruuntur, sed & Hieremias lapidibus obruitur. Prædones occiduntur gladio, sed & Ioannes Baptista, & Iacobus Apostolus, & Paulus occiduntur gladio. Et sicut eædem afflictiones solent pijs & impijs accidere, ita etiã solent aliquoties tam pij quàm impij, eadem huius mundi fœlicitate frui. Cùm ergo eadem eueniant in hoc seculo pijs & impijs, non debet de hominibus iudicari ab externo euentu, uidelicet eum haberi odio, qui in hoc seculo affligitur, eum autem haberi amore, qui mundana fœlicitate fruitur, Sed iudicandum est de eis iuxta uerbum Dei, & iuxta uel fidem uel infidelitatem eorum. In odio enim Dei est homo, non quia affligitur in hoc seculo, Sed quia non credit in filium Dei, & peccat aduersus Deum. In amore autem Dei est homo, non quia fruitur fœlicitate huius seculi, sed quia credit in Christum filium Dei, & ambulat in uocatione eius. Hæc est uera, si quis rectè expendat, sententia dicti Salomonis.

Age

Age uerò, concedamus interea, Salomonem hoc ipsum uelle, quod Sophistæ garriunt, uidelicet hominem non posse scire num sit in odio an amore Dei, cur ergo non audiunt interpretem Bernhardum, qui hunc locum, quemadmodum suprà recitauimus, sic exponit, ut nescia-mus quidem humano sensu, sciamus autem diuino Spiritu, nos esse in gratia Dei? Sed istis hominibus canitur tibia, & non saltant, canuntur lu-gubria, & non plangunt. Quare tolerabilius erit Sodomis in die Iudicij, & tam præfractis ueræ doctrinæ contemptoribus.

Addit Sotus & illud Pauli dictum: Quem uult, indurat. Ità ne incerti sumus de fauore Dei erga nos, quia Deus, cui uult, miseretur, & quē uult, indurat? Video igitur Sotum in hac causa appellare ad prędestinationem illam, qua Deus ab æterno alios quidem ad æternam uitam, alios autem ad æternam damnationem designauit. Et quia Sotus ac Sophistæ & Fra-terculi eius nesciunt, utrum sint ad uitam, an ad mortem ab æterno desti-nati, idcirco dubitant de fauore Dei erga ipsos. Nos quidem, quod initio significauimus, cum docemus certitudinem remissionis peccatorum, & gratiæ Dei erga nos, non loquimur de Sotico sodalicio, hoc est, de excæ-catis, & induratis hypocritis, & de impœnitentibus peccatoribus. Cùm enim hi de sua ipsorum salute dubitent, tantum abest ut hanc eorum dubi tationem negemus, ut etiam nostro suffragio confirmemus, ac dicamus, nos de ipsorum salute non solum dubitare, uerum etiam, nisi resipuerint, planè desperare. Quid ergo Sotus adhuc quæritur? Siquidem huic homi-num generi ita libet, sequantur sanè suam dubitationem. Neq; enim nos in hoc argumento de hypocritis loquimur, sed loquimur de nobis, de NOBIS, inquam, qui credimus in Christum filium Dei, quòd ipse nos cum Deo Patre ita reconciliauerit, ut agnoscat nos filios & hæredes suos. Quare, quod de æterna prædestinatione dicitur, intantum non facit nos incertos de fauore Dei erga nos, ut potius quia Deus miseretur, cui uult, & indurat, quem uult, certissimi reddamur, Deum nobis uerè fauere, & nos gratia sua complecti. Non enim ignoramus, nec dubitamus, sicut hypocritæ, de nostri prædestinatione ad æternam salutem, sed quia no-bis patefactus & donatus est Christus filius Dei unà cum omnibus bonis suis, idcirco certò confidimus, nos electos esse in Christo, ut Paulus ait, an tequàm iacerentur fundamenta mundi. Et si quid dubitationis de hac re adhuc reliquum est in carne nostra, agnoscimus esse peccatum, & damus operam, ut fides confirmetur, & dubitatio subinde magis ac magis ex-purgetur. Dicit enim Paulus: Quos prædestinat, eos & uocat. Et quos uo cat, eos etiam iustificat. Vocauit autem nos Deus per Euangelion suum, & iustificauit, per Christum filium suum. Credimus enim nos habere Re-missionem iniustitiæ nostræ propter Christum, & donatos esse Iustitia Christi. Quare, cùm & uocati & iustificati simus per Christum, nihil ali-ud reliquum est, quàm ut certò, & firmiter credamus nos ab æterno, an-tequàm iacerentur fundamenta mundi, ad æternam salutem prædestina-tos & electos esse. Hæc si horreat Sotus, fruatur ipse cum suis hypocritis, sua dubitatione & incertitudine, & sinat nos nostra (ut ipsi loquuntur) præsumptione aut temeritate frui. Nos, cū uniuersa uera Ecclesia Christi, profitemur alacri animo, & læta coram Deo conscientia, symbolum fi-dei nostræ, CREDO in Deum Patrem omnipotentem &c. CRE-DO in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum &c. CREDO in Spiritum sanctum &c. CREDO Remissionem pecca-

torum,carnis resurrectionem & uitam æternam. Num Sotus existimat nos tanta animi alacritate hæc profiteri de alijs tantum, & non potius de nobis ipsis? Num putat nos cogitare, quòd credamus Deum esse, alijs quidem, non autem nobis, Patrem? Et Christum filium Dei pro alijs quidem, non autem pro nobis passum? Et Remissionem peccatorum, ac æternam uitam ad alios quidem, non autem ad nos pertinere? Num accusabit uniuersam Ecclesiam mendacij, cùm dicit CREDO? Num mutabit Symbolum fidei nostræ, & pro, CREDO, reponet, DVBITO? Scio quidem multos hoc fictè dicere, Nos autem, quod sæpe testati sumus, non loquimur nunc de fictè, se de uerè Credentibus. Non loquimur de hypocritis, qui cùm respiciãt ad prædestinationem sibi ignotam, & ad merita suorum bonorum operum, necesse habent de diuina erga ipsos gratia dubitare, Sed loquimur de ijs, qui fide sua Christum filium Dei uerè amplectuntur. Hi cùm respiciunt Christum filium Dei, in quo patefacta est eis sua prædestinatio, & iusticiam Christi, qua sunt diuinitùs donati, nullam amplius habent iustam causam, cur dubitent, sed potius excitantur, ut certissima fide cognoscant, se esse in perpetua gratia Dei. Quare fatemur quidem Deum misereri cui uult, & indurare, quem uult, hoc est, ab æterno prædestinare alios ad uitam, alios ad mortem, negamus autem eos, quibus Deus miseretur, debere de fauore Dei erga se incertos esse, sed affirmamus eos debere omne studium suum in hoc collocare, ut depulsa dubitatione, certissimam fiduciam diuinæ erga se clementiæ concipiant.

Quæ Sotus de fide per dilectionem operante, de dignitate nostrorum operũ, & de alijs id genus rebus, in Scorijs suis, ac de actu liberi arbitrij, in Confusione sua balbutit, iam antea pluribus sunt explicata & refutata. Quare, ijs omissis, reuertor ad reliqua Confusionis eius. Peccatorum remissio, inquit, non nisi pœnitentibus promittitur, & sub conditione, Si impius egerit pœnitentiam &c. Hoc uult fortasis dicere. Nos non posse de gratia seu clementia Dei erga nos certos esse, propterea quòd non simus certi de sufficienti nostra pœnitentia. Pœnitentibus enim, non impœnitentibus promittitur remissio peccatorum. Rectè. Omnino enim, cùm docemus de certitudine clementiæ diuinæ erga nos, & remissionis peccatorum, loquimur de pœnitentibus, non de impœnitentibus, sicut & suprà sæpe diximus, nos de uerè Credentibus, non de hypocritis loqui. Sed hîc diligenter est considerandum, quos uocemus Pœnitentes. Sotus uocat Pœnitentes, qui iuxta doctrinam Fraterculorum, conteruntur de peccatis suis, & confitentur ea omnia proprio Sacerdoti, ac postea satisfaciunt pro eis, per sacrificia Missarum, per horas Canonicas, per Ieiunia, per eleemosynam, per peregrinationes, & per multa alia id genus opera. Qui autem sic agunt pœnitentiam, fatemur ipsi, quòd nõ possint esse certi de remissione peccatorum, & de gratia Dei erga ipsos. Nũquàm enim possunt esse certi, num satis fuerint contriti, & recte confessi, ac perfectè pro peccatis satisfecerint. Reliquum igitur est, quòd nec de remissione peccatorum & gratia Dei possint esse certi: & habes, ecce tibi, Sote, nos hac in parte ὁμοψήφους. Nos uerò uocamus Pœnitentes, qui, agnito peccato, credunt in Christum filium Dei, quòd ipse solus sit expiator peccatorum ipsorũ, & placauerit ipsis iram Dei, ac impetrauerit, ut adoptentur in filios & hæredes Dei. Et qui ex hac fide ambulant in uocatione Dei, hoc est, in ijs operibus, quæ Deus uerbo suo exigit, non ut ijs expient peccata

cata sua coram Deo: Habent enim iam, priusquàm incipiunt bene operari, expiationem peccatorum in Christo per fidem; sed ut ijs testificentur ueritatem suæ fidei, & gratitudinem sui animi erga Deum, tàm clementem & liberalem benefactorem, quemadmodum suprà ueram pœnitentiæ rationem aliquoties exposuimus. Hos igitur, qui sic agunt pœnitentiam, affirmamus non posse tantum, uerum etiam debere esse de remissione peccatorum suorum, & de clementia Dei certissimos. Fiducia enim eorum non est collocata super re incerta, dubia, & ambigua, hoc est, super meritis suæ iusticiæ, sed super re longè omnium certissima, firmissima, & constantissima, hoc est, super meritis Domini nostri Iesu Christi, & gratuita clementia Dei. Ego uero, inquis, incertus sum, num habeam talem fiduciam. Si ergo es de tua fiducia incertus, nihil nobis tecum. Nos enim loquimur de ijs qui uerè credunt, & sciunt se credere, seu fiduciam in Christum filium Dei habere. Quæ fiducia, & si solet in homine esse infirma, propter carnem, non tamen potest esse ei, (Loquimur autem non de infantibus, sed de adultis) qui ipsam habet, ignota. Scio, inquit Paulus, certusque sum, quòd is, cui credidi, potens sit, depositum meum custodire in illum diem. Facessat igitur Sotus cum suis pœnitentibus dubitatoribus, nos eos agnoscimus uerè pœnitentes, qui & de sua fide certi sunt, & collocant eam super re certa & indubitata.

Hic iterum cogitur Paulus impietati Fraterculorum patrocinari. Scribit enim 1. Corinthiorum quarto. Nec meipsum, inquiens, iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus: Qui autem iudicat me, Dominus est &c. Quid? Hiccine Pauli locus probat, nos non debere nec de absconditis cordis nostri, nec de Iustificatione nostra iudicare ac certos esse? Non est obscurum, quòd Paulus hoc loco non de alijs tantum, sed etiam de seipso loquatur. Nec meipsum, inquit, iudico. Manifestum autem, & perspicuum est ex alijs locis scriptorum eius, quòd sciat quidem cor hominis prauum esse, & imperscrutabile. Scio, (inquiens) quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum: de sua autem per Christum iustificatione intantum non dubitet, aut sit incertus, ut eam etiam alijs in exemplum certissimum proponat. Certus, inquit sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Habes quàm certò cognouerit Paulus prauitatem cordis & operum suorum. Quorum (peccatorum) inquit, ego primus sum. Audi nunc certitudinem Iustificationis eius. Verùm ideo (inquit) misericordiam suam adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Quid ergo dicemus? Si Paulus est incertus (ut Sotus nugatur) de sua iustificatione, quomodo audet eam, quę in ipso facta est, Iustificationem, & peccatorum condonationem, alijs in exemplum proponere? Hoccine esset Apostolicum, Ecclesiam Christi ad incerta, dubia & ambigua remittere? Quid? Ille ne Paulus, qui raptus est in Paradisum, & didicit Euangelion in tertio cœlo, Qui dicit, Ego per Legem legi mortuus fui, ut Christo uiuerem, unà cum Christo crucifixus sum. Viuo tamen, non iam ego, sed uiuit in me Christus, Vitam autem, quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei, qui DILEXIT ME, & tradidit Semetipsum pro ME. Qui hæc, inquam, & multa his similia, de seipso clara, aperta,

manifesta uoce affirmat, incertus ne esset de sua Iustificatione? Certamen, inquit aliâs, bonum decertaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet MIHI Dominus in illo die, qui est iustus Iudex. Et ne quis existimet hanc coronam tantum ad ipsum pertinere, addit: Non solum autem MIHI, sed & omnibus, qui diligunt aduentum ipsius. Qui tam perspicuè affirmat, Repositam esse tam sibi, quàm alijs diligentibus aduentum Christi coronam Iustitiæ, dubitaret ne aut incertus esset de sua Iustificatione? Iustificati, inquit, ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Et mox: Gloriamur super afflictionibus, scientes, quòd afflictio pariat patientiam, patientia probationem, probatio Spem, Spes autem non pudefacit, quòd dilectio Dei effusa sit in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Anis, quem Spes non pudefacit, qui habet in corde suo Spiritum sanctum, testificantem de uera dilectione Dei erga ipsum, incertus de sua Iustificatione fluctuaret? Et, Quid est, quòd non de seipso tantum, sed etiam de uniuersa uera Ecclesia Christi ait: Non accepistis Spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater? Idem Spiritus testatur unà cum Spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quid? Num, qui habent Spiritum Christi, testificantem, quòd sint uerè filij Dei, adhuc incerti hæsitant, num sint coram Deo per Christum iustificati? Persuasum, inquit, habeo mihi, quòd neque mors, neque uita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos, NOS (inquam) separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc scribit Paulus, hæc transmittit Paulus ad posteros, hæc commendat Paulus uniuersæ Ecclesiæ, hæc affirmat Paulus, non de se ipso tantum, sed de uniuersa uera Ecclesia Christi, & tu, impudentissime uirorum, audes eum, nomine Catholicæ Ecclesiæ, & in uniuerso orbe Christiano, infamare, quòd adhuc de sua Iustificatione incertus hæsitet. Quid ergo est, quòd aliâs dicit: Nec meipsum iudico: Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc sum iustificatus &c? Vera huius loci sententia, sumenda est, tam è statu totius doctrinæ Pauli, quàm ex eius loci circumstantijs. Manifestum enim est, quòd Paulus ministerio suo hoc spectet, & ad hunc finem properet, ut reddat nos certissimos de Iustificatione seu Condonatione peccatorum, propter Iesum Christum Dominum nostrum, quemadmodum paulò antè, & aliâs copiosè demonstratum est. Quòd autem ad Corinthios scribit, se nolle à quoquam hominum iudicari, nec ipsum se iudicare, non dicit se incertum esse de gratia Dei erga se, & de Iustificatione, quam habet in Christo, per fidem, sed reprehendit Corinthios, quòd maiorem operam darent iudicandò de concionatoribus Euangelij, & præferendo alterum alteri, quàm sectando ipsam Euangelij concionem. Alius enim dicebat, Ego sum Pauli, alius, ego sum Cephæ, alius, ego sum Apollinis. Hanc contentionem, & hoc dissidium reprehendit Paulus, & dicit: In Concionatoribus Euangelij, seu Ministris Ecclesiæ requiri, ut FIDVS aliquis reperiatur. Non hoc præcipuè requirendum est, in ministro Ecclesiæ, quàm longa sit statura, quàm sonora sit uoce, quàm multa miracula ediderit, sed quàm piè, quàm fideliter suo ministerio fungatur. Et adddit, quòd cùm & ipse con-

tineatur

tineatur in eorum catalogo, de quibus Corinthij temere iudicent, non solum nō uelit ab ipsis dijudicari, uerumetiam nec ipsum se dijudicare. Hîc, uerbum iudicandi non significat de sua in Christo iustificatione dubitare, sed significat alterū alteri uel anteferre, uel postponere. Nolo (inquit) ut uos Corinthij, de me iudicetis (hoc est) ut me alteri uel præferatis, uel postponatis, Sed nec meipsum iudico, hoc est, nec ego ipse me in hoc Ecclesiæ ministerio alteri uel præfero uel postpono. Etsi enim nihil mihi in mea uocatione conscius sum, quòd docuerim aliquid impiè, aut gesserim aliquid infideliter, sed scio me nihil subterfugisse eorum, quæ essent in rem Ecclesiæ, ut adnunciarem ei omne consilium Dei: imò scio etiam me plus omnibus laborasse, tamen scio quoque me non propter meritа meorum operum, quæ in mea uocatione feci, coram Deo iustificatum esse. Quare, sicut me in ministerio meo nulli postpono, ita nec me alteri temere præfero, sed relinquo omne iudicium de hac re Domino Deo nostro. Quid ergo dicemus? Num quia Paulus dicit: Non sum in hoc Iustificatus, idcirco incertus est de sua per Christum Iustificatione? Nihil certe minus. Non enim simpliciter dicit: Non sum Iustificatus, Sed, Non sum Iustificatus IN HOC. In quo? Num in Christo? Minimè omnium. Scit enim uerè & certò se in Christo iustificatum, & habere in Christo per fidem, Remissionem peccatorum, & omnem Iusticiam, sicut sæpe iam, & multùm demonstrauimus, Sed non sum, inquit, iustificatus in hōc, uidelicet, in opere meæ uocationis. Scio me meum officium adnunciandi Euangelij fidelissimè administrasse, non autem confido hac mea iusticia, non colloco fiduciam meam in his operibus, quæ ego feci. Non enim iustificatur ex operibus suis omnis homo. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et orandum est: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Ergo, nullo modo es iustificatus? Absit: Non sum quidem iustificatus in meis operibus, Iustificatus autem sum in Christo Domino meo, & certus sum, quòd habeam in ipso omnium peccatorum meorum condonationem, & ius cœlestis hæreditatis. Hæc est uera sententia huius loci, in qua non uides Paulum dubitare de iustificatione & condonatione peccatorum, quam habet in Christo certissimam, sed suis tantum operibus adimere iustificationis honorem. Nec uides Paulum incertum esse de sua æterna salute in iudicio Dei, sed hoc loco iudicium de ministris Ecclesiæ, quis sit fidelior, quis Ecclesiæ utilior, tam Corinthijs, quàm sibi adimere, & soli Domino Deo nostro deferre. Tantum igitur abest, ut Paulus patrocinetur impietati Asoti, & præcipiat nos incertos esse, de uera nostra in Christo iustificatione, ut in uniuerso potius doctrinæ suæ genere nos ad assequendam plerophoriam & certitudinem illam cohortetur.

Citatur etiam ex Iona & Ioële de incertitudine diuinæ erga nos gratiæ: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus &c. Vterque autem Propheta concionantur in his locis de externis calamitatibus, quæ imminebant, in altero quidem, Regno Iudæ, in altero autem, Niniuitis, & hortantur suos ad pœnitentiam. Iam, uera pœnitentia ita se habet, quòd afferat quidem certam Remissionem peccatorum, & æternam salutem, non autem semper afferat externam & corporalem in hoc mundo liberationem. Manasses egit pœnitentiam, & liberatus est è carcere. Latro in cruce egit pœnitentiam, & non est ita liberatus à cru-

Ionæ 3.

Ioel. 2.

ce, ut mortem non perferret, sed est liberatus, quod est maximum omnium, à peccatis, & ab æterna morte. Cùm ergo agitur de Remissione peccatorum, & de æterna salute, nullus planè relinquitur locus dubitationi, sed potius certissimum est, quòd qui ueram agit pœnitentiam, consequatur proculdubio peccatorum remissionem, & æternam uitam. Nec habet in tali argumento locum dubitatiua illa locutio, Quis scit, si ignoscat Deus, Sed sentiendum est, nihil esse certius, quàm quòd Deus ignoscat credenti, propter Christum filium suum. Oportet, inquit Christus ipse, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, Et ad Paulum: In hoc, inquit, apparui tibi, ut constituam te ministrum, ut Gentes accipiant Remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt, per fidem, quæ est erga me. Et Petrus: Huic, inquit, omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

Cùm autem agitur de liberatione ab externa aliqua calamitate, hîc, ut precandum est, Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis, ita nisi liberatio expressis uerbis promissa est, non potest certò expectari, Sed nostra uoluntas simpliciter subijcienda est diuinæ uoluntati, ut quicquid acciderit, è manu Domini obedienter suscipiamus. Quare, cùm non dubitandum sit, quin uerba illa, Quis scit, si conuertatur Dominus & ignoscat, apud Ioelem, & Niniuitas, sint ueræ pietatis uerba, fieri non potest, ut concionentur de incertitudine remissionis peccatorum, & æternæ uitæ, in ijs, qui ueram agunt pœnitentiam. Nihil enim certius est, quàm ut his, illa Dei beneficia contingant: Sed quia nec Israelitis, nec Niniuitis simpliciter & expresse promissum erat diuinitùs, ut illi non abducerentur in captiuitatem uel Assyriacam, uel Babylonicam, hi autem conseruarent ciuitatem suam incolumem, idcirco sustinent se à certa petitione externæ liberationis & dicunt: Quis scit, si fortè Dominus conuertatur & ignoscat, non quòd dubitent de peccatorum remissione, de qua ex fide in semen Abrahæ certi sunt, ut ut res cadat, sed quòd non habeant certam & absolutam promissionem Dei, de tollenda imminenti captiuitate. Paulus affligitur colaphis Satanæ, & ter rogat Dominum, ut ab hac afflictione liberetur, Sed audit: Sufficit tibi gratia mea, hoc uidelicet diuino oraculo significante, quòd & si pij affligantur in hoc mundo uarijs ærumnis, ex quibus Deus non liberat ipsos, dum uitam agunt corporalem, tamen nihilominus uus certi sunt, Deum prosequi ipsos summa gratia & beneuolentia. Talis fuit etiam conditio piorum Israelitarum & Niniuitarum, quòd & si non fuerunt certi, ne abducerentur in exilium, & ne ciuitas eorum uastaretur, tamen quia conuersi sunt ad Dominum, certi fuerunt de gratia Domini, & de Remissione peccatorum, ac uita æterna, quam se etiam in uastata urbe & in medio exilio consecuturos proculdubiò speraruerunt. Vnde & Ionas de Niniuitis disertè dicit: Crediderunt in Dominum. Si in Dominum uerè crediderunt, certè crediderunt, se habere benedictionem (hoc est) Remissionem peccatorum, & uitam æternam in Semine Abrahæ, etiamsi urbs ipsorum subuertatur. Nos autem, cùm docemus, certò credendum & cognoscendum esse, quòd simus in gratia Dei, non loquimur de gratia, qua interdum pij, in hac corporali uita, ab externis calamitatibus liberantur, sed de gratia, qua consequimur Remissionem peccatorum, & uitam æternam, etiamsi omnibus corporalibus afflictionibus obruamur & moriamur.

Quam

Quàm gratiam, cùm Sotus, & Fraterculi eius nobis incertam & ambiguam reddere conentur, non solum damnāt omnium piorum fidem, uerum etiam arguunt mendacij Euangelion Christi, adeoque subuertunt, quantum in ipsis est, uerum uniuersi Christianismi fundamētum. Nam, quod ad interpretationem Hieronymi attinet, siquidem Hieronymus, cùm dicit: (Dum homines dubij sunt de salute) intelligit nomine salutis, non ueram & æternam, sed mundanam & externam salutem, seu liberationem, rectè loquitur. Deus enim solet homines in hoc mundo tantis periculis obijcere, ut sæpenumero ambiguum, & incertum sit, num sint externa liberatione euasuri. In priori libro Samuelis, Dauid ab exercitu Saulis ita circūdatur, & concluditur, ut desperet se posse euadere à facie Saul, ut Scriptura loquitur. Paulus ad Corinthios scribens: Supra modum, inquit, grauati fuimus supra uires, adeo ut desperauerimus etiam de uita: quin ipsi in nobis ipsis sententiam mortis aceeperamus. Si ergo de talibus periculis, & liberatione ex eis sermo est, rectè dicitur, Ideo ambiguum & incertum poni, ut dum homines dubij sunt de Salute, uidelicet externa, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent. Si autem Hieronymus intelligit nomine salutis, remissionem peccatorum coram Deo, & salutem æternam, suo periculo sentiat eam salutem credentibus esse incertam, & oppono præceptorem discipulo. Nazianzenus enim dicit, quemadmodum paulò antè recitauimus: Quis scit, inquiens, nunquid conuertatur & pœniteat, ac relinquat benedictionem? Atqui manifestè hoc scio. Ego diuinæ clementię sum fideiussor &c. Idem dicendum est de eo, quod Hieronymus dicit, nos non posse profundum diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei nosse. Agnoscimus enim uerba Pauli, quibus docet quidem, humanum sensum non posse ad inscrutabilia Iudicia Dei, & imperuestigabiles uias eius pertingere, non autem docet credentibus in Christum ea esse ignota & incerta, quæ ipse uult esse cognita & certa. Iuxta reuelationem (inquit alias) mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc, & per scripturas Propheticas, iuxta delegationem æterni Dei in obedientiam fidei, in omnes Gentes patefacti. Ac iterum: Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo Principum huius seculi cognouit. Et mox: Nobis autem Deus reuelauit, per Spiritum suum. Ac rursus: Mysterium, quod recondi-tum fuit à seculis & generationibus, nunc autem patefactum est sanctis illius, quibus uoluit Deus notum facere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius inter Gentes &c. Quare & si iudicia Domini, quæ uult nobis esse in hoc seculo abscondita, sunt nobis inscrutabilia, tamen quia patefecit per Euangelion suum, quòd qui credit in Christum, habeat æternam uitam, idcirco & scire possumus, quòd Credamus, & cum Credimus, certò etiam scimus, nos esse in gratia Dei, & habere ius æternæ uitæ.

1. Samu. 23.

Greg. Nazianzenus præceptor Hieronymi.

De testimoniō autem Bernhardi, quòd Sotus recitat, in præsentia non libet aliud dicere, q̄ ut Bernhardo Asotico opponā Bernhardum Euāgelicum, cuius aperta testimonia de certitudine gratiæ diuinæ erga nos, suprà recitauimus. Et dicit etiam alias Bernhardus: Hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionē, temeraria est, Fides, si habet hęsitationem, infirma est. Et mox: Fides ambiguū nō habet, aut si habet, fides nō est, sed opinio. Ego quidē ea Bernhardi dicta agnosco, quę sunt scripturę Propheticæ &

Apostolicæ consentanea, & existimo eum fuisse uirum pium, qui, utut aliquoties incommodè loqui uideatur, in Christo fœliciter uiuat. Si autem secum ipse pugnat, uiderit Asotus, quomodo ea dicta inter se conciliet. Nos, qui solius Sacræ scripturæ sententiam sequimur, sumus extra teli iactum.

Quid negocij Innocentius cum Archiepiscopo Byzantino habuerit, nihil ad nos. Etsi enim habemus, quod utrique respondere possemus, & uidetur uterq; in his, quæ recitantur facta, dignus reprehensione, tamen quia nihil facit ad nostrum institutũ, omitto. Quod enim ex Iobe allegatur, Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, hanc habet sententiam. Etiamsi fuero rectus, seu integer, non possum tamen nec debeo hoc agnoscere, & integritate mea confidere. Quid ergo? Num quia non est confidendum nostra integritate, non erit etiam confidendum integritate Domini nostri Iesu Christi, quę nobis est donata? Non habens, inquit Paulus, meam iustitiã ex Lege, sed eam, quæ per fidem est Christi.

Priusquàm autem receptui canamus, quædam è scorijs Asoti sunt repetenda. Paulus ad Romanos dicit: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Hîc addit Asotus, Vestra uerò, inquiens, certitudo, quid aliud, quàm temeritas, & contraria huic Pauli admonitioni? Bona uerba Sote. Quam tu dicis temeritatem, docent nos sacræ literæ. Hanc temeritatem exigit à nobis Christus, cùm nos Credere iubet, cùm Sacramenta sua nobis sumenda offert, cùm etiamnũ iurat, Amen amen, inquiẽs, dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Nam quod Paulus iubet nos timere, non iubet nos dubitare de ueritate promissionum Dei, & de gratia Dei erga nos, sed postquàm credimus Euangelio Christi, iubet nos sollicitè in uocatione Dei ambulare, ne quod gratia Dei accepimus, nostra ingratitudine iterum amittamus. Quare, quòd credimus Deum certò nobis remittere peccata propter Christum, & officium & obedientia, ac humilitas est, quam debemus Domino Deo nostro. Quod autem hac in re Sotus & Fraterculi eius faciunt, detestanda est impietas, & abominanda coram Deo incredulitas.

Sed quid cum Asoto, qui nullo planè constat loco, conferas? Si dixeris, In agenda pœnitentia necessariam esse fidem, qua credimus certò nobis condonari peccata propter Christum, respondet se fateri quidem necessariam esse fidem, sed quæ operetur per charitatem. Si pergas & urgeas, eam fidem nõ debere esse cum dubitatione coniunctam, sed dubitationem expurgandam, & certitudinem concipiendam, respondet, nulli pœnitentiam ac perseuerantiam esse promissam. Quid hoc quæso, (ut maximè uerum esset) ad institutum? Num enim, quia nulli promissa est pœnitentia & perseuerantia, certitudo non debet esse in ijs, qui ueram agunt pœnitentiam & perseuerant? An nobis nunc sermo est de impœnitentibus, aut fictè credentibus, & non potius de uerè pœnitentibus & uerè credentibus? Sed falsum est, quod Sotus toties repetit, Nulli esse donum pœnitentiæ aut perseuerãtiæ promissum. Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. In omnem terrã, inquit, exiuit sonus eorum, & in omnes fines terræ uerba eorum. Imò iurat etiam: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Non omnes quidem agnoscunt uocationem & promissionem Dei, nec omnes ueram agunt pœnitentiam, & cõuertuntur.

Omnibus

Omnibus tamen salus promittitur, omnibus offertur, quia Euangelion adnunciatur omni creaturæ. Et qui promissionẽ non accipiunt fide, non reiiciant culpam in Deum, sed in suam ipsorum impietatem. Qui autem, Spiritu sancto excitantur, & accipiunt promissionem per fidem, hi fide sua de gratia Dei erga ipsos, & Remissione peccatorum propter Christũ, tam certi sunt, ut potius sanguinem suum profundãt, quàm ut Christum & beneficia eius abnegent. Quare, & si Sotus alicubi dicit se non dubitare de immensitate, ut ipse loquitur, gratiæ Dei, ac meritorum Christi, tamen quia affirmat eam fidem, qua statuimus nobis certò remitti peccata gratis propter solum Christum, contrariam esse ueræ fidei & Scripturæ, & negat eam fidem habendam, idcirco non est tantum in catalogo hypocritarum & Sophistarum, sed etiam impiorum Ethnicorũ, collocandus, quòd utatur quidem uerbis quibusdam Christianorum, & incedat in uestitu hypocritarum, Euangelion autem Christi uerè abneget, ac Ethnicissimum in corde suo spiret. Deus misereatur hominis furori, & reducat eum ad ueram mentis sanitatem.

De Satisfactione.

SPero me de Satisfactione, pio lectori breuibus satisfacturũ, quòd & Sotus ipse, in hoc loco, & si erroribus copiosior, uerbis tamen sit breuior, & nõnulla eorum satis antea sint explicata. Nam, cũ Confessio Principis adimat nostris operibus honorem ueræ satisfactionis pro peccatis nostris corã Deo, & tribuat eum soli Passioni & morti Christi, Sotus de dignitate nostrorũ operum longè alia concionatur. Affirmat enim, quòd nostra opera satisfaciant pro peccatis nostris coram Deo, & accipiant hanc satisfaciẽdi uirtutem à Passione & morte Christi.

Deinde ait, quòd necessarium sit satisfacere Deo orationibus, Ieiũnijs & eleemosynis, pro pœna temporali, quę nonnunq; restat exoluenda.

Adhęc, dicit nostra opera magis magisq; applicare nobis meritũ Christi, sicut & hoc meritum applicetur nobis etiam uirtute clauium.

Postremò addit, nostra opera esse prouentum, & augmenta uirtutum ac meritorum, & spirituales profectus animarum.

Hæc qualia sint, & quam uim habeant, breuiter, quantum ad institutũ satis est, perstringemus.

Ac initio, quòd Sotus affirmet nostra opera habere uirtutem satisfaciendi pro peccatis, ex Passione & Morte Christi, uetus est coccysmus eius, & in priori περιποιῶ adeo copiosè refutatus, ut sperem pium Lectorem nihil amplius desideraturum. Quid enim multis opus? Passio Christi non efficit, ut quæ facimus bona opera ex Spiritu sancto, in hac uita, sint perfecta, Quomodo igitur efficeret, ut essent expiatio pro peccatis nostris? Et accipimus Remissionem peccatorum ante & extra omnia opera, tantum propter Christum per fidem. Cur igitur quæreremus eam in operibus? Sed profectò, dicere opera nostra habere uirtutem satisfaciendi pro peccatis, ex uirtute Passionis & Mortis Christi, non aliud est, quàm si dixeris Passionem & Mortem Christi facere, ut opera nostra fiant Christus ipse. Itaque iuxta Soticam colluuiem, ex Passione & Morte Christi, tot fiunt Christi, expiatores & redem-

ptores nostri, quot sunt nostra opera. Quo quid potest dici magis absurdum & blasphemum?

Ephe. quinto : Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Non dicit: Fecit, ut bona opera nostra, sint oblatio ac uictima Deo, Sed, Tradidit SEMETIPSVM, ut Solus ipse honorem uictimæ ita habeat, ut quemadmodum per Passionem & Mortem suam, nullam creaturam facit naturalem filium Dei, qualis ipse est, ita nec ullum opus nostrum faciat uictimam pro peccatis nostris. Hi quidem, qui credunt in Christum, fruuntur Passione & morte Christi, ut adoptentur in filios Dei & non imputentur ipsis peccata, nō autem sic ea fruuntur, ut uel ipsi, uel ipsorum opera satisfaciant Deo pro peccatis.

1. Pet. 2. Qui peccata nostra Ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iustitiæ uiueremus, cuius liuore sanati sumus. Dicit Petrus Christum pertulisse nostra peccata IPSVM, & in SVO CORPORE, idq; SVPER LIGNVM, Non dicit coniecisse ea in NOSTRVM CORPVS, & in NOSTRA opera.

1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio nostra pro peccatis nostris. Non dicit: Fecit, ut opera nostra essent propiciatio nostra, sed ipse, IPSE (inquam) est nostra propiciatio : Quare magna est impietas & temeritas Asoti, quòd audeat honorem Soli Christo filio Dei debitum, & reseruatum, communicare cum impuris hominum, quamuis in Christo renatorū, operibus.

Quòd autem Sotus Confessioni Principis, dicenti, Bona opera, quæ à Deo præcepta sunt, non esse facienda, ut ijs expiemus peccata cōrā Deo, opponit dicta Esaiæ ex cap. 1. & 58. in signi contumelia afficit tantum Prophetam, perinde ac si non doceret, solam Passionem & mortem Messiæ esse satisfactionem pro peccatis nostris. Nam Propheta in utroq; capite reprehendit falsam hypocritarum pœnitentiam, & docet ueram pœnitentiam, ac ueros fructus pœnitentiæ. Hypocritæ enim ac præsertim Principes & Iudices populi putabant se tum suo officio uerè functos, cùm offerrent holocausta, & incederent contorto in circulum capite ieiuni. Interea autem nullam habebant nec ueræ fidei in Messiam, nec ueræ caritatis in proximum rationem. Reprehendit igitur Propheta præposteros eorum mores, & docet ueros fructus pœnitentiæ. Lauamini (inquiens) mundi estote. Et mox : Quærite iudicium, subuenite oppresso, Iudicate pupillo, defendite uiduam. Hæc enim est uocatio, hoc est officium principum. Et addit: si fuerint peccata uestra ut coccinū, quasi nix dealbabuntur. Quid? Num peccata dealbabunt & remittuntur propter merita eorum operū, quæ proximè commemorauit? Certè, hæc sunt opera legis. Scriptum autem est: Ex operibus legis non iustificatur ulla caro. Et docet aliàs Prophetа de Messia, q; ipse sit peccatorū nostrorū expiator. Vulneratus est, inquit, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Quare non docet peccata nostra dealbari seu expiari propter merita nostrorum operum, sed recenset opera uocationis, quæ sint fructus ueræ pœnitentiæ. Cū autem pœnitentia exigat fidem in Messiam, quòd ipse solus sit peccatorum nostrorum expiator, manifestum est, hos fructus, & hæc opera non fieri ab ijs, qui agunt pœnitentiam eo consilio, ut ijs expient peccata, Habent enim expiationem in Messia per fidem, sed ut testificentur ueritatē suæ pœnitentiæ, & gratitudinem ac obedientiam suam. Vnde & non solum dicit: subuenite oppresso, sed præposuit, Lauamini, mūdi estote: hoc autem

autem nõn potest fieri, nisi per fidem in Messiam. Sic & cap. quinquagesimooctauo, reprehendit Ieiunia hypocritarum, & docet quæ sint uera ieiunia, uidelicet non per diem affligere animã suam, non pane & aqua ieiunare, sed opera ueræ charitatis erga proximum exercere. Et addit: Tunc anteibit faciem tuam iusticia tua, hoc est, tunc iustificaberis coram Deo. Propter quid? Num propter merita operum charitatis? Si quidem perfecta essent, haberes, quod gloriareris, sed quia sunt imperfecta, & non possunt constare in iudicio Dei, idcirco necesse habes in his omnibus dicere cum Paulo, Nihil mihi cõscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Et: Non habẽs meam iusticiam ex lege, sed eam quæ est ex fide. De talibus autem locis scripturę, quæ uidentur operibus tribuere iustificationem, aliâs copiosius diximus.

Ac tolerabile fortasis uideretur, si Sotica cõluuies uirtutem Passionis & mortis Christi in bona hominum opera ita transfunderet, ut haberent eam immediatè à Christo. Nunc autem illud est intolerabile, quòd cùm dicunt Meritum Passionis & mortis Christi esse Thesaurum Ecclesiæ, faciant solum Romanum Pontificem huius thesauri œconomum & dispensatorem, qui de hoc thesauro tantum meritorum cuiq; operi distribuat, quantum ipsi libet, & tantam distribuendi potestatem aliis Prælatis concedat, quanta ipsi uidetur. Hinc sunt illæ formulę loquendi, Si coram hac imagine dixeris tria Pater noster, & tria Aue Maria, habebis de merito Christi & Sanctorum, uiginti dies indulgentiarum. Et cur non centum dies, imò cur non centum annos? Si quis audierit horas Canonicas & Missas in die Corporis Christi, habebit Indulgentias decem quadragenarum, uiginti Septenarum, & triginta Carenarum. Et cur non centum? cur non mille? cur non myriades? Num Pontifex Romanus meritum Passionis & mortis Christi in manu sua ita continet, ut liceat ei hunc thesaurum modijs metiri, & suam cuiq; uel hominum uel operum mensuram, pro ipsius libidine distribuere? Sed facessant illæ Pontificiæ impostiuræ, quæ nunc reuelatam uerbi Dei lucem, sua sponte diffugiunt. Nos ad institutum reuertemur.

Deinde dicit Asotus, necessarium esse, ut orationibus, Ieiunijs, & eleemosynis satisfiat Deo pro pœna temporali, quæ nonnunquàm restat exoluenda. Aiunt enim diuinæ iusticiæ interesse, ut nullum malum impunitum relinquatur. Atq; hoc quidem de diuina iusticia rectè dicitur, si & rectè intelligatur. Propter hanc enim causam reiecit Deus omnia peccata nostra in Christum filium suum, ut in eo grauissimis supplicijs, & probrosissima morte punirentur. Sed si Deus post remissionẽ peccatorum, imponit uel Adamo, uel Dauidi, uaria crucis & mortis genera perferenda, non idcirco facit, quòd ea seu supplicia seu aduersa sint expiatiões peccatorum coram tribunali suo. Iam enim & Adam & Dauid habent peccatorum remissionem per semen mulieris seu per semen Abrahæ, Sed imponit ea, ut sint uel admonitiones de reliquijs peccati in carne nostra, uel frena ad coercendam carnem, ne deinceps peccato indulgeat, uel exempla, quibus alij ad pœnitentiam excitantur, uel testimonia ad confirmandam piam doctrinam, uel instrumenta illustrandæ gloriæ Dei. Denique multæ sunt causæ afflictionum, in ijs, qui iam consecuti sunt satisfactionem pro peccatis, per fidem, Sed harum nulla est, quòd afflictiones piorum sint satisfactiones peccatorum coram Deo. Hęc enim maiestas competit soli sanguini, morti & afflictioni Christi filij Dei, cuius afflictionis

peccator tum particeps redditur, cùm agnito peccato, credit peccatum suum à Christo expiatum, & sibi propter Christum remissum esse.

Sed quòd Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna satisfaciant Deo, pro pœna illa temporali, quæ aliquoties diuino consilio homini sufferenda imponitur, quid sibi uelit, considerandum est. Nam si pœna temporalis imponitur homini, postquàm iustificatus est, seu absolutus à peccatis, certè obedienter ferenda est, ac mitigari quidem potest, si perrexeris in uera obedientia fidei, tolli autem, suo usq; tempore, non potest. Exemplum habes in Adamo. Is esu prohibiti pomi peccauit aduersus Deum grauiter. Sed postquàm audiuit Euangelion de semine mulieris, quòd sit contritum caput Serpentis, & credidit, Iustificatus seu absolutus est à peccato suo. Nihilominus tamen Deus imposuit ei, accepta iam peccati remissione, pœnam temporalem, Maledicta, inquiens, terra in opere tuo. Spinas & tribulos germinabit tibi, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Quid igitur dicemus? Num Adam aut alius quispiam, ex posteritate eius iuxta seminalem rationem descendens, potuit orationibus & ieiunijs suis uel triduanis uel quatriduanis, pro hac pœna ita satisfacere, ut Deus tolleret eam, ac efficeret, ne terra proferret spinas & tribulos, ac homo non obiret mortem corporalem? Scio, quid Deus pro absoluta sua potentia efficere queat. Nunc autem illud quæritur, num homo possit ieiunijs suis multorum etiam dierum, impetrare, ut sententia illa Dei, quam recensuimus, retractetur? Nihil certè minus. Definita enim est diuinitùs, postquàm homo iam absolutus fuit à peccatis, & receptus in gratiam Dei. Definita autem est, non ut expiaret peccatum, quod iam remissum erat Adamo, per fidē in Semen mulieris, Sed ut admoneret hominem de reliquijs peccati in carne, & inijceret ei frenum, ne deinceps peccato indulgeat. Habes & exemplum in Dauide. Is enim peccauit adulterio & homicidio. Sed cùm audiuit Euāgelion: Dominus transtulit peccatum tuum, & credidit, Iustificatus seu absolutus est à peccato. Et tamen Deus imposuit ei, iam à peccatis absoluto, pœnam temporalem. Suscitabo, inquiens, super te malum de domo tua &c. Ac mox: Filius qui natus est tibi, morte morietur. Quæso igitur te, num Dauid potuit Orationibus, Ieiunijs & eleemosynis suis Deo ita satisfacere, ut hæc pœna remitteretur? Lego quidem precationes, lego ieiunia, lego fletum, lego squalorem, sed lego etiam puerum, iuxta sententiam Domini, mortuum, & malum de domo Dauidis super ipsum, à suo ipsius filio suscitatum. Definita enim erat sententia Domini, non hoc consilio, ut hæc pœna expiaret peccatum, quod iam non amplius imputabatur, sed ut exemplum in tanto heroe alios à peccando deterreret, & ipse quoque deinceps in officio contineretur.

Si autem pœna denunciatur, priusquàm homo est iustificatus, & denūciatur hac conditione, ut si gens pœnitentiam egerit, (iuxta dictum Hieremiæ) à malo suo, agat & Deus pœnitentiam super malo, quod cogitauerat inferre, hîc tum fieri potest, ut pœnam denunciatam, suscepta pœnitētia, effugiamus. Sic si orbis terrarum ante diluuium obedijsset uoci Noæ, & egissent pœnitentiam, non interijsset terra diluuio. Sic si decem iusti, hoc est, pœnitentes homines fuissent Sodomis & Gomorrhis, urbes non interijssent incendio. Sic Niniuitæ, quia egerunt pœnitentiam, conseruarunt urbem suam incolumem. Sic si ciues Hierosolymitani egissent pœnitentiam ad uocationem Prophetarum, ante incursionem Babyloni cam, non fuissent euersa urbe, in exilium abducti. Sic & Christus apud

Lucam

Lucam dicit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Cùm autem loquimur de Pœnitentia, non intelligimus illam Pharisaicam, Hypocriticam & Sophisticam, quæ constat certis quibusdam preculis, certis ritibus Ieiuniorum, & Eleemosynarum, quam pœnitentiam etiam impij & impœnitentes præstare possunt, sed intelligimus ueram & Christianam pœnitentiam, quæ constat agnitione peccati, & fide in Christum, ac uera emendatione uitæ in melius, uidelicet, non ut peculiares quasdam & longas preculas recites, sed ut Deum uerè, & sine intermissione inuoces, non ut suscipias externum ritum ieiunij aliquot diebus obseruandum, sed ut abiecta crapulâ & ebrietate, semper secteris sobrietatem, non ut unum tantum & alterum obolum mendico eroges, sed ut proximum ex animo diligas, & egestatem eius facultatibus tuis pro uirili sustentes. Ac fieri quidem potest, ut & hypocritica illa precularum, Ieiuniorum & Eleemosynarum obseruatio, sua aliquãdo externa & temporalia commoda assequatur, qualis fuit pœnitentia Ahab: Et Christus de hypocritarum precibus, ieiunijs, & eleemosynis dicit: Amen dico uobis, habent mercedem suam: Fieri autem non potest, ut his hypocriticis actionibus peccatum coram Deo expietur, & æterna pœna aboleatur. Confessio uerò Principis, cùm de Satisfactione loquitur, intelligit eam satisfactionem, qua & peccatum coram Deo expiatur, & pœna æterna remittitur. Quare quod Sotus concionatur nobis de orationibus, ieiunijs, & eleemosynis, siquidem intelligit his uocabulis ea opera, quæ sunt fructus ueræ & Christianæ pœnitentiæ, scimus ea esse necessariò præstanda, eo uidelicet modo, quem iam exposuimus. Si autem intelligit suos illos hypocriticos ritus, præscribat eos suis Epicureis, qui multo magis sollicíti sunt, quomodo temporales pœnas, quàm quomodo æternam iram Dei effugiant. Nam quod Gregorius dicit: Summopere cogitandum esse, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam licitis studeat abstinere, pertinet ad illud Christi: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Quæ cùm ita se habent, uideamus etiam, quid illud sit, quod Sotus dicit, Opera, gratia & meritis Christi producta, applicare nobis magis magisque meritum Christi, ut qui Sanctus est, sanctificetur adhuc. In hoc explicando, oro pium Lectorem, ut prolixitatem nostram æquo animo ferat. Recitabo enim, è scriptis Scholasticorum & Fraterculorum, quibus modis soleant sibi meritum Christi applicare, & pro peccatis suis coram Deo satisfacere. Quos modos, dum commemorauero, paulò forsasis longiores erimus.

Initio, cùm de Passione Christi concionãtur, docent eam esse quidem uniuersale, principale & partiale, (sic enim loquuntur) meritum remissionis peccatorum, & redemptionis nostræ, non esse autem solum, & totale, ideoq; necessarium esse, ut singulis ad deletionem propriorum peccatorum, & ad consecutionem propriæ redemptionis adhibeatur & applicetur. Hoc, & si potest aliquo modo commodè exponi, tamen quæ addunt de cooperatione meriti electorum, haud obscurè significant, quòd impia sit sententia eius.

Deinde faciunt suum quoddam discrimen inter peccatum ueniale & mortale. Et sicut hæc sunt diuersa genera peccatorum, ita etiam somniant diuersos modos, quibus meritum Christi applicetur nobis ad delẽda peccata uel uenialia, uel mortalia. Ad deletionem ergo Venialium peccato-

rum, hos ferè modos commemorare solent.

I. Dignam communionem Eucharistiæ.
II. Aspersionem aquæ benedictæ.
III. Recitationem orationis Dominicæ.
IIII. Largitionem eleemosynarum.
V. Dimissionem iniuriarum.
VI. Confessionem generalem.
VII. Benedictionem Episcopalem, Sacerdotalem, ac etiam Monialiũ.
VIII. Contritionem cordis.
IX. Deuotam tunsionem pectoris.
X. Extremam unctionem.
XI. Patientiam flagellorum.
XII. Denique quodlibet bonum opus.

Hæc ferè sunt, quibus sentiunt meritum Christi applicari nobis, ad expianda & delenda peccata Venialia.

Sed multo maiora & grauiora, ad applicandum nobis meritum Christi, in expiationem Mortalium peccatorum, exiguntur. Hîc enim necessariæ sunt Quadragenæ, Septenæ, & Carenæ. Quæ, qualia sint, fortassis non est cuiuis cognitum. Visum igitur est ea, sicut ab ipsis tradita sunt, huc referre.

Quadragenam uocant Pœnitentiam quadraginta dierum, cum sequentibus septem annis, quæ iuxta Canonum seueritatem exigitur pro quolibet mortali peccato. Et dicitur eam Clemens eius nominis primus Romanus Pontifex hoc modo definijsse.

Primò, ut pœnitens quadraginta dies pane & aqua ieiunaret, seq; ab ingressu Ecclesiæ & à consortio hominum abstineret.

Secundò, ut peractis istis quadraginta diebus liberum esset in Ecclesiam & in contubernia hominum ingredi, sed hac conditione, ut ex imperio sui sacerdotis septem continuos annos ita ieiunaret, ut singulis, Dominica die, Feria terria, & feria quinta liceret bis uesci lacticinijs, Feria secunda, semel tantum, idq; similiter de lacticinijs. Feria quarta & Sabbato, itidem semel, uno ferculo, quodcunq; libebat, è cibis quadragesimalibus. Sexta autem feria, tribus tantum panis morsellis, ut ipsi loquuntur, cinere intinctis. Hæc seueriſsimè, sine ulla remissione, septem continuis annis præstanda erant.

Tertiò, Incedendum fuit Pœnitenti, his annis, discooperto capite & nudis pedibus.

Quartò, Non licuit, his annis, carnibus ullo modo uesci.

Quintò, non licuit, nisi aquam bibere.

Sextò, non licuit cubare nec in plumis, nec straminibus, sed tantum in nuda terra, aut assere, aut lapide.

Septimò, non licuit balneis uti. His septem annis obseruatis, restitutus fuit pœnitens communioni Eucharistiæ, quippe quod uidebatur meritum Passionis Christi iam satis applicatum esse.

Hæc est Quadragena, cuius usum aiunt, centum annos, à Clemente primo, usq; ad Innocentium primum durasse.

Videamus nunc quid sit Septena. Postquàm enim seueritas quadragenæ uidebatur durior, quàm quæ posset à quouis uel exigi, uel præstari, mutata est in Septenam. Ea autem est, quæ pro ieiunio quadraginta dierum, quale suprà in quadragena descriptum est, utebatur Ieiunio septem

tantum

tantum dierum, & licuit septem sequentibus annis non tantum lacticiniis, uerumetiam ouis, ac cereuisia, certis diebus uti, ac peregrinationes quoque ad limina Sanctorum (Sic enim uisum est eis loqui) suscipere.

Sed & hoc pœnitentiæ genus uidebatur grauius, quàm ut ferri posset. Quare mutatum est in Carenam. In hac exigebatur quidem Ieiunium quadraginta dierum in pane & aqua, sicut in quadragena. Seueritas autem Ieiuniorum, in septem annis, mutabatur in alia opera pietatis, iuxta arbitrium Sacerdotis. Dicunt autem uocari Carenam à carẽdo, quòd pœnitentes necesse habebant quadraginta diebus includi in locum secretum iuxta Ecclesiam, & carere hominum contubernio.

Habes quas rationes, quos ritus, & quæ opera præscripserunt quondam, quibus meritum Christi, ad expianda tam uenialia, quàm mortalia peccata, nobis applicetur.

Sed cùm hæ pœnitendi formulæ non fuerint plantatio cœlestis Patris, conciderunt magna ex parte, sua sponte, ac uentum tandem est ad Pontificias Indulgentias; (hoc est) ad mera somnia & impostura. Quid enim? An non hæ pœnitendi formulæ sunt ab hominibus excogitatæ, & absque Verbi Dei præscripto usurpatæ? Si autem sunt formulæ ab hominibus institutæ, non iam pertinent ad præceptum Dei, sed ad doctrinam hominum. Et manifesta est diuina de eis sententia: Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Si uerò sunt uanus Dei cultus, quomodo possent nobis meritum Passionis Christi applicare? Quòd si & hoc accesserit, ut speres te merito harum formularum satisfacere Deo pro peccato, non iam uanus tantum Dei cultus est, sed etiam Idololatria. Quomodo autem Idololatria, applicaret nobis meritum Passionis Christi?

Dicamus etiam de operibus à Lege Dei præceptis. Neque enim hoc consilio sunt diuinitùs præcepta, ut applicent nobis meritum Christi. Lex enim Dei, in hac corrupta natura, nobis data est, non quæ uiuificet: Viuificaret autem, si opera eius applicarent nobis meritum Christi, Sed data est, ut occidat, ut ducat nos in agnitionem peccati, & amandet à se ad Christum, in quem cùm credimus, datur nobis Spiritus sanctus, qui excitet & inflammet nos ad opera diuinitùs præcepta, idque iterum non hoc consilio, ut per hæc opera meritum Christi magis magisque nobis applicetur: Est enim iam antea, si uerè in Christum credimus, satis superque nobis applicatum, Sed ut fidem in Christum exerceamus, & gratitudinẽ nostram testificemur.

Sciamus ergo, quomodo uerè applicetur nobis meritum Christi. Ac facilè quidem intelligi potest, quòd hoc meritum non applicetur nobis, per ea, quæ homines humana sua sapientia excogitant: Sapientia enim hominis, stultitia est coram Deo, sed per ea, quæ Spiritus sanctus instituit. Instituit autem, in organon, quo meritum Christi nobis offeratur, & applicetur, Ministerium prædicandi Euangelij de merito Christi.

Marci ultimo. Ite in mundum uniuersum & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uerò non crediderit &c.

Lucæ ultimo. Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes.

Roman. 1. Euangelion est põtentia Dei ad Salutem omni credenti.

1.Cor.3.Quid est Paulus? quid Apollo? nisi ministri, per quos CREDIDISTIS, ut & cuiq; Dominus dedit.

1.Corinth.5.Reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Et mox: Posuit in nobis sermonem reconciliationis.

His & similibus testimõnijs scripturæ perspicuum est, quòd Spiritus sanctus ordinauerit in organon dispensandi meriti Christi, non ritus ab hominibus excogitatos, non opera Legis, sed Ministerium prædicandi Euangelij de Christo. Et si hoc generalius uidetur, quàm quod singulatim meritum Christi applicet, instituit & ordinauit Baptismum, ac Cœnam Dominicam, ut quod in adnunciatione Euangelij de Christo generatim offertur, in dispensatione horum Sacramentorum singulatim, tam uerbo, quàm signo, applicetur. Quæ applicatio tunc promouet, ac fœliciter cadit, cùm quod uerbo ac signo offertur & applicatur, Fide accipiatur. Nisi enim accedat fides, applicatio euanescit. Et hoc uerè est uirtute clauium offerri ac applicari, quemadmodum suprà est expositum. Nam, quod dicitur: Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, non significat meritum Christi applicari nobis magis magisque per opera diuinæ Legis, sed significat fidem nostram ex auditu Euangelij, & usu Sacramentorum corroborandam, & in operibus Iusticiæ pergendum esse. Quare cauenda est ἀμουσολογία Soti, qua abutitur hoc dicto scripturæ, & sentiendum, quòd tunc uerè sanctificemur, cùm meritum Christi, per Euangelion & Sacramenta eius oblatum, fide accipimus, & excitamur Spiritu sancto, ut carnem mortificare pergamus.

Allegat præterea Sotus illud Pauli, dicentis, nos futuros hæredes Dei, siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Quo igitur amplius (inquit Sotus) compatimur Christo, eo magis meritum eius nobis applicamus. Et iterum, dicit Paulus: Si commortui sumus, & conuiuemus &c. Nihil est manifestius, quàm quòd Paulus maximè omnium deducat nos à meritis nostrarum actionum & passionum, & adducat nos ad solum meritũ actionis & passionis Christi, sicut aliàs clarè ostendimus, nihilominus tamen non potest esse à calumnijs & depravationibus fraterculorum tutus, & tantus gratuitæ Dei clementiæ per Christum prædicator, cogitur adhuc esse humanorum meritorum patronus. Quid iniquius? Nam quòd docet, nos unà cum Christo glorificari, si unà cum ipso patiamur, non certè hoc uult, nos nostra passione applicare nobis passionem Christi, & mereri glorificationem. Mox enim addit: Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos, Sed docet, quid passiones nostras, quas in hoc seculo ex fide, & propter fidem in Christum sufferimus, ex gratuita Dei clementia, in altero seculo sequatur. Sequitur enim eas glorificatio, non ex meritis nostrarum actionum & passionum, sed ex merito Christi, quod meritum non applicatur nobis nostra passione, sed iam antea applicatum, hoc est, uerbo Euangelij oblatum, & fide acceptum, affert nobis omnem gloriam & fœlicitatem.

Postremò affirmat Sotus, quòd opera nostra non sint tantum fructus & signa, quibus testamur & declaramus òbedientiam & gratitudinem nostram, sed etiam prouentus, & augmenta uirtutum, & meritorum, & spirituales profectus animarum. Fatemur autem & nos, quòd debeamus in bonis operibus proficere & crescere. Quòd autem ea opera sint ex uir-

tute passionis Christi merita remissionis peccatorũ coram Deo, & uitæ æternæ, hoc demum negatur, & hactenus pluribus est refutatum.

Sed ut tandẽ manũ de tabula tollamus, audiamus appendicẽ Soti. Hoc cùm dicimus, inquit, non solum nihil detrahimus uirtuti Christi, uerum etiam plurimum tribuimus, & gratiam eius illustramus, dum non solum ipse, sed & nos per ipsum satisfacimus, proficimus, & apud Dei iustitiam (recito enim uerba Soti) operamur digna præmio. I nunc, & die uel frontem, uel industriam Soto deesse. Ac profectò, cùm hæc lego uenit mihi in mentem cuiusdam fabulæ, quam de maioribus nostris audiuimus. Quædam mulier, molitoris uxor, cùm magna rerum penuria laboraret, cogitauit quibus rationibus egestatem suam sustentare posset. Vidit enim uicini molitoris uxorem, non solum lautam supellectilem habere, & preciosaueste incedere, uerum etiam magnam uim pecuniæ possidere. Doluit igitur, se, cùm in eadem esset professione seu artificio, non etiam in eadem esse fortuna. Ac diu quidem circumferens oculos mentis, quomodo rebus suis consuleret, tandem uisum fuit optimum esse, ut cùm sumeret in die Paschæ panem Eucharistiæ, clam ex ore subtraheret, ac lapidi molari subijceret. Sic enim futurum sperabat, ut Christus, qui hoc pane contineretur, omnem benedictionem in domum suam præsens effunderet. Postquàm ergo cogitata perfecisset, ecce tibi rem mirandam. Noctu ad hunc molarem lapidem, sub quo panis Eucharistiæ iacebat, auditur suauissimus concentus. Itaque & familiares & uicini tanta uocis suauitate excitati accurrunt undique, nec possunt aliud iudicare, quàm hunc esse cœlestium Angelorum concentum. Sed cùm diu attoniti dubitarent, quæ huius nouæ rei causa esset, uident tandem hostiam, (Sic enim panem Eucharistiæ uocare solent) sub molari paululum prominentem, & quo propius ad eam aures admouent, eo iucundior & clarior auditur sonus. Itaque iudicant non esse hostiam uulgarem, sed consecratam, & ibi Christum ipsum unà cum corpore & sanguine, imò & cum cruce, imò & cum uniuersa humanitate & diuinitate sua præsto adesse. Mulier autem horrore, propter tam inusitatum miraculum, correpta, significabat trepidatione ipsa, se, quid de hac hostia factum sit, haud ignaram esse. Quare comprehenditur à magistratu, fatetur rem gestam, & ut rea tanti mysterij prophanati traditur igni exurenda. In hac ergo causa nihil uidetur miseræ mulierculæ defuisse, præter Sotum patronum. Quid enim dicat accusator, mulierem prophanasse Eucharistiam, ideoque incendio ignis dignissimam? Sed respondisset Patronus, Mulierem non solum nihil detraxisse uirtuti Eucharistiæ, uerum etiam plurimum tribuisse, & gratiam Christi in Eucharistia illustrasse, dum non solùm petierit ab eo iuuari in ore & corde suo, sed etiam in molari, & uniuersa domo sua. An enim, non est hoc honorare Corpus Christi, & de maiestate eius præclarè sentire, ut expectes ex ipso gratiam & benedictionem, non tantum cum ore sumitur, & in humanum uentrem, tam fœtidum, trajicitur, uerum etiam cùm molari lapidi tam nitido & utili imponitur? Si enim utilitatem molaris expendas, nulla gemma ei anteferenda est. Et quid etiam utilius corpore Christi? Quare si hæ duæ res utilissimæ conuenerint, quid non benedictionis ex ipsis sequeretur? Hæc & multa alia potuisset Patronus commemorare. Eadem industria potuisset Ethnicus quispiam multitudini deorum suorum patrocinari. Vta-

tur enim uerbis Asoti, ad suum institutum accommodatis, & dicat: Quid enim? Nos cùm multos deos adoramus, non solum nihil detrahimus maiestati diuinitatis, sed plurimum tribuimus, illustramusque eius bonitatem, dum credimus, nõ solum unum esse Deum, sed & alios per unum illum Deum, omnia conseruare, gubernare, & saluare. Quo enim aliquid melius & diuinius est, eo latius uult diffundi. Cùm ergo diuinitate nihil sit melius, certè quo plures sunt dij, eo latius patet diuinitatis bonitas. Sed quis non intelligit has meras esse nugas? Virtus enim Christi, (reuertor autem ad Soti φλυαρίας,) & gratia eius, non illustratur, ijs honoribus, quos ei affingit humana hypocrisis, sed quos ei tribuit uerbũ Dei. Perspicuum autem est ex uerbo Dei, quòd Solus Christus placauerit iram Dei, & expiauerit peccata nostra coram Deo. Perspicuum est ex uerbo Dei, quòd nostra bona opera, etiam è Spiritu sancto facta, sint imperfectiora, & sordidiora, quàm ut possint seuero Dei iudicio opponi. Quare Tribuere nostris operibus uirtutem Christi, ut satisfaciant Deo pro peccatis, non est Christum honorare, sed summa contumelia afficere. Ac uerum quidem est, quòd per Christum bona opera facimus, & proficimus in uirtutibus. Verum etiam est, quòd per ipsum satisfacimus Deo, hoc uidelicet sensu, si credimus in Christum, quòd ipse Solus expiauerit peccata nostra, & opponimus eum iudicio Dei, Sic enim rectè per ipsum Deo satisfacimus. Sed falsum est, illo sensu, quem Sotus hactenus propugnandum suscepit, uidelicet, quòd Christus transfundat uirtutem satisfaciendi pro peccatis in nostra opera, ut hæc non solum sint expiatio peccatorum nostrorũ, uerum etiam merita æternæ uitæ. Quòd cùm Sotus subinde affirmare pergat, & non sit tandem in operibus suis tantum meritorum inuenturus, quantum nunc somniat, reputet ipse cum animo suo, si modo præsentem eum habeat, in quàm difficillimis periculis uersetur.

De Oratione.

MVlta extant, & magna piæ Orationis encomia, tam in sacris literis, quàm in Ecclesiasticis scriptoribus. Neq; id immeritò. Deus enim pia Oratione intantum delectatur, ut polliceatur ei omnia genera beneficiorum. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et, Quicquid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Sed quanto speciosior & illustrior est laus eius, tanto magis oculi hypocritarũ perstringuntur, ut ueritatem eius intueri non possint. Pollutis, inquit Paulus, & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorũ & mens & conscientia. Quare mirandum nõ est, q̃ Sotus, qui & in choro hypocritarum præcipuum locum obtinet, & mentem habet Sophisticis impietatibus pollutam, nõ possit ueram & puram rationem piæ orationis capere. Nam cum Confessio Principis exponit rectum usum orationis, ac tribuit quidem Orationi, deletionẽ peccatorum, interpretatur autẽ, quo sensu id sit accipiendum, ibi tum Sotus, ueteri sua impietate excæcatus, offundit claris simæ luci piæ doctrinæ crassas Confusionis

fusionis suæ nebulas. Ac primùm, Oratio, inquit, non solum exigitur in Scriptura, ut excitetur fides, sed etiam, ut Remissionem peccatorum obtineat, & post remissionem satisfaciat residuæ pœnæ, Perseuerantiam impetret, & apud Deum mereatur æternam remunerationem.

Deinde, cùm Confessio Principis dixisset, necessarium esse, ut priusquàm Deum oratione inuocamus, meritum Christi sit nobis applicatum, & fide acceptum, ibi Sotus addit: Ante orationem (inquiens) necesse esse, ut meritum Christi applicetur nobis, atq; ita iustificemur, nec authoritas, nec ratio ulla docet. Imò & Scriptura & Patres, peccatores orando remissionem obtinere docent, &c. Hactenus Sotus. Etsi autem addit in Scorijs suis alias quasdam nugas & ineptias, tamen quia partim sunt antea refutatæ, partim tam insulsæ, ut non indigeant refutatione, suscipiam illud explicandum, quod iam recensuimus. Cùm igitur Sotus non sit contentus ea interpretatione, qua Confessio Principis exponit, peccata idcirco deleri oratione, quòd excitetur fides, qua habemus peccatorum remissionem, Sed addat, Remissionem peccatorum obtineri ipsa etiam oratione, & alia, quæ sequuntur, iterum nobis inhalat uetus suum Sophisma, Orationem uidelicet (Sicut & alia bona opera) habere ex merito Christi, quod expiet peccata, quòd satisfaciat pro pœna, quòd mereatur æternam remunerationem. Quoniam autem hoc & antea pluribus est refutatum, & manifesta est corruptela Euangelij de merito Christi, superuacaneum puto diutius hîc immorari. Nam quas laudes Spiritus sanctus tribuit piæ Orationi, uidelicet, quòd sit sacrificium Deo acceptum, quòd penetret nubes, quòd placet iram Dei, quòd deleat peccata, & multa id genus alia, omnia agnoscimus, & probamus, non autem eo sensu, quem nobis Sotus, & hypocritæ obtrudunt, sed quẽ nobis Spiritus ipse sanctus in scriptura ostendit, & quem etiam Cõfessio Principis attingit.

Docet enim Scriptura, quòd nostra opera, quæ nos, quamuis è Spiritu sancto, facimus, sint coram Deo imperfecta, & uiciosa. Docet item, quòd unus & solus Christus sit uictima & propiciatio pro peccatis nostris, & placatio iræ diuinæ, & quòd sicut solus Christus est simul Deus & homo, nec faciat uel ex hominibus, uel ex operibus eorum naturales deos, ita solus etiam habeat maiestatem expiandi peccati, & placandæ diuinæ iræ, nec transfundat eam uel in homines, uel in opera eorum. Quare Oratio nec ex se ipsa, nec ex merito Christi habet, quòd ipsa operis sui dignitate expiet peccata, & mitiget iram Dei.

Sed dicitur expiare peccata, & mitigare iram Dei longè alio sensu, primùm, quia est fructus fidei, qua sola accipitur Christus, propter quem habemus Remissionem peccatorum & placatum Patrem in cœlis. Deinde quia reuocat in mentem promissiones Dei, quibus confirmatur fides, qua sola agnoscimus & accipimus Meritum Christi, propter quod Deo sumus accepti, & in hæredes æternæ uitæ adoptati. Quare, cùm Oratio commendatur, non commendatur dignitas nostri operis, sed commendatur dignitas fidei, imò potius dignitas & maiestas Christi Domini nostri, quem fide accipimus, & Oratione fidei Deo Patri nostro offerimus.

Deinde, q̃ Sotus negat, meritũ Christi nobis esse applicatũ, & nos esse iustificatos, ante Orationem, manifestè prodit se nõ solũ ignorare ueram rationẽ Orationis, sed etiã nunc̃ piè & ex fide Orasse, aut Deũ inuocasse,

Quid enim? An non Oratio, seu Inuocatiõ est Opus & fructus fidei? Certè, nisi Oratio ex fide proficiscatur, nõ solum non est Deo accepta, sed etiam est peccatum. Sine enim fide impossibile est placere Deo. Et, Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Fides autem, ex qua Oratio proficisci debet, hæc est, ut credamus Deum nobis esse propicium, & condonare nobis peccata, propter Iesum Christum Dominum nostrum. Vbi autem hæc est fides, ibi certè Christus ipse est, unà cum uniuerso merito suo. Manifestum igitur est, quòd nisi meritum Christi fuerit ante à nobis per fidem acceptum, cùm orauerimus, tantum absit, ut Oratio sit Deo accepta, ut etiam sit cõram Deo peccatum.

In Capite de contritione. Et quid est, quod Sotus suprà dixit: Ante remissum peccatum nullum esse aliud meritum, quàm damnationis? Si ergo orauerimus ante remissum peccatum, quid aliud, etiam autore ipso Soto, meremur, quàm damnationem? Sic suo se gladio iugulat Sotus, & talem docet Orationẽ, qualem etiam Ethnici, Iudæi & Turcæ orant. Tantumque profecit in Christianorum schola, ut quanto diutius docendum suscipit Christianismum, tanto apertius prodat animi sui Ethnicismum. Sed scriptura, & Patres (inquit) docent peccatores remissionem obtinere Orando. Rectè & piè docent, Tu autem nec rectè nec piè intelligis.

Obtinemus enim remissionem peccatorum Orando, non quòd ipsum orationis expiet peccata corã Deo, sed quòd, cùm credimus, sicut antè dictum est, Christum expiasse peccata nostra, oratione nos ipsos cõmonefaciamus, quàm necessarium nobis sit diuinum auxilium, ac excitemus & inflammemus fidem, quæ quanto est firmior, tanto certiores de remissione peccatorum reddimur.

Sunt & alij usus Orationis, præsertim externæ, uidelicet, ut publicè uerum Deum celebremus, & proximo, exemplo nostro, ad inuocationem ueri Dei præluceamus. Sed Confessio Principis illum alterum usum uoluit cõmemorare, ut ostenderet, opus ipsum Orationis nec ex se, nec ex merito Christi habere, quòd expiet peccata coram tribunali Dei.

Addit Asotus etiam exemplum Publicani. Patet, inquiens, in Publicano orante. Non ascendit in templum Iustificatus, Nõ oranit Iustificatus, sed descendit post orationem Iustificatus, Et si priùs semper Iustificatur homo, quàm oret, quomodo peccator orare posset, cùm Chrysost. dicat in illũ locũ Matthæi, Omnis, qui petit accipit, siue iustus, siue peccator sit. Hactenus Soti uerba. Putas ne, quæso, Sotum, cùm hæc scriberet, sobriũ, aut sana mẽte præditum fuisse? Allegat Orationem Publicani, qui dixit, DEVS, propicius esto mihi peccatori. Et quia suprà dixit Sotus, Orationem exigi in scriptura, non solum ut excitetur fides, sed etiam, ut remissionem peccatorum obtineamus, & post remissionem satisfaciamus reliduæ pœnæ, ac perseuerantiam impetremus, & apud Deum mereamur æternam remunerationem, idcirco manifestè significat se sentire, quòd Publicanus hac sua oratione (hoc est) prolatione horum quinq; uerborũ, ex quibus oratio eius constat, obtinuisse peccatorũ suorum remissionẽ, satisfeciisse pro relíqua pœna, impetrásse perseuerantiã, & meruisse æternã redẽptionẽ. O fœliciſsimã & efficaciſsima uerba, quę certè superare uidẽtur potentiã & efficaciã quinq; illorum uerborũ, quibus Sacrificuli conficrant panem. Missarum suarum, & detrahũt de cœlo corpus Christi, acincludunt intra ſpecies panis, omnibus ſpectatoribus uenerandum & adorandum. Miror aũt, quomodo Sotus oblitus sit, q; Publicanus nõ simpliciter

citer ascenderit in templum, sed ascenderit per Gradus. Et alicubi singuli gradus, quibus in templa ascendi solet, singulos habent dies indulgentiarum. Quid ergo uidetur tibi, Sote? An non Publicanus potuit in ascensu Graduum, præsertim si fortasis quindecim Psalmos Graduum recitauerit, ueniam peccatorum suorum consequi? Et quid? An non tundit etiam pectus suum, priusquàm orat? Suprà autem ostensum est, quòd illi uestri doceant, nos tunsione quoque pectoris mereri peccatorum, præsertim uenialium, remissionem. Quòd si Publicanus recitatione horum quinque uerborum consecutus est ueniam peccatorum, recitet ea Ethnicus, aut Turca, aut Iudæus, & continuo abeat Iustificatus. Sed facessant Soticæ uanitates. Nos clarè, apertè, perspicuè affirmamus, nemínem posse rectè Orare, seu Deum uerè inuocare, nisi EX FIDE. Diximus autem eam esse fidem, ut Credamus, quòd Deus sit nobis propicius, & remittat nobis peccata gratis, tantum propter semen Abrahæ, seu propter Iesum Christum Dominum nostrum. Qui autem uerè credit, sibi peccata esse remissa propter Christum, is certè iam Iustificatus est coram Deo. Iustificari enim, ut sæpe ostendimus, est absolui ab iniustícia, & liberari ab accusatione iniustíciæ. Quare, qui ex fide orat, & Deum pro condonatione peccati inuocat, non assequitur iam primum, merito suæ orationis, remissionem peccati, sed quod iam per fidem accepit & corã Deo habet, petit oratione in se manifestius reuelari & confirmari.

Expendamus igitur nunc orationem Publicani. Deus, inquit, propicius esto mihi peccatori. Si hæc uerba nuda, & in bucca tantum protulit, quales ferè sunt preces hypocritarum, quid, quæso, differt ab Ethnico aut Turca? Sed habet testimonium, quòd descenderit de templo iustificatus. Manifestum igitur est, quòd non fuerint nuda uerba, sed profecta sint ex uera Pœnitentía, quæ constat agnitione peccati, & fide in Christum, quòd peccatum propter Christum remittatur, quemadmodum sæpe dictum & comprobatum est. Cùm enim stat à longe, nec audet oculos ad cœlum tollere, & tundit pectus, ac se uocat PECCATOREM, Mihi, (inquiens) peccatori, testatur palàm, se peccatum suum coram Deo agnoscere, ac meritum esse, propter peccatum, æternum supplicium. Hæc est prior pars pœnitentiæ. Deinde, cùm alloquitur uerum Deum, & ait: PROPICIVS ESTO, testificatur se credere in Semen Abrahæ, hoc est, in Christum Abrahæ promissum. Nemo enim potest Deum uerè inuocare & orare, ut sit propicius, nisi credat in Christum, propter quem Solum Deus est propicius. Vbi autem peccatum agnoscitur, & creditur quòd remittatur propter Christum, ibi certè est Iustificatio, hoc est, condonatio iniustíciæ, & remissio peccati. Quare, cùm Publicani Oratio palàm ostendat, quòd & agnoscat peccatum, & credat peccatum sibi non amplius propter semen Abrahæ seu Christum imputari, manifestum est, quòd fuerit coram Deo iustificatus seu à peccato absolutus, priusquàm uerba orationis lingua sua absoluerit, ut & in ipso impletum sit, quod Esaias dicit: Erit, antequàm clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Quid est ergo quòd Oret? Non orat, ut merito huius operis expiet peccata sua coram Deo: Hæc enim oratio non fuisset oratio ueræ fidei, nec ipse fuisset iustificatus, Sed orat, ut se ipse admoneat, quàm necessaria sit ipsi gratuita Dei clementia, & accendat scintillam fidei suæ, ut quod iam credit, ac per fidem possidet, fortius, firmius ac stabilius credat, ac possideat. Sic enim

& nos in Oratione Dominica dicimus: Remitte nobis debita nostra, non quòd peccata remittantur nobis propter opus huius recitationis, Non possemus enim initio huius Orationis Deum ut PATREM alloqui, nisi iam crederemus eum nobis propicium, & peccata remittere, Sed ut quod iam habemus in Christo per fidem, confirmetur in nobis, autore Spiritu sancto, per orationem. Nam quòd Publicanus dicitur de templo descendisse iustificatus, non probat Publicanum meruisse remissionem peccatorum, propter recitationem illorum quinque uerborum, sed quòd oratione sua, quam ex uera pœnitentia, hoc est, agnitione peccati, & fide recitauit, confirmatus sit in conscientia sua per Spiritum sanctum, se uerè habere coram Deo peccator remissionem, & esse Deo acceptũ. Ideo enim ascendit in templum, ideo orauit, quia credidit se à Deo respici, & in gratiam accipi, non propter sua merita: non enim habebat, nisi peccata: sed propter semen Abrahæ, in quo omnes gentes sint benedicendæ. Vnde, quòd Chrysostomus dicit, Omnis, qui petit, accipit, siue iustus sit, siue peccator, nisi per Iustum intelligat eum, qui per fidem Iustus est, & per peccatorem, non impœnitentem, sed pœnitentem, non uideo, quid nam autoritatis tale dictum habeat. Si enim peccator est impœnitens, non potest orare, nec si orauerit, hoc est, uerba recitauerit, exauditur. Si autem peccator est pœnitens, certè habet fidem, ex qua si orauerit, non sperat remissionem peccati, propter meritum suæ orationis, Habet enim iam remissionem per fidem, propter Christum, sed orat, ut quod habet, confirmetur. Vide ergo mihi tam impudentiam quàm imprudentiam Soti, quòd quo longius procedit in refutanda Confessione Principis, eo apertius prodit non tantum insciti am suam, quod tolerabile esset, uerum etiam Ethnicam suam impietatem, & audet eam nobis non suo solum nomine, sed etiam nomine Catholicæ Ecclesiæ obtrudere. Nam, quòd existimat se probè & Christianè orasse, cùm concludit suas preces hac usitata appendice, PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM, nihil est, quod præter uerborum sonum dicat. Sicut enim illi apud Paulum, profitentur quidem uerbis se nosse Deum, factis autem negant: ita & hypocritæ iactant quidem nomen Christi, sed uerum eius officium aut oppugnant & persequuntur, aut turpificant & prophanant. Nam si oramus uerè, Per Christum Dominum nostrum, quod pij faciunt, certè excluditur omne humanum meritum, quocunq; nomine uocetur, ac ipsum etiam Orationis meritum, & agnoscitur solum meritum Christi. Si autem oratur per meritum & intercessionem Sanctorum, siue uiuentium siue mortuorum, certè non oratur per Solum meritũ Christi. Quod enim Sotus toties repetit, Nostra opera habere ex merito & gratia Christi, quòd & ipsa sint satisfactio pro peccatis, & merita æternæ uitæ, sæpe iam certis & firmis rationibus reprobatum est.

Ac breuiter, res mihi est cum homine, qui duabus sellis sedere, & aliud stans aliud sedens loqui solet. Nunc enim dicit: Non esse constituendam fiduciam in sua merita, sed in summa Dei misericordia: Nunc dicit fidem bonis operibus, tanq; per Christi merita nobis donata, niti ad sperandam beatitudinẽ. Et aliâs: Bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt ita fidendum est, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam consequendam necessaria sint & utilia. Hæc, an sibi consentiant & cohæreant, iudicet, quæso, quisquis sana mente præditus est.

Et iterum:

Et iterum: Cùm Cõfessio Principis allegasset illud Psalmi: Oratio eius fiat in peccatum, & subiecisset, Non posset autem fieri peccatum, si per se esset opus tam dignũ quo peccatum expiaretur, hîc Sotus addit in scorijs suis: Per se quidẽ (inquiẽs) ex gratia & fide digna est oratio &c. Qualis obsecro hæc est cõpositio? Si oratio digna est per se, quõ digna est ex gratia & fide? si digna est ex gratia & fide, quõ per se? Per se ẽm dignũ est, q̃d nõ est aliunde dignũ. Et, si Oratio nõ est digna nisi ex gratia & fide, quid est, quod Sotus paulò antè dixit, nec autoritatem, nec rationem ullam docere, quòd necesse sit ut ante orationem, meritũ Christi nobis applicetur, & nos Iustificemur? An qui habet gratiã & fidem, ex qua proficiscitur Oratio, non habet meritum Christi applicatum, nec est iustificatus? Sed hoc illud est, quod Moses dicit: Percutiet te Dominus amẽtia, cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut sõlet palpare cæcus in pariete, & non dirigas uias tuas. Et quo tandem consilio suscepit Sotus sententiam Confessionis Principis de Oratione oppugnãdam, ac tribuit Orationi, quòd obtineat remissionem peccatorum, satisfaciat pœnæ, impetret perseuerãtiam, & mereatur æternam remunerationem, cũ hoc nec de sua ipsius oratione possit, nec de nostra oratione uelit affirmare. Dixit, n. suprà, quòd longè sit à ueritate, ut bonæ uoluntatis & gratiæ diuinæ erga nos debeamus esse certi. Non potest igitur de sua ipsius Oratione certò cõsidere, aut statuere, quòd obtineat per eam peccatorũ remissionẽ, & mereatur æternam remunerationem. Accusat autẽ nos temeritatis & præsumptionis, quòd certò statuamus Deũ nobis remittere peccata gratis propter Christum, in cuius nomine Oramus, & Deum Patrem inuocamus. Itaq; nec nostram uult Orationem dignari, quòd certò obtineat peccatorũ remissionem. Quid ergo tantopere cum Confessione principis in hoc loco uanus homo pugnat? aut de quorum Oratione contẽdit, cum dubitationẽ & incertitudinem de bona Dei erga nos uoluntate, tanq̃ necessariam exigat? Sed siue hypocrita oret, siue nõ oret, iuxtà refert, nos certè, qui & credimus, & scimus, cui credimus, oramus & inuocamus Deũ Patrẽ Dñi nostri Iesu Christi, ut nobis sit propicius, & remittat nobis peccata, ac gubernet nos Spiritu sancto in omnibus uijs nostris, & tueatur nos in omnibus periculis, ad accipiendam cœlestem hæreditatẽ, non propter opus, aut dignitatem nostræ Orationis seu Inuocationis, sed tantum propter Iesum Christum Dominum nostrum, cuius solius nomine Deum inuocamus. Et quia oramus ex fide, non oramus, quòd prorsus careamus ijs cœlestibus bonis, quæ petimus, Possidemus enim ea, Fide, ex qua proficiscitur Oratio, sed oramus, ut imbecillitati fidei succurramus, & dubitationem excutiamus, ac nomen Domini glorificemus, quo per Spiritum sanctũ confirmati, cœlestem hæreditatem certa fiducia expectemus.

De Ieiunio.

QVod Sotus de Oratione, hoc idem de Ieiunio negatur, Ieiunium, inquiens, non solum ad carnem subijciẽdam spiritui, sed ad placandum etiam Deũ, satisfaciendumq; ipsi pro peccatis, & Christi meritum nobis magis magisq;, quo scilicet amplius affligimur, & ei crucifixo conformamur, applicandum necessarium esse, Niniuitarum exemplum ostendit, & Catholici Patres docent &c. Et hæc quidem in Catholica Cõfusione Soti continentur. In Scorijs

uero, audi, quæso, insignem παραλογισμὸν, Ieiunium, inquit, inter prima o/pera pœnitentiæ ponitur. Pœnitentia autem expiat peccata, & applicat meritum Christi. Ex hoc ergo putat consequi, quòd & Ieiunium expiet peccata, & applicet meritum Christi, idq; est uirtute Christi.

Hæc sunt, quæ Sotus, præter quædã dicta scripturæ & Patrum, in hoc capite de Ieiunio affert.

Sciamus igitur, quòd fundamentũm firmum stet, Nullam esse aliam expiationem peccatorum nostrorum coram Deo, præter sanguinem u/nigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi, Et hanc expiationem appli/cari seu offerri nobis Ministerio Euangelij, & agnosci atq; accipi à nobis per Fidem.

Deinde est & hoc firmum ac fixum, quòd Meritum Sanguinis Christi non conferatur bonis operibus hominum, ut ipsa expiẽt peccata coram Deo. Neq; enim Christus sanguinem suum effudit pro bonis nostris o/peribus, ut ipsa fiant peccatorum expiatio, sed effudit pro MALIS no/stris operibus, ut ipsa coram Deo expientur, quemadmodum aliâs satis demonstratum est. Nugatur igitur Sotus, quòd Ieiunium sit necessarium ad placandum Deum, ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & ad applicã dum nobis meritum Christi.

Nam, quod dicit: Pœnitentiam (inter cuius prima opera recẽset Ieiuni/um) expiare peccata, & applicare meritum Christi, possemus commodè interpretari, nisi nobis impietas, & uanitas Asoti nota esset. Nomine em pœnitentiæ intelligit suas illas Sophisticas partes pœnitentiæ, Contritio nem, Confessionem & Satisfactionem. Hanc uerò negamus esse uel uerã pœnitentiam, uel expiationem peccatorum coram Deo. Sicut iam pluri bus comprobatum est. Si autem nomine pœnitentiæ intelligatur cõuer/sio peccatoris ad Deum, per agnitionem peccati & fidem in Christum, li cebit quidem dicere, hãc pœnitentiã expiare peccata corã Deo, sed quod sic simpliciter dicitur, piè, & non Sophisticè, pro more Fraterculorum, intelligendum est. Hæc enim pœnitentia expiat peccata coram Deo, non quòd opera illa agnitionis peccati, & fidei, tanti sint momenti, ut Deus re mittat propter meritum eorũ, peccata, sed quòd pœnitens agnitione pec/cati excitetur ad quærendam peccati remissionẽ in Christo, & accipiat per fidem, Christum ipsum, propter quem solum Deus remittit peccatum, & propicius redditur peccatori.

Quis ergo est usus, & quæ utilitas Ieiunij? Et cur tantopere tam in scri/ptura, q; à Patribus commendatur? Hîc obserua mihi duplex esse, quan/tum quidem ad præsens institutum pertinet, Ieiunium. Alterum Ethi/cum seu morale. Hæc est Sobrietas, quæ perpetuo à nobis exigitur, uide/licet, ut semper caueamus à crapula & ebrietate, nec unq; studeamus co/messationibus, & helluationibus, sed ducamus continenter sobriam uitã. Magna hæc est uirtus in homine, non autem huius usus, ut expiet pecca/ta coram Deo, sed ne ebrietate & helluatione simus Spiritui sancto impe dimento, quo minus suo per nos officio defungatur. Ne inebriemini, in/quit Paulus, uino, in quo est ἀσωτία. Et Oseas, Fornicatio (inquit) & uinũ, & ebrietas auferunt cor. Et Christus, Crapula & ebrietate grauantur corda. Itaq; hoc genus Ieiunij, nõ est pœnitẽtia ipsa, sed fructus pœnitẽtiæ. Si quis enim fuerit helluo, & conuertitur ad Dominum agnitione peccati & fide in Christum, teneri non potest, quin detestetur ac fugiat helluationem, & sectetur deinceps sobrietatẽ, idq; ex fide in Christum, uidelicet, nõ quòd sen/tiat

tiat se Sobrietate mereri peccati sui remissionem & uitam æternam, sed quòd sentiat se hæc habere gratis propter solum Christum, Sobrietatem autem sectandam, ut probet se habere ueram peccati agnitionem, & erga Deum reuerentiam atq; gratitudinem. Alterum genus Ieiunij est Ecclesiasticum, quod Cęrimoniale seu Pædagogicum dici potest. Non est enim nunc sermo de admirando Ieiunij genere, quali usi sunt Moses, Elias & Christus, quadraginta singuli diebus. Nec est sermo de ridiculo illo & ludibrij pleno Ieiunij genere, quo hactenus Pontifices, Fraterculi & assecłæ eorum abstinuerunt se à cibis, à summo mane, non usq; ad diei uesperam, sed tantum usq; ad meridiem. Nam cùm ueteres ieiunârunt certis diebus usq; ad diei uesperam, Pontifices & Fraterculi transtulerunt in quadragesima uesperas preces à fine diei, ad meridiem, ut his recitatis liceat ipsis cibum capere. Hęc autem non est pietas, sed ludibrium & impostura. Quare nihil nobis negocij est cum hoc genere Ieiunij. Nos enim cùm in præsentia loquimur de ecclesiastico, seu cęrimoniali & Pædagogico Ieiunio, intelligimus illud Ieiunium, quo Veteres abstinuerunt se à cibo, certis, ac totis diebus, à summo mane, usq; ad diei uesperam. Sicut & apud Esaiam definitur: Nūquid tale (inquit) est Ieiunium quod elegi, Affligere per diē animam suam? Hoc aũt Ieiunij genus non fuit à pijs usurpatum, ad hunc finem, ut expiaret peccata ieiunatoris, & redderet eum iustũ coram Deo. Hanc enim impietatē detestatur tam Esaias, q̃ Christus ipse apud Matthæum, Sed fuit usurpatum, in pædagogian & cærimoniam, qua rudiores admonerentur de præsenti periculo, & excitarentur ad resipiscētiam, ad preces, & ad obediētiam Deo gratam. Sic Iosaphat prædicat in subita & improuisa incursione Moabitarum & Ammonitarum, ieiunium uniuersis incolis regni Iuda, non certè, ut hoc Ieiunio expiarent peccata sua coram Deo, sed ut omnes in præsenti periculo conuenirent ad publicas Litanias, & excitarentur ad ueram resipiscentiam.

Sic Rex Niniuitarum, cùm audiuisset urbem post quadraginta dies perituram, prædicauit Ieiunium, idq; non tantum hominibus, uerumetiam iumentis. Homines, inquit, & iumenta & boues, & pecora non gustent quicquam nec pascantur, & aquam non bibant. Quid? Num & pecora habent peccata coram Deo, quæ Ieiunio expiare debeant? Nihil certè minus. Sed rex uoluit populum hac seueritate admonere & excitare, ut seriò cogitarent de imminenti periculo, & ueram agerent pœnitentiam. Sic & Ioel dicit: Cõuertimini ad me in toto corde uestro, in Ieiunio, in fletu. Quid? Iubet ne merito Ieiunij expiare peccata coram Deo? Minimè omnium, sed iubet Ieiunium illud cęrimoniale seu pædagogicum suscipere, ut se inuicem admoneant de grauitate imminentis supplicij, & resipiscant ex animo, uidelicet, ut uerè coram Deo agnoscant peccata sua, & credant in semen Abrahæ, qui est Christus, in quo consequantur benedictionem, hoc est, Remissionem peccatorum & liberationē, ut deinceps ambulent in uocatione Dei obedienter. Quare tantum abest, ut opus ipsum huius cęrimonialis Ieiunij expiet peccata coram Deo, ut potius admoneat, expiationem peccatorum in Solo Christo quærendam esse. Etsi autem ueteres scriptores sua habent huius Ieiunij encomia, tamen nisi illa intelligantur iuxta eam sententiam, quam hactenus commemorauimus, relinquimus ea suis autoribus. Certè nonnulli eorum multo modestius de Ieiunio, q̃ Asotus, & senserunt, & locuti sunt. De qua re in præsentia Chrysostomi testimonium recitabo.

Chryſoſt. in Matth. cap. 13. Homilia. 47.

Vides (inquit) quia uita recta magis cæteris omnibus iuuat. Rectam autem uitam appello, non ieiunandi laborem, nec cilicij ac cineris lectulum, ſed ſi pecuniam non aliter quàm oporteat, deſpicias; ſi caritate ardeas, fameſcentes pane tuo nutrias, ſi ſuperior ira ſis, ſi gloriam inanem non concupiſcas, ſi inuidia non detinearis. Hæc enim ipſius documenta ſunt. Non enim dicit Ieiunium Suum eſſe imitandum, quamuis quadraginta illos dies poſſet proponere, ſed, Diſcite à me, quoniam mitis ſum, ac humilis corde. Imò uerò contrà. Omne quod apponitur uobis, comedite, inquit. De pecunijs autem quàm exactiſsimè mandauit dicens: Non poſſideatis aurum neq; argentum, nec æs in zonis ueſtris. Hæc dixi, non quia Ieiunium mihi nõ placeat, quod magnis ſoleo efferre laudibus, Sed quia doleo, ſi cęteris neglectis, ſatis ad ſalutẽ uobis Ieiunium exiſtimetis, quod in choro uirtutum, ultimum certè locum ſortitur. Præcipuæ namq; uirtutes ſunt, Charitas, humilitas, miſericordia, quæ uel Virginitatem ſuperant &c. Hactenus Chryſoſtomus. Niſi autem Sotus regulis ſuis, quibus in explicandis Eccleſiaſticis ſcriptoribus uti ſolet, adiuuetur, & dicat, hęc uel diſpenſatiuè à Chryſoſtomo dicta, uel ab hæreticis inſerta, cauere non poteſt, quin impiæ ſententiæ de Ieiunio conuincatur. Etſi enim Chryſoſtomus affirmat, Ieiunium ſibi non diſplicere, ſed ſe ſolere ipſum magnis laudibus efferre, tñ nõ tribuit ei illas laudes, quas ei Sotus adſcribit. Apertè dicit Chryſoſtomus, ſe rectam uitam appellare, non ieiunandi laborẽ, nec cilicij ac cineris lectulum. Manifeſtè ait, quòd Chriſtus non docear, Suum Ieiunium imitandum, quin potius contrà dicat: Omne, quod apponitur, comedendum eſſe. Diſertè affirmat, quòd doleat, ſi cæteris neglectis, Ieiunium exiſtimetur ſatis ad ſalutem, & quòd Ieiuniũ in choro uirtutum ſortiatur ultimum locum. Quid autem Sotus? Ieiunium (inquit) non ſolum ad carnem ſubijciendam ſpiritui, ſed ad placandum etiam Deum, ſatisfaciendumq; ipſi pro peccatis, & Chriſti meritum nobis magis magisq;, quo ſcilicet amplius affligimur, & ei crucifixo conformamur, applicandum neceſſarium eſſe. Et hæc uociferatur homo impudentiſsimæ frontis, non ſuo tantum priuato, uerum etiam Catholicæ Eccleſiæ nomine. Si autem tanta eſt uirtus Ieiunij, quantã ei Sotus tribuit, an non Chryſoſtomus arguitur impietatis? An nõ Ieiunium erit ipſiſsima recta uia? An non Ieiunium ſatis erit ad ſalutem? An non Ieiunium habebit primum locum in choro uirtutum?

Et Hieronymus Tom. 1. in Epiſtola ad Furiam.

Parcus cibus, & uenter ſemper eſuriens, triduanis Ieiunijs præfertur. Et multo melius eſt, quotidie parum, q̃ raro ſatis ſumere. Pluuia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terram, ſubitus & nimius imber in præceps, arua ſubuertit &c. Atqui, ſi iuxta Sotum, Ieiunium eſſet ad hoc inſtitutum, ut placaret Deum, & ſatisfaceret pro peccatis, ac applicaret nobis meritum Chriſti, certè quo minus ederes, & diutius à cibis abſtineres, eo magis placares iram Dei, & ſatisfaceres pro peccatis, & applicares tibi meritum Chriſti.

Hæc autem Chryſoſtomi & Hieronymi teſtimonia de Ieiunio, non eò retulimus, quòd ſperemus aliquid frugis apud Aſoticos, aut quòd nesciamus poſſe ijs alia aliorum ſcriptorum, uel etiam illorum ipſorum dicta opponi, ſed ut oſtendam, quàm neceſſarium ſit, ut cùm apud Veteres reperiantur diſsimiles ſententiæ, eas eligamus, quę Sacris literis ſunt conſentaneæ,

sentaneæ,& quæ Soli Christo, non item Ieiunio, aut alijs nostris operibus,honorem expiationis peccatorum nostrorum ita deferunt, ut & in solo Christo maneat,& nullis nostris uirtutibus communicetur.

De Eleemosyna.

QVod Græci uocant ἐλεημοσύνην,hoc Latini dicunt beneficẽtiam,ac latissimè patet. Hoc enim nomine non continetur illud unum officium, quo egenti unus aut alter obulus numeratur, sed omnia charitatis opera,quæ proximo quauis necessitate oppresso impenduntur. In præsentia autem nomine eleemosynæ intelligi solet beneficium,quo egestatem proximi facultatibus nostris sustentamus. Et conuenit quidem inter nos & hypocritas,quòd hoc officium proximo sit præstandum:Sed in illo maxima est dissensio,quòd Confessio Principis exponit, Opus eleemosynæ nostræ non esse expiationem peccatorum nostrorum coram tribunali Dei. Quæ certè est sententia uniuersi Euangelij de Christo filio Dei,Sotus autem uociferetur,repetat,inculcet,& iteret,Opus eleemosynæ accipere uirtutem expiandi peccata, à Passione & morte Christi. Quid ergo hoc Soticum sibi uelit, & quanta sit,non solum corruptela uerè piæ doctrinæ de expiatione peccatorum, uerumetiam impietas & blasphemia in maiestatem Domini nostri Iesu Christi,suprà satis perspicuè explicatum est.

Quòd autem Sotus reijciat illud,quod Confessio Principis de Analogia fidei recitat,non est oscitanter prætereundum. Nam, cum Confessio affirmat,ea scripturæ dicta, quæ uidentur operi eleemosynæ adscribere deletionem peccati,iuxta fidei analogiam intelligeuda esse,addit Asotus, Imò,inquiens,iuxta proprietatem & ueritatem rerum, cùm nihil absurditatis habeat &c. Sentit igitur,ea dicta non esse intelligenda iuxta analogiam fidei,sed secundum proprietatem, ut ipse loquitur, & ueritatem rerum. Hîc,quid dicam,nondum mecum constitui. Reprehendam ne imprudentiam & incogitantiam eorum, qui emiserunt in Confessionem Principis nomine Catholicæ Ecclesiæ tam furiosum hominem, qui nihil prorsus pensi habeat,quid loquatur, an inuehar in impudentiam Soti,qui cùm tanta sit ruditate & cæcitate,ut nec res ipsas, de quibus tractatur, nec sermonis genus,quo ille tractantur,intelligat,ausus tamen fuerit aduersus Confessionem Principis scribendum suscipere. Paulus enim ad Romanos capite duodecimo scribens, hortatur, ut singuli seruiant suæ uocationi, iuxta dona sibi diuinitùs collata,& iuxta propria donorũ officia. Qui impertit,inqt,in simplicitate(impertiat). Qui præest, in diligẽtia (præsit) Qui misereẽ, in hilaritate(misereat). Ad eundem modũ hortatur etiam interpretem Prophetiæ seu scripturæ, ut si suscipiat prophetiam seu scripturam interpretandam,interpretetur eam secundum rationem fidei. Vbi autem uetus tralatio habet (Secundum rationem fidei) ibi Græcus textus habet, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως,Secundum Analogiam,hoc est,proportionem fidei. Exigit enim Paulus, ut interpretatio scripturæ congruat, conueniat,& consentiat cum summo & præcipuo statu scripturæ. Nouit enim omnem quidem sacram Scripturam esse ueram, multa autem loca eius uel impropriè, uel propter sermo-

nis peregrinitatem obscurè dici. Quare exigit, ut si quis interpretatur scripturam, in hoc studium incumbat, ut interpretatio sit consentanea fidei, & congruat cum summis, certis, & firmis capitibus ueræ religionis. Sotus autem, siue nō intelligens, quid sit Analogia fidei, siue ex industria dissimulans, damnat, quòd Confessio Principis affirmat ea dicta scripturæ, quæ tribuunt merito eleemosynæ expiationem peccatorum, intelligenda esse secundum Analogiam fidei. Reliquum igitur est, quòd eo ipso manifestè damnet Paulum, qui iubet nos Scripturam secundum fidei Analogiam intelligere. Quid, quæso, rei nobis esse debeat cum homine tam insano, tam furioso? Imò (inquit) iuxta proprietatem & ueritatem rerum. Ineptum caput. An qui interpretatur scripturam iuxta Analogiam fidei, nō interpretatur eam, iuxta proprietatem & ueritatem rerum? An fidei analogia, nō est rerum ueritas & proprietas? Et Paulus, cùm iubet scripturam interpretari iuxta analogiam fidei, iubet eam interpretari iuxta improprietatem, & falsitatem rerum? O fanaticum hominem. Et audet hæc tam absurda, tam detestanda non solum aduersus Confessionem Principis tam pij, uerumetiam nomine Catholicæ Ecclesiæ, in publicum spargere.

Sed age, extorqueamus uel inuito, quòd ea dicta, quę tribuunt eleemosynæ deletionem peccati, intelligenda sint iuxta analogiam fidei. Analogia enim fidei, quemadmodum paulò antè diximus, est proportio, seu cōgruentia cum fide. Siue ergo Sotus loquatur de mea uera fide, siue de sua commentitia fide, certè hæc dicta intelligenda sunt iuxta fidei congruentiam. Nam si uel dictum Danielis: Peccata tua eleemosynis redime, uel dictum Thobiæ, (quod tamen meo iure reijcere possem) Eleemosyna liberat ab omni peccato, & à morte, simpliciter, sine ulla analogica, seu congruenti fidei interpretatiōe intelligitur, quid absurdius, quid horribilius dici posset? Si enim eleemosyna liberat ab omni peccato, & à morte, ubi manet Christus? Quis est usus Passionis & mortis Christi? Hic respondet Sotus, Eleemosynam accipere hoc à Passione & morte Christi. Velit ergo, nolit, ad analogiam fidei suæ recurrere necesse habet. Et nunc nō amplius quæritur, num ea dicta intelligenda sint iuxta analogiam fidei: De hoc enim nullum dubium relictum est, Sed quæritur, utra fides, uel mea, uel Soti, recta, uera & pia sit. Mea enim fides est, quòd Solus Iesus Christus unigenitus filius Dei, peccata mea ita expiauerit, ut Deus cœlestis Pater receperit me propter ipsum, in quem credo, in gratiam, nec adoptauerit me in filium & hæredem suum. Et quòd Christus hanc expiationis maiestatem non ita communicet cum bonis operibus meis, ut & ipsa peccata expient, sed quòd eam Soli sibi retineat, ut & soli ipsi expiationis gloria deferatur, & in nomine eius solius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum. Hanc fidem scio esse ueram ac Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ omnino consentaneam. Et iuxta sententiam huius fidei intelligo ea dicta, quæ eleemosynæ tribuunt deletionem peccati, quemadmodum Confessio Principis exposuit eam perspicuè.

Soti autem fides est, quod Christus expiauerit quidem peccata quorundam hominum: (Nam de suorum peccatorum expiatione & remissione adhuc dubitat, quippe quòd suprà dixerit, eam fidem, qua nobis certò remitti peccata gratis propter solum Christum statuimus, esse contrariam ueræ fidei Scripturæ) non retineat autem Soli sibi hanc expiationis maiestatem, sed tribuat eam omnibus nostris operibus, ut & ipsa expient

In cap: De Confessione.

pient peccata coram Deo, & mereantur æternam uitam. Itaque quæ debetur laus & gloria Soli Christo, eam transfert etiam in bona nostra opera, ut iam tot fiant Christi, quot sunt bona hominum opera. Et iuxta huius fidei Sententiam interpretatur ea scripturæ testimonia, quæ eleemosynæ adscribunt peccatorum deletionem. Sed quia probauimus certissimis argumentis, hanc Soti fidem esse impiam & blasphemam corruptelam Euangelij Christi, non est, cur interpretationem eius agnoscamus.

Ridet etiam Sotus ratiocinationem Confessionis Principis, ubi dicitur: Quid opus fuisset ad delenda peccata Passione & Morte Christi filij Dei, si peccata delentur merito eleemosynæ? Pulchra (inquit Sotus) ratiocinatio. Quid ni, Sote? Quam enim tu rides ratiocinationem, nec tu, nec omnes tui Sophistæ & Fraterculi conuellere potestis. Nam quòd simili argumentatione eam refutare conaris: Quid opus, inquiens, Passione Christi, si fides necessaria? tu ipse rectè respondes, fidem idcirco necessariam esse, quòd excipiat meritum Passionis Christi. Sed quòd addis, uos idem tribuere bonis operibus, quibus Christo crucifixo configuramur, uestrum est commentum, non oraculum Spiritus sancti. Quis enim Patriarcha, quis Propheta, quis Apostolus unquàm docuit, quòd Christus transferat maiestatem expiationis peccatorum, in bona hominum opera, & quòd per ea bona opera applicetur nobis meritum Christi? Lego, Non iustificari hominem coram Deo ex operibus Legis, quæ certè homo, si uerè facit, ex gratia Dei facit. Non lego, meritum expiationis peccatorum collatum esse à Christo in opera hominum.

Lego, carnem pugnare cum Spiritu, ut non quæcunque uoluerimus, faciamus. Non lego uictoriam Spiritus in homine tam perfectam esse, ut opera eius expient peccata coram Deo. Lego, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? non lego, hominem in hac uita ab iniquitatibus sic purgatum, ut opera eius sint ex merito Christi expiatio iniquitatum. Quid igitur uanus homo nobis toties occinit, bona hominum opera accipere ex gratia Dei dignitatem delendi & applicandi meriti Christi?

Eiusdem tam inscitiæ, quàm uanitatis est, quòd distinguit Ministerium Euangelij à Sacramentis Christi, & quod est solius Ministerij Euangelij, si usitatam ordinationem Dei respexeris, hoc tribuit cunctis bonis nostris operibus. Cur non Passio Christi, inquit, multis modis nobis applicari potest? Et mox addit: Certè (inquiens) ministerio Euangelij adnunciatur nobis ut credamus, Sed Sacramentis Christi exhibetur. Scilicet, Sacramentorum administratio non pertinet Soto ad ministerium Euangelij, cùm tamen Ministerium Euangelij duo complectatur: Alterum est Adnunciatio Euangelij absque externo signo seu Sacramento: Alterum Adnunciatio Euangelij cum signo. Et utroque quidem modo offertur nobis meritum CHRISTI, Fide autem tantùm accipitur. Sed quòd Sotus addit: Cunctis nostris bonis operibus, aut de nouo suscipitur (Passio Christi) aut suscepta magis & magis participatur, iterum furijs agitatur. Nam si bonis hominum operibus, eleemosyna (exempli gratia) aut ieiunio, suscipitur meritum Passionis Christi de nouo, manifestum est, quòd homo antea careat merito Christi. Carebit igitur & fide. Vbi enim in hominibus non est meritum Christi, ibi non est etiam fides. Eleemosyna igitur, aut Ieiunium applicabit

hominibus meritum Passionis Christi absque fide, quia Sotus dicit hõc meritum applicari hominibus per eleemosynam de nouo. Quid furiosius dici potest? Det igitur Ethnicus eleemosynam, ieiunet Iudæus usque ad ueſperam, & applicabunt sibi his operibus meritum Passionis Christi. Nam & hoc mox confirmat Sotus: Fit (inquiens) etiam eleemosyna à peccatore, nec est ingrata Deo, si impetrandæ eius misericordiæ gratia fiat. Dicit eleemosynam à peccatore, impetrandæ misericordiæ Dei factam, non esse ingratam Deo. De quo, quæso, peccatore loquitur? Num de impœnitente? Sed sicut impiorum, (qui sunt peccatores impœnitentes) uictima, ita & eorum eleemosyna Deo est abominabilis. Et: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Num de Pœnitente? Sed peccator pœnitens iustus est coram Deo, per fidem. Non enim est uerè pœnitens, nisi credat, agnito peccato, in Christum, quòd per ipsum Solum habeat Remissionem peccati. Si autem uerè in Christum credit, dat eleemosynam, non ut propter eam consequatur peccati Remissionem, quam iam habet per fidem, in Christum, sed ut fidem & gratitudinem suam hoc charitatis opere testificetur. Nam, quod Esaias dicit: Frange esurienti panem tuum, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, non loquitur ad impœnitentes, qui dum manent impœnitentes, displicent Deo, etiam si omnes facultates suas impendant pauperibus, sed loquitur ad Pœnitentes, ut cùm agnoscant peccata, & credant sibi ea remissa propter Messiam, testificentur ueritatem pœnitentiæ suæ operibus ueræ charitatis erga proximum. Quare opus eleemosynæ aut quicquam aliorum id genus operum non est applicatio meriti Christi, in peccatoribus siue pœnitentibus siue impœnitentibus. Solum enim ministerium Euangelij Christi, ad hoc diuinitùs est ordinatũ, ut offerat nobis Meritum Christi, & ut quod Euangelio offertur, fide per Spiritum accipiatur.

In explicandis alijs scripturæ locis, de encomio Eleemosynæ, quæ Sotus tam in Confusione sua, quàm in Scorijs adducit, non est operæpretium, multum laboris collocare. Sunt enim omnia intelligenda iuxta analogiam fidei, non Asoticæ, sed Christianæ (hoc est) non quòd meritum Christi transferatur in eleemosynam, & faciat eam propiciationem pro peccatis nostris, sed quòd loquantur de eleemosyna piorum seu pœnitentium, qui cùm agnoscant & credant Deum sibi propicium propter solum Christum, habent peccatorum remissionem, antequàm opus eleemosynæ proximo præstiterint. Cùm igitur dicat scriptura, peccata eleemosynis redimenda, eleemosynam liberare à peccato & morte, Patrem cœlestem reddere eleemosynam in propatulo, uocare ad regnum suum eos, qui Christum esurientem pauerint, & id genus alia, ac sermo fiat, nõ de eleemosyna impiorum, quæ est Deo abominabilis, sed de eleemosyna piorum, perspicuum est, quòd remissio peccatorum in ipsis, non sequatur, sed præcedat eleemosynam, ut eleemosyna, si ex fide & charitate fiat, potius sit fructus bonæ arboris, quàm quòd faciat ex mala arbore, bonã, aut ex bona, meliorem.

Nam, quòd dicit Asotus, bona opera, non esse solũ ut fructus ad arborem conferenda, sed ut prouentus ad arboris dominum, Quid, obsecro, hoc ab ænigmate differt? & opus nobis est Sphinge: nisi fortè hoc uelit dicere, bona opera non solum esse fructus bonæ arboris, sed etiam à Domino Deo nostro in nobis effici, aut creari. Sed quid hoc ad institutum? quis hoc unquàm negauit? Sunt enim bona opera creaturæ

turæ Dei, sunt dona Dei, non autem in hoc data, ut expient peccata nō/stra coram tribunali eius, quemadmodum Sotus nugatur, sed ut Deus si gnificet se in pijs per fidem habitare, & ut pij ipsum per ea opera glo/rificent.

Quod autem addit Asotus: Nec signa (inquiens) sunt solùm & testimo nia uirtutum, sed augmenta etiam & profectus uirtutum ac meritorum, hoc illud est, ni fallor, quod aliâs affirmant, Iusticiam augeri per bona o/pera, aut nos bonis operibus in iusticia proficere. Quod & ipsum obscu/rè, ambiguè & flexiloquè dicit. Nam si nomine uirtutis seu iusticiæ intel/ligitur iusticia Christi, propter quam Deus non imputat nobis peccata, & quam nobis per fidem ita donat, ut possimus ea coram iudicio Dei cō/fidere, & eam seueritati Dei opponere, falsum est, quòd possit per bona nostra opera augeri. Nihil enim ea iusticia est perfectius, nihil ea absoluti us, quippe quæ sit uniuersæ diuinæ legis impletio, nec possit quicquam ad cumulum eius accedere. Si autem nomine uirtutis aut iusticiæ intelli/gitur Fides, qua iusticiam Christi accipimus, & nobis applicamus, tunc quia fides solet in hac carne imbecillis esse, idcirco augenda est, & confir/manda, sicut & discipuli petunt: Adauge nobis fidem. Non augetur au/tem per opera hypocritica, aut etiam moralia, sed per Spiritum sanctum ex auditu Euangelij, usu Sacramentorum Euangelij, & inuocatione no/minis Dei. Hæc sunt propria organa, quibus Spiritus sanctus utitur ad conseruandam, confirmandam & augendam in nobis fidem.

Quòd si uerò nomine iusticiæ intelliguntur fructus iusticiæ fidei, qui sunt bona opera diuinitùs præcepta, rectè dictum est, quòd iusticia augea tur per bona opera, seu quòd bona opera sint augmenta uirtutū, non sunt autem augmēta Meritorum, nisi per Merita καταχρησικῶς intelligas ipsa opera, quemadmodū aliâs exposuimus. Semper enim debemus in agni/tione filij Dei crescere, & carnem nostram pergere mortificare, ac in bo nis operibus magis magisq; nos exercere, nō quidem hoc consilio, quòd his operibus nostris mereamur remissionem peccatorum, & uitam æter nam, sed ut nostrò officio fungamur, & uocationi Dei, ad gloriam nomi nis eius obediamus, ac gratitudinem nostram probemus.

Sed omissis ijs, quæ uel antea sunt refutata, uel obscurius aut infantili/us à Soto dicuntur, quàm ut libeat multum operæ in ipsis intelligēdis col locare, propero ad Epilogum eius. Postquàm enim in hoc capite de pœni tentia & partibus eius, multa inepta, insulsa, absurda & impia euomuit, concludit tandem: In agenda, inquiens, pœnitentia, & cæteris Christianæ uitæ operibus, Christo totum tribuit fides Catholica, & propter eum tan/tum nobis contingere remissionem peccati, & meritum æternæ uitæ & perseuerantiam, à quo habemus ut hæc faciamus, ipso dicente, Sine me nihil potestis facere. Et, Sicut palmes non potest ferre fructum à semeti/pso &c. Habes epilogum Asoti. Quæso autem te, optime mi Lector, po/tes ne in animum tuum inducere, ut si conferas hunc epilogum ad ea, quę Sotus suprà tam in Cōfusione, quàm in Scorijs suis effutiuit, arbitreris in Soto uel micam esse honesti animi, aut uerecūdæ frontis? In hoc.n. toto ca pite de pœnitentia, unū illud præcipuè egit & ursit, ꝙ bona nostra opera, habeant ex passione & morte Christi, uirtutē, efficaciā, dignitatē & meri/tum expiandi peccata nostra corā Deo, & consequendę æternę uitę. Quo commento primùm corrūpit uerè piam doctrinam Euangelij de expiati/one peccatorū, quam solus Christus filius Dei ita absoluit, nō ut ea nobis

mediatè(libet enim formam loquendi è superiori seculo petere)mediantibus uidelicet bonis operibus,sed immediatè,nullis nostris operibus mediantibus,tantum per fidem,gratis,propter Solum Christũ,contingeret. Deinde, prophanat & blasphemia afficit Passionem & mortem Christi, quòd maiestatem,autoritatem & dignitatem huius mortis nõ relinquat in Sola Persona Christi,uerumetiam transferat eam ad quæuis bona hominum opera,ut tot fiant Christi, hoc est, expiatores peccatorum, & seruatores,quot bona opera homines faciunt. Nunc autem in epilogo tergit os suum,ac ea tantum recitat,quæ si uerba inspicias,uidentur esse ueritatis & pietatis plenissima. Dicit fidem Catholicam tribuere Christo totum,& propter eum tantum contingere nobis remissionẽ peccati, ac meritum æternæ uitæ,& perseuerantiam,à quo habemus, ut hæc faciamus, &c. Quis hæc posset reprehendere? Quis,si hæc sola legeret,non existimaret Sotum esse hominem frugi? Sed sub hac ouilla pelle latet crudelissimus lupus. Tribuit Christo Totum,Sed ita,ut sentiat Christum,illud suũ totum conferre in bona nostra opera,& efficere,ut sicut ipse sua Passione & morte satisfecit pro peccatis nostris, ita etiam bona nostra opera satisfaciant pro peccatis nostris. Hoc est ex bonis operibus facere Christos, quæ est manifesta blasphemia & impietas. Dicit,quòd propter Christum tantum contingat nobis remissio peccatorum, & meritum æternæ uitæ,Sed ita,ut sentiat Christum sese coniungere cum bonis nostris operibus,& infundere ipsis hanc dignitatem,& autoritatem,ut propter ipsa cõtingat nobis remissio peccatorum & meritum æternæ uitæ. Hæc est eadẽ cum superiori blasphemia. Gloriam meam,inquit,alteri non dabo,& laudem meam sculptilibus. Dicit: Nos à Christo habere perseuerantiam, & quicquid bonorum facimus,Iuxta illud,Sine me nihil potestis facere,sed ita,ut sentiat,ea bona opera,quæ Christus in nobis efficit,accipere ab ipso dignitatem & autoritatem expiandi peccata, & promerendi æternam uitam. Hæc est uanitas à Satana ipso excogitata,& per Sotum ac Fratreculos eius promulgata, ut hoc astu dignitas & utilitas Passionis ac mortis Christi sensim ac pedetentim deducatur à persona Christi, & transferatur in opera hominum. Quare,si gloria nominis Christi nobis cordi est,si Salus nostra nobis curæ est,fugiamus Sophisticas illas & Soticas corruptelas ac impietates de Pœnitentia,sequamur autem ueram doctrinam Propheticam & Apostolicam. qua nobis traditur,quòd in agenda uera pœnitentia,non debeamus confidere nostris operibus, sed agnoscere peccata nostra,& Credere in Iesum Christum filium Dei,quòd propter hunc solũ Deus remittat nobis peccata: Et quia ubi Christus est, ibi est & Spiritus sanctus,idcirco donati per fidem Spiritu sancto ambulemus ope & uirtute eius,in uocatione Dei,& faciamus bona opera quæ Deus præcepit,nõ ut ijs expiemus peccata,quæ iam Deus nobis propter Christum condonauit,sed ut tanq̃ grati & obedientes filij, officium nostrum Deo cœlesti Patri probemus,& aduentum Domini nostri Iesu Christi, ex puro corde,conscientia bona, ac fide non ficta, expectemus.

FINIS PRIORIS PARTIS SECVNDAE PERICOPAE.

APOLOGIAE

APOLOGIAE CONfessionis Illustrissimi Principis ac Domini D. Christophori, Ducis Vuirtenbergensis, &c.

POSTERIOR PARS SECVNDAE PEricopes, in qua explicantur hæc capita.

DE EVCHARISTIA.
DE ORDINE.
DE CONIVGIO.
DE EXTREMA VNCTIONE.

De Eucharistia.

PAVLVS Apostolus abusum Cœnæ Dominicæ apud Corinthios reprehendẽs, Propter hoc, inquit, inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Et quidem uidebatur abusus tantum in moribus, non autem in fide. Cùm conuenitis, inquit, in eundem locum, non licet Dominicam Cœnam edere, quòd unusquisq; propriam cœnam occupat in edendo. Et hic quidem esurit, ille uero ebrius est.

Sed quale quale hoc peccatum in oculis hominum appareat, certè Paulus tanti momẽti iudicat, ut censeat Deum punire illud grauibus morbis, & publica mortalitate. Quid aũt iudicaturus esset hisce temporibus, quibus cœna Dominica, à Pontificibus & Fratereulis, nõ solum moribus & scenicis gesticulationibus, uerum etiam impietate, magica incantatione, & idolomania, ita cõtaminata, fœdata, & turpificata est, ut iam nullo modo uel aliquam ueræ cœnæ à Christo institutæ speciem agnoscas? Et accedit, quod est extremum malorũ, quòd cum autoritatę uerbi Dei errores perspicuè demonstrentur, atq; ob oculos ponantur, Fraterculi non solum non agnoscant eos, sed etiã tam Scriptis, q; ferro, igni, laqueis, & omni genere crudelitatis defendant. Inter eos aũt, qui hactenus satis infœliciter, ad propugnandum Idolum suum, in harenam descenderunt, Asotus posterior quidem est tempore, prior uerò, aut saltem non inferior impietate, qui Dagonem suum, iam toties deiectum, confractum & contritum, in integrum restituere, quoquo modo potest, conatur. Cuius σωμύλματα, & si suo merito dignissima sunt, quę contemnantur, tamen qũia furiosus homo inuehitur non in priuati hominis scriptum, sed in publicã Principis Confessionem, & sumit sibi suo arbitrio autoritatem Catholicæ Ecclesiæ, non est committendum, ut impudentiam suam impunè ferat.

Dicit ergō, Sacramentum eucharistiæ à Christo Domino institutum perfici Consecratione, Oblatione, & Sumptione. Consecrationem autem tam efficacem esse putat, ut uerbis illis mysticis, à ministro iuxta Christi institutionem prolatis, panis & uinum, in uerum corpus & sanguinē Christi ita mutentur, ut post consecrationem non amplius ibi sint panis & uinum.

Non est obscurum, quas nugas, quæ blateramenta uani Sophistæ, de superstitiosa Consecratione, & portentosa transsubstantiatione panis & uini in Eucharistia, effutiant. Nos, antequàm ea attingamus, exponemus ueram rationem Cōsecrationis, & præsentiæ corporis ac sanguinis Christi in Cœna Dominica.

Verbum (inquit Ioannes) caro factum est. Et, Vbi uenit plenitudo tēporis, inquit Paulus, emisit Deus filium suum factum ex muliere.

Hæc & his similia dicta manifestè testificantur, filium Dei assumpsisse hominem, idque non tam incohærenter, quàm si quis assumat uestem, quam mox à se proijciat, Sed tanta coniunctione, ut ex filio Dei, & filio hominis una fiat persona. Athanasius conatus est hanc ineffabilem, & humanæ rationi imperuestigabilem coniunctionem aliqua similitudine utcunq; explicare. Sicut, inquiens, anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Certum quidem est, quòd in hac unione diuinitas non sit conuersa in humanitatem: certum autem & illud est, quòd cùm filius Dei assumpserit hominem in unitatem personæ, euexerit eum secum in eandem sublimitatem & maiestatem, quam ipse à Deo cœlesti suo Patre, à quo & ab æterno natus est, habet.

Itaq; collocauit assumptum hominem ad dexteram Dei Patris sui.

Dixit (inquit Psalmus) Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et Paulus: Deus, (inquit) sedere fecit Christum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerū etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius.

Hoc, (inquies) contigit Christo, cùm Resurrexit à mortuis & ascendit in cœlos. Rectè. Tunc quidem manifestata & patefacta est maiestas, ad quam unigenitus filius Dei euexit hominem, quem assumpserat, non est autem sentiendum, quòd hic homo, qui in unitatem personæ à filio Dei assumptus erat, caruerit ea maiestate ab initio huius personalis coniunctionis, sed quòd cū eam semper iam inde ab incarnatione habeat, exinaniuerit seipsum, forma serui sumpta, donec mysterium redēptionis nostræ absolueret. Etsi enim uerè susceperit humanas imbecillitates, ut peccata nostra morte sua expiaret, non tamen interea abiecerat eam maiestatē, qua, propter admirabilem illam Dei & hominis coniunctionē in unitate personæ, ornatus erat, & quam ante Resurrectionem suam, cùm alijs argumentis, tum etiam transfiguratione in monte Itabyrio testificatus est.

Quare, quod Christo post Resurrectionem, ascensu in cœlum, & sessione ad dexteram Dei Patris contigit, nō fuit nouæ maiestatis accessio, sed ueteris maiestatis reuelatio.

Quod cùm ita se habet, uidendum nunc est, quam maiestatem habeat filius Dei, ut ex eo intelligamus, quam maiestatem acceperit etiam filius hominis, qui à filio Dei, in unitatem personæ assumptus est.

Filius enim Dei, ea est, iuxta proprietatem diuinæ suæ substantiæ, maiestate præditus, ut nullo corporali & mundano loco comprehendatur, & con-

concludatur, sed omnia loca impleat, imò omnia excellat, ac ut ita dicam, supergrediatur, & nusquam non præsto adsit, Iuxta illa, quæ sequuntur, scripturæ dicta.

Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades.

3. Reg. 8. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc, quam ædificaui tibi.

Esai. 66. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.

Hiere. 23. Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?

Nam quemadmodum maiestas diuinitatis, nullo temporis discrimine continetur, sed omnia siue præterita siue futura sunt ei præsentia, imò omnia coram ea sunt uelut unum momentum, aut si quid est minutius. Mille anni, inquit Psalmus, ante oculos tuos, sicut dies hesterna, quæ præterijt. Et Petrus: Vnus (inquit) dies apud Dominum perinde est, ut mille anni, & mille anni, ut dies unus: Ita in cõspectu Dei nullum est discrimen diuersorum locorum, sed omnia loca, supera, & infera, sunt ei unus locus, imò nullus locus, imò ne loci punctũ quidem, imò ne hoc quidem. Quæ enim congruentia Mathematicorum uocabulorum ad excellentiam diuinæ maiestatis, coram qua Gentes, quasi stilla situlæ, ut Esaias ait, & quasi momentum statheræ reputantur, ac insulæ quasi puluis exiguus. Ac nos quidem, cùm de diuina maiestate loquimur, solemus uti his uocabulis: Implere, Diffundi, Esse ubiq;, Habitare in cœlo, habitare in terra, Descendere in terram, ascendere in cœlum, & si quid est huiusmodi, nõ est autem sentiendum, quòd conueniant diuinæ substantiæ. Sunt enim uocabula quæ rebus tantum corporalibus, pro huius externi mundi ratione conueniunt, & ad res spirituales, non nisi μεταφορικῶς transferuntur.

Cùm igitur filius Dei assumpserit hominem, in unitatem personæ, & subuexerit eum in eandem sublimitatem ac maiestatem, qua ipse prædituus est, perspicuè sequitur, quòd ubicunq; sit filius Dei, qui est ipse uerus & æternus Deus, ibi etiam sit homo à Deo in unitatem personæ assumptus, & excellat iam omnia tam tempora, quàm loca, habeatq; cœlum sedem, ac terram scabellum pedum suorum, & impleat cœlum & terram, imò ne possit quidem à cœlis cœlorum comprehendi. Non ignoro, hæc uideri humanæ rationi absurdissima, & Patronos eius uociferari solere, hoc uidelicet nõ esse Deum in unitatem personæ cum homine coniungere, sed humanam naturam prorsus tollere ac abolere. Cauendum est, inquit Augustinus, ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut ueritatẽ corporis auferamus, ut quod in Deo est, ita sit ubiq; ut Deus. Et mox: Vna persona, Deus & homo est, & utrumq; est unus Christus Iesus, ubiq; per id quod est Deus, in cœlo autem per id quod est homo. Ac iterum: Tolle spacia locorum corporibus, nusquàm erunt, & quia nusquàm erunt, non erunt. Et aliâs: Corpus Domini, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet, ueritas eius ubiq; diffusa est.

Sed humanæ rationi oppono præcipuum Religionis nostræ articulũ: Verbum caro factum est. Et: Qui descendit in infimas partes terræ, idem ille est, qui etiam ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret. In admirabili enim illa, & imperscrutabili coniunctione diuinitatis cum humanitate, ut non tollitur diuina, ita nec tollitur humana natura seu substantia: & rectè dicit hac in parte Augustinus: Cauendum esse, ne diuinitatem ita astruamus, ut ueritatem corporis auferamus: Nõ enim aufertur,

non abolettur ueritas corporis, sed ornatur noua maiestate. Sicut ñ. nõ auferetur ueritas nostri corporis, cùm mortale hoc induerit immortalitatẽ, & resurget corpus spirituale, sicut Paulus loquitur, ita non aufertur ueritas corporis Christi, cùm ornatur maiestate diuinarũ conditionum. Non auferebatur ueritas corporis Christi, cùm Christus ambularet super aquas, cùm transfiguraretur corã tribus discipulis, cùm inuisibilis exiret de medio inimicorum, cùm uiuus exiret è sepulchro clauso, cùm derepentè appareret discipulis uisibilis, & derepentè ex oculis eorũ eriperetur, cùm in altum eleuaretur sine aliquo externo adminiculo. Itaq; nec aufertur ueritas corporis eius, cùm consedit ad dextram Dei Patris omnipotentis, hoc est, cùm maiestas eius, quam ex coniunctione cum diuinitate accepit, patefacta est & illustrata. Nam, quòd Christus ascenderit uisibiliter in cœlũ, nõ eo factum est, quòd cõmoretur nunc in hoc tantũ uisibili cœlo. Ascendit enim super OMNES COELOS, ut OMNIA, nõ uaticinia tantum, quemadmodũ nonnulli hallucinantur, Sed LOCA, tam supera, q̃m infera impleret. Dictum enim est à Paulo: Descendit in infimas partes terræ. Et mox additur: Ascendit super omnes cœlos. Quę circumstantiæ manifestè probant, quòd sit sermo magis de locis, quàm de uaticinijs. Sic & sedet ad dextrã Dei, non quòd in uno loco ad latus Dei Patris in hoc externo & corporali cœlo uel sedeat, uel stet, uel iaceat, sed quòd eandẽ cũ Deo Patre maiestatẽ, potentiam ac fœlicitatẽ habeat. Vbi ergo est dextera Dei, ibi homo Christus sit, necesse est. Itaq; quod homo Christus accepit à Resurrectione & ascensu suo in cœlũ, hoc habuit ab initio unionis diuinitatis cum humanitate, sed hoc discrimine, quòd maiestatẽ suam tẽpore huius uitæ dissimulauerit, ac uerè susceperit humanas imbecillitates, donec absolueret mysteriũ redemptionis nostræ, post Resurrectionem autẽ patefecerit maiestatẽ suam, quam & extremo tempore adhuc magis ita patefaciet, ut quod nunc per fidẽ tantum utcunq; apprehendimus, tunc reipsa manifestè cognoscamus. Nã, quod Augustinus dicit: Christũ Iesum ubiq; esse, per id quod est Deus, in cœlo autẽ per id quod est homo. Et iterum: Tolle spacia locorũ corporibus, nusq; erunt, & quia nusquàm erunt, non erunt, haud scio, si rectè & seueriter iudicemus, num defendi queat. Miror enim tantũ uirum, Mathematicas cogitationes in hanc ineffabilẽ unionẽ Dei & hominis afferre. Quòd si existimat, Christũ sic ascendisse in cœlum, ut per id quod homo est, cõmoretur in hoc externo & uisibili cœlo, ac circumscribatur corporali loco, fateatur necesse est, quòd Christus nõ exierit ex hoc mundo, nec ascenderit super omnes cœlos, ut omnia impleret. Ac in hoc quidẽ uisibili & corporali mundo, si sermo fuerit de corporibus hominũ, & sustuleris eis spacia locorum, nusquàm erunt. Si autem sermo est de corpore Christi, quod èst à filio Dei in unitatẽ personæ assumptum, alia consideratio erit. Etsi enim hoc corpus susceperit in se humanas imbecillitates, & circumscriptũ est suo loco, dum adhuc uitam in his terris ageret, aut post resurrectionẽ discipulis appareret, tamẽ quia coniunctum erat Deo, in unitate personę, fieri nõ potest (nisi personã discerpseris) quin ubicunq; sit Deus, ibi etiam sit homo ille in unitatẽ personæ assumptus, idq; non ex natura humanitatis, sed ex uirtute diuinitatis. Neq; enim, si de locis cogitaueris, sentiendum est, quòd filio Dei, cui coniunctus est homo, diuersa sint uel spacia, uel loca, quæ sunt in Hierusalẽ, & in urbe Roma, sed quòd coram ipso sint unus locus, imò minus quàm unus locus, imò nihil earũ rerum Mathematicarum, quas humana ratio in hoc seculo cogitare potest,

est, quemadmodū suprà ostendimus. Sic & diuersa illa in nostris oculis loca, Hierosolymitana & Romana, non sunt corā filio illo hominis, qui à Deo in unitatem personæ assumptus est, diuersa, sed unus tantū, imò minus quàm unus locus, ut planè non habeas, quo imagineris in Christo diuersa etiam corpora, quorum alterum sit in Hierusalem uisibile, & concionetur, alterum sit Romæ inuisibile. Oppono igitur Augustino, Augustinum ipsum, qui aliàs scribit: Christus, inquiens, in cœlo, Christus in terra, Christus simul in cœlo & in terra, nec duo Christi, sed idem Christus, in cœlo & in terra, Christus apud Patrem, Christus in utero uirginis, Christus apud inferos, Christus in Paradiso cum Latrone cōfitente. Et iterum: Vnus Christus secundum unitatem personæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quemadmodum erat filius Dei in terra, filius Dei in terra, in suscepta carne, filius hominis in cœlo, in unitate personæ. Ac rursus: Christus filius Dei secundum diuinitatem, hominis filius secundū carnem. Quis autem nostrū, qui parùm aduertimus, aut parùm sapimus, non potius ita uellet distinguere: Filius Dei in cœlo, & filius hominis in terra? Sed ne sic diuideremus, & ita diuidendo duas personas induceremus. Nemo, inquit, ascendit in cœlū, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo. Christus descendit, idemq; filius hominis, qui filius Dei, sedet in cœlo, qui ambulat in terra. In cœlo erat, quia ubiq; Christus, idemq; Christus & filius Dei, & filius hominis, PROPTER VNITATEM PERSONAE, in terra filius Dei, Propter eandem unitatē personæ probauimus esse in cœlo filiū hominis. Hactenus Augustinus. Sic erat, inquit, filius hominis in cœlo, quemadmodum erat filius Dei in terra. Filius autem Dei uerè erat in terra, non tantum generali essentia, uerumetiam singulari inhabitatione in homine, uel sicut Augustinus dicit, in suscepta carne. Quare erat & filius hominis, iuxta sententiam Augustini, uerè in cœlo, non tantum, quòd τὸ πολίτευμα eius in cœlis fuerit, sed etiam quòd coniunctus sit in unitate personæ cum filio Dei, qui uerè est in cœlo & in terra, & à quo filius hominis nullis unquàm locorum spacijs separari potest. Hæc, si non conueniunt cum cogitationibus humanæ rationis, aut cum Physicis & Mathematicis speculationibus, nihil refert. Nos de eo homine loquimur, qui & si suscepit in se ad tempus humanas imbecillitates, ad redimendum humanum genus è suis imbecillitatibus, tamen nunquàm abiecit eam maiestatem, qua ab initio conceptionis suæ, ex admirabili unione Dei & hominis, ornatus fuit, nec patitur se, si pro maiestate sua egerit, in angustiam humanarū arcium includi.

Et tamē Augustinus ipse suprà sic distinxit, Christus Iesus (in quiens) ubique est, per id quod est Deus, in cœlo autē per id quod est homo.

Sed Christus, inquies, transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, & simul cum ipso sedere nos faciet in cœlestibus. Reliquum igitur est, quòd eandē maiestatem habitura sint & nostra corpora, quam habet corpus Christi. Rectè, sed pro nostra conditione, & suo modo. Nos enim non sumus naturales filij Dei, sicut Christus, nec Deus coniunctus est nobiscum in unitate personæ, sed efficimur tantū filij adoptiui per fidem. Quare, & si corpus nostrū reddetur aliquo modo conforme corpori Christi glorioso, tamen habet suum discrimen ab eo corpore, quo cum in unitate personæ coniunctus est filius Dei.

Hæc nunc accōmodanda sunt ad Cœnam Domini nostri Iesu Christi, & ad panē ac uinum, quibus in cœna, iuxta institutionem Christi utimur. Nam, cùm Deus & homo sint in Christo una persona, & Christus sedeat ad dexteram Dei, necessariò sequitur, quòd ubicunq; sit Deus, ibi etiam sit

homo ille, qui in unitatem personæ à Deo assumptus est. Negari autem non potest, quin Deus uerè sit, nõ in Cœnæ tantum actione, uerumetiam in pane & uino Cœnæ. Deus enim omnia implet. Sequitur ergo, quòd & homo Christus, hoc est, corpus & sanguis Christi, sint in pane & uino Cœnæ. Adhæc, homo Christus ibi est, ubi est dextera Dei. Sedet enim ad dexteram Dei. Quis autem negaret, in cœna, & in pane ac uino cœnæ esse dexteram Dei? Necessariò igitur fatendum est, quòd & ibi sit homo, seu corpus & sanguis Christi.

Hic uerò obijcies: Si ad istũ modum (inquiens) habet causa corporis & sanguinis Christi, cum pane & uino cœnæ, nõ erunt tantũ in pane & uino, sed etiam in ligno, in lapide, in aëre, in mari, & quo à facie eorũ fugiemus? Nunc igitur accedemus ad explicationẽ consecrationis. Postq; enim Christus filius Dei suscepit expiationem peccatorũ nostrorũ absoluendam, & testamentũ suum conficiendum, in quo legaret ecclesiæ suæ, nõ pecuniã, nõ agros, non gemmas, nõ principatus aut regna mundana, sed suũ ipsius corpus, quod dabat pro uita mundi, & suum ipsius sanguinẽ, quem effundebat pro peccatis mundi, cõsedit cum discipulis suis, in nouissima cœna, & accepit, non lapidem, non lignũ, non pomum, non pirũ, sed panem, ac postquàm gratias egisset, fregit seu distribuit, & dixit: Accipite, edite, Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur. Ad eundẽ modum accepit, nõ aquam, non cereuisiam, sed poculũ uino impletum, & gratijs actis, dixit: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ. Et ne quis existimaret Christum uoluisse eo tantum tempore corpus & sanguinẽ suum distribuere ecclesiæ suæ, addit: Hoc facite, inquiens, in mei cõmemorationem: Voluit enim ut dispensatio corporis & sanguinis sui in Ecclesia sua perpetuò, suis temporibus obseruaretur, donec ipse in nouissimo die reuelaretur. His ergo uerbis, quorum sententiam Euangelistæ & Paulus referunt, manifestè significatur, quòd & si ubicunq; Deus est, ibi etiam sit homo ille à filio Dei in unitatẽ personæ assumptus, tamen corpus & sanguis Christi longè alio modo sint in pane & uino Cœnę Dominicę, quàm in alijs creaturis. Nam in alijs creaturis corpus & sanguis Christi, & si admirabili quodã, & cœlesti modo præsto adsunt, nõ tamen ibi nobis dispensantur & exhibentur, quia non aliæ creaturæ, sed tantum panis & uinum in Cœna Dominica habẽt hoc uerbum Christi: Accipite, edite, hoc meum est corpus. Et: Bibite ex eo omnes, Hic est sanguis noui Testamẽti &c. Quare corpus & sanguis Christi, non sunt tantum in pane & uino Cœnæ, essentialiter, ut ita dicam, sed etiam dispensatiuè, seu distributiuè. Itaque uides, quòd hæc uerba: Accipite, edite, hoc meum est corpus &c. non euocant de cœlo corpus & sanguinem Christi, & collocant ea nunc primùm in pane & uino (nisi fortè quispiam uelit dispensationem interpretari pro spirituali reuelatione cœlestium bonorum, in hac Cœna) sed cùm antea inueniunt ea præsentia, distribuant ea sumentibus cœnam, ut Consecratio seu Benedictio Cœnæ Dominicæ nihil aliud sit, quàm commemoratione mortis Christi, & expositione seu recitatione eorum uerborum, quibus Cœna Dominica descripta est, panem & uinum designare, ac sanctificare, ut per ipsa, corpus & sanguis Christi, quæ antea præsto adsunt, distribuantur.

Quæ cùm ita se proculdubiò habeant, conferamus nunc, cum hac pia consecratione, Asoticam seu Pontificiam consecrationem.

Primùm enim, Pontificij & Fraterculi eorũ somniant Christum cum corpore

corpore & sanguine suo habitare in externo illo & uisibili cœlo, Sed cùm recitant uerba illa, quæ uocant, Consecrationis, & inhalant ea in panem & uinum, tunc mox corpus & sanguis Christi, quæ antea in cœlo fuerant, & adhuc ibi maneant, incipiant uirtute suorum uerborum ac inhalationis, de nouo esse, ut ipsi loquuntur, sub hostia.

Deinde somniant, quòd uirtute uerborum consecrationis non solum corpus & sanguis Christi incipiant de nouo sub hostia esse, uerumetiam substantia panis & uini desinat esse, & remaneant ibi tantũ species seu accidentia eorum. Sed præstat uerba eorum ipsa audire, si quẽ fortè uenustas Attici ipsorũ eloquij delectet. Hęc est, inquiũt, catholica ueritas, quòd hę quatuor dictiones, Hoc, est, Corpus, Meũ, sunt forma Consecrationis. His enim uerbis conficitur eucharistia (hoc est) ad prolationẽ horum uerborũ, substantia panis conuertitur in corpus Christi, ita quòd in primo instanti nõ esse uerborũ, quando iam perfectè finita sunt, desinit esse substantia panis, & incipit esse corpus Christi, sub ijsdẽ accidentibus, seu sub speciebus, sub quibus fuit substantia panis. Et hoc uerũ est, si uerba proferuntur à sacerdote, intentione cõsecrandi, super debitã materiam. Et iterum: Requiritur, inquiunt, prolatio uerborum ex institutione Christi, ut præuia, non ut concomitans. Vnde pro nullo instanti esse uerborũ, est ibi corpus Christi, sed cessantibus uerbis, in primo nõ esse eorum, est ibi corpus Christi, & ideo immediatè succedit. Nam inter primũ non esse uerborũ, & primum esse corporis Christi, nullum est medium instans, sicut nec inter desitionẽ panis & præsentiam corporis Christi. Vnde unum & idem instans est primum nõ esse prolationis uerborũ, & primum non esse panis, & primum esse corporis. Hactenus eloquentia Sophistica. Quid ergo adhuc conquerimur? Habemus nõ solum formã, quam uocant, substantialem, uerumetiam efficaciam uerborum Consecrationis, quibus tanta uis ineſt, ut si ritè pronuncientur, non iam Lunã è cœlo deducas, quod quondam Aglaonice quæpiam, sed magno suo malo, facturã se receperat, sed Iouẽ ipsum è cœlo elicias, unde & Elicium uocarunt. Quod sacrę, cùm Tullus Hostilius exemplo Numæ parũ ritè inijsset, aut curasset, fulmine ictus, unà cum domo conflagrauit. Nõ certè minora pericula expectanda sunt ei, qui uerba illa mutandę substantię panis ac uini, & eliciendi è cœlo corporis & sanguinis Christi, illegitimè, & parũm attentè aut ritè commemorauerit.

Sed hæc sunt Hiberis nænijs uaniora, & prodigiosa λῆρήματα. Primum enim, nondum cõuenit inter illos, quę sit certa, firma & fixa forma, ut ipsi loquuntur, Consecrationis, & petierunt nuper admodum à Prælatis suis, ut in Synodo, certa forma definiatur. Quid autem consecrares, si dubitas, num uera & recta forma utaris? Deinde, & si nõnulli eorum sentiunt, quòd quæ uerba in Euangelistis præcedunt & sequuntur has quatuor dictiones, HOC, EST, CORPVS, MEVM, sint ad consecrationem necessaria, tamen alij sentiunt, quòd hæ quatuor dictiones, Solæ sufficiant ad effectum consecrationis. Vnde si sacerdos (inquiunt) intentione consecrandi hæc sola quatuor uerba super debitam materiam proferret, omnibus præcedentibus & sequentibus omissis, uerè consecraret, licet sic consecrando grauiter peccaret. Præterea addunt & illud, quòd sacerdos, (Recito enim uerba eorum) dicendo, Hoc est corpus meum, nihil aliud uult dicere, nisi quòd Christus accipiens panẽ in suas manus dixit hanc orationẽ: Hoc est corpus meum. Et secundum hoc nihil demonstratur per (Hoc) & (Meum) & nihil significat̃ per (Est) & (Corpus) Et ex consequenti (Hoc est

corpus meũ) non est oratio, nec propositio, nec uera, nec falsa, sed simplex terminus materialiter tentus, licet usu loquendi dicatur oratio. Et nihilominus est Cõsecratiua, id est, ad talẽ prolationẽ fit consecratio & cõuersio panis in corpus Christi. Nec est cõsecratiua ut uera uel falsa, sed ut instituta à Christo, ut sit forma consecrationis. Ex his testimonijs, perspicuè uidemus cæcatos & miseros homines sentire, quòd Christus indiderit his quatuor dictionibus, Hoc, Est, Corpus, Meum, tantam uim tantamq; efficaciam, ut quoties recitantur à sacrificulo, ad panem, proposito cõsecrandi, continuò mutetur substantia panis, & præsto adsit corpus Christi, tantum & tale, quantum & quale pependit in cruce, & nũc commoratur in cœlo. Hinc etiam factum est, quòd ea uerba non palàm cõmemorent, sed tacitè secum musitẽt, ne fortasis vulgus hominũ ea ediscat, & quosuis obuios panes consecret. Quid autem, obsecro, est Magia, si hæc non est? Putás ne Numam Pompilium, cùm Iouem suum Elicium è cœlo deuocaret, aliter de sua certa eliciendi forma sensisse, quàm illi de sua cõsecrandi forma sentiunt? At enim, inquiunt, dæmon quispiam docuit Pompilium suam formam. Nos autem docuit Christus filius Dei. Accipite, inquiens, edite, hoc est corpus meum. Et: Hoc facite in mei cõmemorationem. Agnoscimus quidem uerba Christi filij Dei, & scimus ea esse magna obseruantia in Cœna Dominica recitanda, ut Ecclesia manifestè cognoscat, hanc esse, nõ vulgarem, sed Dominicam Cœnam, & accipiat ibi non panem & uinum tantum, sed etiam corpus & sanguinem Domini: non autem agnoscimus magicam uestram sententiam, & impiam incantationem. Nam quæ uerba dixit filius Dei in cœna, nõ sunt creationis, sed dispensationis, seu distributionis & exhibitionis uerba, quemadmodum suprà exposuimus. Non hoc uoluit Christus, ut his uerbis recitatis substantia panis & uini euanesceret, & corpus ac sanguis eius, antea absentia, nunc uirtute horum uerborum præsentia fierent, ac substantiæ panis & uini succederent: Sed uoluit, ut cùm ea antè præsentia essent, nunc hoc panis & uini symbolo, sumentibus dispensarentur. Nam quemadmodum si qui suscipiunt agrum definiendũ, sumunt obuium in eo agro lapidem, & instituunt eum in terminum. Hic, inquientes, est terminus agri. Qua locutione nõ significatur substantiam lapidis mutari, & nouam ei rem, sed tantũ nouam relationẽ accedere. ita & Christus sumendo panem, & dicendo: accipite, edite, hoc est corpus meum, non significat substantiam panis mutari, & aliquid absentium rerum prẽsens fieri, sed quod antea præsens erat, distribui, ut pani non noua res, sed noua relatio accedat. Confessio Principis utitur hoc in loco similitudine locutionis, quæ extat apud Ezechielẽ de latere & urbe Hierusalem, quòd & si de latere dicatur: Ista est Hierusalem, tamen nõ necesse fuit, ut substantia lateris mutaretur in urbem Hierusalem. Hic uerò Asotus, prægnans iam Pontificatu, aut ad minimum, Cardinalatu, & in Throno Catholicæ suæ Ecclesiæ collocatus: Amici, inquit, rursus expostulamus uobiscum, quòd non apertè fidem uestram explicetis. Ac mox: Ad ueritatem, dicitis, sacramenti sufficit, quòd corpus Christi uerè sit cum pane præsens, ubi uerbum, VERE, cuperemus magis explicatum, substantialiter scilicet & realiter esse ibi corpus Christi &c.

Quanquàm optimo iure possem Asoto medium digitum ostendere, & uanum hominẽ suæ insciticæ ac incogitantiæ relinquere, quippè quòd Confessio Principis hac in parte satis sit perspicua. Dicit. n. apertè: De substantia Eucharistiæ sentimus & docemus, quòd Verum corpus Christi &

Verus

uerus sanguis eius in Eucharistia distribuatur, & refutamus eos, qui dicũt, panem & uinum Eucharistiæ esse tantum absentis corporis & sanguinis signa. Hæc certè Cõfessionis uerba sunt clara & aperta, de uera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, tamẽ quia Sotus, homo candidus, cupit apertiora & magis perspicua audire, nõ grauabor ei morẽ gerere. Credo enim & fateor, quòd in Cœna Domini corpus & sanguis Christi contineatur uerè, realiter, substantialiter, addo etiam corporaliter, non quidẽ corporali & uisibili modo, sed sicut Paulus utitur uocabulo σωματικῶς, ut opponitur adumbrationi. Quid ergo amplius Sote requiris? Sed expecta paulisper. Nondum hac in parte finis est meæ Cõfessionis. Nam quo præsentiora sunt corpus & sanguis Christi in Cœna Domini, eo magis accusamus uos Asoticos impietatis, Idolomanię, & Incantationis. An non hoc satis est apertè, clarè & perspicuè dictũ? Nec hoc uerbis tantum dicitur, uerumetiam firmis argumentis & suprà demonstratũ est, & postea, propicio Deo, amplius demonstrabitur. Nam, quòd Confessio Principis adduxit exemplum Ezechielis de latere, in quo descripta erat urbs Hierusalem, eo factum est, non ut significaret, corpus & sanguinem Christi esse in Cœna tantum umbraticè, sicut urbs Hierusalem erat in latere, sed ut irrideret uanitatem ficticiæ uestræ & portentosæ transsubstantiationis. Fingitis enim, quòd quia Christus accipiens panẽ, dixit: Hoc est corpus meũ, necesse fuerit, ut substantia panis mutaretur in substantiam corporis Christi. Opponit igitur Confessio Principis non dissimilem locutionem apud Ezechielem, ubi cùm Propheta descripsisset in latere urbẽ Hierusalem, dicit Dominus ipse Deus: Ista est Hierusalẽ: Et tamen substantia lateris non est mutata in substantiam urbis Hierusalem. Non ignoro, quòd fiat ibi sermo de effigie eius urbis, sed ne in hanc quidem effigiem substãtia lateris, ex ui horum uerborum, (Ista est Hierusalem) ita mutatur, ut euanescat, & in locum eius effigies succedat, Sicut somniant in Cœna substantiam panis ex ui horum uerborum: Hoc est corpus meum, euanescere, & in locũ eius corpus Christi succedere. Nam, quod Sotus addit: Cùm dicitur, (inquiens) Hæc est Hierusalem, non substantia lateris, aut aliud aliquid ostendebatur, sed figura in eo descripta, unde nulla opus erat ibi conuersione, non uidet uanus homo idem ijsdem penè uerbis dici posse de hoc uerbo: Hoc est corpus meum, uidelicet, quòd non substantia panis, aut aliud aliquid, sed tantum corpus Christi in pane ostendatur. Qua uerò facilitate illud ab Asoto dicitur, eadem contemnitur, & quo uerius, ac, ut ita dicam, realius est corpus Christi præsens in Cœna, eo magis necessarium est, ut uera panis substantia maneat, quo & uerius sit Sacramentum. Quòd si φρενατῶται omninò contendere pergant, substantiam panis transmutari in substantiam corporis Christi, ex eo quod dicitur: Hoc est corpus meũ, certè eadem ratione urgendũ est de Calice, quòd substantia Calicis transmutetur in substantiam Noui Testamenti, quia iuxta Lucam & Paulum Christus dixit: Hic calix, Nouum Testamentum est in meo sanguine.

Accedit & hoc, quòd si Christus dicendo de pane, Hoc est corpus meũ, transmutat his uerbis Substantiam panis, cur non dicitur etiam mutare accidentia panis? Exhibendo enim panem, & dicendo, HOC, complectitur non tantum Substantiam, uerumetiam accidentia panis. Reliquum igitur est, quòd unà cum substantia panis etiam accidentia mutentur, & persuadeant iam Pontificij suum populum, ut quæ uident, non uideant, & quæ tangunt ac gustant, non tangant, nec gustent.

Sed affirmant hanc conuersionem fieri ex pactione diuina. Pactum (inquiunt) fecit Christus cum Ecclesia per discipulos repræsentata, quòd ad prolationem horũ uerborum ipse uelit assistere, & panem in corpus suũ conuertere. Quæso te, ubi nam in sacris literis hoc pactum traditur? Lego Christum accepisse panem, & dedisse discipulis, ac dixisse: Accipite, edite, hoc est Corpus meum. Non lego eum dixisse: Ego semper assistam prolationi horum uerborum, & conuertam substantiam panis in substantiam corporis mei. Lego: hoc facite in mei commemorationem. Non lego: hoc facite in substantiæ panis conuersionem. Lego: Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Non lego: Assisto in Cœna prolationi uerborum, ut transmutem substantiam panis, in substantiam corporis mei.

Cùm enim Corpus & Sanguis Christi semper sint præsentia, etiam priusquàm Cœna peragenda suscipitur, quemadmodum suprà ex coniunctione diuinitatis & humanitatis in unitate personę Christi, & ex sessione Christi ad dextram Dei Patris sui demonstrauimus, non uoluit Christus dicendo: Accipite, edite, hoc est corpus meum, uel nouum corpus creare, uel substantiam panis mutare, & in locũ eius corpus suum antea absens, nunc præsens substituere, Sed uoluit corpus suum, quod antea præsens erat, hoc uerbo dispensare, & discipulis sumendum exhibere. Nam quemadmodũ si debitor quispiam exhibeat marsupium plenũ pecunia creditori, & dicat: En accipe, hæc est pecunia, quã tibi debeo, non significat se mutare substantiam marsupij, in substantiam pecuniæ, nec iam primùm imponit pecuniam marsupio, sed pecuniam antè impositam offert ac reddit creditori, ut seruet fidem suam, quam de reddenda pecunia creditori promisit: aut si amicus excipiat amicum peregrè aduentantem dono uini, & offerat ei cantharũ uino plenum, ac dicat: Accipe, bibe, hoc est uinũ, quo te amicum meum beneuolenter excipio, non significat se mutare substantiã cantheri in uinum, nec iam primùm infundit uinum in cantharũ, sed antea infusum donat amico, ut beneuolentiam animi sui erga eum testificetur: Ita & Christus donaturus Ecclesiæ corpus & sanguinem suum, accipit panẽ & uinum, quibus corpus & sanguis eius, ab unigenito filio Dei, qui cœlum & terrã implet, in unitatem personæ assumpta, iam antea, non quidem crasso sed ineffabili modo præsentia erant, & offert ea, non Deo Patri, ut Sophistæ nugantur, sed discipulis suis sumenda, ac dicit: Accipite & edite, hoc est corpus meum. Et: Bibite, hic est sanguis meus, non hocui delicet agens, ut substantia panis & uini mutetur in substantiã corporis & sanguinis eius, sed ut unà cum substantia panis & uini, corpus ac sanguinẽ suũ discipulis tradat, quo beneuolentiam animi sui erga ipsos agnoscant, & fidem suam cõfirment. Cùm enim dederit corpus suum pro uita mundi, & effuderit sanguinem suum pro expiatione peccatorũ, manifestum est, quòd cùm donat Ecclesiæ corpus & sanguinem suum, donet ei etiam expiationem peccatorum, & æternam uitam. Non possunt igitur Asotici ex uerbis Christi probare, quòd in Cœna Domini substantia panis, aciui mutetur in substantiam corporis & sanguinis Christi.

Sed nunquàm, inquit Asotus, de hoc dubitatum fuit, non esse panem post Consecrationem, mille integris annis. Et iterum: Hęc fides totis mille annis in Ecclesia absq; ambiguitate inuiolata permansit, &c.

Hæc quidem fortiter à Soto asseuerantur, sed impudentissimè. Etsi enim nonnulli ueteres scriptores dixerunt de pane fieri carnem Christi, & uisibiles

uisibiles creaturas conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi, tamen hi aut non hoc intellexerunt, quod Sophistæ docent, substantiam panis seu aboleri seu annihilari, sed simpliciter, consecratione fieri, ut non panis tantum, sed etiam corpus ipsum Christi distribuatur ac exhibeatur: aut si id senserunt, quod Sotus & Fraterculi eius affirmãt, reijciuntur autoritate Gelasij, Romani Pontificis, quam certè autoritatem Fraterculi omninò agnoscere debent, ne in suam ipsorum professionem peccent. Vixit autem hic Gelasius ætatem, cùm à nato Christo numerarentur anni, plus minus, quingenti. Recitabo igitur uerba eius.

GELASIVS IN LIBRO DE DVABVS NATVRIS IN Christo aduersus Eutychen & Nestorium.

Sacramenta (inquit) quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quòd & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen ESSE NON DESINIT SVBSTANTIA uel NATVRA panis & uini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendũ, quod in eius imagine profitemur, celebramus & sumus, ut sicut in hanc, scilicet in diuinam transeant, sancto spiritu perficiente, substantiam, permanente tamẽ in suæ proprietate naturæ: Sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam uirtutemq; ueraciter repræsentant, ex quibus constat propriè permanentibus, unum Christum, quia integrum uerumq; permanere demonstrant. Hactenus Gelasius.

Etsi autem dicit panẽ & uinum transire in diuinam substantiam, tamẽ non sentit, quòd substantia panis & uini desinant ibi esse. Manifestè enim dicit: Non desinit substantia uel natura panis & uini. Et iterum: Permanente in suæ proprietate naturæ. Et collatione ipsa Gelasius perspicuè significat, se non sentire, quòd in Eucharistia desinat substantia panis & uini. Confert enim Sacramentum Eucharistiæ cum Christo ipso, & sententia eius collationis hæc est. Si in Sacramento Eucharistiæ, quod est imago corporis & sanguinis Christi, permanet uera substantia panis & uini cum corpore & sanguine Christi, quanto magis permanẽt duæ naturæ in Christo ipso &c.

Quare cùm dicit panem & uinum transire in diuinam substantiam, significat, panem & uinum in Cœna, non iam quiddam tantum terrenum esse, sed etiam fieri aliquid cœleste & diuinum, propterea quòd ibi corpus & sanguis Christi, quæ sunt uerè res diuinæ, dispẽsentur.

Sed age, stet etiam Gelasius à parte Sophistarũ, à nostra certè parte stat Paulus, qui retinet panis uocabulum nõ semel, sed iterum ac tertiò, etiam post consecrationem N.am cùm non sit probatum, nec unquàm probari queat, quòd quemadmodũ uirga Aheronis mutata est in serpentem, ita substantia panis transmutetur in substantiam corporis Christi, tropũ Asoti, & mysticã eius significationem, hac in parte nihil moramur, & si prolatio uerborum ex assistente diuina uirtute tantum potest, ut faciat desinere substantiam panis & uini, certè multò plus facit, ut desinant panis & uini accidentia.

Quid autem multis opus est? Sophistæ ipsi non sunt certi, num in Missæ celebratione, ut loqui solent, fiat conuersio panis in corpus Christi. Recitabo igitur uerba eorum. Non potest, inquiunt, esse euidens certitudo, necq; celebranti necq; populo circumstanti de conuersione panis in corpus

Christi, propter defectum aliquem impedientem, & contingere potentem, ut quia fortè celebrans non est sacerdos: Siquidem nullus celebrans potest euidenter scire se esse sacerdotem, quia non potest euidenter scire se esse baptisatum aut legitimè ordinatum. Similiter propter defectum alicuius necessariò requisiti ad consecrandum, utpotè debitę intentionis, aut errorem commissum in forma uel materia. Et multò minus circumstantes scire possunt infallibiliter sub hostia fore Christum. Habes uerba eorum. Cùm igitur ne ipsi quidem certi esse possunt, num substantia panis conuertatur, & præsens sit Christus, facessant hinc cum sua incertitudine, & prodigiosa transsubstantiatione. Et tamen, cùm nihilominus, sine ulla diuini uerbi autoritate contendant, ac sentiant, certa quatuor saltem uerborũ prolatione fieri, ut desinat substantia panis, & reponatur in locũ eius Corpus Christi, sciamus eam, quã ipsi faciunt, prolationem nõ esse piam consecrationem, sed Magicam incantationem, quæ non aliter detestanda & fugienda est, quàm si uideas Numam quendam Pompilium carminibus suis, Iouem suũ Elicium de cœlo deuocare. Maxima quidem uenerationè habenda sunt uerba, quibus Euangelistæ & Paulus Cœnam Dominicam describũt, & in obseruatione Cœnæ, recitanda sunt summo studio, ut Ecclesia agnoscat, qualis Cœna habeatur, & quid ibi dispensetur ac exhibeatur, Sed quo sunt uenerationè digniora, eo grauius peccãt, qui ijs ad magicas incantationes abutũtur. Quid sanctius, quid uenerabilius est istinitio scripti Ioannis Euangelistæ, ubi tam æterna filij Dei diuinitas, quàm humanitas & beneficia eius describuntur? Hoc enim scriptũ uerè est Potentia Dei ad salutem omni credenti. Sed quo sanctius & utilius est, eo certius referendi sunt inter Magos ij, qui illud scriptum in membrana, & inclusum in corneam, seu argenteam aut auream crucẽ, suspendunt ex collo, & pollicentur sibi ex ea gestatione salutem tam corporis, quàm animi. Ioannes enim scripsit Euangelion suum, non ut suspensum ex collo saluterem afferat, sed ut audiatur & credatur, & ut credentes æternam salutẽ habeamus. Sic etiam uerba Cœnæ Dominicæ nõ in hunc usum scripta sunt, ut sacrificulus per materialem, ut ipsi loquuntur, prolationẽ eorum, transmutet substantiam panis & uini, ac inhalet in locũ eius corpus & sanguinem Christi, offeraturq; Deo Patri ad expianda peccata uiuorum & mortuorum, Sed ut ex ipsis intelligamus sententiam Testamenti Christi, & recitatione eorum admoneat minister Ecclesiam de beneficijs, quæ nobis præstitit Christus, ac designet seu sanctificet panem & uinum, in symbola, quibus corpus & sanguis Christi nobis dispensentur & exhibeantur. Hactenus igitur de Consecratione.

De sumptione uerò Cœnæ Dominicæ, quæso uos Lectores, os hominis, insignemq; impudentiam cognoscite. Audet enim homo proiecta temeritate & audacia affirmare, quòd qui sentiunt, utriusq; speciei (sic enim loquuntur) sumptionem omnibus necessariam esse, ex institutione Christi, & Catholico atq; Apostolico usu, nec alicui licere eam mutare, toti Ecclesiæ apertè repugnent. Et cùm obijcitur Institutio Christi, quæ est luce meridiana clarior, homo prefractus ita deprauat, quasi necessariũ quidem sit, ut hoc Sacramentum nõ sit celebrandũ, sine utriusq; speciei sumptione, nõ autẽ necessarium sit, ut post Sacramenti celebrationem, utraq; species ab omnibus sumatur. Putat enim bonus uir, institutioni Christi satisfactũ, si sacrificulus in Missa utatur utraq; specie, Laici autem altera tantũ. Si uerò obijcitur usus ueteris, aut primitiuæ, ut loqui solent, Ecclesiæ, qui

& ipse,

& ipſe, de ſumptione utriuſque partis Cœnæ Dominicæ, manifeſtior eſt, quàm ut negari poſsit, reſpondet Cuſanus, quod ſuprà alicubi retulimus: Mutato iudicio Eccleſiæ, mutari etiam Iudicium Dei.

Et ut perſpicuè cognoſcamus, quibus fundamentis Aſotici, in hac cauſa nitantur, recitabo & alia quædam dicta Cuſani, quæ teſtificantur, quibus rationibus uſum alterius tantum partis in Cœna Dominica defendant.

CVSANVS EPISTOLA SECVNDA AD BOEmos, de uſu communionis.

Hoc te, inquit, non moueat, quòd diuerſis temporibus, alius & alius ritus ſacrificiorum & etiam Sacramentorum, ſtante ueritate inuenitur, Scripturaſq; eſſe AD TEMPVS adaptatas, & uariè intellectas, ita ut uno tempore ſecundum currentem uniuerſalem ritum exponeretur, Mutato ritu iterum ſententia mutaretur.

Et in Epiſtola ſeptima.

Non eſt litera, quæ per tyrannum penitùs deleri poſſet, de eſſentia Eccleſiæ, ſed Spiritus eſt qui uiuificat. Quare nec mirum, ſi praxis Eccleſiæ uno tempore interpretatur ſcripturam uno modo, & alio tempore, alio modo. Hactenus Cuſanus.

Hæc dicta teſtificantur Aſoticos habere ſacram ſcripturam inſtar alutæ, ut quemadmodum aluta extendi ſolet dentibus, donec ei rei, cui inducenda eſt, apta fiat, ita ipſi ſacram ſcripturam, ad quemuis præſentem & à Pontificibus probatum ritum accommodent. Vnde & nõnulli faceti homines dixerũt Theologos Sophiſticos oportere benè dentatos eſſe. Itaq; ſentiunt, quòd cùm in priſca Eccleſia ſolennis uſus utriuſq; partis in Cœna Dominica eſſet, aptãda fuerit ad eum uſum ſacra ſcriptura. Poſtquàm autem mutatus eſt hic uſus, & ſucceſsit ritus ſumendæ alterius tantũ partis, etiam huc accommodanda ſint ſacræ ſcripturæ dicta.

Quid hac impudentia proiectius? An ſcriptura ſacra, quæ eſt oraculum ſpiritus ſancti, inflectat ſe ad uarietatem humanæ prudentiæ, hoc eſt, impietatis? An non hac ratione Sacrificuli Excelſorum, Baalitæ, Aſtarothitæ, adoratores militiæ cœli, & alij impij potuiſſent ſuam ſuperſtitionẽ & Idolomaniam ex lege diuina tueri? Sed de maieſtate ſacræ ſcripturæ ſuprà. Confugit Cuſanus etiam ad ſedem Petri, hoc eſt, ad Iudicium & ſententiam Romanorum Pontificum, ut qui huic cathedræ adhæreat, errare à uia ſalutis non poſsit. Sed quid de hac cathedra ſentiendum ſit, non poteſt, ex tot noſtrorum ſcriptis, ueræ Eccleſiæ Chriſti ignotum eſſe. Nos, his in ſuum locum reiectis, expendemus nunc, quis ſit præcipuus in hac cõtrouerſia, de uſu utriuſq; partis Sacramenti, in Cœna Dominica, ſtatus.

Primùm enim non iam quæritur, num ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium ſit, ut ſumas Sacramentum Cœnæ Dominicæ. Non enim eſt obſcurum, quòd infantes in Chriſtum baptiſati, conſequantur ueram salutẽ propter Chriſtum, etiamſi morte ſine uſu huius Sacramenti extinguantur. Et adulti, qui in Chriſtum credunt, cohortandi quidem ſunt, ut uſu huius Sacramenti fidem ſuam confirment: Si autem repentino quodam caſu fiat, ut priuſquàm hoc Sacramento utuntur, ex hac uita excedant, ſaluti eorum fraudi non eſt. Huc enim pertinet, quod vulgò dici ſolet: Diuinam uirtutem Sacramentis non eſſe alligatam. Et Paulus: Diuiſiones, inquit, donorum ſunt, Sed omnia hæc efficit unus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter unicuiq; ſicuti vult.

Deinde, nō quæritur: Num in casu necessitatis, si quis, exempli gratia, abstemius, non posset uino uti, illicitum sit, alteram tantum partem Sacramenti, in Cœna Dominica sumere. Manifestum enim est, quòd sua sit in cærimonialibus, qualia sunt Sacramenta, œconomia. In deserto uerisimile est multos diem suum obijsse, incircumcisos. Quis autem tam durus esset, qui eos æternæ damnationi addiceret? Habuerunt enim excusationem necessitatis. Dauid bona conscientia & impunè uescitur panibus propositionis, quibus tamen non licebat ei per Legem uesci. Sed necessitas famis excusauit eum. In Reformatione Ecclesiæ, sub Rege Ezechia, multi uescebantur agno Paschali, qui non erant iuxta legem sanctificati, quod cùm alioqui fuisset pœna dignum, factum est ex necessitate impunè.

Iosuæ 5.

2. Chron. 30.

Quare, si quis natura à potu uini abhorreat, & utatur pane tantum, aut præ morbi magnitudine non possit uesci pane, & utatur uino tantum, quod exemplum extat apud Eusebium, in Ecclesiastica historia, libro sexto, capite quadragesimo quarto, & tamen interea, Ecclesia utitur in Cœna Domini, integro Sacramento, tunc exempla illa paucorum personalia, generali institutioni Christi nihil derogant.

Præterea, nō quæritur: Num damnati sint, quotquot hactenus in Pontificio regno sumpserunt alteram tantum partem Sacramenti in Cœna Dominica. Etsi enim multæ sunt impietates regni Pontificij, tamē si quis in hoc communi errore, in fundamento, quod est Iesus Christus constitit, & credidit se habere gratuitam remissionem peccatorum, propter Iesum Christum, is errauit remissibiliter, nec fuit ei hoc peccatum coram Iudicio Dei imputatum.

Sed quæritur initiò: Num Pontificibus & sacrificulis eius liceat mutare institutionem Christi in Cœna, & alteram partem Sacramenti Cœnæ, Laicis, ut uocant, adimere? Num Pontifices potestatem habeant mutandi pro sua libidine instituti Christi in Cœna, idq; nullis necessarijs, ac legitimis, sed tantum superstitione, aut ambitione confictis causis? De hoc quidē argumento extant multa pia & erudita nostrorum scripta, ut propemodum non tantum pigeat, uerumetiam pudeat me Iliada, quod dici solet, post Homerum scribere: ne autem Sotus existimet se iam Confusione & Scorijs suis cœlum expugnasse, uisum est uel paucis respondere. Nam alij, ut copiosius, ita etiam magis diserte has Pontificias uanitates refutarunt.

Consideremus igitur, nihil certius esse, quàm quòd Christus ipse filius Dei instituerit in Cœna sua, non tantū usum panis, sed etiam uini, ac distribuerit seperatim, pane quidem corpus, uino autem sanguinē suum. Hoc testificantur Euangelistæ & Paulus. Nec instituerit, ut ijs Consecratoribus tantum, uerumetiam Laici seu populares utantur. Non enim est obscurum, quòd Christus condiderit Cœnæ suæ testamentum non quibusuis, sed suæ ipsius Ecclesiæ. Maxima autem & præcipua pars Ecclesiæ sunt, nō Ministri eius, sed Laici. Maior enim est, inquit Christus, qui accumbit, quàm qui ministrat. Laici autem accumbunt, Consecratores uerò ministrant. Et Paulus: Omnia, inquit, uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: Omnia, inquam, uestra sunt, Vos autem Christi, Christus uerò Dei. Si ergo Laici sunt Christi, certè pertinet etiam ad ipsos integrum Sacramentum Christi, idq; tanto magis, quanto plus ministros suos consecratores excellunt.

lunt. Paulus quoq; cùm recitat institutionem Cœnæ Domini, & dicit: Accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Et: Quisquis ederit panẽ hunc, aut bíberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, non alloquitur tantum Ministros Ecclesię, sed etiam Ecclesiam ipsam, ac palàm testificatur, integrum sacramentum Cœnæ, non ad Ministros tantũ Consecratores, uerumetiam ad Laicos, hoc est, ad Ecclesiam ipsam, cuius Consecratores Ministri sunt, pertinere. Scilicet Dominus quispiam paterfamilias iubens seruum suum parare lautam cœnã, quæ nõ tantũ exquisitis ferculis, sed etiam optimo uino constet, illud vult seruo mandare, ut ipse quidẽ seruus preciosiora fercula helluetur, ac uinum etiam ebibat: Domino autẽ unum tantum ferculum edendum proponat, & de uino ne tantillum quidem impertiatur. Hoc certè non esset fidelis serui, sed infidelis abliguritoris. Nihilo rectius intelligũt Pontificij institutionem Cœnæ Dominicę. Cùm enim uideant, audiant, legant Christũ instituisse in cœna sua usum utriusq; partis Sacramẽti, & Cõsecratores sint Ministri seu serui Ecclesiæ, putant ad se tantũ meliorẽ, hoc est, utramq; cœnæ partẽ, ad Ecclesiam autem, hoc est, ad dominam ipsorũ, alterã tantũ partem pertinere. Hæccine est fides, hæccine est reuerentia seruorũ erga dominos suos?

Nec tantum ex ipsa Christi institutione, uerumetiam ex usu & consuetudine, quæ fuit in primitiua Ecclesia, manifestum est, quòd in Cœna Domini utraq; pars Sacramenti sit Ecclesiæ dispensanda. Non adscripsit quidem Confessio Principis, quod Asotus notauit, testimonia antiquitatis. Quid autem in re manifestissima laborandum erat? An quia non sunt ad scripta, idcircò defuerunt ei? Sed quid magis in confesso est, quàm quòd utraq; pars Sacramenti Cœnæ fuerit in primitiua Ecclesia usitatissima? Et quid opus erat ea commemorare, quæ ubiuis extabant? Imò, cùm nullum existimem tam impudentem esse, qui hoc neget, ne in præsentia quidem libet ea recensere. Vnum tantum testem addam.

Concilium ipsum Constantiense, quod & si usum utriusque partis prohibet Laicis, testificatur tamen utramq; partem in primitiua Ecclesia fuisse usitatam. Licet (inquit) in primitiua Ecclesia huiuscemodi Sacramentum reciperetur à Fidelibus sub utraq; specie &c. Num, Asote, plura aut clariora testimonia desideras?

Hic interea solatur se Asotus, quòd extent testimonia, quibus probetur, diuersas fuisse in Ecclesia de hac re consuetudines, unam tamen hanc constantẽ semper fidem, non utramq; speciem necessariò semper sumendam esse ab omni communicante. Ac de necessitate quidem sumptionis integri Sacramenti, suprà nonnulla diximus, & paulò pòst dicemus.

Nunc de consuetudinibus. Cõcedo enim in Ecclesia iam inde ab initio diuersas consuetudines, ac alios quidem usos fuisse pane & uino separatim, alios tantum pane intincto, alios non intincto. Illud autẽ nunc quæritur, non quod factum sit, sed quid iure fieri debuerit. Nam qui pane & uino usi sunt, iuxta Christi institutionem, rectè & piè usi sunt, alij autem errarunt, ac illi quidem probandi & laudandi sunt, hi autem improbandi & uituperandi. Et non est ignotum, quid consuetudo contra manifestum uerbum Dei ualeat.

Profert etiam Asotus duo testimonia antiquitatis, quibus sperat se probaturum, usum alterius partis in cœna non esse necessarium. Alterum est ex 14. Canone Nicæni concilij, in quo de Diaconis dicitur, quòd non debeant presbyteris sacramenta porrigere. Quòd si autem nõ fuerit (inquit

Canon)in præsenti uel Episcopus, uel presbyter, tũc ipsi proferant & edant. Hic Asotus, uir magno ingenij acumine duo colligit. Vnum, quòd Concilium Nicænum affirmet oblationem Sacrificij, quia dicit: Hi qui offerendi sacrificij potestatem non habent. Sed de Sacrificio postea. Alterum, Eucharistiam ijs temporibus seruatam esse, & quidem sub altera specie tantum. Quod ratio, inquit, postulat: nec enim species uini in aliquot præcipuè dies seruari posset sine periculo. Et mox: Concilium Nicænum (inquit Asotus) non dicit, hunc esse abusum ut seruetur sacramentũ, cùm non nisi una species seruari possit, nec solũ non reprehendit, sed concedit unius speciei sumptionem. Hactenus Asotus. Quæso autem te, nõ mirabere insignẽ huius hominis impudentiam? Quid nõ auderet tam apertę ueritatis deprauator? Recitabo igitur Canonẽ Nicęni Cõcilij, sicut à Rufino in Ecclesiastica historia adnotatus est. Est autẽ numero uicesimus. Ne diaconi, inquit Canon, presbyteris præferantur, néue sedeant in consessu presbyterorũ, aut alijs præsentibus Eucharistiam diuidant, sed illis agentibus solum ministrent. Si uerò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demùm etiam ipsis licere diuidere, aliter uerò agentes abijci iubent.

Habes Canonem, Sed in quo nulla prorsus fit mentio, quòd Eucharistia uel reseruanda, uel altera tantum specie dispensanda sit. Recẽsetur quidem hic Canon paulò aliter, in Tomis Conciliorum, ac nunc numeratur decimusquartus, nunc decimusoctauus. Et addit in priori hæc uerba: Si non fuerit in præsenti uel Episcopus uel presbyter, tunc ipsi (diaconi) proferant & edant. Ex his duobus uerbis (Proferant & Edant) argumentatur Asotus tam Reseruationem Sacramenti, quàm usum alterius tantum partis à Nicæno concilio concessum. Quid hoc acumine argutius?

Sed primùm, num certò constat, hanc appendicem esse Concilij Nicęni, & non potius Romanorum Pontificum, quibus solenne fuit Decreta Concilij Nicæni in suum commodum & ad confirmandam suam autoritatem inflectere, ac deprauare, quemadmodùm testatur exemplum, quod in Actis Concilij Aphricani refertur?

Deinde, Canon, qui in Ecclesiastica historia scriptus est, & quem paulò antè recitauimus, nõ meminit prolationis & esus, sed diuisionis seu dispensationis, uidelicet, quòd tum demùm liceat Diaconis Sacramentũ Cœnæ dispensare Ecclesiæ, cùm presbyteri non adfuerint. Quomodo autẽ Sacramentũ ijs temporibus dispensatũ fuerit, ex alijs testimonijs manifestum est, uidelicet, nõ una tantum, sed utraq; parte, tam pane quàm uino. Vnde & proprium diaconorũ officium erat, calicem dispensare. Quare etiamsi fieret tantum mentio de Esu, tamẽ hoc nomine cõprehenderetur etiam, iuxta eorũ temporum consuetudinem, potus. Quòd autem Asotus putat Reseruationẽ Sacramẽti non posse, de uino, sed tantum de pane intelligi, suo se indicio prodit, q̃ diligens sit historiarũ obseruator. Hieronymus de Exuperio Tolosæ Episcopo scribit. Nihil illo, inquiens, ditius, qui corpus Dñi canistro uimineo, sanguinẽ portat in uitro. Si portat in uitro sanguinẽ, certè is uel saltẽ aliquandiu reseruatus sit, necesse est. Eusebius in Ecclesiastica hist. lib. 6. cap. 34. narrat ex Dionysio Alexandrino, q̃ Eucharistia fuerit in os senis instillata. Sed libet integrã historiam recensere. Serapion quidam (inquit) erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpatè uixerat, in persecutione uerò ceciderat. Hic sæpenumerò recipi petierat, uerùm nemo illi attenderat. Sacrificauerat enim. In morbo autem constitutus totum triduum mutus & sensuum facultate destitutus mansit.

Post,

Post,ubi quarto die nõnihil conualuisset,nepoti ex filia ad se uocato dixit, Quousq;,ô fili,detinetis me? Obsecro,properate,& me uelociter absolui/te. Voca ad me aliquem ex presbyteris. Quibus dictis, iterum obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterum. Erat autem nox. Presbyter ægrotabat,i/deoq; ire cum puero non poterat. Quoniã uerò mandauerã,morituros,si petant,& maximè si etiam antea suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum Eucharistiæ puero dedit, iussitq; ut id in/funderet,& in OS SENIS INSTILLARET. Puer redit, affe/rens Eucharistiam. Cùm autem è uicino esset,anteq; ingrederetur, rursus Serapion, Venis,inquit,fili? Presbyter quidem uenire non potest,tu uerò confestim facito,quod ille præcepit,meq; dimitte. Infudit puer, ac simul ori senis instillauit. Qui cùm parum gustasset,mox spiritum reddidit. Ha/ctenus historia.

Chrysostomus in Epistola ad Innocentiũ. Cùm illa,(inquit) quæ dixi, prętenderemus,ipso magno sabbato,collecta manus militũ,ad uesperam diei, in ecclesias ingressa, clerum omnẽ, qui nobiscum erat,ui eiecit,& ar/mis gradũ circumcirca muniuit. Mulieres quoq;,quæ per illud tempus sẽ exuerant,ut baptisarentur, metu grauiorum insidiarũ, nudæ aufugerunt. Neq; enim cõcedebatur,ut se uelarent,sicut mulieres honestas decet. Mul tæ etiam acceptis uulneribus eijciebantur,& sanguine implebantur nata/toria,& sancto cruore rubescebant fluenta. Neq; hic rerũ finis est. Nam & sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis iniciatos mysterijs,& uiderũt omnia,quæ intus erant. Quia & sanctissimus Christi sanguis,sicut in tali tumultu contingit,in prædictorum militum uestes ef fusus est &c. Non libet nunc ex his historijs sigillatim indicare, quæ fue/rint illis temporibus cõsuetudines dispensandi sacramenti Cœnæ Domi/nicæ. Nec uolui ipsas eò recitare, quòd simpliciter probandã censeam re/seruationẽ sacramenti Cœnæ Dominicæ, sed ut refutem ἄλογον Asoti ra/tionẽ, qua existimat fieri non posse,ut species uini, sicut fraterculi loquun tur,aliquandiu sine periculo seruetur. Neq; opus erat,ut aliquot diebus ser uaretur, quippè quòd cum singulis diebus Cœna Dominica celebraretur, singulis etiam diebus,quod reseruatũ erat,mutari potuerit. Sicut autẽ fal/sum est, quòd conciliũ Nicænum concesserit sumptionẽ unius speciei in cœna, ac si concessisset, non tamen mandasset, quemadmodum Pontifi/ces solent: Quòd si etiam mandasset,non tamen iustũ & pium fuisset man datum,ita ad cõmunionem infirmorũ non sentio esse necessariam reseruationem Sacramenti cœnę,propterea quòd infirmo, nisi fortasis superstitione seducto, non satis fiat,si minister ingerat panem,& infundat uinum in os eius, mutus: Quid enim acciperet, nesciret, Sed si minister adnunciauerit mortem Domini,& recitauerit ex Euãgelista quopiam, aut Pau/lo, institutionem cœnæ, Hęc autem est cœnæ consecratio seu dispensatio, quemadmodum suprà dictum est. Et ex hac, cum pane & uino coniun/cta, petit infirmus consolationem. Quare tantum abest, ut Reseruatio Sa cramenti cœnæ, ad communionem infirmorum, sit necessaria, uel utilis, ut si panis & uinum apud infirmum non consecrentur, magis sint consolationi eius impedimento, quàm adiumento.

Sed audiamus nunc alterũ antiquitatis testimonium, quo Sotus suam alterius speciei sumptionẽ stabilire conatur. Ambrosius enim cõmendat Satyrum fratrem suum, quòd in naufragio constitutus, poposcerit diui/num Sacramentum fidelium, ac ligatum in orario,& conuolutum circa

Ambro. in libro de excessu fratris cap. 7.

collum, deiecerit se in mare, & enatauerit saluus. Deinde, nõ uoluerit hoc Sacramentũ, nisi ab Episcopo Catholico, qui cũ Romana Ecclesia consentiret, accipere. Hic, inquit Asotus, una tantum specie uti potuit, nec detestatus est hoc Ambrosius, tanquàm contra Christi institutum, sed laudat potius fratris fidem &c. Quid ergo? Num quia frater Ambrosij potuit una tantum specie uti, sicut Asotus dicit, idcircò certum est, eum una tantũ specie usum? Quin uerisimilius est, eum utraq; usum esse specie, propterea quòd ijs temporibus utriusq; partis usus solennis esset. Sed fingamus eũ alteram tantum partem, uidelicet eam, quam antea gestauerat ligatam in orario, sumpsisse, quid hoc præiudicat institutioni Christi? Multa fiũt, quæ nõ rectè fiunt. Nec idcircò aliquid coram Deo probat, quia ab Ambrosio nõ improbatur. Etiam tum inceperat filius perditionis mysteriũ iniquitatis agere. Non certè damno Ambrosiũ, sed autoritas eius non est tanti momenti, ut ualeat contra manifestam institutionem Christi. Quid enim hoc est, quòd Satyrus frater Ambrosij appenderit panem Eucharistiæ ex collo, & sperauerit ex ea gestatione cœlestem opem? An non hæc est manifesta superstitio, referenda in eum ordinem, in quo exemplum illud collocatur, quo Israelitæ à Philistinis superati, adduxerunt in castra Arcam propiciatorij, & sperauerunt ex præsentia eius certam uictoriam: aut eorum exemplum, qui solent ex collo gestare scriptum initium Euangelij, quod inscribitur secundum Ioannem, & pollicentur sibi ex eo præsens Dei in omnibus periculis auxilium? Certè Ambrosius ipse testatur fratrẽ suum, cùm hæc faceret, nondũ fuisse perfectioribus iniciatum mysterijs. Quare Ambrosius non debuisset hoc factum cõmendare, sed aut conniuere, aut imbecillitati fidei eius adscribere, & quòd saluus enatasset, non gestationi panis ex collo, sed soli Dei clementiæ gratuitæ, ac propter superstitionem indebitæ & illegitimæ tribuere. Habes Asotica antiquitatis testimonia, sed tam dubia, tam incerta, ut mirandũ sit, si Asotum, cùm hæc recitaret, nõ sua ipsius conscientia uanitatis arguerit. Nã, quod alij nonnulli de Laica cõmunione, cuius aliquoties fit apud ueteres mentio, afferunt, exigendũ est ad eorum temporum consuetudinẽ, qua si quid Clerici peccassent, reijciebantur ad communionem Laicam, non ut altera tantum parte Sacramenti uterentur (Nam & Laici tunc utraq; parte utebantur) sed ut deinceps in ordine Laicorum, non Clericorum, Cœnam Domini sumerent.

1. Reg. 4.

Illud uerò bellissimum est, quòd cùm Confessio Principis dicit, usum utriusq; partis debere esse uniuersæ Ecclesiæ cõmunem, hìc Sotus in Scorijs suis: Nos commune (inquit) dicimus Ecclesiæ, quod & si non singulis, quibusdam tamen eius membris conuenit, & per eos redundat utilitas in alios. Itaq; existimat institutioni & ordinationi Christi satisfactum, si tantum sacrificuli utantur utraq; parte Sacramenti. Hoc enim cedere in utilitatem uniuersæ Ecclesiæ. Hìc uenit mihi in mentem eius fabulæ, quę uulgata est de Agricolis commorantibus in pago, quẽ græcè χειμώνοικον uocare posses. Cùm enim aduenæ & hospites plurimum commendarent utilitatem Thermarum, quæ sunt in sylua Hercynia celeberrimæ, usum est præfecto eius pagi conuocare concionem suorum, ut communicato consilio deliberarent, num & ipsi ad eas thermas profectionẽ susciperent, & ijs ad confirmandas corporum suorum uires uterentur. Necesse enim habẽt toto ferè anno uires suas perpetuis laboribus exhaurire. Sed unum instituto obstare uidebatur, quod imminente iam uere, non licebat uniuersis ad Thermas proficisci. Erat enim eo tẽpore sementis auenæ faciendа.

Witters hausen.

da. Constituunt igitur duos, ac nisi fallor, præfectum ipsum, & ædituum seligendos, qui & sumptu & nomine reliquorum omnium susciperent præfectionem ad Thermas, & lauarent. Non dissimili prudentia existimat Asotus, satisfieri institutioni Christi, si sacrificuli soli, nomine & sumptu Laicorum, sumant pro Laicis utramq; partem Sacramenti. Quid hac insania furiosius? Christus enim filius Dei, instituit in cœna sua usum utriusque partis Sacramenti, ut sicut singuli suas habent in conscientia tentationes & afflictiones, ita singuli etiam, ex peculiari sumptione utriusq; partis suam caperent consolationem. An qui corporaliter esurit, medebitur fami suæ, si alius pro ipso cibum sumpserit? An qui daturus est nomen suum Christo, putare debet, suæ saluti probè consultum, si alius pro ipso baptisatus fuerit? Non certè Sacramenta in hoc instituta sunt diuinitùs, ut ijs alius pro alio utatur, Sed ut quod uerbo Euangelij auditori generaliter offertur, per Sacramentum, idq; iuxta institutionem Christi integrum, sumenti, sumenti inquam, non spectanti tantum & assistenti, peculiariter applicetur. Sentiamus igitur cõmunionem Soti talem esse, qualem paulò antè commemorauimus lauationem agricolarum in χειμωνοίκῳ.

His ita explicatis, manifestum est, quòd Christus instituerit in Cœna sua usum integri Sacramenti, non ministris tantum, sed etiam uniuersæ Ecclesiæ, & quòd hunc usum retinuerint in suis Ecclesijs non Apostoli tantum, uerumetiam ij, qui Apostolos proximè sunt secuti. Nam quòd Asotus dicit: Ecclesiam nunc̃q; sensisse quòd Christus Ecclesiam ad usum utriusq; speciei sic obligauerit, ut quilibet teneat̃ ita sumere, siquidẽ loquitur de uera Ecclesia, quæ uerbum Christi obedienter agnoscit, & de ijs credentibus, qui uolunt & possunt integro Sacramento uti, purum putum mendacium est. Vera enim Ecclesia, cùm audit uocem Domini Iesu Christi, sponsi sui, de calice, Bibite ex eo omnes, tanta est erga Seruatorẽ suum reuerentia & obedientia, ut nisi quem manifesta necessitas excusauerit (sicut suprà dictum est) non permittat cuiquam testamentum eius, tam apertis & perspicuis uerbis conditum, uiolare. Si autem Asotus loquitur de sua Sophistica & Asotica Ecclesia, ea, ut nihil dissimulem, non in hac tantũ parte sacrilega est. Quare sciamus sententiam eius non pluris, quàm Simias, ut dici solet, faciendam esse.

Quod cùm ita se habeat, accedamus nunc ad id, quod antea proposuimus, Videlicet quòd cùm certissima sit institutio Cœnæ Dominicę, num licuerit Pontificibus & Concilijs eorum mutare institutionem Christi, & in usu cœnæ alteram partem Sacramenti Laicis adimere. Etsi autem Paulus perspicuè respondet: Si nos, inquiens, aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Et Cyprianus: Si in sacrificio, inquiens, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, cùm ipse in Euangelio suo dicat: Si feceritis, quod mando uobis, iam non dico uos seruos, sed amicos. Et existimo non esse ignotum Asotõ, cuius illa uox sit: Quod Dominus iubet, bonus seruus non mutet, tamen in præsentia libet ipsa Pontificum testimonia audire.

Vrbanus Papa ait: Sciendum summopere est, quòd inde nouas leges condere potest (Romanus Pontifex) unde Euangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquàm dixerunt. Vbi uerò apertè Dominus uel Apostoli eius, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non

25. q. 1. Sunt quidam. Sicut Dominus de calice dixit, BIBI

TE ex eo OMNES. o nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usq; AD ANIMAM & SANGVINEM confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis ERRARE conuinceretur. Hactenus Vrbanus. Alij autem Pontifices Leo & Gelasius uocant usum unius tantum partis Sacramenti in Cœna, Sacrilegium. Leo dicit: Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant (Manichæi) interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tu tius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinẽ autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideo uestram uolumus scire sanctitatem, ut uobis huiusce modi homines & his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit SACILEGA simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali autoritate pellantur. De talibus enim beatus Paulus Apostolus ecclesiã Dei prouidè monet dicens: Rogamus uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinã, quã audistis, faciunt, & Declinate ab his. Huiusmodi.n. Christo Domino nõ seruiunt, sed suo uentri, & per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentiũ. Similiter Gelasius: Cõperimus, inqt, quòd quidã sumpta tm̃ corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstineãt, qui proculdubiò (quoniam nescio qua superstitione docent̃ astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio unius & eiusdẽ mysterij sine grandi SACRILEGIO nõ potest prouenire.

Etsi autem Glossa affirmat hoc de Conficiente, ut ipsa loquitur, seu ministro Consecrante, intelligendum esse, tamen uerba ipsa Gelasij perspicuè loquuntur de ijs, qui à Consecrante ministro cœnam sumunt. Et ratio ipsa, quam Gelasius addit, generalis est. Diuisio, inquiens, unius & eiusdẽ mysterij, non potest sine grandi sacrilegio prouenire. Nã si hæc diuisio nõ potest in ministro consecrante sine sacrilegio fieri, multò minus fieri potest absq; sacrilegio in sumente, siquidẽ nulla eum euidens necessitas excusauerit. De sumentibus enim manifestè dicitur: Accipite, Comedite, Accipite, Bibite ex eo OMNES. Reliquum igitur est, quòd testantibus Pontificibus ipsis, Sacrilegi sint, quotquot uel ipsi sua superstitione, altera tantum parte sacramenti utuntur, uel Laicis usum unius tantum partis concedunt.

Sed solent etiam causæ enumerari, cur licuerit Pontificibus mutare institutionem Christi, & alteram partem sacramenti Cœnæ Dominicæ auferre. Quanquàm autem hæ causę antea sunt ab alijs eruditè & copiosè refutatę, & perspicuè ostensum est, eas esse friuolas, tamen quia nunc in hoc argumento uersamur, libet eas breuiter percurrere.

Si Laicis, inquiunt, porrigeretur sanguis Christi, periculum esset in effusione. Imprudens igitur Christus, quòd hoc periculum non præuiderit. Et quid est, quòd nec Apostolos, nec primitiuam ecclesiam hoc periculũ ab usu calicis deterruerit? Quin hac etiam ratione sacrificulis usus calicis prohibendus esset, quòd exempla testentur, calicem sæpè ab ipsis imprudentibus effusum. Et putas ne cœlum ruiturum, si calix ex improuiso, nulla fraude, dolo, aut temeritate, effunderetur?

Deinde periculum in deportatione de loco in locum. Non deportetur igitur, aut commendetur deportatio non ebrijs, sed sobrijs, nõ tremulis, sed prouidis & robustis.

Tertiò, periculum in uasorum sordidatione, quæ debeant esse sacrata, nec

nec à Laicis tangenda. Scilicet uasa immunda sunt, nisi à Pontificibus consecrentur, & sordidantur tactu Laicorũ, ac sanctiora sunt ipso Christi corpore, quod Laici ore suo sumũt, Sanctiora etiam sunt pijs Laicis, qui sunt uera membra Christi per fidem.

Quartò, periculum in longis barbis Laicorũ. Abradantur ergo barbæ, & cedat potius humana barba diuinæ ordinationi, cp diuina ordinatio humanæ barbæ. Aut si ita uisum fuerit Pontificibus, dent uel calicem Domini uel saltem imberbibus & iuuenibus ac mulieribus, quæ barbis carent.

Quintò, periculum in conseruatione pro infirmis, ne uinum uel acescat, uel in hyeme congeletur, uel generentur in eo muscæ. Non conseruetur igitur, nec reponatur, sed consecretur apud infirmum, quemadmodum suprà indicauimus.

Sexto, Non inueniretur uasculum tam amplum, in quo tantum uini contineretur, quantum in Paschate pro decem aut uiginti millibus personarum sufficeret. Sumatur ergo uasculum usitatum, & si euacuatum fuerit, iterum impleatur. Omne enim uinum, quod in Cœna Dominica porrigitur & sumitur, sanctificatum est uerbo Domini in sanguinem eius.

Septimò, Multũ uini insumeretur, & alicubi uinum est carissimum. Concedatur ergo usus eius in ijs locis ubi multum est uini. Sed quid? Nõ publica tantum diuersoria, uerumetiam priuatæ ædes perstrepũt conuiuijs, & non posset tantum uini etiam in ijs locis, ubi nullæ sunt uites, comparari, ut institutioni Christi satisfieret?

Octauo, Ne detur occasio falsæ credulitatis. Si enim Laici communicarentur sanguine Christi, possent homines cogitare, tantam esse Laicorum dignitatem circa sumptionem corporis Christi, quanta est sacerdotum. Hæc est præcipua illa Helena, pro qua tot annis pugnatur. Quantum enim, obsecro, iacturæ faceret Ecclesia Christi, si Laici digniores haberentur sacerdotibus?

Sed si ex dignitate hominum sumi potest iusta causa mutandæ institutionis Christi, certè Laicis danda est utraq; pars sacramenti in cœna Domini, sacerdotibus autem altera tantũ. Nónne enim maior & dignior est, qui accũbit, cp qui ministrat? Hoc Christus ipse affirmat, qui & si longè omniũ maximus & dignissimus est, tamẽ exinaniuit seipsum, forma serui assumpta. Laici autẽ in cœna Domini accumbunt, & sacerdotes ministrant. Si ergo ad testificandam hominũ dignitatem Institutio Christi in cœna mutanda est, profectò adimendus erit calix sacerdotibus, & unà cum pane exhibendus Laicis. Quid hic, Sote, uestri dicent? quomodo dignitatẽ suam tuebuntur? Et quid si Laici, sumentes cœnam Domini essent honesti cõiuges, Sacerdotes autẽ immũndi scortatores? Qui, obsecro, essent ad sumendam cœnã digniores? Sed est aliud quoq; periculũ. Si.n. Laicis daretur sanguis Christi, fortasis existimarent sanguinem Christi non contineri etiam in pane. Graue periculum. Quæ est ergo illa Christi incogitantia, quòd non prouiderit hoc ipse periculum, sed maluerit seorsum pane, corpus, & seorsum uino sanguinem suum dispensare? Quid ergo? Num ad præcauendum errorem aut superstitiosam credulitatem, mutanda est ordinatio diuina? quin potius emendetur error aut superstitio uerbo Domini, ordinatio autem diuina inuiolata constet. Accedit & illud, si Laicis cõcederetur, his præsertim temporibus, usus calicis, fortasis homines iudicarẽt, quòd necessariũ esset, ut sumeretur in cœna utraq; pars sacramẽti, & cp qui hactenus usi essent altera tantũ parte, errassent, ac damnati essent,

quòdq; tot Pontifices, tot Episcopi, tot Prælati, & fraterculi, ac breuiter Romana ipsa Ecclesia & Concilium eius Constantiense, qui Laicis usum calicis ademerunt, fœdè fuissent lapsi, & amisissent spiritum sanctũ. Quid, amâbo te, his periculis grauius? Ac de necessitate quidem usus utriusque partis, & de salute eorum, qui ignorantes & aliena uel autoritate uel tyrannide seducti, altera tantum partè simplici credulitate usi sunt, suprà quædam diximus, & paulò pòst, propicio Deo, nõnulla dicemus. Sed hoc demùm intolerabile uidetur, quòd Pontifices & Concilia eorũ arguantur erroris, & amissionis Spiritus sancti. At enim non est metuendũ, ne cœlum ruat, etiamsi illi non erroris tantum simplicis, sed etiam Magiæ & Idolomaniæ accusentur & cõuincantur. In regno Israel, Rege Ahabo Idoloma nia publicè ita obtinebat, ut Propheta Elias existimaret se solũ relictũ, & in solo ipso constare Ecclesiam Dei: sed audit Deũ reseruasse sibi septẽ millia hominum, hoc est, ueram Ecclesiam, quæ non curuasset genua sua ante Baal, pereuntibus interea Rege, Principibus, vulgò, & Pontificibus. In Regno Iuda, quo tempore Hieremias concionabatur, impietas publicè ita grassata est, ut Hieremias exclamaret, Prophetæ prophetant mendacium, Sacerdotes applaudunt manibus, & populus dilígit talia. Vnde & postea sequebatur eius Regni ruina. Et tamen uera Ecclesia interea diuinitùs ita seruata est, ut ne Babylonica quidem tyrannis & impietas potuerint eam de manu Domini eripere.

Quid dicemus de Pontificibus Anna & Caiapha, & de Concilio eorũ? Hi erant Pontifices ex ordinaria successione Aheronis, in eo populo, qui habebat titulũ Ecclesiæ Dei, & cui Deus se præsentẽ promiserat. Quanq; etiam in condemnando Christo & Euangelio eius turpissimè una cum Scribis, Pharisæis, Principibus, Senatoribus & vulgo errarent, uera tamen Ecclesia non est collapsa. Quare, etiamsi Pontifices Romani & Concilia eorum errauerint, non est mirandum, nec metuendum, ut nulla fortassis reliqua sit in his terris uera Ecclesia Dei. Et nihil eorum, puto, uel nobilitati uel dignitati derogaretur, si inciperent uel tandẽ errores suos agnoscere, ac resipiscere. Existimo enim eos non eò impudentiæ processisse, ut etiamsi aliquot ipsorum millia in Synodo congregentur, efferant sese suprà Dauidem, de quo scriptum est: Tu unus solus pro decem millibus computaris. Et is tamen peccatum suum ingenuè confitetur: Iniquitatem meam, inquiens, cognosco, & peccatum meum coram me est semper.

Sed hæ uidebuntur illis fortassis fabulæ. Audiamus igitur, quæso, præter eas, quas recensuimus, bellam illam mutatæ institutionis Christi rationem, quam Cusanus in tertia sua Epistola ad Bohemos commemorat. Ex quo (inquit) uidetur mihi colligendum, usum Sacramenti charitatem Ecclesiæ ad Christum ostendere, ut tunc sæpè, & sub utraq; specie, quando ardens est: tunc rarius in anno, quando calida est, & sub intincti panis specie: tunc rarissimè in anno, & sub una specie, quando tepida est, ut hoc tempore. Hactenus Cusanus. Quid ergo ad hæc dicemus? An non hic Cardinalis honestè defendit usum unius tantum speciei? Sed si hæc iusta causa est mutandæ Cœnę Dominicæ, profectò Sacrificulis ipsis, qui in charitate Christi quauis glacie frigidiores sunt, non una tantum, sicut Laicis, sed utraq; pars Sacramenti adimenda esset. Et quid? Num propter hominum uel teporẽ, uel incredulitatem mutanda sunt, aut abolenda Sacramenta Christi? Eadem certè ratione mutanda aut tollenda esset prædicatio Euangelij, mutandus esset baptismus, & quid sacrosanctum ac inuiolatum in Ecclesia maneret?

Huc

Huc accersunt etiam exemplum filiorum Eli, & quasdam alias causas, quarum aliæ sunt tam ineptæ, aliæ tam absurdæ, aliæ tam ridiculæ & stultæ, ut ineptum ac stultum esset, in his uel saltem recensendis, nedum refutandis, multum operę collocare. Nam quod Asotus affirmat communionem utriusq; partis Cœnæ Dominicæ mutari posse, sicut & Ritus abstinendi à sanguine & suffocato, mutatus est, miranda est hominis in conferendis diuinarum institutionum causis ac finibus, ignauia. Apostoli enim instituerant abstinentiam à sanguine & suffocato, non ut perpetuò ex lege duraret: sed ut tantum ad tempus, ex charitate seruaretur. Quare, cùm charitas aliud exigeret aut permitteret, pij aliud etiam sunt secuti. Christus autem instituit usum utriusq; partis Cœnæ suæ, nõ ut ad tempus tantum duraret, sed ut perpetuò, usq; ad nouissimum diem permaneret. Quotiescunque (inquit Paulus) comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem DOMINI adnunciate, DONEC VENIAT. Cùm igitur manifestissimum sit, quòd Christus instituerit usum integri Sacramenti in Cœna sua, & nequaquàm licuerit Pontificibus aut Concilijs eorum hoc institutum filij Dei mutare, sed debuissent potius ad animam usq; & sanguinem defendere, tantum abest, ut repugnent toti Ecclesiæ ij, qui sentiunt sumptionem utriusq; speciei, ex institutione Christi, & Catholico atque Apostolico usu omnibus necessariam esse, nec licere alicui eam mutare, ut potius instauratione ueteris usus, conferant se, deserta impiorum hominum colluuie, ad ueram Apostolicam & Catholicã Ecclesiam, ac probent filio Dei fidem suam, & faciant officium pijs omnibus gratissimum.

Deinde, quòd Sotus aliquoties repetit, sumptionem utriusque speciei non esse omnibus necessariã, & si suprà explicuimus, tamen & nunc quædam dicenda sunt. Hic enim non quæritur, num permanente institutione Christi inuiolata, liceat aliquoties, ex personali necessitate, in cœna uel pane tantum, uel uino tantum uti? In hoc enim genere, necessitas, ut dici solet, magistra est, & ualet uetus dictum, ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δουλοῦται τάχα. Et: Ne Deus quidẽ cum necessitate pugnat. Sed quæritur, si quis excitatus ordinatione Christi, & consolationis indigentia, susceperit cœnam Domini sumendam, & reliqua omnia salua fuerint, num debeat integrũ Sacramentum cœnæ, iuxta institutionem Christi, an alteram tantum partem, iuxta decreta Pontificum sumere? Ac de ijs quidem, qui hactenus communi errore abrepti sunt, & tamẽ retinuerunt fundamentũ pietatis, quod est Christus, suprà dictum est, Et Deus tempora huius ignorantiæ hactenus dissimulauit. Si quis autem his temporibus, quibus Euãgelion Christi diuino beneficio illustratũ est, & uerus usus Cœnæ Dominicæ patefactus, alteram tantum partem Cœnæ Dominicæ, ab Asoticis sacrificulis, sciens ac uolens sumpserit, eum ego iudico nõ simpliciter peccare, sed Euangelion Christi abnegare, & seipsum reum constituere, non tantum eius iusti sanguinis, quem nostra memoria Pontifices & satrapæ eorũ, propter usum utriusq; Sacramenti, effuderunt, uerumetiam, qui effusus est iam inde à sanguine Abel iusti, usq; ad tempora nostrorum maiorũ. Quare in hoc rerum statu tanta est necessitas sumendi utramq; partem cœnæ, ut si cui integrum Sacramentum contingere non potest, saluti conscientiæ suæ magis consulat, si nullam, q̃ si alteram tantum partem sumpserit.

Sumptionem sequitur Oblatio, de qua Sotus ueteres Pontificiæ Ecclesiæ errores ac impietates recensет, uidelicet.

1. Quòd Sacramentũ Eucharistiæ non sit tantũ cultus Dei, sed propriẽ & peculiariter sacrificium omnium Christianorum.

2. Quòd in hoc Sacramento commemoratio cruentæ oblationis Christi ita fiat, ut etiam eandem offerat Deo Patri Tota Ecclesia incruentè & ueraciter.

3. Quòd hac incruenta oblatione meritum passionis Christi applicetur non tantum sumentibus, sed etiam offerentibus, ac ijs quoq; pro quibus offertur, siue uiuis siue mortuis (sic enim paulò pòst Sotus ipse interpretabitur) modò illi capaces fuerint. Sed quia Sotus cõtentus est hoc loco, simplici suarum impietatum narratione, & mox sequitur copiosior de hac re tractatio, differemus nos quoq; nostram, usque ad eum locum, refutationem.

Quòd autem non satisfaciant ei piæ lectiones & precationes, quæ in dispensatione Cœnæ Dominicæ recitari solent, sed addat ornatum uasorum, uestium, & alios ritus ac cærimonias, nõ est silentio prætereundum. Nam quod de uasorum ornatu scribit, miror non uenisse ei in mentem ueteris illius dicti: Fuisse quondam ligneos calices, & aureos Sacerdotes, nunc autem esse calices aureos, & sacerdotes ligneos, imò luteos.

De uestium autem ornatu quid dicam? Non est dubium, quin sua debeat esse uestium, in quouis hominum genere honestas. Sed illam Missalium uestimentorum πανοπλίαν pro ornamento ducere, & Apostolis accepta referre, hoc demùm non est tantum ad nuces redire, uerumetiam furore agitari. Nemo uos, inquit Paulus, iudicet in cibo, potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, quanto minus iudicandi sumus in uestimento?

Quid uerò Sotus intelligat per alias cærimonias & ritus quos dicit ab Ecclesia superadditos, non uideo, nisi si fortè sentiat de ridiculis illis & histrionicis gesticulationibus, manuum extensionibus, complicationibus, geniculationibus, inclinationibus, conuersionibus, reuersionibus, crucium signaculis, librorum Missalium transpositionibus, lauationibus, osculationibus, & quis omnia illa scenica, ac ioculatoria, quibus sacrifices in Missis suis utuntur, enumerare posset? Nõ est ignotũ, quibus autoribus maxima eorum pars in Cœnam Domini irrepserint, quod ut copiosè ab alijs est expositum, ita non libet nunc in ijs recensendis immorari, sed siue ea sint tradita à concilijs, siue ab Episcopis, siue à particularibus Prælatis, ut Asotus loquitur, certè nõ sunt nisi humana, ut nihil durius dicam, figmenta, quę si nobis obtruduntur, tanquàm singularis quidem, non autem necessarius cultus Dei, pertinent ad dictum illud: Frustrà me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Si autem exiguntur tanquàm necessaria ad expiationem peccatorum, & ad placandam iram Dei, pertinent ad illud dictum: Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit.

Nam, quòd Asotus hos ritus tum demùm probare uidetur, si fuerint instituti consonè, ut ipse loquitur, ad scripturam & traditiones, primùm quidem iterum significat sacram scripturam non esse sufficientem ad cognoscendam ueram pietatem, nisi fulciatur Traditionibus: sed hanc impietatem suprà copiosè refutauimus.

Deinde Fratercul i sperant se suorum sacrorum, quæ ipsi excogitârũt, non solum excusationem, uerumetiam approbationem habere, ex eo, quòd non apertè pugnent cum sacra scriptura. Cùm enim in scriptura nõ sit disertis uerbis prohibitum: Ne gestes cucullam, Ne induas uestem Missaticam, Ne subsultes geniculationibus, Ne facias crucium signacula, & id genus innumera, putant se, si hæc opinione colendi Dei faciant, in-

tantum

tantum non peccare, ut etiam exhibeant Deo officium gratissimum. Sed hæc est manifesta uanitas. Extat enim perspicuum uerbum Dei in scriptura: Frustrà colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Quicquid igitur homines, suo ipsorum arbitrio, absq; uero uerbi diuini testimonio, ad colendum Deum excogitant & instituunt, non est pietas, sed uanitas, non est religio, sed superstitio. Extat & dictum Pauli in scriptura: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Quæ autem homines ex suo arbitrio, ad cultũ Dei, absq; uerbo Dei instituunt, non possunt ea ex fide facere. Fides enim ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Quare necessariò sequitur, quòd ea omnia sint peccata, & contra scripturam. An non traditio Seniorum, quæ extabat apud Iudæos, de Lauatione manuum priusquàm cibum sumas, uidebatur non solum esse traditio Ecclesiæ Catholicæ, uerumetiam congruere cum sacra scriptura, quæ continebat aliâs uaria lauationum genera, & exigebat mundiciem mentis, quam illi sua lauatione adumbrabant? Et tamen Christus uocat hanc traditionem, cæcitatem, & uanum cultum. Non igitur ea tantum pugnãt cum sacra scriptura & sunt peccata, quæ non conueniunt cum manifesta scripturæ litera, sed etiam, quæ non congruunt cum uera eius sententia.

Quòd autem Sotus addit: Nulli inferiorum (sic enim loquitur) licere pro sua libidine quicquam illorum mutare, maximè secularibus potestatibus, sine schismatis periculo, iterum abijcit pios Principes in extremam fecem, ut Prælatos suos in supremo maiestatis fastigio collocet. Sed de officio secularium Principum in Ecclesia, suprà in προλεγομένοις dictum est. Quod uerò ad præsens institutum attinet, arbitrariam & temerariam piarum & utilium ordinationum in Ecclesia mutationem & abrogationem nemo probat. Non enim est nobis ignotum, quod Paulus dicit: Omnia decenter, & secundum ordinem fiant. Sed quòd per uos fraterculos & uestros Prælatos, non liceat pijs Principibus Idolomaniam, Magiam, & reliquas abominationes Pontificũ ac fraterculorũ fugere, & sacra iuxta uerbũ Dei, in Ecclesijs suarũ regionũ instaurare, hoc demùm uerè illud est, quod Christus apud Matthæum dicit: Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia claditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare. Ac plana quidem & facilis est responsio. Fraterculi enim & Prælati eorum, quia propugnant impietatẽ, non sunt uera Ecclesia. Quid igitur ad pios Principes statuta & ritus eorũ? Et quod Christus, offensis Pharisæis, hoc est, fraterculis & Prælatis, ad discipulos ait, hocidem sentiamus non tantum ad pios Principes, uerumetiam ad quoslibet, quantumuis inferiores dictum esse. Omnis plantatio, quam nõ plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Omittite illos: Duces sunt cæci cæcorum. Quare, nisi quis uoluerit unà cum his cæcatis hominibus in foueam cadere, omnem eorum contagionem fugiat, necesse est.

Sed accedit Asotus ad eos errores uel excusandos uel defendendos, quibus Confessio Principis Cœnam Domini turpificatam esse affirmat. Ac initiò, fatetur Asotus, quosdam abusus nonnullorum imperitia & negligentia irrepsisse, non potest autem probare nouatorum illorum nimium zelum, quo erroris damnant, aut hæreseos, quæ aut mala non sunt, aut certè multò minora. Scilicet Asotus nescit alium abusum in cœna, nisi quòd aliquoties celebretur Missa nullo præsente, aut respondente & audiente, contra Soteris Decretum, & quòd sacerdoti accidant aliquoties quædam obliuiones, ac alia nescio quæ, nõ uicia, sed negligentiæ, mutare autem ac

uiolare Testamentum Christi, transferre in alienum usum Cœnam Domini, blasphemia afficere passionem & mortem Christi, obscurare ueram fidem in Christum, designare Idolomaniam, & multa id genus alia, quibus Cœna Domini ab impijs commaculatur, Asoto aut non sunt mala, aut certè minora sunt mala, quàm quæ nominibus errorum ac hæreseos notari debeant. Et nos sumus nouatores, qui studemus Cœnam Domini in uerum & ueterem usum Ecclesiæ reuocare, illi autem sunt uetustatis cultores, qui eam è ueteri usu in impiũ non abusum tantum, uerumetiam sacrilegium transtulerunt. Vetus hic est & usitatus hypocritarum mos, quòd impietatis, cui ipsi maximè omnium obnoxij sunt, alios, eosq; inno centes accusent, ac eo quoq; nomine trucident. Sed ad rem. Confessio Principis improbat, quòd ex cultu, qui debet Ecclesiæ communis esse, fiat priuata Sacrificuli actio. Sotus autem repugnat, & quærit: Cur si ab uno tantum sacerdote suscipiatur Eucharistia, non sufficiat ad institutionem Christi seruandam, quandoquidem quod nomine totius Ecclesiæ agitur, communis sit totius Ecclesiæ actio? Respondeo igitur planè & perspicuè, quòd hoc modo non satisfiat institutioni Christi. Quomodo enim satisfaceret ei, quod cum ipsa manifestè pugnat? Nam cùm Christus cõmendaret Ecclesiæ cœnam suam, expresse dicit: Hoc FACITE. Quid autem hoc facere aliud est, quàm facere quod ipse fecit, & quod Euangelistæ ac Paulus eum fecisse scribunt? Vescentibus, inquiunt, eis, accepit panem. Quid facturus cum pane? Num soli sibi eum retenturus? Nequaquàm, Sed cùm egisset gratias, FREGIT. Quid ergo est Frangere? Num est in particulas ita diuidere, ut eas tuo solius ori admoueas, & omnes deglutias? Nihil minus, sed est ita diuidere, ut alijs dispertias. Frange, inquit Esaias, esurienti panem tuum. Quid? an satisfactum est huic diuino præcepto, si quis coram esuriente diuiserit panem suum in aliquot particulas, & eas solus ipse, spectatore esuriente, deuorauerit? Nihil certè minus, Sed esurienti distribuat, necesse est. Vnde & in Cœna Domini mox sequitur: DEDIT DISCIPVLIS. Non enim sibi tantum fregit, aut diuisit, sed diuisit, ut discipulis daret. Nec simpliciter ponitur hic Dandi uerbum, sed etiam additur: Accipite. Et ne quis existimet panem ita accipiendum, ut aliquandiu manu gestes, & postea reponas, additur: COMEDITE. Et quod de pane dictum est, hoc idem de calice dicitur. Quid, obsecro, hic est obscuritatis? quid ambiguitatis? Paulus quoq;: Poculum (inquit) benedictionis, cui benedicimus, nonne Communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Vocat panem & poculum Cœnæ Dominicæ, non priuatum unius sacrificuli esum & potum, sed Cõmunicationem, hoc est, dispensationem & participationem, quam non unus soli sibi retinere, sed Ecclesiæ impartiri debeat. Huc accedunt etiam ueteris Ecclesiæ testimonia.

IVSTINVS MARTYR APOL. 2. pro Christianis.

Nos sic ablutum & institutum ad fratres, quos uocant, adducimus, ubi cœtus fiunt, ut tam pro nobis, quàm pro recens illustrato precemur, quo inueniamur per ueram doctrinam, & bona opera digni obseruatores mandatorum, custodesq;, & ut æternam salutem assequamur. Post precationẽ nos salutamus osculo mutuo. Deinde affertur præcipuo Fratri, PANIS & CALIX aqua dilutus, quibus acceptis laudem ac gratiarum actionem Patri omnium offert per nomen Filij sancti q; Spiritus. Atq;

Atque ita Eucharistiam aliquandiu celebrat. Post preces & Eucharistiam totus cœtus accinit Amen. Ea uox Hebraica lingua significat idem quod Fiat. Absoluta gratiarum actione præsulis, & ominatione totius plebis, Diaconi, quos uocamus, dant SINGVLIS PRAESENTIBVS partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, atque etiam deferre sinunt ABSENTIBVS. Hoc autem alimentum apud nos uocatur Eucharistia, ad quod nemo admittitur, nisi qui credit ueram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum &c. Et mox.

Die solis urbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri potest, præleguntur. Deinde cessante lectore, præpositus uerba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum inuitans. Post hæc consurgimus omnes, & PRECES OFFERIMVS, quibus finitis profertur, ut diximus, Panis, Vinum & aqua. Tum Præpositus, quantum potest, PRECES OFFERT, & gratiarum actiones. Plebs uerò, Amen, accinit. Inde consecrata distribuuntur SINGVLIS, & absentibus mittuntur per diaconos, &c. Hoc testimonium Iustini eo libentius recitaui, quòd nõ solum describat, communionem Cœnæ Dominicæ non fuisse in ueteri Ecclesia actionẽ unius sacrificuli, uerum etiam quòd clarè significet, qualis fuerit in Cœna Dominica oblatio. De qua postea.

Audiamus etiam Chrysostomum.

CHRYSOSTOMVS IN 2. EPISTOLA
ad Corinthios λόγῳ ιη.

Est ubi nihil differt sacerdos à subdito, ut quando frui oporteat tremendis mysterijs. Similiter enim omnes digni reputamur ijsdem. Nõ sicut in ueteri lege, partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus. Et non phas erat plebem participẽ fieri eorum, quorũ sacerdos. Sed nunc non sic. Omnibus enim unum corpus proponitur, & poculum unum. Ac in precibus quoque uideat quis populum, multa conferre. Nam & pro Euergumenis, & pro pœnitentibus, cõmunes tam à sacerdote, quàm ab illis preces fiunt. Et omnes unam dicunt orationem, orationem misericordia plenam &c.

Ac aliàs quidem Chrysostomus grauiter reprehendit tam eos, qui ex Dominica Cœna faciunt priuatam, quàm illos, qui adstant tantum spectatores, & non ipsi quoq; sumunt cœnam.

CHRYSOSTOMVS IN CORINTHIOS,
Homilia unica.

Animaduerte quæso, quomodo eos semetipsos confundere ostendit. Namq; quod Dominicum est, priuatum efficiunt. Quo fit, ut ipsi inprimis hi sint, qui iniuria à semetipsis afficiantur, cùm mensam suam tanta dignitate defraudent. Sed quo nam pacto, dicet quispiam? quia cœnã Dominicam, hoc est, herilem, communem conseruis esse debere certissimũ est. Quæ enim sunt Domini, non huius, illiusue serui sunt, non priuatim singulorum, sed in commune cunctorum. Quod igitur Dominicum est, cõmune est. Si enim Domini tui est, quemadmodum certè est, nõ debes id diuellere, & uelut in priuata conferre, sed tanquàm rem domini, cõseruis tuis in commune proponere. Id enim uerè Dominicũ est. Atqui cùm solus comedis, id non sinis esse Dominicũ, non sinis esse cõmune &c. Etsi autẽ alia fuit ratio priuatæ cœnæ Corinthiorum, alia Pontificiorum sacri-

ficulorum, tamen quo argumento Paulus & Chrysostomus damnant illorum, eodem etiam, ac multò iustius horum priuata cœna damnanda est. In Ecclesia enim Corinthiorum non unus tantum priuatim uescebatur cœna, sed soli diuites, exclusis pauperibus, consociati, & in suas mensas dispertiti simul cœnam sumebant, ac erat uerè, & si inordinatè, quod institutum fuit, Communio. In Ecclesia autem Pontificum solus sacrificulus, nullo nec diuite nec paupere in communionem adhibito, uescitur. Vt nō recensea alias impietates, quas sacrificuli in suis priuatis Missis designant, & quibus cœna Corinthiorum nondum erat sordidata. Quare quod Paulus & Chrysostomus dicunt de Cœna Corinthiorum, hoc multò magis dici potest aduersus Missas Pontificiorum.

CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA DE PARTICIPATIONE *sacrorum mysteriorum. Et in Epheſ. λόγῳ γ.*

Multam uideo rerum inæqualitatē. Alijs quidem temporibus, etiam si puri frequenter fueritis, non tamen accedetis. In Pascha autem, etiamsi aliquid (uitiū) à uobis designatum fuerit, accedetis. O consuetudinem, ô præsumptionem. Frustrà sacrificium quotidianum, frustrà assistimus altari. Nullus est, qui cōmunicet. Hæc non dico, ut simpliciter communicetis, sed ut dignos uos ipsos reddatis. Non es dignus hostia, ac participatione, certè nec oratione dignus es. Et mox.

Nō dixit: Quare recubuisti? Sed, Quid intrasti? Hæc etiam nunc uobis omnibus loquitur, impudenter & procaciter astantibus. Omnis enim, qui non participat mysteria, impudens, & procax est, si adstat.

His testimonijs Chrysostomus non solum docet, cœnam Domini fuisse in ueteri Ecclesia communionem Ministri & Ecclesiæ, uerum etiam seueriter increpat eos, qui cùm præsto adsint cœnæ, non unà cum alijs eam sumant.

Si uerò Sotus maluerit suas delicias, quàm ueterum testimonia audire, non grauabor recitare, quod autor Rationalis diuinorum de consuetudine ueteris Ecclesiæ scribit.

In primitiua, inquiens, Ecclesia, omnes qui celebrationi missarum intererant, singulis diebus communicare solebant &c. Habes tam institutionem & exemplum Christi filij Dei, quàm testimonia Pauli, ac ueterum & nouorum Scriptorum, quòd cœna Dominica non debeat esse priuata unius sacrificuli actio, sed Ecclesiæ communio. Et tamen tanta est, & tam effrons Asoti impudentia, ut non uereatur hanc doctrinā uanitatis arguere, Vanum est, inquiens, & nullā habet autoritatem. Tolerabile fortasis esset, si hæc priuato suo nomine uociferaretur. Nunc autem profitetur se hęc nomine Catholicę Ecclesiæ scribere. Quid ergo sentias de ea Ecclesia, quæ audet sacrosanctam filij Dei institutionē, & tot uetustatis monumenta, uanitatis damnare? Nam, quòd Sotus affirmat, totius Ecclesię nomine agi, quod ecclesię nomine ab uno agitur, siquidē sermo est de precatione, dubium nō est, quin unus quispiam possit pro uniuersa Ecclesia Deū precari. Et Christus ipse docuit precationem, quæ ab uno, non dico, sacrificulo, sed à quouis pio dicta, pro uniuersis in Christū credentibus Deo Patri offertur. Si autem sermo est de sacrificijs Leuiticis, non est ignotum, quòd ea sint Deo ab uno hominum genere, nomine uniuersi populi Dei oblata. Cur autem ita diuinitùs fuerit constitutum, non est huius loci exponere, & suprà indicatum est. Si uerò sermo est de Sacrificio uerè expiatorio, quod Solum placat irā Dei, & quo expiantur peccata humani generis, nō

alius

alius quispiam nec obtulit, nec offerre potuit Deo Patri, præter Dominum nostrum Iesum Christũ, filium Dei. Quòd si sermo est de Sacramentis, certè ipsa sacramentorum ratio docet, quòd cùm sint in hunc usum instituta, ut accepta fidem cõfirment, fieri non potest, ut ea alius pro alio utiliter accipere possit. Sicut enim nemo pro alio baptisatur, ita nemo, nisi aut scurretur, aut insaniat, pro alio Cœnam Domini sumit. Nugantur quidem, Cœnam Domini non tantum esse Sacramentum, uerumetiam sacrificium, ideoq; se Missam suam celebrare pro Ecclesia, ut sacrificiũ. Sed cœna Domini non est tale sacrificium, quale fingunt, quemadmodum mox explicabitur, & sacrificuli suam Missam, ne quidem ut sacramẽtum, habẽt cum Ecclesia communem, aut si quando dispensauerint, mutilum tantum & detruncatum dispensant. Quare humanum est commentum, quòd priuata sacrificuli Missa, sit communis actio totius Ecclesiæ, nisi forte Sotus de sua ecclesia loquatur, quæ qualis est ecclesia, tales etiam habet fabularum suarum actores.

Nec illud quicquam patrocinatur errori Pontificiorum, quòd Sotus affirmat usum Eucharistiæ fuisse diuersum, uarium, & pro temporum diuersitate mutatũ. Non enim ignoramus, quid factum sit, sed quærimus, num iure factum sit. Non ignoramus institutionem Christi esse mutatã, sed hoc ipsum est, quod querimur, quod accusamus, quod reprehendimus. Quis.n. dedit uobis autoritatem recedendi ab eo usu, quẽ in dispensanda Eucharistia Christus ipse instituit, & primitiua Ecclesia secuta est, ac mutandi in nouum, diuersum & alienum usum? Non potestis prætexere spiritum sanctum autorẽ, quòd hic nihil diuersum à filio Dei doceat. Non loquetur, inquit, à semetipso, sed quæcunq; audierit, loquetur. Et: Suggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Suggeret (inquit) non quæ uos somniatis, sed quæcunq; ego uobis dixi. Non est autem obscurum, & suprà explicuimus, quid Christus in cœna sua dixerit. Nec potestis prętexere uestrum zelum aut pietatis studium. Est enim zelus Dei, non autem secundum scientiam. Et quod dominus iubet, bonus seruus non mutat. Reliquum igitur est, quòd cùm Sotus confitetur ipse, usum Eucharistiæ in diuersum esse mutatum, exhibeat se ridiculum suæ ecclesię patronum, quippè quòd quos defendẽdos suscepit, eos uel autores, uel approbatores mutationis ac uiolationis Testamenti Christi faciat.

Ridiculum & illud est, quòd cùm Sotus conatur defendere priuatas suorum sacrificulorum Missas, affirmet Patres exhortatos esse fideles omnes ad frequentem cõmunionem. Non uidet homo industrius suas Missas hoc ipso accusari potius & damnari, quàm probari. Si enim Patres (intelligo autem Patres ueteris Ecclesię) exhortati sunt Ecclesiam ad frequentem communionem, certè senserunt Cœnã Domini institutam esse, non ut esset priuata unius sacrificuli actio, sed communis Ecclesię participatio. Et exhortati sunt ad eam communionem, quæ tum iuxta institutionem Christi usitata erat, in qua uidelicet minister non solus cœna frueretur, sed dispensaret eam Ecclesiæ, idq; non mutilatam, sed integram, sicut à Christo ipso mandatum fuerat. Exhortatio igitur Patrum ad frequentem communionem intantum non commendat priuatas Missas, ut potius eas reiiciat. Etsi autem nõnulli reiiciunt causam priuatarum Missarum in ignauiam Laicorum, ut uocant, tamẽ ex ijs rationibus, quas solent Sacrificuli & Fraterculi, ad stabiliendas priuatas Missas commemorare, manifestum est, quòd tam impia doctrina, quàm scelerata uita Sacrificulo-

rum deterruerint reliquam Ecclesiam à frequenti usu Cœnæ Dominicæ. Da ergo ministros, qui & pia doceant, & honestam uitam ducant, non erit dubium, quin Ecclesia spiritu sancto excitetur, ut & ipsa frequentius Cœna Dominica utatur.

Quid autem, obsecro, est, quòd Sotus dicit: Patres exhortatos esse fideles ad frequentem communionem, propter salutem suam, non autem sacramenti perfectionem? Fortassis hoc vult, Sacramenti perfectionem non pendere uel à multitudine uel à paucitate sumentium. Quid autem hoc ad propositum? Non iam agitur, fratercule, unde Sacramentum perficiatur, hoc est, unde panis & uinum sanctificentur in sacramenta, quibus Ecclesiæ corpus & sanguis Christi dispensentur: Manifestum enim est, quòd hoc fiat ex institutione, & uerbo Christi: Sed illud agit, in quē usum Christus Cœnam suam, & sacramenta eius instituerit, uidelicet, quod sæpè iam ostensum est, non ut esset priuata Sacrificuli actio, sed communis Ecclesiæ participatio, eaque non spiritualis tantum, ut solummodò spectetur, sed etiam sacramentalis, ut panis & uinum sumantur. Quare ubi non est horum dispensatio, ibi aduersus institutionem Christi manifestè peccatur.

Sed confirmat tandem Asotus nugas suas autoritate Conciliorum. Ex Agathensi Concilio producitur Canon, qui ait: Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus &c. Præcipimus, inquit, Missas AVDIRE, easq; TOTAS. Primùm, expectauimus diuina testimonia, ecce autem tibi humana statuta, quæ quantum ualeant, aliàs demonstratum est. Deinde si hic Canon intelligit per Missas, priuatas illas, quas sacrificuli in angulis templorū secum musitare solent, absurdissimum est, quod præcipitur. Tales enim Missæ non possunt Audiri, quippè quòd clam à sacrificulis musitentur, sed tantum spectari. Ac uidentur quidem gestus nonnulli ioculatorij & ridiculi, non autem audiuntur uerba, quibus uel fidem confirmes, uel mores erudias.

Si uerò intelligit eas Missas, quæ celebrantur publicè quidem, & quæ carmina quædā decantantur, sed lingua, vulgari Ecclesiæ ignota, & absq; cōmunione, ne sic quidē potest Canoni satisfieri. Seculares enim audiunt tantum cantica quædam, non possunt autem audire TOTAS, quod Canon non exigit, Missas, propterea quòd præcipua earum pars occultè recitetur. Nisi fortè hoc uelit Canon, Missas totas, hoc est, usq; ad finem audiendas. Sed ne sic quidem, ut iam dictū est, seculares possunt Canoni satisfacere. Et quod magis mirandum est, sacrificuli non casu tantum, clam, & tacitè recitant uerba institutionis Dominicæ, uerumetiam seueriter prohibent, ne ea apertè & intelligēter coram secularibus, in Missis legantur.

Quid igitur dicemus? Hic certè uariè erga Pontificias Missas afficimur. Primùm enim, non possumus certò scire aut credere, quòd in his sit uerū sacramentū. Ignoramus enim, Nū sacrificuli recitent ea uerba, quibus panis & uinum in sacramentū sanctificantur. Nā experientia ipsa testificatur, quòd aliquoties à superstitiosis, aliquoties ab impijs & sceleratis sacrificulis sint omissa. Nec in tanti mysterij peractione collocāda est fiducia in homine, quem nescimus musitet ne secum uerba cœnæ Dominicę, an carmen aliquod magicum. Quare non possumus certò credere, num sacrificuli habeant uerum in Missis suis sacramentum.

Deinde si alia in priuatis illis sacrificulorum Missis considerentur, non iam amplius dubitandum, sed certò tenendū est, quòd non sit in ijs Missis uerum

uerum ſacramentum. Non hic iam approbo eorum ſententiam, qui negant ueram præſentiam corporis Chriſti in pane, & collocant illud in externo illo & uiſibili cœlo: Sed loquor nunc de priuatis ſacrificulorum Miſſis, in quibus nego eſſe uerum ſacramentum Cœnæ Dominicæ. Dubium quidem non eſt, quin ſi panis & uinum fuerint in Cœna Domini uerè in ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificata, non poſsint abuſu, quod uerbo Domini facta ſunt, amittere. Rectè enim vulgò dici ſolet: Abuſus rei non tollit ſubſtantiam eius. Nego autē, quòd in priuatis ſacrificulorum Miſsis panis & uinum in uerum ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificentur. Nego Miſſas illas eſſe cœnā Domini. Quomodo igitur panis & uinum earum eſſent cœnæ Dominicę ſacramenta? Hæc enim demùm uera eſt cœna Domini, in qua & Mors Chriſti adnunciatur, & panis ac uinum in participationem corporis & ſanguinis Chriſti diſpenſantur. Sic enim Chriſtus ipſe dicit: Accipite, edite, Accipite, bibite, &c. Et: Hoc facite in mei commemorationem. Quotieſcunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciate, donec ueniat. His uerbis exigitur in cœna Domini Adnunciatio mortis Chriſti, & diſpenſatio panis & uini.

In priuatis autem ſacrificulorum Miſsis nec eſt Adnunciatio mortis Chriſti, nec eſt diſpenſatio panis & uini. Etſi enim recitant uerba Cœnæ Dominicæ, quibus mors Domini adnuncianda eſt, tamen ea ſacrificulorum recitatio non eſt adnunciatio, ſed muſsitatio. Ac prohibentur etiam publica ipſorum lege, nec ea uerba palàm & publicè adnuncient. De diſpenſatione autem panis & uini, nō eſt ignotum, quòd faciant Miſſas ſuas priuatas, non hoc inſtituto, ut panem & uinum alijs diſpenſent, ſed ut ijs ſoli ipſi ueſcantur. Manifeſtū igitur eſt, quòd Miſſæ ſacrificulorę priuatæ, non ſint uera cœna Domini. Si autem non ſunt cœna Domini, fieri nō poteſt, ut in ijs ex pane & uino fiat ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Extat quidem dictum Auguſtini: Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramētum. Exiſtimant igitur, quòd dicto hoc uerbo ad panem: Hoc eſt corpus meum, ſtatim panis fiat corpus Chriſti, qualiſcunq; alioqui impietas & abuſus acceſſerit. Sed Auguſtini dictum rectè & piè intelligendum eſt: Non enim ex elemento fit ſacramentum, ſi quouis modo, indiſcriminatim accedat uerbum, ſed ſi accedat ritè, iuxta ordinationem & inſtitutionem Chriſti.

Veſtra, Sote, doctrina eſt, quòd ad conſecrationem requiratur non ſolum intentio (utor enim ueſtris uerbis) conſecrantis, uerum etiam intentio Inſtituentis. Vnde nonnulli ueſtrum definiunt, quòd ſi ſacerdos ſuſciperet panem conſecrandum, ut ſacramento uteretur ad ueneficia, ad conculcandum in luto, ad irriſionem, aut ad aliam prophanitatem, non conſecraret. Non enim ueriſimile eſſe aiunt, Chriſtum dediſſe talem poteſtatem ſacerdoti, in præiudicium & irreuerentiam ſacramenti. Itaque putant ſacramentum eſſe irritum, ſi contra inſtitutionem celebratur. Quid autem magis pugnat cum inſtitutione Chriſti, quàm ſi ſuſceperis Cœnam Domini celebrandam, non ut adnuncies mortem Domini, nec ut diſpenſes Eccleſiæ panem & uinum, ſed ut tecum tantum muſsites, & offeras Deo ſacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum, ac ſolus pane & uino ueſcaris? Hoc enim non eſt celebrare cœnam Dominicam, ſed longè aliud operis genus facere, quàm Chriſtus in nouiſsima ſua cœna inſtituit, quemadmodum paulò antè expoſuimus, & mox, propicio Deo,

copiosius exponetur. Manifestum igitur est, quòd cùm priuatæ sacrificu lorum Missę non sint uera cœna Domini, non possit etiam in ipsis esse ue rum sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Est & illa, Sote, uestra doctrina, quòd Mutus non possit conficere, sic e nim uos loqui soletis. Sacrificulus autem priuatæ Missæ, & si alioqui ma ximè fuerit uocalis, tamen in sacrificio suæ Missæ, coram Ecclesia mu tus est. Quomodo igitur testificante uestra ipsorum sententia conficere posset? Circumcisio præpucij fuit quondam sacrosanctum & inuiolatum sacramentum. Postquàm autem Christus aduenit, & diuulgauit Euange lion suum in orbem terræ, abrogatæ sunt ueterum cærimoniæ, & circum cisio amisit honorem sacramenti. Quare & si Iudæi adhuc hodiéq; recitant uerba quibus Circumcisio est instituta, & in sacramentum consecrata, ac utuntur circumcisione, magna, ut uidetur, religione, tamen non est am plius sacramentum, nec affert eis quicquam utilitatis. Idem sentiendum est de cœna Dominica. Quanquàm enim Christus non abroget eam in Ecclesia, sed potius conseruaturus sit eam usq; ad nouissimum diem, ta men postquàm sacrificuli non relinquunt eam talem cœnam, qualē Chri stus instituit, sed mutant eam in sacrificium quoddam, quo expientur peccata uiuorum & mortuorum, fieri nō potest, ut habeant in Missis suis uerum cœnæ Dominicæ sacramentum, etiamsi ibi uideatur uerbum ac cedere ad elementum.

Quare si Canon ille Agathensis concilij, quem Asotus recitat, loqui tur de talibus sacrificulorum Missis, quales sunt in Pontificia ecclesia usi tatæ, non solum non sunt audiendæ, sed etiam abominandæ & procul fu giendæ. Etsi autem uerisimile est Canonem non loqui de priuatis illis sa crificulorum Missis, sed de publicis, in quibus adnunciabatur mors Chri sti, & dispensabantur panis & uinum, in corpus & sanguinem Christi san ctificata, quales illis temporibus Missæ erant, & uidetur præcipere, ne hi, qui sumpserunt sacramentum corporis & sanguinis Christi, mox se do mum proripiant, sed maneant in cœtu Ecclesiæ, donec conciones & can tiones absoluantur, tamen quia non nitimur humana, sed diuina autori tate, relinquimus eum Canonem suis autoribus, & appellamus ad mani festam Christi institutionem, qua iubemur Cœnam ita celebrare, ut & mors Christi adnuncietur, & sacramentum corporis & sanguinis Christi Ecclesiæ dispensetur.

Sed illud Asotici ingenij acumen meritò scilicet commendandum est, quòd ex ijs Canonibus, qui exigunt, ut seculares, si non frequenter, certè ter saltem in anno communicent, & ut singulis diebus Dominicis obla tio tam panis quàm uini ab omnibus uiris & mulieribus fiat, argumen tetur, non esse præceptum, nec necessarium, ut in Missa OMNES com municent, sed sufficere, ut audiant Missam, & offerant in ea panem & ui num. Primùm, quod Canones absq; autoritate uerbi Dei uel præcipiunt, uel prohibent, reijciendum est in illud dictum Christi: Frustrà me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Et ad illud Hieronymi: Quod de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Deinde, non iam agitur, quòd OMNES sigillatim, & semper, dum cœna Domini celebratur, cōmunicare debeant. Quis enim hoc unquàm exegit? & quæ esset hæc seruitus? Sed illud agitur, quòd cœna Domini nō debeat esse priuata unius sacrificuli actio, sed cōmunio Ecclesiæ, siue in ea multi

multi siue pauci sacramentum cœnæ accipiant. Necessarium quidem nō est, ut OMNES semper communicent, necessarium autem est ex institutione & ordinatione Christi, ut minister in cœna Domini non solus ipse sibi panem & uinum retineat, sed etiam Ecclesiæ, siue multorum siue paucorum dispenset. Ac profectò, si eos Canones, quos Asotus commemorat, diligenter expenderis, & cum moribus eorum temporum contuleris, multò magis significant Missam fuisse communionem, quàm priuatam unius sacrificuli actionem. Cùm enim præcipitur secularibus, ut uel saltem ter in anno communicent, haud obscurum argumentum est, celebrationem Communionis frequentem quidem fuisse, sed paucos ea usos esse, ideoq; alios seueritate præcepti coactos, ut si non singulis diebus, aut singulis Dominicis sumere uelint Cœnam Domini, sumant tamen eam ter in anno.

Huc accedit & illud, quòd decernit, ut diebus Dominicis oblatio tam panis quàm uini, à uiris & mulieribus fieret, uidelicet ut ex hac oblatione, panis & uinum, non ad sacrificium unius priuati Missificis, sed ad cōmunionem Ecclesiæ sanctificarentur. Sic enim Cyprianus in libello de eleemosyna diuitem mulierem alloquitur. Locuples, inquiens, & dives Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio uenis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Hoc testimonio manifestum est, quòd ex pane & uino, quæ pij ad eleemosynam pauperum in Ecclesiam attulerunt, accepta sint ea in Cœnam Dominicam, quæ Ecclesiæ erant dispensanda. Quare tantum abest, ut oblatio panis & uini ad Ecclesiam, arguat priuatas fuisse sacrificulorum Missas, ut potius manifestè probet, Missas non fuisse nisi publicam cœnam Domini, in qua sacramentum corporis & sanguinis Christi fuerit Ecclesiæ dispensatum.

Sed abluamus etiam Asoticas sordes à testimonijs, quæ Cōfessio Principis recitat.

Anacletus dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus &c. Hoc Anacleti scriptum allegat Confessio Principis, non quòd sentiamus huius scripti autorem esse eum Anacletum, quem alij scribunt Clementi, alij Lino, in Romano Pontificatu successisse, aut quòd Confessio Principis nitatur humana autoritate. Sunt enim haud obscura argumenta, quibus probatur, eas Epistolas, quæ tribuuntur primis illis Romanorum Pontificibus, esse fictitias, quemadmodum aliàs ostendimus, Sed allegatur Anacletus, ut aduersarij suo ipsorum gladio iugulentur. Is enim, siue uerus siue fictitius Anacletus manifestè dicit: Peracta consecratione OMNES communicent. Sed Asotus querit effugia. Primùm, hoc, inquit, ad omnes ministros tantum referendum esse. Agnosco, & si Glosa huius Canonis in Decretis Pontificijs, per Omnes intelligit etiam Laicos. Quotidie, inquiens, uel OMNES generaliter ter in anno: Quod certè de Laicis intelligitur. Sed tamen utcunq; hoc se habeat, agnosco interea Soti expositionem. *De Conse. d. 1. c. Episcopus, super uerbo, Omnes.*

Quid ergo hinc concluditur? Num cœnam Domini debere esse priuatam unius sacrificuli actionem? aut non esse necessarium, ut sit generalis ecclesiæ cōmunio? Imò illud maximè omnium confirmatur, quòd cœna Domini nō debeat esse priuata actio, sed Cōmunio. Nō enim nunc disputamus de personarum, seu communicantium discrimine, sed de communione ipsa. Siue enim Clerici sint, siue Laici, qui sumunt cœnam Domini,

certè ipsa cœna debet esse communio. Si Canon exigit seueriter, ut peracta consecratione, quã Episcopus facit, Omnes Ministri, quibus tanquàm satellitibus Episcopus munitur, cõmunicent, certè exigit, quod Confessio Principis probandũ suscepit, ut cœna Domini sit Cõmunio, non sit priuata unius actio. Quam igitur frontem nunc habes Asote, quòd tua ipsius expositione sententiam Confessionis Principis confirmes?

Deinde dicit hanc legem esse de solenniori ritu celebrandi. Hic dubito, quem Sotus solenniorẽ ritum uocet. Si enim uocat solenniorẽ ritum celebrandi, satellitium Episcopi, quid hoc ad rationem Cõmunionis? Si ue enim Episcopus incedat stipatus magna suorũ Presbyterorum & Diaconorum caterua, siue uno tantum & altero ministro comitatus, certè cœna Domini debet esset, ex institutione Christi, communio, idq; non spiritualis tantum, sed etiam sacramentalis, quemadmodum suprà ostendimus. Si autem per solenniorem ritum intelligit solenniores dies festos, uidelicet, quòd in solennioribus quidem diebus cœna Domini debeat esse communio, in alijs autem communibus diebus debeat esse priuata unius sacrificuli actio, manifesta est uanitas. Institutio enim Christi nullum prorsus facit discrimen dierum, sed simpliciter exigit, ut Cœna sit communio, siue ea festis, siue profestis diebus celebretur. Et quomodo ratio dierum, quorum in conspectu Dei nullum est discrimen, posset sacrosanctam & inuiolatam Testamenti Christi institutionem mutare?

Sed illud bellissimum est, quòd affirmat in hoc ritu multa esse ab Ecclesia mutata. Habemus ergo reum ipsum confitentem. Hoc.n. illud ipsum est, quod querimur, quod reprehendimus, quod accusamus, multa uidelicet à uestra ecclesia esse mutata, quæ nec debuissent mutari, & quę uobis, ut maximè hanc uobis potestatem sumpseritis, mutare haud quaq; licuit.

Operæprecium autem est audire, quomodo Asotus scoriam huius loci, tanquàm negocio optimè confecto, concludat. Nihil enim est hîc (inquit) quod ad necessitatem Sacramenti, uel præcepti immutabilis pertineat, Sed ritus est, & cærimoniæ. Hactenus uerba Soti. Quando uerò desines tandẽ, Sote, ineptire? Scilicet, quia cœna Domini ritus est & cærimonia, nec pertinet inter moralia, quæ sunt immutabilia (ut ego quidem uerba Soti intelligo) sed tantum inter cærimonialia, quæ sunt mutabilia, idcircò licebit uobis eam pro uestra libidine figere, refigere, constituere, rescindere, confirmare, infirmare, ędificare, destruere, adeoq; quadrata, ut ille ait, rotundis mutare? Christus filius Dei uoluit, instituit, ordinauit, ut cœna sua esset communio Ecclesiæ. Tuis ne Prælatis licebit, ut hanc filij Dei ordinationem peruertant, & dicant, eam obseruatu necessariam non esse? An nõ factu necessarium est illud, cuius præuaricatio punitur ejectione ex ecclesia? An non obseruatu necessarium est, quod Apostoli statuerunt? Vester autem Anacletus ejicit ex Ecclesia omnes eos ministros, qui peracta consecratione, non communicant: Peracta consecratione, inquit, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Nec immeritò. Non enim seruant statutum Apostolorum. Nec tenent, (ut addit Anacletus) quod sancta Romana Ecclesia tenet.

Quæ autem sit œconomia Cærimonialium, suprà dictum est. Etsi enim in cærimonijs necessitas suum habet locum, non tamen est in hominis arbitrio situ, ut diuinam earum ordinationẽ, iuxta suum arbitrium, & ad stabiliendam suæ dignitatis autoritatẽ mutare possit. Cærimonia erat, Sacrificare in eo loco, ubi erat arca propiciatorij. Nõ tamẽ licebat sacrificia

transferre

transferre ad quercus, & in Excelsa. Cærimonia erat, Altare æreum in templo. Non tamen licebat nec Regi Ahazo, nec Pontifici Vriæ transferre hoc altare ad latus templi, & in locum eius Altare Damascenum substituere. Cærimonia est, Baptismus, quem Christus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti utendum instituit, non tamen licet hominibus, ut eum uel abrogent, uel mutent, uel ad baptisanda pecora, aut tintinabula transferant. Sic & Cœna Domini cærimonia est, sed quæ tam sacrosancta est, ut anathema sit, qui communionem eius, quam Christus exigit, mutat in priuatam unius sacrificuli actionem. Non est igitur arbitrarium, sed necessarium, ut diuinæ cærimoniarum ordinationes, pro sua ratione, inuiolatæ seruentur.

Deinde recitat Confessio Principis Canonem concilij Antiocheni: Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei &c. Hic Asotus agnoscit quidem Concilium Catholicorum Episcoporum, sed cùm Canon dicit: Auersantur sanctam assumptionem Dominici Sacramenti secundũ aliquam propriam disciplinam, interpretatur, & dicit Canonem non loqui de ijs, qui non communicant sacramento, sed qui auersantur (cauet autem Sotus, ne alia, quàm Canonis uerba in expositione recitet, ut uanitas eius nõ deprehendatur) sanctam assumptionem Dominici sacramenti, secundũ aliquam propriam disciplinam. Et hos (inquit) constat esse hæreticos & schismaticos. Quantum igitur ex commutatione Soti intelligi potest, hæc uidetur esse sententia eius, quòd Canon ejiciat ex Ecclesia, non eos, qui cùm ingrediuntur orthodoxi Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non tamen sumant unà cum Ecclesia sacramentum cœnæ Dominicę, Sed qui praua quadam, & hæretica opinione uel damnant ipsam sacramenti communionem, uel non ipsi eam sumunt. Qui autem tales sunt, eos ne nos quidem probamus. Quis enim hominem hæreticum, aut schismaticum non auersaretur, tantum abest, ut eum ad sumendam cœnam Dominicã, priusquàm ageret pœnitentiam, inuitaret? Extant uerò haud obscura argumenta, Canonem Antiochenum non loqui de hæreticis & schismaticis, sed de Catholicis ac fidelibus, qui cùm intersint concioni & orationi, discedunt priuata quadam uel temeritate, uel ignauia, uel superstitione, uel alia illegitima causa, ex ecclesia, priusquàm sumant unà cum ecclesia sacramentum cœnæ Dominicæ. Nam pro eo, quod secunda æditio horũ Canonum habet, (Auersantur sanctam assumptionem Dominici Sacramenti secundum aliquam propriam disciplinam) prima æditio sic habet, Pro quadam intemperantia se à perceptione sanctæ communionis auertunt) Hic apertè notantur, non hæretici, nec schismatici, sed intemperantes. Et uerisimile est, Concilium Antiochenũ planè idem uoluisse statuere, quod Anacleto adscribitur, quemadmodũ antea ostendimus, & quod ex Chrysostomo suprà recitauimus: Non es dignus, inquit Chrysostomus, hostia & participatione, certè nec; oratione dignus es. Et iterum: Omnis qui non participat mysteria, impudens & procax est, qui astat.

Sed fingamus Concilium Antiochenum loqui tantum de hæreticis & schismaticis, Sotus illud solum obtinebit, nos Concilium Antiochenum non in suo loco allegasse, non autem obtinebit, quod instituit. Si enim Canon Concilij Antiocheni aut obscurus est, aut est ad hoc nostrum institutum impertinens, certè debuisset Asotus consulere eos Canones, qui Apostolis adscribuntur. Ex quibus, cùm sint perspicui & manifesti, facilè potuisset intelligere, quòd ueteres expulissent ex ecclesia, non tantum

hæreticos & schismaticos, uerumetiam catholicos & fideles (ut loquí só/lent) quí cùm præsto adsint publicæ precationi, non unâ sumunt cœnam Dominicam. Sunt autem eorum Canonum dũo, quorum alter est de Clericis, alter de Laicis.

Si quis Episcopus aut Presbyter aut diaconus, aut quicunque ex sacer/dotali ordine, oblatione facta, non communicauerit, causam dicito. Et si bona ratione subnixa sit, ueniam promeretor. Sin minus dixerit, à com/munione excluditor, tanquàm quí populo autor offensionis fuerit, mota contra eum, quí obtulit, suspicione. Et mox.

Omnes Fideles, quí ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, nõ autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, uelut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenít communione priuari.

Etsi autem non est ignotum ueræ Ecclesię Dei, quantum tribuendum sit his Canonibus, tamen utimur eis, non ut dogmatibus, sed ut historijs, siue ueris, siue uerisimilibus, ex quibus manifesta fraterculorum impu/dentia cõprobetur. Quid.n. nunc habes Sote, quo uanitatẽ tuam excuses? Vides ex his Canonibus, nõ tantum hęreticos & schismaticos, uerũetiam Catholicos Clericos & Laicos, quí cùm prẹsto adessent precationi, nõ unà cum Ecclesia Cœnam Dominicã sumebant, ex Ecclesia eiectos fuisse.

Sed perstringamus etiam eas ineptias, ad quas Sotus in excutiendo te/stimonio Dionysij abit. Etsi enim digniores sunt, ut rideantur, quàm ut alicuius momenti habeantur, tamen producendæ sunt in medium, ut & hoc exemplo cognoscamus, quàm diligenter fraterculi sequantur regulã, in exponendis dictis sacræ scripturæ & ueterum autorum, à Cusano tradi/tã, quæ & suprà à nobis recitata est, uidelicet, quòd scriptura sit ad tempus adaptanda, & uariè intelligenda, ita ut uno tempore secundũ currentem uniuersalem ritũ exponatur, mutato autem ritu iterum sententia mutetur.

Ac primùm objcit nobis, quòd hoc loco affirmemus absq; dubitatio/ne Dionysium esse autorẽ eius libri, cuí titulus est, De Ecclesiastica Hierar chía, cùm aliâs de eo dubitemus. Miranda est huius hominis incogitantia aut potius uertigo. An non enim multi fuerunt Dionysij? Acta Apostolo rum faciunt mentionem Dionysij Areopagitę, quí ex concione Pauli cre didit in Christũ. Ecclesiasticæ historiæ affirmant alium fuisse Dionysium, pastorem Ecclesiæ Corinthiorum, alium Episcopum Alexandriæ, alium Eremitam, alium successorem Xysti Pontificis Romani. Et quis omnes Dionysios, non dico Ethnicos, sed tantum Ecclesiasticos enumeraret? Nõ igitur negamus, quin autor libri de Ecclesiastica Hierarchia, uocatus sit Dionysius, sed illud negamus, quòd certum sit, Dionysium illum Areo/pagitam Athenienscm, cuius Acta Apostolica capite 17. mentionem fa/ciunt, autorem esse eius libri, quí extat de Ecclesiastica Hierarchia, & ritũs illos, quos describit, fuisse temporibus Apostolorum in Ecclesia usitatos? cuius sententiæ multa sunt probabilia argumenta, quæ aliâs copiosè enu/merantur. Quare uideat Asotus, quos ipse antiquos Patres, & quam eccle siam sequatur, Nos ex scripto ipso, & ex collatione temporum, de autore & ritibus ab eo descriptis iudicamus, nec moramur, quid pro suo quisq; priuato arbitrio probet aut improbet.

Deinde, cùm Sotus accedit ad expendendum locum Dionysij, ubi di/citur, (Sumpta denicq; atq; OMNIBVS tradita cõmunione diuina &c.) ibi uertit se, ueluti chamæleon quispiã in uarias formas. Arripit enim uo/cabulum

tabulum (OMNIBVS) & dicit: Ibi similiter de Ministris tantũm mentio præcessit. Quare de his tantum fortè intelligendum. Si quis autem diceret, hoc esse manifestũ mendacium, num peccaret? Non enim precedit tantum mẽtio de Ministris, uerumetiam de plebe. Sic enim habet textus Dionysij. Posthæc extra delubrum Catechumeni fiunt, & cum ipsis Energumeni, & ij quoq; qui in pœnitentia sunt. Ac sequitur: Μένουσι δὲ τῆς τῶν θείων ἐποπτίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. (hoc est) Manent autẽ diuinorum spectaculo & cõmunione digni. Hoc certè nõ tantũ de sacerdotibus, seu Ministris, uerumetiam de plebe intelligendum est. Nam de Ministris mox additur, τῶν λειτουργῶν δὲ οἱ μὲν ἔσω παρὰ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας, οἱ δὲ ἄλλοτι τῆς οἰκείας τάξεως ἐντρυγοῦσιν. Hoc est, Ministrorũ autem, alij quidẽ pro clausis templi foribus adstant, alij autẽ aliud quiddam eorũ, quæ sunt sui ordinis perficiunt. Quare, quod postea dicitur diuinam cõmunionem OMNIBVS traditam, non tantum de Ministris, sicut Asotus balbutit, uerumetiam de ea plebe, quæ post eiectionem Catechumenorum, Energumenorum & Pœnitentium, ad sumendam Cœnam Domini remanfit, intelligendum est.

Sed quærit aliud quoq; effugiũ. Aut certè, inquiens, quod mos ipse loquẽdi satis ostendit, omnibus, qui cõmunicarunt &c. Scilicet periculum erat, ne, si Sotus nõ subueniret interpretatione sua Dionysio, existimarẽt, quòd Dionysius sentiret, in una cœna Dominica, cõmunionem nulli nõ tradi, siue præsens siue absens fuerit. At, n. bono sit animo Sotus. Nemo tam stupidus est, qui hoc ex Dionysij uerbis colligat. Sed illud est, quod Dionysius agit: Cõmunionem in una cœna tradi OMNIBVS, uidelicet, præsentibus, non solum ministris, uerumetiam reliquo populo, qui post eiectos Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes, cœnam in Ecclesia sumpturi, remanserunt. Et hanc esse sententiam Dionysij testatur etiam Canon, quem paulò antè recitauimus, OMNES FIDELES &c.

Sed fingamus φλυαρίας Soti constare, quid pugnat cum Confessione Principis, quæ illud agit, ut testimonio ueterum probet, Cœnam Dominicam non debere unius tantum sacrificuli actionem, sed Communionem Ecclesiæ esse. Siue ergo Dionysius loquatur in hoc loco de Ministris tantum, siue etiam de reliqua plebe, certè docet cœnam Dominicam non fuisse priuatam unius sacrificuli actionem, sed publicam ecclesiæ communionem, nisi fortè Sotus sentiat eos Ministros, qui unà cum Pontifice cõmunicârunt, non esse, in suo gradu, ecclesiam, cùm Christus duos aut tres in nomine suo congregatos significet esse ecclesiam, & Paulus uocet familiam pij patrisfamilias, Ecclesiam.

Sed unum adhuc reliquum est, quod remoratur Sotum, pium & religiosum uirum, à priuatæ Missæ abrogatione. Cur enim, inquit, si solus sacerdos in pago paratus sit communicare, auferetur ab eo celebrandi facultas, ubi & pro ecclesia orat, & non dubium, quin eius nomine orationes & oblatio accepta sit Deo? Cur ergo his omnibus priuabitur ecclesia? O uirum prouidum, & non solum pro sacerdotum paganorũ, uerumetiam pro uniuersæ ecclesiæ salute sollicitũ. Scilicet sacerdos non potest pro sua Ecclesia orare, nisi sacrificet Missam? Sed cur sacerdos, chrismate sanctificatus, penderet à prophanis rusticis, nec sumeret cœnam Domini, nisi sumentibus etiã rusticis? Baptiset ergo sacerdos, nullo baptismum sumẽte. Et concionetur, nimirũ statuis & lapidibus, nullo rusticorũ præsente. Cur autẽ Sotus non tam pro Vrbanis, quàm pro paganis sacerdotibus sollici-

tus est? Ingens uidelicet damnum, & irrecuperabilis iactura, si ecclesia priuetur Missis sacrificulorum. Si uerò uis audire, quod res est, tanta est uestrarum, Sote, Missarum utilitas, ut quemadmodum quondam Deus afflixit Regnum Israelitarum seueriſsimè, propterea quòd immolarent uictimas & adolerent incensum, in Excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso, ita abstulit hactenus à nostris Regibus & Principibus maximā partē Romani Imperij, & quæ adhuc supersunt reliquiæ, sic satis exiguæ, maximis omnium periculis, propter impietatem uestrarum Missarum expositæ sunt. Sic iuuatis uos Missifices Ecclesiam & Imperium eius. Nisi fortè de illa utilitate loquamini, quòd Missę priuatæ afferant uobis coram superstitiosis hominibus dignitatem, impleant marsupia uestra pecunia: instruant culinas uestras omni lautissimorū ciborū genere, saginent cōcubinas uestras, & reddant uos ab omnibus ciuilibus oneribus liberos. Hac certè in parte, fateor, mirificā esse uestrarum Missarū utilitatem. Sed nondum sol omnium dierum occidit, & tempus declarabit, qualis hæc sit utilitas. Quare (sicut Confessio Principis hunc locum concludit) arbitramur autoritate Christi filij Dei, & rationibus hactenus enumeratis, necessariū esse, ut ad conseruandam in celebratione Eucharistiæ, institutionem Christi, & ad sectandum exemplum ueteris ac ueræ Catholicæ Ecclesiæ, abrogentur priuatæ sacrificulorum Missæ, & restituatur publica cœnæ Dominicæ communio.

Venio nunc ad Oblationem, hoc est, ad aras & focos fraterculorum. Nisi enim Sotus, ac reliqui Iamnes & Mambres propugnēt, quoquo modo possunt, sacrificium Missarū, pro uiuis & mortuis, fieri nō potest, quin omnes sacrificulorum & fraterculorum aræ & foci maximè omnium frigeant. Quare nullus hic nec segniciei nec socordiæ, aut oscitantiæ locus.

Ac initiò dicit Sotus, ueram fidem Ecclesiæ esse, quòd Eucharistia, ut sacrificium, semper in Ecclesia pro uiuorum & defunctorum peccatis, & ad impetranda alia spiritualia & corporalia beneficia, offeratur. Et posteà: Qua oblatione (inquit) non dubitamus propiciationem & meritum Christi applicari uiuis & mortuis. Ac iterum: Quotidie peccamus, ideo quotidie egemus expiari â peccatis, & quia quotidie periclitamur, quotidie nobis Dei beneficia impetranda sunt, quod maximè facimus sistentes Christum Patri, & eius merita coram eo offerentes, ut propter ea nobis placetur.

Quod autem Sotus suis uerbis paulò obscurius significat, hoc Thomas Aquinas in libello, cui titulum fecit: De Sacramento Altaris cap. 1. (Etsi hunc libellum alij tribuunt Alberto Magno, sed cuiuscunque sit, certè recitat sententiam Asoticæ ecclesiæ) paulò clarius scribit. Secunda causa (inquiens) institutionis est sacrificium altaris, contra quandam cotidianam delictorum nostrorum rapinam, Vt sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito Originali, sic offeratur iugiter pro nostris cotidianis delictis in altari, & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum, super omnia legis sacrificia, precioſum & acceptum. Hactenus Thomas.

Habes sententiam Sophisticæ ecclesiæ de suo Altaris sacrificio, Sed quomodo secum ipsa conueniat, nondum præ mea tenuitate intelligere possum. Si enim sacrificium crucis, quod uocant cruentum, & sacrificium altaris, quod uocant incruentum, ita inter se distinguuntur, ut illud quidem oblatum sit ad expiandum peccatum originale, hoc autem offeratur ad expian-

ad expianda peccata quotidiana, quid est, quòd applicetur non uiuis tantum, uerumetiam mortuis? An mortui nõ acceperunt, cùm adhuc uitam in terris agerent, remissionẽ peccati Originalis per Baptismum? Quid ergo est, quòd sacrificium cruentum applicetur adhuc eis per sacrificium incruentum? Et si peccata quotidiana expiantur per sacrificium Altaris incruentum, cur toties pro defunctis sacrificatur? Cùm enim defuncti desierint iam peccare, uidentur uno altaris sacrificio ita expiari, ut deinceps nullo altero, aut anniuersario indigeant; nisi fortè incertum sit, num meritũ Christi uno altaris sacrificio rectè ac sufficienter defunctis applicetur. Sed vulgò dici solet, eos, qui de longinquis regionibus miranda narrant, impunè mentiri, quòd ab alijs, qui alienas regiones non peragrarunt, mendacij coargui non possint. Sic & fraterculi securè de sua applicatione, quę fiat defunctis in Purgatorio alterius seculi, mentiuntur, propterea quòd alterum & spirituale seculum, in quo fingunt Purgatorium, multò magis distet ab hoc externo & mundano seculo, quàm Germania ab India, aut potius quàm cœlum à terra. Ac sacræ quidem literæ, quæ sunt oraculum spiritus sancti, patefaciunt nobis satis perspicuè, ea, quæ nobis ad ueram & æternam salutem cognitu sunt necessaria, non extat autem in ijs literis ullũ testimonium, quo comprobetur, meritum Christi applicari defunctis per sacrificium Altaris. Cùm igitur sacrificuli & fraterculi susceperũt peregrinationem ex hoc mundo, ad purgatorium alterius mundi; & aliquandiu ibi uersati sunt, ac reipsa fortassis compererunt, applicationem ipsorum defunctis non gratam tantùm, uerumetiam necessariam esse, quis est, qui ad tam longinqua profectis, & tantarum rerum expertis fidem non adhiberet? aut eos mendacij arguere auderet? Sed ad rem.

Dicunt Christũ non sacramentum tantũ, uerumetiam sacrificium corporis & sanguinis sui instituisse. Vbi, quęso, hoc instituit? In nouissima sua cœna, quando cum discipulis suis, iam crucem subiturus, recubuit. Fingamus hoc interim uerũ esse. Falsum igitur est, quòd affirmant fraterculi, se corpus & sanguinẽ Christi in suis Missis sacrificare. Ostendimus.n. antea, quòd Missa fraterculorum, nõ sit uera Domini cœna, sed ficticium hominũ opus, quod cum uera cœna Domini pugnet. Quare, etiamsi Christus instituisset sacrificium corporis & sanguinis sui in cœna, tamen, cùm sacrificuli non habeant in Missis suis ueram cœnam Domini, non habent etiam in ijs sacrificium corporis & sanguinis Christi, nisi fortè tale habeant sacrificium, quale fecit apud Homerum Vlysses, ad quod,

αἵδ' ἀγέροντο
Ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβους νεκύων κατατεθνειώτων,
Νύμφαι τ' ἠίθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες,
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι.

Relinquamus igitur Fraterculis magica sua sacrificia, quibus defunctorũ manes non ex inferis tantum euocant, sed etiam in cœlo collocant. Nos cœnã Domini nostri Iesu Christi considerabimus, & quanquàm uera Ecclesia populi Dei hactenus tot eruditis nostrorꝝ scriptis satis edocta est, quòd Christus non sacrificauerit iuxta fraterculorũ sententiam, in cœna, corpus & sanguinẽ suum, pro peccatis nostris, sed instituerit sacramẽtum, quo fieret publica mentio sacrificij sui, quod semel in cruce peregit, & quo dispensarentur ecclesiæ corpus & sanguis eius, tamen perstringemus ea, quæ Sotus hoc loco recitat, non quòd speremus fraterculos sua sacrificia abiecturos, nisi si quando impleatur in ipsis, quod Dominus per

Ezech.5. Prophetam ait: Ecce ego (inquiens) inducam super uos gladium, & dispe
dam excelsa uestra, & demoliar aras uestras, & confringentur simulacra
uestra, Sed ut nostri pergant uerũ usum cœnæ Dominicæ retinere, & ma
gica fraterculorum sacrificia quàm contento possunt cursu fugere.

Hæc fides (inquit Sotus, de sacrificio Missarum pro peccatis uiuorum
& mortuorum) satis indicata est à Christo Domino dicente: Hoc facite in
meam cõmemorationem, cùm præcessisset non tantũ de Consecratione,
sed etiam de oblatione mentio. Hoc est (inquit) corpus, quod pro uobis
tradetur, & sanguis qui pro uobis effundetur. Et postea: Hoc facite. Ha
ctenus Sotus. Vult ergo Christum his uerbis instituisse in cœna sua sacri
ficium pro peccatis uiuorum & mortuorum.

Cusanus in Epistola secũda, de usu communionis ad Bohemos.

Hic iterum nobis in mentẽ ueniat eius Canonis, quem tradit Cusanus,
Scripturas esse ad tempus adaptatas, & uariè intellectas, ita ut uno tempo
re secundũ currentem uniuersalẽ ritum exponerentur, mutato ritu, iterũ
sententia mutaretur. Et: Fatuum esse argumentũ, uelle uniuersalẽ ecclesię
ritũ ex scripturis prædecessorũ arguere. Hic est memorabilis Canon, quẽ
& Sotus in præsentia sequitur. Tẽporibus enim Apostolorũ, & primitiuę
Ecclesiæ, cœna Domini nondum erat sacrificium pro peccatis uiuorũ &
mortuorũ, Sed erat uerè, quod dicebatur, cœna, hoc est, Cõmunio, in qua
& Mors Domini adnunciabatur, & corpus ac sanguis Christi Ecclesiæ dis
pensabantur. Quare ijs temporibus uerba cœnę: Hoc est corpus meũ &c.
Hic est sanguis meus &c. Hoc facite in mei cõmemorationem, nondum
nec intelligebantur, nec exponebantur de sacrificio, quo expiarentur co
ram Deo peccata uiuorũ & mortuorum. Postquàm autem temporibus
fraterculorum Cœna Domini nõ est amplius cœna, sed mutata est in Mis
sam, in qua corpus & sanguis Christi sacrificentur sub speciebus panis &
uini pro uiuorum & mortuorum peccatis, uerba etiam cœnæ iuxta hunc
currentem uniuersalem ritum exponenda sunt, ut mutato ritu, sententia
quoq; mutetur, ac fatuum sit, uniuersalem illum ecclesiæ fraterculorum
ritum ex scripturis prædecessorum, (inter quos Christus ipse, & Apostoli
eius continentur) arguere. Quid ergo nunc nobis ad cognoscendum ue
rum æternæ nostræ salutis fundamentum deesset? & quibus firmioribus
argumentis sacrificium Missarum stabiliri posset?

Quòd autem Sotus allegat ad confirmandum suum sacrificium, uer
ba Christi in cœna, existimo eum non seriò, sed honoris tantum gratia fa
cere. Quæso enim te, quod ibi est uerbum, quo significetur Christum, se
ipsum in cœna sacrificare? Accepit (inquiunt Euangelistæ, & Paulus) pa
nem. Quid? Accipere, est ne sacrificare? Gratias egit seu benedixit. Nec
hoc quidem est sacrificare, qualiter quidem nunc uerbo sacrificandi uti
mur. FREGIT. Frangere autem non est sacrificare, sed diuidere, seu
dispensare. DEDIT DISCIPVLIS. Non sacrificauit Deo Patri,
sed dedit discipulis. ET DIXIT, ACCIPITE, COMEDITE.
Non dixit: Accipite & sacrificate, sed comedite. HOC EST COR
PVS MEVM, QVOD PRO VOBIS TRADETVR.
Sic quidem legit Asotus & ecclesia eius, Sed uera lectio pro Tradetur, ha
bet DATVR, aut iuxta Paulum, FRANGITVR. Hic fortassis
putat Sotus significari sacrificium corporis, ut sit DATVR, pro offer
tur Deo Patri sub speciebus panis. Sed cum hac sententia manifestè pu
gnat textus, quo Sotus & ecclesia eius utuntur. Non enim dicit: Tradi
tur, in præsenti, sed TRADETVR, uidelicet in futuro. Sicut & postea
de sangui-

de sanguine in Asotico textu dicitur in futuro, EFFVNDETVR. Ex quibus uerbis futuri temporis, quibus Maiores nostri usi sunt, manifestè intelligitur, quòd Christus non sentiat, se in præsentia offerre Deo Patri corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & uini, pro peccatis hominum, sed se offerre & dare discipulis suis uescendum corpus suum, quod paulò pòst tradendum sit in crucem & mortem, ac bibendum sanguinem suum, qui mox pro peccatis humani generis in cruce sit effundendus.

Quanq; autẽ Sotus fortasis nõ ignoret pro his uerbis futuri temporis, in uero textu haberi uerba præsentis temporis, DATVR, FRANGITVR, EFFVNDITVR, tamen nõ ausus fuit, relicta ueteri lectione, nouam sequi, ne uideatur peccare in Synodũ Tridentinam, quę solam ueterẽ tralationem, ut autenticam confirmauit, cùm interea nihilominus sentiat ea uerba debere esse præsentis temporis. Nisi. n. hoc sentiret, perspicuè nugaretur, quòd susciperet probandũ præsens sacrificium, ijs uerbis, quibus futurũ tantum significatur. Quæ est autẽ hæc religio, imò quæ pertinacia, manifestum errorem mordicus retinere, & tamẽ aliud corde sentire? Sed pergamus. Hoc FACITE (inquit) in meam commemorationem.

Quid? Num FACERE hoc loco est sacrificare Deo corpus & sanguinem Christi pro peccatis hominũ, sub specie panis & uini? Non ignoro quidem uerbum Faciendi, secundum circumstantias exponendũ esse: sed in cœna Domini nullũ prorsus uerbum præcessit, quod significet Christum sacrificasse & obtulisse Deo pro peccatis hominum sub speciebus panis & uini, corpus & sanguinem suum, quemadmodum antea explicuimus. Quare ex uerbo faciendi nihil minus probari potest, quàm quòd Christus iusserit corpus & sanguinem suum in cœna sub speciebus panis & uini, pro peccatis uiuorum & mortuorum, Deo Patri offerre.

Quid autẽ multis opus? Ne quidem Sotus ipse multum spei in his uerbis Christi, ad confirmandũ suum sacrificium collocat. Dicit enim: Quod ergo hic (uidelicet in uerbis Christi) indicatum est, tota ecclesia explicatius multò intellexit, nõ dubium, quin ab Apostolis, & plenarijs Cõcilijs accipiens &c. His uerbis significat Sotus Christum obscurè admodum locutũ esse, ecclesiam autẽ multò explicatius, fortasis, cq; Christum ipsum, intellexisse, & eam sententiã accepisse ab Apostolis & plenarijs concilijs. Hoc est purum putum (ut pace dixerim, nõ quidem Asoti: quid enim mihi cum pace hostis ueræ Ecclesiæ Dei? sed bonorum & piorũ omnium uirorum) mendacium. Vbi enim unq; Apostoli tradiderunt, quòd Christus iusserit corpus & sanguinẽ suum in cœna pro peccatis uiuorum & mortuorũ, sub speciebus panis & uini, Deo Patri suo offerre? Heus tu Sote, ostende & proba certis & firmis testimonijs, hanc esse ueram Apostolorũ traditionem. Vbi etiam unquàm plenaria Concilia, quæ quidem fuerunt in primitiua ecclesia, ante exortam Pontificiarum Missarum superstitionem ac impietatem, tradiderũt tale in cœna Domini sacrificium, quale nobis impij Sophistæ & Fraterculi obtruserunt? Fecerunt quidem concilia alicubi mentionem incruenti, in cœna, sacrificij, sed negamus ea de tali sacrificio loqui, quale sacrificuli & fraterculi finxerunt. Quod tamen quale sit genus sacrificij, postea, uolente Deo, exponemus.

Sciamus igitur, Christum in cœna sua haudquaquàm instituisse sacrificium corporis & sanguinis sui, sub speciebus panis & uini, quod à sacrificulis Deo Patri oblatum, expiet peccata uiuorum & mortuorum, sed instituisse publicam commemorationem mortis suæ, ac Sacramẽtum, quo

corpus & sanguis eius nobis sumenda distribuerentur, ad confirmandam fidem nostram, & ad muniendam eam aduersus omnes assultus Satanæ. Cùm enim sumpsisset panem & uinum & gratias egisset, non dixit: Accipite, & sacrificate, sed, Accipite, Comedite, & Bibite. Nec dixit: Hoc est corpus meum quod debetis pro peccatis uestris & aliorum siue uiuorum siue mortuorum sub speciebus panis & uini Deo Patri offerre: sed, Hoc est corpus meum, quod pro uobis DATVR, uidelicet, non sub specie panis offertur, sed in mortẽ crucis datur, uel sicut Paulus recitat, FRANGITVR, hoc est, in præsentia dispensatur, mox crucifigendum. Et: Hic est sanguis meus, qui pro uobis EFFVNDITVR, uidelicet, non in calice, in quo eum uobis bibendum porrigo, sed in cruce, in qua eum ad expiationem peccatorum uestrorum profundo. Etsi enim Christus nondum, cùm in cœna esset, crucifigebatur, & sanguinem suum effundebat, tamen quia iam hoc tam consilijs Pontificum, quàm proditione Iudæ agebatur, ut mox caperetur, & ad crucem adigeretur, utitur uerbis præsentis temporis, sicut & aliâs, longius ante cœnam dixerat: Animam meam pono pro ouibus. Et: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, cùm tamen nondum peruenerat ad id tempus, quo dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et iterum: Filius hominis, inquit, uadit, sicut scriptum est de illo, cùm tamen adhuc cum discipulis suis discumberet. Præterea additur: HOC FACITE IN MEI COMMEMORATIONEM. Non dicit: In mei sacrificium. Et quod ait: Hoc facite, non obscurum quidem est, quòd his uerbis iuberet corpus & sanguinem suum in cœna pro peccatis uiuorum & mortuorũ sub speciebus panis & uini sacrificare, si hoc idem ipse fecisset, & præcedentibus uerbis ac ritibus se hoc facere testificatus esset. Nunc autem ostendimus, Christo talis fraterculorum sacrificij ne quidem unquàm in mentem uenisse, nisi si iuxta omnipotentiam suam præuiderit uenturos fraterculos, qui Cœnam suam mutaturi essent in diuersam & impiam actionem, & eò diligentius uerbis suis cœnam munierit, ut semper haberent, quo fraterculorum impietatem coarguere possent. Quare cùm dicit: HOC FACITE, non iubet eos sacrificare, sed illud iubet, quod Paulus perspicuè interpretatur: Quotiescunq; (inquiens) comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciate, donec ueniat. Iubet panem sumere, quod ipse fecit. Iubet benedicere, seu gratias agere. Hoc enim & ipse fecit. Iubet panem frangere, seu dispensare. Nam & hoc fecit. Iubet dicere, Hoc est corpus meum quod pro uobis datur, quia & hoc ipse fecit. Iubet edere, Comedite, inquiens. Nulla prorsus fit mẽtio de sacrificio fraterculorum. Et hæc omnia iubet facere illo consilio, ut publicè adnuncietur mors & fructus mortis eius, ac ecclesia admonita de morte Christi, & sumpto corpore ac sanguine eius, confirmetur fide sua, & certificetur de uera ac æterna sua salute.

Accedunt huc alia scripturæ testimonia, quæ non possunt ferre, ut uerba Cœnæ Dominicæ intelligantur de sacrificio, quod pro peccatis uiuorum & mortuorum, sub speciebus panis & uini, à fraterculis Deo Patri offeratur.

Hebr. 9. Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem ingressus est SEMEL in sancta, æterna redemptione reperta. Si Christus semel tantum per proprium sanguinem ingressus est in Sancta, & acquisiuit nobis, uno illo ingressu semel facto, æternam redem-

redemptionem, fieri non potest, ut in Missa, sub speciebus panis & uini, sæpius ingrediatur in Sancta, & expiet peccata nostra.

Et iterum: Non in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis, non ut sæpius offerat semetipsum. Si Christus semper apparet in conspectu Dei, & apparet, non ut sæpius semetipsum offerat, sed ut nos oblationis semel pro nobis factæ participes reddat, uanissimum est, quod sacrificuli dicunt, se corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & uini, ad expianda peccata hominum, toties conspectui Dei Patris offerre, quoties Missas suas celebrant. Quasi uerò Christus non appareat in conspectu Dei, nisi cùm sacrificuli Missas suas secum mussitauerint, & panẽ acuinum in altum sustulerint.

Ac rursus: Absq; sanguinis effusione non fit Remissio. In Missa autem fraterculorum, nõ fit sanguinis effusio, nisi si fortè humanum sanguinem dato ueneno profundant, quod à nonnullis factum esse ferunt. Non potest igitur in Missa fraterculorum esse remissio peccati.

Et cap. 10. Christus VNA pro peccatis uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei. Et mox: VNICA oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Si Christus expiauit peccata nostra perfectè, & in perpetuum, VNICA uictima & oblatione, nõ habent sacrificuli ullam legitimam causam, cur toties sacrificia Missarum suarum repetant. Vetera enim legis sacrificia idcircò toties repetebantur, quòd nunquàm potuerint accedentes perfectos reddere. Alioqui, inquit Apostolus, nónne desijssent offerri? Cùm igitur sacrificuli Pontificij toties repetant sacrificia Missarum suarum, manifestum est, quòd nunquàm afferant uel factoribus uel spectatoribus suis perfectam peccatorum remissionem, alioqui iamdudum Missas suas intermisissent.

Et iterum: Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inscribam eas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius. Porrò, ubi horum est remissio, non est amplius oblatio pro peccato. Cùm ergo nunc sit tempus noui Testamenti, tempus acceptum, & dies salutis, perspicuum est, quòd nullum amplius debeat sacrificium pro peccatis fieri, sed quòd debeamus unico illo Christi sacrificio per fidem frui,

Etsi autem hæc sunt satis perspicua, tamen fraterculi quærunt effugia. Dicunt se in Missa non aliam hostiam sacrificare, quàm quę in cruce oblata est, ideoq; eam eundẽ habere effectum. Sed idem potuissent sacrificuli Mosaici obijcere, uidelicet, se alia quidem atq; alia pecora singulis diebus offerre, eundem autem semper Christum, & idem sacrificium Christi adumbrare. Nihilominus tamen Apostolus ait: Lex his hostijs, quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquàm potest accedentes perfectos reddere. Alioqui nónne desijssent offerri? Sic & sacrificuli Pontificij, & si affirmant se, alium quidem & alium panem sumere, idem autem semper corpus Christi offerre, tamen reprehenduntur uerbis Apostoli, quòd, si offerunt perfectum sacrificium, offerre non desinant.

Sed inueniunt fraterculi apud ueteres scriptores rimam, qua se de manibus horum testimoniorum scripturæ elabi posse sperant. Cùm enim Synodus Ephesina & Cyrillus uocent Eucharistiam, cultum incruentũ, solent sacrificuli sacrificium Eucharistiæ à sacrificio crucis ita distinguere, ut alterum sit cruentum, alterum incruentum, ac sentiunt cruentum qui-

dem ſemel in cruce peractum, nec unquàm repetendum. Incruentum autem in Miſſa ſingulis diebus repetendum, quòd ſingulis diebus peccamus. Conſideremus igitur, quòd ſi hæc uerba inſpicias, utrumq; non impiè dici poſsit. Nam & nos fatemur: Cruentum ſacrificium ſemel peractũ in cruce, nunquàm amplius tali modo repeti poſſe, Incruentum autem ſemper in Eccleſia uſq; ad nouiſsimum huius ſeculi diem repetendũ eſſe. Sed hîc eſt ſciendũ, quale ſit hoc incruentum ſacrificiũ, & in quem uſum nobis ſit commendatum. Loquimur autem in præſentia, non de ſacrificijs eleemoſynarum, fructuum, precum, hymnorũ, & aliarum id genus rerum, quæ non mactantur, & quæ etiam ipſa ſolent Incruenta ſacrificia dici, Sed loquimur de incruento ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti. Huius enim Incruenti ſacrificij duæ tantum ſunt ſpecies. Vna eſt publica commemoratio ſeu prædicatio de morte Chriſti, & de beneficio mortis eius, uidelicet, quòd Chriſtus mortuus ſit ad expiationem peccatorum noſtrorũ, ut reconciliati cum Deo Patre, adoptaremur in ius filiorum Dei. Hoc uerè eſt Incruentum ſacrificium, quod in cœna Domini ſemper eſt faciendum. Sic enim iuſsit Chriſtus & expoſuit Paulus: Hoc facite, quotieſcunq; biberitis in mei commemorationem. Quotieſcunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciate, donec uenerit. Mortem, inquit, Domini adnunciate. Hoc certè eſt incruentum ſacrificium facere. Quod cùm fraterculi in Miſsis ſuis non faciunt, non habent etiam ueram cœnam Domini. Porrò, ſub hac ſpecie comprehendo etiam publicam Miniſtri gratiarum actionem pro beneficio mortis Chriſti, & inuocationem, qua Miniſter petit, ut Eccleſia beneficio corporis & ſanguinis Chriſti uerè fruatur.

Altera ſpecies incruenti ſacrificij fit priuata cuiuſq; fide, qua qui credit Euangelio de morte Chriſti, confidit ſe habere propter hanc mortem, remiſsionem peccatorum ſuorum, & inuocat Deum, ut propter mortem filij ſui conſeruet ipſum in omnibus aduerſis, & perducat illæſum per horrores mortis ad ueram & æternam uitam. Hæ duæ incruenti ſacrificij ſpecies rectè dicuntur filium Dei ſiſtere Patri ſuo, non quòd iamprimùm filius Dei antea uel abſens, uel abſconditus, in cõſpectum Dei producatur: Sedet enim ſemper ad dexteram Dei Patris, & intercedit pro nobis, Sed quòd nos ipſi iam ex Euangelio Chriſti per ſpiritum ſanctum excitemur, ut maiorem fiduciam ex morte Chriſti, & ſeſsione eius ad dexteram Dei, de remiſsione peccatorum noſtrorum concipiamus, & Deum pro æterna noſtra ſalute, certiori fiducia inuocemus, atq; gratias agamus. Cæterũ hoc incruentum ſacrificium, præcipuè quidem peragitur in cœna Domini, non eſt autem ad Cœnam alligatum. Vbicunq; enim, & quandocunq; prædicatur de Chriſto & morte eius, ac creditur in Chriſtum, & aguntur Deo gratiæ, quòd nobis Chriſtum filium ſuum donauerit, ibi Chriſtus ſacrificatur, & ſiſtitur Deo Patri, incruento modo, ut non tantum Miniſtri Eccleſiæ, uerumetiam Eccleſia ipſa, hoc eſt, ſingula membra eius ſiſtant pro peccatis ſuis Deo Patri Chriſtum Dominum noſtrum.

De alia autem quadam incruenti ſacrificij ſpecie, quam fingunt fraterculi, uidelicet, quòd corpus & ſanguis Chriſti ſacrificẽtur in Miſſa, ſub ſpeciebus panis & uini, ad expianda, hoc opere, peccata uiuorum & mortuorũ coram Deo, nullam prorſus nec Chriſtus ipſe, nec Apoſtoli, nec Patres uetuſtioris Eccleſiæ mentionem faciunt, niſi fortè tunc eam ſpeciem intelligant, cùm dicunt abominationem deſolationis ſtaturam in loco ſancto, &

ctō,& Antichriſtum uenturum ſecundum operationem Satanæ, cum omni potentia,& ſignis,& prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ. Manifeſtum igitur eſt, quòd quæ fraterculi de tertia illa incruenti ſacrificij ſpecie, quam modò recenſuimus, ſomniant, meræ ſint nugæ,&,ut Græci loquuntur, λῆρος πολύς.

De phraſibus & locutionibus,quibus ueteres in deſcribenda cœna Domini utuntur,facilis eſt dijudicatio, ſi cum ſententia uerborum Chriſti,& uſu uetuſtioris Eccleſiæ conferantur.

Ambroſius dicit:Si quotieſcunq; effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur,debeo meritò ſemper accipere,quia ſemper peccо,debeo ſemper accipere medicinam.

Paſchaſius dicit:Quia quotidie labimur,quotidie Chriſtus myſticè pro nobis immolatur,& paſsio Chriſti in myſterio traditur.

Hæc & ſimilia Patrum dicta, ſi non iuxta fraterculorum deprauationes,ſed ſecundum ſententiam uerborum Chriſti, & analogiam fidei intelligantur,nihil habent incommodi. Non enim ſentiunt, quòd corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & uini in Miſſa, Deo Patri ita offeri debeant,ut peccata noſtra,merito huius operis,expient. Hæc enim ſententia pugnat cum uniuerſo ſtatu Euangelij, quo traditur, quòd Chriſtus unica tantum cruenta ſua oblatione expiauerit noſtra peccata, nec ſit alia oblatio ſiue cruenta,ſiue incruēta, qua peccata noſtra expiari queant. Sed illa eſt Patrū ſententia,quòd cùm frequenter ex infirmitate carnis collabimur in peccata,frequenter etiam cœna Dominica celebranda ſit,ut ex cō memoratione mortis Chriſti,& ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti, confirmemus fidem noſtrā,qua credimus peccata nobis propter Chriſtū remitti,& excitemur ſpiritu ſancto ad mortificationē carnis. Hæc eſt immolatio,qua Chriſtus pro nobis myſticè offertur,ſicut Paſchaſius dicit,& hæc eſt medicina,quā ſemper debeo accipere, ſicut Ambroſius loquitur.

Sed nec illa locutio:Corpus & ſanguis Chriſti offeruntur in Cœna pro peccatis uiuorū & mortuorum, per ſe eſt impia & abſurda, ſi rectè & piè, iuxta ſenſum uerborum Chriſti, & analogiam fidei intelligatur. In Cœna enim fit publica commemoratio (quæ eſt incruenta oblatio)Sacrificij, quod Chriſtus ſemel in cruce peregit pro peccatis,non ſolum eorum hominū,qui tunc uita ſua ſuperſtites erant,uerumetiam eorū, qui iam antea in Chriſto obdormierant,qui fuerunt Patriarchæ,Prophetę,& alij pij.Sic & his tēporibus cœna Domini eſt ſacrificium pro peccatis uiuorū & mortuorum,quia ibi fit commemoratio eius ſacrificij, quod expiauit peccata non tantum uiuorum,qui nunc ſunt in terris,& credunt in Chriſtum,uerumetiam mortuorum,qui ante nos uita ſua in Chriſto defuncti ſunt.

Apud Auguſtinum,Sacrificium corporis Chriſti eijcit dæmonia. Libet autem eam hiſtoriam,quæ extat De Ciuitate Dei lib. 22. cap.8. integram recenſere. Vir(inquit)tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt,habet in territorio Fuſſalenſi fundum, Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorū uim noxiam perpeti comperiſſet,rogauit noſtros,me abſente,presbyteros,ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti , orans quantum potuit, ut ceſſaret illa uexatio, Deóq; protinus miſerante,ceſſauit. Hactenus Auguſtinus. Hæc hiſtoria,ſi uera eſt,& non eſt ad Auguſtinū mendaciter delata, nec fuit uexatio à nonnullis domeſticis aut uicinis,nomine malignorum

ſpirituum, ut aliquoties fieri ſolet, excitata, nõ probat, opus ſacrificij, quo ſacrificulus putat ſe ſub ſpeciebus panis & uini offerre Deo Patri corpus & ſanguinem Chriſti, tantę eſſe efficacię, ut expellat ſpectra malignorum ſpirituum de domibus, ſed ſignificat potius, quanti momenti ſit pia precatio, cuius fides, celebratione cœnæ Dominicæ, hoc eſt, diſpenſatione & ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti, confirmatur. Non enim eſt obſcurum, quòd temporibus Auguſtini, offerre ſacrificium corporis Chriſti, non fuerit Miſsificare, ſicut fraterculi faciunt, ſed celebrare cœnam Dominicam, in qua fit cõmemoratio beneficij mortis Chriſti, ac diſpenſatio & ſumptio corporis & ſanguinis Chriſti, ut eccleſia, confirmata fide, accipiat conſolationem in aduerſis, & inuocet Deum pro liberatione. Itaq; dubium nõ eſt, quin, cùm presbyter Auguſtini dicatur in fundo Heſperij obtuliſſe ſacrificium corporis Chriſti, celebrauerit ibi cœnã Domini, & communicauerit familiam corpore & ſanguine Chriſti, ut in fide aduerſus malignos ſpiritus confirmati, coniungerent cum ipſo ſuas preces, & tanto ardentius Deum pro expulſione dæmonum inuocarent, quanto certiores de fauore Dei erga ſe, ex commemoratione beneficij mortis Chriſti, & ex ſumptione cœnæ Dominicæ fierent. Hæc ſententia, ut eſt pia, ita eſt & conſentanea inſtitutioni, & legitimo uſui cœnæ Dominicæ. Et hoc modo ſacrificatur corpus Chriſti apud ueteres non ſolum pro defunctis, & ad expellendos malignos ſpiritus, uerumetiam pro infirmis, pro fructibus terræ, contra tempeſtates, adeoq; contra omnia genera afflictionũ. Quare, non abominamur quidem ueterũ locutiones, ſi iuxta fidei analogiam intelligantur, abominamur autem fraterculorum impietatem, qui ſua de prauatione cogunt id uideri ueterum dictis contineri, quod ex uelamine oculis ipſorum impoſito, ante lectionem intelligendum præſumpſerunt.

Cæterùm, nondum uideo quid Sotus ſibi uelit, quòd cùm Confeſsio Principis dicit: Eccleſiaſticos ſcriptores intelligere, nomine ſacrificij memoriam, adnunciationẽ, ſeu prædicationem ſacrificij, addat ipſe in Scorijs ſuis: Memoriam, inquiens, ſeu prædicationem factam populo ſiue faciendam, non dicunt, ſed memoriam coram Patre, unde dicunt nos quotidie offerre debere &c. Et tamen mox poſt paucos uerſiculos ait: Cõmemorationẽ uocant Patres oblationes non coram populo tantum, ut uos eſtis interpretati, ſed etiam corã Deo &c. Hic concedit, quòd Patres uocent commemorationẽ etiam coram populo, cùm paulò antè negauerat eos affirmare Memoriam coram populo faciendam, ſed tantũ coram Patre. Quid hoc eſt, niſi manifeſta uertigo? Et quid Catholicis in mentem uenit, quòd talem Chamæleontem in Confeſsionẽ Principis emiſerint? Sed quia negare uidetur, quòd cùm Chriſtus dicit: Hoc facite in meam cõmemorationẽ, ſentiat mentionem, adnunciationem ſeu prædicationem ſacrificij, aut mortis ſuæ coram populo, in cœna faciendam, Et quòd Eccleſiaſtici ſcriptores per cõmemorationem intelligant memoriam ſacrificij coram populo, & ſi ſuprà explicatum eſt, agite tamẽ etiam nunc quædam dicemus, ut impudentia fraterculorum manifeſtior fiat. Ac initio ponamus in medio Paulum Apoſtolum, qui reliquos, qui ipſum ſequuntur ſcriptores, ita antecellit, ut ſi quis eorum aliud Euangelion prædicauerit, anathema ſit.

1. Corinth. 11.

Hoc facite, quotieſcunq; biberitis in mei commemorationem. Quotieſcunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciate, donec uenerit. ADNVNCIATE (inquit) mortem Domini.

Domini. Quid? Num Adnunciare non est publicam facere mentionem, & prædicare corã populo? Scilicet, cùm Paulus exponit illud Christi uerbum: Hoc facite in mei commemorationem, pro eo quod est adnunciare mortem Domini, significat cogitandum tantum esse in mente de morte Christi, aut lignis & lapidibus de ea prædicandum. Et quid? Num mors Christi non est sacrificium pro nostris peccatis? Cùm igitur mors Christi sit prædicanda in cœna, certè res ipsa exigit, ut memoria sacrificij eius sit facienda in populo. Quid enim? Num memoria sacrificij eius facienda tantum est coram Deo Patre? Siccine Deus Pater tam imbecilli est memoria, ut obliuiscatur unigeniti filij sui, semper ad dexteram suam assidentis & pro nobis intercedentis, nisi admoneatur à sacrificulo, de effuso quondam pro nobis sanguine eius?

Quòd si scriptores ecclesiastici non sentiunt, ut Asotus putat, memoriã seu prædicationem sacrificij Christi in cœna populo faciendam, non solum pugnant cum Apostolo Paulo, uerumetiam cogunt, quantum in ipsis est, Ecclesiam adhibere fidem gesticulatori muto. Qui enim celebrant coram populo Missam absque publica & aperta recitatione uerborum cœnæ, & prædicatione beneficij mortis Christi, uidentur quidem gesticulatores & susurratores, sed quia populus nec audit, nec intelligit, quid secum mussitent, pro mutis hac in parte agnoscat, necesse est. Quare, cùm Missifices nõ sint in cœna prædicatores, sed muti mussitatores, nõ potest nec debet eis certa adhiberi fides. Quid enim, si aut nihil uerborũ cœnæ secum dicerẽt? aut pro his uerbis magicum aliquod carmen recitarent? Ac profectò cœna Dominica est accipienda dignè, quemadmodum Paulus docet. Dignè autẽ accipitur, si uera FIDE accipitur. Fides autem est ex auditu, Et auditus per uerbum Dei. Necessarium igitur est, ut in cœna uerbũ Dei de morte Christi publicè adnuncietur, & audiatur, quo fides tam excitetur, quàm confirmetur. Sed audiamus nunc post Paulum, etiam Ecclesiasticos scriptores.

IVSTINVS APOLO. LIB. 2. PRO Christianis.

Post precationem nos salutamus osculo mutuo, deinde affertur præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus. Quibus acceptis laudem ac gratiarum actionem Patri omnium offert, per nomen filij, sanctiq; spiritus, atque ita Eucharistiam aliquandiu celebrat: post preces & eucharistiam totus cœtus accinit Amen.

Et mox.

Die solis urbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri potest, præleguntur. Deinde cessante lectore, præpositus uerba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum inuitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus. Quibus finitis profertur, ut diximus, panis, uinum & aqua. Tum præpositus quantum potest, preces offert, & gratiarum actiones, plebs uerò Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis, &c.

Ex hac Iustini narratione, quam & suprà recitauimus, & res ipsa postulauit, ut hoc loco repeteremus, multa sunt obseruanda, sed in præsentia duo sufficiant. Alterum est, quòd Iustinus non dicat præpositum obtulisse in cœna Deo Patri corpus & sanguinem Christi, sed preces & gratiarũ actiones. Alterum, quòd plebs soleat accinere Amen. Cùm autẽ Paulus ad Corinthios scribẽs dicat: Si benedixeris spiritu, is qui implet locum in-

docti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem? ac dubium non sit, quin Ecclesia, de qua scribit Iustinus, secuta fuerit admonitionem Pauli, manifestum est, quòd in Ecclesia præpositus seu Episcopus, publicè in cœna ita prædicauerit, & mortem Domini adnunciauerit, ut populus & audierit, & intellexerit. Quid ergo Sotus nugatur, scriptores ecclesiasticos non dicere, memoriam seu prædicationem non esse factam populo?

CHRYSOSTOMVS AD HEBR. HOMILIA 17.

Nónne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad Recordationem facientes mortis eius. Et una est hæc hostia, nō multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est illa, oblata est in sancta Sanctorum, Hoc autē sacrificium, τύπος, hoc est, exemplar est illius, &c.

Et mox.

Pontifex noster ille est, qui hostiam purificantem nos offert. Hanc offerimus & nunc, quæ tunc oblata non potest consumi. Hoc autem quod nos facimus, fit in commemorationem eius, quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem, non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idem semper facimus, magis autem commemorationem sacrificij operamur, &c. Hoc loco Chrysostomus manifestè interpretatur sacrificium pro Memoria sacrificij. Et quia suprà ex Paulo indicauimus Memoriam seu Commemorationem esse Adnunciationem mortis Christi, certè Chrysostomus, prædicationem in cœna faciendam esse populo, sentiat, necesse est.

AVGVSTINVS PSALM. 75.

Nónne quotidie NOBIS Christus immolatur? Et semel pro nobis Christus oblatus est, Cùm credidimus, tunc nobis fuit cogitatio. Modò autem reliquiæ cogitationis sunt, qua Meminimus quis ad nos uenerit, & quid nobis donauerit, ex ipsis reliquijs cogitationis, id est, ex ipsa memoria, quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innouet, qui prima gratia sua nos innouauit &c. Hic Augustinus primùm non dicit, Christum in cœna immolari Deo Patri, sed NOBIS. Quotidie, inquiens, NOBIS Christus immolatur. Et in Epistola 23, ad Bonifacium. Omni, inquit, die POPVLIS immolatur. Deinde affirmat cœnam esse Memoriam eius oblationis, quæ semel PRO NOBIS facta est. Modò (inquiens) reliquiæ cogitationis sunt, qua Meminimus quis ad nos uenerit, & quid nobis donauerit &c.

Et iterum, De fide ad Petrum diaconum cap. 18.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum uerbum carnē factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorē suauitatis, cui cum Patre, & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & sacerdotibus tempore ueteris Testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est, tempore noui Testamēti, cum Patre & spiritu sancto, cum quibus illi est una diuinitas, sacrificium panis & uini in fide & charitate, sancta Ecclesia Catholica per uniuersum orbem terræ, offerre non cessat. In illis enim carnalibus uictimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quē pro nobis idem Deus effudit. Et mox:

In

In illis ergo sacrificijs, quid nobis esset donandum figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit, euidēter ostenditur. In illis sacrificijs prænunciabatur filius Dei pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs ANNVNCIATVR occisus.

Ac iterum, contra Faustum, lib. 20. cap. 22.

Sacrificium laudis glorificabit me, & illic uia est, ubi ostendam illi salutare meum. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi, per uictimas similitudinum promittebatur, In passione Christi per ipsam ueritatem reddebatur, Post ascensum Christi per Sacramentum Memoriæ celebratur, &c. Et rursus, in Epistola ad Bonifacium.

Nempe sæpè ita loquimur, ut Pascha propinquante dicamus, crastinam uel perendinam Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omninò nisi semel illa passio facta est. Nempe ipso die Dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexit, tot anni tranſierunt. Et mox: Nónne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, Sed omni die POPVLIS IMMOLATVR, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim sacramēta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt &c. Ex his locis Augustini manifestum est, Primùm, quòd in cœna corpus & sanguis Christi immolentur, non DEO PATRI, Sed NOBIS. Etsi enim Augustinus dicit, quòd sancta Ecclesia non cesset offerre Filio cum Patre & Spiritu sancto, sacrificium panis & uini, tamen nō dicit filio offerri corpus & sanguinem eius, cùm prorsus non conueniat, ut filio suum ipsius corpus & sanguis offerantur. Deinde, quòd cœna Domini dicatur sacrificium, quia sit Memoria sacrificij. Postremò, quòd in cœna Domini debeat fieri publica adnunciatio mortis seu sacrificij Christi.

HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD CORINthios, 1. Corinth. 11.

Quotiescunque bibetis &c. Ideo hoc Saluator tradidit Sacramentum, ut per hoc semper commemoremus, quia pro nobis mortuus est. Nam & ideo, cùm accipimus à sacerdotibus, commonemur, quia corpus & sanguis est Christi, ut beneficijs eius non existamus ingrati &c. Hoc loco Hieronymus, siue ille Stridonensis, siue alius, affirmat sacramentū cœnæ traditum nobis esse, ut per hoc semper commemoremus Christum pro nobis mortuum esse, ac de hoc quoque, præter illam publicam commemorationem seu prædicationem, admoneamur priuatim à sacerdotibus, cùm corpus & sanguinem Christi accipimus. Reliquum igitur est, quòd cùm Sotus scribat, Ecclesiasticos scriptores non dicere, Memoriam seu prædicationem populo factam siue faciendam, aut nunquàm eos rectè inspexerit, aut uir sit summa impudentia & uanitate. Itaque non negamus quidem, quod ueteres uocent Cœnam Domini, Sacrificium seu Victimam & Oblationem, Sed negamus Cœnam dici sacrificium eo sensu, quo fraterculi tam uerba Christi, in cœna, quàm dicta ueterum scriptorum depranant, uidelicet, quòd corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & uini, Deo Patri ita sacrificentur, ut hoc sacrificuli, siue boni siue mali, siue pij siue impij, opus expiet coram Deo peccata tam uiuorum quàm mortuorum. Hæc enim sententia, ut est impia, ita uetustioribus scriptoribus

Ecclesiasticis adscribi non potest. Et si quis eorum sententiæ sacrificulorum patrocinari uidetur, habemus certiora ac firmiora dicta & scripta filij Dei ac Apostolorum eius, quibus si attenderimus, nihil nobis, propicio Deo, ad intelligendam ueram Dominicæ cœnæ rationem deerit.

Sed de his hactenus. Multas enim ineptias & nugas Soti sciens, ut sit aliquis huius scripti modus, prætereo. Applicemus autē nunc nos ad Applicationem meriti passionis Christi. Cùm enim Sotus de hac applicatione sententiam suam exponendam suscipit. Omni, inquit, Christiano opere, ex gratia scilicet prodeunte, applicatur nobis meritum passionis Christi. Et mox: Reuera omni pio opere, quod scilicet ex fide & charitate, atq; ideo ex diuina gratia fit, conformamur Christo, faciendo scilicet uoluntatem Patris. Ex hac uera ad Christum conformitate, prouenit nobis participatio meritorum eius. Habes uerba Soti. Sed hanc uanitatem eius, in priori Pericopa, in capite De satisfactione & partibus eius, satis copiose & perspicuè refutauimus. In præsentia, nōdum intelligere possum, quomodo Soticæ spinæ inter se connecti queant. Non enim est dubium, quin meritum passionis Christi, sit Remissio peccatorum. Traditus est, inquit Paulus, propter peccata nostra. Et: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Suprà autem dixit Sotus: Specialem illam fidē, qua statuimus nobis certò remitti peccata gratis propter solum Christum, esse contrariam ueræ fidei & scripturæ. Si ergo pugnat, iuxta Sotum, cum fide, cùm certò credimus nobis remitti peccata gratis propter solum Christū, quomodo Sotus certò credere potest, gratuitam peccatorum remissionem per solum Christum meritam, applicari nobis quouis bono opere? Nam, si certum est, quòd meritū passionis Christi, hoc est, Remissio peccatorum, applicatur nobis quouis bono opere ex gratia prodeunte, debet etiam Sotus credere, quòd habeat certò remissionem peccatorum propter solum Christum. Certus enim est, quòd faciat uel saltem aliqua bona opera, iuxta suam quidē sententiam, ex gratia, quibus fieri nequit, quin ipsi meritum Christi applicetur.

Quòd si autē dubitant ipse & fraterculi eius, se uel habere gratiam, uel facere bona opera ex gratia, pro quibus, obsecro, pugnant? & quorum nomine defendunt, meritum Christi applicari hominibus bono quouis opere? Num pugnant pro Petro tantum & Paulo, & alijs pijs, qui iam in Christo obdormierunt? Sed hi non indigent propugnatore Asoto. Num pro ecclesia Pontificia, adhuc, ut ipsi loquuntur, in his terris militante? Sed ad quemcunq; huius ecclesiæ alumnum perueneris, & interrogaueris, num certò sciat se habere gratiam Dei, & facere ex gratia bona opera, necesse habet (nisi uelit abnegare dogma suæ ecclesiæ) respondere: se non scire certò, sed dubitare. Quomodo ergo nō necesse haberet dubitare, num meritum Christi applicetur ipsi per quæuis sua bona opera?

Quòd si Sotus responderit, se non affirmare, quemuis hominem habere gratiam, & ex gratia facere bona opera, Sed illam adijcere conditionem, siquidem homo habuerit gratiam, & faciat ex gratia bonū aliquod opus, tum applicet sibi hoc opere meritum Passionis Christi, seu Remissionem peccatorum, age, expendamus & hanc sententiam, ac dispicia/mus, quomodo cum alijs dogmatibus Asoti conueniat. Aliâs enim dicit, quòd Ante remissum peccatum, nullum aliud sit meritum, q; damnationis. Quare, Si remissio peccatorum applicabitur homini per bonum opus, quod ex gratia proficiscitur, manifestum est, quòd anteq; homo bonum

num opus facit, non habeat peccatorum remissionem, ideoq; gratia, quę opus bonum præcedit, non sit aliud meritum, quàm damnationis. Quid enim tergiuersaris Sote? Tuum dogma est: Ante remissum peccatū non esse aliud meritum, quàm damnationis. Peccatum autem nondum est remissum, etiamsi gratiam habueris, nisi postquàm meritum Christi per bona opera tibi applicaueris. Erit igitur gratia, (hoc est) fides, Spes & Charitas, meritum damnationis. Hæ sunt spinæ, quibus Sophistica doctrina & Fraterculorum impietas Ecclesiam implicare studēt. Sed quia Dominus clementer nos respexit, & liberauit nos ex his Sophistarum ac Fratercu lorum spinis, tribulis et lappis, agamus ei summas gratias, & testificemur gratitudinem nostram quouis genere officij. Nam, quod Sotus ex Paulo recitat: Cohæredes Christi sumus, si tamen & compatimur, suprà explicatum est, Paulus enim non docet nos nostra compassione applicare nobis meritum Passionis Christi, sed docet, quid nos ex gratuita Dei clementia propter solum Christum assequamur, Si primùm crediderimus in Christum, quòd ipse solus expiauerit peccata nostra coram Deo: Deinde si ex hac fide ambulauerimus in uocatione Dei, & aduersa propter nomen eius patienter sufferamus. Falsum igitur est, quod Sotus dicit, Meritum Christi participari configuratione passionis eius, cùm nemo possit Passioni Christi uerè & piè configurari, nisi ante crediderit Passionē Christi esse expiationem peccatorum suorum, qua fide iam omnium meritorū Christi particeps factus est, priusquàm aliquid passionis propter Christum subijt.

In recitatione autem loci ex Philip. cap. 3. Sotus insignem exercet imposturam. Paulus enim dicit, Propter Christum omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciā, & inueniar in illo, nō habens meam iusticiā ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi &c. Et mox: Configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem &c. Hic addit Asotus. Vera igitur, inquiens, iusticia illa per configurationem Christi habetur. Hæc est aperta Sophistica, & deprauatio sententiæ Pauli. Paulus enim manifestē dicit, Non habens meam iusticiam ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi. Quibus uerbis opponit inter se iusticiam, quæ habetur ex meritis bonorum nostrorum operum, & iustiam, quæ habetur in Christo per fidem: ac illa quidē iustícia imperfecta est & sordida, etiamsi ex Spiritu sancto oriatur, quemadmodum sæpe exposuimus, hæc autem perfectissima est, & absolutissima. Nō enim est hominis, sed filij Dei, qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Fit autem Pauli, & omnium nostrūm, qui credimus solum Christū filium Dei expiasse peccata nostra coram Deo. Illam igitur priorem iusticiam Paulus ita contaminatam uidet, ut prorsus non audeat fiducia eius ad Thronum Dei accedere: hāc autem, alienam uidelicet, in Christo, sibi uero propriam factam, per fidem, ita amplectitur, ut eius solius fiducia ad tribunal Dei accedat. Et addit, quòd ex hac fide cognoscat, se, cū uarijs aduersis fiat conformis morti Christi, futurum etiam conformem Resurrectionis eius. Hæc est uera sententia Pauli.

Nunc ergo considera mihi hypocriticam Soti inuersionem. Quod ēm Paulus apertè tribuit fidei in Christum, Non habens, inquiens, meam iusticiam ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, hoc tribuit Asotus cōformitati Christi. Vera, inquiens, iusticia illa per cōfigurationem Christi habetur. Quid, obsecro, nobis cùm tam manifestis sententiæ Pauli corruptoribus negocij esset? Non est quidem dubium, quin cùm habemus ue-

ram fidem in Christum, & affligimur propter nomen Christi, habeamus etiam iusticiam, quæ est in Christo, hoc est, remissionē iniusticiæ nostræ, imputationem iusticiæ Christi, & adoptionem filiorum Dei, non autem habemus eam propter afflictiones, quas sufferimus, sed propter Christū ipsum, per fidem. Impudentissimæ igitur & præfractæ confidentiæ Sotus sit, necesse est, quòd deprauatione manifestæ sententiæ Pauli speret se lectorum oculos perstringere, & iudicia eorum fallere posse. Quid autem multis opus? Negari non potest, quin Remissio peccatorum, quæ est meritum passionis Christi, accipiatur tantùm à nobis per FIDEM in Christum. Nisi enim credideris, peccatorum remissionem non habebis. Arbitramur, inquit Paulus, hominē iustificari, hoc est, absolui ab iniusticia, & consequi remissionem peccati, FIDE, absq; operibus legis. Et iterum: Scimus non iustificari, seu ab iniusticia absolui hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. FIDES autem in Christum, non datur nobis, si usitatam Dei ordinationē considerauerís, alio organo, præterq; prædicatione Euangelij de Christo, quæ & sua habet Sacramenta. Fides, inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per Verbū Dei. Et aliâs, dicit Galatas Spiritum accepisse, non ex operibus legis, sed ex prædicatione fidei. Manifestum igitur est, quòd meritum passionis Christi, quod est Remissio peccatorum, non detur, aut non applicetur nobis, nisi per prædicationem Euangelij, & sumptionem eorum Sacramentorum, quæ prædicationi Euangelij diuinitùs sunt adiuncta.

Sed antequàm hunc locum de priuata Missa & applicatione concludamus, inspiciendum etiam erit, qua industria Sotus eludat testimonia Scripturæ, quæ Confessio Principis ad probandam Applicationem, quæ sit tantùm Organo ministerij Euangelij recitauit. Nam, cum Confessio Principis dicat, Beneficia Christi accipi sumptione Sacramentorum & Fide, ibi addit Sotus in Scorijs suis: Omnibus, inquiens, pietatis Christianæ operibus accipimus oblata Dei beneficia. Hæc quidem Sotica commenta paulò ante, & in priori pericopa refutauimus, sed illud agnoscimus, quòd non neget Sotus, Nos accipere beneficia Christi, sumptione Sacramentorum & Fide. Hoc enim concesso, confestim sequitur, nos beneficia Dei nullis aliorum operum meritis accipere, & nobis applicare. Sacramenta enim Christi offerunt nobis beneficia eius GRATIS, seu Gratuita tantùm clementia Dei. Et uera Fides accipit ea, nulla planè fiducia nostrorum meritorum, sed tantùm fiducia Christi, qui ea nobis gratuita tantum liberalitate exhibet. Quare, si, quod uerissimum est, accipimus beneficia Dei sumptione Sacramentorum, & fide, constare non potest, quod Sotus & Fraterculi eius garriunt, Meritū passionis Christi applicari nobis per Omnium bonorum nostrum operum merita.

Deinde addit Sotus, quòd prædicatio Euangelij pertineat ad externā doctrinam, atq; ita ad Literā OCCIDENTEM. Hic est locus ille, cuius in præfatione ad Illustriss. Principem mentionē feci, & qui manifestè testificatur Sotum insigni tam insciti, q̄ uertigine laborare. In hac enim disputatione de Applicatione remissionis peccatorum, non loquimur nec de Autore applicationis, qui est Spiritus sanctus, nec de Merito, propter quod Remissio peccatorum applicatur: Hoc enim meritum solius est Iesu Christi filij Dei, Sed loquimur de Organo, seu instrumento, tam externo, q̄ interno, quo Spiritus sanctus utitur, ut nobis Remissionem peccatorum, per Christum meritā, applicet, & propriam, ut ita loquar, addicet.

Ac

Ac internum quidem organon, quo remissio peccatorum accipitur, est FIDES: Externum autem, quo nobis offertur, & accipiēda proponitur, est prædicatio Euangelij de Christo, unà cum suis Sacramentis. De hoc, inquam, externo Organo applicationis, in præsentia sermo est. De hoc dicit Christus: Prædicate Euangelion omni Creaturæ. De hoc dicit Sotus: Prædicatio Euangelij pertinet ad literam occidentem. Sed quanto honestius filius Dei illud commendat, tanto fœdius ipsum impius Fraterculus sacrilego suo ore turpificat. Etsi eñ non omnes, qui audiunt, credunt prædicationi Euangelij, & hæc sit multis odor mortis ad mortem, tamen hoc nõ fit uitio huius prædicationis, sed impietate incredulorum hominum, quibus non tam Euangelion q̃ Deus ipse & filius ejus, peruersi fiunt, ut Psalmus loquitur. Nam quod ad ipsam Euãgelij prædicationem attinet, nihil certius est, q̃ quòd ad hunc usum diuinitùs sit instituta, cõmendata, & sanctificata, ut per eam, autore spũ sancto, regeneremur & uiuificemur.

Psal. 18. Lex Domini immaculata, recreans animas, testimonium Domini fidele, Sapientiam præstans paruulis. Mandata Domini recta, lætificantia cor, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Hoc est insigne encomium prædicationis Euangelij de Christo. Nomine enim legis hoc loco non intelligitur Decalogus, sed Euangelion, sicut & in multis aliis locis scripturæ, quemadmodum suprà demonstrauimus. Non enim est obscurum, quòd hic Psalmus cantet de Euangelio diuulgando in totum orbem terræ, & de efficacia eius inter homines. Dicit ergo de Euangelio Christi, quòd recreet animas; sapientiam præstet paruulis, lætificet corda, & illustret oculos.

Esa. 61. Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me. Ad adnunciandum Euangelion afflictis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Ac mox: Vt consolarer omnes lugentes. Hîc affirmat filius Dei, se per adnunciationem Euangelij mederi contritis corde, liberare captiuos peccatis, è uinculis, & cõsolari lugentes. Hoc certè est per Euangelion uiuificare.

Ioã. 6. Verba, quæ ego loquor uobis, Spiritus sunt, & uita. Ac mox ait Petrus. Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes.

1. Thessa. 2. Cùm acciperetis sermonem à nobis, quo discebatis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus.

2. Thessa. 2. Elegit uos Deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos PER EVANGELION nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.

1. Cor. 4. In Christo Iesu PER EVANGELION ego uos genui.

1. Pet. 1. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali PER VERBVM Dei uiuẽtis, & manentis inæternum &c. Hoc autem est uerbum, quod PER EVANGELION delatum est ad uos.

Habes manifesta & perspicua testimonia, quibus probatur, prædicationem Euangelij de Christo esse uerè cœleste organon, quo Spiritus sanctus recreet animas, lætificet corda, medeatur afflictis, regeneret, uiuificet, ac sanctificet homines. Et Asotus tanta est impudentia & impietate, ut audeat scribere, prædicationem Euangelij pertinere ad LITERAM OCCIDENTEM. Nec uidet, quantum hoc suæ ipsius causæ, in consecratione Missarum suarum noceat. Nam uerba illa, quæ uocant, substantialia consecrationis: HOC EST ENIM CORPVS MEVM, sunt

pars prædicationis Euangelij. Prædicatio autem Euangelij, iuxta Sotum, pertinet ad literam occidentẽ. Quomodo igitur hæc uerba habent efficaciam consecrandi, & transsubstantiandi panem, si pertinent ad literam occidentem? Si sunt litera occidens, quomodo uiuificabunt, aut recreabunt uel panem, uel miseras animas, igni Purgatorio destinatas? Nisi fortè idcirco dicantur litera occidens, quòd occidant, hoc est, aboleant, aut ut illi loquuntur, annihilent substantiam panis, & reponant in locum eius corpus Christi. Quid, quæso, syncerę doctrinæ à tam imperito & prophano homine expectares? Et hæc est catholica illa fides, cuius patronum se Asotus profitetur. Legit fraterculus apud Paulum, Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Et per literam intelligit iuxta quorundam interpretationem, quamuis externam doctrinam. Cùm igitur uideat Euangelion Christi scriptum esse externis literis, & doceri externo ore, ac audiri externis auribus, non cõsiderat, à quo autore sit institutum, in cuius manibus, tanquàm organon, gestetur, & ad quem usum sit consecratum, ac cœlestibus miraculis confirmatum, Sed intuetur tãtum, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, in externam speciem, & iudicat esse literam occidentem.

Habet quidem duces, quos sequitur, Sed si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Et illi quidem Maiores, qui apud Paulum pro litera intelligunt, omnem externam prædicationem, suam fortassis merentur ueniam, quòd extra controuersiam, simpliciter errauerint: Sotus autẽ, haud scio, nisi resipiscat, num uenia dignus sit, quòd in hac luce Euangelij, uerã sententiam Pauli deprauet, & dicto Pauli ad stabiliendam suam impietatem abutatur. Nam si rectè & diligenter expendisset dicta Pauli, & contulisset inter se, quæ Paulus de litera & Spiritu scribit, potuisset facilè intelligere, quòd Paulus per literam nõ intelligat omnem externam doctrinã, sed tantum doctrinam Legis seu Decalogum: per Spiritum autem prædicationem Euangelij.

Quòd si ne sic quidem potuisset ueram Pauli sententiam assequi, inspiciẽdus fuisset libellus Augustini, cui titulum fecit, De litera & spiritu, ubi hoc Pauli dictum piè & eruditè explicatur, quemadmodum in priore pericopa ostẽdimus. Sed quia Sotus semel cœpit sordere, pergit sordescere adhuc. Prædicatio (inquiens) ipsa Euangelij dici potest offerre omnibus salutem, sed non applicare. Vnde quòd Euangelion dicitur uirtus Dei ad salutem, non ad externam prædicationem referendum est, sed ad ea quæ in Euangelio prædicantur, crucem, resurrectionem & gratiã Christi. Hactenus Asotus. Primùm, suprà diximus, Nos in præsentia non loqui de Autore applicatiõis, qui est Spiritus sanctus. Hic enim solus applicat nobis, auioritate sua, & salute nostra, beneficia Christi, Sed loquimur de organo seu instrumento, quo Spiritus sanctus utitur ad applicanda nobis beneficia Christi. Hoc organon est externa Euangelij adnũciatio, quę certe non solũ dicit nobis salutem offerre, uerumetiã quodammodo applicare, non quidem autoritate, sed instrumẽto, quo spiritus sanctus ad applicationẽ utitur. Quod cũ Cõfessio Principis haud obscurè significet, & mollior ipsa uerbũ Applicandi, cùm addit, (Aut, si ita loqui libet, Applicat) manifesta est Soti φιλονεικία, quòd quærat litẽ, ubi nulla ei litis occasio datur.

Deinde, quid illud, quòd affirmat, cùm apud Paulum dicitur, Euangelion est uirtus Dei ad salutem, non referendum esse ad externam prædicationem? Quid? An Paulus non loquitur ibi de externa prædicatione Euangelij?

angelij? Videamus igitur circumstantias. Debitor sum, inquit Paulus, Græcis simul & Barbaris, eruditis pariter ac rudibus, Ita quantum in me est, paratus sum uobis quoq; qui Romę estis Euangelizare. Quid? Num Paulus, cùm dicit, se paratum esse Romanis Euangelizare, non sentit se Romanis externa sua uoce Euangelion adnunciaturum? Quid ergo faciat? Num cogitet tantùm de Euangelio, aut capite nutet, aut digitis gesticuletur? Et sequitur. Non enim me pudet Euāgelij. Num & hîc loquitur de Euangelio in mente tantum cogitato, & non de Euāgelio externa uoce adnunciato? Certè nullum fuisset Paulo periculum siue inter Iudæos, siue inter Gentes propter Euangelion Christi, si id mente tantum cogitasset, & non etiam uoce fuisset professus. Manifestè igitur loquitur de externa Euangelij prædicatione. Et addit causam, cur ipsum non pudeat eius. Potentia (inquiens) Dei est ad Salutem omni credenti. Nō pudet, (inquit) me Euangelij Christi. Quamobrem? Vides Paule, quantum tibi periculorum propter Euangelij adnunciationem accidat. Conijceris in carceres. Vapulas uirgis, Lapidaris, Naufragia pateris, Necesse habes adire pericula latronum, pericula inter falsos fratres, In labore & molestia, in uigilijs, in fame & siti, in ieiunijs, in frigore & nuditate, denicq; necesse habes tota die propter prædicationem Euangelij mortificari. Quid ergo causæ est, quòd te non pudeat eius? Additur. Potentia siquidem Dei est, ad salutem omni credenti. Hîc certè non loquitur de alio Euāgelio, quàm de quo antè dixerat, uidelicet de externa prædicatione Euangelij, & affirmat se idcirco non pudere eius, quòd sit Organon, seu instrumentum, siue ministerium, quo Deus potens est & efficax, ad conferendam salutem in omnes eos, qui fide accipiunt. Vnde & externam illam Euangelij prædicationē uocat, ad Corinthios scribens, Administrationem Spiritus, Administrationem Iusticiæ, & Ministerium, ac sermonem reconciliationis.

Cùm filius Dei emitteret Apostolos suos, Ite (inquiens) in uniuersum mundum, prædicate Euangelion omni creaturæ, non certè emisit eos, ut cogitarent tantum in mente sua Euangelion, sed ut publicè, externa uoce adnunciarent. Et in quem usum hoc externum ministerium cōsecratum esset, additur: Qui CREDIDERIT, (uidelicet Euangelio externa uoce ab Apostolis prædicato) & baptisatus fuerit, Saluus erit. Hoc planè idem est, cum eo quod Paulus dicit, Euangelion esse potētiam Dei ad Salutem omni credenti.

In Actis Apostolicis iubet Angelus Cornelium uocare ad se Petrum. Quid? Vocatur ne Petrus ad Cornelium & reliquas Gentes, ut tātum de Euangelio cogitet, & digitis micet? Nihil minus, Sed ut externa uoce adnunciet. Quæ etiam uox tanta fuit potentia, ex diuina autoritate, ut per eam Gentes, auditores, donarētur Spiritu sancto, priusquàm baptisarent.

Cùm Paulus uenisset (inquit Lucas) in Troadem, uisa est ei per noctem uisio. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam succurre nobis. An Paulus uocabatur tātum ad meditandum Euangelion, & tacitè mussitandum, & non potius ad publicè externa uoce adnunciandum? Sed additur, Statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quòd uocasset nos Dominus ad euangelisandum eis. Quod cùm ita se habeat, magna est impudentia & temeritas Asoti, quòd audeat perfricta fronte, idque nomine Catholicę Ecclesiæ, scribere, illud Pauli, Euangelion est uirtus Dei ad Salutem omni credenti, non esse referendum ad externam prædicationem. Nam, quòd addit, re-

ferendum esse ad ea, quæ in Euangelio prædicantur, crucem, resurrectionem, & gratiam Christi, quid, obsecro, hoc ad præsens institutum? Non est obscurum, quòd cùm de Euangelio Christi loquimur, non loquamur de eo Euangelio, seu iucundo nuncio (hoc enim nomen Euangelij significat) quo adnunciatur auaro, Thesaurum pecuniæ in agro suo inuentum, aut famelico, lautam cœnam esse paratam, sed quo adnunciatur nobis miseris peccatoribus, Christum filium Dei suscepisse crucem, ut peccata nostra expiaret, & resurrexisse à mortuis, ut nos sua Iustitia uiuificaret, ac reconciliasse nos cum Deo Patre suo. Hæc certè summa est Euangelij de Christo, quæ & externa uoce est prædicanda, adnuncianda, & in toto orbe terrarum promulganda.

Quid igitur sibi uult Sotus, quòd scribat, dictum Pauli de Euangelio, non esse referendum ad externam prædicationem, sed ad crucem & Resurrectionem Christi? Putás ne Sotum mentis suæ compotem esse, ac intelligere quid loquatur? Num, quia dictum Pauli referendum est ad crucem & Resurrectionem Christi, non erit referendum ad externam prædicationem, & Euangelion non erit ministerium illud, quo Spiritus sanctus applicat nobis beneficia Christi? Sed profectò, nisi Euangelion concionaretur de cruce & Resurrectione Christi, non esset potẽtia Dei ad Salutem omni credenti, ut quo magis Ministerium Euangelij complectitur in se concionem de cruce & Resurrectione Christi, eo magis sit instrumentum illud, quo Spiritus sanctus ad applicandam nobis ueram & æternam salutem utitur. Fortasis autem Sotus, (diuinandum enim est, quid sibi Heraclitus uelit) illud sentit, quòd externa prædicatio Euangelij, non sit potentia Dei ad salutem, ex eo, quòd constet externis literis & syllabis, sed ex eo, quòd adnunciet nobis crucem & Resurrectionem Christi. In præsentia autem non disputamus de causa, propter quam, externa prædicatio Euangelij sit potentia Dei ad Salutem, Sed quid sit hæc prædicatio, & in quem usum sit instituta. Et ut διαλεκτικῶς loquar, quærimus non ὅτι, sed τίνος τέλους. Obscurum non est, quòd prędicatio Euangelij non ideo sit efficax ad Salutem, quia constet externis literis & syllabis, & enuncietur externa uoce, Sed ideo est efficax, quia hæc uox externa consecrata est in organõ & ministerium Spiritus sancti, & recipitur in manus Spiritus sancti, ac efficit omnia ea potenter, ad quæ efficienda Spiritus sanctus eam dirigit. Sicut enim massa ex luto confecta, per se nõ est idoneum malagma ad restituẽdum cæco uisum. Postquàm autem filius Dei recepit lutum in suam manum, & oblinit eo oculos cæci, confestim recipit cæcus uisum: ita uox hominis per se imbecillior est, quàm ut queat æternã salutẽ in auditorem conferre. Sed quia illa hominis uox, qua adnunciatur Euangelion Christi, consecrata est diuinitùs, ut sit ordinarium ministerium, quo Spiritus sanctus uelit esse efficax in credentibus, rectè ac uerè dicitur esse potentia Dei ad æternam salutem. Cùm igitur in priuata Missa, nec sit publica prædicatio mortis Christi, nec sit dispensatio panis & uini, corporis uidelicet, & sanguinis Christi, quæ ex institutione, & mandato Christi, ac usu primitiuæ Ecclesię, sunt ad cœnam Dominicam celebrandam necessaria, manifestum est, quòd priuata Missa, non habeat ea, quæ maximè omnium ad ueritatẽ Sacramenti pertinent, ideoq; nec sit uera cœna Domini, nec habeat uerum Sacramẽtum corporis & sanguinis Christi. Et quia pugnat cum uera institutione Dominicæ cœnæ, ac suscipit efficiendum, quod Solus Christus sola sua ipsius morte semel effecit, tantum abest, ut

sit

sit utilis uel celebranti uel Ecclesię, ut potius impietas, idolomania, & Magia eius intulerit hactenus in orbem Christianum omnia genera malorꝝ, ac nisi pio studio abrogetur, & cœna Domini suo legitimo usui restituatꝫ, non est nobis Occidentalibus alia fortuna in his terris expectanda, quàm quę Orientales iamdudum miserrimè oppressit. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi excitet Spiritu sancto suo pios quosque, ut ascendant ex aduerso, & opponant murum pro domo Israel, ac stent in prælio, in die Domini, ne effundatur super nos indignatio eius, & consumatur terra igni furoris eius.

Sed trãseamus ad alia. Sotus existimat errorem esse, si quis iudicauerit errorem, uerba cõsecrationis in Eucharistia tacitè proferre, & lingua uulgo ignota. Ac concedit quidem, ut Euangelion, cuius uerba consecrationis pars sunt, doceatur & prædicetur, nõ autem in ipso ritu Missæ, ubi magis laus Dei, (recito autem uerba Soti) & cultus agitur, atq; eleuatio cordium, & cõuersio ad secretiores orationes, ꝯ in prædicatione. Deinde, affirmat Ecclesiã nunꝯ iudicasse, ad perfectionem huius sacramẽti necessariũ esse, tunc prædicari populis mortẽ Christi, cùm cõsecratur &c. Credo Sotum cogitare, se iam in altissimo Pontificiæ maiestatis fastigio collocatũ, ut quicquid dixerit, aut etiã effutiuerit, necesse habeat uniuersus orbis nõ pro lege tantum, uerum etiam pro oraculo spiritus sancti agnoscere. Aut si modestiori est animo, putat fortasis se fide sui patrocinij satis defunctũ, si satisfaciat ijs, quibus necesse est. Quid.n. ad ipsum illi, quibus liberè licet iudicare? Sed si hæc stat sententia, cur suscepit publicè scribendum aduersus Confessionẽ eius Principis, quem sciebat esse libero iudicio, & habere concionatores, qui in doctrina religionis non agnoscerent autoritatẽ Fraterculorum, sed tantum autoritatem Sacræ scripturæ? Dicit ergo Sotus, quòd Ecclesia nunꝯ iudicauerit ad perfectionem Sacramẽti Eucharistię necessarium esse, tunc prædicari populis mortem Christi, cùm consecratꝫ. Nunc si cõcionatores interrogauerint, quis hoc unꝙ præter Sotum, dixerit: aut si quis dixerit, qua autoritate probauerit, quid respondebit? In hoc certè scripto, quod ipse uocat Assertionem catholicæ fidei, uideo tantum fortem asseuerationem, sed quæ nulla planè probatione, uel saltem uerisimili nitatur. Ego uerò conabor, si possim, hoc explicare, & quasi commẽtariolũ addere, ne Lector tã ieiunus & incertus ab hoc Sotici scripti loco dimittatur. Scias igitur optime lector, duplicem esse Ecclesiam. Alia enim est Pontificia seu Asotica, quẽadmodum in προλεγομένοις exposuimus. Alia est uera & Christiana Ecclesia. Ac siquidem Sotus loquitur de Pontificia aut Fraterculorũ ecclesia, credo eum uerè & rectè loqui, quòd hęc ecclesia non iudicet necessariũ esse, ut in consecratione eucharistiæ prędicetur populis mors Christi. Cùm enim susceperit huius ecclesiæ patrocinium, existimo eum sententiam ipsius bona fide referre. Si autẽ loquitur de uera, & Christiana Ecclesia, quæ solum Christum filium Dei caput suũ agnoscit, non est nouum, quòd Sotus stet à mendacio contra uerum. Hęc enim Ecclesia tanta reuerentia & obedientia colit ac ueneratur autoritatẽ Christi filij Dei, ut malit hanc uitã amittere, ꝯ quod ipse exẽplo docuit, & uerbo suo faciendũ pręcepit, nõ necessariò sequendum esse iudicet. Manifestum autem est, quòd cùm Christus institueret cœnã suam, non solũ recitauerit clara, & discipulis notissima uoce ac lingua, ea uerba, quę Euãgelistę & Paulus describũt, uerum etiã iusserit eos exemplum suum sequi, & in quauis cœna Dñica mortem suã adnũciare, Hoc facite, inquiẽs, in meã

commemõrationem. Quid ergo fecit ipse? Accepit panem, gratias egit, distribuit discipulis, & dixit claris & notis uerbis, Accipite, edite, hoc est corpus meum. Qui ergo exemplum & mandatum Christi in obseruatione & sanctificatione Dominicæ cœnę sequi uoluerit, necesse habet & ipse panem accipere, gratias agere, & panem non sibi tantum soli retinere, sed etiam Ecclesiæ distribuere, & uerba Christi palàm, ea lingua, quæ Ecclesiæ nota sit, recitare, ut Ecclesia sciat, qualis sit hæc cœna, & quid pane & uino distribuatur. Putás ne ueram Ecclesiam, de instituto Christi Domini sui rectè admonitam & eruditam, tanta esse leuitate, ut existimet in cœna Dominica satisfieri sibi, cùm uideat tãtum iocularem gesticulatorem, & mussitatorem, ac nõ audiat palàm clarum & apertum uerborum Christi adnunciatorem? Quid enim, si Sacrificulus quispiam seu superstitione, seu mala conscientia, gesticulationes quidem Missarum peragat, non autem uerba consecrationis recitet, Sed spectatoribus prophanum tantum panem adorandum ostentet? Hîc habẽt quidem Pontificij sua pharmaca, sed quæ tãto morbo mederi haudquaquàm possunt. Porrõ autem, ne quis de sententia uerborum Christi dubitet, Paulus Apostolus interpretatur ea tanta perspicuitate, ut nisi quis uideat ijs exigi in cœna Domini publicam mortis Christi prædicationem, cæcitatem de industria fingat. Christus enim apud Paulum ita loquitur: Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Et addit Paulus expositionẽ. Quotiescunque, inquiens, comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciate, donec uenerit. Pro (Adnunciate) utitur Paulus in ea lingua, qua epistolam scripsit, uerbo καταγγέλλειν, quod Græci interpretes exponere solent, per κηρύττειν, & significat non tacitè mussitare, sed palàm, quasi præconis uoce promulgare. Quod igitur filius Dei iubet, quod Paulus Apostolus eius exponit, quis nisi mente captus diceret non esse ad cœnam Domini rectè & piè celebrandam, seu ut Sotus loquitur, ad Sacramenti perfectionem necessarium? quis nisi planè ἄσωτος affirmaret, mortem Christi populis tunc non esse prædicãdam, cùm consecratur? Nam, quod Sotus fortasis existimat, quinq; his uerbis, HOC EST ENIM CORPVS MEVM, tantam inesse efficaciã, tamq; potentem creationis energian, ut si à Sacrificulo, etiam absq; ulla alia uerborum præfatione, aut (ut ita dicam) postfatione, super pane mussitẽtur, ac inhalentur, statim consecretur, ac abolita panis substantia, corpus Christi aut creetur, aut in speciebus panis collocetur, suprà copiosè refutatum est, & in ordinem Magicarum incantationum reiectum. Vera enim cœnæ Dominicæ consecratio non constat mussitatione certorum uerborum, sed obseruatione institutionis Christi, uidelicet, publica adnunciatione mandati Christi de cœna sua, & prędicatione traditi pro nobis corporis, ac effusionis sanguinis eius.

Quòd si autem Sotus putat hac in re testimonium Christi filij Dei, & Pauli Apostoli eius non habere tantum autoritatis pondus, ut sufficiat ad comprobanda ea quę ad ueram cœnam Domini necessariò requirantur, age producam in medíũ, Romanum Imperatorem, cuius fortasis autoritatem Sotus haud facilè contemnet. In Nouellis enim Constitutionibus quas edidit Iustinianus Rõmanorum Imperator, Tit. De Ecclesiasticis diuersis capitulis, Consti. 123. sic legitur. Recitabo enim uerba ipsa, sicut è Græco exemplari translata sunt, quòd uideam ea non in omnibus exemplaribus haberi.

Impera-

Imperator Iustinianus Augustus, Petro gloriosiss. magistro sacrorum, &c.

Iubemus, ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri, nõn tacito modo, sed clara uoce, quæ à fideli populo exaudiatur, τὴν θείαν προσκομιδὴν, hoc est, sacram oblationem, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent, quo maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus, audientium animi efferantur. Ita enim Diuus Apostolus docet, dicens in prima ad Corinthios epistola: Enimuero, si solummodo benedicas spiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo ipsum Amen, quãdoquidem quid dicas non uidet? Tu quidem pulchrè gratias agis, alter autem non ædificatur. Et rursus in Epistola ad Romanos sic inquit: Corde quidem creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. His igitur de causis conuenit, ut inter cæteras preces, & ea, quæ in Sancta oblatione dicuntur, clara uoce à Religiosiss. episcopis & presbyteris Domino nostro Iesu Christo Deo nostro cum Patre & sancto Spiritu proferant̃, Scituris religiosiss. sacerdotibus, quòd si quid horũ neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi de his rationem reddent, neq; nos hæc cognoscentes conquiescemus, relinquemusq; inulta.

Hactenus Iustinianus.

Quid nunc, Sote, dicẽdum putas? Qui hanc Legem ponit, non est homo priuatus, sed Imperator Romanus: & non est dubium, quin ponat eam, non priuato suo arbitrio, sed publico consensu ordinum Romani Imperij, in cuius ordinibus continentur etiam Episcopi, quales quidem fuerunt illis ac sunt quoque his nostris temporibus episcopi. Omnes Episcopi (inquit) & presbyteri celebrent Sacram oblationem (Sic enim solent cœnam Dominicã uocare, ut suprà ostensum est) non κατὰ τὸ σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς, τῷ πιστωτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης, hoc est, non tacito modo, sed clara uoce, quæ à fideli populo exaudiatur &c. Nec hoc simpliciter ac oscitanter, sed grauissima comminatione mãdatur, Si quid (inquit) horum neglexerint, reddent de his in horrendo iudicio magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi rationem, neq; nos hæc cognoscẽtes, conquiescemus, relinquemusq; inulta.

Nec illud silentio prætereundum est, quòd hac in re longè aliud sit Iudicium Romani Imperatoris, hoc est, Ordinum totius Romani Imperij, q̃ Fraterculi Asoti. Hic enim iudicat quòd Sacramentum corporis & sanguinis Christi reuerentius & deuotius conficiatur (sic enim libet Fraterculis loqui) si tacitè & secretè fiat. Imperator autẽ Romanus iudicat, quòd quo clariori uoce fiat, eo magis deuotioni populi consulatur. Celebrẽt (inquit) sacram oblationem nõ tacito modo, sed clara uoce, Quo maiore exinde DEVOTIONE in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Vides ergo, quàm probè Sotus catholicæ suæ Ecclesiæ patrocinetur.

Ac profectò mirandus & detestãdus est stupor Soti in Scorijs huius loci. Dicit enim, aliud esse conficere Sacramentũ corporis & sanguinis Christi, aliud prædicationem Euangelij. Et mox: Fatemur, inquit, publicè esse prædicandum, Sed non in ipso ritu Missæ, ubi magis laus Dei & cultus agitur, atq; eleuatio cordium, & cõuersio ad secretiores orationes, quàm in prædicatione. Hactenus Asotus.

Quid ergo ad hæc dicemus? Primùm, Num hæc uerba, Accipite, cõmedite, hoc est corpus meũ quod pro uobis dat̃, non sunt prædicatio Euã

gelij? Dicit enim Sotus, Aliud esse conficere Sacramentum cõrporis & sanguinis Christi, aliud esse prædicationem Euangelij. An non his uerbis conficitur Sacramentum cœnæ? Et his uerbis non solum adnunciatur corpus Christi pro nobis datum, uerum etiam hoc ipsum corpus offertur Ecclesiæ uescendum, ut admoneatur, omnem fructum & meritum Passionis Christi ad Ecclesiam pertinere, & unicuiq; priuatim addici. An hoc non est prædicare Euangelion? Hic ergo manifestè significat Sotus, quòd & si tot annis uersatus est in schola Christianorum, tanti tamen sit stuporis, ut nondum intelligat, nec quid sit prædicare, nec quid sit Euangelion Christi. Et tamen tanta est uecordia, ut susceperit patrocinium Ecclesiæ suæ catholicæ.

Deinde, quòd dicit, prædicandum quidem esse publicè, non autem in ipso ritu Missæ, iterum prodit se Sorex suo indicio. Si enim non est publicè prædicandum in ipso ritu Missæ, manifestè sequitur, quòd ritus Missæ Fraterculorum, non sit uera cœna Domini. In hac enim iussit filius ipse Dei mortem suam publicè adnunciare, quemadmodum suprà ex interpretatione Apostoli Pauli demõstratum est. Cùm igitur patronus catholicæ suæ Ecclesiæ affirmet non esse publicè in ritu Missæ prædicandum, maledicta sit Missa illa, quæ sese, exturbata uera cœna Domini, in sede eius collocauit. Postremò, quid illud, quòd ait, In ipso ritu Missæ magis laudem & cultum Dei agi & eleuationem cordium, ac conuersionem ad sese crebriores orationes, quàm in prædicatione? Quid ergo est, quòd Fraterculi & sacrificuli uociferentur plenis buccis suas in templis horas Canonicas? An magis ageretur laus & cultus Dei, & eleuarentur corda, si domi suæ intra sua conclauia tacitè legerent, quàm si in templis boarent? Sed ad rem. Siquidem enim ritus Missæ esset uera cœna Domini, concedi aliquo modo posset, quòd Ecclesia in ea magis ad Fidem & inuocationem, quàm in prædicatione, quæ absq; celebratione cœnæ Dominicæ fieri solet, excitaretur. Hic enim fit prædicatio, absq; Sacramento, illic autem fit prædicatio, cum Sacramento, quod in hunc usum diuinitùs institutum est, ut fidem reddat tam certiorẽ, quàm alacriorem. Si autem de ritu Missæ Fraterculorum sermo est, sicut ea Missa non est uera cœna Dominica, ita non potest uel Missificem, uel spectatorem, nisi ad hypocriticam Dei laudem, & superstitiosam deuotionem excitare. Deus enim non uerè laudatur, colitur, & inuocatur, nisi ex FIDE. Fides aũt est ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Quomodo inuocabunt, (inquit) eum, in quem nõ crediderunt? Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo credẽt absq; prædicante? Cùm igitur in ipso Missæ Fraterculorũ ritu non sit prædicans, non est etiam uel fides, uel confirmatio fidei, ac multo minus uera laus, uerus cultus, ueraq; Inuocatio Dei. At eñ (inquit) aliàs extra Missam prædicatur. Sed si tũ Euangelion Christi uerè prædicatur, fieri non potest, quin ea prædicatio adhibeatur etiam cœnæ Dominicæ, ut institutioni & mandato Christi satisfiat, & Ecclesia cognoscat, qualẽ cœnã accipiat. Qr si autem hoc non fiat, iam non est cœnam Dominicam, sed Missam Pontificiam, ac uerè Monasticam, hoc est, solitariã celebrare, qua tãtum abest ut laudetur & colaẽ nomen Dñi, ut summa potius contumelia afficiatur, quẽadmodum aliàs exposuimus. Sed reuertamur ad legẽ Iustinianã. Fortassis. n. Fraterculus respõdebit, Iustinianũ præcipere quidẽ, ut in sacra oblatione clara uoce prædicetur, non aũt, ut uerba consecrationis clara uoce recitẽtur. Manifestam. n. recitationẽ horum uerborum nõ esse necessariã

ad Sa-

ad Sacramenti perfectionem. Etsi autem uerba Iustiniani clariora sunt, & ut tali uanitate eludi queant, tamen suprà ostendimus, mutam illam Fraterculorum consecrationem nõ esse piam recitationem, sed magicam incantationem, & in præsentia sufficit nobis, quòd omnes priuatæ Missæ, in quibus non fit publica uerbi Dei adnunciatio, autoritate Iustiniani, hoc est, publico totius Romani Imperij consensu damnentur. Nisi enim Episcopi & Presbyteri celebrent Sacram oblationem clara uoce, quæ à fideli populo exaudiatur, & intelligatur, (cur enim populus exaudiret, si non intelligeret?) necesse habebunt de eo rationem coram horrendo iudicio Dei reddere, ac insuper etiam uindictæ gladij ciuilis obnoxij esse. Hoc certè est in uniuersum omnes Fraterculorum priuatas Missas damnare. Quid ergo nunc faciat Missarum Patronus, Asotus? Ad sacram profectò suam anchoram confugiat, necesse est. Cùm enim Iustinianus nõ sit Princeps spiritualis, sed secularis, dicat ad eum Sotus, quod ad pios Principes dicere solet, Vade post me Satana. Non efferas manum ultra metas proprias. Princeps secularis nouerit se esse legis discipulum, non doctorem. Age igitur recitabimus Decretũ Innocẽtij Tertij, non secularis Imperatoris, sed Romani Põtificis, cuius autoritatẽ Asotus pro sua professione cõtemnere non debet. Sic enim dicit, De officio Iudicis ordinarij. Quoniam in plerisq; partibus infra eandem ciuitatem atq; diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub una fide uarios ritus, & mores, districtè præcipimus, ut Pontifices huiusmodi ciuitatum seu diœcesium, prouideant uiros idoneos, qui secundum diuersitates rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta, instruendo eos uerbo pariter & exemplo &c.

Quæso te, quid est, quod dicit, DISTRICTE PRAECIPIMVS? Num summus Pontifex districtè præciperet, quod iudicaret non esse necessarium? Quid est, prouideant uiros idoneos, qui secundum diuersitates rituum & LINGVARVM diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica SACRAMENTA? Inter Ecclesiastica autem Sacramenta suo loco præcipuum est, sacramentum cœnæ Dominicæ. Existimat igitur Pontifex necessarium esse, ut cœna Dominica celebretur in unoquoque populo, iuxta usitatos ipsorum ritus, & linguam uulgo bene cognitam. Quid Sotus habebit hîc, quod respondeat? Num recurret ad Canonem Cusani? Sed quàm is Canon non modo ridiculus, uerum etiam impius sit, res ipsa demonstrat. Num ad suas ipsius regulas, quas ad concilij andam uarietatem scriptorum confinxit? Sed architectum, qui ædificat super arenam, auersamur.

Cæterùm, postquàm in hoc argumentum pertracti sumus, addam adhuc nonnulla uetustatis testimonia, quibus comprobetur, publicam quondã consuetudinẽ fuisse, quòd Ecclesia in sacris suis usa sit lingua uulgo nota, & quòd pij quicq; iudicauerint tali utendam. Nam præter Iustinum, & alios, quos suprà enumerauimus, reliqui adhuc sunt multi testes.

Chrysostomus Hom. 60. de sumentibus indignè diuina.

In omnibus, inquit, Deõ pareamus, necq; contrà dicamus: Licet cogitationibus nostris aduersari uideatur, & oculis, quod DICITVR, sed sit & cogitationibus & uisui dignior ipsius sermo. Sic & in mysterijs agamus. Nec solum præ oculis posita respiciamus, sed IPSIVS uerba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis.

Contineamus(inquit Chryſoſt.) ipſius uerba, & non tantũ præ oculis poſita reſpiciamus. Quomodo autem continere uerba utiliter poſſemus, niſi nobis palàm recitarentur & intelligerentur?

Auguſt. Tom. 4. In 65. quæſt. ad Oroſium. q. 49.

Sanguis Abel ſignificat ſanguinem Chriſti, quo, VNIVERSA Eccleſia, accepto, dicit Amen. Nam qualem clamorem faciat uniuerſa Eccleſia, dum potatur ſanguine Chriſti, & dicit Amẽ, tuipſe, ſi potes, cõſidera.

Euſeb. In Eccleſiaſt. hiſto. lib. 7. cap. 9.

Dionyſius Alexandrinus ſcribit ad Xyſtum Romanum Epiſcopum hiſtoriam cognitu non indignã, quam operæpreciũ eſt integram huc adſcribere. Cùm fratres(inquit) congregati eſſent, uir quidam exiſtimatione fidelis, antiquus, & antequàm ego ordinarer, opinor autem & ante beatum Heraclam, Eccleſiaſtici cœtus particeps, dum nuper quidam baptizarentur, præſens, auditis interrogatis & reſponſis, ad me acceſsit, flẽs ac lamentans, & ante pedes meos prouolutus, confitebatur, & iurabat baptiſmum, quo baptizatus erat ab hæreticis, non eſſe uerum baptiſmum, nec cùm hoc noſtro ullam habere communionem, ſed eſſe illud impietate & blaſphemia refertum. Dicebat etiam mentem ſuam uehementer cõpungi, nec tantũ ſe fiduciæ habere, ut oculos ſuos ad Deum leuaret, quòd prophanis illis uerbis & actibus eſſet iniciatus, ideoq; orabat, ut ſyncerißima hac purificatione, ſuſceptioneque & gratia potiretur. Quod quidem ego facere non ſum auſus, ſed diuturnam illam multorum temporum communionem illi ſufficere dixi. Cùm enim & gratiarum actionem in Eccleſia audiſſet, & ad illam unà cum alijs Amen ſuccinuiſſet, menſæ aſtitiſſet, manus ad ſuſcipiendum cibum extendiſſet, illum etiam accepiſſet, & prolixo iam tempore corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti particeps fuiſſet, nõ ſum auſus eum denuo baptiſmate initiare, Sed bono animo eſſe, & fide firma, ac ſpe bona, ad communionem Sanctorum accedere iuſsi &c.

In hac hiſtoria, multa proponuntur nobis obſeruanda, Sed nos illud quod ad noſtrum inſtitutum pertinet, nunc conſideremus. Scribit enim Dionyſius, ſenem illum Alexandrinum audiuiſſe in Eccleſia gratiarum actionem, ceciniſſe ad illam unà cum alijs, Amen: Aſtitiſſe menſæ, extendiſſe manus ad ſuſcipiendum cibum, & participem fuiſſe corporis & ſanguinis Chriſti. Hæc certè non potuiſſent hoc modo peragi, niſi uerba Eucharistiæ, hoc eſt, Gratiarum actionis, & cœnæ Dominicæ, fuiſſent recitata ea lingua, quæ uulgo Eccleſiæ nota fuiſſet.

At enim non iam, inquiet Sotus, ſermo fit, de conſuetudine ueteris Eccleſiæ, Sed illud agitur, quòd ad huius Sacramenti perfectionem non ſit neceſſarium, ut tunc populis prædicetur mors Chriſti, & uerba conſecrationis proferantur lingua uulgo nota, cùm conſecratur. Nos autem oſtẽdimus antea copioſè, quæ uera ſit cœnæ Dominicæ Conſecratio, & quòd conſecratio Fraterculorum non ſit pia conſecratio, ſed impia incantatio. In præſentia uerò ſufficit nobis manifeſtè oſtendiſſe, quòd uetus Eccleſia uſa ſit ſermone populis noto, & quòd Aſotica eccleſia ab uſu ueteris Eccleſiæ longè receſſerit, ideoq; erroris haud iniuria ſit accuſata.

Sed libet etiam huc adſcribere, quod Aeneas ille Syluius, qui in Romanum Pontificem electus dictus eſt Pius ſecundus, de Cyrillo & Morauis hac de re narrat. Is autem Cyrillus egit ætatem ſuam circiter annum, à nato Chriſto, nongẽteſimum nonageſimum quintum, ac docuit Morauos religionem

religionem Christi. De hoc ergò Cyrillo Syluius in primo libro Bohemicæ historiæ, ita scribit. Ferunt, inquiẽs, Cyrillum, cùm Romæ ageret, Romano Pontifici supplicasse, ut Sclauorum lingua, eius gentis hominibus, quam baptizauerat, rem diuinam faciens, uti posset. De qua re, cùm in sacro senatu disceptaretur, essentq; non pauci contradictores, auditam uocem, tanq; de cœlo in hæc uerba missam: Omnis spiritus laudet Dominũ, & Omnis lingua confiteatur ei. Indeq; datum Cyrillo indultum.

Non dubito aũt, quin si Sotus interfuisset senatui Pontificis, fuisset & ipse maximè omniũ ex contradictorib. unus. Dixisset, Nihil minus, Pater sancte, concedatur. Hoc enim nostrum institutum esse debet, ut Sacrorũ reuerentiam & deuotionem tueamur. Quo autem Sacra nostra secretius & magis tacitè fiunt, eo magis laus & cultus Dei agitur, ac eo maior fit eleuatio cordium, & conuersio ad secretiores orationes. Præterea, si tale quid barbaris illis gentibus concederetur, alij populi traherent hoc in exemplum. Et fieri posset, ut ecclesia Romana argueretur â futuris hæreticis erroris, quòd ipsa perageret mysteria Missarum suarum tacitè, & lingua uulgo ignota. Non est igitur ullo modo committendum, ut tanta licentiæ fenestra barbaris & hæreticis aperiatur.

Sed optimè habet, quòd oraculum ipsum diuinum liberat ecclesiam ab omni superstitione & tyrannide Asotici consilij. Ac de modo quidem, quo oraculum illud siue per angelum, siue per eruditum & pium hominem, ad Senatum Romani Pontificis delatum est, sentiat quisq;, quod uerisimile iudicat. Ipsum certè oraculum, diuinum est, & continetur Psalm. 115. Esa. 45. & Rom. 14. ac non solum tradit uniuersæ Ecclesiæ Christi, etiam absq; consensu Senatus Romani Pontificis, libertatem utendæ in sacris suis linguæ uernaculæ, uerumetiam mandat & iubet, ut unaquæuis Ecclesia, laudet ac celebret sua lingua, nomen Domini, ut quo magis intelligat, quod dicitur & recitatur, eo uehemẽtiori fide inflammetur, & ad maiorem laudẽ nominis Dei assurgat. Habeat igitur Sotica colluuies sua Eleusinia mysteria & sacra, & cùm in nostris Ecclesijs, ne ea quidem, quæ manifesta habent testimonia Sacræ scripturæ, & ueteris Ecclesiæ, probare queant, sed potius damnare pergant, nihil sani nobis ab ipsis polliceri possumus, ac præter alias, etiam hanc iustissimam causam habemus, cur eam colluuiem deseramus.

Venio nunc ad eum Soticæ Ecclesię errorem, aut pôtius impietatem, quam Confessio Principis in hoc capite, postremo loco recitauit, Videlicet, De repositione, circumgestatione & adoratione panis. Ac de repositione quidem, quæ infirmorum gratia fieri solet, suprà copiosè dictum est, Vbi & Canonem Nicæni Concilij, quem hîc Sotus iterum repetit, explicuimus.

De circũgestatione & adoratione panis.

De circumgestatione autem panis, dicit eam & Sanctam esse, ac non esse cultum Dei sine certo uerbo. Hîc, cùm expecto certum uerbum seu mandatum Dei, inuenio pro thesauro, ut dici solet, carbones. Vbi enim unquàm in literis uel ueteris uel noui Testamenti mandauit Deus, ut panis circumferatur & ostentetur in gloriam nominis sui? Non est autem ignotum, qua superstitione, imò qua impietate Pontificium Regnum circumgestationem panis tractauerit. In festo, quod uocant, corporis Christi, quantum Indulgentiarum in spectatores & adoratores plena manu effusum est? Si quando eluuiones, incendia, aut tempestates minãtur exitium, confestim ad hunc panem, tam circumferẽdum, cq; periculis

opponendum, tanq; ad sacram anchoram properatur. Quid, quæso, hic cultus aliud est, quàm uel Persicus ignis, uel uitulus Israeliticus? Magia est, si sacro uerbo Domini, ad prophana corporaliũ morborum remedia abutaris. Idolatria est, si aliud, præterquàm quod uerbo Domini præscriptum est, in singularem Dei cultum, ad auerruncanda mala institueris, quemadmodum aliâs ostensum est. Dixit autem filius Dei de pane cœnæ suæ: Accipite, comedite. Et: Hoc facite in mei commemorationem. Non dixit, Accipite, circumgestate ad adorandum, opponite eum aquarum inundationi, domorum conflagrationi & tempestatibus cœli. Reliquũ igitur est, quòd qui utitur hoc cultu, tantum absit, ut faciat rem Deo gratam, ut potius designet horrendum scelus Magiæ & Idolomaniæ.

Sed cùm Sotus non possit hunc impium cultum, uerbo Domini stabilire, confert se ad eludenda ea scripturæ testimonia, quæ Confessio Principis adscripsit. Non facietis, inquit Moses, singuli, quod sibi rectum uidetur. Hìc interpretatur Sotus, Singuli, inquiens, hoc agunt, qui priuatum suum sensum sequuntur, non qui communem Ecclesiæ. Accipio hanc interpretationem. Nunc ergo inquirendum nobis est, qui priuatum, & qui communem Ecclesiæ sensum sequuntur. Priuatũ enim sensum sequuntur, non qui pendent ex præscripto uerbi Dei, sed ex humano intellectu, & è sua ipsorum ratione. Communem autem Ecclesię (loquor uerò de Ecclesia uera, non Asotica) sensum sequuntur, non qui ex sua ipsorum ratione, bona, ut uocant, intentione, & deuotione, præscribunt sacra ad expianda peccata, & promerendam gratiam Dei, sed qui in sacris uel instituendis, uel faciendis ponunt sibi ob oculos Verbum Domini. Vera enim Ecclesia Dei non audit in colendo Deo humanam rationem, quæ natura sua, propter peccatum, corrupta & cæcata est, Sed audit tantũ filium Dei, de quo Pater dixit. HVNC AVDITE: audit Prophetas & Apostolos Dei, de quibus dictum est, Paracletus ille qui est Spiritus sanctus, quẽ mittet Pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis Omnia, quæcunq; dixi uobis. Et aliâs: Oues meæ, inquit Christus, uocem meam audiunt. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo, quia nõ nouerunt uocem alienorum. Ac iterum: Cauete uobis à Pseudoprophetis, qui ueniũt ad uos in uestimẽtis ouiũ, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

Postquàm igitur filius Dei dixit ex Esaia, se frustra coli humanis præceptis, Et Paulus Apostolus eius scripsit, doctrinas hominum habere speciem sapientiæ ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, circumgestatio autem & adoratio panis sit cultus nullo diuino uerbo institutus, sed tantũ humana ratione & superstitione excogitatus, nos certè, qui hunc cultum dãnamus, non sequimur priuatum, sed communem sensum eius Ecclesiæ, quæ tota non nisi à uoce filij Dei Domini nostri Iesu Christi pendet. Nec docemus, quod nobis, sed quod oraculis Spiritus sancti uidetur. Nec ij, qui adorant Eucharistiã, testantur externo cultu rectam fidem Ecclesiæ, sed potius testantur extremam suam impietatem, & Idolomaniam, non publica tantum gentium deuastatione, uerumetiam æterna damnatione dignam.

Sequitur in Confessione Principis aliud dictum ex Mose, quòd Sotus conuellere adoritur. Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicq; nec minuas. Audiamus igitur industriam Soti. Primùm (inquit) hoc pertinet ad seruitutẽ legis, in qua omnia erant ex præscripto tradita, tanq; pueris, nõ uerò ad libertatẽ nouæ legis, in qua ad magisteriũ spiritus sancti missi sunt Apostoli. Docebit, inquit, uos omnem ueritatẽ &c.

Operæprecium

Operæpretium autem est hæc Soti uerba diligẽter expendere. Hoc, inquit, pertinet ad seruitutem Legis, in qua omnia erant ex præscripto tradita. In Christianismo igitur, in quo est libertas, non sunt omnia ex præscripto tradita. Nũc pergamus, & uideamus ẽ cuius prẽscripto omnia sint tradita in lege. Numerantur autem tres partes Legis, quarum alia dicitur cẽrimonialis, alia Iudicialis, alia moralis. Ac manifestum est, quòd unaquæque harum tradita sit diuinitùs. De Decalogo, qui est epitome legis moralis seu naturalis, nullum dubium est, quin sit traditus & præscriptus à Deo ipso. Hæc, inquit Moses, uerba locutus est Dominus ad omnẽ multitudinẽ uestram in monte de medio ignis & nubis & caliginis, uoce magna, nihil addens amplius, & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. De cærimoniis autem & Iudicijs, qꝑ sint traditiones Domini Dei nostri, extãt apud Mosen & Prophetas manifestissima testimõia, quæ non est opus hoc loco recẽsere. Cùm igitur omnia sint tradita in lege ex præscripto Dei, ideoq; sint oracula Spiritus sancti, Sotus autem affirmet in Christianismo non omnia esse ex præscripto sicut in lege tradita, manifestè iuxta Soti uerba sequitur, quòd in Christianismo multa nõ sint tradita diuinitùs, nec sint oracula Spiritus sancti. Ac siquidem sentit de Christianismo Pontificio ac Monastico, intantum non repugnamus, ut etiam id tam publica quàm priuata nostra confessione testificemur. Si autem sentit de uero, & syncero Christianismo, qui traditur & præscribitur nobis in scriptis Propheticis & Apostolicis, falsum est, quòd hic uel non pendeat ex præscripto Dei, uel non habeat omnia, quæ ad æternam salutem cognitu necessaria sunt, in illis Propheticis & Apostolicis literis, satis ac sufficienter præscripta.

Deinde, Sotus ait, Hoc dictum non pertinere ad libertatẽ nouæ legis, in qua Apostoli missi sunt ad magisteriũ Spiritus sancti. Quid? An libertas Christiana in hoc sita est, ut non amplius necesse habeas uitam ex prẽscripto uerbi Dei agere? Num Apostoli illo cõsilio missi sunt ad magisterium Spiritus sancti, ut reiecta doctrina Prophetica, & contempto Euangelio, quod Christus ipse adnunciauit, liceat ipsis noua, & cum uerbo Dei antea uel præscripto, uel adnunciato pugnantia docere, mandare, & inculcare? Quid hac Soti industria in doctrina Christianismi excellentius? Sed finas hominẽ bardum, siquidem sibi ita libet, suis ineptijs frui. Nos patronis exponemus, in quo sita sint Libertas Christiana, & magisterium Spiritus sancti.

Libertas Christiana, & magisterium Spiritus sancti in quo sita.

Primùm enim, cùm Paulus dicit, Vos in libertatem uocati estis. Et, In libertate, qua Christus nos liberauit state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini, non significat Asoticis Prælatis liberam potestatem quiduis in Ecclesia, pro sua libidine statuendi traditam. Hæc enim Libertas Prælatorum, seruitus esset Ecclesiæ. De qua Ecclesiæ seruitute, hoc est, Prælatorum libertate admonet Paulus Corinthios: Suffertis, inquiens, si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis uos in faciem cædit. Sed quod Paulus de libertate Christiana scribit, pertinet ad uniuersam Ecclesiam, ac significat eam liberatam esse, non solum à Leuiticis traditionibus, quæ autoritate diuinæ scripturę in aduentu Messiæ erant abrogandæ, uerum etiam ab illis traditionibus, quas Prælati, ad exemplũ Leuiticæ legis, aut consilio humanæ seu rationis seu superstitionis, Ecclesiæ Christi imposituri erant. Hoc enim est, quod Paulus dicit: Ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et iterũ: Precio empti estis, no-

lite fieri serui hominum. Nam, quæ hæc esset congruẽtia, ut Prælati essent liberi ad quæuis onera Ecclesiæ imponenda, Ecclesia autẽ serua ad quæuis sic impósita onera ferẽda? Hoc certè illud est, quod Christus dicit: Colligant onera grauia, difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterùm digito suo nolunt ea mouere.

Et Augustinus de suis quoq; temporibus conqueritur: Quamuis (inquiens) neq; hoc inueníri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamẽ religionem, quàm paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberã uoluit, seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, nõ humanis præsumptionibus subíiciuntur. Ac res planè in diuersum cecidit. Ecclesia Domina est, ac liberrima, Antecessores autem eorum Prælatorum qui nunc sunt, fuerunt serui ac Ministri Ecclesiæ. Non prædicamus (inquit Paulus) nos ipsos, sed Christum Iesum Dominum, nos uerò seruos uestros propter Iesum. Nunc autem status Ecclesiæ ita mutatus est, ut qui deberẽt esse serui, facti sint domini, Ecclesia uerò facta sit serua, ac prorsum captiua. Non igitur mirum est, quòd Iannes & Mambres persequũtur Mosen, qui in hoc excitatus erat, ut ecclesiam Dei in libertatẽ uindicaret. Sed alius est querelę locus. Nunc reuertamur ad libertatem Christianam. Hæc enim, præterq; quòd liberat Ecclesiam à Leuiticis cęrimoníjs, & superstitiosis Prælatorum oneribus, liberat etiam eam ab accusatione uniuersæ legis & peccati, corã tribunali Dei, & ab æterna damnatione, non autem liberat eam à sequẽdo præscripto moralis legis, quæ in Decalogo continetur: nec liberat eam à præscripto uerbi Dei ac Euangelíj eius, qd mandatũ est literis Apostolicis. Quod dico uobis, inquit filius Dei, in tenebris, dicite in luce, & quod in aurẽ auditis, prædicate in tectis. Et iterum: Docete eos seruare Omnia. Quæ? Nũ quæcunq; Prælati statuerint? Nihil minus, sed Quæcunq; EGO præcepi uobis. Huc accedit etiam Chrysostomi testimonium.

Ecclesia Domina, facta est serua.

Chrysost. λόγῳ β. in Epist. ad Rom.

Bene dixit, Quoníam adnũciatur, ostendens quòd dictis nihil debeat adjící, nihilq; demi. Nuncíj siquidem peculiare est opus, tantùm, quæ cõmissa sunt, perferre. Vnde & sacerdos ἄγγελος, hoc est, nũcius uocatur, eo quòd non sua, sed quæ mittentis sunt adnunciat.

Et λόγῳ δ.

Non missi sumus, ut syllogizemus, sed ut id, quod nobis cõcreditum est, exhibeamus. Quando enim à Domino aliquid definitur, ac publicatur, non debent, quæ dicũtur, ab auditoribus in quæstionem & curiosam dubitationem auocari, sed tãtum simpliciter suscipi. In hoc enim Apostoli missi sunt, ut quæ audiuerãt, prędicarent, non ut aliquid de suo adderẽt.

Ac rursus in 2. Epist. ad Timoth. λόγῳ ε.

Vnusquisq; ea, quæ ad seipsum pertinent, curet. Nam si dogma habet peruersum, etiamsi angelus sit, ne obedias. Si autem recta docet, noli uitã considerare, sed uerba.

Et mox.

Quomodo, inquis, id mihi dicit, quod ipse nõ facit? Nõ tibi ipse dicit. Nam si illi obtemperas, mercede priuaris. Christus hæc admonet. Plus aliquid dicam. Ne Paulo quidẽ obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum, sed Apostolo, Christum in se loquentem circumferẽti. Quare manifesta est uanitas, si quis colligat ex Christiana libertate licere Præla-

re Prælatis instituere nouos cultus Dei, quibus homines expient coram Deo peccata sua, & promereantur gratiam seu terrenam seu cœlestem.

Deinde Magisterium Spiritus sancti, ad quod Sotus dicit Apostolos missos, non eò respicit, ut ipsi sint Magistri, sed Ministri Spiritus sancti, ut si rectè uolueris loqui, non dicas Apostolos ad Spiritus sancti Magisterium, sed potius Ministerium missos esse. Cùm enim filius Dei ad Apostolos suos dicit, Spiritus sanctus ducet uos in omnem ueritatem, non significat Spiritum sanctum concessurum eis licentiam quiduis pro ipsorum arbitratu in Ecclesia statuendi, & à præscripto uerbi Dei recedendi. (Spiritus enim sanctus non pugnat cum uerbo Dei) Sed significat potius ducturum eos in ueram cognitionem & intelligentiam omnium eorum, quæ Prophetæ de ipso scripserunt, & quæ ipse eis adnunciauit. Vnde & aliâs dicit. Paracletus ille, qui est Spiritus sanctus, quem Pater nomine meo mittet, Docebit uos Omnia. Et quæ sint illa omnia, mox subijcit: Suggeret uobis (inquiens) omnia, quæcunque Dixi uobis. Non docebit noua, quæ sint aliena à Propheticis præscriptis, & à meo Euangelio, sed docebit, & illustrabit ea, quæ de me scripta sunt, & quæ ipse Ego adnunciaui.

Nam, quòd Sotus addit, In noua lege (sic enim libet ei, ni fallor, uocabulis Nouæ legis, pro scriptura Apostolica seu noui Testamenti uti) paucissima de ritibus, multa autẽ deinceps uel Prælatorum ordinatione, uel consuetudine, uel certè priuata deuotione præscripta esse, agnosco hanc confessionem, Sed quòd præterea addit, Omnia hæc consona fidei esse, hoc demum non tam uerum est, quàm impudenter à Soto dicitur. Videtur autem ad illud dictum Christi respicere: Adhuc multa habeo, quæ uobis dicam, sed non potestis portare nunc &c. Hoc, cũ suprà satis sit expositum, superuacaneum est in eo exponendo hîc commorari. Fingamus etenim Christum, per hæc multa intelligere multitudinem rituum, & ordinationem externarum cærimoniarum in Ecclesia, an non scriptura noui Testamenti mandata est literis, postquàm missus est Apostolis in die Pentecostes Spiritus sanctus, & Apostoli diuulgarunt Euangelion Christi in orbem terræ, ac instaurarunt Ecclesias? Quid ergo est, quòd pauciſsima tantum, & non etiam illæ cærimoniarum ordinationes collatæ sunt in literas Apostolicas, si sunt necessariæ ad salutem, & sacra Deo tam grata, ut propter ea largiatur cultoribus tam terrena quàm cœlestia beneficia? Nõ enim nunc loquimur de ijs ritibus, de quibus Paulus dicit: Omnia fiãt decenter & secundum ordinem. Hi enim ritus, qui instituuntur ad conseruandum ministerium prædicandi Euangelij, & ad dispẽsanda Sacramenta eius, iuxta institutionem Christi, ac habent probabilem causam ædificationis, sua commendatione digni sunt, Sed loquimur de nouis illis ritibus ac sacris, quæ post diuulgatum Euangelion in mundum ac instauratas Ecclesias, constituta sunt, uel Prælatorum ordinatione, uel consuetudine, uel priuata deuotione, idque hoc consilio, ut homines ijs sacris expient peccata sua coram Deo, mitigent iram Dei, mereantur liberationem tam à mundanis, quàm ab æternis malis. Talis ritus, & talia sacra, ut non præscribuntur, teste ipso Soto, in literis noui Testamenti, quæ sunt Scriptura Apostolica, ita tantum abest ut sint consona fidei, ut maximè omnium cum uera & Christiana fide pugnent. Vera enim fides, quam docent literæ tam Propheticæ quàm Apostolicæ, hæc est, ut credamus, quòd Solus Iesus Christus sit expiator peccatorũ nostrorum, & placator diuinę

iræ, ac meritum æternæ uitæ, & quòd huius meriti participes reddamur, nullo planè operum nostrorum merito, sed tantum per fidem, quẽ adhuc dum suis locis apertè demonstrauimus. Cęrimoniæ autem Prælatorum, Consuetudinis & priuatæ deuotionis, quæ nullo uerbi Dei testimonio usurpantur, eo præcipuè spectãt, ut sint merita expiationis peccatorum, ac reddant cultorem participem meriti Christi. Quare, cum detrahãt de maiestate Christi, & corrumpant ueram fidem in Christum, non solum non sunt sacra Deo accepta, uerumetiam sunt coram ipso spectacula abominanda & execranda.

Sed habet Sotus aliud κρυσφύκτον, ad quod se recipit, ut à dicto Mosi, imò Spiritus sancti tutus sit. Nihil (inquit) substantiæ religionis & fidei addimus, dum quod exterius fit, certè illi fidei attestatur. Hoc mihi ferè ænigma est, sed nisi fallor illud uult dicere, se nihil addere doctrinæ fidei, si sententiã eius doctrinæ retineat, & faciat externis operibus, quod ueræ fidei sit consentaneum. Agnosco & laudo hanc Soti interpretationem, ac hortor, ut omnes (si quis me audire uoluerit) eam sequantur. Non enim additur uerbo Domini, si uerè & iuxta analogiam fidei, quemadmodum Paulus ait, explicetur. Extant multorum piorum uirorum commẽtarij sic sanctis prolixi in libros tam Propheticæ q̃ Apostolicæ scripturæ. Quæ uerborum farrago non est additio ad uerbum Domini, qualis quidem in dicto Mosaico reijcitur, sed tãtum explicatio, si modo ea cum uera Spiritus sancti sententia conueniat. Nec additur uerbo Domini, sed præstatur ei obsequium, cùm quod uera sententia eius continetur, operibus perficitur. Dictum autem Mosi loquitur de illa additione, qua instituunt contra ueram Sententiam uerbi Domini, sacra, & ritus cęrimoniarum, quibus cultores afficiant Deũ singulari honore, ad expianda peccata sua, & ad consequenda beneficia tam corporalia, q̃ cœlestia. Hæc est illa additio, quam uerbũ Domini detestatur, & quam damnat idolomaniæ. Cùm igitur omnia ferè sacra Pontificij regni & Fraterculorum eius sint talis additio, qualem nunc indicauimus, reliquum est, quòd ea sacra non alio loco coram Deo, q̃ pro Idolomania habeantur.

Illud uerò bellum admodũ est, quod Sotus addit: Vnde, inquiens, qui hæc dicunt, sub nomine Euangelicorum, & libertatis Euangelicæ, Iudaicam seruitutem, imò certè maiorem imponunt Christianis. Non dubito, quin cùm hæc legerint, non nostri tantũ, uerumetiam uestri, qui inter uos sunt, paulò te, Sote eruditiores & sapientiores, risum tenere non queant. Scilicet nos, qui & profitemur, & omnem nostram operam in hoc collocamus, ut Ecclesiam à Pontificia tyrannide, & Fraterculorum impietate, hoc est, à seruitute plusq̃ Iudaica, ad ueram libertatẽ, quam filius Dei sanguine suo acquisiuit, uindicemus, illi ipsi sumus, qui imponimus ecclesiæ seruitutem Iudaica maiorem. Nos, qui hoc maximè omnium, diuina uocatione, agimus, ut Ecclesia à Iudaismo Pontificum & Fraterculorum, ad uerum Christianismum, uerbo Domini traditum, reuocetur, illi ipsi sumus, qui ecclesiam iugo Iudaicæ seruitutis oneramus.

Quęso. n. te, primũ quidẽ, quid est, ecclesiæ imponere seruitutẽ plusq̃ Iudaicã? Num uocare ecclesiã ad certum uerbum Domini, & ad certã sententiam, eam uidelicet, quã spiritus ipse sanctus uerbo Domini tradidit? At hoc est uocare ad libertatẽ. Vbi spiritus Domini est, inquit Paulus, ibi libertas. Deinde, quid, obsecro est, à seruitute Iudaica, ad libertate Euangelicam ducere? Num ecclesiã liberã reddere à scriptura Prophetica & Apostolica,

stolica,& alligare eam ad scriniũ pectoris Pontificij, & ad quæuis somnia Fraterculorum? Hoc uerò est, quod furiosi homines quærunt, ut Ecclesiã diutius in captiuitate sua plusq; Aegyptiaca & Babylonica detineant, & ea pro libidine sua turpissimè abutant. Solẽt.n. rugire, penes ipsos esse mã dandi autoritatem, penes alios aũt obediendi necessitatẽ. Et uocant libertatem, nõ quam Ecclesia habeat, sed qua ipsi Soli fruant, uidelicet, si Papa (recitabo.n. sua ipsorũ uerba) suæ & fraternæ Salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, q̃d magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos caterua tim secũ ducit primo mãcipio gehennę cũ ipso plagis multis inæternũ uapulaturus, huius culpas istic redarguere prę sumit mortaliũ nullus, &c. Hęc scilicet est libertas illa, ad quã Sotica colluuies Ecclesiã abducere studet. Quãto, obsecro, modestiores sunt Romani Imperatores, q̃ Romani Põtifices, & Asotici Prę lati? Hi.n. sumunt sibi libertatem, imò potius licentiam aduersus Legem Dei. Illi autem subijciunt se legibus, ac putant, obedire legibus esse regnare. Sed præstat uerba ipsa eorum audire.

Impp. Theod. & Valenti. ad Volusianum.

Digna uox maiestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, adeo de autoritate Iuris nostra pendet autoritas. Et reuera maius imperio est, submittere Legibus Principatũ, & oraculo præsentis edicti, q̃d nobis licere non patimur, iudicamus &c. Dicunt Imperatores, se alligatos Legibus. Dicunt autoritatem suam pendere ex autoritate iuris. Quanto hoc honestius est, quàm quòd exigitur à nobis, ut æternam nostram salutẽ magis è scrinio pectoris Pontificij, quàm è scriptura Prophetica & Apostolica petamus. Ac aliâs quidem, uidentur etiam Pontifices modestiores, cum dicunt, se debere doctrinam Domini & Apostolorum eius usq; ad animam & sanguinem confirmare: Sed quia perfricuerunt frontem, nunc dicunt lucem, tenebras, nunc tenebras lucẽ. Et quod est in ueteri uersiculo: Nil intra est oleã, nil extra est in nuce duri. Quid aũt opus est, ut excutiendis Soti blatera mentis tamdiu immorer? Quod.n. Moses dicit: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicq; nec minuas, hoc idem alijs quidem uerbis, sed eadẽ planè sententia dicit filius Dei: Oues meæ audiunt uocem MEAM, & nõ nouerunt uocem alienorum. Et Paulus, Si nos aut angelus è cœlo prędicauerit uobis Euangelion præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quare quoscunq; ritus, quoscunq; cultus, quęcunq; sacra Fraterculi, prę ter Euangelion Christi, ad expianda peccata hominum coram Deo, attulerint, Spiritus sanctus iam antè anathemate deuouit.

Sed Sotus etiã illud dictum apud Matthæũ, Frustra colunt me, docentes doctrinas mandata hominum, ad sua partim inepta, partim impia sacra accommodat. Ac definit, quæ sint hominum mandata. Ea, inquiens, sunt, quæ neq; scriptura, neq; tradita ab Apostolis habentur, nec inde certa ratione sequuntur, nec eis consonant. Hanc definitionem, iuxta Sentẽtiam Spiritus sancti, in Scriptura Prophetica & Apostolica ostensam, agnosco. Sed quod Sotus addit, Adoratio Eucharistiæ, inquiens, ex ea fide sequitur, qua creditur ibi esse Christus, plenè ac perfectè negamus, Nec unquàm uerum esse probabit, quòd Eucharistia, hoc est, panis aut species panis, idcirco sit adoranda, quia creditur ibi esse Christus. Sed de adoratione Eucharistiæ mox, Et copiosior dicti illius, Frustra me colunt, &c. explicatio, è superioribus est petenda. Nunc quæ relíqua sunt testimonia,

Clementis & Cyrilli, paucis perstringemus.

De repositione hostiæ.

Cùm enim Clemens iubet, ut si quid holocaustorum in altari remanserit, non reseruetur in crastinũ, sed à Clericis absumatur, hîc Asotus scribit, has esse ordinationes Prelatorum, quę pro diuersitate temporum mutari possint, prout Ecclesiæ uidebitur. Primùm ergo, agnoscis, Sote, consuetudinem non reponendi hostias, ut uocant, sed eodem die absumendi, esse ueterem ac Apostolicam traditionem, & in Ecclesia fuisse usitatam. Cur igitur nos, qui istam ueterem & Apostolicam consuetudinem retinemus in usum, uocamur Nouatores? Cur habemur hæretici? An sunt nouatores & hæretici, qui ueterem, eamq; Apostolicam traditionem sequuntur? Deinde, si est Apostolica traditio, ut hostiæ non reponantur usque in crastinum, cur Prælati hanc traditionem mutarunt? quis dedit eis potestatem mutandi ea, quæ Apostoli tradiderunt? Sed de potestate, aut potius licentia Prælatorum aliâs. Nunc illud accipimus, quòd Sotus affirmat hanc consuetudinem esse à Prelatis mutatam. Hoc enim est, quod toties conquerimur, Prælatos solere pro sua libidine, instituta tam uerbi Dei, quàm ueteris Ecclesiæ destruere, ædificare, & quadrata rotundis mutare. Nam, quod Sotus addit, Eucharistiam debere seruari pro infirmis, ex omni antiquitate Ecclesiæ certum esse, totidem penè uerbis respondeo, Eucharistiam non debere seruari nec pro firmis nec pro infirmis, ex omni uerbi Dei antiquitate, & huius Clementis, ac postea Cyrilli seu Origenis autoritate certum esse.

Sed uide mihi etiam, qua industria testimoniũ Cyrilli conuellat. Dicit eum magis mystice loqui. Est & hęc pars earum Regularum, quas tradit Asotus in exponẽdis scripturis, uidelicet, ut cùm nescias, quid sit respondendum, dicas, autorẽ loqui mysticè. Quid ergo? Num quia aliquid mystícè dicitur, idcirco falsum est, quod historicè dicitur? Paulus ad Galatas scribens, affirmat illud quod scriptura dicit, Abrahamum habuisse duos filios, unum ex ancilla, alterũ ex libera, mystícè seu ἀναγωγικῶς intelligendum esse. Num idcirco historia ipsa falsa est? Ridiculum theologum. Sed illud serium est, quòd dicit, Repositionem Eucharistiæ, ut à Christo non præceptam, ita nec prohibitam esse. Fateor, per se hoc liberum: sed quod per se liberum est, hoc ex circunstantijs fit uobis, Sote, impium. Primùm enim, cùm non habeatis ueram in Missis uestris Eucharistiam, quemadmodum suprà ostendimus, reponitis tamen, tanquàm ueram Eucharistiam. Hęc est impostura. Deinde reponitis eam in adorationem. Hæc est Idolomania. Vides igitur nunc quòd uestra repositio manifestè sit prohibita, nisi fortè uobis liceat impunè hominibus imponere, & Idola instituere.

Eucharistia an adorãda.

Quid ergo? inquies. Num Eucharistia non est adoranda? Quid igitur est, quod Augustinus dicit, Inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus Non adorando? Respondeo paucis. Augustinus nõ loquitur ibi de Eucharistia cœnæ Domínicæ, sed de Christo ipso. Confitemur autem Christum filium Dei, uerum Deum, & uerum hominem, semper & ũbique, siue in cœlo, siue in terra, siue in Eucharistía, siue extra Eucharistiam adorandum esse. Donauit (inquit) illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & infernorum. In præsentia autem non loquimur de Adoratione Christi, sed de Adoratione Eucharistiæ, hoc est, panis, seu ut uos loqui soletis,

ſoletis, ſpeciei panis. Hic enim aperte & ingenuè profiteor, quòd etſi Chriſtus, ut dictum eſt, ſemper & ubiq; ſit adorandus, tamen nec panis, nec ſpecies panis ſunt adoranda. Ac de ueſtri quidē panis ſpecie, nullū apud nos dubium, quin non ſolum non ſit adoranda, uerum etiam abominanda et deteſtanda. Cùm enim non habeatis ueram cœnam Domini, non habetis etiam ueram Euchariſtiam, ideoq; nullo modo adorādam. De noſtro autem pane, in cœna Dominica, ſentiēdum eſt, quòd & ſi is uerum eſt Sacramentum, & uerè per eum diſpenſatur corpus Chriſti, tamen ne ſic quidem eſt adorādus. Nam ſi de Deo ipſo ſermo eſt, non eſt exiſtimandum, quòd cùm Deus ſit adorandus, idcirco omnia ea in quò eſt Deus, ſint adoranda. Deus implet cœlum & terram. Nunquid ergo cœlum & terra ſunt adoranda? Deus eſt præſentia, eſſentia, & potentia ſua tam in lapide, quàm in ligno.

Nunquid ergo Ethnici non deſignarunt execrabilem Idolomaniam, quòd coluerint & adorauerint lapides & ligna? Deus erat in uitulo aureo, quem inſtituerāt Iſraelitæ in deſerto. Si enim cœlum eſt ſedes Dei, & terra ſcabellum pedum eius, certè erat & Deus in uitulo aureo, ex terra, & in terra producto. Nunquid ergo Iſraelitæ excuſabuntur ab idolomania, quòd uitulum adorauerint?

Sic etiam, ſi de Corpore Chriſti ſermo eſt, hoc quidem, propter coniūctionem & unitatem perſonæ cum Deo, ſemper eſt adorandum, non autem ſequitur, quòd idcirco ea creatura, in qua, aut cum qua eſt corpus Chriſti, ſit adoranda. In pane cœnæ Dominicæ confitemur uerum eſſe corpus Chriſti, & ibi uerè diſpenſari. Nego autem eum panem eſſe adorandum. Ac fateor quidem, quòd quemadmodū Deus quondam erat adorandus, ad arcam propiciatorij, quia receperat ſe ex propiciatorio mādata ſua daturum, non autem erat adoranda arca ipſa: ita & Chriſtus filius Dei adorandus ſit ad panem cœnæ Dominicæ, quia promiſit ſe ibi corpus ſuum diſtributurum, non autem adorandus eſt panis ipſe, quòd & ſi ibi eſt corpus Chriſti, tamen hoc non aſſumpſit panē in unitatem perſonæ, ſicut filius Dei aſſumpſit hominem. Ac ſiquidem Panis, in Monſtrantijs, ut uocant, propoſitus, adorandus eſt, cur non etiam adoraretur in homine propoſitus?

Ponamus nunc aliquot homines ſumpſiſſe panem cœnæ Dominicæ, & adhuc eum recentem, ac indigeſtum intra ſe geſtare, quid nō procumbimus coram ijs hominibus in genua, & protendimus ad eos manus noſtras, ac dicimus, Miſerere mei Deus, ſecūdum magnam miſericordiam tuam? Cùm enim homo ſit creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & nunc geſtet intra ſe panem, qui eſt corpus Chriſti, certè multo meliori iure procumbendum eſſet coram eo, in genua, quàm coram Monſtrantia, quæ tantum intra ſe panem continēt, non eſt autem ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata. Ac etiam ſi homo non iam primum ſumpſerit panem cœnæ Dñicæ, tamē ſi credit uerè in Chriſtum, tunc habitat in ipſo Chriſtus per fidē, & multo magis in corde eius cōtinetur, q̄ in pane. Quid ergo eſt, quòd non potius homo pius, q̄ panis adoretur? Sed hoc ipſi etiam Fraterculi abominant. Adoremus igitur Chriſtū Dominū noſtrum in ſua maieſtate, ſiue in cœlo, ſiue in pane Euchariſtiæ, cœlum aūt intuea mur cum gratiarū actiōe, & panē cœnę Dñicæ ſumamus reuerēter, & ex fide, ut ueram λατρείαν ita ſequamur, ne interea deſignemus Idolatriā. Diſcamus (inqt Chryſoſtomus) Philoſophari, & Chriſtū, pro ut uult ipſe, ue-

Homil. 60. De ſumentibus indignè diuina, &c.

nerari. Honorato namq; iucundissimus honor, quem ipse uult, non quẽ nos putamus. Non autem uult, ut honoremus ipsum, adorãdo panem. Vetuit enim creaturas adorare, Sed uult ut honoremus ipsum, sumendo panem ex fide, ut credamus corpus eius pro nobis traditum, & sanguinẽ eius pro peccatis nostris effusum, ac declaremus nos erga ipsum gratos ijs officijs, quæ nobis uerbo suo præcepit. Non potest igitur fieri, ut fides excitetur nos ad adorãdum panem, seu species panis, sed potius, quia prohibet seuerissimè, ne ullã creaturã, siue in cœlo, siue in terra, adoremus, auocat nos ab ἀρτολατρείᾳ, & deducit nos ad χριστολατρείαν, ut Christum filium Dei piè uenerantes, Deum ipsum ueneremur. Et hîc quidem tollam uel tandem, in hoc argumento, manum de tabula. Fuissem autem in refutanda Missa Pontificia, & ostendenda impietate Fraterculorum prolixior, nisi tot extarent pia & erudita scripta, quæ sacrificulorũ idolomaniam ac impietatem in Missis suis, ita illustrant, & perspicuis Propheticæ ac Apostolicæ scripturæ testimonijs refutant, ut qui ijs ad abijciendam idolomaniam suam, & ad sectandam ueram pietatem nõn excitantur, merito audiant illud Prophetæ: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Precamur autem Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut quam lucem Spiritu sancto suo in uera Ecclesia accendit, eam non patiatur ullis Pontificiorum uentorum tempestatibus extingui, sed perpetuo ardentem conseruet.

De Ordine.

INter Sacramenta Pontificiæ Ecclesiæ, solet etiam Ordõ (Sic enim uocant publicam ordinationẽ ministrorum Ecclesiæ) numerari. Sed quodcunq; ei nomen tribuerint, certè qualis est Ecclesia eorum, talis est & ordo ministrorum eius.

Ac initio Fraterculus non debet impune ferre, quòd tam exhausto sit pudore, ut audeat publicè, & nomine Ecclesiæ catholicæ, ac cõtra tam pij Principis Confessionem, non solum Chrismaticum illud Sacerdotium eorum sacrificulorum, qui ab Episcopis ad sacrificandum pro peccatis uiuorum & mortuorum unguntur, præferre uero & spirituali Sacerdotio omnium piorum, qui sunt in Christo renati, ac affirmare Solos illos suos unctos sacrificulos, esse ueros ac proprios sacerdotes, sed etiam asseuerare, hanc esse doctrinam ueræ fidei, & traditionem Apostolorum. Docet (inquit, libet enim uerba eius adscribere) apertè certa fides, & ex sacris literis, & traditione Apostolorum, cui consonat etiam naturalis ratio, quòd & si Christiani omnes spirituales & mystici Sacerdotes ex unguento capitis fiant, ut hostias spirituales Deo offerant, tamen VERI ET PRORII SACERDOTES SOLI sunt, qui ab Episcopis sacramento Ordinis initiati legitimè sacerdotij potestatem acceperunt. Hactenus ἄσωτος. Rectè à Veteribus dictum est, Qui uerecundiæ fines semel transierit, eum bene & nauiter oportere esse impudentem. Sotus iecit aleam, & perfricuit frontem. Quare, cùm semel cœperit, quæ in buccam ueniunt, dicere, uera ne, an falsa sint, quæ dicuntur, non erit curæ Hippoclidæ, confidenter modò, & audacter dicantur. Viderint sui Catholici, quorum Sotus patronus est, quomodo ea consistant. Quid enim potest

est impudentiùs dici, q̃ eos SOLOS esse VEROS & PROPRIOS sacerdotes, qui ab Episcopis ungũtur, & sacerdotij (hoc est, ut quidem ipsi intelligunt) sacrificandi pro uiuis & mortuis potestatem accipiunt? Ergo, qui unguntur Spiritu sancto à Christo ipso filio Dei, in spirituales sacerdotes, non sunt ueri, sed falsi, non sunt proprij, sed alieni coram Deo sacerdotes. Scilicet, qui unguntur unguento Episcoporũ, sunt ueri & proprij, Qui autem unguntur unguẽto Capitis, hoc est, Christi filij Dei, quod est unguentum Spiritus sancti, sunt falsi & alieni sacerdotes. Quæ est hæc audacia? quis furor? Vbi, quæso, hoc docet uera fides? Vbi Sacræ literæ? Vbi traditio Apostolorum? Nam quòd Sotus etiam naturalem rationem, (quæ non sapit ea quæ Dei sunt) in testimonium adducit, manifestè insanit. Non iam conferam spirituale sacerdotium, cum sacerdotio Pontificio aut chrismatico. Hoc enim Idolomanicum est & Magicum, quemadmodum suprà, cùm de Eucharistia tractatum est, ostendimus, sed conferam cum Ministerio Ecclesiæ, quale quidem Confessio Principis in hoc loco exposuit, & quale est in uera Ecclesia Christi. Etsi enim hoc ministerium institutum est diuinitùs, & usus eius in Ecclesia necessarius est, tamen non est tanti momenti, ut sit spirituali sacerdotio præferẽdum, ac ne æquandum quidem, sed potius subijciẽdum, quippe quòd sit institutum & ordinatum, ut illi seruiat, ac ministret. De spiritualibus enim sacerdotibus (qui sunt Ecclesia ipsa) & ministris eorum, dicit Paulus: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mũdus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: Omnia, inquam, uestra sunt, Vos autem Christi, Christus uerò Dei. Et iterum: Non prædicamus nos ipsos, sed Christum Iesum Dominum nostrum, Nos autem Seruos uestros propter Iesum. Si Apostoli sunt Serui Ecclesiæ, quõmodo fieri posset, ut soli serui, non autem Ecclesia, domina, essent ueri & proprij sacerdotes? Petrus uocat Ecclesiam, Genus electum, Regale sacerdotium, & gentem sanctam. Quid ergo dicemus? Regale ne sacerdotium nõ erit nec uerum nec proprium, sed falsum & alienum? Imò, quia hi, qui putantur præcipui Ecclesiæ ministri, non sunt aliquoties spirituales sacerdotes (Possunt enim esse animo impio, & Epicuræo). Qui autem sunt uerè spirituales sacerdotes, non sunt impij, sed Spiritu sancto reuera ornati, idcirco hi sunt multo ueriores & certiores coram Deo sacerdotes, quàm Ministri. Ac profectò si illi spirituales sacerdotes, non sunt ueri ac proprij sacerdotes, ne Christus quidem ipse, à quo hanc sacerdotij dignitatem accipiunt, pro uero ac proprio sacerdote habebitur. Vngit enim eos eodem chrismate, hoc est, Spiritu sancto, quo ipse unctus est. Vos (inquit Ioannes) unctionem habetis à sancto illo. Ac iterum. Ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium. Quanquàm enim Deus unxit filium suum præ consortibus suis, & dedit ei Spiritum non ad mensuram, ac Solus ipse sit uerus summus sacerdos, pios autem ungit pro suo modo & mẽsura, nihilominus tamen & unctio uera est, & sacerdotiũ in suo genere uerum. Nũ idcirco non est uerum, quia Mysticum? Imò quia mysticum est, uerũ est. Loquimur eñ non de Ethnicis, sed Christianis mysterijs. Sic nos, inquit Paulus, æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. An quia Ministri dispẽsant mysteria Dei, nõ dispẽsant ueritatẽ? Hęc est Sotica dialectica. Sed redeo ad Sacerdotiũ Chrismaticũ. Nã si sacerdotes spirituales, (qui sunt uera Dei Ecclesia) excellunt ueritate sui sacerdotij ministros Ecclesiæ (sicut iã ostendimus) quãto magis excellũt sacerdotes

Chrismaticos, hoc est, Idolomanicos & Magicos: imò indignissimum est, ut hi illis conferantur. Facessat igitur hinc Asotus, cum suis Chrismaticis sacrificulis, & sciat, sibi nec cum uero sacerdotio, nec cum uero ministerio Ecclesiæ aliquid commune esse.

Deinde Sotus non est contentus publica uocatione & probatione eorum, qui suscepturi sunt ministerium Ecclesiæ, sed exigit etiam Ordinationem, & ut in scorijs addit, Collationẽ potestatis signis uisibilibus &c. Atq; illud quidem inter nos conuenit, ut nullus usurpet sibi temere publicum ministerium in Ecclesia, sed sequenda sit legitima uocatio. Nec hoc damnauerim, ut qui uocatus est, commendetur Ecclesiæ non precibus tantum, uerum etiam impositione manuum, siquidem hæc, non ut necessaria, sed ut liberrimus ritus usurpetur. Etsi enim habet exemplum Apostolorum, qui ea aliquoties ex consuetudine Legis usi fuerunt, tamen non habet præceptum Dei, ideoq; habenda est pro cærimonia libera, nec est obtrudenda Ecclesiæ, ut necessaria.

Sed hîc iam quæritur, & in hoc statu uersatur nunc controuersia, Quæ sit legitima uocatio & ordinatio? Sotus contendere uidetur, eam solam esse legitimam uocationem & ordinationem, quæ fiat ab ordinarijs Episcopis, unctione manuum, & collatione potestatis sacerdotalis. Ac siquidem Episcopi, qui his temporibus sic uocantur, ueri essent Episcopi, & prædicarent, iuxta uocationem suam, Euangelion filij Dei synceriter, ac uterentur balsamo liberè, ad depellẽdos suauitate eius, tetros odores, nec intelligerent nomine sacerdotalis potestatis, aliud quicquam, præter ministerium Euangelij, sicut est à Christo institutum, non esset fortasis, cur Ordinationi eorum odiosè repugnaremus. Nunc autem multa sunt, quę cogunt Ecclesiam & Ministros eius, ut tales Episcopos unà cùm Ordinationibus & Vnctionibus eorum deserant.

Primùm enim Episcopi Pontificij sunt hostes piæ doctrinæ Euangelij, ac persequuntur ueram Ecclesiam Christi. Etsi enim spero nonnullos inter ipsos esse, qui non curuant genua sua ante Baal, tamen nunc non fit sermo de priuatis quorundam Episcoporum personis, sed de publico ac præsenti statu eorum. Non dubito quidem, Sotum negare eos esse hostes piæ doctrinæ, sed persequi tantum impiam: nos autem in eo iam multis annis fuimus, & adhuc sumus, ut certissimis argumentis, ac firmissimis testimonijs sacræ scripturæ probemus, eam doctrinam, quam ipsi aduersus nos tuentur, esse impiam, nostram autem esse piam, & scriptis Prophetícis ac Apostolicis consentaneam. Cùm igitur certò ac uerè sentiamus Pontificios Episcopos esse hostes ueræ Ecclesiæ, ac doctrinæ eius, quæ nos furiæ agitarent, ut ab ipsis Ordinationem peteremus? An hoc non esset à lupis petere ouium pastorem?

Deinde, Chrisma, quo manus ordinandorum ungunt, non est Christianum, sed magicum, quemadmodum suprà demõstrauimus. Quomodo igitur liceret nobis eo bona conscientia uti?

Præterea est & ritus ipse, quo manus unguntur, magicus. Cùm enim Pontifex susçipit Sacrificulum consecrandum, ungit ambas eius manus simul iunctas (Recito autem uerba ipsa Pontificalis eorum) in modum crucis producendo cum pollice suo dextro, in oleum catechumenorum intincto, duas lineas, uidelicet, à pollice dextræ manus, usq; ad indicem sinistrum, & à pollice sinistro, usq; ad indicem dextrum, ungendo mox totaliter palmas, dicens, Cõsecrare & sanctificare digneris Domine manus

istas,

istas, per istam unctionem, & nostram bene ✝ dictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunq; consecrauerint, cõsecrentur & sanctificentur, In nomine Domini nostri Iesu Christi Amen.

Non habet autem oleum uel ex sua creatione, uel ex singulari Dei institutione, ut quæ manus eo unguntur, ita consecrentur, ut quæcunq; benedixerint benedicãtur. Num enim, si quis sacrificulus, manus ab episcopo unctus, benediceret uel uenenum, uel Satanam ipsum, benedicta essent? Reliquum igitur est, quòd hæc benedictio, non sit nisi magica incãtatio. Adhæc, qui sic unguntur, non in hoc unguntur, ut adnuncient Ecclesiæ Euangelion filij Dei, quod est præcipuum officium ministrorum Ecclesiæ, sed ut celebrent Missas pro uiuis & defunctis. Sic enim dicit Pontifex ad sacrificulum: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro uiuis, q̃ pro defunctis, in nomine Domini. Docuimus autem has Missas esse impias & Deo abominãdas. Quis ergo pia mente præditus pateretur se tali unctione consecrari? Denicq; multa alia sunt, quæ pios quosq; meritò absterrere debent, ne Ordinationem suam à Pontificijs Episcopis petant.

Quid igitur? Num quia Ecclesiæ iuxta doctrinam Propheticam & Apostolicam instauratæ, non petunt ordinationem suorum ministrorum à Pontificijs Episcopis, nõ habebunt, nec ueros ministros, nec uera Sacramenta? Bona uerba. Ministri harum Ecclesiarum non cõsecrantur impia incantatione, consecrantur autem pia precatione: non consecrantur oleo magico, consecrantur autem cœlesti inuocatione. Qui enim eliguntur in pastores Ecclesiarum, probantur primùm omnium, quoad eius humana diligentia & iudicio fieri potest, tam doctrina, quàm uita.

Deinde commendantur Ecclesiæ, cui præficiendi sunt. Ac ne sic quidẽ obtruduntur inuitæ, Sed tum demum exhibẽtur ei, cùm & ipsa consenserit ac approbauerit. Nam penes plebem Ecclesiæ potestatem esse ministros uel dignos recipiendi, uel indignos recusandi, ac omnino officium eius esse impios & sacrilegos fugiendi, ac deserendi, testificatur Cyprianus, cuius uerba ex libro 1. Epistola 4. hìc referre libet. Non blandiatur sibi plebs (inquit) quasi immunis à contagione esse delicti possit, cũ sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atq; illicitum præpositi sui Episcopatũ consensum suum commodãs, cùm per Oseam Prophetam comminetur & dicat censura diuina, Sacrificia eorum tanquàm panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Docens scilicet & ostendens, omnes omnino ad peccatum cõstringi, qui fuerint prophani & iniusti sacerdotis sacrificio contaminati.

Tales sunt sacrificuli Missarij.

Quod idem in Numeris manifestari inuenimus, quãdo Chore & Dathan & Abyron contra Aaron sacerdotem sacrificandi sibi licentiam uendicauerunt. Illic quoq; per Mosen præcepit Dominus, ut ab eis populus seperetur, ne facinorosis coniunctus, eodem facinore & ipse perstringatur. Separemini (inquit) à tabernaculis hominum iniustorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum. Propter quod PLEBS obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à PECCATORE PRAEPOSITO separare se debet, nec se ad SACRILEGI SACERDOTIS sacrificia miscere, cùm IPSA maximè habeat POTESTATEM VEL ELIGENDI DIGNOS SACERDOTES, VEL INDIGNOS RECVSANDI. Hactenus Cyprianus.

Pontificij sacerdotes uẽdicant sibi licentiam contra Aaron, hoc est, contra Christũ, per Aaron adumbratũ.

Hîc non dubito, quin Sotus, qua est religione, cùm hæc legerit, reiectu rus nos sit in catalogum eorum sacrilegorum Sacerdotum, quorum Cy prianus meminit. Nos autem, etsi iamdudum multis & firmis argumen tis conuicimus Sotum, ac omnem colluuiem eius, Sacrilegij, tamen in præsentia non disputabimus, Qui sint sacrilegi Sacerdotes, Sed illud no bis nunc sufficit, quòd non liceat solùm, uerum etiam necessarium sit ple bi Ecclesiæ, ut deserat indignos, impios & sacrilegos sacerdotes, ac procu ret sibi dignos, qui & pia doctrina Ecclesiam diligenter erudiant, & hone sta uita doctrinam suam ornent. Neq; metuendum est, ne, si sacrilegus Epiſcopus reijcitur aut deuitatur, pereat, aut concidat ordinaria successio. Hæc enim non pendet, nec à Sedibus Episcoporum, nec à personis eorũ, sed à uera doctrina Apostolorum, ut is sit uerus successor Apostolorum, qui docet, quod Apostoli docuerunt, & quod scripto eorum continetur. Sed de Successione in προλεγομένοις copiosè.

Pergamus igitur, & accedamus ad eos gradus, quibus Pontificij ad di gnitatem sacerdotij sui ascendere solent. Sub sacerdotibus, inquit Sotus, alios esse inferiores ministros scilicet Ostiarios, Lectores, exorcistas, Aco lytos, Subdiaconos, diaconos, super sacerdotes uerò Episcopos, certa fi des credit. Sed heus tu, Sote, ubi manent Archiepiscopi, Primates, Patri archæ, Cardinales, & summus Pontifex Romanus? Fortasis quia hi nõ continentur in Sacramento Ordinis, nec sunt à Christo instituti. Ac Con fessio quidem Principis non negat utile esse, ut studium eorum, qui acces surí sunt ad Ecclesiam, quasi rudimẽtis, probetur. Negat autem istam mi norum, ut uocant, graduum ordinationem esse ex institutione Christi, & in Ecclesia necessariam. Quãquàm autem hoc manifestius sit, quàm ut in digeat probatione, ac ipsi etiam Pontificij seruent quidem suos in his ordi nibus conferendis ritus, officia autem eorũ intercidere sua sponte sinant, tamen operæprecium est audire, unde gradus horum ordinum sumpse rint, ut uel eo cognoscatur, mera esse blateramenta, quæ de his ordinibus garriunt. Primùm (inquiunt) signaculum Clerici Corona est. Vsum autẽ huius tonsuræ, à Nazaræis exortum esse dicunt. Sed quis dedit uobis po testatem reducendi umbram in ueritatem, & tenebras in lucem? Siccine licet uobis clarissimum Solem ueteribus nebulis obscurare?

Ex Hugone de sancto Victore.

Deinde, sequuntur, inquiunt, septem graduum promotiones, in qui bus per spiritualem potestatem altius semper ad sacra tractanda conscen dunt. Et mox. Isti ordines sacri diuersis locis per orbem terrarum quacun que Sanctæ Ecclesiæ corpus diffusum est, disponuntur, nõ solum uolun taria ordinatione spiritualium Patrum, sed ex IPSO quoq; GENTILI TATIS usu conuenienti ratione assumpta. Habes igit suam ipsorum cõ fessionem, quòd hæc graduum distinctio non sit instituta mandato Chri sti filij Dei, sed uoluntaria ordinatione spiritualium, ut ipsi loquuntur, Pa trum, nec sit instituta uerbo Dei, sed ex ritibus Gentilitatis. An non pro bè & piè ab his Patribus saluti Ecclesiæ cõsulitur, quòd sumant gradus sa cerdotij sui è sua ipsorum uoluntate, & è ritibus Ethnicorum? Emendabi mus igitur uerba Christi, & cùm ipse dixerit, Spiritus sanctus docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis, dicemus deinceps nos, Spiritus sanctus docebit uos omnem uestram uoluntatem, & sugge ret uobis omnia, quæcunq; Ethnici in suis sacris peregerunt, ut & uos ea imitemini.

Et tamen ne Pontificij habeant tantũm exempla Ethnicicorum, ac commodant

commodant huc etiam exempla Christi.

Inter hos septem (inquiũt) gradus spiritualis officij primus est eorum, qui Ostiarij dicuntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto uendentes & ementes in templo, eiecit. Si his temporibus multi tales Ostiarij essent, non dubito quin Pontificiæ ecclesiæ breuissimo tempore prorsus uacuæ fierent.

Sed si ex hoc exemplo Christi faciendus est gradus Ecclesiastici ministerij, & Sacramentum ordinis, quid est, quòd non faciunt etiam ex Ambulatione in templo, Sacramentum ordinis, quia scriptum est, Iesus ambulabat in templo, in porticu Salomonis?

Secundus gradus est Lectorum. Hoc officium (inquiunt) Dominus in propria persona ostendit, quando in medio Seniorum librum Esaię Prophetæ aperiens distinctè ad intelligendum legit: Spiritus Domini super me &c. Legendam quidem & explicandam esse Sacram scripturam in ecclesia, nemo est, qui neget, Sed ex hoc exemplo Christi instituere singulare gradum, & sacramẽtum in ministerio Ecclesiastico, hoc demum est superstitiosum. Sicut enim in templis funguntur officio Ostiariorum æditui, etiamsi non fuerint suis cærimonijs ab Episcopo consecrati, sed tantum à plebe eius loci ad hanc functionem ordinati, ita textum Sacræ scripturæ publicè in Ecclesia legunt hi, qui cùm sint expedita & erudita lingua, ad hoc officium, uocatione eorum, quorũ in ea Ecclesia interest, ordinati sunt, etiamsi non sint Episcopali consecratione in eo gradu collocati. Et quid? Si tanta est libido faciendorum graduum, cur non constituũt etiam gradum Disputatorum, quia scriptum est, Inuenerunt Iesum sedẽtem in medio Doctorum, audientẽ illos, & interrogãtem eos? Iam, quid & Scriptorem, in horum graduum catalogum nõ retulerunt? Scriptum est enim, Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.

Tertius est ordo Exorcistarũ. Hoc officio, inquiunt, usus est Dominus quando saliua sua tetigit aures & linguam surdi ac muti dicens Epheta, quod est Adaperire. Quid ergo? Si hæc iusta & legitima causa est, propter quam instituendus erat peculiaris gradus in Ecclesiastico ministerio, cur non institutus est etiã peculiaris gradus, ex eo, quod scriptum est, Dominum fecisse lutum ex sputo, & illeuisse super oculos cęci? Aut ex eo, quod scriptum est, Dominum tetigisse loculum, ut qui defunctum portabant, subsisterent? Faciamus ergo in ministerio Ecclesiastico gradum Expuentium, & loculos tangentium.

Quartò loco succedere dicunt Acolytos, quos interpretantur Cerofe rarios, quia accensos cereos deferunt dum legitur Euãgelion &c. Hic nõ in Theologia tantum, uerumetiam in Grammatica, quod utrumque illis usitatum est, peccant. Græcis enim ἀκόλουθος, nõ est ceroferarius, sed comes, seu minister assectator, qui dominum suum ad pedes sequitur. Hoc officium dicunt Dominum in Euangelio testificari se habere, cùm ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Quid, obsecro, hæc sibi uolunt ludibria? Quando tandem desinent isti ineptire, imò insanire? Existimatis ne Christum dixisse, se esse Lucem mundi, ut significaret, non solum se ipsum esse ceroferarium, uerumetiam instituendum esse in Ecclesia gradum seu ministerium cerofe rariorum? Quid istis interpretibus scripturæ furiosius? Manifestum quidem est, quòd Christus filius Dei sit uera Lux, & præferat nobis facem, ad euadendas æternas tenebras. Sed illa est furia, quòd existiment Christum

uel hoc ſuo dicto, uel hac ſua actiõe, ſignificaſſe, inſtituendũ eſſe peculiare externorum ceroferariorum in Eccleſia Sacramentum. An non dixit etiam: Ego ſum oſtiũ, Ego ſum paſtor bonus, Ego ſum uitis uera? Inſtituamus igitur ordinem eorum hominum, qui præferant nobis oſtia, ſtatuas paſtorum, & externas uites, ut intelligamus iis Chriſtum adumbratum. Et cùm Ioãnes Baptiſta dixerit de Chriſto: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi, ordinemus in miniſterio Eccleſiæ gradum, ad quem conſecrentur homines, qui uel oſtentent nobis, uel circumferant agnos, quibus Chriſtus nobis ob oculos quaſi depingat. Amâbo te, Sote, ſi tui Prælati, deliberaturi, num circumgeſtatio Agni mactati inſtituenda eſſet in cultum diuinum, & in umbrã ueri agni, pro peccatis noſtris mactati, coirent in Synodum, & adhiberent te in conſilium, quid faceres? quid conſilij afferres? Num hortareris Patres, ut fortiter pergerent, & diuinum cultum augerent, atq; inſtitutione huius circumgeſtationis deuotionem populi excitarent, ac inflammarent? Sed audires à nobis, quod à te audire ſolemus, Nouator. Audires illud, quod uerè ſubuertit omnes ueſtras aras, & ueſtrarum manuum ſculptilia: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. Audires & illud Pauli, ſi modo prior eius dicti pars uobis rectè accommodari queat; Poſteaquàm cognouiſtis Deum, quin potius cogniti eſtis à Deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro ſeruire uultis? An dehortareris? Vbi ergo maneret autoritas maiorum tuorum, qui non minus friuolas habuerunt cauſas inſtituendi Sacramẽti ceroferariorum, ex eo, quòd Chriſtus dixit: Ego ſum Lux mundi, quàm tui illi Prælati haberent inſtituendi cultus aut Sacramenti Agniferariorum, ex eo, quòd de Chriſto dictum eſt, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi?

Porrò, Chriſtus filius Dei, & ſi factus eſt Acolytus, ſeu ut ipſi interpretãtur, ceroferarius, tamẽ nondum licet ei conſcẽdere in gradum ſacerdotij, niſi ante fiat etiam Subdiaconus. Quinto igitur loco (inquiunt) ordo eſt Subdiaconorum. Et ut ſcias eos non omnino luſiſſe operã in ſtudio Græcarum literarũ, affirmant ſubdiaconos apud Græcos dici hypodiaconos. Ac addunt, hoc officio uſum eſſe Dominum, quando facta cœna, præcinxit ſe linteo, & miſſa aqua in peluim, lauit pedes diſcipulorum, ac exterſit linteo.

Si Chriſtus hoc ſuo exemplo ſignificauit inſtituendum eſſe in Eccleſia ordinem hypodiaconorum, haud ſcio, quanta ſequantur abſurda. Exemplum enim Chriſti hortatur, non unum tantum hominum genus, ſed omnes pios, ut ſua ſibi inuicem officia deferãt. Si ego, inquit, laui pedes ueſtros, Dominus & magiſter, uos quoq; debetis inuicem alij aliorum lauare pedes. Primùm ergo, omnes ſerui, qui lauant pedes dominorum ſuorum, omnes liberi, qui lauant pedes parentum ſuorum, erunt hypodiaconi. Imò in hoc gradu conſiſtent quoq; mulieres, quæ & ipſæ ſolent aliquoties aliorum pedes lauare. Quæ erit hæc rerum abſurditas? Deinde, quia Pontificia lege prohibetur, ne hypodiaconi contrahant matrimonium, metuendum eſt, ne uniuerſus Chriſtianus orbis plenus ſit inceſtuum & ſpuriorum. Cùm enim omnes pij ordinentur & conſecrentur exemplo Chriſti in hypodiaconos, & tamen magna pars eorum ineant coniugia, quid reliquum eſt, niſi ut deſignent inceſtum, & procreent ſpurios?

Sed ne Chriſtus filius Dei per ſaltum, ut iſti loquuntur, ad ſacerdotium promoueatur, neceſſe habet etiam Diaconus fieri. Qui ordo, ſexto loco

ab

ab illis numeratur: Et hoc (inquiunt) officio usus est Dominus, quando post cœnam proprio ore, & propriis manibus sacramenta confecta dispẽsauit, & quando Apostolos dormitantes ad orationẽ incitauit dicens: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.

Hic uerò injicitur mihi scrupulus, quòd Christus, postq̃ iam factus est Sacerdos, & consecrauit panem, tum demum fiat Diaconus. Non enim antè dispensauit panẽ, quod est officium, ut illi aiunt, Diaconorum, q̃ consecrauit, quod est officium Sacerdotum. Et cùm hortatur discipulos ad orationem, iam antè erat sacerdos. Fortassis autem uerbà eorum ita intelligenda sunt, quòd significent Christũ non tum primùm in cœna, sed lõgè antè factum esse Diaconum, in cœna autem officium exercuisse, & humilitatis gratia de gradu Sacerdotij, ad gradum Diaconorum descendisse.

Sed habeant isti suas nugas & ineptias. Obscurum nõ est, ex Actis Apostolicis, cap. 6. quod fuerit initio officium Diaconorum in Ecclesia. Et nomen Diaconi significat Ministrum, nec ad unum tantũ hominum ordinem referri debet, sed pertinet ad cuiusuis generis ministeria. Quicũq; (inqt Christus) uoluerit inter uos maior fieri, sit uester Diaconus. Et mox: Filius hominis non uenit διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, hoc est, non uenit, ut ipse habeat Diaconos, sed ut fiat aliorũ Diaconus. Et Paulus, Dico (inquit) Christum Iesum fuisse diaconum circumcisionis, hoc est, prædicasse Euangelion Iudæis. Magistratus etiam Politicus dicitur à Paulo Rom. 13. Diaconus Dei, idq; ijs tẽporibus, quibus Magistratus adhuc erat impius. Quare, & si Ecclesiasticis diaconis sua quõdam fuerunt officia in Ecclesia, tamen nec nomen, quod tam latè patet, superstitiosis ritibus ad unum tãtum ordinem hominum contrahendum est, nec officium, quo quidẽ isti his temporibus ad sacrificia præsertim Missarũ funguntur, tanti momenti est, ut sine eorum opera uera ecclesia constare nõ queat. Et tamen, audet homo impudens, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, iactare hos ordines, quos enumerauimus, à Christo institutos, & ecclesiæ necessarios esse, cũ nõ habeant nisi exempla quædam Christi, ad hos ordines seu gradus, ineptissimè, sicut ostẽdimus, ab ipsis detorta, & officium Diaconorum longè aliud quondam in Ecclesia fuerit, quàm quod his temporibus ad ministeria Missarum suarum traducant.

Progrediamur autẽ ab his gradibus, & ascendamus in gradum sanctorum eorum Sacerdotij. Tradidit, inquit Sotus, sacra scriptura, quantum satis est, ut agnoscant obedientes filij, institutos à Christo Sacerdotes, qui perpetuo in ecclesia medij sint inter Deum & populum, & offerant sacrificia ad placandam iram Dei, & meritum Christi uiuis & mortuis applicãdum. Quanquàm autem Sotus hoc fortiter asseueret, tamen malè sibi cõscius, diffidit se posse in hoc consistere. Idcirco addit: Docet quidem, inquiens, hoc scriptura, Sed distinctius & manifestius tota semper id tenuit Christiana Ecclesia, ex traditione procul dubio Apostolorum. Pauca hæc sunt uerba Soti, sed profectò multa & magna in ijs mẽdacia continentur. Quomodo enim aduersus tantam impudentiam pudẽtius loqui aut posset aut deberem?

Ac initio, non moueo litem de uocabulo Sacerdotis. Etsi enim literæ Noui Testamenti, quę est scriptura Apostolica, nusquam, quod ego quidem sciam, tribuit Ministris Ecclesiæ nomen Sacerdotis, nisi ubi omnes pios in Christo renatos uocat sacerdotes. Et Epistola ad Hebræos multã quidẽ mentionem facit Sacerdotum, sed Leuiticorum, quos cõfert cum

Sacerdotio Christi, tamen uocentur sanè Ministri ecclesiæ, Sacerdotes, nihil hoc patrocinabitur causæ Pontificiorum. Nam & qui sacrum Euangelion docent, & qui Sacramenta Euangelij dispensant Ecclesiæ, possunt dici Sacerdotes, aut etiã sacrificatores, sicut Paulus dicit se ἱερουργοῦντα, hoc est, Sacrificantem Euangelion Dei.

Deinde manifestè falsum est, quod Sotus dicit, sacram scripturam tradere & docere, tales esse à Christo institutos sacerdotes, qui perpetuò in ecclesia sint medij inter Deum & populum, ac offerant Sacrificia ad placandam iram Dei, & ad applicandum meritum Christi uiuis & defunctis. In Lege quidem Leuitica fuerunt quondam instituti Sacerdotes, qui offerrent pro populo sacrificia, & placarent Deum. Hi autem non fuerunt uerí sacrificatores & placatores, sed tantum adumbrarunt uerum Placatorẽ & Mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christũ, sicut Epistola ad Hebræos clarè exponit. Vnde & ait: Omnis Pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur, in his, quæ apud Deum aguntur, ut offerat donaria & uictimas pro peccatis.

Quo loco Epistola non loquitur de Pontificibus seu sacerdotibus Noui testamenti, sicut Asotus in scorijs suis nugatur, sed de sacerdotibus Veteris testamenti, qui & conferuntur cum Christo solo uero & summo sacerdote. Itaq; postquàm dixisset omnem Põtificem (uidelicet Leuiticum) constitui pro hominibus in his quæ apud Deum agũtur &c. statim addit alteram partem collationis, ita & Christus, inquiẽs, non semetipsum glorificauit. Et mox: In diebus carnis suæ obtulit precationes & supplicationes &c. Et quia Christus fecit omnes pios spirituales sacerdotes, ideo Leuitici sacerdotes adumbrarunt etiã omnes pios, quorum officium est cõfidere unico sacrificio Christi, & hoc solum iræ Dei opponere, quod est Christum incruento modo, sicut suprà dictum est, Patri suo offerre. Officium quoq; eorum est, offerre Deo preces, & supplicationes in Christo, ac præbere corpora sua, hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, & rationalem cultum, sicut Paulus loquitur. Vanum igitur est, quòd uel Leuitici sacerdotes adũbrauerint sacrificulos Missarum, uel Christus instituerit in Nouo testamento tales sacrificulos, qui sub specie panis & uini sacrificent Deo corpus & sanguinem Christi, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum.

Adhæc, uanum est & illud, quòd dicit Sotus, Totam semper Christianam Ecclesiam id distinctius & manifestius tenuisse. Illud fortassis sentit, Sacram scripturam tradidisse paulò obscurius, quòd corpus Christi sacrificandum sit sub specie panis; Ecclesiam autem exposuisse id magis perspicuè. Scilicet Spiritus sanctus, quo dictatore Sacra scriptura literis mandata est, non habuit tantum linguæ aut eloquentiæ, ut potuerit clarís uerbis dicere: Volo, ut sint sacrificuli, qui quotidie offerant sub specie panis & uini, corpus & sanguinem Christi, ad expianda merito huius operis, peccata uiuorum & mortuorum. Et cùm Christus dicit, Spiritus sanctus docebit uos omnia, ac ducet uos in omnem ueritatẽ, & glorificabit me, interpretandum erit, Spiritum sanctum esse nebulonem quendam, qui nebulas & tenebras offundat, & sententiam Christi obscuret, ecclesiam autem esse ueram omnis ueritatis illustratricem. Quid autẽ hac blasphemia horribilius? Nam Spiritus sanctus in hoc Apostolis missus est, ut quæ obscura erãt, illustraret, & Apostoli post acceptum Spiritũ sanctum mãdarunt ea sic illustrata, literis, ut perspicua ad posteritatem transmitterentur, & si

quid

quid deinceps obscuritatis, hominum cæcutientia, incideret, his literis explicaretur. Cùm igitur uera Christi Ecclesia sit discipula spiritus sancti, cõtumelioſus est in eam, quisquis affirmat ipsam distinctius & manifestius tenere doctrinam de sacerdotibus & sacrificijs, quàm spiritus ipse sanctus in scriptura sua tradidit, ac docuit.

Quæ est ergo illa ecclesia, quæ se super spiritum sanctum tãta temeritate effert? Non certè uera est & Christiana, sed falsa & Põtificia, de cuius capite iam olim dictum est, Effertur aduersus omne, quod dicitur Deus aut numen, adeo ut in templo Dei sedeat, ostẽtans seipsum Deũ. Et hæc ecclesia, inter alia ἀξιώματα, quibus autoritas eius constat, etiam illud continet, Scripturas esse ad tempus adaptandas, & uariè intelligendas, ita ut uno tẽpore secũdum currentẽ uniuersalẽ ritum exponatur, mutato ritu iterum sententia mutãda sit. Et illud, Fatuũ esse, uelle uniuersalẽ ritum ecclesiæ, ex scripturis prędecessorũ arguere. Quare, cũ ecclesia illa Põtificia talibus axiomatis sit instructa, nõ est mirum, quòd doctrinã de sacrificijs suis distinctius & manifestius teneat, q̃ spiritus ipse sanctus in sacra sua scriptura.

Præterea est & illud falsum, quòd Sotus affirmat, Sacrificulos suos Missarios institutos esse ex Traditione Apostolorum. Vbi enim, quæso, unquàm Apostoli tradiderũt, debere in Ecclesia esse Sacerdotes, qui quotidie sacrificent corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & uini, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum? Lego in Apostolicis traditionibus institutos esse in Ecclesia, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, alios Doctores. De talibus uestris Sacrificulis, negry quidẽ. Soletis quidem nobis eos nomine Pastorum & Doctorum obtrudere, Sed quis uestris commentarijs mentiri assuetis fidem adhibebit?

Ne autem Sõtus temerè aliquid affirmare uideatur, producit tandem in medium similitudinem à multitudine Pastorum petitam, & addit ei quædam scripturæ dicta, quibus sacrificium suum stabiliat. Nec dubium est (inquiẽs) sub uno illo summo Mediatore Christo, NECESSARIOS esse alios mediatores, qui ex officio uices eius gerant, sicut sub illo summo pastore speciales pastores. Habemus ergo satis perspicuã similitudinẽ: Sicut necesse est, ut sint multi pastores in Ecclesia sub uno summo pastore, ita necesse est esse alios mediatores sub uno illo summo mediatore.

Non est quidem obscurum, quòd spiritus sanctus ordinauerit multos in Ecclesia Pastores. Quòd autem ordinauerit multos mediatores, tales uidelicet, qui expient suis Missis peccata hominum coram Deo, hoc demum falsum est. Nõ enim idem est Pastor, quod Mediator. Hic enim est, qui sua ipsius Passione & morte expiauit peccata hominum, & placauit irã Dei. Quod opus, ut solus Christus filius Dei peregit, ita & soli ipsi maiestas eius operis accepta ferenda est. Pastores autem in Ecclesia non sunt eò instituti, ut ipsi usurpent sibi, aut operibus suis, eam maiestatem, quę soli summo pastori Iesu Christo competit, sed ut sint summi huius Pastoris & Mediatoris serui ac Ministri, qui beneficium Passionis & mortis eius Ecclesiæ adnuncient, & Ecclesiam de hoc beneficio, dispensatione cœnæ Dominicæ, commonefaciant.

Quòd si nomine Mediatorũ intelligat Asotus tales Ministros, qui unũ illum summum Mediatorẽ prædicatione Euangelij & recta dispẽsatione Sacramentorum eius celebrant, & commendant, per me sanè licebit, ut & ipsi hoc nomine uocentur. Sed si nomine Mediatorũ intelligas eos, qui

operibus Missarum, seu sacrificio corporis & sanguinis Christi sub specie bus panis & uini, suscipiunt expianda peccata hominum coram Deo, & & placandam iram Dei, hos ego non iudico esse mediatores inter homines & Deum, sed potius inter hypocritas & Diabolum, cui etiam illi mancipant, quotquot huic Missalium sacrificulorum operi remissionem peccatorum suorum impœnitenter acceptam ferunt.

Quomodo enim hi mediatores possunt in expiandis hominum peccatis, uices Christi (ut Sotus nugatur) gerere? Christus, cũ raperetur ad supplicium, non habuit Vicarium, qui pro ipso crucem & mortem subiret, sed solus ipse calcauit torcular, & de gentibus non fuit uir cum ipso. Circũspexit, & non erat auxiliator, quæsiuit & nõ fuit, qui adiuuaret. Si autem, postquàm ascẽdit in cœlum, & sedet ad dexteram Dei, reliquit post se Sacrificulos Missarum, Vicarios suos in expiandis peccatis hominum, quid est, quòd non patiuntur sicut ipse passus est? quid est, quòd non flagellantur, & crucifiguntur, sicut ipse flagellatus & crucifixus est? Officium enim Vicarij, non in hoc consistit, ut nomine alterius, cuius uices gerit, ioculatorias gesticulationes exerceat, & externam tantum speciem officij mentiatur, sed ut idem illud munus, quod alterius est, reipsa absoluat. Sicut enim Vicarius Principis in dicendo iure, non probè fungitur suo officio, si tantum instituat tribunal, & collocet in eo statuam quandam ligneam loco Iudicis, ac subornet, qui personam gerant accusatorum & reorum, ut fiat ludus ad delectationem spectatorum institutus, sed necessarium est, ut ipse ad tribunal conscendat, causas magno studio cognoscat, & ius summa industria ac iusticia dicat: ita & Vicarius Christi in expiandis peccatis hominum, nondum satisfacit suę uocationi, ut repręsentet gesticulationibus suis aliquam imaginem passionis & mortis Christi, sed necesse habet ut subeat ipse quoq;, sicut Christus subijt, passionem & mortem, alioqui non est uerus, sed ficticius, & ioculatorius Vicarius. Cùm autem Sacrificuli Missarum non possint, nec si possint, uelint fortasis, tot & tantas ærumnas pro ijs, quorũ nomine suscipiunt Missas celebrandas, & peccata expianda, sufferre, quid est, quòd adhuc tam impudenter pergant iactare, se esse in expiandis hominum peccatis, Vicarios Christi? Ac profectò, si dicendum est, quod res est, hi, qui superioribus annis gesserunt personam Christi in ludis Paschalibus, rectius dicerentur uicarij Christi. q̃ Sacrificuli, quòd in his ludis multò apertius repræsentata sit Passio Christi, quàm in Missa.

Sed expendamus latius dialecticam Soti. Speciales, inquit, sunt pastores, sub uno summo pastore. Necessarium igitur est ut sint etiã multi Mediatores sub uno summo mediatore. Pergamus igitur eandem argumentãdi normam sequi. Speciales sunt Patres, sub uno summo cœlesti Patre, necessarium igitur est, ut sint multi Creatores, sub uno summo Creatore. Speciales sunt Dñi & Magistri, sub uno summo Domino & magistro cœlesti. Necessarium igitur est, ut sint multi dñi sub uno summo Deo. Quis talem Sophisticam in re seria non detestaretur, non execraretur?

Sed inspiciamus etiam testimonia scripturæ, ut cognoscamus, quàm aptè huc citentur. Pasce (inquit) oues meas. Scio hoc ad Petrum Apostolum dictum, sed nescio cur à Petro Pseudoapostolo hic recitetur. Si hoc agitur, ut probetur, multos esse pastores sub uno summo pastore, nihil opus fuisset probare, quod nemo negat. Et fortasis congruentius fuisset hic recitare dictum Petri ipsius Apostoli, qui ait: Pascite, quantũ in uobis est,

est,gregem Christi.Ac mox:Cùm apparuerit ille pastorum Princeps,re/portabitis immarcessibilem gloriæ coronã. Si autem illud agitur,ut pro/betur,multos esse sacrificulos mediatores, sub uno mediatore,noua pla/nè est grammatica, qua Pascere idem significet, quod celebrare Missam, & sacrificare sub speciebus panis & uini corpus ac sanguinem Christi,ad expianda peccata uiuorum & mortuorum. Quæ interpretationum por/tenta hinc nascentur? Apud Lucam Pater cœlestis pascit coruos, & filius helluo pascit porcos,hoc est,celebrant Missas,pro coruis & porcis. Quid prodigiosius dici potest?

Nihilo aptiora sunt quæ apud Sotum sequuntur. Tibi dabo claues re/gni cœlorum.Et:Quicquid solueritis super terram. Quid enim? Tibi da/bo claues regni cœlorum, hoc est, dabo tibi potestatem offerre sacrificiũ Deo,Missasq; celebrare tam pro uiuis,quàm pro defunctis.Et:Quicquid solueritis super terram,hoc est, pro quibuscunque obtuleritis corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & uini, horum peccata expiabun/tur coram Deo, & liberabuntur animæ eorum ex igne Purgatorio,itaq; calidæ in cœleste regnum euolabunt. Quicquid autem retinueritis, hoc est, contra quoscunq; celebraueritis Missam, & sacrificaueritis corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & uini,ac præterea oraueritis Psalmum,Deus laudem,hi necesse habent in Tartarum præcipitari,& ca/tenis noctis uinciri,etiamsi in Sinu Abrahæ considêrent. Nisi enim hæc esset sententia istorum dictorum, in quem usum commemoraret ea So/tus? Tales interpretes debemus ecclesiæ Pontificiæ, qui habent illam cer/tam regulam ob oculos positam,Scripturas esse ad tempus,& ad uniuer/salem Ecclesiæ ritum aptãdas.Nos uerò,amicissimi in Christo fratres & collegę,agamus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi summas quas pos/sumus gratias,quòd pro immensa sua clementia eduxerit nos è tam luto/sis Aegypti lacunis,& introduxerit nos in terram fluentem lacte & mel/le,ac inuocemus eum sine ulla intermissione,ut suum erga nos beneficiũ clementer tueri pergat.

Sed Sotus nondum furere desinit.Licet enim(inquit)unicum illud sa/crificium Christi expiatiuum sit omnium peccatorum, nec opus sit ali/udiam offerri(Obserua,quæso,optime Lector,hanc Soti confessionem, & reponas eam alta mẽte.Itaq; progrediemur)Ipsum tamen commemo/rari & repræsentari Patri,in Ecclesiæ persona, & nomine,qui uices eius gerunt,necessarium esse ostendunt,quotidiana peccata nostra,& natura ipsa,atq; status huius uiæ,quæ ut sacrificent Deo, qui nondum ad eius a/pertam uisionem peruenerunt,postulant,& tota ecclesia,quę est unicum fundamentum fidei,hoc tenet.Hactenus uerba Soti.

Necessarium est(inquit)sacrificium Christi expiatiuum commemora/ri,& repræsentari Patri.Accipimus & hoc,si iuxta analogiam fidei intelli/gatur. Commemorare enim sacrificium Christi expiatiuum est, adnun/ciare mortem Christi. Et repræsentare Patri filium suum,est credere in fi/lium, & inuocare Pãtrem, ut propter sacrificium filij sui peccata condo/net. Necessarium autem est,ut postquàm peccauerimus,adnuncietur no/bis beneficium mortis Christi,quo excitemur ad fidem, & credamus pec/cata nobis propter Christum à Deo Patre condonari. Fatemur igitur, sicut suprà copiosè de incruento sacrificio exposuimus, necessarium esse, ut hoc modo sacrificium Christi expiatiuum commemoretur,& repræ/sentetur Patri. Nunquid autem hoc fieri solet in Missa Pontificia, in

qua Sacrificulus ſuſcipit corpus & ſanguinẽ Chriſti ſub ſpeciebus panis & uini offerre pro peccatis uiuorum & mortuorum? Nihil certè minus. Primùm enim, in tali Miſſa non eſt adnunciatio mortis Chriſti, ſed tantum Muſsitatio. Deinde in tali Miſſa non creditur, quòd Deus Pater remittat propter unicum ſacrificium filij ſui ſemel in cruce peractũ, ſed creditur, quòd remittat peccata propter præſens opus ſacrificuli. Hæc non eſt pia fides, ſed impia incredulitas. Quare quod Sacrificuli in ſua Miſſa commemorant, & repræſentant Patri, non eſt ei gratum, ſed abominandum. Etſi enim nihil ei gratius, nihil acceptius eſt unigenito filio ſuo, & ſacrificio eius, quod ſemel pro peccatis noſtris obtulit, tamen illud uerè abominatur, quòd Sacrificuli ſuſcipiunt operibus Miſſarum ſuarum, peccata hominum coram ipſo expianda. In cœna autem Dominica, in qua fit publica adnunciatio mortis Chriſti, & diſpenſatio ſacramenti corporis & ſanguinis eius, ut fides in Chriſtum alatur, & Deus pro peccatorum condonatione, propter mortem Chriſti filij ſui inuocetur, ibi uerè & piè commemoratur, & repræſentatur Patri ſacrificium Chriſti expiatorium. Reliquũ igitur eſt, quòd niſi aboleatur Miſſa Pontificia, & inſtauretur uera cœna Dominica, Deus tanto magis ad iracundiam prouocetur, quanto frequẽtiores Miſſæ celebrantur.

Deinde dicit neceſſariũ eſſe, ut id fiat in eccleſiæ perſona & nomine, per eos, qui uices eius gerunt. Rem mirandam. Paulò antè Sacrificuli Miſſarum gerebant uices Chriſti mediatoris, nunc gerunt uices Eccleſiæ. Sed quis eſt Chriſtus ille, qui conſtituit eos in Mediatoris ſeu propiciatoris officio, Vicarios? Certè uerus Chriſtus ſemper ſibi retinet maieſtatem propiciandi Patris, & placandæ iræ eius, nec eam in ullam unquàm creaturã ſiue cœleſtem ſiue terreſtrem ita reiecit, ut ea ſe abdicauerit. Dicuntur quidem aliquoties etiam homines expiare peccata, & placare iram Dei, ſed aut adumbratione, ut Leuitici ſacerdotes, aut precatione, ut pij quique, Satisfactione autem & merito nullus eſt, qui illud efficere poſsit, præter unũ & ſolum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei. Vnde, niſi ex fide in Chriſtũ Leuitici Sacerdotes ſua ſacra peregiſſent, & homines preces ſuas coram Deo effundant, tantum abeſt, ut mitigent æternam iram Dei, ut potius Deum ad iram prouocent. Cùm ergo uerus Chriſtus ſemper ſibi ſuam maieſtatem retineat, nec conſtituerit ſibi hac in re Sacrificulos uicarios, reliquum eſt, quòd ficticius Chriſtus, qui quondam dixit: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo, delegauerit eis, hunc quem ſibi ſumunt, uicariatum.

Nam, quod Paulus dicit, Dedit nobis miniſterium reconciliationis, non illud ſentit, quòd Deus commendauerit Apoſtolis officium celebrandi Miſſas pro peccatis uiuorum & mortuorum, Sed ſicut ipſe interpretatur, Poſuit in nobis (inquiens) Sermonem reconciliationis, quia iuſsit Apoſtolos prædicare in uniuerſo mundo, quòd Deus reconciliatus ſit mundo propter Ieſum Chriſtum. Deinde, quæ eſt illa Eccleſia, quæ conſtituit Sacrificulos Miſſarios, ut eſſent ipſius coram Deo Vicarij? Non certè uera Eccleſia. Hæc enim habet quidem Miniſtros, qui adnuncient Euangelion Chriſti, ac diſpenſent Sacramenta eius, & ſibi publica precum recitatione præeant, non autẽ habet Vicarios, qui pro ipſa ceſſante & ſtertente ad Thonum gratiæ accedant, ſed ipſamet ſe, ad eum Thronum, ſiſtit, & quæ apud Deum peragenda ſunt, per Ieſum Chriſtum, unicum ſuum Mediatorem & Interceſſorem conficit. Quare quæ Eccleſia inſtituit ſacrificulos

crificulos Missarios, in Vicarios suos, non est uera Ecclesia, sed adulterina, & ab æternæ salutis hæreditate, aliena.

Quæso autem te, in quem usum Ecclesia institueret sibi Vicarios? Nũ, ut hi commendẽt ipsam precibus suis Deo? Sed ut iam dictum est, Ecclesia nunquàm stertit in precibus suis, ut hac in parte nullo egeat uicario. Num, ut loco Ecclesiæ commemoret Deo Patri Passionem & mortem filij eius? Sed Pater non est oblitus huius Passionis ac mortis. Et si quid commemorandum est, patet ipsi semper per sponsum suum aditus ad cœlestem Patrem, ut ne hac quidem in parte opus habeat Vicario. Num, ut is Vicarius expiet opere ac merito sacrificij sui Missatici peccata Ecclesiæ? Sed habet Ecclesia expiatorem filium Dei, qui unica oblatione perfectos efficit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Et quia non est amplius sub lege, sed sub gratia, & remissione peccatorum, non indiget amplius ullo sacrificio siue cruento siue incruento, ad expianda peccata sua. Vbi est (inquit) peccatorum remissio, non est amplius oblatio pro peccato.

Quid igitur? An non etiam Ecclesia ipsa adhuc indies peccat? Nisi enim peccaret, non semper oraret: Remitte nobis debita nostra. Nec habet tãtum suas in carne imbecillitates, uerum etiam multa eius membra peccatis indies letaliter sordidantur. Quid hîc facies? cõniuebis, ut hi peccatores perpetuò intereant, nec unquàm Deo reconcilientur, ac Ecclesiæ restituantur? Nihil certè minus: non autem sacrificabo pro eis Missam, sub speciebus panis & uini: non instituam pro eis ioculatoriam gesticulationem, in qua Passionem Christi ludam. Quid ergo facies? Prędicabo eis ueram rationem pœnitentiæ. Ac primùm dabo operam, ut concione diuinæ legis, & cognitione cœlestis iræ, discant grauitatem peccatorum suorum agnoscere, & iram Domini metuere.

Deinde adnunciabo eis Euangelion de Iesu Christo, commendabo eis unicum illud Sacrificium Christi, quod pro peccatis ipsorum semel in cruce peractum est, nec ullum sit aliud uel cruentum, uel incruentum sacrificium, quod peccata ipsorum possit in conspectu Dei expiare. Hortabor igitur, ut credant in Iesum Christum, & cõfidant unico illo sacrificio Christi. Qua fide fiat, ut & recipiantur propter Christum in gratiam Dei, & consequantur propter unicum illud sacrificium Christi, condonationem omnium peccatorum. Sic enim dicit scriptura: Hic Iesus, quia id manet inæternum, perpetuum habet sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens, ad hoc ut interpellet pro illis. Ac iterum: Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum, ac uitulorum, sed per PROPRIVM sanguinẽ, ingressus est SEMEL in sancta, AETERNA redemptione reperta. Et aliàs. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Prętera, hortabor eos, ut cũ credant solũ Christum esse peccatorũ suorum expiatorẽ, sumant cœnam Dominicã, non ut sentiant corpus & sanguinẽ Christi offerri ibi Deo Patri sub speciebus panis & uini, pro peccatis ipsorũ: Habent. n. iam prius q̃ ad sumendam cœnam accedunt, peccatorum remissionẽ per fidẽ propter unicum sacrificiũ Christi, q̃d semel pro peccatis ipsorũ in cruce oblatum est, sed sumãt cœnam Dñicam, ut quod credunt, commemoratione mortis Christi & communicatione corporis

& sanguinis Christi, stabilius credant, & firmiorē fiduciam concipiant.

Postremò hortabor eos ad gratitudinem & obedientiam uocationis Dei, ut cùm recepti sint in gratiam Dei, gratuita clementia propter Christum, & donati sint Spiritu sancto, nō amplius seruiant iniusticiæ, sed præbeāt mēbra sua serua iusticiæ ad sanctificationē. Hæc est doctrina illa, qua necessariò utendum est, ut cùm homines indies in Ecclesia peccent, indies etiam ad consequendam remissionem peccatorum reuocentur. Nam ea doctrina, quæ homines post designata scelera ducit ad sacrificia Pontificiarum Missarum, tantum abest, ut ducat eos ad peccatorum remissionem, ut potius conijciat eos in maiora peccata, & cùm antea externis sceleribus fuerint turpificati, nunc etiam idolomania sordidentur, quod certè non est à peccatis liberare, sed peccata peccatis cumulare.

Quòd autem Sotus dicit, Totam Ecclesiam tenere hoc, quod de Sacrificio Missæ pro peccatis uiuorum & mortuorum scribit. Et quidem addit, hanc Ecclesiam esse unicum fundamentum fidei, suo more de Ecclesia somniat & nugatur. Primùm enim uerum fortasis est, totam Ecclesiam id tenere, non autem ueram, sed Pontificiam & Sophisticam. Quid enim uera Christi Ecclesia de hoc sacrificio sentiat, suprà pluribus est demonstratum. Deinde haud scio, num Sotus sui ipsius oblitus sit, quòd dicit ecclesiam esse unicum fidei fundamentum. Aliâs enim affirmat certissimum fidei fundamentum esse Traditiones. Num Ecclesia & Traditiones sunt eadem?

Et hìc iterum considerandum nobis est, diuersa esse Ecclesiæ & Fidei significata. Alia enim est Ecclesia Pontificum & Fraterculorum. Et hæc, qualis est Ecclesia, talem etiam habet fidem & fidei suæ fundamentum, quemadmodum in προλεγομένοις exposuimus. Alia est uera Ecclesia, quā filius Dei suam Spōsam agnoscit. Hæc Ecclesia, si de doctrina sermo est, non habet pro fundamento suo incertas hominum traditiones, sed Scripturam Propheticam & Apostolicam. Superstructi (inquit Paulus) super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo. Ideo de hac ecclesia afffrmat Paulus, quòd sit columna & stabilimentum ueritatis, quia agnoscit ueram & certam doctrinam Prophetarum & Apostolorum de Christo. Quam doctrinam cùm & nos profiteamur & pro uirili sequamur, uoluimus in Confessione Principis modestè significare, nos non posse uidere, quis sit usus eius hominum generis in Ecclesia, qui in hoc instituuntur, ut habeant potestatem sacrificandi pro uiuis & pro mortuis.

Nunc autem, postquàm apertius dicēdum est, quod res est, certò uidemus, adeò nullum istorum Sacrificulorū in Ecclesia usum esse, ut nisi impietas eorum primo quoq; tempore aboleatur, non aliud expectādum sit Romano Imperio, quàm quod olim Regno Israelis per Salmanessarem, & regno Iudæ per Nebucadnezarem, ac etiam regno Constantinopolitano per Turcas contigit.

Rident fortasis Sacrificuli cum hæc audiunt, & uociferātur, quod Sotus hoc loco dicit, pluris nos ipsos facere, q̄ totam ecclesiam. Sed & quondam sic ludebant, sic os dilatabant, sic linguam ejiciebant, ac uociferabantur: Non peribit Lex à sacerdote, neq; consiliū à sapiente, nec sermo à Propheta. Et talibus moribus ac uocibus sibi tantisper applaudebant, dum uniuersa metropolis eorum incendio conflagraret, & tota gens longè omnium miserrimè opprimeretur. Sed reuertor ad institutum.

Affirmat

Affirmat Sotus, necessitatem uirtutẽ, (sic enim loquitur) & institutionem sacerdotalis ordinis, & reliquorum omnium, & ipsius sacramenti ordinis constare certissimo omnium Patrum testimonio. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Et tamen ne multis ac superuacaneis uerbis obtundat aures nostras, pauca tantum cõmemoranda suscipit. Nam cùm Confessio Principis docet ex Epistola Pauli ad Ephesios & Corinthios, nullum esse Sacrificulis Missarijs locum inter ueros & necessarios ministros ecclesiæ, ibi Sotus opponit nobis Ambrosium, qui doceat nomine Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, pastorum & doctorum intelligi sacerdotes, lectores, & reliquos ministros.

Principiò, nõ litigamus de uocabulo Sacerdotis. Vocẽtur sanè omnes Ministri Ecclesiæ, Sacerdotes, quemadmodum etiam professores Legũ, gaudent se iusticiæ sacerdotes uocari. Sed negamus nomine sacerdotum apud Ambrosium intelligi, eos sacrificiculos, qui suscipiunt corpus & sanguinem Christi offerenda Deo Patri, sub specie panis & uini, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum. De hoc enim sacrificiculorum genere, num uidelicet sit à Christo institutum, in præsentiarum cõtrouersia est: Nec apud eruditos in uerè pia doctrina dubium est, quin hoc sacrificulorum genus fuerit in uera & ueteri Ecclesia ignotum. Quòd si Ambrosius, aut alius quispiam uideatur tales sacrificiculos aut agnoscere aut approbare, nos deferimus quidem Ambrosio, & sui similibus suam quam debemus honorificentiam, sequimur autem eam sententiam, non quam hominum scripta, sed quam cœlestia oracũla, in scriptis Propheticis & Apostolicis tradunt.

Deinde, non rixamur de gradibus minorũ, ut uocant, ordinum. In magna enim ecclesiæ cõgregatione, licebit suum cuiq; & locum, & officium assignare, & ab infimis gradibus usq; ad summum progredi, Sed illos minorum ordinum gradus, sicut usitato more enumerantur, esse à Christo institutos, esse loco sacramentorũ, qualia illi quidem sacramenta fingunt, habendos, esse ad Ecclesiæ conseruationem necessarios, hoc demùm negamus. Ac miror, qua fronte Sotus ausus fuerit hoc loco Ambrosium in suarum nugarum testimonium uocare, cùm Ambrosius recitet quidem in expositione Pauli nonnullos minorum ordinum gradus, manifestè autem affirmet eos in primitiua ecclesia non fuisse usitatos. In Episcopo (inquit) omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, & cætera ad implenda officia ecclesiæ in ministerio fideliũ, tamen, postquàm omnibus locis ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, ALITER COMPOSITA RES EST, quàm cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptisabant, quibuscunq; uel diebus uel temporibus fuisset occasio. Et mox: Ideo nõ per omnia cõueniunt scripta Apostoli ordinationi quæ nunc est in ecclesia, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta &c. Vides Ambrosiũ diserte uerbis affirmare, quòd scripta Apostoli Pauli nõ conueniant per omnia Ordinationi, quæ posterioribus temporibus fuit in Ecclesia instituta, quo certè manifestè significatur, quòd nec Christus nec Apostoli hanc minorum graduum ordinationem instituerint. Quæ est igitur impudentia Soti, quòd audeat autoritate Ambrosij hos gradus, tanquàm à Christo institutos, & necessarios, ecclesiæ obtrudere? Nam quòd affirmant, ea pro Christi institutis habenda esse, quæ ecclesia instituit, suprà expositum est, aliam esse ueram, aliam Pontificiam seu Asoticam ecclesiam, quarũ hæc

Ambros. in commentar. Epistolæ ad Ephes. ca. 4.

pro fundamento suo habet Traditiones, illa autem, Scripta Prophetica & Apostolica, nec pendet ab humano arbitrio, & carnali spiritus gloriatione, sed tantum à uerbo Domini sui, & ab ea spiritus doctrina, quam Verbum Domini tradit. Quare cùm magnum sit discrimen inter ueram & ficticiam ecclesiam, non statim pro Christi institutis habenda sunt, quę ab ecclesia instituta esse iactantur.

Quæ quarta Synodus Carthaginensis de ecclesiasticis ordinibus constituit, nõ fuerunt fortasis suo loco & tempore inutilia, nec cum sententia Confessionis Principis pugnãt. Primùm enim hi ordines, quos Synodus enumerat, per se non damnant, sed dãnatur superstitio, & reiicitur obseruationis necessitas, præsertim his tẽporibus, quibus usum horũ ordinum sacrificuli ipsi intermittunt, ac in alios, qui non sunt publicis ritibus consecrati, plerumq; reiiciunt. Nam & Aeditui accendũt luminaria in ecclesia, & apportant uinum ad altare, quod erat officium Acolythorum. Et recitant in ecclesia Lectiones è sacris literis studiosi pueri, ac adolescẽtes, quod erat officium Lectorum. Et abigunt ex ecclesia canes, porcos, & alias bestias, uel æditui, uel proximi quiq;, quod erat officium Ostiariorum. Quid igitur opus est certis ritibus, ad hæc officia demandanda?

Deinde Synodus Carthaginensis nullam prorsus facit mentionem eorum sacrificulorum, qui suscipiunt expianda peccata uiuorum & mortuorum, sacrificio corporis & sanguinis Christi, sub specie panis & uini. Hos enim sacrificulos reiicit Confessio Principis, non Presbyteros illos, quos Synodus Carthaginensis ordinat ad prædicandum uidelicet Euangelion Christi, ad dispensandam ecclesiæ Cœnam Dominicam utraq; ut uocant specie, sicut illis temporibus usitatum fuit, & ad reliqua, quæ sunt iuxta Apostolica scripta, ecclesiastici ministerij, peragenda.

Et quid, obsecro, uenit Asoto in mentem, quòd libũit ei urgere, quę Synodus Carthaginẽsis de Ordinandis ecclesiasticis gradibus cõstituit, cùm Prętati eius magnã partem eorum Canonũ, qui in illa Synodo conscripti sunt, non solum nõ seruent, sed etiam si quis exegerit, rideant. In primo capite, cõstituitur, ut Episcopus ordinandus examinetur, & exigit, ut sit prudens, διδακτικὸς, moribus temperatus, uita castus, sobrius, humilis, affabilis, misericors, literatus, In lege Dñi instructus, in scripturaq; sensibus cautus, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, fidei documẽta simplicibus uerbis asserẽs. Deniq; multa alia exigunt, quæ Episcopus prętare debeat. Et addit: Si in his omnibus plenè fuerit instructus, tunc cum cõsensu Clericorũ TE Laicorum, & conuentu totius prouinciæ Episcoporum, maximéq; metropolitani uel autoritate, uel præsentia ordinetur Episcopus.

Quid nunc in Pontificijs Episcopis desideretur, obscurum esse non potest. Det ergo nobis Asotus tales Episcopos, quales Synodus Carthaginensis requirit, & fortasis facile de reliquis ordinibus conueniet. Deinde Asotus eat, & exigat à suis Prælatis, quod in alijs Capitibus sequitur, uidelicet, ut Episcopus uilem supellectilem & mensam ac uictum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem, fide & uitæ meritis, quærat, ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed ut Lectioni, & orationi, & uerbo prædicationis TANTVMMODO uacet. Hæc, in quam, & id genus alia, quæ illic recitantur, exigat Sotus à suis Prælatis, & cùm impetrauerit consensum ac obsequium, tum ueniat ad nos, & concionetur nobis de reliquis minoribus Ecclesiastici ministerij gradibus, Habebit fortasis auditores non indociles.

Quo

Quo autem consilio recitet uerba Augustini è secundo libro contra Epistolam Parmeniani, nondum uideo. Quis enim negat Baptismum esse sacramentum? Et quis negat, Ordinationem Ministrorum Ecclesiæ posse suo quoq; modo sacramentum dici? Sed alia sunt quæ negantur, & reprehenduntur. Nõ probatur impius usus Chrismatis, in ungendis sacrificulis. Non probantur sacrificuli ipsi, qui in hoc unguntur, ut sacrificent pro peccatis uiuorum & mortuorum. De his in præsentia sermo est. De horum ordine probando suscepit Asotus testimonia ueterum recitanda, Sed quod facit, uerè est, extra chorum, quod prouerbio dici solet, saltare.

Testimonium Ambrosij, quod extat in Commentario eius, in epistolam ad Timotheum, in hoc producitur ab Asoto, ut probet Episcopos & Presbyteros institui ad ministerium non tantum docendi, uerumetiam sacrificandi. Sed iterum ab instituto aliena refert.

Primùm enim, Episcopi & presbyteri uocantur quidem ad alias etiam ecclesiastici ministerij partes, sed maximè omnium, ad docendum uerbum Dei. Docere, non sit solum, sed sit præcipuum Episcopi & presbyteri officium. Confessio autem Principis loquitur de præcipuo & necessario Episcoporum ac presbyterorum officio, quod est, Ecclesiam docere. Quod & Apostoli ipsi adeo necessarium iudicauerunt, ut maluerint curam œconomię aliis demandare, quàm munus docendi deserere, aut præ œconomia negligentius administrare.

Deinde, cùm Ambrosius ait, presbyteros offerre sacrificium Deo, nõ loquitur de impio & idolatrico sacrificio Missæ. Neq; enim dicit presbyteros offerre sub specie panis & uini, corpus & sanguinem Christi, ad expianda hoc opere peccata uiuorum & mortuorum, sed loquitur de sacrificio illis temporibus usitato, uidelicet, de celebratione Cœnę Dominicæ, in qua adnunciabatur uerum sacrificium Christi, quod semel pro peccatis nostris peractum erat, & in qua distribuatur ecclesiæ corpus & sanguis Christi, ut fides sumentium cœnam confirmaretur, in qua etiam publicæ preces, pro publica & priuata hominum salute fiebant. Hoc est pium sacrificium, ad quod presbyteri tempore Ambrosij uocabantur, non ad impium illud, quod sacrificuli in Missis suis pro expiandis peccatis uiuorum & mortuorum instituunt.

Sed illud haud quaquàm prętereundũ est, quod Sotus postremo loco in hoc capite addit: Qui, inquiens, Presbyteri & Episcopi nõ esse diuersos gradus in ecclesia asserunt, inter hæreticos Aërianos ab Augustino computantur. Non ignoro, Augustinum commemorare de Aërio, quòd dixerit, Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni, sed quia Augustinus susceperat breuem catalogum hæreticorum ex Epiphanio describendum, bona fide erat recensendũ, quod apud Epiphanium inuenerat. Etsi autem Epiphanius dicit, quòd hoc dictum Aerij, sit λόγῳ μανώτερος μᾶλλον, ἢ κατασάσεως ἀνθρωπίνης, tamen Augustinus modestius loquitur, & apparet eum hãc Aerij sententiam magis pro errore, quàm pro hæresi habuisse. Ac spero tam Epiphanium, quàm Augustinum tanta fuisse pietate, ut si fuissent admoniti, & adhibuissent in consilium scripta Pauli, ac consuetudinem uetustioris Ecclesiæ, certè sententiam suam mutassent. Quare, in præsentia non erit mihi negocium, nec cum Epiphanio, nec cum Augustino, sed potius cum Asoto, qui & si à Confessione Principis admonetur, tamen nõ resipiscit. Confessio enim Principis recitat ex Paulo, quòd oporteat Episcopum esse διδακτικόν. Et ne presbyteri exi-

ſtiment hoc Pauli dictum ad ſe non pertinere, addit Confeſsio Principis Interpretationem Hieronymi, eundem eſſe Epiſcopum & Presbyterum, ut concludat eos, qui non inſtituuntur ad miniſterium docendi in Eccleſia, indignos eſſe Presbyteri aut Epiſcopi nomine. Sotus autem, qua eſt dexteritate, diſsimulat non ſolum autoritatem Hieronymi, uerumetiam ſtatum ipſum huius propoſiti, & crepat tantum hæreſes. Neceſsitas igitur cogit me, ut hîc referam teſtimonium Hieronymi, ad uerbũ, quo manifeſtum fiat, qui ſint hæretici illi, à quibus Epiſcopi & Presbyteri in eodem genere officij collocantur. Etſi enim non dubito, quin eruditis teſtimonium illud Hieronymi ſit notiſsimum, tamen quia hîc locus ita exigit, uiſum eſt uerba ipſa Hieronymi recitare.

HIERONYMVS IN EPISTOLA ad Oceanum.

In utraq; Epiſtola, ſiue Epiſcopi, ſiue Presbyteri (quanquàm apud ueteres, ijdem Epiſcopi & Presbyteri fuerint, quia illud nomen dignitatis eſt, hoc ætatis) iubentur monogami in clerum eligi. Hîc apertè dicit Hieronymus eoſdem fuiſſe Epiſcopos & Presbyteros apud ueteres. Hi ergo ueteres, iuxta Sotum, fuerunt hæretici.

IDEM IN COMMENTAR. IN EPIſtolam ad Titum, cap. 1.

Diligenter (inquit) Apoſtoli uerba attendamus, dicentis, ut conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui. Qui, qualis presbyter debeat ordinari, in conſequentibus differens, hoc ait: Si quis ſine crimine, unius uxoris uir &c. Poſtea intulit. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, tanquàm Dei diſpenſatorem. IDEM EST ERGO PRESBYTER, QVI ET EPISCOPVS, & antequàm Diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & dicerẽt in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquàm uerò unuſquiſq; eos, quos baptiſauerat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putat aliquis non ſcripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomẽ officij, relegat Apoſtoli ad Philippenſes uerba dicentis: Paulus & Timotheus ſeruí Ieſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis, gratia uobis & pax, & reliqua. Philippis una eſt urbs Macedoniæ, & certè in una ciuitate plures, ut nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eoſdẽ Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de presbyteris eſt locutus. Adhuc hoc alicui uideatur ambiguum, niſi altero teſtimonio cõprobetur. In Actibus Apoſtolorũ ſcriptũ eſt, quòd cùm ueniſſet Apoſtolus Miletum, miſerit Epheſum, & uocauerit Presbyteros Eccleſiæ eiuſdem, quibus poſtea inter cætera ſit locutus: Attendite uobis & omni gregi in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Domini, quã acquiſiuit per ſanguinẽ ſuum. Et hîc diligentius obſeruate, quomodo unius ciuitatis Epheſi presbyteros uocans, poſtea eoſdẽ Epiſcopos dixerit. Si quis uult recipere eam Epiſtolam quæ ſub nomine Pauli ad Hebræos ſcripta eſt, & ibi æqualiter inter plures eccleſiæ cura diuiditur. Siquidem ad plebem ſcribit: Parete Principibus ueſtris, & ſubiecti eſtote. Ipſi enim ſunt, qui uigilant pro animabus

mabus uestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant: Siqui dem hoc utile uobis est. Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in epistola sua loquitur, dicens. Presbyteros ergo in uobis obsecro compres byter, & testis Christi passionum, qui & eius gloriæ, quæ in futuro reue landa est, socius sum, pascite eum, qui in uobis est, gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed uoluntariè. Hæc propterea, ut ostenderemus, apud ueteres eosdem fuisse presbyteros, quos & Episcopos. Paulatim ue rò, ut dissensionum plantaria euellerentur, ad unum omnem sollicitudi nem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesiæ consuetudi ne, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint, se MAGIS CONSVETVDINE, quàm DISPOSITIONIS DOMINICAE VERITATE, Presbyteris esse maiores, & in cõ mune debere ecclesiam regere, imitantes Mosen, qui cùm haberet in po testate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus popu lum iudicaret. Hactenus Hieronymus.

Expendamus igitur uerba Hieronymi diligenter. Primùm claris uer bis dicit: Eundem esse Presbyterum, quem & Episcopum. Deinde addit, hanc sententiam, non esse suam, sed scripturarum, quod & autoritatibus tam Pauli, quàm Petri comprobat. Postremò ait, discrimen quidem fa ctum esse inter Presbyterum & Episcopum, hoc autem factum esse, non Dominicæ dispositionis Veritate, sed consuetudine, idq; cùm diaboli in stinctu studia in religione fierent.

Quid ergo habet nunc Asotus, quo impudentiam suam tueatur? Ar guit illos hæreseos, qui asserunt, non esse diuersos gradus Presbyteri & E piscopi in Ecclesia. Hæretici ergo sunt ueteres omnes, apud quos Hiero nymus affirmat eundem esse presbyterum, quem & Episcopum. Hære ticus est Petrus, hæreticus est Paulus, hæretica est ueritas Dominicæ dispo sitionis, adeoq; hæreticus est Spiritus ipse Christi, ex quo Paulus & Petrus sentiunt eundem esse Episcopum & Presbyterum, nisi fortè Sotus cogi tet, in Apostolicis ecclesijs non fuisse hæresin, asserere eundem esse pres byterum, quem & Episcopum, nunc autem, his temporibus, translato Episcopatu in dominationem mundanam, & mutato Episcoporum sta tu, mutandam etiam esse sententiam, ac pro hæresi habendum, quod in recenti ecclesia pro ueritate Dominicæ dispositionis habitum est.

Sed assueti iam sumus his moribus Pontificiæ ecclesiæ, ut quod tam Christo filio Dei, quàm Apostolis eius fuit pium & sanctum, hoc Pontifi ciæ ecclesiæ sit hæreticum & prophanum. Sic Christo & Apostolis eius pium ac sanctum fuit, dispensare & sumere in cœna Dominica utramq; partem sacramenti, hoc autem Pontificiæ ecclesiæ est hæreticum & pro phanum. Sic iuxta sentẽtiam Christi & Apostolorum eius, liberum, imò & sanctum fuit, quibuslibet uesci. Sanctificatur enim, inquit Paulus, per sermonem Dei ac precationem. Nunc autem, nisi in ecclesia Pontificia certis diebus à certo ciborum genere abstineas, reijcieris in catalogum hę reticorum. Sic iuxta sententiam Christi & Apostolorum eius, honorabi le quondam fuit coniugium INTER OMNES, & cubile impollu tum. Inter Sacrificulos autem Pontificiæ ecclesiæ, nihil habetur abomi nabilius, & si quis sacrificulus coniugium inierit, iudicatur scelus igni expiandum designasse. Quare non est mirandum, quòd ecclesia Pontificia, etiam hac in parte, de presbyteris & episcopis, hæreticũ esse censeat, quod autoritate Christi & Apostolorũ eius pium & sanctum habendum esset.

Sed fingamus etiam in primitiua ecclesia fuisse aliquod discrimen Presbyteri & Episcopi, non tamen adhuc habet Asotus, quod de Confessione Principis cõqueratur, & eam hæreseos arguat. Confessio enim Principis, cùm ex Hieronymi interpretatione recenset eundem esse Episcopum & Presbyterum, non affirmat, nullum omninò esse inter hos discrimen, sed æquat eos in officio seu ministerio docendi. Fauemus enim Episcopis suã, quã non ex ueritate Dominicę dispositionis, sed ex consuetudine habent, sicut Hieronymus docet, dignitatem, ac optamus etiam eis, si ferre possunt, maiorẽ, Sed illud agitur, ut cùm Paulus, adeoq; Spiritus sanctus exigat siue ab Episcopis, siue à Presbyteris, ut sint didactici, tenaces eius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, & potentes exhortari per doctrinam sanam, ac contradicentes conuincere, sciant se nondum fungi eo officio, ad quod sunt uocati, si administrent mundanã dominationẽ, aut legant Missas, quibus sacrificẽt pro peccatis uiuorum & mortuorum, sed si doceant ecclesiam Euangelion Christi, & erudiant populum pia doctrina, & quod uerbis docent, exemplis uitæ suæ ornent. Hoc spectat Confessio Principis, hoc vult uocatio Episcoporum & Presbyterorum.

Siue igitur Episcopi & Presbyteri sint eorundem, siue diuersorum graduum, certè si nec ad docendam ecclesiam instituuntur, nec ministerio docendi in Ecclesia funguntur, non possunt rectè Episcoporum & Presbyterorum (quales quidem Paulus eos describit) nomen usurpare, & certissimum est, quòd eorum sacrificulorum, qui usitato apud Pontificios more, ad sacrificandum tantum pro uiuis & mortuis unguntur, & ut ipsi puritant, consecrantur, intantũ nullus sit usus in uera Ecclesia filij Dei, ut quanta fuerũt olim in oculis Dei abominatione sacrificuli Baalitæ, tanta etiam sint in corde eius execratione sacrificuli Missarij. Te Dominum nostrum Iesum Christum filium æterni Dei inuoco, ut spiritu sancto tuo cõfirmes corda nostra, in uera agnitione Euangelij tui, & repurges uentilabro tuo aream ecclesiæ tuæ, quo tibi uera & grata semper sacrificia offerantur, & gloria nominis tui illustretur.

De Coniugio.

QVod Confessio Principis de Coniugio commemorat, quinque partibus constat. Vna, affirmat Coniugium esse mysterium, & tribuit ei, suo modo, nomen sacramenti. Altera, recitat in cognitionem Politicarum legum, enumerationem eorum graduum consanguinitatis & affinitatis, in quibus liceat inire coniugium. Tertia, exigit, ut adolescentes in coniugio ineundo, cõtrahant consensu eorum, in quorum sunt potestate. Quarta, recenset libertatem coniugij patere non tantum Laicis, ut uocant, uerumetiam ministris ecclesię. Postrema, addit quædam de Diuortio. Et hæc commemorantur ea ingenuitate, & modestia, ut sperem, ex ijs, nullum pium ac honestum hominem offendi posse. Sotus autem tanta est animi impotentia, & amaritudine, ut etiam ea, quę recta sunt, & cum uirtute ac officio fiunt, stomachetur. Fatemur coniugium esse genus uitæ diuinitùs institutũ & approbatum, & esse mysterium seu sacramentum magnũ in Christo & ecclesia. Quid, quæso, potest de Coniugio honestius & dignius dici? Et tamen uanissimus homo non ueretur uociferari, nos hoc in loco de Coniugio indignè loqui. Perstringamus igitur partes huius capitis, ut perspicuum fiat, quod

quod hominum genus, dignè aut indignè de coniugio sentiat.

Ac primùm, rixatur nobiscum Sotus de nomine Sacramẽti. Etsi etiam tribuimus hoc nomen coniugio, in ea significatione, qua Paulus coniugium uocat mysterium, tamen Sotus hac sententia non contentus, exigit ut fateamur Coniugium esse reuera, ut ipse loquitur, propriè sacramentum illorum septem unum, quæ sint signa & instrumenta diuinæ gratiæ operantis, quæ salutaria sunt ecclesiæ. Et esse iure nouæ legis sacramẽtum uisibile &c. Sed cùm expectamus probationem, ostendit nobis pro leone murem. Scimus enim Coniugium esse diuinitùs institutum, & approbatum, scimus esse mysterium (hoc est) uel arcanum, uel sacramentum magnum in Christo & Ecclesia. Nescimus autem esse unum è septem illis sacramentis, quæ Pontificia Ecclesia sic numerare solet.

Fatemur quidem recentiores Scholasticos & Sophistas retulisse coniugium in numerum septem sacramentorum, sed horum uanitas non est nobis ignota. Non enim habent ulla uel sacræ scripturæ, uel uetustioris ecclesiæ testimonia, sed afferunt tantum uanitatem somniorum suorum. Nõ nego, quin uetustiores scriptores uocent coniugium, Sacramentum, idq; ex nomine mysterij, quo Paulus utitur. Non autem collocant in eo loco & ordine, quo Baptismus & Cœna Dominica reponi debent. Nec sacramenta se in septenarium numerum includi patiuntur. Quid igitur habes Sote, quo uel è sacris literis, uel è uetustioribus scriptoribus (Nam tui illi scholastici Sophistæ, nihil ad ueram Ecclesiam Christi) comprobes, septem tantum esse sacramenta nouæ legis (ut uos loqui soletis) nec plura, nec pauciora, & inter hæc numerandum esse Coniugium? Age, profer, si quid habes. Sed circumspicias diligenter, ne quid ἀπροσδιονυσον & ab instituto alienum afferas.

Non enim potes allegare testimonium Pauli quod ad Ephesios extat: Mysterium hoc magnum est. Nam hoc tibi ipse ademisti, cùm Confessionem Principis hac in parte reprehendis, & dicis: Coniugium non solũ esse mysterium quoddam, ut Paulus dicit, ad Christi & Ecclesiæ coniunctionem pertinens, sed propriè & iure legis nouæ sacramentum uisibile.

Nec potes allegare dictum Christi apud Matthæum cap. 19. Quod Deus copulauit, homo non separet. Hoc enim dicto Christus non instituit nouum sacramentum, sed antea, & ab initio mundi institutum approbauit. Nec aliquid noui his uerbis promulgauit, sed tantum uetus illud uerbum, quod extat in Genesi: Erunt duo in carnem unam, repetijt, & explicauit. Vnde igitur probabis è sacra scriptura, Coniugium esse unum è septem sacramentis nouæ, (ut tu loqui soles) Legis? Et num Coniugium Abrahæ, aut Isaaci, aut alterius Patriarchæ ante aduentum Christi in carne, non fuit magnũ mysterium, & uerum sacramentum? Deinde, quæ est in hoc sacramento materia, quæ forma, quod elementũ, quod uerbum, ut accedat ad elementum & fiat sacramentum? Non ignoro, quid hoc loco Scholastici scriptores nugentur, sed qua hoc autoritate, qua rei congruentia, qua ueri similitudine dicunt?

Præterea, non est obscurum, quòd coniugium sit uinculum, exceptis suis casibus, indissolubile, Sed num ob hanc causam numerandum est inter septem sacramenta? Addatur ergo eis coniunctio animæ & corporis in homine, ut fiant octo sacramenta. Nam & hæc coniunctio uinculum est indissolubile, nec nisi morte, sicut & coniugium, soluitur.

Ecquæ, obsecro, illa est gratia, propter quam Coniugium referendum

est in catalogum septem sacramentorum? An quia Deus confert per coniugium multa ecclesiæ salutaria? Non est quidem dubium, quin Deus præstet Ecclesiæ suæ magna per coniugium beneficia, sed si hac ratione Coniugium reponitur inter septem sacramenta, uide mihi, quæso, quantus futurus sit sacramentorũ numerus. Nam & sacra ipsa scriptura, & Apostoli, & pij Scriptores ecclesiastici, & Concionatores, & Precationes, & Magistratus Politicus, imò & cœlum & terra, imò & cruces & afflictiones erunt Sacramenta illis septem addenda, propterea quòd manifestum sit, Deum plurima & maxima beneficia per ea Ecclesiæ suæ conferre.

An uerò Coniugium idcircò est unum è septem sacramentis, quòd Paulus dicat: Sanctificatur uir infidelis per mulierẽ fidelem, & quòd Deus det gratiam coniugibus, ut coniugio sanctè utantur? Sed quod Paulus dicit, hanc habet sententiam: Coniugium esse diuinitùs institutum & sanctum uitę genus. Quare si uxor fuerit pia & fidelis, sanctè uti poteſt marito, quamuis impio & infideli. Omnia enim pura, puris. Si autem hac ratione Coniugium referendum est inter septem sacramenta, certè etiam esus ciborum & usus dominorum, erit tale sacramentum. Nam & cibus sanctificatur per sermonem Dei ac precationem, sicut Paulus dicit, & domini secundum carnem, quamuis impij, sanctificantur à pijs seruis, hoc est, pij serui possunt sanctè uti impijs dominis.

Et si Coniugium idcircò collocandũ est inter septem sacramenta, quòd Deus det gratiam coniugibus, ut coniugio sanctè utantur, an non eadem ratione Magistratus, Agricultura, Mercatura, & alia id genus uitæ genera, erunt sacramenta, quòd Deus soleat pijs conferre gratiam, ut in his uitæ generibus rectè & sanctè uersentur? Et maximè omnium Texere tabernacula inter sacramenta referendũ est, quòd Paulus hoc opificiũ exercuerit, nec dubiũ sit, quin Deus contulerit in eũ gratiam, ut eo sanctissimè fuerit usus. Quis tandem erit enumerandorum sacramentorũ finis? Non certè sufficeret, etiamsi septuagies septies processeris. Sed abeant σφάλματα Soti. Nos, ut fatemur Coniugium esse sanctum uitæ genus, diuinitùs institutum & commendatum, ita libenter tribuimus ei nomen sacramenti, non quidem quòd tale sit Sacramentum, quale est Baptismus, & Cœna Dominica, sed quòd adumbret nobis sacratissimam coniunctionem, quæ est inter Christum & Ecclesiam, & quòd pios coniuges admoneant, quanta cura, quanto amoris affectu Christus filius Dei, ipsos, ut sponsam suam prosequatur, à cuius affectus gustu tantum absunt impuri fraterculi, quantum absunt à uera castitate & pietate.

Deinde, Confessio Principis reijcit enumerationem graduum Consanguinitatis & Affinitatis in cognitionem Politicarum legum. Hîc uerò de aris & focis Prælatorum actum est, nisi Sotus autoritatem sacrosanctorum Canonum pro uirili tueatur. Quærit igitur, cùm Matrimonium pertineat non tantum ad præsens seculum, uerum etiam ad ecclesiam, cur in eo plus permittamus secularibus quàm ecclesiasticis legibus? & cur ecclesiam hoc iure priuemus, quod huc usq; leges ipsę politicæ & Principes omnes permiserunt?

Etsi, cùm Confessio Principis tradit gradus Consanguinitatis & Affinitatis Politicis legibus enumerandos, nõ priuat Ecclesiam suo iure, quippè quòd & Politicæ leges iuxta rectam rationem, & ad conseruandam publicam honestatem ac tranqũillitatem constitutæ, sint ecclesiæ utiles, ac sint diuinæ ordinationes, tamen interroganti Soto non grauabor paulò copiosius

copiosius respondere, ne aut superbus, aut obnoxius uidear, quorum alterum, ut Hanno apud Liuium ait, hominis est alienæ libertatis oblíti, alterum suæ.

Primùm igitur, Sciat Asotus, non concedi sibi, quòd nomen Ecclesiæ ad Solos suos Prælatos, & Canones eorum transferat, perinde ac si nec Principes, qui agnoscunt Christum filium Dei, nec reliquus populus, quem Laicum uocant, nec Leges eorum Politicæ, ad Ecclesiam pertinerant. Nam si rectè de Ecclesia loquendum est, Principes & populi, qui fide sua amplectuntur Euangelion filij Dei, sunt uera ipsa Ecclesia, Prælati autem, de quibus Asotus loqui solet, deberent prædicando uerbo Dei, huius Ecclesiæ ministri esse. Nunc autem, quia hi non solùm non adnunciant uerbum Dei, sed etiam alios uerè adnunciantes persequuntur, nec aliud quærunt, quàm in hæreditatem filij Dei dominationem, non sunt eis amplius Principes & populi ita obnoxij, ut agnoscãt eos ueræ Ecclesiæ membra, & subijciant sese legibus eorum.

Deinde, in ratione Sacramentorum, aliud est Baptismus & Cœna Dominica, aliud Coniugium. Illorum enim uel institutio uel administratio, non est naturaliter humanæ rationi inscripta, sed est diuinitùs patefacta, nec est subiecta Legibus Politicis, sed tantum ministerio uerbi Domini, Nec habet aliquid commune cum mundana politia, sed pertinet tantum ad confirmandam conscientiam coram Deo, in fide Domini nostri Iesu Christi. Institutio autem & administratio Coniugij inter marem & fœminam insculpta est naturaliter à Deo humanæ rationi, & quanquàm coniugium ipsum, sit magnum mysterium in Christo & Ecclesia, ac eatenus quoque suam conscientiæ utilitatem afferat, tamẽ per se, iuxta externum uitæ genus, maximum omnium habet commercium cum mundana Politia. Quare administratio eius pertinet etiam maximè omnium ad Politicas leges.

Quod tamen non sic intelligendum est, perinde ac si nihil prorsus esset negocij ministerio uerbi Dei cum coniugio, sed quòd ad ministerium uerbi Dei non propriè pertineat publicas, de gradibus consanguinitatis & affinitatis, leges ferre. Nam quemadmodum ad ministerium uerbi Dei pertinet quidem Decalogum explicare, ac docere, ne quis in contractibus Politicis furetur, aut iniquis & illegitimis ponderibus & mensuris utatur, ne quis alterũ in hæreditate sua defraudet, ne quis iniustè belligeretur, & homines illegitimè occidat, ne quis ordinationi Politicæ seditiosè resistat, non autem pertinet ad hoc ministerium, de politicis contractibus emptionum & uenditionum, de modo ponderum & mensurarum, de bellis gerendis, & de alijs id genus politicis ordinationibus, publicas leges ferre: ita etiam ad hoc ministerium pertinet quidem docere & explicare, Coniugium esse diuinitùs institutum, ac esse mysterium magnum in Christo & Ecclesia, ac hortari homines, ne contrahant Coniugium contra legem naturæ & publicas leges recta ratione constitutas, neue committant uel incæstum uel adulterium. Sic Ioannes Baptista reprehendit Herodem, propterea quòd abduxerat fratri suo uxorem. Sic Christus ipse apud Matthæum cap. 5. & 19. non fert nouam legem de Coniugio, sed explicat tantum ueterem Legem naturæ & Decalogi. Sic & Paulus tradit Satanæ eum, qui contra legem naturæ coniunxerat se cum nouerca.

Instituere autem publicas & ciuiles Leges de gradibus consanguinitatis & affinitatis, & de legitima successione in hæreditatibus, non est pro-

priè ministrorum uerbi Dei, sed publici & legitimi magistratus. Quis me, inquit Christus, constituit iudicem aut diuisorem inter uos? Et tamē concionabatur, non esse furandum, non esse sollicitudinem habendam de alimento & indumento, & quæcunq; uoluerimus, ut faciant nobis homines, sic & illis à nobis faciendum esse: ita & Ministrorū ecclesiæ Christi est, ut cōcionentur, non esse nec adulterium, nec incæstum committendum, sed si exigitur ab ipsis, ut Euangelij ministris, enumeratio graduum consanguinitatis & affinitatis, quibus legitimum sit coniugium, & legitima successio, respondendum est uerbis Christi: Quis me constituit inter uos iureconsultum, aut Magistratum? Non igitur priuamus Ecclesiam suo iure, cùm reijcimus enumerationem istorum graduum, ad cognitionem politici Magistratus, sed tantum distinguimus officia, & tribuimus unicuiq;, quod sui est ministerij ac uocationis.

Nam, quòd non agnoscamus, uestras, Sote, Canonicas, quas ita uocatis, Leges, & quas Politicis legibus præfertis, habemus iustas & graues causas. Principiò enim, & si fateor quædam in uestris Canonibus pia, honesta, aut saltem tolerabilia contineri, tamen non est uestrum, autoritate ecclesiastici ministerij publicas leges ferre. Neque enim Christus ipse uoluit esse publicus Legislator, quemadmodum aliàs demonstratum est, neq; misit Apostolos suos, ut in cōtractibus uel mercaturæ, uel Coniugij publicas leges ferrent, sed ut adnunciarent Euangelion Christi, & docerent ecclesiam, naturali iuri, & honestis Politiarum legibus, ut diuinis ordinationibus, obedire.

Quod enim Principes permiserunt uobis publicas condere Leges, & affirmant quòd suæ Leges non dedignentur uestras Regulas sequi, hoc fecerunt aut uiolenter coacti, aut fraudulenter seducti. Rectius autem Calixtus Pontifex se hac in parte Politicis legibus subijcit. Coniunctiones (inquiens) consanguineorum fieri prohibentur. Quare? quia has diuinæ seculiq; prohibent leges. Et mox: Consanguineos dicimus, quos diuinæ & Imperatorum, ac Romanorum atq; Græcorum leges, consanguineos appellant, & in hæreditatem suscipiunt, nec repellere possunt.

35. q. 3. Coniunctiones.

Diuinas leges intelligit eas, quæ scriptæ sunt Leuit. cap. 18.

Deinde, non est firma constantia Canonum, in recensendis gradibus consanguinitatis & affinitatis, quibus coniugium prohibetur contrahendum, nec sunt graues & dignæ causæ, cur in ijs gradibus, quos definiunt, non debeat matrimonium contrahi. Initio enim consanguinitas constituta est usq; ad sextum, seu ut alij computant, usq; ad septimū gradum. Et adduntur bellæ admodum rationes, quia sicut sex ætatibus mundi (inquiunt) generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis totidem gradibus terminatur. Et ut post septem gradus Sponsus Sponsæ iungatur, sicut post hanc uitam, quæ septem diebus agitur, ecclesia Christo coniungetur.

Pet. Lomb. lib. 4. d. 40. Item 25. q. 5. Series consanguinitatis.

Deinde, cōsanguinitas restricta est usq; ad quartum gradum. Sic enim ex Innocentio recitant: Quaternarius numerus benè congruit prohibitioni coniugij corporalis, de quo dicit Apostolus, quòd uir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, neq; mulier habet potestatem sui corporis sed uir, quia QVATVOR sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis. Scilicet hæ sunt satis iustæ & dignæ causæ, quibus non solum politicæ leges cedant, uerumetiam uniuersus Christianus orbis assurgat, & ceruices suas inclinet. Et tamen ne sic quidem aliquid certi ac firmi inuenias. Numera enim pecuniam, & ne in quarto quidem gradu consistunt.

In Decreta. lib. 4. de consanguin. & affin. Non debet. §. Prohibitio quoq;.

consistunt. Cùm igitur Prælati non habeant autoritate ecclesiastici ministerij potestatem condendarum publicarum legum, nec habeant hac in parte iustas & legitimas suorum Canonum causas, & magna sit in hoc negocio honestas Politicarum Legum, quæ & conueniant cum diuinis legibus in libro Leuitico, haud iniuria præferimus Prelatorum Canonibus Politicas Leges, & habet Asotus, quod insultabundæ suæ interrogationi respondere uisum est.

De coniugio, quod adolescentes absq; autoritate eorum, in quorum potestate sunt, contrahere solent, & quod Confessio tertio loco proponit, Sotus antiquum obtinet. Fatetur, in coniugio ineundo requirendum esse consensum parentum honestum & iustum. Scilicet, metuendum erat, ne quis doceret, requirendum esse parentum consensum inhonestum, & iniustũ. Fatetur, se non dubitare, quin grauiter peccent hi, qui absque parentum consensu matrimonium contrahunt. Fatetur, in utraq; parte non deesse sua inconuenientia. Fatetur, multos prudentes esse, qui cupiant decretum Euaristi, quod Confessio Principis commemorat, restitutum. Fatetur, Ecclesiam olim districtiorem regulam, ab Apostolis scilicet receptam seruasse.

Sed interea negat requirendum esse consensum parentum durum & inhumanum cum periculo salutis animæ. Quis autem unquàm docuit requirendum esse consensum durum & inhumanum, & nõ potius mitem & beneuolum? Existimo Sotum nihil pensi habere, quid loquatur. Voluisse autem dicere, nõ esse necessarium, ut si adolescens habeat parentem durum & inhumanum, qui se iustæ uoluntati ipsius illegitimè & crudeliter opponat, consensum parentis expectet. Hæc certè minutiora non attingerem, nisi Sotus profiteretur se nõ suo tantum, uerumetiam Ecclesiæ catholicę nomine scribere. Cogitent igitur Catholici, quàm balbũ, quàm infantem habeant patronum.

Negat item, rescindi contractum coniugij, etiamsi filij, absq; parentum autoritate contrahentes, peccent. Et affirmat Ecclesiam, quæ multa possit mutare, addere, uel tollere, potuisse etiam decretum Euaristi, & regulam ab Apostolis acceptam, mutare. Ac hortatur, nõ esse reprehendendas maiorum Leges, sed expectandum esse iudicium Ecclesiæ.

Primùm igitur, Si Sotus nomine Ecclesiæ intelligit, nõ Ministros tantum Ecclesiæ Christi, uerumetiam pios Principes, qui Euangelion Christi agnoscunt, dubium non est, quin Principes magnam & legitimam habeant autoritatem cõdendarum & administrandarum iuxta sententiam naturalis Iuris & Decalogi, Legum, nõ tantum in rebus emendis & uendendis, sed etiam in contractu coniugij, quemadmodũ antea demonstratum est. Si autem intelligit nomine Ecclesiæ, more suo, Prælatos suos, negamus eos, uel ueram esse Ecclesiam (& si nonnulli eorum possunt esse Ecclesiæ membra) uel habere eos nomine Ecclesiastici ministerij, autoritatem condendarum publicarum Legum, tantum abest, ut possint Leges à legitimis Magistratibus iuxta rectam rationem latas, mutare, aut abrogare, quemadmodum suprà docuimus.

Ac fatemur & nos, Maiorũ Leges non esse reprehendendas temerè, & in rebus dubijs, de quibus non extat certum uerbum Domini, audiendũ esse piorum hominum iudicium, Sed quis magis reprehendit maiorum Leges, & quis minus sequitur Iudicium Ecclesiæ, quàm Prælati ipsi? An non Apostoli, sunt maiores nostri præcipui? An nõ hi Principes, quorum

extant honestissimæ Leges de Coniugio, inter maiores nostros habendi sunt? Fatetur autem Sotus ipse, quòd Apostoli, autore Euaristo, tradiderint, Coniugium non aliter fieri legitimum, nisi uxor à suis tutoribus petatur, & à parentibus desponsetur. Nec dubium est, quin Apostoli docuerint ex Decalogo: Parentes honore à liberis afficiendos, qui honor non eò tantum intelligendus est, ut parentem externo gestu uenereris, uerum etiam ut deferas ei iudicium de tuo coniugio.

Quæ est igitur illa temeritas, quòd Prælati susceperint horum maiorum doctrinam mutandam? Qui ab alijs traditiones Apostolicas, etiam non scriptas seueriter exigunt, quid fit, quòd hac in parte ausint Apostolicam traditionem, quamuis scriptam, tam præfractè mutare ac uiolare? Prætexunt exemplum Apostolicum de non comedendo sanguine & suffocato, sed hoc suprà copiosè explicatũ est. Nihil enim ad Prælatos Apostolicum exemplum, propterea quòd ipsi nõdum habeant Apostolicam autoritatem, & Apostoli non imposuerunt Gentibus perpetuam legem, cuius obseruatione homines iustificarentur coram Deo, sed præscripserunt eis regulam charitatis, quam ad tempus sequerentur, donec offendiculum tolleretur. Itaq; sublato offendiculo, hæc regula non est sublata publica aliqua autoritate, sed sua sponte concidit.

Deinde, an non inter Maiores nostros numerandi sunt hi Principes, qui publica legitimi magistratus sui autoritate, tulerunt de coniugio honestas leges congruentes cum uerbo Domini, & cum naturali iure? Manifestum autem est, quòd horum leges censeant non esse ligitimum coniugium adolescentum, nisi accesserit parentum consensus. Nuptiæ, inquiunt, consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, quorumq; in potestate sunt. Et iterum: Nec filium quidem familiæ inuitum ad uxorem ducendam cogi, legum disciplina permittit. Igitur sicut desideras, obseruatis iuris præceptis, sociare coniugio tuo, quam uolueris, nõ impedieris, ITA TAMEN, VT CONTRAHENDIS nuptijs, patris tui consensus accedat.

L. 2. ff. de rit. Nupti. L. In coniunctione. C. de nup.

L. Nec filiũ. C. de Nupt.

Ac rursus: Iustas nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta Legum coëunt. Masculi quidem puberes, fœminæ autẽ uiri potentes, siue patresfamilias sint, siue filijfamilias sint, & CONSENSVM HABEANT PARENTVM, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, ET CIVILIS ET NATVRALIS RATIO suadet, intantum ut Iussus Parentis præcedere debeat.

Instit. de nuptijs.

Hic manifestè fatentur Leges, quòd in contrahendis adolescentum nuptijs requiratur consensus parentum non tantũ ciuili, uerũmetiam NATVRALI IVRE. His legibus adscribit se sicut Euaristus, ita & Leo Pontifex. Cùm dicitur, inquiens, paterno arbitrio fœminæ iunctæ uiris, datur intelligi, quòd Paternus consensus desideratur in nuptijs, nec SINE EO LEGITIMAE NVPTIAE habeantur. Si ergo Leges Maiorũ non sunt reprehendendæ, Asotici Prælati non possunt nõ accusari inconsiderantiæ & temeritatis, quòd non uereantur noua decreta, non solum contra Maiorum suorum Leges, uerumetiam contra Ius naturale ac diuinum, condere, & Ecclesiæ seruanda obtrudere.

32. q. 2. Non omnis.

Sed uolunt uideri, se huius rei iustas & legitimas causas habere. Primùm enim arrogant sibi gubernationem, non tantum in ijs rebus, quæ pertinent ad Coniugium, uerumetiam in regno tam terreno quàm cœlesti. Tantam enim sibi potestatem sumunt, quantam ipsi Apostolis Petro & Paulo

& Paulo affingunt. Affingunt autem his eam maiestatem, quam ipsi nunquàm nec agnouerunt, nec usurparunt, imò à qua agnoscenda & usurpanda Christus eos ipse auocauit. In ea enim execratione, qua Henricus Rex Romanorum diris deuouetur, Gregorius eius nominis Septimus Pontifex Petrum & Paulum ita alloquitur: Agite, Apostolorum sanctissimi Principes, & quod dixi, uestra autoritate interposita, confirmate, ut omnes nunc demùm intelligant, Si potestis in cœlo ligare & soluere, in terrà quoque, Imperia, Regna, principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare uos posse. Si enim, quæ ad Deum pertinent iudicare potestis, quid de his inferioribus & prophanis censendum est? Et si Angelos dominantes superbis Principibus uestrum est iudicare, quid in seruos eorum facere uos decet? Et paulò antè: Quicunque, inquit Pontifex, temeritate ductus, quod non optamus, huiusce nostræ constitutionis uiolator extiterit, Legatisq; nostris impedimento fuerit, quo minus pacem componant, eum anathematis uinculo alligamus, & non solum in spiritu, uerumetiam in corpore, atq; in omnibus fortunæ bonis Apostolica autoritate colligamus. Victoriamq; in armis partam ei auferimus. Hactenus Pontifex.

Quid est proiecta & effrons impudentia, si hæc non est? Etsi enim Petro dictum est: Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, tamẽ non eò dictum est, quòd liceat Apostolis in regnis huius seculi, pro sua libidine grassari, atq; adeo in Angelos etiam cœlestes singulari quadã prærogatiua, dominationem exercere. Et si quid tale concessum fuisset Apostolis, tamen non continuò idem concessum esset Pontificibus Romanis. Sed de his suus est locus copiosius dicendi, & quædam suprà exposita sunt. Sua enim distincta sunt Apostolorum & Regũ ministeria, ut quemadmodum Apostoli prædicant Euangelion Christi, ad colligendam Ecclesiam ex populis huius terræ, & ad offerendam remissionem peccatorum, ac consequendam æternam iusticiam & salutem omnibus credentibus; ita Reges & Principes publicas Leges ferant ad conseruandam in his terris honestatem atque tranquillitatem. Non est igitur Asoto permittendum, ut Prælatis suis tribuat potestatem, publicas & honestas leges, pro suo arbitrio, figendi & refigendi.

Deinde, concedunt quidem, quòd liberi debeant in contrahendo matrimonio consensum parentum requirere, addunt autem, hoc nõ esse de necessitate, ut ipsi loquuntur, Sed de honestate. Ridiculum, imò execrandum. Quæ enim maior est necessitas, quàm ea honestas, quæ à Lege diuina, à Iure naturali, & à Constitutionibus Politicis ducitur? An parentes honorare est de honestate, non de necessitate? An, quod ciuilis & naturalis ratio, cum lege diuina congruens, suadet, non dicetur obseruatu necessarium? Quid ergo est, quod oraculum Spiritus sancti affirmat: Obediendum esse non tantum propter iram, uerumetiam propter conscientiam? Sed istis uanis hominibus nihil nec ex lege diuina, nec ex lege Politica necessarium est, nisi quod ipsi pro suo arbitrio approbauerint.

Adhæc, Sotus non rescindit contractum coniugij, qui fit inter adolescentes, inscijs parentibus, ut prospiceretur (inquiens) infirmitati, & saluti iuuentutis, & nonnunquàm uerecundiæ. Scilicet, tum consulitur saluti iuuentutis, cùm laxantur ei frena temeritatis, & approbantur contractus illegitimi, qui pugnant cum diuino & naturali Iure, & non consulitur ei, cum rescissis temerarijs, & illegitimis contractibus, assuefit

ad præstandam parentibus & legibus debitam obedientiam.

De uerecundia autem quid? Num ea uerecundia est autoritate Prælatorum approbanda, qua adolescens ueretur parenti significare desiderium ineundi matrimonij, & petere legitimam uxorem, nō ueretur autem inscio parente, aliquoties dolis & fraudibus, aliquoties temulentia aut petulantia, alienam puellam compellare, & ei fidem coniugij pollicerij? Adolescens audet præfractè, aduersus diuinas & humanas leges peccare, & non audet, quod honestum & licitum est, à parente postulare? Hæc uerò non est uerecundia indulgenter & remissè concedenda, sed seueriter punienda. Quid autem est, quòd Sotus homo admodum mansuetus non canit suis Prælatis hanc cantilenam, ut remittenda Decretorum suorum seueritate, prospiciant infirmitati & saluti iuuentutis, & permittāt legitimum coniugium iuuenibus suis sacrificulis & fraterculis? Sed malunt tueri uota à seipsis conficta, quàm legem diuinitùs institutam.

Nam, quod Sotus de duricia quorundam parentum concionatur, & affirmat, neius quidem naturæ subijcere filios uoluntati parentum, moneo, ne metuat libertatem filiorum periclitaturam, si Magistratus pergat autoritatem legum suarum sequi & tueri. Etsi enim filij non omninò subijciuntur uoluntati parentum, tamen hac certè in parte, uoluntati parentum, tam diuina, quàm humana autoritate ità subijciuntur, ut non iudicetur legitimum coniugium, si consensus parentum non accesserit.

Interea autem habent publicæ leges sua remedia, quibus obuiam eant tyrannidi parentum, & succurrant legitimæ filiorum libertati, uidelicet, si parens fuerit furiosus, si filię conditionem non quæsierit, si ultra definitam à legibus ætatem in sua potestate detinuerit, hoc est, si uel cessator & neglector, uel durus aut tyrannus fuerit. Et licebit Asoto, si quidem egerit in suis Scorijs, ut cùm fateamur in nonnullis casibus licitum esse inire coniugium, absq; parentum consensu, distinguatur, quando habendū sit ratum, quando non, à Iureconsultis & Magistratibus explicationem petere. Nos in præsentia patrocinamur generali regulæ tam diuinæ legis, de honorandis parentibus, quàm politicis legibus, quas Paulus uocat ordinationes diuinas, ut si parens in educandis liberis suis, nec fuerit cessator, nec tyrānus, & adolescens quispiam siue sobrius, siue ebrius, seducat blandis uerbis puellam, liberaliter & honestè à parentibus educatam, ac nondum egressam eam ætatē, quæ à legibus definita est, ac persuadeat, ut polliceatur ipsi fidem coniugij, sciamus eam puellam parenti suo publica autoritate restituendam, præsertim si puella ipsa mauult, relíquis adhuc omnibus saluis, honestæ uoluntati parentis, quàm inhonestę petulantiæ adolescentis morem gerere. Vos autem, nulla ratione habita, uel diuinarum uel Politicarum legū, si certum fuerit, quòd puella promiserit adolescenti fidem coniugij, cogitis eam uel inuitam uestra tyrannide, ut aut adolescenti nubat, aut monasterium ingrediatur. Hæc uestra est honestas & pietas, qua consulitis infirmitati, saluti, & uerecundiæ iuuentutis, ac famę mulierum. Sic enim libet uobis famæ mulierum cōsulere, interea autē præceptum Dei, de honorandis parentibus, & autoritatem parentum omnibus periculis exponere.

Quid autem illud, quod addit Asotus, contractum coniugij, qui fit à filio, inscijs parentibus, idcircò non rescindi, quòd ecclesia consideret, animarum saluti non conducere, ut iuuenes nimium contra ingenium & naturalem propensionem, uel supra ætatem, ad continentiam coganturs?

Hic,

Hic, Asotus uerè est ἄσωτος. Cui enim scortatori, cui adultero non sic patrocinari posset? Ingenium hominis naturaliter propendet ad incontinentiam & impudicitiam: Liceat ergo ei absq; autoritate parentũ, & contra leges tam diuinas, quàm humanas, imprudentem puellam seducere & persuadere, ut promittat ipsi fidem coniugij, & quod promiserit, ratũ, firmum, ac inuiolatum habetor. Pergamus eodem argumentandi filo. Ingenium hominis naturaliter propensum est ad incontinentiam & impudicitiam. Liceat ergo ei, præsertim si cui uxor graui & diuturno morbo tenetur, alienis mulieribus, cõtra Ius diuinum & humanum, abuti? Non enim conducit saluti animarum, ut homines nimium contra ingenium & naturalem propensionem, uel supra ætatem ad continentiam cogantur. Quid absurdius cõmemorari potest? Et tamen, cùm inire coniugium temerè, absq; parentum autoritate, non minus & diuina & humana ordinatione prohibitum sit, quàm scortari aut adulterium designare, necesse est, ut quod recensui, ex uerbis Asoti consequatur.

Ac profectò iterum hic miror, cur Asotus iuxta hanc regulam, nõ permittat iuuenibus suis sacrificulis & fraterculis coniugium. Nam, quæ his aliâs ex eadem, ut apparet, regula, permittantur, fortassis non est Asoto, & sodalitio eius ignotum.

Sed huc etiam Sanctitas coniugij referri solet, propter quam contractus absq; autoritate parentum initus, non sit rescindendus. Fateor, magnam esse sanctitatem coniugij, sed eius, quod uerè est coniugium legitimum, non eius, quod contra diuinas & humanas leges contrahitur, & solo nomine coniugium uocatur. Da prius coniugium, quod ritè & legitimè est initum, & tum concioneris nobis de Coniugij sanctitate. Quod temulenti iuuenes absq; parentum autoritate ineunt, nondum est legitimum coniugium, nisi postea parentum consensu, & publica autoritate fuerit approbatum.

Postremò solent & illud dictũ Christi allegare: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Sentiunt igitur, nõ esse eorum contractum, tanquàm diuinitùs approbatũ, rescindendum, qui absq; parentum autoritate inierunt fœdus coniugij. Expendamus ergo uerba, & sciamus, quos coniungat Deus. Non iam loquor de generali rerum administratione, qua multa etiam mala diuinitùs permittuntur fieri. Sed de administratione earum rerum, quæ fiunt approbante & fauente Deo. Iuxta hanc autem considerationem, non Deus, sed Satan dicitur coniungere eos, qui cõtra leges diuinas & Politicas, absq; parentũ autoritate, ac magis imprudentia, temeritate, temulentia, imposturis, & alijs malis artibus, quàm legitimè coniunguntur. Sicut ergo, quod Deus copulat, homo separare nõ debet, ita quod copulat Satan, homo publica autoritate præditus, non solũ potest, uerum etiam debet, si circumstantię ita ferunt, separare. Nec hoc loco quicquam dictum esse uolo de his coniugibus, qui initio dederunt sibi mutuo fidem coniugij absq; parentum autoritate, postea autem impetrauerunt consensum parentum, aut horũ loco, publici magistratus, qui est patriæ parens, & iam confirmato ac consummato matrimonio cohabitant. In his enim, quod malè cœptũ est, benè, diuina clemẽtia, euenit. Loquimur autẽ in præsentia de fœdere eorũ tantum adolescentum, qui, reliquis omnibus saluis & integris, promittunt sibi inuicem, absq; parentũ autoritate, coniugium. Hoc enim fœdus non est tanti reputandum, ut pronuncietur per se sacrosanctum & inuiolatum, sed dijudicandum secundum circumstantias,

ut quod contra diuinas leges,& politicas ordinationes initum est, habeatur illegitimum. Quod autem legibus est consentaneum, habeatur legitimum,& diuinitùs confirmatum. Cùm igitur hæc omnia tam diuinis legibus, quàm politicis ordinationibus sint definita & confirmata, nec oppugnantur, aut mutantur, nisi à falsa ecclesia, non est aliud iudicium expectandum, sed quod iam antè uetus & uera ecclesia agnouit, obedienter, reclamantibus licet fraterculis, sequendum.

Deinde Cõfessio Principis sperauit futurum, ut quemadmodum coniugium liberum est diuino Iure, uniuersæ ecclesię Christi, ita hi, qui sedent ad gubernacula ecclesię, non pergant seueritatem eius constitutionis, qua prohibetur Ministris ecclesiæ coniugium, exigere & tueri, sed clementer remittere.

Hic uerò insurgit in nos hypocrita satis atrociter, perinde ac si non solum egressi essemus omnes fines uerecundiæ, sed etiam uiolassemus omnes leges honestatis. Quòd hoc, inquit, speretis, non reprehendimus. Et addit: Sed ecclesiam præuenisse,& propria autoritate fregisse uota, & damnare, quod sanctissimum semper iudicatum est,& contra legem Ecclesiæ fecisse, quis non reprehendet, & quis non inuerecundiæ arguet, post tantam temeritatem,& posteaquam debacchati estis in sanctos Põtifices, nunc iam comptis uerbis clementiam sperate ab ijs, qui sedent ad gubernacula ecclesiæ, quos opere reijcitis & contemnitis. Amici, hæc est uia adulteræ mulieris, quæ comedit & tergens os suum dicit: non sum operata malum. Hactenus Asotica ἀλάνωσις.

Quid ergo faciamus? Si durioribus uerbis inuehimur in sanctissimos Pontifices & Fraterculos eorũ, sumus temerarij,& debacchatores. Si rursus gerimus nos humiliores & submissiores, sumus inuerecundi & habemus os mulieris adulteræ. Quo igitur nos uertemus, siquidem fratercullo ingratum est, quicquid fecerimus?

Sed heus tu, bone uir, Si tibi aliquis liberalis pudor esset, meminisses etiam, cuius præcipuè nomine nos Confessionem conscripsissemus, & quam tu tibi ipse sumpsisses personam. Imperator Romanus unà cum statibus Imperij, postquàm instituta esset Synodus Tridentina, iubebat Principes suis literis, si quid haberent, quod uel ad publicam ecclesiæ pacem, uel ad priuatam conscientiæ tranquillitatem pertinere uideatur, Synodo exponere. Deinde spes quoq; fiebat, uenturos ad Synodum non fratercullos tãtum ἀσώτους, sed etiam multos eruditos & sapientes uiros, atq; adeo Paphnutios quosdam, qui coniugium ministrorum Ecclesiæ non improbarent. Neq; enim in hoc Confessionis scripto, ratio nobis unquàm habita est Romani Pontificis, tanquàm præsidis, aut fraterculorum eius, tanquàm Iudicum, sed partim Inuictissimi domini Imperatoris, partim illustrissimi Principis nostri, cuius nomine hæc Confessio scribenda suscipiebatur: partim eruditorum & sapientium uirorũ, quos sperauimus Synodo affuturos. Officium igitur exigebat, ut sententiam nostram, sicut obedienter, & ingenuè, ita etiam modestè & uerecundè recitaremus.

Cùm autem uideamus Sotum non rectè intelligere institutum nostrę, sed potius uerecundiam nostram pro impudentia interpretari, non patiar eum errare. Ac initiò, non sumus unquàm, quod ego sciam, debacchati in Pontifices sanctos, sicut Sotus affirmat, sed inuecti sumus pro nostra uocatione in Põtifices prophanos, sceleratos, impios & tyrannos. Quæ autem hæc est insolentia Soti, quòd permittit Pontificibus suis sanctis, ut grassentur in

tur in nos ferro, igni, aqua, laqueis, denique omni genere crudelitatis, & nõ permittit nobis, ut aliquam uerbis saltem libertatem aduersus Pontifices impios & crudeles usurpemus?

Deinde, non petimus ab Asoticis Prælatis & Fraterculis eorum, ut liceat nobis, autoritate eorum, uxores ducere. Quid enim nobis cum illis, quos nec ueram ecclesiam, nec ueræ ecclesiæ ministros agnoscimus? Et in ducendis uxoribus nec uiolamus pia uota, sed potius seruamus. Nec transgredimur legem ecclesiæ, sed magis sequimur. Nam, quæ uota Sotus nobis obtrudit, impia sunt, & ad quam Ecclesię legem nos uocat, non est lex ueræ, sed Asoticæ ecclesiæ, quæ quantum discriminis à uera habeat Ecclesia, suprà ostensum est. Nec quæ in ducendis uxoribus fecimus, propria fecimus autoritate, sed publica, eaq; Prophetica & Apostolica, ac omnium uerè piorum hominum. Quare non erat hic locus accusandæ nos temeritatis & inuerecundiæ, sed agnoscendi officij nostri, quod tam illustrissimo Principi nostro, quàm bonis quibusq; debemus.

Sed accedemus ad rem ipsam. Etsi enim tot extant scripta nostrorũm, quibus Coniugium Ministrorum Ecclesię firmis rationibus probatur, ut superuacaneum uideatur in eo argumento iterum uersari, tamen deprauationes & mendacia Soti non sunt silentio prætereunda.

Primùm igitur omnium, accipimus hanc Asoti confessionem, quòd affirmat, prohibitionem coniugij Episcoporum & sacerdotum non esse diuini Iuris. Coniugium, inquit, omnibus Laicis & Clericis, quantum est ex Iure diuino, liberq; est. Et iterum: Fatemur, inquit, hæc nõ esse ex ipso iure diuino, sed consuetudine & consensu ecclesiæ. Cum Asoto consentit & illud quod in decretis Pontificijs, 26. q. 2. c. Sors, scribitur. Copula (inquit Canon) sacerdotalis, uel consanguineorum, nec legali, nec Euangelica uel Apostolica autoritate prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitùs interdicitur. Quid amplius hac in parte requiritur? Qui ergo Episcopi aut sacerdotes ducunt uxores, habent à parte sua Ius diuinum. Quæ autem consuetudo, aut quis consensus ualeret aduersus ius diuinum? Et: An non Ius diuinum habet publicam autoritatem? Iniustè ergo accusat Sotus ministros ecclesiæ, quòd ineant coniugium propria autoritate & temeritate.

Deinde dicit: Coniugium nulli esse necessarium, sed continentiam proponi omnibus sub cõsilio, dicente Paulo: De uirginibus præceptum non habeo &c.

De hoc quidem Pauli loco suprà dictum est. In præsentia autem non fit sermo de necessitate, sed de honestate & libertate Coniugij. Non iam quæritur, num simpliciter sit necessarium, ut quiuis hominũ ineat coniugium. Manifestum enim est, quòd & si hoc uitæ genus diuinitùs est institutum, tamen multi etiam sunt, à quibus hoc diuinitùs non exigitur. Sed quæritur, Num coniugium diuino Iure ita sit liberum, ut non solum sit ecclesiæ ipsi, uerũetiam ministris eius, liberq;? Ac fatetur quidem Sotus, liberũ esse diuino Iure, sed usui huius libertatis obstare, ex una parte, consuetudinem, ordinationem & legem Ecclesiæ, ex altera, uotum castitatis.

Quæ ergo sit uis consuetudinis aduersus diuinam ordinationem, notius est, quàm quod hoc loco pluribus exponi debeat. Nec est Asoticis, uel ex ipsis Canonibus eorum, ignotum, quid Cyprianus de consuetudine sentiat. Si Solus, inquiens, Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi

oportet, sed Dei Veritatẽ. Et: Quæ est ista obstinatio, quæue præsumptio, humanam traditionem diuinæ dispositioni anteponere, nec animaduertere, indignari & irasci Deum, quoties diuina præcepta soluit, & præterit humana traditio, sicut per Esaiam Prophetã clamat & dicit: Populus iste labijs honorificat me, cor uerò eorum longè separatum est à me. Nec dubium est, quin extent leges seu Canones Pontificij, qui ministros ecclesiæ à coniugio arcent. Ac alij quidem prohibent coniugium contrahendum, alij etiam usum coniugij iam antea contracti: Sed illud nunc agitur, num licuerit Pontificibus & Concilijs eorum, hos Canones Ministris ecclesiæ imponere, & num satis iustas & graues habuerint causas exigendi ab eis perpetuum cælibatũ? De hac re aliquid copiosius nobis dicendũ est. Non iam uniuersè, autoritatem Pontificum & Conciliorum, in condendis legibus, definiam, sed de lege tantum perpetui cælibatus dicam.

Vnde ergo ea lex profecta est, & quas obsecro pias & iustas causas habet? Ecclesia, inquit Sotus, spiritu Christi, ex traditione proculdubiò Apostolorum, ad maiores Ordines non admittit, quibus coniugium placet, quicq; omnimodam continentiam non uouent. Etsi autem non est obscurum, quin alicubi in ministrorum ecclesiasticorum ordinationibus non exigatur diserte uotũ perpetui cælibatus, tamẽ res ita sanè se habeat, quòd Ecclesia, hoc est, Asotici Prælati non recipiant in ministros, nisi eos, qui promittunt continentiam, ut ipsi loquuntur, qua autoritate id faciunt? Ex spiritu, inquit, Christi, & traditione Apostolorum.

Dicamus igitur prius de spiritu Christi. Vnde enim probas hanc legem esse ex spiritu Christi? Quæ enim spiritus Christi tradit, cum uerbo Christi consentiant, necesse est. Quomodo enim hæc secum pugnarent? Nullum autem extat uerbum Christi, quo prohibetur, ne Ministri Ecclesiæ ducant legitimas uxores, aut antea legitimè ductas non retineant. Dixit quidem apud Matthæum, esse Eunuchos, qui seipsos castrant propter Regnum cœlorum, non autem ponit Legem de seruando perpetuo cælibatu, sed addit: Qui potest capere, capiat. Et paulò antè: Non omnes sunt capaces huius dicti. Quod igitur Christus uerbo, certissimo uoluntatis suæ indice, liberum reliquit, quomodo spiritus eius laqueo uincireť Itaq; uanissimum est quod Sotus nugatur, hanc legem de perpetuo cælibatu è spiritu Christi profectam esse.

Deinde & illud uanum est, quòd affirmat eam ex traditione Apostolorum ortam. Vbi, quæso, hæc traditio extat? Nam Clementem illum Fictitium & alios eius farinæ autores nihil moramur. Et quomodo tradidissent Apostoli, quod tam cum exemplis, quàm cum doctrina ipsorum pugnaret? Videbitur (inquit Origenes) præcipuè hostia uiuens & sancta, & Deo placens, corpus esse incõtaminatum. Verùm, quoniam uidemus nonnullos Sanctorum, aliquos etiam Apostolorum habuisse coniugia, non usq; quaq; possumus de sola uirginitate sentire. Et: Omnes Apostoli, inquit Ambrosius, exceptis Ioanne & Paulo, uxores habuerũt, Et tamen alij sentiunt etiam Paulo suam fuisse uxorem. De Petri enim uxore, nullum est dubium. Quomodo igitur Apostoli Legem contra sua ipsorum exempla statuissent? Exemplis conuenit etiam doctrina eorum. Honorabile coniugium (inquit Epistola ad Hebræos) inter Omnes. Inter hos autem Omnes continentur etiam Ministri ecclesiæ.

Sed hic obijcit Sotus Ordinationem Ecclesiæ, ut ipse loquitur, & uotũ castitatis, uidelicet, quòd coniugium tunc sit honorabile, cùm hæc duo

non

non obstiterint. Vbi autem aliò uocant Canon Ecclesiasticus, & Votum castitatis, (ut in sacrificulis & fraterculis) ibi coniugium sit prophanum & detestandum. Etsi autem relinquimus sacrificulis & fraterculis (siquidem ita libet eis) suos Canones & uota, tamen ferendum non est, quòd quæ diuinitùs sunt constituta, humanitùs conuellantur. Coniugium enim non est genus uitæ ab humana ratione excogitatum, sed à Deo ipso institutũ. Et quia Deus cuncta, quæ fecerat, uidit, & erant ualde bona, necessarium est, ut & coniugium sit bonum & sanctum, ideoq; honorabile & sua commendatione dignũ. Canones autem, qui arcent Ministros Ecclesiæ à coniugio, & censent, coniugium in ministris ecclesiæ esse prophanum, impurum & detestandum, non sunt diuinitùs instituti, sed humanitùs excogitati. Fatetur enim Sotus ipse, quòd non sint ex diuino Iure, & manifestè pugnant cum eo encomio, quo spiritus sanctus Coniugium commendat, quemadmodum mox copiosius explicabitur.

Sed & uotum perpetui cælibatus, non est diuinitùs institutum, sed ab hypocritis excogitatum, & pugnat apertè cum uerbo Domini, quo dicitur: Non omnes sunt capaces huius dicti. Et: Melius est nubere, quàm uri. Et unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Et: In libertate, qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis (ad quod genus etiam uotum perpetui cælibatus referendũ est) implicemini.

Vide ergo nunc mihi, an iustum sit in conspectu Dei, audire potius Canones & Vota, quàm uerbum Dei? Et: An non hypocritæ irritum faciunt uerbum Dei, & oraculum spiritus sancti, propter traditiones suas? Oraculum spiritus sancti dicit: Honorabile coniugium ἐν πᾶσιν, hoc est, Inter OMNES. Traditio autem humana dicit: Coniugium inter ministros Ecclesiæ non est honorabile. Cui ergo assentiendum sit, non est cuiquam, nisi hypocritis, obscurum.

Et quid est, quòd numerant Coniugium inter sua Sacramenta, si est in sacrificulis & fraterculis ipsorum detestandum? An nõ Sotus suprà dixit: Coniugium esse signum gratiæ Dei in eo operantis? Sentiunt autem nullũ ferè magis indigere gratia Dei, quàm sacrificulos & fraterculos. Quid ergo est, quòd coniugium in ipsis tantæ est abominationi? Sed putant in manu sua omnem cœlestem & terrestrem potestatẽ sitam esse, ut cùm dixerint bonum esse malum, sit malum, & malum esse bonum, sit bonum, ac lucem esse tenebras, sint tenebræ, & rursus tenebras esse lucem, sit lux, atq; adeo amarum esse dulce, sit dulce, & contrà, dulce esse amarum, sit amarum. Quis tantæ potentiæ & maiestati non assurgeret?

Finge nunc consuetudinem nõ unius tantum anni, sed etiam duorum aut trium millium annorum. Finge quoq; Concilia ἀφθίτους antiquiora, quibus damnetur coniugium in Ministris ecclesiæ, his tamen omnibus præferendum est oraculum spiritus sancti, quo pronunciatur, Nuptias inter omnes, ideoq; inter ministros quoq; ecclesiæ esse honorabiles.

Sed iterum obijcitur, quod Paulus de uiduis scribens: Iuniores (inquit) uiduas reijce. Cùm enim lasciuire cœperint aduersus Christum, nubere uolunt, habentes condẽnationem, quòd primam fidem reiecerint. Hanc fidem interpretantur Asotici esse promissionem seu uotum castitatis. Vnde autem id probant? Nego enim Paulum nomine primæ fidei intelligere castitatis uotũ. Nego Apostolicis illis temporibus fuisse tale uouendi genus, quale est apud sacrificulos & fraterculos. Quomodo enim Paulus,

Apostolus tantus, secum ipse pugnaret? Scribit autem mox: Volo iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare. Et aliàs: Satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Et: Hoc, ad id quod uobis conducibile est, dico, non ut LAQVEVM uobis iniiciam. Quid est, Non ut laqueum uobis iniiciam, aliud, quàm, Non ut uota facienda exigam? Sunt enim talia uota, quæ hypocritæ excogitarunt, inextricabiles laquei, quibus conscientiæ hominum ita irretiuntur, ut nisi uerbo Domini soluantur, non inueniant, quò euadant.

Non est igitur sentiendum, quòd Paulus nomine primæ fidei intelligat uotũ perpetui cælibatus, quod magis, si de eo locutus esset, secundam, quàm primam fidem dixisset, sed intelligit pactum, quod in baptismo iniri solet. Cùm enim in Baptismo Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus, recipit nos in gratiam, & adoptat nos in filios ac hæredes suos, recipimus nos uicissim gratos fore, & ducturos piam ac honestam uitam, ut nomen Dei per nos glorificetur. Hoc est pactum, hæc est stipulatio, ut Petrus ait, qua Deus & homo inter se conueniunt. Et hanc stipulationem uocat Paulus primam fidem. *Prima fides.*

Cùm autem primum nõ soleat dici, nisi respectu secundi, & Paulus nõ faciat expressam mentionem secundæ fidei, dubium non est, quin ad secundam quoq; respiciat, quæ solet præstari, cùm quis ad publica officia, aut alienam seruitutem uocatur, uidelicet, ut ministerio & officio suo diligenter, piè & fideliter fungatur. Quare sententia Pauli hæc est, quòd iuniores uiduæ non sint eligendæ in ministerium ecclesiasticum, quia saginatæ ecclesiasticis facultatibus, solent lasciuire, impudicam uitã ducere, & scortari, adeoq; eam fidem, quam primã Christo Domino nostro in baptismo dederunt, uiolare. Quòd si autem non seruant primam fidem, quam Christo, de honestate uitæ suæ dederũt, quomodo seruarent secundam, quam promiserunt hominibus, & qua receperunt se officium suum summa diligentia & studio administraturas? Si uiolant fidem filio Dei datam, quomodo non uiolarent fidem filijs hominum promissam? Hæc est uera sententia Pauli, quàm circumstantiæ eius tam loci quàm temporis ostendũt. Nõ igitur primam fidem irritam, sed potius ratam faciunt hi, qui malunt, abiectis uanis suis uotis, honestam uxorem ducere, quàm aut inhonestas uoluptates sequi, aut fœdis ac impuris cogitationibus indulgere.

Recitat & aliud testimonium Cõfessio Principis, quo probatur, quòd prohibitio de Coniugio Ministrorum ecclesiæ, non sit traditio Apostolica. Paulus (inquit) probat coniugium in Episcopo. Hic ergo opponit se Sotus quantis potest uiribus, tam in Confusione, quàm in Scorijs suis. Neq; Paulus (inquiens) iuxta saniorẽ sensum Patrum, Coniugium, multò uerò minus usum eius probat in Episcopo, sed tantũ bigamiam damnat. Hactenus Asotus. Si ergo Paulus nõ probat in Episcopo coniugiũ, certè improbat. Si improbat, certè etiam damnat. Quid enim improbare aliud est q; reijcere, uituperare, & damnare? Itaq; Paulus, iuxta Sotũ, non tantũ damnat in Episcopo digamiam, uerumetiã Monogamiam. Et tamen claris & apertis uerbis dicit: Episcopũ eligendum ἀνεπίλημπτον, ἢ ἀνέγκλητον, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα: hoc est, Irreprehensiblem, seu inculpatum, uniús uxoris uirum. Primo loco ponit, Irreprehensibilem, mox subijcit, uniús uxoris uirum. Si coniugium, seu usus coniugij est in Episcopo reprehensibilis, ac damnabilis, sicut Sotus censet, cur subijcitur irreprehensibili, seu inculpato? Sed Sotus intelligit Paulum loqui de Coniugio quod ante Episcopatum

contra-

contractū erat. Et paulò pòst in confusione sua scribit: Nec ullis, inquiens, antiquæ ecclesiæ exemplis ostendi potest, usum matrimonij concessum esse Episcopis & Sacerdotibus, multò uerò minus, quòd licuerit post hos ordines inire coniugium, Sed sunt manifesta in contrarium argumenta. Habes uerba Soti, sed totidem ferè luculenta mendacia.

Quid non auderet in alijs rebus tam uanus homo, qui nō ueretur in re perspicua, & nomine Catholicæ Ecclesiæ, ac aduersus Confessionem tanti Principis, tam exhausto esse rubore? Non potest (inquit) ullis antiquæ Ecclesiæ exemplis ostendi, usum matrimonij concessum esse Episcopis & sacerdotibus. Referam igitur initiò, quod in Synodo Nicæna gestum est, quod & in Pontificijs Canonibus commemoratur.

Socrat. hist. Eccl. lib. 1. cap. 11. & Sozo. lib. 1. cap. 23. & d. 31. c. Nicæna.

Nicæna Synodus uolens corrigere hominum uitam in Ecclesijs commorantium, posuit leges, quas Canones uocamus, in quorum tractatu uidebatur aliquibus introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor, contradixit, honorabiles confessus nuptias, & castitatem dicens esse, cum propria coniuge concubitum. Suasit itaq; Concilio, ne talem poneret legem, grauem esse asserens causam, quæ aut ipsis aut eorū coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit. Synodusq; laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusq; uoluntate, non necessitate, permisit.

Habes manifestissimum testimonium ueteris Ecclesiæ, quòd usus matrimonij fuerit concessus Episcopis & Sacerdotibus. Et quidem ex Socratis historia perspicuum est, quòd ante Nicænam Synodum nulla lex fuerit, ut Ministri Ecclesiæ non uterentur legitimis suis uxoribus, quas antè duxerāt. Placebat (inquit Socrates) Episcopis, ut NOVAM legem in ecclesiam introducerent, ne Sacerdotes, Episcopi uidelicet, Presbyteri & Diaconi, cum uxoribus dormirent, quas cùm adhuc laici essent, duxissent. NOVAM (inquit) legem inducerent. Nulla igitur antea lex extabat, quæ uetuit, ne sacerdotes suis legitimis uxoribus uterentur. Etsi autem Socrates & Sozomenus affirmant eos, qui ad clericatū ante nuptias uocati essent, non amplius, secundum antiquam ecclesiæ traditionem, ad nuptias accessisse, tamen testificantur palàm, nullum Presbyterum seiunctum fuisse ab ea, quam antea in uxorem duxisset. Et quantum antiqua illa ecclesiæ traditio, cuius mentionē faciunt, ualeat, è superioribus non est obscurum, & postea magis exponetur. Vides igitur manifestè, uel ex hoc uno testimonio, uanitatem Soti, ut mirer qua libidine in tantam impudentiam procurrat. Addam & aliud, ex sexta Synodo, ut habent quidem decreta ipsa Pontificia.

d. 31. c. Quoniam.

Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, uel Presbyteri, confiteri, quòd non suis iam copulētur uxoribus, antiquum sequentes canonē Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum uirorū legales nuptias amodò ualere uolumus, NVLLO Modo cū uxoribus suis eorū connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate adinuicē in tempore opportuno. Quicunq; dignus inuentus fuerit Subdiaconali ordinatione, aut Diaconali, aut Sacerdotali, hi

nullo modo prohibentur ad talem ascendere gradum, pro uxoris suæ co/habitatione, nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem co/gantur, quòd abstinere debeant à legalis uxoris familiaritate. Habes iterꝫ aliud testimonium, quo apertè significatur, Græcam ecclesiam non esse se cutam exemplum Romanæ seu superstitionis seu tyrannidis, sed permi/sisse presbyteris seu ministris Ecclesiæ usum suarum uxorum, nec coëgis/se eos ad professionem abstinentiæ à sua uxore. Et tamen audet Sotus im pudenter uociferari, nullum antiquæ Ecclesiæ exemplum ostendi posse, quòd usus matrimonij fuerit Episcopis & sacerdotibus concessus.

Etsi autem Commentator Gratiani opponit huic alterum Canonem, qui extat d. 32. Si quis eorum, tamen uel pro more suo nugatur, uel hic Ca non, (Si qūis) non est sextæ Synodi Cōstantinopolitanæ, sed alterius cuiusdam Romanæ, quemadmodum ex glossa, quæ extat in Canonem, Cùm in præterito, d. 84. intelligi potest.

Extat & Vrbani Pontificis testimonium.
Ext. Decre. d. 56. c. Cenomanense.

Cùm ex sacerdotibus nati summos Pontifices suprà legantur esse pro/moti, nō sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugijs, quæ sacerdotibus ante prohibitionem, ubiqꝫ licita erant, & in Orientali eccle/sia usqꝫ hodie eis licere probantur.

Ext. De Cleric. coniug. c. Cùm olim.

Nos attendentes, quòd Orientalis Ecclesia uotum continentiæ non ad misit, quum Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in super/rioribus utuntur matrimonio iam contracto. Et Nicephorus lib. 12. capi/te 34. In Thessalia & hoc factitatum esse legimus. Licebat Clerico cuiuis, priusquàm in ordinem eum cooptaretur, legitimē uxorem ducere. At si postea ut consuetudine receptum est, uxorem cognouisset, ordine eo mo/uebatur, quum in Oriente omnes atqꝫ etiam Episcopi, si uellent, pro arbi/trio suo, non aliqua legis necessitate coacti, uxorum congressum declina/rent. Multi etiam ipso Episcopali munere fungentes, in Episcopalibus ędi bus liberos multos ex coniugibus, quas sibi legitimo matrimonio antea coniunxissent, susciperent. Possem & alia testimonia commemorare, sed quid opus est, cùm uel uno tantum ex illis, quæ recensuimus, uanitas & impudentia Soti coargui possint?

Videamus & alterum, quod Sotus nugatur, uidelicet, quòd non possit ullis exemplis antiquæ Ecclesiæ ostendi, licuisse post ordines (presbytera/tus, diaconatus & subdiaconatus) inire coniugium.

Ex Concilio Ancyrano. d. 28. c. Diaconi.

Diaconi quicunqꝫ ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, uelle se coniugio copulari, quia sic manere nō possunt, hi, si post/modùm uxores duxerint, in ministerio maneant &c.

Etsi autem Cōmentator in glossa dicit: Constitutos in superiori ordine nec apud Romanos nec apud Græcos posse contrahere, nec à tempore Apostolorum potuisse, & si contrahant, non esse matrimonium, tamen, quia quod de Græcis affirmat manifestè pugnat cum hoc Ancyranæ Sy/nodi Canone, & cum multis alijs testimonijs, idcircò eadē facilitate con/temnitur, qua dicitur.

STEPHANVS PAPA. d. 31.

Aliter se Orientalium traditio habet ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ

Rõmanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi, in matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesię uel Occidentalium nullus sacerdotum à Subdiacono usq; ad Episcopum, licẽtiam habet coniugium sortiendi.

Exponit quidem Commentator Gratiani, uerbum (COPVLANTVR) pro, Copulato utuntur, sed sequitur sua tantũ somnia, sicut aliâs exponit Statuere pro Abrogare. Manifesta enim est in hoc Canone antithesis. Opponit enim Canon inter se Orientalem & Occidentalem ecclesiam, & dicit in hac sacerdotes nõ habere licentiã sortiendi coniugij, quod perspicuè dicitur, nõ de iam contracto ante sacerdotium coniugio, sed de contrahendo in sacerdotio. Necessarium igitur est, ut quod de Orientali ecclesia dicit: Sacerdotes in ea copulari in matrimonio, intelligatur nõ de iam facta ante sacerdotium, sed de fienda in sacerdotio copulatione. Quid quòd & Commentator ipse testificatur in glossa, d. 84. c. Cùm in præterito, nonnullos dicere sacerdotes potuisse olim, ante Syricium, contrahere.

Cusanus Epist. 2. de usu Communionis ad Bohemos.

Consequenter in nouo Testamento uisum est post aliquot tempora irrationale fore, quòd in sacris ordinibus existentes, contraherent, similiter & solenniter uouentes. Quod si facerẽt, separandos esse. Qui tamen antè, tanquàm à Deo coniuncti separari non potuissent. Hic primùm obserua, quòd testimonio Cusani, non statim ab Apostolorũ temporibus, ut nonnulli nugantur, sed post aliquot demùm tempora, instituta fuerit lex de perpetuo sacerdotum cælibatu. Manifestum igitur est, quòd ante ea tempora impunè licuerit sacerdotibus contrahere matrimonium.

Deinde obseruandũ & illud, quòd qui ijs temporibus contrahebant in sacerdotio, coniungebantur tanquàm à Deo, nec poterant separari. Sed quid multis opus? Cùm Asotici ipsi fatentur coniugium sacerdotum esse liberum DIVINO Iure, putas ne nullo unquàm tempore, huius iuris usum fuisse? Et quia à Concilijs & Pontificibus institutæ sunt leges, quibus prohibetur, ne sacerdotes ducant uxores, manifestum est, fuisse antea cõsuetudinem, qua licuerit sacerdotibus uxores ducere. Vnde enim aliqui hę leges fuissent exortæ? Quare nihil est nec impudentius nec uanius Asoto, quòd audeat uociferari, nullis antiquæ ecclesiæ exemplis ostendi posse, usum matrimonij concessum fuisse Episcopis & Sacerdotibus, ac licuisse post maiores ordines coniugium inire.

Ex his quoq; perspicuum est, quàm scelerate doceat Paulum improbare in Episcopo coniugium. Etsi autẽ sermo Pauli, de Episcopo unius uxoris uiro, non est obscurus, tamen libet adscribere testimonium Hieronymi, quod tanto maioris ponderis esse debet, quanto aliâs hic uir coniugio, non tantum sacerdotum, uerum etiam aliorum hominum iniquior esse solet.

HIERONYMVS LIB. 1. ADVERSVS IOVINIANVM.

Si Samuel nutritus in tabernaculo, duxit uxorem, quid hoc ad præiudicium uirginitatis? Quasi non hodie quoq; plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat unius uxoris uirum, habentem filios cum omni castitate.

Et in Epistola ad Oceanum.

Carterius Hispaniæ Episcopus, homo & ætate uetus & sacerdotio; unam antequàm baptisaretur, alteram post lauacrum, priore mortua, duxit uxorẽ, & arbitraris eum cõtra Apostolorum fecisse sententiam, qui in

Catalogo uirtutum, unius uxoris uirum præceperit ordinandũm. Mirõr autem te unum protraxisse in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu. Ad Episcopos uenio, quos si sigillatim uoluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur.

Et paulò pòst.

Hoc quod dicit: unius uxoris uirum, potest & aliter dissert. Ex Iudæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia, de Israel reliquijs congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Mosi familiare populo nouerat, in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoq; sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi uendicent sacerdotes, ne bina pariter & trina coniugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore habeant uxores.

CHRYSOSTOMVS AD TITVM λόγῳ β.

Si quis, inquit, inculpatus, unius uxoris uir, filios habens fideles, nõ obnoxios crimini ἀσωτίας aut inobedientes. Cuius rei gratia, etiam talem in medium adducit? Obthurat os hęreticis, qui calumniantur nuptias, ostendens, quòd non sit res detestanda, sed tam honorabilis, ut cum ea possis etiam in sanctum thronum ascendere.

Ex his Hieronymi & Chrysostomi testimonijs uides, Paulum non solum non improbare in Episcopo coniugium, uerumetiam ex eo honestatem coniugij commendare, ac illud, quod dicitur, unius uxoris uirum, in catalogo uirtutum recensert, tantum abest, ut pro improbando uitio habendum sit.

Sed ut Sotus clarè probet se non solùm esse hypocritam, uerumetiam Encratiten & Tacianum: Quomodo potest, (inquit) Paulus in Episcopo requirere, quod omnibus dissuadet: Volo omnes esse sicut meipsum? Quomodo probat in Episcopo, quem vult liberum à secularibus negocijs, intentum esse lectioni & orationi? Quomodo probat matrimoniũ, de quo dicit, quod qui cum uxore est, quæ sunt mundi cogitat? Et mox: Denique, quòd apertè docet esse impedimentum obsecrandi Dominũ, & à cuius actu separari docet ipsos debere coniugatos ad tempus, ut orationi uacent? Habes encomiũ, quo Asotus ornat coniugiũ, quod suprà tantopere contenderat esse sacramentũ, cui nec sanctitas, nec effectus gratiæ desit.

Primùm igitur, Confessio Principis non dicit Paulum requirere in Episcopo coniugium, sed probare. Aliud est Requirere, aliud Probare. Nõ enim necessariò requiritur, ut Episcopus sit in coniugio: potest enim esse cælebs, modò sit castus: potest esse uiduus, modò non sit scortator. Sed illud agitur, ut quemadmodum in Episcopo probandus est cælibatus, si fuerit coniunctus cum pia castitate, ita non sit in eo improbandum coniugium, si ita necessitas, aut cõditio rei ęx eius postulauerit, ut quod Paulus uniuersæ Ecclesiæ scribit, Alligatus es uxori? ne quære diuortium. Solutus es ab uxore? ne quæras uxorem. Quòd si duxeris uxorem, non peccasti, hoc etiam ad Ecclesiæ Episcopum pertineat. Vos autem Asotici adimitis, quantum in uobis est, hanc Episcopo diuinitùs concessam libertatem tyrannicis uestris decretis & superstitiosis ac impijs uotis. Manifestum igitur est, uos cum Paulo, imò cum Spiritu sancto, aperto Marte belligerari.

Deinde, cùm Asotus improbat ex Paulo coniugium Episcoporũ, fingit Paulum conferre inter se, non duo uitæ genera, quæ per se sint honesta &

ſta & ſancta, ſed quorum alterum ſit honeſtum, alterum inhoneſtum, ac alterum ſit ſanctum, alterum prophanum & abominandum. Cælibatus enim & coniugium, duo ſunt uitæ genera, quorum utrumq; ſuam habet, ſicut honeſtatem, ita & laudem & commendationem. Quare cùm Paulus confert ea inter ſe, non ſic alterum commendat, ut alterum infamet, ſed cùm de utroq; præclarè ſentiat, & utrumq; ſuis laudibus ornet, præfert alicubi cælibatum coniugio, ut præſenti neceſsitati conſulat.

Quid autem Sotus & hypocritæ fraterculi eius? Cælibatum coniugio ita præferunt, ut etiam ſint in coniugium contumelioſi, & iudicent coniugium eſſe coram Deo tam impurum uitæ genus, ut Epiſcopus ex eo commaculetur, & à ſcortatione aut nihil aut parùm differat. Nam quemadmodum importuni & inepti encomiaſtæ ſtudij theologiæ ſolent ſuum argumentum tantis laudibus efferre, ut præ eo ſtudium Iuris politici aut Medicinæ non ſolum faſtidire, uerumetiam damnare uideantur, cùm tamen ſuam quoduis habeat honeſtatem & utilitatem: ita hypocritæ cælibatum ſuum tanto præconio inſignire ſolent, ut præ eo coniugium non fordere tantum, uerumetiam abominandum & uitandum eſſe debeat. Quod ne quis nos fingere exiſtimet, percurremus uerba Soti, quæ paulò antè è Scorijs eius commemorauimus.

Dicit: Quomodo Paulus poteſt requirere in Epiſcopo, quod diſſuadet omnibus? Paulus igitur iuxta Sotum diſſuadet coniugium non tantum Epiſcopis, uerumetiam OMNIBVS, hoc eſt, uniuerſæ eccleſiæ? Et quia diſſuadet, ſuas etiam diſſuadẽdi rationes habeat, neceſſe eſt. Volo, inquit, omnes eſſe, ſicut meipſum. Hæccine ratio eſt, propter quã diſſuadet omnibus coniugiũ? Quid ergo eſt quod aliàs dicit: Propter ſtupra uitanda ſuam quiſq; uxorem habeat, & ſuum quæq; uirum. Et iterum: Si ſe non continent, cõtrahant matrimonium. Satius enim eſt matrimoniũ contrahere, quàm uri. Ac rurſus: Volo Iuniores (Viduas) nubere, liberos gignere, domũ adminiſtrare. Quomodo hęc conueniunt: Volo omnes eſſe ſicut meipſum. Et: Volo Iuniores nubere? Pugnat ne ſecum Paulus? Nihil minus. Non enim diſſuadet, ſicut Sotus balbutit, coniugium, quod & honeſtũ eſt, & diuinitùs inſtitutum: Sed cùm ponit ſibi ob oculos præſentia pericula & afflictiones, ac uidet coniugia pior, non parùm habere difficultatis, eo tempore, in medio impiorum Ethnicorum, optat Corinthijs tranquillitatem & ſecuritatem: Arbitror, inquiens, hoc bonum eſſe, propter præſentem neceſsitatem. Et: Velim uos abſq; ſollicitudine eſſe. Nõ igitur diſſuadet coniugium, tanquàm inhoneſtum, & Deo abominabile, ſed teſtificatur ſuam erga Corinthios beneuolentiam, qua cupit eos ab omnibus coniugij moleſtijs liberos eſſe. Et tamen uidet ipſe, hoc optari magis, q; ſperari poſſe. Poſtquàm enim dixiſſet: Velim omnes homines eſſe, ut & ipſe ſum, continuò ſubijcit: Sed unuſquiſq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Et poſtea: Non ut laqueum uobis injiciam. Coniugium igitur donum Dei eſt, non quidem ſemper cælibatu tranquillius, donum tamẽ Dei, non, tanquàm inhoneſtũ, pedibus conculcandum. Et qui ſine diſcrimine temporum ac perſonarum adigit homines ad cælibatum, non uocat eos ad libertatem, ſed injicit eis laqueum.

Deinde dicit: Quomodo probat in Epiſcopo, quem uult totum liberẽ à ſecularibus negocijs, intentum eſſe orationi atq; lectioni? Coniugium igitur, iuxta Sotũ, eſt ſeculare negocium, cum quo Epiſcopo nihil debeat eſſe commune. Et tamen cùm Confeſsio Principis ſuprà dixiſſet, coniu-

gium pertinere ad hoc præsens seculum, uociferatur Sotus, coniugium nõ inter res præsentis seculi, & temporales tantum censendum esse, sed etiam esse Sacramentum, & Gratiæ Christi instrumentum. Quæ est hæc hominis intemperies? Si coniugium est Sacramentũ, quomodo non probaretur etiam in Episcopo? Si est Gratiæ Dei instrumentum, cui magis quàm Episcopo, qui gratia Dei reliquos antecellere debet, conueniret?

Nam, quòd Paulus recitat Timotheo suo generalem sententiam: Nemo qui militat implicatur uitæ, uel sicut vulgata tralatio habet, secularibus negocijs, non damnat in milite, nec iudicat, quòd sit ἄσκησις, si quærat sibi suo tempore necessarium uictũ. Alioqui enim, si careat cibo, quomodo sustinebit militiæ labores? Sed quemadmodum nõ damnat in milite coniugium, nec curam quærendi uictus, si modò non negligat præcipuam illam militiæ, ad quam profectus est, uocationem, ita non damnat in Episcopo uel coniugium, uel honestam quærendi necessaria uitæ rationem, si non deseruerit eam functionem, quæ est Episcopi propria. Iubet Episcopum domui suæ benè præesse. Sed si, iuxta sententiam Soti, abstinendum est omninò à negocijs huius uitæ, abijciat Episcopus prorsus curam domus suę, & permittat in ea omnia sursum & deorsum ferri, interea autem legat ipse horas beatæ Mariæ uirginis.

Et quid? Cùm Paulus ad Corinthios texeret aulæa, num secularibus negocijs ita implicitus est, ut desereret suam uocationem? Nihil certè minus. Sed potius parauit sibi suis manibus uictum, ut Euangelion gratuitò adnunciaret, hoc est, ut eo fidelius suæ uocationi seruiret.

Quid si etiam Episcopus ea sit conditione, ut coniugium idcircò ineat, quo honestius suo Episcopatui præsit? Quid si Dominus dederit Episcopo talem uxorem, ac matremfamilias, quæ sustineat curam rei domesticæ, ut ipse eo liberius & expeditius uacet ministerio ecclesiastico? Agricolæ & opifici licet totum diem agris suis colendis, & opificijs exercendis impendere, uxore interim rem domesticam curante, & Episcopo non liceret totum diem excolendo Ecclesiastico agro operam dare, uxore interea suam uocationem sectante?

Et qualis, obsecro, apud Pontifices & Fraterculos, diabolus est, Mulier, quòd non liceat cum ea Deo seruire, & orationi ac lectioni intentum esse? An non Mulier bona Dei creatura est? An non est cohæres gratiæ uitæ? Debora potuit quondam cum marito suo Lapidoth esse prophetissa. Hanna mater Samuelis potuit precibus suis impetrare à Deo filium suũ Samuelem. Elizabeth potuit à marito sacerdote in senectute sua fieri è sterili, fœcunda, & parere Ioannem Baptistam. Quid ergo nunc accidit mulieribus, quòd qui ad Episcopatum eligitur, non possit cum muliere Spiritum sanctum retinere? Dauid non unam, sed plures habuit uxores, & tamen potuit cum ijs, non solum tam amplum regnum administrare, nec tantum lectioni legis operam dare, uerumetiam Propheta esse, & tot insignes Psalmos conscribere. Scio his temporibus non esse licitum duas aut plures simul habere uxores. Sed si in Veteri Testamento, tam Reges quàm Sacerdotes, potuerunt Spiritum sanctum retinere, & suæ uocationi diligenter seruire, cum multis uxoribus, quid, quæso, accidit mulieribus in Nouo Testamento, quòd nunc Episcopus non possit cum una tantum uxore Spiritum sanctum habere, & Ecclesiam piè gubernare?

Sed pergit Asotus. Quomodo (inquiens) probat (Paulus) matrimonium,

nium, de quo dicit, quòd qui cum uxore est, quę sunt mundi cogitat, quomodo placeat uxori, &c. Si autem Paulus his uerbis non probat matrimonium, cur Sotus uocat matrimonium Sacramentum, & gratiæ Christi instrumentum? Num, quod est gratiæ Christi instrumentum, non est probandum? Et quid Paulus ipse? Si matrimonium non est probandũ, quid est quod dicit: Sanctificatur maritus incredulus per uxorem, & sanctificatur uxor incredula per maritum. Et iterum: Si duxeris uxorem, nõ peccasti. Ac rursus: Sic debent uiri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Et mox: Huius rei gratia relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori suæ, atq; è duobus fiet una caro. Et cur aliàs uocat eos qui prohibent contrahere matrimoniũ, Spiritus impostores, & doctores doctrinæ dæmoniacæ? Magna igitur contumelia afficit Sotus Paulum, quod affirmet eum non probare matrimonium.

Nam quod Paulus scribit: Qui duxit uxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori, suprà, in prima Pericopa, explicatum est. Si enim hæc uerba ita essent intelligenda, quòd coniugium esset tam impurum, & sordidum uitæ genus, ut nemo posset in eo curare, quæ sunt Domini, an non damnarentur omnes pij coniuges, non ueteris tantum, uerumetiam noui Testamenti? Ad salutem enim omninò necessarium est, ut cures ea quæ sunt Domini. Quare, nisi hæc curaueris, nõ patet tibi aditus ad cœleste regnum.

Quid ergo est, quod dicit: qui ducit uxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori? Obserua quid sequatur. Non, (inquit) uti laqueum uobis iniiciam: uidelicet hæc uerba Paulus ita uult intelligi, non quòd damnet coniugium, non quòd cogat quenquam ad cælibatum, sicut Asotici, sed quòd relinquat unicuiq; suam libertatem: Interea autem exponat suum consilium, quòd cùm in medio Ethnicismo expectandũ sit quouis momento exiliũ, uideatur ipsi tranquillius esse, in presentia, si fieri potest, abstinere ab ineundo coniugio, q̃ uxorem ducere.

Non enim præfert cælibatum coniugio, quòd sentiat alterum altero esse coram tribunali Dei, in consequenda æterna fœlicitate, præstantius, sed quòd in uarijs huius seculi æruminis, alterũ altero sit quietius, & à perturbationibus alienius. Arbitror (inquit) hoc bonum esse, propter presentem necessitatem. Et: Afflictionẽ in carne habituri sunt huiusmodi. Non dicit: Damnationem in spiritu habituri sunt huiusmodi. Curare enim hoc loco apud Paulum quæ sunt mundi, non est secundum carnem uersari, & affectum carnis perficere. Nam qui sic in carne sunt, Deo placere non possunt, sed est simpliciter negocia huius seculi tractanda suscipere, quæ &si per se non sunt impia, aut inhonesta, tamen solent aliquoties hominem ita irretire, ut in persecutione, aut alijs afflictionibus, non possit sese tam expeditè euoluere, quàm si esset liber. Interea autẽ, si quis uerè pius fuerit, tantum abest, ut propter negotia huius seculi, quibus irretitus tenetur, aduersus Deum peccet, ut malit agros, domos, parentes, uxorem, liberos, denicq; uitam ipsam deserere, quàm Christum Dominum suum abnegare.

Sic & curare ea quæ sunt Domini, hoc loco apud Paulum non est proprièe, curare ut credas in Christum, ut diligas proximum, ut seruias ex fide tuæ uocationi: Hoc enim commune est tam cælibi, quàm coniugi. Nec minus ad coniugium, quàm ad cælibatum pertinet. Sed est curare, ut singulis diebus ad audiendum uerbum Dei in Ecclesia conuenias, & expedi

tius in persecutione ad aliena loca migrare queas. Quod ut est iucundius, & tranquillius, ita ad ueram salutem non est simpliciter necessarium. Potes enim, si uel semel tantum in hebdomada concionem uerbi Dei audieris, tantam spiritu sancto doctore, pietatem ex ea haurire, quantam alius quispiam ex frequentissimo auditu. Potes etiam, adiuuante diuina clementia, in patria tua, tempore persecutionis, tam insignem cõfessionem fidei tuæ edere, ut nomen Christi in uniuersa Ecclesia glorificetur.

Quare, cùm Paulus dicit, Cælibem curare quę sunt Domini, maritum autem sollicitum esse de his, quæ sunt mundi, non infamat coniugium, perinde ac si nemo possit in eo curare, quæ sunt Domini, sed intelligit cælibatum, pro hominum quidem conditione, & suis temporibus, esse tranquillum, & à multis curis liberum. Coniugium autem non esse sicut nec in laico, ita nec in Ministro ecclesiæ, inhonestũ, & coram Deo sordidum, ac abominabile genus uitæ.

Postremò addit Sotus & illud: Deniq; (inquiens) apertè docet (Paulus) matrimonium esse impedimentum obsecrandi Dominum, & à cuius actu separari docet ipsos debere coniugatos ad tempus, ut uacent orationi. Quid? Docet ne Paulus matrimonium esse impedimentum obsecrandi Dominum? Cur igitur numeratis matrimonium inter septem uestra Sacramenta? Sunt ne sacramenta, inuocationis Dei impedimenta? Cur dicitis matrimonium esse gratiæ Christi instrumentum? Num, quod est gratiæ Christi instrumentum, impedimento est Orationi? Quæ est hæc uestra uertigo? quis furor?

At enim Paulus, inquies, scribit: Ne fraudetis uos inuicem, nisi ex consensu, ad tempus, ut uacetis ieiunio & precationi. Agnoscimus quidem uerba Pauli, non autem agnoscimus uestram deprauationem. Paulus enim non dicit, Coniugium ipsum, quod est genus uitæ sanctum, & diuinitùs ordinatum, sed intemperantiam quorundam coniugum, esse impedimento precationi. Quod Paulus adscribit intemperantiæ (Propter intemperantiam uestram inquiens) qua fronte, qua temeritate, audes tu sanctæ Dei ordinationi adscribere? Certè immundos porcos in cõfugio nullus honestus uir probat. Coniugium autem pium & honestum, de quo in præsentia loquimur, habet suam tum mundiciem, tum castitatem, quæ tantum abest, ut pios coniuges ab inuocatione Dei auocet, ut potius eos ad inuocationẽ excitet atq; inflammet. Sotus igitur, & ij, quos sequitur, cõtumelia afficiunt Apostolum Paulum, quòd traducant eum, tanquàm coniugij infamatorem, & sanctitatis eius prophanatorem.

Deinde cùm Paulus hortatur coniuges, se inuicem ex consensu fraudare, ut uacent ieiunio & precationi, non loquitur de priuata, sed de publica precatione. Nam & Paulus protrahebat Troade sermonem usq; ad mediam noctem. Et postea Christiani, in expectatione periculorum, solebant noctu conuenire, ac salutẽ suam Domino publicis precibus cõmendare. Vnde & uigiliarum nomen deductum est, & meminerunt Tertullianus ac Plinius antelucanorum cœtuum, quibus Christiani soliti sint ante lucem conuenire, carmenq; Christo dicere. Cùm igitur Paulus hortatur coniuges ad tempus abstinere, ut uacent precationi, loquitur de hac publica precatione, quæ noctu in conuentu ecclesiæ fiebat. Nam, ut liceret hunc conuentum suis temporibus uisitare, & preces suas cum ecclesia publicè coniungere, necessarium erat, ut coniuges interea temporis à concubitu abstinerent.

Vigiliarum nomen.

Quod

Quod autem ad domesticam & priuatam precationem attinet, coniugium multò plures & maiores affert occasiones inuocandi Deum, & gratias Deo agendi, quàm cælibatus. Christus & Paulus docent semper ac sine intermissione orandum, nec unquàm defatigandum. Ad hoc præstandum iuxta ueram eius sententiam, pij coniuges nunquàm non suam habent opportunitatem. Nunc enim periclitantur de fama, nunc de fame, nunc de facultatibus, nunc de liberis, nunc de persecutione, nunc de alijs incommodis. Semper igitur habent, quo attollant corda & capita sua ad inuocandam cœlestem opem. Interea autem, si quid beneficiorum à Deo acceperint, si ex ipsorũ coniugio, & mutuo, tam erga seinuicem, quàm erga liberos affectu, admoneantur de affectu Dei Patris erga ipsos, ut filios suos, & de affectu Christi erga ipsos, ut sponsam, seu ut membra Ecclesiæ suæ, quanta hæc est occasio laudandi nominis Dei, & gratias agendi clementiæ eius?

Quòd autem Sotus affirmat: Coniugium esse impedimentum obsecrandi Dominum, non est nouum eius inuentum, sed à nõnullis maioribus eius acceptum.

Scribit alicubi Hieronymus: Quamdiu (inquiens) impleo mariti officium, non impleo Christiani. Et iterum: Nuptiæ terram replent, uirginitas Paradisum.

Aquinas dicit: Ad perfectionem tendentibus maximè uitandum est uinculum coniugale.

Autor Rationalis diuinorum dicit: Non expedit homini ad regna cœlorum tendere uolenti, nubere. Quid, obsecro, hæc dicta aliud sunt, quàm manifesta contumelia non in coniugium tantum, uerumetiam in Deum ipsum, coniugij autorem & sanctificatorem? Deus, mens est sapientissima & castissima, atq; adeo, ut quemadmodum Ioannes dicit: Deum esse Charitatem, ita & nobis dicendum est: Deum esse sapientiam & castitatem ipsam. Et hic Deus, hæc mens sapientissima & castissima, non solùm instituit coniugium, priusquàm homo in peccatũ lapsus est, uerumetiam posteaquàm homo iam lapsus esset, approbauit, confirmauit, & publicis legibus muniuit. Quid igitur? putas ne hanc sapientissimã & castissimam mentem tale, & tam immundum, tam fœdum, tam abominandum genus uitæ excogitasse, instituisse, & approbasse, quod sit impedimento inuocationi, quod immundicia sua obstet officio hominis Christiani, quod sit remora tendenti ad perfectionem, ad Paradisum, ad regnum cœlorum.

Et quæ, obsecro, hæc est perfectio, cui obstat coniugium? Alia enim est perfectio Legis, alia perfectio Euangelij. Perfectio Legis est: Diligere Deũ ex toto corde, & proximũ sicut seipsum. Nunquid ergo Coniugium impedimento est, ne possis Deũ ex toto corde, & proximũ sicut teipsum diligere? Scio, nullum hominem posse in hac uita ad hanc perfectionem peruenire, culpa autem huius rei non est reijcienda in coniugium, quod Deus instituit, sed in peccatum, quod Satan excogitauit, & quod homo à Satana seductus, designauit. Nam coniugium in hoc est diuinitùs ordinatum, ut sit uitæ genus, in quo discas Deum agnoscere, Deum colere, Deo seruire, & proximo benefacere. Itaq; tantum abest, ut sit impedimento tendenti ad perfectionem legis, (quantũ quidem in hac uita fieri potest) ut potius uarias offerat ueræ pietatis exercendæ occasiones.

Perfectio autem Euangelij est, agnoscere Iesum Christum Dominum

noſtrum,& credere,quòd is ſolus ſit expiator peccatorum noſtrorum, & placator cœleſtis iræ. Nunquid ergo coniugium remoratur, ne poſsis Chriſtum agnoſcere,& eum,ut peccatorum tuorum expiatorem fide tua complecti? Non ignoro etiam piorum fidem habere ſuam in hac uita imperfectionem.Coniugium autem non eſt huius imperfectionis cauſa,ſed potius adiumento ad perfectionem. Paulus enim de Coniugio ait: Myſterium hoc magnum eſt, ego autem loquor de Chriſto & de Eccleſia. Admonentur igitur pij coniuges,è ſuo coniugio, qualiter Chriſtus filius Dei erga ipſos,tanquàm ſponſam ſuam,affectus ſit, ex qua admonitione fides in Chriſtum non ſolum excitatur,uerumetiam inflammatur. Qua ergo impudentia audetis dicere, ad perfectionem tendentibus maximè uitandum eſſe uinculum coniugale?

Sed uocant perfectionem,uota caſtitatis,paupertatis & obedientiæ.Etſi autem hæc nec eſt legalis nec Euangelica,ſed tantum hypocritica perfectio,ſicut ſuprà ſuo loco demonſtrauimus,tamen agedum,permittamus ſanè,quòd uocetur ſuo quodam modo perfectio,in quo, quæſo, uitæ genere, aut ut illi loquuntur, in quo ordine magis hæc perfectio obſeruari poteſt,quàm in coniugio? Coniugium enim ſuam habet caſtitatẽ,eamq; non humano arbitrio excogitatam, qualis eſt impura ſacrificulorum & fraterculorũ caſtitas,ſed diuinitùs inſtitutam & præceptam, quemadmodum in prima huius Apologiæ Pericopa oſtendimus. Cùm enim Deus ſit mens caſtiſsima,adeoq; caſtitas ipſa,ſicut paulò antè dictum eſt,& inſtituerit coniugium, ac copulauerit ipſe marem & fœminam matrimonio, perſpicuum eſt,non eſſe aliud uitæ genus,nec poſsit alius ordo inſtitui, in quo uera caſtitas rectius & melius ſeruari queat, quàm in matrimonio. Non ignoro, quoſdam ſingulari quodam priuilegio ac diuina uel creatione,uel donatione, à ſuſcipiendo aut utendo matrimonio eximi, quos magis admirari,quàm imitari licet. In præſentia autem loquimur de generali hominum conditione, in qua unà cum vulgo, etiam maior pars Miniſtrorum eccleſiæ continetur. Hi enim, ad ſectandam ueram & diuinitùs præceptam caſtitatem,non poſſunt commodius, & conuenientius uitæ genus eligere,quàm Coniugium.

Caſtitas.

Deinde, ſi de paupertate loquendum eſt, poteſt & ipſa non minus in Coniugio,quàm in alio quouis uitæ genere ſeruari.Ea enim demùm paupertas commendatione digna eſt, non quæ externa rerum indigentia & mendicitate,ſed quę uera pietate conſtat, uidelicet ut ſiue habeas ſiue non habeas externas opes,tua ſorte contentus ſis.Ac ſiquidem poſsideas munda facultates, non apponas cor tuum, ſi autem careas, non murmures aduerſus Dominum. Hæc eſt paupertas,quæ & Deo placet,& in meis quoq; diuitijs ſeruanda.Cùm igitur Deus,qui eſt rerum creator & adminiſtrator optimus & ſapientiſsimus, inſtituerit coniugium , non certè tale uitæ genus inſtituit, in quo hæc paupertatis uirtus non queat ſeruari, ſed quod ſit ad eam ſectandam & ſeruandam congruentiſsimum. Solenne eſt inter fraterculos,ut de rebus ſuis nõ dicant: Hoc meum eſt, ſed hoc Noſtrum eſt,ut ſignificent, ſe nihil proprij poſsidere. Quis autem de facultatibus ſuis uerius dicere poteſt: Hoc non MEVM,ſed Noſtrum eſt, quàm pius quiſpiam Paterfamilias? Quicquid enim opum uel patrimonio,uel ſudore ſuo acquiſierit, partim impendendum eſt in uxorem, liberos & familiam, partim in uiſcum, & in publica tributa, partim in pauperes & egenos. An non igitur rectius dicere poteſt:Hoc nõ meum,

Paupertas.

ſed

sed nostrum est, quàm ullum inter Fraterculos mendicabulum?

De obedientia autem, non est opus copiosè in præsentia dicere, cùm manifestum est, quòd quam sibi fraterculi fingunt obedientiam, humano arbitrio sit excogitata, quam autem Coniuges sectari debent, diuinitùs sit ordinata & præcepta. Vxor enim debet suam marito obedientiam. Maritus debet suam Magistratui obedientiam. Et hæc obedientia tantæ est seueritatis, ut cum hac, ea quam iactant fraterculi, nullo modo conferri debeat. Ex mandato enim Magistratus, non solum conferendæ sunt opes, uerum etiam manifestis periculis exponenda sunt obedienter, ad defendendā patriam, sanguis & anima, cùm interea fraterculi ociosi & securi in latebris suis, cum sua obedientia stertant. Quare coniugium, id uitæ genus, is Ordo est, qui ad seruandam ueram castitatem, paupertatem & obedientiam, longè omnium congruentissimus haberi debet. *Obedientia.*

Dictum Pauli de spiritibus & doctrinis prohibentibus Coniugium, Sotus ita eludit, ut fateatur quidem uerum, eas esse dæmoniorum doctrinas, si quis coniugium in uniuersum prohibeat, non autem, si quis damnet coniugium post uotum, aut alicui hominum ordini. Et quidem sæpè significat, se non improbare coniugium, nisi propter Legem seu Ordinationem Ecclesiæ, & uotum. Sed non uidet castus & pudicus uir, Confessionem Principis manifestè ostendere, Pontifices ijs rationibus improbare coniugium sacerdotum, quibus coniugium in uniuersum contumelia afficitur. An non enim illud Leuitici: Sancti estote. Et illud Pauli: Non in cubilibus ac lasciuijs. Ac rursus: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, ad omnes homines pertinet? In Coniugio igitur esse, iuxta sententiam Pontificum, est in prophano uitæ genere esse, in cubilibus, lasciuijs & carne uersari. Quid est contumelia Coniugij, in uniuersum, si hæc non est?

Nam quod ad Legem & Vota uestræ Ecclesiæ attinet, quis uobis authoritatem dedit condendæ talis legis? Quis iusserit uos talia uota uel ab alijs exigere, uel uestra sponte suscipere? Ac de lege quidem & ordinatione uestra, suprà dictum est. Non enim est obscurum, quòd & Christus ipse, & Paulus concesserint libertatem ineundi coniugij, omni hominum ordini. Non omnes, inquit Christus, sunt capaces huius dicti, sed ij, quibus datum est. Et mox: Qui potest capere, capiat. Et Paulus: Qui se nō continent, contrahant matrimonium. Ac aliàs: Honorabile est Coniugium inter omnes. Iniquum autem est & tyrannicum, adimere Ministris Ecclesiæ eam libertatem, quam dederunt eis Christus ipse filius Dei, & ex Spiritu eius, Apostoli, & quam habent iure ipso diuino.

Deinde, an non Deus tam institutione quàm approbatione sua, sanctificauit & purificauit Coniugium? idq; non in uno tantum hominum ordine, sed in uniuerso humano genere? Quod autem Deus purificauit, qua fronte, qua impudentia audent Pontifices & Fraterculi eorum Legibus & Decretis suis in Ministris Ecclesiæ, prophanum, turpe ac fœdum iudicare? Spiritus Dei dicit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. Spiritus autem impostor dicit: Propter hoc relinquet homo uxorem, & adhærebit Pontifici, Sanctissimo Patri, & Fraterculis, castissimæ matri. Cui, obsecro, Spiritui accedendum? Vanissimum igitur est, quòd Coniugium, per se honestum & sanctum, fiat ex Decretis seu Legibus Pontificijs in Ministris Ecclesiæ inhonestum & prophanum.

Eadem est uanitas, quòd iactent se has leges de cælibatu Ministrorum Ecclesiæ condere, exemplo ueteris legis, qua sacerdotes necesse habuerunt tempore suæ uicis à domo abesse, & autoritate Pauli, qui iubet conIuges ad tempus abstinere, ut uacent orationi. Ac de Pauli quidem dicto, suprà copiosè. Quid autem exemplum ueteris legis, ad libertatem Euangelij? Et illi quidem sacrificuli ad tempus tantum à domestica uxorum consuetudine abstinebant, cur autem Pontifices indicunt suis sacrificulis cælibatum perpetuum? Neq; enim tanto tempore occupati sunt in peragendis sacrificijs Missarum suarum, quanto illi occupati erant in mactandis suis pecoribus.

Et quid est, q̃ nõ etiam interdixerint exemplo ueteris legis suis sacrificulis, uino & sicera, quia scriptum est: uinũ & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini? Sed quid ad nos sacrificuli & fraterculi Missarij? Neq; n. pro horum coniugio pugnamus, qui cùm toto uitæ suæ genere sint immundi, non mirum est, quòd & coniugium ipsis fiat immundum. Ac uidentur alios è suo ipsorum ingenio, & animo metiri. Cùm enim ipsi dies noctesque, non nisi fœda & abominanda cogitent, ac sentiant corde suo non nisi libidinum incendia bullire, existimant honestos quosque maritos, id semper opere designare, quod ipsi semper impuris suis cogitationibus uolutant. Cùm igitur nesciant, ac ne hoc quidem uitæ suæ statu scire queant, quid sit honestum coniugium, & qua sint pudicitia honesti & pij coniuges, ac deflectant oculos suos à uerbo Domini, ad hypocrisim, non esset huic hominum generi dandus ullus locus de Coniugio diiserendi.

Quod de Pontificijs legibus dictum est, idem etiam de Votis erit sentiendum. Vota enim non possunt efficere ut Coniugium fiat in Ministris Ecclesiæ inhonestum & execrandum. In Ecclesijs quidem ex uerbo Dei instauratis, pauci adhuc reliqui sunt, qui posthabitis uotis suis inierunt cõiugia, quorum conscientias spero ita confirmatas, ut uociferationes Sotticæ ecclesiæ iudicent tanquàm fulgur è pelui: alij autem accedunt ad ecclesiam nullo prorsus uoto suscepto. Et tamen hoc utcunq; se habeat non est concedendum fraterculis, ut uota, humana uel deceptione uel superstitione aut impietate excogitata & suscepta præferantur uerbo Dei. Quòd enim lex est publicè, hoc priuatim est uotum, ut quemadmodum Lex, si iusta est, & legitimè lata, obligat homines publicè, ita Votum si pium est, obliget uouentes priuatim. Ostendimus autem quòd non liceat pontificibus ferre publicas leges de perpetuo cælibatu ministrorum Ecclesiæ, nec si ferant, necesse sit obedire. Quare nec ulli priuatim licet perpetuum cælibatum uouere, hoc est, laqueum sine ullo mandato Dei suscipere, & Deum tentare.

Votum.

Paulus ad Corinthios scribens, De uirginibus (inquit) præceptum Domini non habeo, cõsilium tamen do. Quod autem uouetur, transit, quantum quidem ad opinionem uouentis attinet, in rationem præcepti. Quæ est ergo illa temeritas quòd facias ex consilio præceptum? Cur, quod Paulus non audens præcipere, consulit, tibi ipse temeratio ausu præcipis? Num tibi imbecillitas humanæ carnis notior est, quàm Paulo, Apostolo tanto?

Apud Matthæum dicunt Apostoli ad Christum: si ad istũ modũ habet causa hominis cum uxore, nõ expedit contrahere matrimoniũ. Respon-

det

det aũtem Christus: Non omnes sunt capaces huius dicti, sed ij, quibũs datũ est. Et mox: Qui potest capere, capiat. Et Paulus: Non, ut laqueum (inquit) iniiciam. Quod Christus & Paulus liberũ pronunciant, tu ne audes uoto tuo laqueum facere? Quod Christus affirmat esse cœleste donum, tu ne audes perfricta fronte, palàm, coram Deo & hominibus profiteri, te eo dono ita præditum esse, ut perpetuò retineas?

Sed Sotus contendit: Votum facere de re Deo grata, nec esse contra fidem, nec sine uerbo. Hæc sunt futilitatis plena. Primùm enim, non est res Deo grata, esse animo sapientem, esse hominem eruditum, esse eloquentem, esse magistratum? Cùm enim hæc sint dona Dei, dici non potest, quòd Deo displiceant. Quid autem stultius, quid furiosius esset, quàm uouere se fore sapientem, doctum, eloquentem, Regem aut Cęsarem? Et quia hęc uouere manifesta esset insania, quomodo proficisceretur ex fide? quomodo approbaretur uerbo Dei?

Deinde, quæ uouentur, aut sunt diuinitùs præcepta, aut sunt per se libera. Quæ sunt diuinitùs præcepta, seruanda sunt, etiam sine uoto. Quæ autem sunt per se libera, & uouentur ab hominibus, tunc fiunt præcepta & doctrinæ hominum. De his uerò scriptum est: Frustrà me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Quòd si accesserit opinio consequendæ hoc cultu remissionis peccatorum, & uitæ æternæ, non iam uanus tantum, uerumetiam impius & execrandus est cultus. Quare, & si res ipsa, quæ uouetur, per se est Deo grata, tamen si accesserit uotum, opinione præstandi Deo singularem cultum, & promerendi remissionem peccatorum & uitam æternam, tantum abest, ut approbetur uerbo Dei, & fiat ex fide, ut cum uerbo Dei & fide maximè omnium pugnet.

Sed Psalmus dicit: Vouete & reddite. Et Esaias: Vota uouebũt Domino, & soluent. Rectè. Loquuntur enim de uotis pijs, non impijs. Votum autem perpetui cælibatus est impium. Etsi enim cælibatus ipse per se non est Deo ingratus, tamen cùm uoues te perpetuò mansurum cælibem, ut hoc uoto singularem præstes Deo cultum, & ut meritò huius operis expies peccata tua coram Deo, & consequaris æternam uitam, uotum est non tantum inutile, uerumetiam impium, & Deo abominandũ. Frustrà enim, inquit, colunt me docẽtes doctrinas, præcepta hominũ. Et expiatio peccatorum, ac donum æternæ uitæ contingit nobis, non propter cælibatum, sed propter Iesum Christum Dominũ nostrum, si in eum credimus.

Nam quòd Iacob & Dauid, sua habuerint uota, exempla sunt personalia, non præcepta generalia. Quæ enim uota fecerunt, ex uocatione Dei, ideoq; ex fide, fecerunt: Sicut & Abraham obtulit Deo filium suum Isaac ex fide, quia ex uocatione Dei. Quæ autem hypocritæ & fraterculi uota faciunt, non faciunt ex Fide, sed ex superstitione & impietate, Sicut & Maasses ac alij immolauerunt filios suos non ex fide, sed ex hypocrisi & incredulitate. Quare de uotis fraterculorum non est iudicandum secundum exempla patriarcharum, qui fuerunt homines pij, sed secundum exempla hypocritarum, qui sunt impij. Quod autem Sotus hoc loco addit ex Paulo, suprà copiosè explicatum est. Falsum enim est, quòd Paulus probet uota fraterculorum, qui cùm sint impij & impuri, fieri non potest, ut uota eorum, etiamsi alioqui per se essent licita, sint pia & pura. Itaque nos quidem non miramur, quòd homines prudentes ac honesti ad impietatem fraterculorum conniueant: solent enim etiam honesti homines hypocritarum specie nonnunquàm decipi. Illud autem miramur,

quòd cœlum & terra potuerint hactenus tantam fraterculorum hypocrisim, impostu-ram, Magiam & Idolomaniam tanto tempore sustinere: sed quia iudicia Domini, & si aliquoties occulta, nunquàm tamen sint iniusta, non dubitamus quin ista hypocrisis & impietas suam periodon sint habitura.

Cæterùm, cùm Confessio Principis exponit, in coniugio suam esse castitatem, ut qui uxorem post uotum in Domino ducit, castitatis uotum uerè adimpleat, docet nos Sotus de duplici castitate, quarum altera sit coniugalis, altera sit omnimoda, ut ipse loquitur, continentia à contactu fœminæ. Ac significat (nisi uerba eius non rectè intelligam) suos fraterculos, non uouere castitatem coniugalem, sed omnimodam à contactu fœminæ continentiã. Parcat igitur Sotus errori & imperitiæ nostræ, quòd cùm non simus rerum monasticarum omni ex parte gnari, non etiam intelligamus, quid fraterculi nomine castitatis uoueant. Cùm enim reprehenderimus aliquoties fraterculos suæ impudicitiæ & scortationis, ac admonuerimus eos uoti castitatis, solebant nobis respondere, se tum esse uoti sui uiolatores, non cùm scortarentur, sed cùm uxores ducerent. Itaq; existimauimus Fraterculos uoto castitatis suæ abiurare tantum coniugium, non autem scortationem. Nunc uerò discimus, interprete Soto, abiurare eos omnimodum contactum fœminæ, ut fiant uiolatores uoti, non tantum contrahendo coniugium, uerumetiam sectando scortationem.

Quid ergo dicemus? Certè, quo apertius οἱ ἄσωτοι sententiam suam explicant, eo clarius superstitionem & impietatem suam produnt. Non uouent castitatem coniugalem, quæ & honesta est, & Deo placet, ac superat multorum uirginitatem & uiduitatem. Vouent autem omnimodam à contactu fœminę cõtinentiam. Quis uerò hoc uotum requirit? aut quam utilitatem uouenti affert?

Primùm enim, ut sectemur castitatem mentis, ab omnibus tam uirginibus & uiduis, quàm coniugibus exigitur. Deinde, ut non scortemur, nec alia impudicitiæ genera sequamur, Lex Domini est. Vt autem coniugium uoto nostro abiuremus, non est nec lex nec ordinatio Dei, sed dicit potius spiritus Domini: Qui se non continent, matrimonium contrahãt. Temeritas igitur est & impietas id uoto abiurare, quod & per se est honestum, & nisi singulari prærogatiua Dei ac præsenti necessitate à communi creatione, & ordinatione eximaris, necessarium. Cùm enim ijs, qui nõ sunt capaces dicti Christi, non sit aliud uitæ genus, in quo ueram castitatem seruent, propositũ, quàm coniugium, Sotus autem publicè affirmet, fraterculos suos abiurare uoto suo castitatem coniũgalem, nihil aliud reliquum est, quàm quòd confiteatur maximam eorũ partem, qui sua experientia monentur, se non esse dicti Christi capaces, abiurare ueram honestatem & castitatem. Quid ergo uoto eorũ magis temerariũ & impium?

Deinde, quo, obsecro, consilio uouent fraterculi omnimodam à contactu fœminæ continentiam? Num, ut hac occasione rectius custodiatur castitas mẽtis? Sed in æstu & ardore humanæ imbecillitatis remittit nos spiritus sanctus ad honestum coniugium, non ad uotum. Propter stupra, inquit, uitanda, unusquisque habeat suam uxorem. Et: Qui se non continent, cõtrahant matrimonium. Iudicat enim spiritus sanctus tam coram Deo, quàm coram hominibus honestius esse, unam legitimã habere uxorem, quàm impuris suis cogitationibus, & ardoribus uniuersum fœmineum sexum complecti.

Hierony-

Hieronymus fatetur, quòd in Eremo constitutus putauerit se Romanis interesse delicijs, & puellarum choris. An non multò honestiorem & castiorem coram Deo uitam egisset, si ducta legitima uxore, ecclesiæ seruijsset, quàm quòd cogitationibus suis uagatus fuerit in choreis puellarum? ac fœdiora quoq; in animo suo tota mentis cupiditate uolutauerit?

Quare, si quis susceperit uotum perpetuæ continentiæ illo consilio, ut rectius castitatem mentis seruet, tantum abest, ut eam uerè seruet, ut potius rectam uiam ei seruandæ præcludat. Num autem suscipiendum est hoc uotum, ut præstes Deo singularem cultum, quo merearis remissionem peccatorum, & cœlestem fœlicitatem? Sed hæc impietas iam antè pluribus refutata est. Reliquum igitur est, quòd cùm fraterculorum consilia in faciendis uotis suis sint temeraria & impia, perspicuum sit, etiam uota ipsa eorum temeraria & impia esse.

Quod autem Sotus negat extare argumenta, quibus probatur licuisse olim ministris Ecclesiæ coniugium post ordinationem inire, tolerabile esset, si hoc priuato suo nomine diceret. Quo enim est & iudicio & eruditione, nõ mirum, si ueterum monumenta sint ipsi ignota. Nunc autem execranda est impudentia, quòd audeat hoc negare publico nomine Ecclesiæ, & quia hanc effrontem eius impudentiam suprà copiosè refutauimus, non est, cur diutius hìc immoremur.

De Clemente quoq; & Epistolis eius fictícijs, quarum autoritate Fraterculi plurimum nituntur, sententiam nostram, quæ & suas ueras habet rationes, antea semel & iterum exposuimus. Nam quòd Sotus aliâs nobis commemorat, non esse boni uiri, maiorum uerba magis uelle carpere, quàm exponere, affirmo ipse quoque caniciem maiorum esse honorandam. Sed quos Maiores nobis Sotus obtrudit? An non præcipui Maiores nostri sunt Prophetæ & Apostoli? Horum sententiam, cùm explicemus, sectemur, & urgeamus, quid est, quòd dicamur maiorum uerba carpere?

Deinde, quæ uidentur in Ecclesiasticis scriptoribus cum Apostolica sententia pugnare, ea libenter surda aure prætermimus, & conniuemus. Sed cùm οἱ ἅγιοι obtrudũt ea nobis tanquàm sacrosancta & inuiolata, & malunt scripturam ipsam sacram, quàm scriptores suos ecclesiasticos deserere, quid faciamus? Num tanta simus impudentia, ut manifestos errores approbemus? ut maiorum scripta aut dicta, contra Apostolicam scripturam & sententiam defendamus? ut cùm Christus dicit: Bibite ex eo OMNES (nam hoc exempli gratia recito) nos cum Concilio Constantiensi exponamus, Non OMNES ex eo bibatis? Et cùm Apostolus dicit: Coniugium honorabile inter omnes, nos Apostolicã sententiam, iuxta Pontificum decreta, peruertamus, & dicamus, Coniugium inter omnes honorabile non est? Ac si commodum uidebitur, interpretemur uerbum Statuendi pro uerbo Abrogandi? Talem ne à nobis exigit Sotus expositionem in Maiorum dictis? Hæc est Soti cùm honestas, tum pietas, quòd mauult autoritatem sacrosanctæ scripturæ, quàm suorum Pontificum & scriptorum periclitari, exemplo nimirum maiorum suorum, Pharisæorum & Scribarum, quibus consultius uisum est, filium Dei cruci affigere, quàm traditiones maiorum suorum infamiæ exponere.

Iam, quòd Sotus in Confusione sua affirmat, Votum castitatis non tantum probari à Prophetis, Christo, Apostolis, & tota Ecclesia, uerum etiam ab Ethnicis, metuit fortasis, ne Christus, Prophetæ & Apostoli

non satis habeant autoritatis, nisi adiuuentur etiam Ethnicorum consensu. Mirandum est, inquit, quòd Christianus sensus uotum castitatis reiiciat, quod etiam Ethnici summoperè probarunt. Scilicet non satis lucis habemus à Christo & Apostolis, nisi partem quoq; lucis à tenebris mutuemus. Et quid est, quòd Sotus, uir multæ lectionis, non huc adscripsit Catalogum earum Ethnicarum uirginum, quas Hieronymus aduersus Iouinianum commemorat? Quòd si Ethnici tantoperè probarunt uirginitatem, quid est, quòd Locrenses, cùm premerentur bello Rheginorum, uouerunt, si uictores forent, ut die festo Veneris, uirgines suas prostituerent?

Sed sicut Sotus falsò affirmat uotum uirginitatis probari à Christo, à Prophetis, ab Apostolis, & à tota Ecclesia, quemadmodum suprà ostendimus, ita Ethnici non sunt ea autoritate, ut exempla ueræ pietatis ab ipsis petamus. Nec in præsentia sermo est de uirginali pudicitia, quam honesti quiq; laudant, & uenerantur, sed sermo est de superstitioso & impio uoto Fraterculorum, quod ut pugnat cum uera totius scripturæ sententia, ita abominandum est coram Deo, & uniuersa eius Ecclesia. Quare qui hypocrisi & superstitione decepti, uouerunt perpetuũ cælibatum, & post, luce Euangelij Domini nostri Iesu Christi illustrati malunt, ductis legitimis uxoribus, coniugalem castitatem sequi, quàm impurũ & incestum cælibatum seruare, tantum abest, ut temerè præueniant iudicium & sententiam Ecclesiæ, ut potius ueram ueræ Ecclesiæ sententiam iam olim, autore spiritu sancto, latam & definitam obedienter sequantur.

Postremò: Confessio Principis sperat Episcopos & Principes libenter cõcessuros ijs, qui ab adulteris suis coniugibus legitimè separati sunt, eam contrahendi libertatem, quam concesit eis Christus filius Dei. Hic iterum Asotus pleno ore aduersus Confessionem Principis insurgit. Hanc illis, inquiens, non solum non concesit, sed abstulit omninò. Ac addit: Nam omissis, inquiens, alijs uerbis Euangelistarum, Lucas sic apertè dicit, &c. Et quanquàm in Confusione sua non negat, quin hoc à quibusdam uocatum sit in dubium, aut contrarium etiam ut uerius habitum, confugit tamen ad sacram suam anchoram, definitionem uidelicet Ecclesiæ, cuius & testes producit, Hieronymum, Augustinum, Innocentium, & Concilium Miliuentanum.

Principiò igitur, non erat nobis cùm Confessio scribebatur, ignota publica consuetudo in Episcoporum consistorijs, & sententia Augustini, aliorum, qui eum sequuntur, sed horum consuetudini & sententiæ opposuit Confessio dictum Christi, quod extat apud Matthæum cap. 5. & 19. Sotus autem, honestus uir, existimat uerba hæc Matthæi esse omittenda, OMISSIS (inquit) alijs uerbis Euangelistarum, & confert se ad uerba Lucæ. An non uidetur hæc tibi æqua postulatio? Christus apud Matthæum, cum dicit: Omnis qui dimiserit uxorem suam, bis addit: Excepta causa fornicationis, ex quorum uerborum sententia, tota hæc controuersia pendet, & quibus, tanquàm commentario, uerba quæ de eadem re apud Marcum & Lucam recitantur, exponenda sunt. Sotus autem postulat à nobis, ut uerba Matthæi omittamus. Non certè stultè sapit, siquidem stultus non est, qui stulta postulat, sed qui præstat. Qui susciperet mecum disputandum de creatione mundi, & postularet, se non alia conditione mecum congressurum, nisi omissis uerbis illis Geneseos: In principio creauit Deus cœlum & terram, & alijs id genus scripturæ testimonijs:

nijs: aut si quis institueret mecum certamen de incarnatione filij Dei ex uirgine, & peteret, ut omissis uerbis illis Esaiæ: Ecce uirgo concipiet, Et uerbis angeli apud Lucam: Spiritus sanctus superueniet in te, aut similibus scripturæ locis, uterer tantum dicto illo Pauli ad Romanos: Qui genitus fuit ex semine Dauid, Aut illo: Misit Deus filium suum factum ex muliere, an non uideretur tibi æquas certaminis conditiones ferre?

Nihilo certè æquius in causa diuortij postulat Sotus, ut omissis uerbis aliorum Euangelistarum, agnoscam tantum uerba Lucæ, apud quem omittuntur ea, quæ maximè ad huius controuersiæ dijudicationem pertinent. Cùm enim Christus apud Matthæum apertè dicat: Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, apertè etiam significat, quòd qui dimissa uxore propter fornicationem, aliam ducit, non mœchetur.

Scio, quomodo Augustinus hac in parte sese torqueat. Sed uerba Christi apud Matthæum apertiora sunt, quàm quæ eludi queant. Et quia ea bis repetuntur apud Matthæum, iustius est, ut uerba apud Marcum & Lucam, per uerba apud Matthæum posita, quàm hæc per illa explicentur.

Huc facit etiam ipsa legitima coniugij dissolutio. Sicut enim homo non debet separare, quod Deus coniungit, ita homo non debet coniungere, quod Deus separat. Deus autem separat & liberat coniugem ab adultera coniuge. Dicit enim: Excepta causa fornicationis. Quis igitur posset bona conscientia pronunciare, quòd uinculum coniugij maneat inter eos inuiolatum? Si autem uinculum diuinitùs est dissolutum, quæ esset illa duricies & captiuitas, prohibere liberum, ne sua libertate diuinitùs cõcessa uteretur?

Hieronymus in epitaphio Fabiolæ uarius est, nec uno loco consistit. Nunc enim Fabiolam, quæ post separationem alteri marito nupserat, excusat, & testimonijs Pauli probat eam secundo coniugio contrahendo, aduersus Deum non peccasse. Nunc autem tam seueræ pœnitentiæ eam subijcit, perinde ac si patriã prodidisset. Quid ergo hic dici posset, & quantum hac in parte testimonium Hieronymi ualeat, non est rem rectè expendentibus obscurum.

Innocentius autem & Cõcilium Miliuentanum sequuntur sententiam Augustini. Quare quod de Augustino dictum est, hoc idem de illis erit sentiendum: Nam, cùm Sotus ipse fateatur, quòd contraria sententia aliquando uerior habita fuerit, palàm testificatur, non ueterem Ecclesiam, sed nouam, eamq; nonnullorum autoritate magis deceptam, quàm rectè sentientem, coniugibus ab adulteris legitimè separatis, suam libertatem ademisse. Quare, & si non uellem cuiuis ab adultera coniuge separato consulere, ut alterum coniugium ineat: non enim omne, quod licet, semper expedit, tamen qualiscunq; sit definitio & consuetudo Romanæ Ecclesiæ, non ausim peccati condemnare eum, qui post legitimam ab adultera separationem, alteram duxerit uxorem.

De extrema

VNCTIONE.

INter ſeptem Sacramenta Aſoticæ Eccleſiæ, habet etiam extrema, quam ita uocant, unctio, ſuum locum. Ac tolerabile quidem eſſet, ſi infirmos ſuos, ad diſcutiendum tetrum odorem, & ad mitigandũ corporis dolorem, balſamo ungerent. Nunc autem multa ſunt, quæ nos ab uſu huius Aſoticæ unctionis abſterrent.

Primùm enim hæc unctio non habet autorem & Inſtitutorem Chriſtum filium Dei. Etſi enim Apoſtoli ungunt apud Marcum ægros oleo, & ſanant eos, tamen, quemadmodum Chriſtus ipſe, cùm oculis cæci malagmate confecto ex luto mederetur, non inſtituit generale ſacramentũ, cuius uſus perpetuus eſſet in Eccleſia erga cæcos, ſed tantum uſus eſt perſonali organo, quod ad exemplũ non eſſet trahendum: ita cùm Apoſtoli ungerent infirmos, nõ fecerunt ex hac unctione generale ſacramentum, in Eccleſia ſemper duraturum, ſed uſurpârunt tantum hoc organon ad tempus, donec autoritas Euangelij publicis miraculis commendaretur.

Deinde, quod ex Epiſtola Iacobi citatur, non habet eam autoritatem, ut poſsit Eccleſiæ obtrudere ſacramentum, quod Chriſtus ipſe non inſtituerit. Nõ eſt enim ignotum, quòd de autoritate eius Epiſtolæ apud ueteres dubitatum fuerit, & habet ea Epiſtola ſuas notas, quibus facile deprehendi poteſt, quòd non ſit Apoſtolici Spiritus.

Sed age fingamus eam eſſe Apoſtolicam, certè is locus qui eſt de unctione, non poteſt intelligi, niſi de ea unctione, qua Apoſtoli apud Marcum uſi ſunt, & qua uncti conſequebantur corporalem ſanitatem. Etſi enim non omnes Presbyteri Eccleſiæ habuerunt donum conferendæ ſanitatis, tamen ſi uel unus tantum inter eos, qui ad infirmos uocati ſunt, ornatus fuit hoc dono, non erat uocatio uana.

Et Epiſtola diſertè enumerat duplicem incolumitatem, quæ ex unctione, coniuncta cum precatione, diuina beneficentia, eueniat. Altera eſt, quòd qui laborat, ſaluus reddatur. Hoc certè, nõ de ſpirituali ſalute, de qua mox ſequitur, ſed de corporali ſanitate intelligendum eſt. Altera eſt, quòd qui laborat, conſequatur remiſsionem peccatorum. Hæc eſt ſpiritualis ſanitas. Si in peccatis, inquit, fuerit, hoc eſt, ſi propter peccata infirmus factus fuerit, remittentur ei. Cùm igitur manifeſtum ſit, quòd poſt diuulgationem Euangelij in orbem terrarum, & confirmationem eius, ceſſauerit donum conferendæ externæ ſanitatis per externam unctionem, manifeſtum etiam eſt, quòd his temporibus inutilis ſit huius unctionis cærimonia, nec poſsit inter generalia ſacramenta, quorum uſus in Eccleſia perpetuus eſſe debet, numerari.

Non dubitat quidem Aſotus, quin multi infirmi conſequantur ex hac unctione, etiam his temporibus, corporalem ſanitatem. Nos autem ſcimus, & reipſa comperimus, quòd multò plures poſt hanc unctionem ex hac uita exceſſerint, tantum abeſt, ut corporalem ſanitatem ſint conſecuti. Et metuendum eſt, ne multi ex iis, qui accepta hac unctione, conualuerunt, perrexerint peius animo ægrotare, quàm antea corpore ægrotauerunt. Poſtquàm enim ſacrificuli non ſunt auſi ægrotis polliceri per hanc unctionem, corporalem ſanitatem, promiſerunt eis Spiritualem, hoc eſt, remiſsionem peccatorum. Vngendo enim uel oculos uel manus uel alia mẽbra infirmi, ſignificabant ſe hac unctione condonare ei peccata, quæcunq; per tale membrum deſignaſſet, quemadmodũ ſuprà, cùm de chriſmate & oleo infirmorum ageretur, oſtenſum eſt. Veriſimile autem eſt, quòd

quòd multi his promissionibus seducti, tribuerint condonationem peccatorum magis unctioni sacrificulorum, quàm passioni & morti Christi. Quare, quantum corpore cõualuerunt, tantum animo ægrotare propter impietatem, perrexerunt.

Postremò, cùm perspicuum sit, quòd Christus nõ instituerit hanc Pontificiam unctionem, ut esset generale sacramentum, accedunt alia quædam, propter quæ sit prorsus abominanda. Alterum est, quòd adhibeatur ei inuocatio sanctorũ, quæ tantum abest, ut afferat ægro incolumitatem, ut potius si ea fuerit confisus, conijciat ipsum in extremam calamitatem, quemadmodum suo loco, uolente Deo, demonstrabitur. Alterum, quòd fiat oleo magicè consecrato, sicut suprà de Chrismate dictum est. Quare, si quis sciens ac uolens hisce temporibus Pontificia unctione utitur, non hoc tantum opere peccat, uerum etiam facit se hac quasi contestatione participem omnium magicarum incantationum & impietatũ, quæ in Pontificio regno hactenus fuerunt usitatæ, & quæ adhuc igni, ferro, aqua, laqueo, & omni crudelitatis genere defenduntur. Hic scilicet fructus est, hæc utilitas est Pontificiæ seu Asoticæ unctionis.

Sed ut Asotus testificetur tandem insignem suam erga nos beneuolentiam, admonet nos in IN OMNI CHARITATE (qua uidelicet hypocritæ nos complecti solerit) Primùm quidem, ut consideremus Apostolos multa quæ docuerunt non scripsisse, ac Paulum quoque remittere nos ad traditiones. Deinde, ut timeamus, ne perpetuo anathemate damnemur, si de ecclesiasticis sacramentis aliter doceamus, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat.

Quod igitur ad traditiones ἀγραφας attinet in προλεγομένοις copiosè expositum est. Aut enim pugnant cum doctrina Apostolorum, quæ literis mandata est, tunc perspicuum est, quòd sint damnandæ. Iuxta illud: Si nos aut angelus &c. Aut non pugnant, sed necessariò ex ea sequuntur, tunc uerè in ea continentur, & non sunt dicendæ ἄγραφοι, sed ἔγγραφοι Traditiones. Aut sunt ritus iuxta Apostolicam doctrinam, liberi, tunc nemo potest autoritate Apostolorũ tales ritus, ut necessarios, Ecclesiæ obtrudere.

Et quæ, obsecrò, illa ratio est quam Sotus è Dionysio recitat, Apostolos idcircò multa non scripsisse, ne paterent infidelium irrisioni? Quid? Apostoli ne docuerunt tam ridicula, ut puduerit ea literis mandare? Apostoli tradiderunt Ecclesiæ summa mysteria de uno Deo, & tribus in una diuinitate personis, de incarnatione filij Dei, de redemptione humani generis per crucem & mortem filij Dei, quæ uidebant infidelibus esse tam stultitiæ, quàm offendiculo, & tamen non sunt ueriti ea literis mandare, & publicis scriptis in toto orbe vulgare, quomodo igitur ueriti essent illa, nescio quæ, de unctionibus, de gesticulationibus, & de alijs id genus rebus, scripto ad posteros propagare, si uel ipsi ea docuissent, uel ecclesiæ necessaria iudicassent?

Quod autem Sotus addit: Cognitionem sacramentorum, nec pertinere ad historiam, nec omnibus esse necessariam, sed pontificibus & ministris. Vtrumq; falsum est. Necessarium enim est, ut institutio sacramentorum historicῶς cõmemoretur, quo cognoscamus quæ sint uera & γνήσια sacramenta diuinitùs instituta, & quæ sint adulterina & ficticia, ut alia ab alijs rectè discerni queant. Necessarium item est, ut nõ Pontifices tantum, sed etiam Ecclesia ipsa, hoc est, laici, qui sunt membra Ecclesiæ, habeant ueram sacramentorum cognitionem. Sacramenta enim eò præcipuè in-

ſtituta ſunt, ut pij uſu eorum fidem ſuam confirment. Quomodo autem confirmarent ijs ſuam fidem, ſi nullam eorum haberent cognitionẽ? Etſi enim baptiſmus datur etiam infantibus, qui nondum poſſunt pro ætatis ratione, talem habere cognitionem, qualem habent adulti, tamen hoc ſacramentum eò pertinet, ut fidem obſignet & confirmet, quod & infantes ſuo tempore iam adulti facti, reipſa, dono ſpiritus ſancti, ſentiunt. Quare neceſſaria eſt ſacramentorum cognitio, in ijs maximè omnium, qui ipſis piè ſunt uſuri. Sed quid longis ambagibus opus? Cùm Sotus uocat nos ad traditiones non ſcriptas, & auocat Eccleſiam, hoc eſt, Laicos, à cognitione ſacramentorum, ac reijcit hanc cognitionẽ ad Pontifices, & Miniſtros, eò ſpectat, ut deſeramus ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & pendeamus è Scrinio pectoris Pontificij. Quod cùm ſit ipſiſſimum Satanę conſilium, quali & Eua ſeducta eſt, fugiamus hanc excetram, & conferamus nos ad lucernam apparentem in obſcuro loco, hoc eſt, ad Propheticam & Apoſtolicam ſcripturam, ut hac illuſtrati à ueritatis uia non aberremus.

Deinde, non impiè quidem loquitur Aſotus, cum ait: Nos non poſſe de ſacramentis rectè ſentire, niſi conſenſum Eccleſiæ audiamus. Sed mox prodit ſuam ſententiam, quòd per Eccleſiam intelligat, Eccleſiam Romanam. Ac ſperamus Chriſtum, ſuam quoque Eccleſiam Romæ habere, quæ de ueris ſacramentis non impiè ſentiat. Si autem Sotus nomine Eccleſiæ intelligit ſuos Pontifices & Prelatos, credo eum non amplius ignorare, quod loco eos habeamus. Qualis enim Eccleſia hi ſunt, talis etiam eſt autoritas eorum excommunicandi, tale eſt anathema, talis eſt ordo, talis eſt ratio diſciplinæ eorum. Itaq; quicunq; ſubditorum habet ullum honeſtatis & modeſtiæ ſenſum, is neceſſe habet eam Eccleſiam non aliter, quàm extremam ſuam & præſentem perniciem fugere. Nam, quanta Magia uera Sacramenta Chriſti ſordidauerit, quanta impietate ea prophanauerit, quanta item ſuperſtitione noua excogitauerit, & ueræ Eccleſiæ obtruſerit, copioſè ab alijs demonſtratum eſt, & nos in hac ſecunda Pericopa, pro uirili expoſuimus. Reliquum igitur eſt, ut quotquot cupiunt æternum anathema effugere, ijs utantur ſacramentis, non quæ Sophiſtica cæcitas ſomniat, ſed quæ filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit, & uerbo ſuo nobis utenda propoſuit.

FINIS.

APOLOGIAE CONfessionis Illustrissimi Principis ac Domini, D. Christophori Ducis Vuirtenbergensis, &c.

Postrema Pericope, in qua refVTANTVR, NON EA SOLVM, QVAE SOTVS ADVERSVS RELIQVA CAPITA CONFESSIONIS, IN ASSERtione sua, uerumetiam præcipua, quæ recens, in sua opinata Defensione aduersus Prolegomena Brentij scripsit.

AVTORE IOANNE BRENTIO.

CAPITA HVIVS POSTREmæ Pericopes.

1. De Inuocatione Sanctorum.
2. De memoria defunctorum.
3. De Purgatorio.
4. De uotis Monasticis.
5. De horis Canonicis.
6. De Ieiunio.
7. De Consecratione aquæ, salis, uini, herbarum, & aliarum rerum.
8. De sacra Scriptura.
9. De summo Pontifice.
10. De Ecclesia.
11. De Conciliis.
12. De Scriptoribus Ecclesiasticis.
13. De Cærimoniis Ecclesiasticis.

Ioannes Brentius pio LECTORI S. D.

ANtequàm hanc postremam pericopen Apologiæ absoluissem, cœpi opinatam Defensionem Soti aduersus mea Prolegomena percurrere. Etsi enim cogitaueram nondum absoluta Apologia, Scripta Soti abijcere, & suo autori relinquere, quippè quòd tam pigebat, quàm pudebat tantum operæ & temporis, in legendis & refutandis ijs ineptijs, calumnijs & impietatibus, quas Sotus è suorum commentarijs repetebat, & nostrorum scripta erudite & copiosè hactenus refutauerant, insumere, uisum tamẽ est in cœpto labore perdurare, & nõ ἐκκακεῖν,

ut fidem meam, qua initiò hoc scribendi genus suscepi, liberarem, & officium meum Illustrissimo Principi, & ueræ Ecclesiæ filij Dei probarem. Quare, non contentus refutatione Confusionis & Scoriarum Soti, inspexi etiam Defensionem eius, ut cognoscerem, num fortè Sotus nostro scripto admonitus, inciperet, uel aliqua ex parte ueritati locum, & Deo gloriam dare. Sed tantum abest, ut aliquam de se spem ueræ pietatis exhibuerit, ut & suam & omnium Papistarum impietatem magis illustrandam & orbi obtrudendam susceperit. Nam quibus artibus Papistica impietas initiò excitata est, & aucta, nugis uidelicet, mendacijs, imposturis, calumnijs, & dictorum sacræ scripturæ deprauationibus, ijsdem nunc hypocrita & Sycophanta eam confirmare conatur. Volui igitur nonnulla, & quę quidem uidebantur præcipua, ac silentio haud quaquàm prætereunda, ex opinata Soti Defensione, in hac postrema Pericopa, idq; à Cap. De sacra scriptura, usque ad huius scripti finem, attingere, ut pius Lector uideat, Papistas, aduersarios nostros, factos es ἀπηλγηκότας, & traditos in reprobam mentem, ac planè eos esse, quos Spiritus sanctus in nouissimis diebus uenturos, φιληδόνους μᾶλλον ἢ φιλοθέους, habentes speciem pietatis, sed uirtutem eius abnegantes, prædixit. Non fuit autem uisum, omnem ματαιολογίαν Soti perstringere, quòd & manus in hoc scripti genere, de tabula uel tandem, ut dici solet, tollenda esset, & cùm Sotus non in me tantum, sed multò magis in uniuersam ueram Ecclesiam filij Dei, & in uerè piam doctrinam eius incursionem fecerit, spero ipsum alios habiturum Antagonistas, qui impietatem eius & eruditius & magis perspicuè suis coloribus depingant. Quod enim attinet ad calumnias, quibus Sycophanta solet mea dicta deprauare, hoc unum à lectoribus Asoti peto, ut hæc mea scripta, cum Soticis scriptis, non mutilata, sed integra, & iuxta statum causæ, quam tractandam suscepi, conferant. Hoc si impetrem, uicero. Siue enim legerint hi, qui habent Spiritum Christi, & agnoscunt doctrinam ueræ pietatis, nõ dubito, quin intelligant, me non nouis aut falsis dogmatis, sed ei ueteri doctrinæ, quæ habet Prophetica & Apostolica, ac purioris Ecclesiæ testimonia, patrocinari, etiamsi mihi aliquoties uel obscurè, uel incommodè dicta excidissent. Siue legerint alij, qui Pontificijs tenebris adhuc quidem sunt inuoluti, sed aliqua saltem humana prudentia & æquitate præditi, spero eos quoque manifestas Soti calumnias & agnituros, & detestaturos. Nam qui reliqui sunt stupidi Papistæ, & sequuntur Prælatorum suorum iudicium, sine iudicio, relinquendi à nobis sunt suis moribus. Hi contenti sunt, si extiterit grande aduersus Lutheranos uolumen. Quale autem sit, & quid contineat, nulla eis cura. Alij, cùm non possunt sua Papistica tueri, uertunt se ad accusationem nostri inter nos ipsos dissidij, perinde ac si nobis aliqua ex parte dissentientibus, Antichristianismus ipsorum esset coram Deo approbatus. Sed omittamus nunc ista, & exponamus quis propriè sit status controuersiæ inter nos & Papistas, (sic enim nunc loqui solent) & quod sit præcipuè discrimen inter nostram & Papistarum doctrinam, seu Religionem, ut intelligi possit, num sit aliqua spes reliqua tanti dissidij componendi. Sotus concionatur quidem nonnulla in Peroratione opinatæ suæ Defensionis de summo statu huius causæ, sed caput rei non explicat. Non enim præcipuè controuersia est de Concilijs, quis in ijs præsidere debeat, & qui ad dicendam sententiam adhibendi sint. Nec de Ecclesia tantum, num sit uisibilis, an inuisibilis. Sunt & minutię quædam, de discri

mine

mine ciborum & ueſtium, de externis cærimonijs, & de ſimilibus rebus. Sunt & multa ſeria ac maximi momenti dogmata, quæ in ſcriptis noſtrorum publicè extant, & quorum magnã partem in Confeſsione Principis, & in hac noſtra Apologia enumerauimus. In his omnibus diſsidemus quidẽ, nõ conſiſtit autem in ijs principalis ſtatus huius diſsidij. Inter nos enim, (ne quis erret) & Papiſtas, non eſt talis controuerſia, qualis hactenus eſſe ſolet inter Catholicos (ut uocant) & hæreticos, ſeu ſchiſmaticos, nec omninò qualis olim fuit inter Chriſtum ac Phariſæos, qui erant quidem perſecutores Chriſti, non autem dicebantur propriè Antichriſti, Sic enim uocantur, qui perſequuntur Chriſtum, nomine Chriſti. Sed talis eſt controuerſia, qualem ſpiritus ſanctus iam olim prędixit futuram de Chriſtianiſmo & Antichriſtianiſmo. Nec pugnamus de ijs rebus, de quibus ſalua uera religione, in utramuis partem pronunciari queat, Sed pugnamus περὶ τῶν ἀρχῶν, hoc eſt, de primis, ut nos loqui ſolemus, Principijs. Nos habemus alias ἀρχὰς, quàm Papiſtæ. Vnde & planè diuerſa, & inter ſe pugnantia Religionis genera fiunt. De ijs nobis dicendum eſt, ut de ſtatu huius diſsidij rectè iudicari poſsit. Conferam autem in pauca, ne pio Lectori prolixitate ſim moleſtus. Noſtræ enim ἀρχαὶ, hoc eſt, Prima principia ſunt, ſacra Scriptura, Chriſtus filius Dei, Et Fides ſeu certitudo de beneuolentia Dei erga nos propter Chriſtum. Papiſtarũ autem ἀρχαὶ ſunt, Traditio, Papa & Dubitatio. Etſi enim noſtrę ἀρχαὶ frequenter ſunt & ipſę in ore Papiſtarum, & nolunt uideri ſe eas negare, tamen planum & hactenus fecimus, & adhuc propicio Deo faciemus, quòd habeant quidem μόρφωσιν earum, δύναμιν autem negẽt, adeoq; nullam ſacram ſcripturam, nullum Chriſtum, nullamq; fidem habeant.

Primùm enim, loco certiſsimi fundamenti fidei ponunt non ſacram ſcripturam, ſeu ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ſed ſuas Traditiones ἀγράφους, hoc eſt, non ſcriptas, quemadmodum Sotus ſæpè ac multùm uociferatus eſt. Et dicunt, quòd ſacra ſcriptura ſit incerta, dubia & ambigua, ideoq; per Traditiones interpretanda. Addunt & illud, quòd ſcriptura alijs temporibus, aliter ſit exponenda, ut neceſſe habeat Traditionibus & temporibus, ſeu temporum moribus cedere. Quod autem eſt incertum, ambiguum, & ad quaſuis temporum mutationes flexiloquum, hoc perinde eſt, ac ſi uel non eſſet, uel non prodeſſet. Quare cùm Papiſtæ iudicent de ſacra ſcriptura, quòd ſit incerta, ambigua, & flexiloqua, & collocent in loco eius Traditiones ſuas non ſcriptas pro certiſsimo fidei fundamento, manifeſtum eſt, quòd etiamſi nomen ſcripturæ ſacræ in ore habeant, re ipſa tamẽ nullam habeant ſacram ſcripturam. Noſtra autẽ ἀρχαὶ, non ſunt Traditiones ἄγραφαι, quę aut aliquoties & ſecum, & cum ſacra ſcriptura pugnãt, ita magna ex parte incertis & fide indignis autoribus conſtant, quemadmodum in hac Apologia oſtendimus, Sed ſunt ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quæ & ſibi per omnia conſtant, & habent certiſsimum autorem, ſpiritum ſanctum, qui ſententiam cœleſtis Patris de omnibus, quæ ad perpetuam noſtram ſalutem nobis cognitu neceſſaria ſunt, his ſcriptis clarè & perſpicuè expoſuit. Cùm igitur hac in parte diuerſæ ſint ἀρχαὶ, dubium nõ eſt, quin ſint etiam diuerſa genera Religionis. At enim, inquies, Scriptura ipſa Apoſtolica probat Traditiones: Tenete, inquit Paulus, Traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrã. Paulus autem non loquitur de traditioni-

bus posteriorum temporum, sed de suis & aliorum Apostolorum traditionibus. Hi autem tradiderunt nobis scripta Prophetica, tradiderunt Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod & nunc scriptis Apostolicis continetur. Et si quid externorum rituum, qui per se sunt indifferentes, tradiderunt, hos, non contra sententiam Euangelij Christi, sed iuxta libertatem qua Christus suam ecclesiam donauit, seu obseruandos, seu omittendos tradiderunt. Papisticæ igitur traditiones, à posterioribus institutæ aut confictę, tantum abest, ut à Paulo approbentur, ut potius ijs dictis, quibus docet nos à seruitute hominum liberatos, abijciantur & condemnentur. Et quia Papistæ habent has Traditiones ἀγραφας, hoc est, non scriptas, nos autem habemus traditiones ἐγγραφας, hoc est, scriptas, quæ sunt scripta Prophetica & Apostolica, pro certissimo fidei fundamento, non est dubium, quin quantum differunt inter se hæ Traditiones, (differunt autem toto cœlo, hoc est, sicut cœlestia oracula, & humana somnia) tantum differat inter se nostra & Papistarum religio.

Deinde, Quod est soli Christo unigenito filio Dei tribuendum, hoc Papistæ tribuunt suo Papę, & collocant Papam in throno Christi. Dicunt: Papam esse legem uiuam in terris, & habere omnia iura in scrinio pectoris sui. Dicunt Papam esse dominum cœli & terræ, & omnes alios iudicare, ipsum autem à nullo iudicandum: & accommodant ei illud Psalmi: Omnia subiecisti sub pedes eius, & quæ sequuntur. Affirmant Papam habere potestatem dispensandi, ut loqui solent, aduersus scripta Prophetica & Apostolica. Affirmant eum ex nihilo aliquid facere posse, hoc est, esse Creatorem. Ac breuiter, Sotus ipse facit ex Papa, Petram illam, in qua sit fundata Ecclesia, & lapidem illum probatum, angularem ac precio sum, qui missus sit in fundamentis Zion. Et hæc est altera ἐκ τῶν ἀρχῶν Papistarum. Nos autem agnoscimus Solum, solum inquam Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei esse eum, in quo sit Thesaurus omnis sapientiæ & scientiæ Dei, & esse ipsum solum Dominum cœli & terræ, nec constituisse in his terris uel aliud caput ecclesiæ, uel alium uicarium, uel aliam petram aut lapidem, quo constet ædificium ecclesiæ, sed Ipsum sua præsentia, & potentia gubernare & conseruare Ecclesiam, sicut dicit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque consummationem seculi. Et quanquam dat hominibus dona, alios quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios Prophetas, alios pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis sui, tamen neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Hæc nostra est ἀρχὴ, confirmata Propheticis & Apostolicis scriptis, sed cum priori Papistarum ita pugnans, ut etiamsi Apostolis & pastoribus docentibus Euangelion Christi possit cognomen fundamenti & capitis Ecclesiæ aliquo modo tribui, tamen non possit iuxta eam sententiam, quam Papistæ de Papa suo prædicant, ulli hominum, ac ne Petro quidem tribui, quemadmodum in hac postrema Pericopa Apologiæ clarè exposuimus.

Sed inquies: An non & literæ ipsæ Apostolicæ concedunt Papæ, qui est successor Petri, tantam maiestatem & potestatem, quantam de eo iactant Papistæ: Dicit enim Christus: Quodcunq; solueris in terra, erit solutum in cœlis, & quodcunq; ligaueris in terra, erit & ligatum in cœlis: An non hæc uerba tribuunt Petro, & omnibus successoribus eius, Papis, omnem dominationem tam in cœlo quàm in terra?

Hic

Hic uenit mihi in mentem eius responsi, quod Cambysi Monarchæ Persarum Regij Iudices dederunt. Libet autem integram historiam, sed paucis, recitare, quòd ad nostrum institutum nonnihil facere uideatur. Lex erat apud Persas, ne frater sororẽ duceret in uxorem. Et erant etiam instituti publicarum Legum tutores, quasi Ephori, quos Regios Iudices uocârunt, contra quorum autoritatem, ne quidem Regi ipsi leges uiolare licebat. Habebat autem Cambyses sororem insigni uenustate, qua cùm cupiebat quidem coniugium inire, sed deterrebatur reuerentia Legis. Postremò uictus cupiditate, retulit ad Regios Iudices: Num liceret ipsi sororem in uxorem ducere. Hi non ignari legum, & eo loco positi, ut tuerentur leges, in ancipiti hærebant. Concederent nuptias, Sed Abrogatione unius, eiusque tam honestæ legis, periclitabatur uniuersa legum autoritas. Negarent, Sed metuebant Monarchę tyrannidem. Reperto igitur uel tandẽ, tuto, ut uidebatur, consilio, responderunt se νόμον οὐδένα ἐξευρίσκειν, ὃς κελεύει ἀδελφὴν συνοικεῖν ἀδελφῷ. ἄλλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι περσέων ἐξεῖναι ποιεῖν τὰ ἂν βούληται. Nullam legem inuenire, quæ iubet, fratrem ducere sororem in uxorem, sed aliam inuenisse, qua Regi Persarum liceat facere, quod uelit. Hoc dicto existimabant quidem Regij Iudices, se non tam sibi, quàm legibus consuluisse. Sed profectò non potuissent astutius, ac penè perfidiosius legum autoritatem tollere. Extiterit sanè Lex, quæ permittat Monarchæ facere, quod uisum fuerit, Sicut & in Romanis Legibus dicitur: Quod Principi placuit, Legis uigorem habet, hoc tamen nõ est intelligendum, quòd liceat Principi aduersus legem uel naturalem, uel publica autoritate approbatam, peccare, sed concedit ei tantùm potestatem in ijs, quæ non sunt legibus comprehensa, & sunt per se indifferentia, ac faciunt ad conseruationem publicæ honestatis & tranquillitatis. Cum hac Persicorum Iudicum perfidia prorsus conuenit sententia Papistarum, de sui Papæ potestate. Manifestum enim est, quòd tanta sit autoritas scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, ut ne angelus quidem cum ijs pugnans sit audiendus. Manifestũ est, quòd nulli hominum liceat aduersus legem Dei peccare, & alios homines seducere. Manifestum est, regnum Christi non esse de hoc mundo. Hæc ne ipsi quidẽ Papistæ negant. Et tamen tribuunt suo Papæ, iuxta illud dictum Christi: Quodcũnq; solueris super terram, & quæ sequuntur, quòd liceat Papæ scripta Prophetica & Apostolica pro suo arbitrio interpretari, & regna huius mundi occupare, & quòd non debeat reprehendi, etiamsi innumerabiles homines secum in æternum barathrum seduceret. Hoc, quid aliud est, quàm iuxta Persicorũ Iudicum sententiam dicere, se quidem nõ inuenire legem, quæ permittat ut Papa abroget uniuersam sacram scripturam, & peccet aduersus legem Dei, ac excedat fines uocationis suæ, esse autem aliam legem, quæ permittat ei tam in cœlo quàm in terra, soluere & ligare quæ libet. Haud stultè sapiunt, siquidem id est sapere, uelle lucem cum tenebris consociare. Nam quod Christus ad Petrum dicit: Quodcunque solueris, & quæ sequuntur, non est intelligendum de potestate dominationis, sed de ministerio prædicationis Euangelij, ut qui Euangelio Christi crediderit in terris, soluatur in cœlis. Qui uerò non crediderit in terris, ligetur in cœlis. Quem locum, quia aliâs perspicuè explicatus est, non libet in præsentia pluribus perstringere. Volui eum nunc attingere tantum, quòd Papistæ tribuant ex eo Papæ suo omnem potestatem tam in cœlo quàm in terra, & subij-

ciant sub pedes eius oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Itaq; manifestum est, quòd exturbato, quantum in ipsis est, Christo Domino nostro, collocent in Throno eius Papam suum, ut nisi quis ei, quantumuis impia docenti ac mandanti, crediderit & obedierit, perpetuò condemnetur.

Postremò, Papistæ docent dubitandum esse nobis, num simus in gratia Dei. Innocẽtius, eius nominis, ni fallor, tertius, damnauit Almaricum Carnotensem, quòd doceret credendum, nos esse membra Christi. Synodus Tridentina dicit Anathema, si quis dixerit, peccata omnia illi esse remissa, qui sibi remissa esse certò credit & statuit. Sotus uociferatur, Specialis illa (inquiens) fides, qua nobis certò remitti peccata gratis propter solũ Christum statuimus adeo necessaria non est, ut sit contraria ueræ fidei & scripturæ. Et iterum: Omnia, quæ ad salutẽ nostram pertinent, sub libertatis nostræ incerto posita sunt. Ac rursus: Ecclesia admonet quemlibet de se dubitare, an sit prædestinatus. Et iterum: Tutũ & humilimũ est, semper de Dei in nos gratia atq; præsentia dubitare. Eadẽ planè est sentẽtia omniũ Papistarũ, si modò in dogmate suæ Ecclesiæ cõstiterint. Hæc igitur est tertia ἀρχὴ Papistarũ, quòd nullus debeat certò credere, sed potius dubitare, se esse in gratia Dei, se esse Deo acceptũ, se habere peccatorum remissionẽ, adeoq; se esse à Deo adoptatum in filium & hæredem cœlestium bonorũ propter Christum. Nostra autem ἀρχὴ est scriptis Prophetícis & Apostolícis comprobata, quòd Christus filius Dei ideo nobis sit promissus, & in hunc mundum uenerit, ut nos certiores redderet de gratuita Dei beneuolentia erga nos, & de remissione peccatorum nostrorũ, ac adoptione nostri in filios Dei & hæredes cœlestium bonorum, idq; non propter merita nostræ iusticiæ, sed tantum propter meritũ Domini nostri Iesu Christi. Necessarium igitur est, ut quisquis noluerit Christũ filium Dei mendacij arguere, uoluerit autẽ ei gloriam ueritatis dare, & æternam salutẽ consequi, certò credat, se propter Christũ habere Deum propiciũ, habere peccatorũ remissionẽ, & esse adoptatum in filium & hæredẽ Dei. Negari quidẽ non potest, quòd præ carnis imbecillitate nõ habeamus perfectã fidem: nos autẽ nunc non loquimur de eo, qd nos faciamus, sed quid facere debeamus. Qua. n. seueritate exigit à nobis, ut diligamus quisq; Deũ ex toto corde, & ex tota anima, eadẽ exigit, ut quisquis ad cœlestẽ salutẽ aspirat, certò, sine ulla dubitatione credat, peccata sibi propter Christũ remissa, & se adoptatũ in filiũ Dei, ac si quid dubitationis reliquum est in carne, studeat magis ac magis expurgare, ut quantũ affectus carnis mortificatur, tantũ incrementi certitudo fidei sumat. Hęc est religio, quã spiritus sanctus ab initio orbis tradidit, & quã secuti sunt Patriarchę & Prophetæ, adeoq; omnes omniũ seculorũ, in toto orbe pij: nisi fortè Adam nõ debuit certò credere, filiũ uirginis contritũ potentiam Satanę, ut non solũ posteri eius, sed etiã ipse haberet remissionẽ peccatorũ: & Abraham non debuit certò credere, se in Semine suo, qui est Christus, consequi ueram & æternã benedictionem: & Dauid non debuit certò credere, filium suum Christũ, esse æternum sacerdotẽ secundum ordinẽ Melchisedec, qui sit etiam eorũ peccatorũ, quę Dauid ipse designauit, expiator: & Petrus non debuit certò credere, quòd astantibus de Christo omnibus Prophetis, habeat ipse quoq; in Christo peccatorũ suorum remissionẽ. Vides ergo, amicissime mi Lector, nos cum Papistis belligerari, nõ de paucis tantum dogmatis, sed de ipso Religionis genere, ac nos quidẽ habere nostræ religionis ἀρχὰς & fundamẽta, Scripta Prophe-

Prophetica & Apostolica, Christum unigenitum filium Dei, & certam fidem: Papistas autem habere ἀγράφους, Traditiones non scriptas, Papam primogenitum filium Diaboli, & Dubitationem. Etli enim & ipsi iactant sacram scripturam, Christum & fidem, tamen iam olim dictum est de impijs: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et: Deum fatentur uerbis, negant factis. Et: Habent speciem pietatis, uirtutem autem eius negant. Sed & illud olim significatum est, quòd Antichristus & satellites eius oppugnaturi sint Christum, non nomine Antichristi, sed nomine Christi, sicut est dies hæc. In horum Catalogo, cùm Asotus summam hactenus operam dederit, ut non esset inter primos postremus, nunc tamen accessit alius quispiam, Stanislaus Osius, qui conatur ei præripere palmam. Is oppugnat piam doctrinã ex Polonia, & scripsit aduersus mea Prolegomena librum satis, ut apparet, prolixum. Nõdum legi, sed amici, qui legerunt, cõmemorant eum tractare me parùm ὁσίως, atq; conuehere aduersus ueritatem mendaciorum & calumniarum plaustra. Nec possum de ea re dubitare. Scio enim me sequi ea quæ sunt scriptis Propheticis & Apostolicis consentanea, hoc est, uera & pia. Quid autem aduersus ueritatem & pietatem aliud quàm mendacia & calumniæ dici posset? Equidem doleo uicem Inclyti regni Poloniæ, quòd cùm hactenus pia doctrina, quod ego sciam, ex eo non sit publicè oppugnata, nunc hospitem in sinu suo fouerit, qui ipsi serpentinam hospitij mercedem persoluat. Sed non dubito, quin filius Dei habeat & in eo regno ueram suam Ecclesiam, quam propter unum & alterum pseudoepiscopũ, & antichristi satellitem nõ sit deserturus. Ac illi quidem Iannes & Mambres, qui suis mendacijs & calumnijs opponũt se liberationi Israelis, suam uicissim reportabunt à Deo mercedem. Hanc autem præfationem de uarijs & diuersis Principijs nostræ ac Papistarum religionis ideo uolui postremæ huic pericopæ præfigere, ut ostenderem, quòd eorum scripta, qui oppugnant nostram piam doctrinam, multò minus autoritatis habere debeant, quàm si Celsus quispiam, aut Libanius, aut Porphyrius, aut Iulianus, aut Thalmudista, aut Mahumetista, aduersus scripta Prophetica & Apostolica uirus suum euomeret. Volui & illud ostendere, ut cognosceremus, quorum religio sit fugienda, & sciremus, quòd cùm Papistæ propugnant suas traditiones, oppugnent sacram scripturam, cùm defendunt Papam, reijciant Christum, & cùm docent dubitationem de remissione peccatorum, non obscurent tantum ueram & certam fidem in Christum, sed etiam conentur nobis auferre, quantum in ipsis est, cœlestem hæreditatem. Fugiamus igitur, fugiamus de medio Babylonis, imò de medio Antichristianismi, ubi non est, nisi colluuies omnium schismatum, hæreseon, Magiarum & Idolomaniarũm, & agamus Deo Patri per Iesum Christum Dominum nostrum summas gratias, quòd Spiritu sancto suo ostenderit nobis rectam uiam fugiendi, & ad ueram æternæ nostræ salutis portum confugiendi, ac inuocemus Dominum, ut nos in uera cognitione Christi filij sui per Spiritum sanctum suum clementer conseruet. Benè ac fœliciter uale, amicissime mi Lector.

De Inuocatione

SANCTORVM.

VAE de Sacramentis, aduersus Soti delíria, dicenda uidebantur, in superiori Pericopa, breuius quidem, quàm fortasse satisfiat his, qui scripta, uerborum magis multitudine, quàm rerum pondere metiuntur, prolixius autem, quàm necessitas in præsentia exigebat, absoluimus. Nã quæ de hoc argumento dici possunt, ea in Commentarijs nostrorum tanta eruditione & copia exponuntur, ut qui sunt sanabiles, non habeant, quod desiderare queant. Illis autem qui diuinitùs sunt cæcati, ac in reprobum sensum dati, nihil dixeris, etiamsi omnia tam Prophetarum quàm Apostolorum oracula adduxeris. Et tamen nonnihil dicendum erat, ne uel occasionem repetendæ piæ doctrinæ negligere uideremur, uel Asotus publico sibi suffragio iam decretum esse triumphum somniaret, aut petulantiam suam impunè ferret.

Quod igitur benè uertat, progrediamur ad reliqua Capita Confessionis Principis, à calumnijs, (quid enim præter has contra piam doctrinam ab aduersarijs afferri posset:) uindicanda. Ac dicemus initiò De Inuocatione Sanctorum. Etsi enim ad ipsum Inuocationis nomen, cùm ad sanctos refertur, pius quisque cohorrescere debet, (Nostræ enim religionis caput est, ut nullam creaturam, sed unum solum Deum creatorem inuocemus) utemur tamen hoc usitato nomine, donec res ipsa explicetur. Ac primùm omnium considerabimus, quis sit præcipuus huius disputationis, De Inuocatione Sanctorum, status. Deinde expendemus ea, quibus hostis piæ doctrinæ Inuocationem sanctorum stabilire conatur.

In præsentia enim, illud non controuertitur, Num sancti in cœlo orent pro nobis. Confessio enim Principis non negat, quin sancti in cœlo sint pro nostra salute sollicíti, & commendent nos Deo precibus suis. Sed ne quis existimet hanc sanctorum in cœlis uel sollicitudinem uel orationem fieri carnali aut mundano more, addit, Sanctos in cœlis orare pro nobis cœlesti modo: sicut & Angeli sunt pro nobis sollíciti, & omnes creaturæ pro nostra salute nobiscum cœlesti modo congemiscunt & parturiunt. Hic ergo indignatur Asotus aduersus Confessionem Principis, quòd conferat orationes sanctorum cum gemitu aliarum creaturarum, & cùm Paulus non expressè dicat, creaturas ingemiscere cœlesti modo, existimat Sotus, sanctos non orare pro nobis, sicut aliæ creaturæ, sed propriè & uerè: Sicut, inquiens, cùm hîc uiuerẽt, nisi quòd nunc multò instantius & ardentius orent. Dicamus igitur primùm omnium pauca quædam de hoc loco Pauli. Non ignoro, quòd hunc locum (Sollícita expectatio creaturæ expectat, ut palàm fiant filij Dei. Et: Scimus quòd omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit usque ad hoc tempus,) nonnulli interpretes exponant de creatura tantum rationali, hoc est, de Angelis & hominibus: sed manifestum est ex circumstantijs, quòd Paulus nomine omnis creaturæ hoc loco intellígat uniuersum hũc mundum, à Deo creatum, & significet tam cœlum, quàm terram, & omnia, quæ in eis sunt, expectare tempus illud, quo filij Dei líberabuntur ab aduersis, ac in modum parturientis dolere, ac optare finem afflictionum seu dolo-

seu dolorum suorum. Itaque Paulus tribuit cœlo & terræ non gemitum tantum, & dolorem tanquàm mulieris parturientis, uerumetiam spem & expectationem. Dubium autem non est, quin hæc non tribuantur eodem modo creaturis sensus & rationis expertibus, quo competunt creaturis rationalibus, ideoque Confessio ipsa Principis palàm significat hoc discrimen, cùm & de Sanctis in cœlo dicit, orare eos suo quodã modo, & de alijs creaturis, ingemiscere eas cœlesti quodam modo. Sotus autem non contentus hac explicatione, uociferatur sanctos orare pro nobis VERE & propriè, & affirmat sanctorum orationes nullo modo comparandas esse gemitibus creaturarum pro salute nostra. Paulus (inquiens) non dicit modo cœlesti ingemiscere creaturas, sed reuera terrestres. Nam illa metaphora continuam mutationem creaturarum significat, qua seruiunt magis corpori nostro corruptibili, & hac ratione etiam animæ, quàm aliquid ad cœlestem pertinens beatitudinem. Hactenus Asotus. Quæso te, amicissime mi Lector, intelligis ne, quæ Sotus balbutit? Equidem adhuc laboro, ut intelligam, quid sibi uelit. Et mihi nunc uerisimile fit, quod audio, alium quendam ἐκτοιχώτερον in locum eius à suis substitutum, qui Prolegomena mea oppugnet. Quid enim hoc homine crassius, qui nec res ipsas, nec rerum uocabula intelligit? Cùm enim Confessio Principis dicat: Creaturas ingemiscere pro nobis cœlesti modo, Sotus intelligit has externas creaturas dici cœlestes. Vnde & addit: Sed reuera (inquiens) terrestres. Scilicet, nisi à Soto, erudito uiro admoneremur, periculum erat, ne terrestres creaturas haberemus pro cœlestibus, & transferremus ligna & lapides, equos & asinos in cœlestem beatitudinem.

Sed Sotus æquo sit animo. Non implebimus cœleste regnum lignis & lapidibus, equis & asinis, imò ne Asotis quidem & fraterculis. Nam, quòd Confessio Principis dicit, creaturas ingemiscere & parturire pro salute nostra, cœlesti modo, non affirmat creaturas terrestres & rationis expertes, fieri cœlestes, & transferri in beatitudinem cœlestem, sed quòd non ingemiscant terrestri aut humano modo. Non enim ducunt gemitum suum ex imo pectore, nec efflant spiritum ex ore, quemadmodum homines solent, sed habent suum quendam arcanum ingemiscendi modum, quem, quia non est terrenis sensibus præceptibilis, Confessio uocat, Cœlestem, quòd soli Deo Patri nostro cœlesti, qui tam cœlum, quàm terram implet, cognitus sit. Paulus ad Ephesios scribens: Non est nobis, inquit, lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales astutias IN COELESTIBVS. Quid? reponit ne Paulus diabolos, qui sunt spirituales astutiæ, in cœlestem beatitudinem? Nihil certè minus, sed utitur uocabulo Cœlestium, pro arcanis, quæ sunt ab externis hominum oculis abscondita. Sic & Confessio Principis, cùm ait: Creaturas ingemiscere pro salute nostra, cœlesti modo, significat, eum gemitum non esse carnalem, terrenum, humanum, sed arcanum, & hominum sensibus minimè expositum. Certum enim est, quòd creaturæ rationis expertes, non tantum simpliciter mutentur, sed etiam habeant suum quendam gemitum coram Deo, quo quasi parturiunt, usque ad tempus liberationis filiorum Dei. Non audit hunc gemitum Asotus. Nec mirum. Non enim alias habet aures, quàm quibus audiat tintinabula, excitantia ad recitationem Salutationis Angelicæ, aut quibus audiat Confessiones Monialium, & Reuerentias ac Paternitates. Et quidem malè

eum audire, (etiamsi fortasis Midæ auriculas habeat) uel hinc manifestum est, quòd neget sanctos in cœlis suo quodam modo pro nobis orare. Ei enim, quod Confessio Principis dicit, SVO QVODAM MODO, opponit Sotus VERE & PROPRIE, uidelicet significans, Sanctos non suo quodam, hoc est, spirituali & cœlesti modo, sed uerè, (ut ipse loquitur) & propriè orare. Quid ergo est uerè & propriè orare? Certè, si hęc duo uocabula opponuntur spirituali & cœlesti modo, quid aliud significarent, quàm sanctos in cœlis orare pro nobis terrestri & carnali more? Inclinant igitur capita sua, defigunt in terram genua sua, protendunt manus suas, & uociferantur carnali ore suo: O Domine Deus noster conserua quæsumus à Nouatoribus istis hæreticis, sanctissimum Ordinem Dominicastrorum, intercedente sacratissimo patre nostro Dominico. De his crassis spectaculis in cœlo admonet nos crassus Theologus, cùm ueras suas & proprias orationes in cœlo opponit ijs, quæ fiunt spirituali, & cœlesti modo. Scilicet, quæ preces, & qui gemitus fiunt spirituali ac cœlesti modo, sunt tantum Metaphorici: Et quia sunt Metaphorici, non sunt ueri, sed sunt nihil. Quasi uerò, rerum ueritas non etiam Metaphora explicetur, & Metaphora non sit ideo reperta, ut res ipsas signet, & sub oculis subijciat. Quare, etiamsi Sotus non audit carnalibus suis auribus, (quid enim de spiritualibus dicerem, cùm non habeat?) gemitum & dolorem lapidum, arborum, bestiarum, cœli & terræ, quo expectant liberationem filiorum Dei, tamen est in suo genere uerus gemitus, quem Deus ipse sicut creauit, ita & audit, & properat, ut liberet omnem creaturam, ne perpetuò, contra suam uoluntatem, impijs seruiat. Putát ne Sotus, cùm uinum bibit, uinum uolens lætificet cor eius? Certè dolet & ingemiscit, quòd necesse habeat hypocritæ tam impio seruire, & expectat singulis momentis, ab hac seruitute liberationem. Non audit Sotus hunc uini gemitum, non uidet dolorem eius, Sed audit & uidet is, cuius auribus & oculis omnia patent.

In Iobe, iumenta docent, uolatilia cœli erudiunt, Terra loquitur, & pisces maris narrant. Sed quis hæc carnalibus suis auribus audit? In Psalmo iubentur Deum laudare sol, luna, stellæ, cœli, aquæ, quæ super cœlos sunt, cete, abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, montes, colles, ligna fructifera, cedri, denique bestiæ, uniuersa pecora, serpentes & uolucres pennatæ. Quid spiritui sancto ueniisset in mentem, ut iuberet hæc laudaret Deum, nisi sciret ea hoc suo quodam, hoc est, spirituali & cœlesti modo præstare? Apud Oseam DOMINVS exaudit cœlos, Cœlum exaudit terram, Terra exaudit triticum, uinum & oleum, & hæc exaudiunt Iezrael. Vbi est exauditio, ibi est & clamor, si non mundanus, certè cœlestis: si non carnalis, certè spiritualis: si non externus, certè internus, & Domino Deo nostro notus. Vanissimum igitur est, quòd Sotus existimat, gemitum creaturarum idcircò non esse uerum, quòd sit Metaphoricus: & idcircò non esse spiritualem, quia creaturæ sunt terrestres: & idcircò non esse cœlestem, quia non sit externo sensu perceptibilis.

Sed quid illud, quòd uociferatur orationes sanctorũ nullo modo comparandas esse gemitibus creaturarum? Fateor & ego multum esse discriminis: sed illud nõ est ferendũ, quòd affirmat illas his NVLLO MODO comparandas esse. Apud Danielẽ dicuntur Adolescentes in igne laudasse Deum

Deum uno ore, & coniunxisse in laude sua, Solem, lunam, imbrem, rorem, glaciem, niues, lucem, tenebras, denique alias creaturas tam inanimas, quàm rationis expertes, cum seruis & sacerdotibus Domini, cum spiritibus & animabus iustorum. Properet ergo Sotus, ex imis pulmonibus anhelans, ut subueniat uenerandis sacerdotibus, & sanctis iustorum animabus, ne in eodem elencho cum bestijs & inanimis creaturis commemorentur, & cum ipsis in laude Dei comparentur.

In Psalmo, cuius paulò antè mentionem fecimus, numerantur ex ordine, sol, luna, stellæ, ignis, grando, montes, colles, bestiæ, pecora, serpentes & uolucres pennatæ, & coniunguntur cum regibus terræ, cum omnibus populis, cum principibus, & omnibus iudicibus terræ, cum iuuenibus & uirginibus, cum senibus & iunioribus, denique cum omnibus sanctis. Reprehendat ergo Sotus spiritum sanctum, & increpet eum seueriter, quòd tam impudens sit, ut in laudando Deo comparet Reges & Sanctos, cum bestijs, & serpentibus, imò cum grandine & procellis.

Sed cùm Sotus tanta sit insolentia & morositate, ut non possit ferre, quòd preces sanctorum in cœlis, conferantur cum gemitu aliarum creaturarum, quomodo feret, aut quomodo refutabit eorum sententiam, quorum alij dubitant, num sancti extra corpus pro nobis orent, alij omninò negant? Quid ijs respondebit? Non enim patientur sibi satisfieri, uel autoritate Romanorum Pontificum, uel humanis ratiocinationibus, uel longa consuetudine, uel exemplo multitudinis. Certa & firma Prophetica & Apostolicæ scripturæ testimonia exigent. Quæ nisi Sotus attulerit, meritò exibilabitur. Origenes, uetus admodum scriptor, nihil certi definire potest, de precibus sanctorum, extra corpus. Sed libet uerba eius ipsa adscribere.

Origenes in secundum Caput Epistolæ ad Romanos.

Iam uerò, inquit, si etiam extra corpus positi, uel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis, ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant: uel rursum peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid secundum propositum mentis suæ, angelorum nihilominus ad similitudinem siniſtrorum, cum quibus & inæternum ignem mittendi dicuntur à Christo, habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria. Hactenus Origenes. Hic autor reijcit definitionem de precibus Sanctorum in cœlis, ad occulta Dei, & Fraterculi tam impudentes sunt, ut audeant id peruicaciter definire, perinde ac si recens de cœlo descendissent, & omnia mysteria, quæ ibi habentur, peruestigassent.

Augustinus, & si concedit nos adiuuari per martyres, tamen negat nos scire, ubi sint, aut quomodo per ipsos adiuuemur. Sed præstat & ipsius uerba audire.

Augustinus in libro De cura pro mortuis gerenda, cap. 16.

Quanquàm ista, inquit, quæstio uires intelligentiæ meæ uincat, quem admodum opitulentur martyres his, quos per eos certum est adiuuari, utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore, tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue ubi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias ubicunque adesse sentiuntur, an ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis,

Certum est, inquit. Sed unde, quæso, certũ est

quibus utiq; non præsentamur, nec ubi sint, uel quid agant scimus, Deus omnipotens, qui est ubiq; præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens martyrum preces, per angelica mysteria ubique diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius uitæ miseria iudicat esse præbenda, & suorum merita martyrum ubi vult, quando vult, maxímeq; per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate, ac bonitate commendet. Res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior, quàm ut à me ualeat perscrutari, & ideo quid horum duorum sit, an uero fortassis utrunque sit, ut aliquando ista fiant, per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere. Hactenus Augustinus: quem mirabuntur fortàssis Fraterculi tam rudem, tam indoctum, tam rerum diuinarum imperitum esse, ut ea ignoret, quæ ipsi uel per somnia cognouerunt. Quare haud iniuria uocarent in suam scholam Augustinum, ut ab ipsis tam cœlestia mysteria perciperet.

Sed illud demùm absurdissimum Fraterculis uideri posset, quòd idem Augustinus doceat: Mortuorum animas, res uiuentium nõ sentire. Quomodo igitur Fraterculi audent inter singulos penè sanctos, singula morborum genera curanda distribuere? De qua re testimonium Augustini paulò pòst, suo loco recitabimus. Quæ autem in præsentia commemorauimus, eò factum est, ut retundatur temeritas Fraterculorum, qui contra ueterum testimonia quiduis de precibus sanctorum impudenter fingere audent, ut idolatrian suam stabilire uideantur. Etsi enim Confessio Principis concedit sanctos in cœlis pro nobis orare, tamen alij sua habent argumenta, quibus hoc negant, aut saltem ad dubitationem sollicitantur.

Sed his obijciunt Fraterculi illud Hieremiæ cap. 15. Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Respondent illi, hanc esse locutionem conditionalem, quæ nihil asseuerat, nisi ponatur causa, uel modus in antecedente. Et tantum abesse aiunt, ut hoc dictum probet Sanctorum preces in cœlo pro uiuentibus, ut potius improbare uideatur, præsertim si uiuentes fuerint impij. Nam si qui sunt pij in terris, habent propiciatorem & intercessorem in cœlis unigenitum filium Dei, de quo sunt certissimi. De sanctorum autem precatione nihil certi habent.

Obijciunt & illud ex Macchabæis. Oniam & Hieremiã orasse pro populo. Sed alij respondent, Primùm, libros Macchabæorum non habere autoritatem Propheticæ & Apostolicæ scripturæ. Deinde, quod ibi narratur, somnium hominis esse, non diuinitùs immissum, nec rei gestæ ueritatem.

Iam & charitas Sanctorum in medium produci solet, quòd cùm sancti in his terris ex charitate orârint pro alijs, multò instantius & ardentius, ut Asotus dicit, nunc in cœlesti patria, & charitate perfecti, pro nobis orent. Sed alij dicunt, hoc argumento nonnullos quondã affirmasse, quòd intercessionibus sanctorum, non solum pij, uerumetiam omnes impij homines, saluandi essent. Ne quis autem putet me hæc fingere, non pigebit uerba Augustini, ex quibus hæc desumpta sunt, recitare.

Augustinus de Ciuitat. Dei, lib. 21. cap. 18. Sunt

Sunt etiam (inquit) quales in collocutionibus nostris ipse sum expertus, qui cùm uenerari uideantur scripturas sanctas, moribus improbandi sunt, & agendo causam suam, multò maiorem, quàm isti, misericordiam Deo tribuant erga humanum genus. Dicunt enim de malis & infidelibus hominibus diuinitùs quidem uerum prædictum esse, quòd digni sunt, sed cùm ad iudicium uentum fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit enim eos, inquiunt, misericors Deus, precibus & intercessionibus sanctorum suorum. Si enim orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quanto magis, quando uidebunt humiles supplicesque prostratos? Neq; enim credendum est (aiunt) tunc amissuros Sanctos uiscera misericordiæ, cùm fuerint plenissimæ ac perfectissimæ sanctitatis, ut qui tunc orabant pro inimicis suis, quando & ipsi sine peccato non erant, tunc non orent pro supplicibus suis, quando nullum cœperint habere peccatum? Aut uerò tunc eos Deus nõ exaudiet, tot & tales filios suos, quãdo in tanta eorum sanctitate nullum inueniet orationis impedimentum? Hactenus Augustinus, qui testificatur idem planè argumentum de æterna impiorum salute, ipsi quondam obiectum esse, quod nunc Fraterculi ad probandas preces sanctorum suorum recitare solent.

Ad autoritatem uerò & exempla eorum scriptorum, qui affirmant sanctos in cœlo pro nobis orare, respondent illi, humanam autoritatem, absque certo diuini uerbi testimonio, in explicando cœlestium rerum statu, nihil ualere, & peculiaria hominum exempla non statuere generalem regulam. Hæc usum fuit copiosius recitare, non quòd negem sanctos in cœlis pro nobis orare, sed ut ostendam, quàm præpostera sit cura, imò quàm odiosa sit morositas Asoti, quòd cùm non possit ferre, ut sancti in cœlis, suo quodam modo, pro nobis orare dicantur, nondum refutauerit, nec qua est eruditione, refutare queat eos, qui sentiunt, sanctos, ne aliquo quidem modo pro nobis orare.

Sed concedimus sanè, quemadmodum iam sæpè dictum est, sanctos in cœlo orare pro uiuentibus in terra, num idcircò sancti sunt adoratione colendi & inuocandi? Nihil uerò minus. Scriptura enim dicit: Non habebis deos alienos coram me. Et: DOMINVM Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Ac rursum: Quoniam ipse est DOMINVS Deus tuus, & ipsum adorabis. Et iterum: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et rursum: Inuoca ME in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ac iterum: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Quid multis opus? Non scriptura tantum sacra, uerumetiam scriptores ipsi ecclesiastici cohorrescunt ad hanc uocem, si quis dixerit: Martyres esse colendos, adorandos & inuocandos. Hieronymus: Quis, ô insanum, inquit, caput, aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? Et iterum? Nos non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, & in præsenti seculo, & in futuro, colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Et Augustinus: Scias, inquit, à Christianis catholicis, quorum in uestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod sit factum, & conditum à Deo, sed VNVM IPSVM DEVM, qui fecit & condidit omnia.

Aduersus Vigilantium.

Ad Maximũ Grãmaticũ Epistol. 44.

Et aliâs: Nos martyribus nostris, non templa, sicut dijs, sed memorias

De Ciui. Dei li. 22. cap. 10

Vocat Augustinus sanctos, homines mortuos, sed Hieronymus & hypocritæ indignè hoc ferunt.

sicut HOMINIBVS MORTVIS, quorum apud Deum uiuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione uicerunt, suo loco & ordine nominantur, NON tamen à Sacerdote, qui sacrificat, INVOCANTVR. Hactenus Augustinus. Quàm bellè igitur conuenit Asoto cum Augustino, quòd cùm hic dicat, Sanctos non INVOCARI, ille autem plenis buccis uociferetur, sanctos meritò & inuocandos, & adhibendos intercessores ac mediatores nostros apud Deum. Et audet homo perfrictissimæ frontis illud addere, quòd id exemplis & mandatis scripturæ, ac uniuersalis Ecclesiæ consuetudine, & apertissima etiam ratione fidei ita teneatur, ut de hoc dubitare, non solum sit contentiosum, sed etiam inhumanum. Quid est, quæso, effrons impudentia, si hæc non est? Quàm contumeliosè hic homo de nobis iudicat. Non dubito quidem, quin suis hac audacia & confidentia faciat rem gratissimam, sed cùm non uereatur tam manifesta & luculenta mendacia, nomine Catholicæ Ecclesiæ spargere, certè iudicat nos esse truncos, stipites & caudices, qui non simus eo ingenio, ut uanitatem eius intelligere queamus. Vbi, bone uir, extant Mandata sacræ scripturæ, quibus iubemur Sanctos in cœlo, ut intercessores & mediatores inuocare? Vbi extãt in scriptura eius rei exempla? Profer si quid habes, in medium. Heus tu Sote, Recita nobis è scriptura uel Prophetica, uel Apostolica tale aliquod, uel saltem unum mandatum aut exemplum? Cùm autem hoc facere non possis, quæ est illa tua, nisi hominis longè omnium uanissimi, uociferatio? Scio solere produci quasdam è scriptura uerisimiles rationes, quibus significetur, Sanctos in cœlo pro nobis orare. Scio exempla recitari, quibus probatur uiuentes pro uiuentibus orare, ac inde quoque coniecturam sumi, orare pro uiuentibus, etiam mortuos: non autem hoc nunc agitur, sed illud, num sancti in cœlo sunt, ut intercessores & mediatores nostri, inuocandi? Non de Oratione, uel uiuorum uel mortuorum, sed de Mortuorum hominum, sicut Augustinus loquitur, Inuocatione, Mandata & exempla è scriptura exigimus. Scimus nos habere Mandata & exempla scripturæ, quibus docemur, quòd Vnum Solum DOMINVM Deum nostrum inuocare debeamus, quemadmodum suprà indicatum est. Et extant manifesta scripturæ testimonia, quòd Vnus tantum sit Mediator & intercessor inter Deum & hominem, Iesus Christus DOMINVS noster. Nemo (inquit) uenit ad Patrem, nisi per ME. Et: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Sed nulla nec mandata nec exempla, in uniuersa tam Prophetica quàm Apostolica scriptura extant, quibus doceamur sanctos in cœlo, ut mediatores nostros, inuocandos. Nisi fortè recitetur illud Iacobi Patriarchæ: Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorũ Abraham & Isaac. Et illud Iobis: Ad aliquem sanctorum conuertere. Sed quia Sotus hæc non recitauit, uidetur in ijs non multum spei collocare, & partim inscitia, partim malicia est, hæc scripturæ loca ad stabiliendam Sanctorum Inuocationẽ detorquere, quemadmodum aliás copiosè & perspicuè explicatum est.

Hic uerò habent, Sotus, & reliqui Idolatræ, sua diuerticula. Non adoramus, inquiunt, non inuocamus sanctos, ut deos, sed proximo gradu, ut amicos, ac filios & hæredes Dei. Nec credimus in sanctos. Nec dedica-

mus

mus illis templa. Nec offerimus illis sacrificia. Nec putamus eos cordium scrutatores. Nec adhibemus ipsos ut mediatores, patronos & aduocatos Redemptionis seu expiationis, sed tantum apud Deum intercessionis. Hæc & id genus alia solent Idolatræ uociferari, quibus imperitorum oculos perstringunt, & impietatem suam excusant. Hoc uerè est, quod dici solet, ὑποχάλκου χρυσίου. Aliud uerbis dicitur, aliud factis probatur.

Dicunt se inuocare sanctos, non ut deos, sed ut Dei amicos. At quis ius sit uos inuocare sanctos, ut Dei amicos? Nam hic ipse sanctos inuocandi cultus Idolatricus est, propterea quòd solus Deus sit inuocandus.

Dicunt se inuocare sanctos, non autem credere in sanctos. At Paulus dicit: Quomodo inuocabunt, in quem non credunt? Si ergo non credunt in sanctos, impietas est sanctos inuocare.

Dicunt, non dedicamus sanctis templa. Quid ergo sibi uolunt tot templa in honorem sanctorum excitata? Nónne, inquit Augustinus, si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathemaremur à ueritate Christi & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturæ &c.

Dicunt, se non offerre illis sacrificia. At multò aliud testatur ecclesia eorẽ, qui & Antonio porcos, & Vito gallinas, & alia aliis sanctis dona cumulatim offerre solent.

Dicunt, se non putare sanctos esse cordium scrutatores. Quomodo ergo audient sancti preces uestras, præsertim si eas tacití in corde cogitaueritis? Audiunt, (inquiũt) eas in uerbo. Et sicut Dominus patefecit Elizæo, quid seruus eius Giezi designasset, & Samueli de Saule, ac Antonio de multis rebus: ita solet & sanctis suis in cœlo patefacere, quid in terris agat. Sed quando descendistis de cœlo, ut sciamus uos certi aliquid de hac re in cœlo cognouisse? Aut ubi est sacræ scripturæ testimoniũ? Lego quidẽ exempla, quòd Deus aliqua patefecerit sanctis suis in hac terra, num autem idem faciat sanctis mortuis, & adhuc corpore suo in terra quiescentibus, ante generalẽ resurrectionem, nondum è scriptura probatum est. Lego apud Hieronymũ de sanctis: Sequuntur agnũ quocunq; uadit. Si agnus ubiq;, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubiq; esse credendi sunt. Sed quis nõ uidet manifestum paralogismum? Et pugnat cum hac Hieronymi ratiocinatione Augustini sententia, quam paulò antè recitauimus.

Dicunt se inuocare Sanctos, ut Mediatores, non expiationis, sed intercessionis. Cum hoc autem suffragio pugnat, quod scribit Petrus Longobardus: Oramus, inquiens, ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum suffragentur nobis. Si inuocandi sunt sancti, ut merita eorum suffragentur nobis, certè inuocantur nõ tantum, ut intercessores, uerumetiam ut expiatores & redemptores, si non totales, ut illi loquuntur, certè ut partiales. Quid plura? Omnes ferè cultus, quos Asotici impendunt sanctis in cœlo, testificantur, quòd tribuant eis diuinos honores, & inuocent eos, ut expiatores & redemptores. An non suas singulis penè sanctis tribuunt, aduersus singula morborum genera prærogatiuas? Et quid sibi uolunt Vota illa sanctis exhibita, peregrinationes ad sanctorum statuas, Adorationes statuarum, & infinita id genus alia, quibus reipsa probatur, Asotícos maiorem fiduciam in sanctorum, quàm in Christi filij Dei clementia & misericordia collocare, hoc est, ex sanctis idola facere? Extat publicè Oratio ad sanctum Bartholomæum.

Sancte Bartholomæe, per gratiam quam meruisti, miser & pollutus seruus, sordidissimus peccator, te deprecor, per eum, qui te & socios tuos, non seruos, sed amicos uocauit, ut me TVIS PRECIOSIS MERITIS liberes ab omnibus uersutijs diaboli, & insidijs & terroribus, impugnationibus, & damnatione & illusione uisibilis & inuisibilis hostis, in die furoris DOMINI, & in fine uitæ meæ contra aduersarios meos in adiutorium meum uenias, & binis luminibus suffultum uestigia agni ostendas.

Furorẽ Christi Bartholomeus mitigare debet.

Et alia ad sanctum Christophorum.

Sancte Christophore martyr Christi,
Qui pro Christi nomine pœnas pertulisti.
Opem fer miseris, atq; mundo tristi,
Qui cœlestis luminis regna meruisti.
Christophori sancti speciem quicunq; tuetur,
Illo nempe die nullo languore tenetur.
O martyr Christophore
Pro saluatoris honore
Fac nos mente fore
Dignos deitatis honore:
Et promissione Christi,
Quia quod petis, obtinuisti,
Da populo tristi,
Bona, quæ moriendo petisti.
Confer solamen mentis,
Tolle grauamen Iudicis,
Examen fac mite sit omnibus, Amen.

Sed hæc uidentur planè leuicula, si conferas ad ea, quæ isti Idolatræ tribuunt Beatæ Mariæ uirgini. Etsi enim Maria uirgo, suam in Christo filio eius commendationem habet, tamen nec ipsa agnoscit hypocritarum Idolomaniam, nec uera Ecclesia unquam ei tribuit, quod publicè ab Idolatris auditur.

Ex Antidotario animæ

Vt iam non cõmemorem, quę de ipsa recitantur in publico illo carmine, quod uocant Salue Regina, certè necesse habet audire,

Aduocatrix omnium peccatorum.
Mediatrix Dei & hominum,
Reparatrix debilium, & vulneratæ animæ efficacissima medicina.
Illuminatrix cæcorum, & lucerna salutiferæ gratiæ,
Mater orphanorum
Consolatio desolatorum
Via errantium
Salus & spes in te sperantium.
Fons uitæ & ueniæ:
Fons salutis & gratiæ:
Fons pietatis & indulgentiæ:
Fons consolationis & lætitiæ.

Fons ineuacuabilis misericordiarum & ueniæ, imò IPSA MISERICORDIA ET VENIA, nulli dans repulsam, exauditrix benignissima, hanc orationem supplicem clementer suscipias & exaudias, & VITAM AETERNAM mihi tribuas.

Et ut scias etiam Mariam esse omnipotentem, additur. Scio, quia potes omnia

tes omnia, quæ uis: & Vis omnia, quæ ad humanam spectant salutem.

Sed pergamus. Maria non solum inuocatur, uerumetiam Adoratur, non ipsa tantum, sed & singula membra eius.

O dulcissima, inquiunt, regina mundi, Dei genitrix uirgo Maria. Dignare me laudare, adorare & benedicere tua sacratissima uirginea membra, nectare cœlesti & diuino recolenda. Aue Maria.

Adoro & benedico altissimos pedes tuos, quibus antiqui serpētis cum omnibus pompis eius caput calcasti, & arcem uirtutum uirginitatis prima ascendens, Dominum portantem omnia sine grauamine portare meruisti. Aue Maria.

Et post aliorum membrorum adoratio-
nem, additur & illud.

Adoro & benedico speciosissimos oculos tuos, qui sponsum aduolare fecerunt, quorum uirtus & efficatia tanta existit, ut nequeant æternaliter mori, quoscunque ex ipsis uolueris misericorditer intueri. Aue Maria.

His adorationibus addendum etiam erit Psalterium, quod ab Inuocatione Dei, ad Inuocationem Mariæ tralatum est, cuius & suprà mentionem fecimus. Recitemus ergo unum & alterum Psalmum.

Venite exultemus Dominæ nostræ, iubilemus uirgini Saluatrici nostræ.

Præoccupemus faciem eius in iubilatione, & in canticis collaudemus eam.

Venite ADOREMVS & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Impetra nobis Domina indulgentiam plenam, assiste pro nobis ante tribunal Dei.

Suscipe in fine nostro animas nostras, & introduc nos in requiem tuam.

Et alius Psalmus.

Quare fremuerunt inimici nostri, & aduersum nos meditati sunt inania?

Proteget nos dextera tua Mater Dei, ut acies terribilis confundes & destrues eos.

Venite ad eam omnes, qui laboratis & tribulati estis, & dabit refrigerium, & solatium animabus uestris.

Accedite ad eam in tentationibus uestris, & stabiliet uos serenitas vultus eius.

Benedicite illam in toto corde uestro. Misericordia enim illius plena est terra.

Non libet hic plures Psalmos huius monetæ addere, cùm libellus publicè extet, ne quis existimet nos ficta magis, quàm uera referre.

Fortassis autem reijciet quispiam hanc manifestam Idolomaniam in superstitionem, aut vulgi, aut priuatorum tantum hominum, non in eam Catholicam Ecclesiam, quam Sotus defendendam suscepit. Sed res ipsa aliud testificatur. Primùm enim, si Asotica ecclesia non probat hanc Idolomaniam, quid est, quòd ad eam tanto tempore connitueat? Quid est, quòd quos habent hæreticæ prauitatis inquisitores, ut ipsi loquuntur, non inquisierunt hactenus in tales Idolomanicos libellos, & eos igni, pro more suo, tradiderunt? Quid est, quòd passi sint, ut talibus precationi-

bus, imò impietatibus, præfigerentur nomina Pontificum, qui eas suis indulgentijs populo commendarunt? Si sunt nugæ, cur non ut nugas damnant?

Deinde, si nolunt sibi tantas impietates acceptas ferri, quid est, quòd persequantur omni crudelitatis genere eos, qui has autoritate uerbi Dei reprehendunt & abijciunt? Dicunt se non pios, sed hæreticos persequi. Hæreticos autem iudicant illos, qui hæreses & idolomanias ipsorum impugnant & auersantur. Postremò Sotus ipse haud obscurè significat se eorum esse socium, qui has impietates nõ solum non reprehendendas esse censent, uerùmetiam approbant & defendunt. Dicit. Non adoramus Sanctos, sed Christum in eis. Laudo: Cur ergo suscipis Inuocationem Sanctorum defendendam? Num apud te diuersa sunt, Inuocare & Adorare? Si sunt eadem, certè cùm defendis Inuocationem Sanctorum, defendis etiam Adorationem Sanctorum, & mentiris, cùm dicis, te non adorare Sanctos, cùm tamen eos inuoces.

Si autem sunt diuersa, quid ea inter se commisces? & quid de Adoratione Christi balbutis, cùm nobis nunc sermo sit de Inuocatione Sanctorum?

Dicis: Cùm credimus Sanctos esse Dei coadiutores & cooperatores in opere salutis nostræ, nihil aut Deo aut Christo detrahimus. Cùm ergo uos Asotici creditis Sanctos (loquimur autem nunc de Sanctis in Domino quiescentibus) esse in opere salutis nostræ, Coadiutores & Cooperatores Dei, unde quæso hanc fidem hausistis? Paulus dicit: Fides ex auditu est. Auditus autem per uerbum Dei. Vbi est ergo illud VERBVM DEI, ex quo hanc fidem accepistis? Heus tu Sote, Verbum Dei, testimonium Propheticæ & Apostolicæ scripturæ exigimus, quo probes credendum esse, quòd Sancti in cœlo sint in opere salutis nostræ Coadiutores & Cooperatores Dei. Num Deus tanta est in cœlesti suo regno imbecillitate, ut necesse habeat sibi Sanctos, coadiutores nostræ salutis cooptare? Manifestum quidem est, quòd Deus nulla sua necessitate, sed mera, ad testificandam summam suam erga nos beneuolentiam, gratia, ordinauerit in cœlo Angelos, ut essent administratorij spiritus, qui in ministerium hæredum salutis emittantur, & custodiant nos in omnibus uijs nostris; ac in terra Prophetas, Apostolos, & alios Ecclesiæ ministros, qui sint cooperarij Dei, ut Paulus scribit, per quos uiam salutis discamus, & quorum ministerio spiritus sanctus in nobis sit efficax. sed quòd ordinuerit in cœlo homines, qui, cùm ex hac uita excesserunt, sint Coadiutores & Cooperarij Dei, ad conferendam nobis æternam salutem, hoc demùm Sotus nullo planè uerbi Dei testimonio probare potest. Nam quas sequelas è quibusdam scripturæ dictis fingunt, uanitati suorum autorum sunt relinquendæ. Ponamus autem Deum etiam in cœlo ordinasse Sanctos, qui sint coadiutores & cooperarij ipsius ad nostram salutem, num id circò sunt Inuocandi? Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti, num ergo Euangelion est Inuocandum? Ex uisibilibus huius mundi cognoscũtur inuisibilia Dei, qua cognitione iuuamur ad salutem, nunquid ergo uisibilia, hoc est, cœlum & terra, sol & luna sunt inuocanda? Et iterum: Scimus, inquit Paulus, quòd his qui diligunt Deum OMNIA simul adiumento sunt in bonum. Inuocemus igitur & morbos, & Tyrannos, & carceres, & mortem, quia sunt nobis adiumento in bonum, hoc est, in salutem nostram. Ac rursus: Sacræ literæ (inquit Paulus) posfunt

sunt te eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Procumbamus igitur ante sacra Biblia, & inuocemus ea, ut in nos æternam salutem conferant. Et ad Timotheum suum scribit: Attende, inquiens, tibi & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum SALVVM facies, & eos qui te audiunt. Et ad Paulum ipsum dicit cœleste oraculum: Ad hoc, inquiens, apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum, quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas nunc te mitto, VT CONVERTANTVR à tenebris ad lucem, & A POTESTATE SATANAE ad Deum, ut ACCIPIANT remissionem peccatorum. Procidamus igitur ad pedes Pauli & Timothei adhuc in terra superstitum, ac inuocemus nomina eorum, ut æternam salutem consequamur. Quòd si horrendum est, hominem adhuc in hac terra uiuentem, quantumuis pium & sanctum, in altari collocare, & flexis genibus ante eum procumbere ac dicere: O sancte domine Paule, saluum me fac, & eripe me à tenebris, & à potestate Satanæ, ut habeam remissionem peccatorum. Et tamen hic habet publicum spiritus sancti testimonium, quòd in hoc sit uocatus, ut conuertat homines à tenebris ad Deum, & eripiat eos à potestate Satanæ. Quanto magis horrendum est hunc cultum præstare homini iam ex hac uita egresso, qui nullum prorsus habet testimonium, quòd talia officia in uiuentes conferat, qualia hi qui adhuc in hac terra sunt superstites, in proximos suos, diuina uocatione, conferre solent.

Quòd si Sotus adhuc perrexerit defendere, sanctos in cœlo esse coadiutores Dei in procuranda nostra æterna salute, quid cessamus, ut non baptisemus etiam homines in nomine sanctorum, ac dicamus: Baptiso te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & beatorum Petri ac Pauli, & omnium Sanctorum, ac præcipuè, beatæ Mariæ uirginis? Si autem hoc ferendum non esset, (etiamsi alij aliter iudicant,) quid adhuc Fraterculi insaniunt?

Sed habet Sotus sua, ut sibi uidetur, axiomata, quibus putat se obtinere posse, quòd sancti sint inuocandi. Participes, inquit, effecti sunt Dei. Hoc uerò non axioma, sed ænigma est, ac nihil minus ex eo concludi potest, quàm quòd sancti sint inuocandi. Quid enim est, obsecro, Sancti effecti sunt participes Dei? Non certè dici potest de Natura seu essentia Dei. Vetera illa dicta sunt: Deus non uenit in aliorum compositionem: Et: Deus dicitur esse omnium, non per essentiam, sed effectiuè. Et: Natura diuina est incommunicabilis. Quod enim Petrus ait: Nos fieri diuinæ naturæ κοινωνοὺς, hoc est, consortes, non sentit nos essentia fieri deos, sed participes fieri donorum Dei, ac Deum habere suam iusticiam, fœlicitatem & beatitudinem nobiscum communem. Quid igitur dicemus? Num quia sancti participes facti sunt Dei, idcircò sunt inuocandi? Rectè hoc sequeretur, si Deus ita transtulisset suam potestatem ad sanctos, seu ita communicasset eam cum sanctis, ut sancti facti essent essentia sua dij. Sed hæc sententia manifesta est impietas. Si autem intelligimus Sanctos esse participes Dei, quòd ornentur donis Dei, & quòd Deus habeat cum ipsis suam iusticiam & fœlicitatem cõmunem, propter Christum filium suum, in quem credunt, num idcircò sancti sunt inuocandi? Cur ergo non inuocamus eos, cùm adhuc in hac uita sunt superstites, quandoquidẽ non fiunt tum primùm participes Dei, cùm ex hac uita excedunt, sed cùm in hac uita incipiunt in Christum filium Dei credere?

Quotquot, inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomen eius. Et iterum: Nunc filij Dei sumus. Quod & tum primùm, non in nobis tantùm, qui nunc sumus in hac uita superstites, uerumetiam in ijs, qui ante nos ex hac uita excesserunt, patefiet, cùm filius Dei apparuerit, & rapiet nos secum ad accipiendam perpetuam fœlicitatem. Quare, si Sancti idcircò inuocādi sunt, quòd sint effecti participes Dei, non inuocandi sunt tantùm mortui, uerumetiam uiuentes, & instituendæ erunt nouæ Litaniæ, ut quemadmodum recitatur publicè Catalogus mortuorum, ita colligatur è collegijs sacrificulorum, & monasterijs Nonnorum ac Nonnarum catalogus Pontificum & Fraterculorum ac Sororum adhuc in his terris uiuentium, quos colamus & inuocemus, & quorum meritis confidamus nos æternam salutem consecuturos.

Affirmat Sotus & illud, quòd per Sanctorum Inuocationem, nihil detrahatur illi salutis nostræ spei, quæ in solo Deo, tanquàm primo autore, per filium eius Iesum Christum, tanquàm unum sufficientem mediatorem, sita est.

Et huc pertinet etiam Scoria illa, quam Sotus Confessioni Principis adiecit. Cùm enim Confessio Principis dicat: Omnem spem salutis nostræ collocandam esse non in Sanctis, sed in Solo DOMINO Deo nostro, per filium eius Iesum Christum, hic uocabulo, (SOLO) addit Sotus, SOLO (inquam) sed non solitario. Et sequitur (libet enim totum locum recitare.) Nulli (inquiens) fidimus, quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs, quæ ab eo uirtutem cooperandi salutem nostram habent, quo multum tribuimus Deo & Christo, ut scilicet per infirma sua membra operetur etiam nonnunquàm maiora, quàm per se. Hactenus Asotus.

Etsi autē de impietate huius loci prolixè diximus in prima huius Apologiæ pericopa, tamen & nunc quædam dicenda sunt, ut patefacta Fraterculorum impietate, sciamus, quæ sit ecclesia malignantium, & quam Ecclesiam detestari ac fugere debeamus. Credo igitur Sotum hanc subtilitatem de Solo, & Solitario didicisse è suo Thoma, qui recitat dictum Hilarij è quarto libro de Trinitate. Nobis (inquit Hilarius) neque solitarius, neque diuersus Deus confitendus. Quod autem Hilarius piè dixit de Trinitate, Tantum enim unus solus est Deus, non autem solitarius, quia & pater est Deus, & filius est Deus, & spiritus sanctus est Deus, hoc Asotus impiè ad sanctos & cooperationem eorum accommodat. Sicut enim Solus, ita & solitarius Deus pater, filius & spiritus sanctus operatur salutem nostram, nulla prorsus creatura in societatem assumpta, nisi homine illo, quo cum filius Dei in unitate personæ coniunctus est. Reliqui autem omnes homines, quantumuis sancti, siue in terra, siue in cœlo, quemadmodum non sunt Deus ipse, nec sunt assumpti in eandem cum Deo personam, ita non sunt uel primi, uel secundi, uel tertij salutis nostræ autores, ideoq; neque inuocandi, neque spes in eis collocanda. Et tamen Asotus tam perfrictæ est & impudentiæ, & impietatis, aut audeat palàm rationem fidei & spei de æterna nostra salute ita partiri, ut non tantum Deo, uerumetiam ijs qui ab eo, (ut ipse loquitur) uirtutem cooperandi salutem nostram habent, hoc est, Sanctis, & Meritis eorum, fidere debeamus.

Quæso igitur te, amicissime mi Lector, an non perspicuum est, Sotum reijciendum esse in Catalogum Ethnicorum, aut ad minimùm, fanaticorum, quòd præ furore animi nesciat quid loquatur? Nunc enim dicit:

dicit: Non credimus in sanctos, sed in solum Deum. Si autem reuertaris ad proximam paginã, aperte dicit: Nulli fidimus quæ salutis nostræ sunt, nisi DEO, & ijs, quæ ab eo uirtutem operandi habent. Per hæc autem intelligit, (sicut aliâs probatur) Sanctos & Merita eorum.

Hoc uere est, non diuino, sed fanatico, non cœlesti, sed dæmoniaco spiritu agi.

Interea autem solatur se alio prætextu, Multum (inquiens) tribuimus Deo & Christo.

At enim, bone scilicet uir, non multum, sed omnia, OMNIA, inquam, tribuenda sunt Deo & Christo filio eius, ac spiritui sancto. OMNIA, inquit, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et: Ex illo, per illum, & in illum OMNIA.

Quòd uerò addit, Deum operari nonnunquam maiora, per infima sua membra, quàm per se, aut extrema est blasphemia, aut summa insciția. Legit apud Ioannem dictum Christi: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. His uerbis Christus loquitur de suo & Apostolorum ministerio, quòd Christus, cùm adhuc uitam in his terris ageret, & externo ministerio fungeretur inter Iudæos, (unde & Paulus uocat eum Ministrum Circumcisionis) ediderit quidem multa & magna miracula. Apostoli autem, & collegæ eorum, edituri essent ministerio suo maiora miracula. Christus enim concionatus est Euangelion suum inter paucos Iudæos, & paucos quoq; cõuertit ad ueram religionem, ac quos conuerterat, hi offensi cruce sua, iterum deficiebant. Apostoli autem concionati sunt Euangelion Christi inter omnes gentes, & conuerterunt ad ueram religionem innumeros populos, quorũ multi Euangelion ita agnouerunt, ut maluerint discerpi, quàm abnegare. Hæc sunt maiora illa, quæ Apostoli, quàm quæ Christus egerat. Et tamen si Maiestatẽ & Autoritatem respexeris, non sunt Apostolorum, sed solius Christi maiestate & autoritate gesta. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Et: Neque qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Si ergo Sotus commemoratione huius dicti sentit Christum maiorem autoritatem & sublimiorem maiestatem conferre nonnunquàm in Sanctos, qui sunt in cœlo, quàm ipse habeat, furiosa est blasphemia. Et si sentit, Sanctos edere aliquoties maiora miracula, quàm Christus per se, sua autoritate & maiestate, aperta est insania. Quod enim maius miraculum est creatione & conseruatione cœli & terræ? Quod maius est miraculum Redemptione humani generis à morte & inferno? Et hęc miracula Christus per se, sua ipsius potentia & maiestate operatur. Si autem Sotus sentit sanctos aliquoties in his terris maiora edere miracula, quàm Christus ipse coràm ministerio suo, quemadmodum paulò antè exposuimus, ediderit, magna est hominis insciția & incogitantia, quòd dictum Christi tam impertinenter alleget. Quid enim ad Sanctorum inuocationem, quòd Petrus plures ministerio suo conuerterit ad fidem, quàm Christus suo ministerio? Nam si hac ratione stabilitur Sanctorum inuocatio, certè Petrus magis inuocandus erit, quàm Christus ipse. Quæ est hæc absurditas, quæ insulsitas? Sciamus igitur, quòd quæ Christus miracula siue maiora, siue minora, per Sanctos, uel mortuos, uel adhuc in his terris uiuẽtes operatur, ea non operetur, ut ipsi glorificentur, sed ut Deus glorificetur, nec ut ipsi inuocentur, sed ut Deus inuocetur. In libris Regum proijciuntur exuuiæ hominis mortui in sepulchrum Elizæi, & ecce rem mi-

randam. Cùm mortuus tetigisset ossa Elizæi, reuixit, & stetit super pedes suos. Num hoc miraculum editum est, ut Elizeus inuocetur, & tanquam auxiliator in necessitatibus, atq; resuscitator mortuorum colatur? Nihil certè minus, Sed ut ueritas uaticiniorum, quæ Elizæus adhuc in hac uita superstes, è spiritu Dei adnunciauerat, confirmetur, & Deus ipse inuocetur & colatur. Faciunt miracula martyres, inquit Augustinus, uel potius Deus, uel orantibus, uel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos esse nostros, sed unum Deum nobiscum habere credamus.

Dubitat Augustinus, nũ sancti orent & cooperentur.

Quæ cùm ita se habeant, exponamus nunc, quantum detrahatur Christo, & spei salutis nostræ, cùm Sancti in cœlo habentur coadiutores Dei in confer nda nobis salute, & singulari cultu inuocantur.

Primùm, non est, nisi apud hypocritas & impios, dubium, quin spiritus sanctus tradiderit nobis clarè & perspicuè in scriptura Prophetica & Apostolica, omnia ea, quæ nobis ad æternam nostram salutem cognitu necessaria sunt, quemadmodum aliâs copiosiùs exposuimus. Manifestũ autem est, quòd in hac scriptura nullum prorsus extet testimonium, quo probetur, quòd Deus uel cooptauerit sibi in coadiutores æternæ nostræ salutis sanctos in cœlo, uel iusserit nos uiuentes, inuocare mortuos, tanquàm auxiliatores & mediatores nostros: sed manifestũ potius est, quòd Spiritus sanctus reprehendat eos, qui petant auxilium à mortuis. Nunquid non populus, (inquit Esaias) à Deo suo requiret uisionem? Pro uiuis ne ad mortuos? Succensent quidem nobis Sotus & Fraterculi eius ex Hieronymo, quòd Sanctos uocemus homines mortuos, sed liceat nobis pace eorum lingua Spiritus sancti uti. Mortui, inquit, in Christo, resurgent primum. Et: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Nec sit nobis fraudi, si eos, quorum spiritus cum Christo esse speramus, uocemus, ad imitationem Augustini, homines mortuos, qui sibi ita loqui permisit: Nos martyribus (inquiens) nostris, non templa, sicut dijs, sed memorias, sicut HOMINIBVS MORTVIS, quorum apud Deum uiuunt spiritus fabricamus. Cùm igitur Spiritus sanctus nullam dederit in Sacra scriptura significationem, quòd uel Deus cooptauerit sibi homines mortuos in collegas procurandæ nostræ æternæ salutis, uel homines mortui sint inuocandi, contumeliosus est in Spiritum sanctum, quisquis docet & exigit, tanquam Ecclesiæ necessariam aut utilem, mortuorum inuocationem, propterea quòd hoc ipso arguat eum seu incuriæ & oscitantiæ, seu odij & inuidentiæ, qui Ecclesiæ rem tam utilem & necessariam, in sacris suis literis non patefecerit. Itaq; detrahitur ei maiestas tam prouidentiæ, quàm bonitatis. Nam de uniuersali Ecclesiæ cõsensu, quam Sotus iactat, paulò pòst dicemus.

Deinde, doctrina Fraterculorum de mortuorum inuocatione detrahit suam Passioni & morti Christi maiestatem, & corrumpit, ac pudefacit spem nostram, de æterna nostra salute. Qui enim iubent nos inuocare Sanctos mortuos, sentiunt tanta esse merita eorum apud Deum, ut debeamus remissionem peccatorum, & æternam salutem sperare, non tantum propter Passionem & mortem Christi, uerumetiam propter merita Sanctorum.

Etsi autem Sotus uidetur hanc sententiam non solùm affirmare, sed etiam propugnare, & existimo Fraterculos eius haud quaquàm negare, tamen ne quis cogitet, quòd tribuamus eis sententiam, à qua abhorreant, non pigebit uerba eorum adscribere.

Licet,

Licet,(inquiunt) Christi Passio sit principale meritum, propter quod confertur gratia,apertio regni,& gloria, nunquàm tamen est SOLA & TOTALIS causa meritoria,quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio,tanquam meritum de congruo uel de condigno recipiẽtis gratiam uel gloriam,si fuerit adultus rationis usum habens, aut alterius pro eo,si caret rationis usu. Et iterum: Quamuis ablatio obstaculi,est remissio peccati, tam originalis quàm actualis, apertio regni est collatio gloriæ,ad utrumq; tamen(licet minus principaliter respectu meriti Christi)aliquod meritum Patrum cooperabatur, quo meruerunt remissionẽ peccatorum de congruo,& apertionem regni de condigno,sine quo nec peccatum fuisset remissum,nec regnum apertum, &c. Ac rursus. *Gab. Biel in 3.sentẽ.d. 19.*

Cum merito Christi tanquam principali, semper cooperatum est meritum electorum de lege communi &c.

Habes quo honore colluuies Fraterculorum celebret Passionem Christi.Sentiunt eam,principale quidem,non autem solum,nec totale meritũ esse remissionis peccatorum,& æternæ uitæ,sed ut perficiatur, necesse est accedere meritum Sanctorum.Quid autem hoc aliud est,quàm aperta cõtumelia in sanguinem Christi,& blasphemia in beneficium mortis eius? Si enim mors Christi non est nec sola, nec tota causa meritoria nostræ salutis,quid est,quod Christus apud Prophetam dicit: Torcular calcaui SOLVS,& de gentibus non est uir mecum? Et ad Apostolos suos:Instat tẽpus,& iam uenit,ut dispergamini unusquisq; in sua,méq; SOLVM relinquatis? Quibus dictis testificatur, se solum esse illũ, qui peccata nostra coram Patre suo expiet,nec habeat ullum in eo officio hominem, quantumuis sanctum,collegam & adiutorem.

Et in Epistola ad Hebræos:Christus,(inquit)per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta,æterna redemptione reperta. Ac iterum: Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos,qui sanctificantur. Si oblatio eius non est totalis causa meritoria nostræ salutis,quomodo perfectè & perpetuò liberauit eos,qui sanctificantur,hoc est, qui ipsum per fidem agnoscunt?

Et quæ essent Sanctorum merita,cùm & opera eorum sint immunda, & necesse habeant de suis operibus clamare,Non intres in iudicium cum seruo tuo,quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Augustinus dicit:Ipsa nostra iusticia,etiamsi uera sit,propter ueri boni finem,ad quem refertur, tamen tanta est in hac uita,ut potius PECCATORVM REMISSIONE constet,quàm perfectione uirtutum.De quo argumento,quoniam antea multa dicta sunt, superuacaneum est nunc copiosius dicere.Cùm igitur Fraterculi docent Sanctos esse inuocandos fiducia meritorum eorum,tantum detrahunt (detrahunt autem dimidiam ferè,aut tertiam partem.Nam & illud dicere solent:Passionem Christi non esse totalem,sed PARTIALEM causam redemptionis)meritis Christi, quantum meritis Sanctorum tribuunt,& tantum fallunt ac pudefaciunt spem salutis nostræ,quantum sordium in omnibus hominum, quamuis Sanctorum,operibus,coram seuero Iudicio Dei inuenitur.

Quid,quòd hac doctrina transformant Regnum Christi, in regnum mundanum? Fingunt enim,quòd quemadmodum in aula mundani regis,non patet cuiuis aditus ad Regem, præsertim iratum, nisi præcipuis Principibus,aut cognatis ac optimè de rege meritis,quorum intercessione necesse habeat uti is,qui causam suam irato regi exponere,& beneficiũ

impetrare uoluerit: ita Christus sit in cœlesti regno, tanquam Rex iratus, qui gestet manu sua letifera iacula, quæ emittat in sceleratos homines, nec possit placari nisi interuentu Beatæ Mariæ uirginis, quæ obijciat iaculis pallium suum, & reliquorum Sanctorum, qui ostentent irato Christo, aut capita sua propter ipsum desecta, aut uulnera sua propter confessionem nominis eius excepta. Sed hæc somnia iamdudum reiecit etiam Ambrosius, quod & Confessio Principis recitauit. Solent (inquiens) pudorem passi, neglecti Dei misera uti excusatione, dicentes se per istos posse ire ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad regem. Scribit quidem Sotus in scorijs suis, Ambrosium aduersus eos loqui, qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: cùm autem hypocritæ, eandem in inuocandis Sanctis impietatē designent, manifestum est, quòd & ipsos Ambrosius refutet.

Ac profectò hæc Fraterculorum somnia non tam in Regnum Christi cœleste, quàm in regem ipsum Christum sunt contumelioſa. Christus enim ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Dei Patris sui, non ut iraſcat, sed ut faueat, non ut cònijciat in Ecclesiam suam mortifera iacula, sed ut eos, qui morti sunt obnoxij, seruet, non ut alios instituat intercessores, sed ut ipse intercedat pro nobis. Quis est (inquit Paulus) qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexterā Dei, qui & INTERCEDIT pro nobis. Et Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. Et Augustinus: Clama, (inquit) aduocatum habemus apud Deum. Videte ipsum Ioannem, seruantem humilitatem, Certè tūr iustus erat, & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat. Ille, ille qui bibendo de pectore Domini diuinitatem ructauit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, ille talis uir non dixit, Aduocatum HABETIS apud Patrem, sed, si quis peccauerit, aduocatum, inquit, HABEMVS, non dixit, HABETIS: nec ME habetis dixit, nec ipsum Christum HABETIS dixit, sed & Christum posuit, non se, & HABEMVS dixit, non HABETIS. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. Fratres, Iesum Christum iustum ipsum habemus aduocatum ad Patrem, ipse propiciatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit: hoc qui tenuit, schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cùm dicunt homines, nos iusti sumus, cùm dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Hactenus Augustinus. Etsi autem in præsentia loquitur de sanctis adhuc in hac uita superstitibus, tamen manifestè testatur, hæreses & schismata istic oriri, ubi pro Aduocato Christo, homines, siue illi uiuentes, siue mortui, Aduocati, Sanctificatores, Iustificatores, & Impetratores, quod Asoticis solenne est, substituuntur. Quare, quantum Asotici tribuunt Sanctorum suorum inuocationi, tantum detrahunt intercessioni Christi, & maiestati regni eius.

Postremò, postquam cultus inuocationis Sanctorum non potest nec Prophetica nec Apostolica scriptura probari, dubium non est, quin pertineat ad catalogum humanarum traditionum. Ea autem conditione sunt humanæ traditiones, ut teste Christo ipso, non solum sint irritus Dei cultus, uerumetiam obscurent diuina præcepta, & sint plantatio eradicāda. Frustra, inquit, colunt me, docētes doctrinas, præcepta hominum.

Et

Et: Vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram. Præceptum autem Dei est, Vnum solum Deum Patrem per Christum filium suum, in Spiritu sancto inuocandum. Quantum igitur Asotici urgent & exigunt Inuocationem Sanctorum suorum, tantum non solum obscurant præceptum, de inuocatione Dei, uerum etiam præuaricari faciunt, ut homines omissa inuocatione Dei, quæ necessaria est, solos Sanctos inuocent, ac salutem suam solis, aut maximè omnium, sanctis commendent. Habes, quantum & Christo, & spei salutis nostræ, quæ in solo Deo collocanda est, per inuocationem Sanctorum detrahatur.

Hactenus demonstrauimus Inuocationem, quam ita uocant, Sanctorum, non solum non esse Verbo Domini stabilitam, uerumetiam cum eo pugnare. Nunc igitur pergamus huc conferre consuetudinem Ecclesiæ, & rationem fidei. Vociferatur enim Sotus nomine catholicæ suæ Ecclesiæ, quòd teneant Sanctos meritò esse inuocandos, & intercessores ac mediatores nostros apud Deum adhibendos, idq; exemplis & mãdatis scripturæ & uniuersalis Ecclesiæ consuetudine, & apertissima etiam (sic enim loquitur) ratione fidei. Ac primum quidem illud, de exemplis & mandatis scripturæ, manifestè falsum esse ostendimus. Neque enim potest ullum uel mandatum, uel exemplum scripturæ recitari, quo probetur, Sanctos in cœlo, esse inuocandos. Quod cùm Sotus uanissimè iactauerit, uanissimum erit & illud, quod de apertissima fidei suæ (de consuetudine enim Ecclesiæ mox) ratione affirmat. Quæ enim potest esse uera fidei ratio absque mandato & exemplo scripturæ? Certè scriptura Prophetica & Apostolica est oraculum Spiritus sancti, quo nobis uerbum Dei ita cognoscendum proponitur, ut ne Angelus quidem audiendus sit, qui exigat, quod cum hoc uerbo pugnat. Vbi ergo non est Verbum Dei, quam mihi fidei rationem finges? Fides enim ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Solent quidem hypocritæ nobis pro fidei suæ ratione obtrudere, quod ipsi somniãt. Sed aliud est cœlestis fides, aliud humanum somnium: ac illa quidem autorem habet Spiritum sanctum, & organon ac testimonium uerbi Dei, hòc autem autorem habere solet figmenta carnis, & uanas hominum traditiones. Cùm igitur Sotus non habeat patrocinium suæ Sanctorum inuocationis, nec ex mandatis, nec exemplis sacræ scripturæ, frustra gloriatur de fidei suæ ratione.

De uniuersalis autem Ecclesiæ consuetudine, quam & ipsam iactat Asotus, facilè responderi potest. Primùm enim manifestum est, quòd uetus Ecclesia, quæ fuit ab initio conditi orbis, ante natum Christum, non inuocauerit Sanctos mortuos, annis penè quatuor millibus. Ac recitant etiam Asotici ipsi causam, quòd olim in ueteri Testamento non inuocauerint Sanctos, quia aiunt Patriarchas non rectà in cœlum ascendisse, sed ad limbum, nescio quem, descendisse, donec ex eo per Christum sint liberati.

Deinde manifestum & illud est, quòd post natum Christũ nec Apostolorum temporibus, nec annis pòst plusquàm trecentis, inuocati sint sancti mortui, in Ecclesia. Video Basilium Cæsariensem facere mentionem Inuocationis Martyrum, non autem uideo, quæ uel maiorum suorũ, uel Sacrę scripturæ habeat huius inuocationis testes. Et apparet eam à Rhetorica Apostropha, aut Prosopopœia initio exortam, postea superstitione uulgi auctam, & propagatam fuisse. Quis autem diceret, eum esse uerum Catholicæ Ecclesiæ consensum, qui nullum habet prorsus te-

ſtimonium uel Prophetícæ & Apoſtolicæ ſcripturæ, uel ueteris & purioris Eccleſiæ.

Poſtremò, produxerint ſanè Aſotici nonnulla uetuſtæ conſuetudinis de Sanctorum ſuorum Inuocatione exempla, quid probabunt? Priuata exempla non faciunt generalem regulam. Et non eſt obſcurum, quo loco habenda ſit conſuetudo, quæ cum uerbo Dei pugnat. Quare ſicut Sotus non habet ſuæ Idolomaniæ teſtimonia è Sacris literis, ita non habet patrocinium eius ex uulgari Eccleſiæ ſuæ conſuetudine.

Sed ne uideatur fruſtra de hac conſuetudine gloriari, recitat Catalogum, non quidem teſtimoniorum è ſcriptura Prophetica & Apoſtolica, ſed Eccleſiaſticorum ſcriptorum, quí Sanctorum honorí ſubueniant & opitulentur. Omnino enim iuſtum eſt, ut cum Sancti in cœlo opem ferant neceſsitati uiuentium in terra, hi uiciſsim maieſtati illorum ſuccurrant in cœlo, ne noui Vigilantij plus nimio uigiles, oſcitantes eos & dormitantes opprímant.

Miror autem, quòd uiſum fuerit ei in prima acie huius pugnæ collocare Damaſcenum ſcriptorem non admodum uetuſtum, cùm nos uetuſtioris illius, hoc eſt, Apoſtolicæ, non huius recentioris Eccleſiæ teſtimonia de Sanctorum Inuocatione requiramus. Ac agnoſcimus quidem encomion, quod Damaſcenus de ſanctis Dei, è Sacra ſcriptura recitat, ſed tali encomio ornauit eos Spiritus ſanctus, etiam cùm adhuc in his terris uitam agerent. Et tamen non licebat tunc ex Catalogo nominum eorum Litaniam facere, & eos inuocare. Licebat quidem eos admonere, ut iuuarent proximos ſuos precibus, propterea quòd erant adhuc imbecillitate carnis, quæ eget admonitione, grauati. Nunc autem ne admonitione quidem egent, quòd imbecillitatem carnis abiecerint: nec Deus ſit tam obliuioſus, ut exciderit ei precatio eorum, quam in hoc ſeculo pro Eccleſia coram ipſo effuderunt: nec precatio fuerit tam ignaua & frigida, ut non adhuc hodieq; in auribus Dei ſonet. Agnoſcimus etiam, quòd Sancti Dei ſint honorandi, non autem honorandi ſunt INVOCATIONE, qui eſt cultus ſoli Deo tribuendus, ſed gratiarum actione, congratulatione, & imitatione. Agendæ enim ſunt gratiæ Deo, quòd ſit tanta erga humanum genus clementia, ut cùm potuiſſet omnes homines propter peccatum in extremam perniciem abijcere, maluerit ſibi tot uaſa miſericordiæ ſeligere, & tantam Sanctorum Eccleſiam ex uniuerſo mundo colligere, quàm ad interitum totius humani generis conniuere. Agendæ (inquam) ſunt gratiæ Deo, quòd tot exemplis propoſuerit nobis miſericordiam ſuam cognoſcendã. Certus, inquit Paulus, ſermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus uenit in hunc mũdum, ut peccatores ſaluos faceret, quorum primus ſum ego. Verùm ideo miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam, AD EXPRIMENDVM EXEMPLARIS, quí credituri eſſent in ipſo, in uitam æternã. Deinde Sancti honorandi ſunt cõgratulatione. Charitas, inquit Paulus, congaudet ueritati. Cùm igitur ſancti in cœlo, uerè ſunt cum Chriſto filio Dei, ut reipſa uideant, & conſequantur, quæ crediderunt, meritò congratulandum eſt eis, tam ipſorum, quàm noſtri cauſa, quòd nos eandem quoque fœlicitatem propter Chriſtum, in quem credimus, ſperemus. Quid autem de Imitationis honore dicam? Certè non poteſt eis gratior honor contingere, quàm ſi exẽplo ipſorum cõuertamur ad Deum, credamus in Chriſtum,

&

& imitemur fructus uerę pœnitentiæ, quos ipsi in his terris protulerunt. Imitatores, inquit Paulus, mei estote, sicut & ego Christi. Nõ dicit, Inuocatores mei estote, sed Imitatores, uidelicet significans, Sanctos tunc rectè honorari, cùm exempla pietatis eorum, quam non inuocandis Sanctis mortuis, sed inuocando Deo uiuente, testati sunt, imitemur.

Recitantur & aliàs miracula, quæ ad sepulchra Martyrum edita esse dicuntur. Quę si uera & diuina sunt, non certè probant Martyres esse, ut aduocatos nostros, colendos & inuocandos, sed solum eum Deum, de quo sanguis Martyrum testificatus est, colendum, & in omnibus aduersis inuocandum.

Quod enim Ioannes Baptista in his terris de filio Dei clamauit, hoc idem omnes sancti in cœlis, iuxta suum modum semper uociferantur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. (hoc est) Quid, obsecro, spei in nobis collocatis? quid auxilij inuocatione nominis nostri à nobis expectatis? Ecce hunc Iesum Christum agnoscite pro expiatore & propiciatore peccatorum uestrorum. Ecce hunc agnoscite pro Intercessore & Mediatore ac redemptore uestro, propter quem solum, si in eum crediderítis, & Patrem in nomine eius inuocaueritis, accipietis remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hãc seu increpationem, seu cohortationem, si secuti fuerimus, sentient sancti in cœlis se à nobis insigni honore affectos. Et si alium cum hoc pugnantem requirunt, non iam ut sancti colendi, sed ut dæmones abominandi sunt, & detestandi.

Quod Asotus recitat ex Cypriano de cæde Innocentum, sciamus, nõdum certum esse, quòd ea cõcio sit Cypriani. Manifestum enim est, quòd stilus eius concionis, à phrasi Cypriani discrepet. Deinde nihil ibi dicitur de Inuocatione, sed tantum de Oratione Innocentum. Confessio autem Principis, non negat, quin Sancti in cœlo orent pro nobis, suo quodam & cœlesti modo, negat autem sanctos esse à nobis inuocandos.

Hieronymus in hoc capite multus est in ore Asoti, ac præsertim scriptum eius aduersus Vigilantium sæpe in medium producitur. Primùm, non est eruditis & pijs ignotum, aliquam quidem autoritatem esse Hieronymi, in Ecclesia Domini, non autem supra aut contra scripturam sacram, quæ est oraculum Spiritus sancti. Nam quibus testimonijs scriptorum Ecclesiasticorum Confessio Principis utitur, non eò utitur, ut significet se fiduciam suam in illorum autoritate collocare, sed postquàm sententiam suam stabiliuit autoritate Sacræ scripturæ, recensét testimonia scriptorum, ut doceat filium Dei semper habere suos, si non omnes homines, certè aliquos, qui ueritatem doctrinæ suæ agnoscant & testificentur, hoc est, filium Dei semper sibi septem sua millia reseruare, qui non curuent genua ante Baal.

Sotus autem & collegæ eius, cùm suscipiunt falsa & impia dogmata tuenda, & si solent aliquoties & ipsi uerba Sacræ scripturæ commemorare, tamen & inflectunt ac detorquent ea ad suam impietatem, & maximè omnium appellant ad autoritatem uel humanarũ traditionum, uel quorundam Ecclesiasticorum scriptorum, quam uociferantur esse consensum uniuersalis seu catholicę Ecclesiæ. Sed quanti hoc sit momenti, sæpe iam & multum est explicatum.

Præterea, in præsenti capite exigimus testimõnia, quemadmodum sæpenumero dictum est, non quæ probent, Sanctos in cœlo pro nobis orare, sed Sanctos à nobis esse inuocandos. Hieronymus autem

nonnihil quidem dicit de Sanctorum Oratione, non autē iubet nos Sanctos inuocare. Et si iuberet, eadem facilitate contemnendum esset, qua ille diceret. Sed ut dicam, quod res est, quæso te, Sote, si uolueris nomini Hieronymiano consulere, non multum ostentes scriptum Hieronymi aduersus Vigilantium. Ignotum non est, quibus aniculis & hypocritis Hieronymus exhibeat se in talibus argumētis conducticium rhetorem.

Nec libet in præsentia excutere, quanta contumelia Hieronymus in eo scripto coniugium afficiat, quàm ineptis scommatis honesto uiro indignis ludat, quàm uirulenta maledicentia in aduersarium inuehatur, quàm securē testimonia Sacræ scripturæ detorqueat, denique quàm secum ipse pugnantia scribat. Equidem, quod in me est, Hieronymum, cuius scripta amo, non abijcio extra cœtum ueræ Ecclesiæ, ac spero imbecillitates eius per Christum ipsi condonatas, eumque nunc cum filio Dei fœliciter uiuere. Sed quid faciam? Sotus obtrudit nobis illud Hieronymi scriptum, quod potius inter Apocrypha reponendum esset, quàm ad dogmatum probationem publicē proferendum.

Non igitur debet nobis fraudi esse, quòd sententiam nostram, de eo homine, in cuius nomen non sumus baptisati, nec in cuius uerba sumus iurati, liberè dicamus.

Sed Bernhardus, quem & ipsum allegat Sotus, non solum affirmat Sanctos pro nobis orare, uerumetiam hortatur nos, ut oremus eos, ut reddant nobis propicium amicum suum iudicem nostrum. Ego uerò iuuabo etiam Sotum recitatione talium testimoniorum, tantum abest, ut negem ea extare. Gregorius enim Nazianzenus, qui est Bernhardo longè uetustior, solet ferè funebres suas conciones talibus cohortationibus concludere.

In ea concione, quam habuit de Basilio Magno, non tantum uertit se alloquio suo ad Basilium, iam in Christo quiescentem, uerumetiam petit intercessione eius iuuari. Tu, inquiens, sacrum ac diuinum caput respice nos ex alto, & stimulum carnis, qui nobis à Deo, in pædagogian nostram datus est, aut siste tuis intercessionibus, aut impetra, ut fortiter feramus, & omnem uitam nostram deduc ad id, quod est utilissimum. Si autem hinc transmigrauerimus, excipito nos & illic in tua tabernacula. Et ad Athanasium. Tu (inquiens) è supernis nos respice propicius, & populum hunc sanctum dirige, Sanctæ Trinitatis adoratorem, quæ in Patre Filio & Spiritu sancto uidetur & colitur, & nos, siquidem tranquillè agitur, conserua & compasce: si autem hostiliter, abducito nos, & suscipito, ac statuito nos tecum, & cum ijs omnibus, qui sunt tales, qualis tu es. Et ad Cyprianum. Tu nos, inquiens, ex alto respice, nostrumq; sermonem ac uitam dirige, & sanctum hoc ouile pasce, aut unà rege, ac reliqua, quantum possibile est, ad meliora dispone, molestosq; lupos, syllabarum & uerborum uenatores illos abige, ac Sanctæ Trinitatis, cui nunc astas, splendorem nobis perfectiorem & clariorem gratificare &c. Habes Sote multo illustriora & uetustiora testimonia Inuocationis Sanctorum, quàm tu recitaueris. Quid ergo nunc dicemus? An nō hæ sunt satis euidentes probationes? Ac profectò exempla tantorum uirorum non sunt temerè contemnenda. Sed maior est scripturæ quàm hominum autoritas. Hi inuocant Sanctos in cœlo. Quo autem id scripturæ testimonio, quo exemplo faciunt? Non iam mihi illud occinas, fuisse illos homines pios, doctos, eloquētes, & Spiritu sancto afflatos, addo etiā

miraculis

miraculis insignes. Nam & pij habent suas imbecillitates: & docti ac eloquentes non carent omni ruditate: & præditi spiritu sancto, non semper ductum spiritus sancti sequuntur, & miraculis ornati aliquoties audiunt: Non noui uos. Hîc cùm cupimus bonis & eloquentibus uiris nostram charitatẽ probare, & incommoda eorum dicta tropis aut schematis, quibus eloquentes uti solent, uidelicet Apostropha aut Prosopopœia, aut etiam Hyperbola, explicare, non permittit nobis hoc officium Sotus, sed uociferatur: Nec est uerum, inquiens, scriptores ueteres errasse, quum oratione ad Sanctos se conuerterent aut per Prosopopœian finxisse personam, cui loquerentur, sed reuera ipsos præsentes suis precibus cognouerunt, &c. Verax igitur homo Sotus arguit nos mendacij. Cùm autem expectamus causas, cur audeat tanta impudentia nos mendacij arguere, inhalat nobis iterum paralogismum Hieronymi, quòd cùm Agnus sit ubique præsens, sint & sancti, qui cum agno uadunt, quocunq; ierit, ubique præsentes. Et cùm Confessio Principis fecisset mentionem Glosæ ordinariæ, citantis Augustinum, quòd mortui, etiam sancti, nesciant, quid agãt uiui, Sotus iterum insimulat nos mendacij, ac negat tale quid in suis exemplaribus haberi. Interea locum Esaię, qui dicit: Abraham nescire nos, & Israelem ignorare nos, tergiuersatione sua ita obscurat, ut nescias quid balbutiat. Quod igitur ad Glosam Ordinariam attinet, cuius autorem esse aiunt Petrum Longobardum, & si ea non est apud nos tanti momenti, ut autoritatem eius, absq; sacræ scripturę autoritate agnoscamus, & minutius est, quàm ut operæprecium sit refutare, tamen uisum est Soto, ne sibi in sua uel oscitantia, uel inscitia applaudat, paucis respondere, q̃ quæ uerba Confessio Principis ex Glosa Ordinaria recitat, contineantur in Glosa interlineari, quæ Ordinariæ adiuncta est. Nos autem homines Soticarum subtilitatum imperiti, existimauimus licere nobis συνεκδοχικῶς, nomine Ordinariæ Glosæ intelligere etiam Interlinearem, quam ita uocant.

Sed quid pluribus opus? Siue enim hæc uerba legantur in Ordinaria, siue Interlineari Glosa, certè sententia ipsa, ex Augustino, qui ibi citatur, petenda est.

Audiamus igitur Augustinum, qui non solum pugnat aperte cum sententia Hieronymi, cuius testimonio uanus homo nos mendacij arguit, uerumetiam longè rectius interpretatur locum Esaiæ, quàm Asotus. Adscribam autem uerba ipsa Augustini, quæ & suprà nos commemoraturos recepimus, ut Sotus intelligat, quanto causæ suæ commodo Hieronymum hac in parte sequatur.

Augustinus in libro De cura pro mortuis gerenda, cap. 13.

Si rebus (inquit) uiuentium, interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas uidemus, alloquerentur in somnis: ut de alijs taceam, meipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq́ue secuta est, ut mecũ uiueret. Absit enim ut facta sit uita fœliciore crudelis, usq; adeò, ut quãdo aliquid angit cor meũ, me tristem filium suum consoletur, quẽ dilexit unicè, quẽ nunq̃ uoluit mœstum uidere. Sed profectò, q̃d sacer psalmus personat, uerũ est: Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerũt me, Dñs autem assumpsit me. Si ergo derelinquũt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si aũt parẽtes nõ intersunt, q̃ sunt

alij mortuorum, qui nouerunt, quid agamus, quidúe patiamur? Esaias Propheta dicit: Tu es enim Pater noster, quia Abraham nos nesciuit, & Israel non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populũ ex his procreatum, ageretur, ignorauerunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo mortui uiuorum rebus atq; actibus cognoscendis adiuuandisq; miscentur? Quomodo dicimus eis fuisse consultum, qui obierunt antequàm uenirent mala, quæ illorum obitum consecuta sunt, si & post mortem sentiunt, quæcunq; in uitæ humanæ calamitate contingunt?

An fortè nos errando ista dicimus, & hos putamus quietos, quos inquieta uia uiuorum sollicitat? Quid est ergo, quòd pijssimo regi pro magno beneficio promisit Deus, quòd esset antè moriturus, ne uideret mala, quæ uentura illi loco & populo minabatur.

Et mox.

Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non uident, quæcunq; aguntur aut eueniunt in ista uita hominum.

Hactenus Augustinus.

Quid ergo nunc, Sote, de Hieronymo, quõ cum Augustinus hac in parte manifestè pugnat, dices? Num affirmabis presbyterum Episcopo in explicanda sacra scriptura, eruditiorem, & in intelligendis rebus spiritualibus acutiorem? De hac re uiderit Asotus, quomodo conciliet Augustinum cum Hieronymo, Nos nulla hominum autoritate tenemur, nisi quæ suam ex diuinis libris habet autoritatem, cui etiam Angeli cedere debent. Precio, inquit Paulus, empti estis, nolite fieri serui hominũ. Et quanquàm hypocritæ exerceant in Inuocatione Sanctorum tam manifestam Idolomaniam, ut excusari non queant, tamen cupimus Maioribus nostris, quorum multa ueræ pietatis monumenta extant, quoquo officio possumus suum honorem deferre, & incommoda eorum dicta, pijs interpretationibus mitigare. Sed si Asotici eò tantum tendunt, ut & τὸ ῥητὸν Ecclesiasticorum scriptorum urgeant, & ex rhetoricis schematis ac tropis Ecclesiastica dogmata faciant, paucis respondemus, quod & paulò antè diximus, nos non in nomine, uel Hieronymi, uel Pontificum, uel Fraterculorum, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptisatos, nec per Hieronymum, aut Fraterculos, sed per Iesum Christum filium Dei à peccatis & morte redemptos esse. Siue igitur sancti pro nobis orẽt, siue non orent, siue rebus hũmanis intersint, siue absint, certè cũm nullo, nec mandato, nec exemplo Propheticæ & Apostolicæ scripturæ constet, quòd sint inuocandi, nec saluti nostræ necessarium, nec utile sit ut inuocentur, sed illud necessarium sit & constet, quòd Solus Dominus Deus noster, per Iesum Christum filium suum sit inuocandus, non est nobis respiciendum, quid longa consuetudine sit usitatũ, & quid homines priuato suo affectu sentiant, sed quid Spiritus sanctus in scriptura sacra doceat, ut solum Dei nomen per solum filium eius, in spiritu sancto inuocantes, ueram & cœlestem salutem consequamur.

DE MEMORIA

De Memoria De

FVNCTORVM.

CVM APVD Euangelistam Matthæum, Scribæ & Pharisæi reprehenderent discipulos Christi, quòd non lauarent manus, priusquàm cibum caperent, Christus uicissim, non solum grauiter defendit discipulos, uerumetiam seueriter inuehitur in Pharisæos: Quare, inquiens, uos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem uestram? In idem prorsus crimen incurrit Pontificia & Asotica colluuies, si, quę tradit de Inuocatione Sanctorum, & Memoria defunctorum, presius intuearis. Præceptum enim Dei est, ut Vnum Solum Deum, per Iesum Christum filium eius, in Spiritu sancto colamus, & inuocemus. Præceptum item Dei est, ut proximum siue amicum, siue inimicum, diligamus, sicut nos ipsos. Pontificij autem & Asotici, excogitarunt absque ullo uerbi Dei seu testimonio, seu exemplo traditionem de Inuocatione Sanctorum, in qua ita occupati sunt, ut præ ea, ueram Dei inuocationem, quę diuinitùs est præcepta, non admodum curent, imò quod est magis absurdum & impium, quas preces Spiritus sanctus nobis ad Deum faciendas proposuit, ad Inuocandos Sanctos impudentissimè detorqueant, quemadmodum in superiori capite ostendimus. Sic & excogitârunt traditionem de adiuuandis animabus defunctorum, quas somniant esse in igni Purgatorio. Qua in re tanto sunt studio & sollicitudine, ut nec de uera pœnitentia agenda (quod est diuinitùs præceptum) seriò cogitent, nec ad subleuandas proximorum, qui adhuc in hac uita sunt, ærumnas, pio affectu properent (quod & ipsum diuinitùs exigitur) sed omnem penè curam suam, ad ferendam mortuis opem conferant. Itaque collocant se medios inter Sanctos in cœlo, & defunctos in Purgatorio, & ab illis quidem omnem salutem inuocatione, & cultu suo expectant, his uerò se sacrificijs, intercessionibus, eleemosynis, ieiunijs, & alijs id genus operibus suis liberationem ab omni supplicio afferre confidunt, ut quemadmodum cœlestes sancti sunt Fraterculorum opinione saluatores uiuentium in terra, ita uiuentes sint saluatores defunctorum in Purgatorio. An non hæc est bella distributio? Ac tolerabile quidem uideri posset, si illi errorẽ suum simplici quadam ueri ignorantia sequerentur. Nunc autem tanta sunt cæcitate, & animi obstinatione, ut non solum errorẽ & impietatem suam uerbis tueantur, uerumetiã reprehensores impietatis crudelissimis supplicijs persequantur. Sed omissa hac querela, quãuis iustissima, accedamus ad explicandam memoriam defunctorum. In hac enim Sotus non est contentus honesta maiorum, qui in fide Christi defuncti sunt, mentione, & cœlestis eorum uitæ ac fœlicitatis recordatione, ac publica ad testificandam spem resurrectionis sepultura. Affirmat hæc, etiam Ethnicorum esse, quo dicto testatur, se aut prorsus nihil pensi habere, quid dicat, aut nondum intelligere quod sit discrimen inter Ethnicos & Christianos. Quid enim? Faciunt ne Ethnici honestam eorum, qui in fide Christi defuncti sunt, mentionem? Curant ne Ethnici sepulturam ad testificandam spem Resurrectionis? Sed imputentur hæc Asoticæ balbutiei. Nos nunc ea consideremus, quæ Sotus iudicat ad Christianam pietatem propriè pertinere, & qualiter nos, (utor enim uerbis eius) iuxta Religionem

Christianam erga defunctos habere debeamus.

Affirmat enim defunctos adiuuari uiuorum orationibus, sacrificio altaris, eleemosynis & alijs pijs operibus. Et sic adiuuari, ut è Purgatorio, & à reatu pœnæ citius liberentur, eaq; opera esse efficacia spiritu & uirtute Christi. Atq; hoc Catholicam & uniuersalem Ecclesiam credere. Sed hæc Soti asseueratio tot ferè mendacijs, quòt uerbis constat. Quæso igitur piũ lectorem, ut dum hoc demonstrauero, animum benignè adhibeat. Primùm enim, quòd defuncti possint iuuari orationibus, sacrificijs, & alijs operibus uiuorum, sacra scriptura, hoc est, oraculum spiritus sancti, nullũ nec testimonium, nec exemplum tradit.

Nam quod exemplum ex Macchabæis citari solet, iamdudum â nostris, tam copiosè, & perspicuè refutatum est, ut mirer, qua fronte Fraterculi audeant adhuc mẽtionem eius illo consilio facere, ut ficticium suum Purgatorium probent.

Ac ego quidem sinerem eos suis tenebris frui, & pergerem ad alia explicanda, sed quia Sotus in scorijs suis ait, magnæ esse temeritatis scriptori librorum Macchabæorum ueniam dare, paulò copiosius de his libris dicendum est. Nam si de ipsis faciendum est iudicium ex autore seu scriptore eorum, non est, teste Hieronymo, ignotum, quòd autor eorum sit Iosephus Historiographus ille, cuius extant libri, De Antiquitatibus Iudæorum, De bello Iudaico, & contra Appionem. Etsi autem hic Iosephus meretur in conscribenda historia suam laudem, & fert insigne testimonium, (si modo non est ab alijs insertum) de Iesu Christo, & de Ioanne Baptista, tamen multæ sunt notæ, quæ significant hominem eruditum quidem esse, & eloquẽtem, non autem finem legis, qui est Christus, intellexisse, nec spiritu sancto uerè præditum fuisse. Nam cùm ijs temporibus ætatem egerit, quibus Euangelion Christi diuulgabatur in orbem terrę, teneri non potuisset, quin deserto Iudaismo accessisset ad Ecclesiam Christi, si uerè ornatus fuisset spiritu sancto. Atq; utinam non multa fabulosa suis historijs immiscuisset.

Hieronymus contra Pelagi. lib. 2.

Et quid illud, obsecro, est, quod contra Appionem scribit. Ego nollem, inquiens, de alienis legibus examinationẽ facere. Noster enim mos est, propria custodire, non aliena potius accusare. Et ut neq; irridere, neq; blasphemare debeamus eis, qui apud alios putantur dij, apertè nobis Legislator interdixit propter ipsam appellationem. Hactenus Iosephi uerba. Loquitur autẽ de ea lege, quæ extat Exod. cap. 22. Dijs non detrahes. Putás ne ueram religionem, & piam doctrinam, seu legis, seu Euangelij, rectè intelligere, aut spiritu sancto præditum esse eum, qui ex tot sacrę scripturæ testimonijs nondum didicit, deos Gentium esse detestãdos, unum autem solum Deum sectandum & colendum? Sed non libet nunc alia Iosephi scripta expendere. De libris Macchabęorum in præsentia sermo est. Certè in fine secundi libri ita scribit. Ego (inquiẽs) in his faciam finem sermonis, & si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse uelim: sin autem minus dignè, concedendũ est mihi. Etsi autem græcus textus paulò aliter habet, tamen manifestum est, quòd autor agnoscat suam tenuitatem, & petat ueniã. Miror igitur, quibus œstris exagitetur Asotus, quòd audeat publicè temeritatis accusare eos, qui scriptori librorum Macchabæorum ueniam, quam petit, dandam esse putant.

Deinde, quod narratur in secundo libro de Razia, qui seipsum gladio transfixit, manifestè testificatur scriptorem non fuisse uerè diuino spiritus

iudicio

iudicio prædítum. Etsi enim Augustinus scribit factum Raziæ magis à scriptore narratum, quàm laudatum esse, tamen ex his uocabulis, εὐγενῶς, γενναίως, ἀνδρέως, quibus autor in describendo stratagemate Raziæ utitur, facilè intellígi potest, ipsum etiam factum ab autore laudari & commendari. Quod quale sit, Augustinus ipse suam sententiam non dissimulat, Magna (inquiens) hæc sunt, non tamen bona. Et: Non fuit uir iste eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Habes iterum, quíd de spiritu scriptoris librorum Macchabæorum sit sentiendum. *Augusti. To. 2. Epist. 61.*

Sed Augustinus affirmat, quòd Ecclesia habeat libros Macchabæorum pro Canonicis. Assentior. Interea autẽ expendenda est sententia Augustini. Non enim reponit hos libros in Canonem sacræ scripturę, quòd sentiat, omnia, quæ in ipsis continentur, pro oraculis spíritus sancti agnoscenda esse, Sed propter, inquit, quorundam martyrum passiones uehementes atque mirabiles &c. Et iterum: Supputatio horum temporum, non in scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in alijs inuenitur, IN QVIBVS SVNT ET MACCHABAEORVM LIBRI. Et aliâs. Scriptura (inquit) Macchabæorum ab Ecclesia non inutiliter recepta est, SI SOBRIE LEGATVR uel audiatur &c. Quíd, obsecro, hoc est, si sobriè legatur uel audiatur? Hîc manifestè seiungit libros Macchabæorum à scriptura uerè Canonica. *De Ciui. Dei li. 18. cap. 36. Et contra Epistolã Gaudentij lib. 2. cap. 23. Et de doct. Christi. lib. 2.*

Quid autem pluribus opus? Si quis urget testimonium Augustíni, uidissim urgendum est testimonium Hieronymi, qui Augustino paulò est uetustior. Hieronymus enim in præfatione, quam præfixit libris Salomonis ita scribit: Macchabæorum (inquiens) libros, legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit.

Huc facit etiam quod Cyprianus, seu ut alij sentiunt Ruffinus in expositione symboli, de his & alijs libris nõ Canonicis sic scribit. Libet autem uerba eius adscribere.

Sciendum est (inquit) quòd & alij post Canonicos, libri sunt, qui nõ Canonici, sed Ecclesiastici à Maioribus appellantur, ut est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur Iesu filij Sirach, qui liber hocipso generali uocabulo apud Latinos, Ecclesiasticus appellatur. Quo uocabulo nõ autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ & Iudith, & MACCHABAEORVM libri, quæ omnia legi quidem in Ecclesijs uoluerunt, non tamen proferri ad AVTORITATEM ex his FIDEI, &c.

Habes duos testes, Hieronymum & Ruffinum, siue illum Cyprianum, contra unum Augustinum. Et tamen, si Asotici ferre possent, facilè conciliabimus Augustinum cum Hieronymo & Ruffino, uidelicet, quòd Augustinus dixerit libros Macchabæorum haberi ab Ecclesia pro Canonicis, non quòd ualeant ad confirmanda dogmata fidei, sed quòd liceat eos publicè ad erudiendos mores, & cognoscendas res gestas, in Ecclesia legere.

Age uerò, habeamus libros Macchabæorum pro ueris Canonicis, & inuiolatæ autoritatis, non tamen ex eo loco, qui de Iuda Macchabæo recitatur, probari potest, quòd animæ defunctorum possint uiuentium operibus iuuari, & à cruciatu citius liberari. Nihil enim prorsus hîc dicitur, quòd piorum mortuorum animæ sint in aliquo cruciatu, nec Iudas iubet sacrificia pro liberatione earum è cruciatu offerre, Sed TRIA præcipuè hîc commemorantur. Vnum est, quòd Iudas testificetur hoc cultu

fidem suam de Resurrectione mortuorum. Nisi enim (inquit) sperarent eos, qui ceciderant, resurrecturos, superfluum uideretur, & uanum orare pro mortuis. Alterum est, quòd testificetur eos, qui piè obdormierunt, certos esse de sua uera & perpetua salute. Considerabat (inquit) quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, pulcherrimum haberent donum repositum. Tertium, quòd pium sit, publicè declarare, defunctos in pietate, à peccatis suis absolutos esse. Sancta, inquit, & salubris cogitatio, defunctos expiare, ut à peccatis absoluantur, hoc est, publico ministerio testificari, eos habere coram Deo peccatorum suorum ueniam, expiationem & absolutionem. Nam quemadmodum Martyres, qui certis argumentis sanctitatem suam publicè testificati sunt, solent in catalogum Sanctorum, suis ritibus referri, quod uulgo uocant Canonizare: quibus ritibus, etsi illud nunc non agitur, quo loco sint habendi, tamen non hoc significatur, ut qui antè fuerit prophanus, tunc primùm fiat sanctus, sed ut qui antea non agnoscebatur publicè Sanctus, nunc pro sancto habeatur: Ita & ueteres solent, sicut Dionysius scribit, & paulò pòst copiosiùs exponetur, uulgares pios, in Domino defunctos, publicè à peccatis absoluere, non quòd significent eos tum primum in altero seculo consequi Remissionem peccatorum, cùm in hoc seculo à Ministris Ecclesiæ absoluuntur, sed quòd commendent eos Ecclesiæ, ut ueniam à Deo consecutos, & ab omnibus peccatis absolutos. Itaq; hæc absolutio, quæ defunctis impenditur, magis uiuorum, quàm mortuorum gratia peragitur.

Postremò nec illud prætereundum est, quòd sacrificium pro peccato, quod Iudas pro peccatis defunctorum offerri iubet, fuerit sacrificium Leuiticum, sicut & in libro Leuitico describitur. Nec fuit uera expiatio pro peccatis, nec adumbrauit sacrificium Missarum Pontificiarum, sed adumbrauit ueram expiationem, quæ iam semel in cruce, sanguine Christi facta est. Quare, si Iudas Macchabæus uoluit hoc sacrificio Leuitico testificari, se credere, futurum esse sacrificium Christi pro peccato humani generis, cuius sacrificij fructus participes sunt, quotquot in fide Christi obdormiunt, rectè & piè fecit. Sicut & illorum pietas commendanda est, qui in funeribus suorum proximorum celebrant Cœnam Dominicam, ut audiendo commemorationem mortis Christi, & sumendo corpus & sanguinem Christi, confirment fidem suam de expiatione peccatorum semel per Christum facta, & concipiant bonam spem, quòd cùm sciant proximum suum in confessione fidei in Christum ex hac uita excessisse, hæc Christi expiatio etiam ad proximum defunctum pertineat, & ea nũc ipse apud Dominum fruatur. Atq; hactenus quidem de autoritate & testimonio librorum Macchabæorum. Inspiciamus nunc dicta ueterum scriptorum, qui palàm affirmant, defunctos adiuuari operibus uiuentiũ, & expendamus sententiam eorum.

Augustinus in libro de cura pro mortuis agenda, & quæsti. 2. ad Dulcitium ita sibi scribere permisit. Tempus, inquiens, quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est, uel requie uel ærumna, pro eo, quòd sortita est in carne, dum uiueret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm uiuerent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam modus uiuendi, nec tam bonus, ut non requirat

ista

ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est uerò talis in bono, ut hæc non requirat, est & rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cùm hæc uita transierit, adiuuari &c.

Et iterum: Cùm ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum, pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non ualde malis, propiciationes sunt: pro ualde malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque uiuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè, ut tolerabilior fiat damnatio. Hactenus Augustinus.

Quid igitur dicemus? Augustinus palàm affirmat, Animas eorum, qui in ærumna sunt, releuari pietate suorum uiuentium, & consequi horum officijs aut plenam remissionem, aut tolerabiliorem damnationem. Magna certè est in Ecclesia Domini autoritas Augustini, ideoque non est temerè à sententia eius discedendum. Sed maior est autoritas uerbi Dei, quod docet, non humana opera uel uiuorum uel mortuorum, sed tantum sanguinem Christi esse propiciationem pro peccatis, Et plenam remissionem tam culpæ, quàm pœnæ contingere nobis gratuita tantum clementia Dei propter Iesum Christum per fidem. Quod igitur Augustinus ipse iubet, ut tam sua quàm aliorum Ecclesiasticorum scripta, non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legamus, sequamur regulam eius, & conferamus sententiam eius cum uerbo Domini, ne temerè ab eo dissentire uideamur. Primùm dicit, quòd tempus, quod positum est inter hominis mortem & ultimam eius resurrectionem, contineat animas abditis receptaculis. Hæc de tempore & receptaculis, quibus animæ post mortem usque ad resurrectionem continentur, nisi improprie intelligas, absurdè dicta sunt. In eo enim spirituali seculo, quo interea animæ uiuunt, dum nouissimus uenerit dies, nullum est tempus, nullus locus. Omnia in eo, ut ita dicam, tempora, sunt unum momentum. Omnia sunt supra omnem locum. Vnus dies, inquit Psalmus, sicut mille anni. Et Paulus, cùm ad tertium cœlum raptus esset: Nescio, inquit, an in corpore, an extra corpus, Deus scit. Hæc apertè significant, in altero seu spirituali seculo, nec esse tempus, nec locum, qualia quidem Physicus definit. Scriptura autem collocat post Resurrectionem Christi, animas piorum defunctorum in sinu, in manibus, in regno Christi. Domine Iesu, inquit Stephanus, suscipe spiritum meum. Et Paulus: Cupio dissolui & esse cum Christo. Impiorum autem in tartaro seruandas cum diabolo, cuius membra sunt, ad Iudicium.

His scripturæ locutionibus assuefaciendi sumus, ut nõ solum sensum, sed etiam uerba Spiritus sancti teneamus.

Deinde dicit Augustinus: Neque negandum est, defunctorum animas pietate uiuentium releuari. Sed quo scripturæ testimonio hoc probatur? Nam, quod commemorant de spiritibus, qui hominibus apparuerunt, & opem eorum petierũt, uetat scriptura fidem eis adhibere. A mortuis ne quæras ueritatem. Et: Nunquid non populus à Deo suo requiret uisionem? Pro uiuis ad mortuos? Ad legem magis, & ad testimonium. Et quomodo uiuentium opera iuuabunt animas defunctorum, cùm non amplius sit inter ipsos ullum humanum commercium? Illud quidem non est negandum, quòd uiuentes possint pietate sua iuuare seu releuare alios uiuentes, sicut Moses & Samuel releuauerunt Israelitas, sed

quòd possint etiam defunctos in tormentis releuare, certa probatiõne in diget, non nuda asseueratione.

Præterea dicit, Tunc defunctos releuãri, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Etsi Augustinus per offerre sacrificium Mediatoris non intelligit Missas priuatas sacrificulorum, quales in regno Pontificio habentur, sed intelligit cœnam Dominicam, in qua corpus & sanguis Christi, pane & uino, Ecclesiæ dispensantur, & in qua fit cõmemoratio & commendatio sacrificij Mediatoris, quo sacrificio Christus semel expiauit peccata tam uiuorum, quàm mortuorum, eorum uidelicet, qui in fide Mediatoris defuncti sunt, quemadmodum aliàs explicatũm est, tamen ne sic quidem uerè dici potest, quòd defuncti releuentur hoc opere uiuentium.

Postquàm enim defuncti ex hac uita excesserunt, quid ad ipsos cœna Dominica, quæ in remedium & consolationem uiuentium est institutaꝰ Sicut enim baptismus, ita & cœna Dominica personale est uiuentium beneficium, & non egreditur eorũm personam. Et quid, obsecro, ad defunctos commemoratio sacrificij Mediatoris, quæ cùm ex auditu corporali, per fidem accipienda est, nullam affert defunctis, qui nunc corporali auditu carent, ũtilitatemꝰ Idem sentiendum est de eleemosyna, quę inopiæ uiuentium, non defunctorum, quibus non est amplius istis humanis officijs opus, succurrit. Quid autem de Orationibus pro defunctis sentiendũ sit, postea Deo uolente, copiosè explicabitur.

Deinde addit: Sed eis hæc prosunt, qui cùm uiuerẽt, ũt hæc sibi postea possent prodesse, meruerũt. Hæc profectò, præter nuda uerba, nihil sunt. Quid enim est, Viuus mereor, ut mihi defuncto aliorum pietas succurratꝰ Si mihi tantum est meritorum, quid aliena pietate indigeoꝰ Et quidꝰ Si ego quidem uiuus mereor, ut defunctus, superstitis amici opera adiuuer, nullus autem sit mihi amicus, qui mei post mortem meminerit? & nullus sit sacrificulus, qui pro me sacrificium offeratꝰ Mihi ne idcirco pereundum est, aut diutius in Purgatorio hęrendumꝰ Miserum me & infœlicem, quòd etiam post mortem luenda sit paupertas, quæ mihi fuit impedimento, quo minus amicos & sacrificulos conciliare potuerim, ut me post mortem sacrificijs & eleemosynis suis iuuarent. Quanto fœlicior est conditio diuitisꝰ Nam & hoc Albertus, quem Magnum uocant, asseuerare audet. Sed operæprecium est uerba eius recitare, ne quis nos aliquid fingere existimet, Sic ergo scribit De officio Missæ. Tot (inquit) possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quòd statim in momento liberatur. Etideo in hoc solo casu melior est conditio diuitis quàm pauperis, quia habet unde suffragia fiant pro ipso. Vnde Prouerb. 13. dicitur. Redemptio animę uiri diuitiæ suæ.

Albertus de Officio Missæ cap. 16. Tract. 3. K.

Hactenus Albertus.

Quid autem est impia docere, si hoc non estꝰ Nam præter illud, quòd deprauat dictum Salomonis falsa interpretatione, etiam iniurius est in pauperes, qui cùm in regno Christo multo melius, quàm diuites audiãt, tamen tanta est Alberti impudentia, ut in eo diuites pauperibus præponat, & regnum cœlorum diuitibus magis, quàm pauperibus uenale exponat. Sed ualeant illa. Nos, si de merito exactè loquendum est, non agnoscimus aliud salutis nostrę coram Deo meritum, præter Meritum Domini nostri Iesu Christi, quod ea est conditione, ut non transfundatur in humana opera, sed cõstet in sola Christi persona, & liceat nobis eo per fidem frui,

frui, qũemadmodũ aliâs copioſè demonſtratum eſt. Hoc ergo merito, ſi quis comitatus ex hac uita exceſſerit, ſatis ſuperq; meritorum habet, etiamſi in hoc ſeculo à ſuperſtitibus non ſolum non iuuetur, uerumetiam diris deuoueatur. Si autem hoc merito deſtitutus exceſſerit, nihil proderit ei, etiamſi uniuerſus mundus uniuerſas ſuas facultates in eleemoſynas, & in ſacrificia Miſſarum, pro eo impenderet.

Sed perſequamur & alia. Cùm ſacrificia, inquit, ſiue Altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptiſatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis, gratiarum actiones ſunt, pro non ualde malis, propiciationes ſunt. Et mox: Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſsio, aut certè, ut tolerabilior fiat ipſa damnatio &c. Vocat Auguſtinus ſacrificia pro non ualde malis, propiciationes. Et mox exponit quid uelit, Vt ſit plena (inquiens) remiſsio. Si loquitur de plena remiſsione peccatorum, haudquaquam tribuenda eſt hominum ſacrificijs aut eleemoſynis, ſed tantum effuſioni ſanguinis Chriſti ſemel in cruce pro peccatis noſtris factæ. Vnica, (inquit) oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui ſanctificantur. Si autem loquitur de plena remiſsione cruciatus, quem animæ in Purgatorio ſuſtineant, initio probandum fuiſſet, quòd animæ fidelium crucientur poſt hanc uitam. deinde, quòd ſi cruciantur, num hoc modo, & non alijs modis à cruciatu liberentur. Sed Sacra ſcriptura non facit aliquem medium ſtatum inter animas bonorum & malorum.

Qui credit, (inquit) filio, habet uitam æternam. Qui uerò non credit filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Et iterum: Qui habet filium, habet uitam. Qui non habet filium Dei, uitam non habet. Quare qui defungitur hac uita, aut defungitur ea in fide Chriſti, & excedit ex hac uita comitatus Chriſto, tunc fieri non poteſt, quin uiuat cum Chriſto fœliciſsimè, etiamſi horrenda quæq; peccata antea deſignaſſet. Latro, qui cum Chriſto crucifixus eſt, peccauerat horribiliter. Et tamen, quia complectitur Chriſtum fide, audit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Aut defungitur uita in incredulitate & abſq; Chriſto, tunc neceſſe habet perpetuò interire, etiamſi excederet comitatus omnium Fraterculorum ieiunijs, chameunijs, agrypnijs, & cucullis. Firmum enim & fixum eſt: Qui non habet filium Dei, non habet uitam.

At nonnulli, inquies, excedunt fide quidem, ſed infirma, & imbecilli, ſeu, ut Sotus loquitur, non coniuncta caritate, & cum reatu peccati. Quid ergo, ſi his decerneretur Purgatorium, in quo aliquandiu cribrarentur? De Purgatorio quidem poſtea. Nunc autem de medio ſtatu animarum poſt hanc uitam. Non eſt obſcurum, quòd non omnes habeant in hoc ſeculo ueram fidem, nec fides ſit in omnibus, qui hanc uitam agunt, ſatis firma & conſtans. Nos autem loquimur nunc de uera fide, & de ea quæ conſtat coram tribunali Dei, in certamine mortis. Talis enim fides, etiamſi habet aliquid adhuc imbecillitatis, tamen ea imbecillitas non imputatur credenti, & tam firma eſt, ut & mundum & Satanam Principem mundi uincat. Sit ſanè fides aliquo modo infirma, certè firmus eſt Chriſtus ipſe, qui fide apprehenditur, qui & ſecum affert non tantum plenam peccatorum Remiſsionem, uerumetiam uictoriam in morte, & æternam uitam.

Depoſita enim & ſepulta carne, deponitur & ſepelitur omnis piorum infirmitas, propterea quòd quæ reliqua adhuc eſt poſt regeneratio-

nem piorum infirmitas, ea non est nisi ex carne ac ueteri homine, ideoque abiecta carne, & ueteri homine, non remanet, nisi perfectio, propter Christum filium Dei, in cuius manu sunt piorum defunctorum spiritus. Etsi autem, cùm negemus pios, exuta & abiecta carne per mortem, retinere aliquas uel sordes, uel infirmitates, Asoticorum esset diuersum probare, tamen non pigebit nos adscribere testimonia Sacræ scripturæ, quibus perspicuum fiat, quòd quæ post regenerationem imbecillitas in homine credente remanet, non sit, nisi ex carne, ideoque deposita carne, deponatur & omnis imbecillitas. Nam reatus ipse antea per fidem propter Christum sublatus est. Roman. cap. octauo. Nulla nunc est condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Nam Lex spiritus uitæ per Christum Iesum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Etenim, quod Lex præstare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac sacrificio pro peccato, condemnauit peccatum per carnem, ut Iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Multa his uerbis Pauli obseruanda traduntur. Nos ea perstringamus, quæ ad nostrum propositum faciunt. Initio dicit Paulus: His, qui insiti sunt Christo per fidem, & non uersantur iuxta carnem, nullam esse condemnationem. Si autem credentes in Christum, non habent ullam condemnationem, cùm adhuc sunt in hac uita superstites, & pugnant cum affectu carnis, quomodo haberent aliquid condemnationis, postquam carnem unà cùm affectibus suis per mortem abiecerunt? Deinde affirmat, Legem in credentibus imbecillem esse per carnem, hoc est, etsi nihil condemnationis reliquum est in credentibus, tamen multum adhuc peccati reliquum est, propter carnem, quæ impedit, ne Lex ab homine credente perfectè impleatur. Cùm igitur omnis imbecillitas sit ex carne, perspicuum est, quod abiecta carne, abijciatur, & imbecillitas, & quicquid reliquum fuit peccati. Præterea & si post regenerationem remanet aliquid peccati propter carnem, tamen reatus peccati tollitur per fidem propter Christum. Lex, inquit, spiritus uitæ per Christum Iesum reddidit me liberum à iure peccati & mortis. Et mox: Hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac sacrificio pro peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio Legis impleretur in nobis. His uerbis Paulus manifestè docet, quòd & si credentes gestant adhuc peccatum in carne sua, tamen liberi sint à reatu peccati, ut & credentibus in Christum, peccatum non amplius imputetur, & credentes habeant in Christo omnem Legis impletionem. Si aũt etiam in hac uita reatus peccati tollitur per fidem, propter Christum, & credentes in Christum redduntur liberi à iure peccati & mortis, atque possident in Christo Iustificationem Legis, uaniſsimum est, quod Fraterculus ὁ ἄσωτος tóties nugatur, non omnes credentes excedere ex hac uita, omnino purgatos, sed multos excedere pro peccato & reatu.

Et iterum: Si Christus in uobis est, corpus quidem mòrtuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustificationem. Hic docet Paulus, quòd in quibus Christus est, in ijs corpus quidem sit obnoxium morti propter peccatum, spiritus autem sit uita propter iustificationem. Manifestum uerò est, quòd Christus sit & habitet in omnibus ijs, qui uerè in ipsum credunt. Etsi enim fides adhuc est imbecillis, tamen

men Christus condonat hanc imbecillitatem, & compensat eam sua præsentia ac integritate. Quare, cum ij, qui credunt in Christum, deponant per mortem, corpus peccato obnoxium, & tradant spiritum suum in manum Christi, donec etiam corpus à morte excitetur, fieri non potest, ut cùm spiritus, uita sit propter Iustificationem, & contineatur in manu Christi, habeat adhuc aliquid peccati aut reatus.

Galat. quinto. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Carne igitur per mortem abiecta & sepulta, non est amplius reliqua pugna carnis & spiritus, sed manet spiritus in Christo totus mundus & beatus.

Libet & huc adscribere, quòd Ambrosius concionatur de exitu Theodosij Imperatoris, & quo testificatur, se ea scripturæ dicta, quæ iam recitauimus, uera & sacrosancta agnoscere. Non, ut hîc, homo (inquit) inuolutus est mortis corpore obnoxio lapsibus atque delictis, ita & illic. Ideoque regio illa uiuorum est, ubi anima est, quæ ad imaginem & similitudinem Dei facta est, non caro figurata de limo, ideo in terram reuertitur, anima ad requiem festinat superiam &c.

Nam, quod Sotus ex posteriori epistola Pauli ad Corinthios, capite quarto recitat, internum hominem renouari de die in diem, & existimat credentes in Christum idcirco retinere aliquid peccati, cùm moriuntur, quòd adhuc aliquid peccati, cùm uiuunt, habeant, miror Fraterculum non pudere uanitatis. Primùm enim, quis negat credentes in Christum habere adhuc reliquias peccati in hoc seculo, & in hac mortali uita? Deinde, qua consequentia illud consistet, quòd pius, cùm habeat adhuc aliquid peccati in hac uita, retineat etiam peccatum, seu reatum peccati post mortem? Peccatum enim, quod in pijs remanet, postquàm per fidem donantur merito Christi, non est in spiritu, sed in carne. Spiritus, (inquit Paulus) est uita propter iustificationem. Mortua igitur carne piorum, mortuum est etiam peccatum, adeoque omnis peccati reatus. Quid contra tam manifesta Spiritus sancti oracula, non iam dico ab Asoto, quem uideo in cognitione cœlestis doctrinæ ac diuinarum rerum nondum esse catechumenum, sed ab omni Fraterculorum colluuie dici potest? Quare uel reliquiæ peccati, quæ post regenerationem in pijs remanent, uel imbecillitas fidei eorum, non possunt esse satis dignæ causæ, cur spiritibus eorum post hanc uitam medius aliquis status inter beatos & damnatos excogitetur, aut purgatorius ignis succendatur.

Recitat Asotus & illud Pauli: Has promissiones cùm habeamus carissimi, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctimoniam cum timore Dei. Et addit Asotus: Stat igitur, inquiens, Iustificatis aliquid deesse sanctificationis. Quid si ante eam consummatam subtrahantur? nunquid proderit eis mors, ut post illam tam liberi sint, ut qui sanctificationem impleuerunt? Quid si non exoluta pœna, ad quam remisso peccato constat obligatum quandoq; manere, ut in Dauid patet, nunquid illi non persoluta, peruenient ad Deum? Hactenus Asotus.

Ostendimus suprà, quòd pij etiamsi habeant Remissionem peccatorum, & meritum Christi per fidem, tamen reliquiæ peccatorum habeant adhuc in hac uita suum in ipsis locum. Hîc ergo quærit Aso-

tus, Quid si, inquiens, Iustificati ante consummatam sanctificationem subtrahantur? Libet igitur uicissim quærere: Nunquid sunt, qui in hac uita sanctificationem ita absoluant, & perficiant, ut nihil sordium relinquat? An non scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo OMNIS VIVENS? Quæ est ergo illa Asoti intemperies, quòd concionetur nobis de consummatione sanctificationis ante mortem? Abraham fuit Patriarcha sanctissimus, Ioannes Baptista fuit uir optimus, Ioannes Euangelista fuit Apostolus iustissimus. Nunquid potuerunt ante mortem suam uerè dicere, Peccatum non habemus? Nunquid ante mortẽ impleuerunt, sicut Asotus loquitur, sanctificationem? Quid si ergo Asotus, cùm talia scribit, febri laboraret, & insaniret? Deinde quærit, Quid si non exoluta pœna, quam remisso peccato constat obligatum quandoque manere, ut in Dauid patet, nunquid illi non persoluta peruenient ad Deum? Hic iterum ego uicissim quæro, Quid si Sotus esset Asinus ad Lyram, qui non intelligeret, cur Deus in hac uita pœnitentibus aliquoties, remisso peccato, pœnam imponeret? Alia enim est ratio uiuentium, alia mortuorum. Viuentes enim, etiamsi regenerantur per Spiritum sanctum, tamen reliqua adhuc est caro, quæ indiget mortificatione.

Imponuntur ergo uiuentibus supplicia à Deo, post acceptam peccati remissionem, non ut his supplicijs expient peccatum, quod iam remissum est, sed ut caro mortificetur, ne deinceps homo affectui carnis obsequatur, & ut alijs sit exemplo, quo sibi à peccato caueant. Denique multæ sunt causæ, cur Deus post Remissionem peccati, supplicia uiuentibus imponat, quæ causæ aliâs copiosè sunt enumeratæ. Inter has certè nullum penitus locum habet, quòd pœnæ diuinitùs imponantur, ut peccata coram Deo expientur. Sic sua Adamo crux imponitur, postquàm iam audiuisset Euangelion de filio uirginis, & crederet sibi propter eum condonari peccatum. Sic externæ maledictiones, quibus uniuersum humanum genus propter peccatum Adæ obnoxium pronunciatur, manent etiam in ijs, qui ex fide in Christum regenerantur, & in filios Dei adoptantur. Sic supplicium, quod Nathan recitat Dauidi, accidit ei, postquam audiuisset Euangelion: Dominus transtulit peccatum tuum, & haberet iam peccati remissionem. Hæc & alia id genus supplicia, non sunt expiationes præteritorum peccatorum, sed admonitiones, uel de inhærentibus adhuc reliquijs peccati, uel ad cauenda futura peccata. Et hæc de uiuentibus adhuc in hac terra. Qui autem excedunt ex hac uita, & moriuntur in fide Christi, sicut deponunt carnem in morte, ita abijciunt etiam cum carne reliquias peccati, nec indigent amplius carnis mortificatione. Et si quam pœnam meriti sunt propter peccatum, eam omnem persoluit sua pœna & Passione Dominus noster Iesus Christus: nisi forte uera sunt somnia Fraterculorum, qui fingunt miserabiles eiulatus animarũ in Purgatorio, ut pecuniam pro mortualibus suis Missis à stulta plebecula emungant. Sed reuertamur ad expendendum dictum Augustini.

Postremò addit Augustinus, Aut certè, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Hic manifestè loquitur de ijs, qui perpetuò sunt damnati. At in periodo proximè præcedenti uisus est prorsus negare, aut saltem dubitare, quòd uiuentium opera afferant aliquid adiumenti damnatis, Pro uale malis, inquiens, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque sunt uiuorum consolationes. Hæc uarietas apertè significat,

Augustinum

Augustínum non satis firma,& certa argumenta suæ opinionis ê Sacra scriptura habere.

Et quid pluribus opus? Augustinus non in hac una tantum parte, uerumetiam in toto huius disputationis argumento,uarius est.Quod enim in ijs locis quæ suprà commemorauimus,& aliâs certò affirmare uidetur, de eo aliâs manifestè dubitat.

In Enchiridio enim ad Laurentium cap. 69. ita scribit. Tale aliquid (inquiens)etiam post hanc uitam fieri incredibile nō est, & utrum ita sit, quæri potest,& aut inueniri,aut latere,nōnullos fideles,per ignem quendam Purgatorium,quanto magis minúsue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius,citiusq; saluari &c. Quæri(inquit)& aut inueniri, aut latere potest. Quid est dubitare,si hoc non est? Non enim sic loquitur,qui spiritu sancto edoctus,firma habet & certa sententiæ suæ argumenta. Et ad Dul. ci.q.1.

Hæc de Augustini opinione, tam seueriter expendimus, non profectò,ut de tam pij uiri,& tanti heroís uirtutibus aut meritis erga Ecclesiam Christi aliquid detrahamus. Amplectimur enim scripta eius multo studio,& gratias agimus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi,quòd Ecclesiæ suæ tam diligētem,tam fidum,tam pium doctorem ac scriptorem dederit.Sed uisum est ista perstringere,ut ostenderemus,quàm impudenter faciat Asotica colluuies,quòd de quibus Augustínus,tantus uir,dubitanter loquitur,de ijs audeant isti confidenter pronunciare,& nisi approbaueris,anathemata minari:ac ut perspicuum fieret,quàm prępostérum, imò peruersum sit Fraterculorum iudicium,quòd ea, quæ Augustino essent condonanda,& ad quæ in scriptis eius,pro honorificentia,quam tanto uiro debemus,esset conniuendum,Ecclesiæ tanquam certa, firma, catholica,orthodoxa,& sacrosancta obtrudant.

Sed solent Fraterculi etiam aliorum Scriptorūm testimonia recitare, quibus existimant se ad tuenda sua de sacrificijs & orationibus suis pro mortuis,somnia satis munitos. Nos,ne cogitent nobis ea esse ignota,recitabimus ipsi,quod Ambrosius de Valentiniano & Gratiano Imperatoribus scribit. Beati(inquiens)ambo,si quid meę orationes ualebunt.Nulla dies uos silentio præteribit, nulla inhonoratos uos mea transibit oratio,nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione trāscurret.Omnibus uos OBLATIONIBVS frequentabo,&c.Non dissimilia apud alios quosdam ueteres inuenies.

Etsi autem licet nobis pro iure Christianæ libertatis, & pro obedientia,quam uerbo Dei debemus, à ueterum autoritate discedere,sicubi hi sine autoritate uerè Canonicæ scripturæ,nouum cultum in Ecclesia aut instituerunt,aut propagârunt,tamen in hoc cultu sacrificiorum & orationum pro defunctis,si quis scripta & sententiam eorum diligenter expenderit,tantum abest,ut defensoribus medij status defunctorum patrocinētur,ut potius somnia eorum refutent.

Ac dicamus primùm de sacrificijs pro defunctis. Manifestū est,quòd hoc genus sacrificandi,quod in regnō Pontificio apud sacrificulos usitatum est,ueteribus fuerit ignotū. Veteres fecerunt,quemadmodum suprà copiosè demonstrauimus,in Cœna Dominica publicam commemorationem beneficij mortis Christi,& exposuerunt eam lingua Ecclesiæ nota,ut ex ea commemoratione Ecclesia intelligeret magnitudinem beneficij mortis Christi, & ageret Deo Patri gratias. Pontificij autem Fraterculi & sacrificuli faciunt in sua Missa priuatam tantum commemo-

rationem mortis Christi, quòd uel cantent eam lingua Ecclesiæ ignota, uel mussitent eam secum tacitè, ne quis uel audiat, uel intelligat. Veteres, cùm uocant cœnam Dominicã, sacrificium, partim respiciunt in oblationes panis & uini, quas faciebat Ecclesia ad celebrandam cœnam Domini, & ad pascendos pauperes, atq; alendos Ecclesiæ ministros: partim intelligunt generaliter de sacro cultu, quemadmodum omnia piorum opera dici possunt sacrificia, hoc est, sacri cultus: partim intelligunt de memoria seu cõmemoratione sacrificij, quod Christus semel in cruce peregit: partim de gratiarum actione, quam Deo pro sacrificio filij sui offerebant: partim de dispensatione corporis & sanguinis Christi, quam Ecclesiæ sumendam offerebant. Et cùm dicunt se offerre sacrificium pro mortuis, intelligunt partim de memoria, quam in celebratione cœnæ de ijs, qui in Christo defuncti erant, faciebant: recitabantur enim nomina defunctorum publicè in ecclesia, cùm celebraretur cœna, quemadmodum alicubi Augustinus matrem suam petijsse scribit, ac testatur quoque sacrificium precij nostri (sic enim loquitur) pro ea oblatum: partim intelligunt de gratiarum actione, quam faciebant pro defunctis: partim etiam de oratione, de qua mox pluribus. Hæc omnia testificantur scripta ueterum piorum Patrum in Ecclesia Christi. Pontificij autem sacrificuli, & Fraterculi cùm uocãt Missam suam, sacrificium, intelligunt tale præcipuè opus, quo offeratur Deo corpus & sanguis Christi, ad expianda peccata tam uiuorum quàm mortuorum, atq; etiam ad cumulandum gaudium beatorum. Quod ne quis nos fingere existimet, recitabimus uerba Alberti, cognomento, Magni, qui de sacramento Eucharistiæ sermo. 4. ita scribit. Sacrificium nostrum, (loquitur autem de sacrificio Missæ) excellit cætera ratione uirtutis, id est, per effectum suæ bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in triplici statu fidelium, scilicet, In hoc mundo, in Purgatorio, in cœlo. In primo statu, peccata quotidiana relaxat. In secundo, pœnã grauem alleuiat. In tertio, gaudium magnum generat. Hinc est, quòd tríplices Missæ celebrari solẽt, scilicet pro salute uiuorum, pro requie defunctorum, & pro gloria defunctorum. Hinc est etiam quòd hostia sacra sacerdotis in tres partes frangitur, ut uirtus sacrificij corporis Domini in prædicto triplici statu fidelium ualere demonstretur. Hactenus Albertus. E cuius uerbis apertè uides, quid Pontificij per sacrificium Missæ intelligant, & quantum uirtutis operi huius sacrificij tribuant. Veteres in celebratione cœnæ dispensarunt cœnam, uidelicet panem & uinum corporis & sanguinis Christi, præsenti Ecclesiæ. Pontificij autem sacrificuli, his in Missa sua soli fruuntur, ac offerunt quidem, ut ipsi existimant, corpus & sanguinem Christi Deo Patri, ad placandam iram suam, ipsi autem soli pane uescuntur, & uinum bibunt, spectante & oscitante Ecclesia. Habes genus sacrificandi in Missa, quod est in regno Pontificio apud sacrificulos usitatum, ueteribus ita ignotũ fuisse, ut prorsus cum celebratione cœnæ ueterum pugnet, quemadmodum etiam in secunda pericopa ostẽdimus. Quod cùm uere ita se habeat, perspicuũ est, quòd cùm ueteres dicunt, se sacrificare pro mortuis, non sentiant se sacrificio suo alleuiare grauem pœnam his, quos sacrificuli fingunt esse in Purgatorio, sed significare, quòd mortui, si in fide Christi ex hac uita excesserunt, participes sint unius illius sacrificij, quod Christus semel pro omniũ peccatis peregit, & se pro hoc beneficio, Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratias agere. Ita q; ex sacrificio ueterum pro mortuis, non potest medius status defunctorum statui ac probari.

Deinde

Deinde uideamus etiã, quid sibi uelint ueterum orationes pro defunctis. Ostendimus suprà, quòd qui in fide Iesu Christi, quantumuis infirma, ex hac uita excedunt, suscipiuntur à Christo, & conseruantur in tranquilla & fœlici quiete, donec uenerit generalis Resurrectio à mortuis. Itaque ueteribus hoc solenne fuit, ut eos defunctos, pro quibus preces faciendas suscipiebant, prædicarent iam fœlices & beatos. Ambrosius pro Theodosio Imperatore uita defuncto Deum inuocat. Conteror, inquiens, corde, quia ereptus est uir, quem uix possumus inuenire: sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, ut eum in filijs repræsentes. Et mox: Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem, quam præparasti sanctis tuis, &c. Et tamen paulò antè prædicauerat eum beatum, Absolutus, inquiens, dubio certamine fruitur nunc Augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro ijs, quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur. Augustinus quoque ipse pro peccatis suæ matris: Ego, inquiens, laus mea & uita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam uulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis, dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Et tamẽ mox fatetur se credere, quòd peccata eius iam sint dimissa. Credo, inquiens, iam feceris, quod te rogo, sed uoluntaria oris mei approba Domine.

Quid autem multis opus? Sacrificuli ipsi in sacris suis Vigilijs & Missis, quas pro defunctis facere solent, unà & defunctos fideles in pace & requie esse fatentur, & pro pace ac requie eorum orant. Qua in re imitantur quidem ueteres, exemplo, non autem fidei pietate.

Quid est ergo, quòd ueteres precati sint pro eorum salute, quos profitebantur esse iam beatos? Non certè propter illam causam, quòd sentirent, esse medium quendam defunctorum statum in altero seculo, aut esse ignem Purgatorium, in quo illi crucientur, & è quo precationibus liberari, aut saltem pœnis releuari possint. Sed fuerunt aliæ harum precationum causæ, quæ cùm expressè & copiosè à Dionysio, quem illi Ariopagitam uocant, & ab Epiphanio contra Aërium, recenseantur, nos eas in pauca conferemus.

In Ecclesiast. Hierarchia. in cap. cui titulus Μυστήριον ἐπὶ τῶν ἱερῶς κεκοιμημένων.

Vna causa est, quòd ueteres uoluerint tali precatione profiteri fidem suam, se uidelicet credere, defunctos non esse nihil, sicut Gentes opinabantur, sed eos adhuc uerè in Christo uiuere. Altera est, quòd tali precatione professi sint, Solum Iesum Christum Dominum nostrum, esse perfectè iustum, nec indigere ulla remissione iniusticiæ. Omnes enim alios homines, quamuis pios, esse obrutos humanis imbecillitatibus, quæ Remissione peccatorum indigeant. Tertia est, quòd tali precatione testati sint beneficium Remissionis peccatorum pertinere ad pios defunctos, & eos iam propter hoc beneficium, quod cùm adhuc uiuerent, fide perceperunt, in beatam uitam tralatos, ac expectare fœlici tranquillitate resurrectionem. Quarta, quòd tali precandi forma significauerint, se gratias Deo agere pro defuncto, quem liberatum his mundi ærumnis, ad fœliciorem uitam clementer susceperit. Quinta, quòd tali precatione consolati sint superstites, de certa suorum amicorum, in fide Christi

defunctorum salute & fœlicitate. Sexta, uoluerunt hoc modo superstites admonere, ut bene sperarent, & piam uitam ducerent. Se enim iterum amicum suum defunctum, in beata uita conuenturos. Quid nõ, inquit Cyprianus, properamus & currimus, ut patriam nostram uidere, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos copiosa turba desiderat, iam de sua inculumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Septima, uoluerunt tali precatione testificari suam erga defunctum caritatem, & significare, quæ beneficia eis faueant & optent, adeóq; eos in cœlum posuisse cupiant. Hæ ferè sunt causæ, quas Dionysius, & Epiphanius commemorãt. Vides autem, quòd sentiant preces pro defunctis non esse inutiles, non quidem, quòd sint adiumenta defunctorum, sed quòd sint consolationes uiuorum. Nam quod Epiphanius dicit, Orationem non abscindere uniuersam culpam, aut loquitur de uiuorum culpa, aut etiamsi loquitur de mortuorum culpa, tamen ex eo nõdum probatur, quòd post hanc uitam sit medius status animarum, aut ignis Purgatorius, in quo pœna peccatis debita expietur. Potest enim culpa abscindi aut remitti, etiamsi nullus fuerit ignis Purgatorius, qualem Fraterculi somniarunt. At enim, quas recẽ fuimus causas, cur ueteres precati sint pro mortuis, honestæ quidem sunt & piæ, sed profectò, si exactè iudicaueris, uidentur ueteres periculosè, ne quid grauius dicam, fecisse, quòd cùm licuerit eis sine magno periculo, pietatem suam coram Deo, de mortuis, & caritatem suam erga mortuos, alijs officijs declarare, maluerint hoc officio uti, quo uulgus intelligit, nõ tam uiuentium affectum explicari, quàm mortuos iuuari. Vulgo dici solet: Qui nomen furis detestatur, cauere etiam debet ab omni specie furandi. Et Paulus: Ab omni, inquit, mala specie abstinete. Quare, si ueteres senserunt, se officijs suis in hac uita, non posse iuuare mortuos, sed tantum fidem suam de salute & resurrectione piorum in Christo mortuorum, & caritatem suam erga ipsos testificari, multo tutius fuisset, hæc simpliciter exponere, & confiteri, quàm tam periculosa loquendi forma uti, præsertim cum nullum eius uel præceptum uel exemplum, in scriptura uerè Canonica & sacra extet, nec liceat, aut ueteres errores exẽplo suo stabilire, aut nouos in Ecclesia cultus, absq; uerbo Dei instituere.

Hæc uisum est eò copiosius exponere, non solum, ut cognosceremus quo consilio ueteres pro defunctis sacrificârint, & orârint, uerumetiam ut testificaremur, nos, sicubi à ueterum sententia dissentimus, longè alio consilio ab ipsis, quàm à Fraterculorum sententia & Ecclesia dissentire. Veteres suas habent imbecillitates, & secuti sunt aliquoties magis usitatam consuetudinem, & suas ipsorum opiniones, quàm ueritatem, & sententiam spiritus sancti. Et tamen quia hoc faciunt absq; impia tyrannide, & hostili ueræ Ecclesiæ infectatione, conniuendum est, quemadmodum dici solet, Amici uitia noueris, nõ oderis. Bene (inquit Augustinus) quòd quoties meminerint etiam primũ Apostolorum Petrum potuisse aliter sapere, quàm ueritas postulabat, quod accidisse etiam Cypriano, sine ulla eius contumelia credimus, quicunq; diligimus Cyprianũ, quia non eum fas est diligi maiori caritate, quàm Petrum. Et iterum: Quid quòd etiam mirum est, quod accidere posse inuenit, qui diligenter aduertit quosdam salua caritate docere aliquid inutile, sicut Petrus Gentes cogebat Iudaizare, sicut ipse Cyprianus hæreticos denuo baptisari. Colluuies autem Fraterculorum & Sacrificulorum tanta sunt impietate & crudelitate, ut non

tantum

tantum ueterum dictis ad Idolomaniam suam stabiliendam abutantur, sed etiam ueram ecclesiam Christi summa immanitate persequantur. Nihil ergo impijs, & uiris illis Sanguinum, nec cum ueterum dictis, nec cum uera Dei Ecclesia, nisi fortè tale inter ipsos commercium interueniat, quale olim Annæ, Caiaphæ, & reliquæ id genus Pontificum & Pharisæorum turbæ cum filio Dei, & Apostolis ac discipulis eorum fuit.

Sed confugit Asotus, cum in alijs, tum in hac causa, maximè omnium ad sacram suam anchoram, quam uocat, Ecclesiæ autoritatem, & traditionem non scriptam. In Macchabæorum (inquit) libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Et pergit: Sed & si (inquiens) nusquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua est uniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, autoritas &c. Et iterum: Dogma ipsum de orando pro defunctis certius est traditione Apostolorum, quàm ut opus habeat alia autoritate.

His uerbis Asotus haud obscurè significat, se plus fiduciæ in autoritate suæ Ecclesiæ, & in traditionibus, quæ Apostolorum nomine iactantur, & quas paulò pôst uocat, Verbum Dei non scriptum, quàm in sacra ipsa scriptura collocare. Ac de Ecclesia quidem & autoritate eius, sæpe dictum est. Nego enim ecclesiam malignantium, qualis est ecclesia Fraterculorum, esse ueram Christi Ecclesiam. Nego ecclesiam Annæ & Caiaphæ, qualis est ecclesia Papistici cœtus, esse Ecclesiam Deo gratam. Nego ecclesiam Baalitarum, qualis est ecclesia Papisticorum sacrificulorum, esse Ecclesiam Dei uiuentis, columnam & stabilimentum ueritatis. Nego ecclesiam, quæ persequitur uerbum Dei, & quæ est hostis Euãgelij Christi, qualis est Ecclesia Asotica, esse ecclesiã illam, quam Paulus dicit Christum adhibuisse sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, quẽ admodum aliàs apertè demonstratum est. Quam igitur haberet illa in regno Christi autoritatem? nisi fortè eam sibi autoritatem usurpet, quam sibi Annas, Caiaphas & alij Pontifices in Actis Apostolicis sumebant, qui minaciter interminabantur Apostolis, ut ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Iesu. Quæso te, Lector, quisquis fueris, putas ne ueram filij Dei Ecclesiam tãtum sibi iuris & autoritatis sumere, ut pro Christo uero capite agnoscat aliud caput, quod nullus mortalium reprehendere & iudicare debeat, etiãsi innumerabiles populorum cateruas secum in æternum barathrum abduceret, ut sacrosancta & inuiolata Prophetica & Apostolica scripta sibi pro sua ipsius libidine interpretanda, & mutanda subijciat, ut fiduciam æternę suæ salutis, non in meritis solius filij Dei, sed etiam in meritis suæ, & Sanctorum iusticiæ collocet, ut baptismum filij Dei ad res inanimas transferat, & prophanet, ut Chrisma magicis incantationibus sordidatum, publicè in sacris utendum obtrudat, ut nouos cultus Dei ad expianda peccata coram Deo excogitet, ut noua sacramenta ad sanctificationem spiritus fingat, ut institutionem cœnæ Dominicæ mutet, ut ex pane cœnæ Dominicæ idolum faciat, ut ad Sanctorum imagines & statuas Idolomaniam exerceat, ut Remissionem peccatorum propter Christum non esse certò sperandam, sub pœna anathematis exigat, ut coniugium in ministris Ecclesiæ detestetur, ut humanas traditiones diuinis præceptis præferat, ut sibi externam dominationem in terrenis regnis usurpet: denique, ut doctrinam uerè piam crudelissimè persequatur? Quis obsecro pius Magos & Idolatras, quarum impietatum Asoticam Ecclesiam accusamus, & Deo iuuante conuincimus, pro uera Dei

Ecclesia agnoscere uel posset uel auderet? Quare sciat Asotus, se augusto Ecclesiæ & autoritatis eius nomine frustra gloriari, nisi prius ostenderit impiũm Fraterculorum & Sacrificulorum cœtum esse ueram & piam filij Dei Ecclesiam. Non enim potest prætexere nomen ipsum Ecclesiæ, quippe quòd & sceleratissimi soleãt sibi honestissima nomina usurpare. Non ordinariam, sicut ipsi loquuntur, successionem, quòd & Annas & Caiaphas habuerint suam ab Aherone sanctissimo Pontifice successionem. Non speciem pietatis, quòd Deus non respiciat externam speciem, sed ueritatem. Non scripta Prophetica & Apostolica, quòd Fraterculi præferant his Traditiones, quas ipsi fingunt, non scriptas, & includant ea in scrinium pectoris Pontificij. Non uetustiores Patres, quòd & si hi uidentur Asotis, in quibusdam ritibus, patrocinari, tamen longissimè ab eis abest Asoticæ Ecclesiæ Magia & Idolomania. Non ueterum Concilia, quòd Fraterculi ex ijs ea modò excerpant, quæ ad farinam eorum facere uidentur, Reliquis rectioribus & utilioribus medium digitum ostẽdunt. Non honestatem & sanctitatem uitæ, quòd tam prophana, tam impura, tam scelerata sit Põtificum, Sacrificulorum & Fraterculorum uita, ut pij & honesti quiq; etiam nomina eorũ abominentur. Breuiter, nihil est, quod hactenus impietatem eorum muniat, & tueatur, præter externam quandam pietatis laruam, & opes, & potentiam, & multitudinem, & inueteratam quandam persuasionem. Non patiamur ergo nobis uana Fraterculorum gloriatione imponi, sed agnoscamus eam ueram Ecclesiam, quæ constat solo capite Christo, filio Dei, & subijcit sese solis oraculis Spiritus sancti, quæ nobis in scriptis Propheticis & Apostolicis traduntur.

Deinde, ut existimes Fraterculos non omnino nullum habere suę sententiæ testimonium, fingit Asotus duplex uerbum Dei. Tertullíani (inquiens) uerbum de oblationibus pro defunctis, quas in Ecclesia fieri annua die affirmat, nec ex moribus Ethnicorum, neq; sine AVTORITATE VERBI, sed Traditione Apostolorum, VERBO scilicet, NON SCRIPTO susceptum esse probat, &c. Hîc habes Asoticum discrimen uerbi Dei, quorum alterum sit scriptum, alterum non sit scriptum. Vocat autem Traditionem Apostolorum, uerbum Dei non scriptum. Etsi uerò de Traditionibus copiosè diximus in πολεγομένοις, tamen hic locus postulat, ut iterum earum mentionem, sed breuibus, faciamus. Primùm enim, quæ est illa traditio, quam nobis Apostolorum nomine obtrudis? Num conuenit cum Apostolorum scriptis? Hoc certè probandum erit, non simpliciter asseuerandum. Verba (inquit Augustínus) iactare, & nihil probare, quid est nisi delyrare? Quòd si traditio conuenerit cum Apostolorum scriptis, nulla mora erit, quin eam agnoscamus, & iuxta sententiam in Apostolorum scriptis traditã amplectamur. Num uerò cum ijs scriptis, & uera sententia eorum pugnat? Quęso igitur te, qua fronte, qua uerecundia audes tu eam nobis, tanquàm uerbum Dei obtrudere, & obseruationem eius à nobis exigere? Verbum enim Dei nõ pugnat secum. Si ergo uerbum scriptum, & uerbum non scriptum, pugnant secum, certè alterum eorum non sit uerbum Dei, necesse est. Quis autem tam imprudens, tam impius esset, qui non potius pro uerbo Dei, uerbum Apostolorum scriptum, quàm non scriptum agnosceret? Deinde si Traditio non est scripta, quis eam ad nos propagauit? Num Apostoli selegerunt quosdam successores, quibus in aures insusurrarunt ea, quæ & hi deinceps suis successoribus secreto traderent, atq; ita successor in successorem transfunderet?

funderet? Hîc opus est, non uociferatione, sed probatione. Num scriptores Ecclesiastici mandarũt eam traditionem literis, & ita ad posteritatem scriptis suis propagârunt? Sed cùm hi scriptores nullum aliud ueritatis testimonium habeant, quàm Scripturam Propheticam & Apostolicam, quis absq; hoc testimonio certiores nos de ueritate eorum reddet? Et deprehensum est, quòd nonnulli obtruserint nobis quasdam Traditiones nomine Apostolorum, quas tamen res ipsa conuincit non esse Apostolicas, quemadmodum aliâs exposuimus. Accedit & illud, quòd alia sit doctrinæ, alia externorum rituum ratio. Fieri potest, ut ritus quispiam fuerit temporibus Apostolorum usitatus, cui postea accesserit doctrina manifestè impia. Num igitur dicemus hanc esse Traditionem Apostolicam? Circumcisio, exempli gratia, fuit aliquandiu inter Apostolorum discipulos, præsertim Iudæos, usitata. Sed accessit à Pharisæis ad Christianismũ conuersis impia doctrina, qui dicebant, Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis esse salui. Paulus autem hoc ritu Apostolicorum discipulorum nihil motus, inuehitur in impiam doctrinã & ritum eius seueriſsimè. Ecce ego Paulus, (inquiens) dico uobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit.

Sic cõcedamus sanè, quosdam Apostolicis temporibus, ac paulò post ea tempora, commendasse Deo salutem defunctorum suorum, precibus & oblationibus. Sed cùm postea accesserit superstitiosa opinio, & nunc etiam accedat falsa & impia doctrina, quis illum ritum pro Apostolorum traditione agnoscere? Falsum enim est, quòd sit in altero seculo ignis Purgatorius, in quo hi, qui ex hoc seculo in fide Christi excedunt, tantisper excrucientur, dum uniuersam pœnam, quam illi fingunt eos pro peccatis suis debere, luant. Impium est docere, quòd opera nostra sint ex spiritu & uirtute Christi tam efficacia, pro nobis uiuentibus, & pro defunctis, ut nobis quidem mereantur remissionem peccatorum, defunctis autem leuiorẽ & uelociorem liberationem à reatu pœnæ, & ab igni Purgatorio, quam impietatem, suprà copiosè & perspicuè refutauimus. Nam, qui Apostolicis temporibus, aut proximis, orauit pro defunctis, si quidem pius fuit, non certè illud sensit, quod nunc superstitiosi & impij Fraterculi fingunt, sed quod suprà ex Epiphanio & Dionysio retulimus. Et quid? An non Tertullianus inter traditiones & consuetudines suorum temporum numerat etiam Oblationes pro Natalicijs? Quid autem de hac consuetudine posteritas senserit, obscurum non est. Additur & illud, Nefas duci, die dominico geniculis adorare. Si hæc consuetudo est traditio & Apostolica, cur non obseruat eam his temporibus Ecclesia Asotica?

Sed haud scio, quantum operæpretium uideatur suis facere Sotus, quòd tam ingenuè institutum eorum, in hac tota nostra controuersia, prodat. Alij enim, piæ doctrinæ hostes, simulant se scripta Prophetica & Apostolica reliquis omnibus anteferre, & conantur dogmata sua maximè omnium ex his scriptis stabilire. Sotus autem, uir ingenuus, aliâs quidem facit ex Traditionibus certissimum fidei fundamentum, in hoc autem loco palàm affirmat, non alia opus esse autoritate, prꝛterquàm traditione Apostolorum, quam uocat uerbum Dei non scriptum.

Hæc ingenuitas in Soto laudanda est, si modo quicquam est in ipso laude dignum. Nunc enim, autore Soto, manifestè cognoscimus, qua ratione finiendæ sint controuersiæ, quæ hisce temporibus de doctrina reli-

gionis sunt exortæ. Non enim opus nobis est autoritate sacræ scripturæ, non studio sacrarum literarum. Sufficit nobis traditio Apostolorũ, quæ est uerbum Dei non scriptum. Nam si obijcitur nobis è uerbo Dei scripto, Vnum solum Deum esse adorandum & inuocandum, respondeamus, Apagesis, Verbum Dei non scriptum docet, etiam Sanctos esse inuocandos, & statuas eorum adorandas. Si obijcitur, è uerbo Domini scripto, confidendum esse, quòd certò remittant nobis peccata propter Christum, dicamus ex uerbo Dei (Sic enim Sotus loquitur) non scripto, temeritatem & præsumptionem esse, credere peccata sibi propter Christum certò remitti. Si disseritur ex uerbo Dei scripto, solum sanguinem Christi esse peccatorum nostrorum emundationem, disseramus nos uicissim è uerbo Dei nõ scripto, etiã opera nostra bona habere ex sanguine Christi efficaciam emundandi nos à peccatis nostris. Si docetur poculum sanguinis in cœna Dominica non tantum clericis, uerumetiam laicis dispẽsandum esse, iuxta illud uerbum Dei scriptũ, Bibite ex eo omnes, doceamus nos contrà, è uerbo Dei non scripto, NON esse omnibus ex eo poculo bibendum. Et quis omnes controuersiæ articulos enumerare posset? Nam hos exempli tantum gratia recitauimus, ut intelligamus, hanc esse compendiariam uiam finiendarum omnium cõtrouersiarum in doctrina religionis, si ex uerbo Dei scripto in angustum coacti, appellemus & confugiamus ad uerbum Dei, (quod Sotus celebrat) non scriptum, & tum triumphum, tãquam re optimè gesta, & parta iam uictoria, agamus. Quid autem, si quis dubitauerit, ubi nam uerbum illud Dei non scriptũ, sit inuestigandum? respondeamus, Quæ est hæc crassities? Qui sunt illi nouatores? An non habemus Ecclesiã? Concilia? & scrinia pectoris Pontificij? Ex his scilicet petendum est, si quid certi cognoscere libet. Hæc est fidei certitudo, ad quam ab Asoto uocamur.

Sed ut uel tandem hunc locum de Memoria defunctorum concludamus, nos nec pios Patres, nec ueram Dei Ecclesiam reijcimus, sed ea reijcimus, quæ impij Fraterculi nomine piorum Patrum, & ueræ Ecclesiæ, absq; autoritate sacræ scripturæ, orbi obtrudunt. Et si quid ex piorum Patrum scriptis obijcitur, respondemus, quod Augustinus de Epistola Cypriani ad Iubaianum scribit. Ego, inquiens, huius Epistolæ autoritate nõ teneor, quia literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas EX CANONICIS considero, & quod in eis diuinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio. Quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Augustin. contra Cresco. Grammaticum, lib. 7. cap. 32.

De Purgatorio.

ITSI Ignis Purgatorius, quem Sacrificuli & Fraterculi stramine somniorum suorum in altero seculo accenderunt, & halitu nugarum suarum inflammârunt, hactenus fonte uiuarum aquarum in uera filij Dei Ecclesia, ita extinctus est, ut ne scintilla quidem sit relicta, Sotus tamen gratificaturus Pontificibus & Fraterculis suis, & probaturus fidem patrocinij sui, teneri non potest, quin hunc ignem, quasi è cineribus erutum, redaccendẽdum suscipiat. Non enim ignorat, quanti

quanti usus hic ignis in culina suorum fuerit, qui nisi ardeat, metuẽdum est, ne uniuersa Ecclesia τῷ ἀσώτῳ fame contabescat. Sed frustra eum laborare & sudare, paulò antè, in capite De memoria mortuorum, ostensum est, & nunc iterum, propicio Deo, planum faciemus.

Priusquàm autem suscipiamus ea scripturæ loca explicanda, quæ Sotus & Ecclesia eius ad fouendum ignem suum Purgatorium recitare solent, Lector iterũ admonendus est, quòd Sotus, sicut nec in precedenti, ita nec in hoc capite, multum fiduciæ in scriptis Propheticis & Apostolicis collocet, sed ueterem suum coccysmum subinde repetat, Multa eorum, quæ credenda sunt, non esse scripta, & Autoritatem Ecclesiæ satis esse. Et ne quid contumeliæ aduersus Paulum & sacram scripturam omittat, reprehendit in scoriis suis doctrinam de Imputatione iustitiæ Christi, quæ certè est doctrina Pauli, & addit, Paulum magis deditum fuisse prædicationi & uerbo, quàm scripturæ, Sic enim balbutit, significans, Paulum plura uerbis prædicasse, quàm scriptis mandasse, adeoque tandem eò euadit, ut palàm dicat, Non esse Euangelici spiritus, Soli scripturæ intentum esse.

Hæc non sunt oscitanter prætereunda, etiamsi de his antea quòque dictum est.

Ac initio, cùm ait, Multa eorum credenda esse, quæ non sunt scripta: si loquitur de rebus gestis, fateor ipse, multa esse gesta, à Prophetis, à Christo, & ab Apostolis, quæ non sunt scriptis mandata, & quæ si probata fuerint idoneis testibus, non sunt abijcienda. Sunt alia multa, inquit Ioannes, quæ Fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Si autem loquitur de dogmatibus, quæ absque æternæ salutis iactura ignorari non possunt, falsum est, quod dicit, multa eorum, quæ non sunt scripta, credenda esse. Etsi enim non omnes conciones Prophetarum, Christi, & Apostolorum mandatæ sunt scriptis, nec omnia dogmata in scriptis Propheticis & Apostolicis, κατὰ τὸ γράμμα, iuxta literam continentur, tamen certum habemus, omnia dogmata ad ueram & æternam nostram salutem cognitu atq; creditu necessaria, literis Propheticis & Apostolicis κατὰ τὴν διάνοιαν, iuxta sententiam, contineri. Sciebat enim Spiritus sanctus futurum, ut Cabalistæ & Fraterculi plurimum de Receptionibus suis à maioribus, de traditionibus maiorum, de somnijs & uisionibus suis iactarent. Curauit igitur diligentissimè, ut omnia dogmata ad salutem necessaria, scriptis Propheticis & Apostolicis tanta seueritate mandarentur, ut ne Angelum quidem, cum ijs pugnantia docentem, audiremus.

Manifestum autem est, uel ipso Soto teste, quòd dogma de Purgatorio, non possit certis ac firmis testimonijs è sacra scriptura probari. Dicit quidem Sotus loca scripturæ esse, quibus id INSINVETVR. Sed non est obscurum, uos initio uestris παραλογισμοῖς excogitasse Purgatorium, ac tum demum quæsiuisse loca scripturæ, quæ uestrum commentum insinuarent. Nos uerò in re tanti momenti non incertam insinuationem, sed certam probationem requirimus. Nec illud requirimus, ut nobis has literas & syllabas, (Credendum est esse ignem Purgatorium post hanc uitam) in scriptura demonstretis, sed ut sententiam horum uerborum è scriptura doceatis.

Nam, quòd Sotus dicit, Autoritatem Ecclesiæ satis esse, si quidem loquitur de ea Ecclesia, quæ solum Christum filium Dei, caput suum agno

scit, & solo uerbo Dei, literis Propheticis & Apostolicis explicato nititur, autoritas eius satisfacit nobis cumulatissimè. Si autem loquitur de illa Ecclesia, quæ agnoscit Romanum Pontificem caput suum, & nititur scrinio pectoris eius, ac fictis traditionibus Fraterculorum eius, non est nobis integrum, ut commenticiæ autoritati nostram fidem adiũgamus.

Deinde usum est homini literato καὶ θεολογικωτάτῳ Grammatico theologiam nos docere. Cùm enim Confessio Principis dixisset: Imputatur tibi Iustitia Christi, ibi candidus uir admonet nos in scholijs suis, Participatur, (inquiens) potius pro mensura quadam dicendum est. Et mox addit: Sed nunc (inquiens) uide quàm illa imputatio ab eis excogitata, aliena sit à Catholica doctrina. Ex ea enim uentum est ad negandum Purgatorium, sicut omnium satisfactionum. Obserua similiter, hos duos ordines, & hanc rationem ex eis sumptam, proximo capite ab eis posita. Hactenus uerba Soti. Nescio, num hæc malitiæ an insulsitati Fraterculi sint adscribenda. Nam, quod Confessio Principis dicit, Iustitiam Christi imputari nobis per fidem, sumptum est ex Paulo, qui ad Romanos scribens, Ei, inquit, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad Iustitiam, quemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus iustitiam imputat absque operibus. Et mox: Dicimus, quòd imputata fuerit Abrahæ, fides ad iustitiam. Ac iterum: Vt imputaretur & illis iustitia. Hæc sunt uerba ipsa Pauli. Et quanquam Paulus ad nomen iustitiæ, non addat expressè nomẽ Christi, tamen non est dubium, quin loquatur ibi de iustitia Christi, hoc est, de remissione iniustitiæ, quam remissionem Christus nobis impetrauit, ideoque uocatur Iustitia Christi. Facit enim duplicem Iustitiam: Aliam, quę est ex operibus, qualẽ habebant Pharisæi, & qualem nunc aliquoties habent Fraterculi. Hæc iustitia habet suam gloriationem, non autem apud Deum. Aliam, quæ est ex fide in Christum, uidelicet, cùm credimus Christum filium Dei expiasse peccata nostra, & impetrasse nobis à Deo Patre remissionem peccatorum, ut habeat nobiscum communem suam ipsius iustitiam, & sit sapientia, iustitia, sanctificatio ac redemptio nostra. Qui enim, (inquit) proprio filiò non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, ut non & cum eodem omnia, OMNIA (inquam) nobis donet? Sotus autem tanta est uel malicia, uel insulsitate, ut non uereatur, primùm hanc loquendi formulam, de imputatione iustitiæ, reprehendere: deinde, à nobis excogitatam affirmare: postremò, quod est longè omnium maximum, à Catholica doctrina aliena pronunciare, & ei, quos ipse putat, errores, acceptos ferre. Quid? Num Paulus nõ est Catholicus? Nũ doctrina Pauli non est catholica? Habes ergo hîc apertum testimonium Soti de doctrina Pauli, quòd sentiat eam esse à Catholica doctrina alienam. Cùm autem Paulus habeat cœlestia testimonia, quòd doctrina eius sit oraculum Spiritus sancti, dubium non est, quin ea Catholica doctrina, cum qua pugnat doctrina Pauli, non sit pia, sed impia, non diuina, sed Satanica. Cogitate igitur uos, qui tribuitis uobis nomen Catholicorum, qualem selegeritis uestræ doctrinæ patronum & tutorem, qui tãta sit amentia, ut porrigat nobis gladium quo eam confodiamus.

Sed hîc nonnihil uidet Asotus, quôd affirmat ex hac imputatione uentum esse, (sic enim balbutit) ad negandum Purgatorium, & ponendos duos tantum ordines defunctorum. Laudo industriam Soti, quôd intelligat,

intelligat, ex imputatione Iustitiæ Christi consequi, nullum esse in altero seculo Purgatorium, sed duos tantum ordines beatorum & damnatorum. Nihil enim certius est, quàm quòd ijs, qui uerè credunt in Christum, iustitia Christi ita imputetur, ut ea coram tribunali Dei confidere debeant, & propter eam cœleste regnum, ac perpetuam salutem consequantur. Quod cùm constet, perspicuum est, ipso quoque Soto teste, piorum spiritus, post hanc uitam, non ingredi in Purgatorium, sed in cœlum: impiorum autem spiritus præcipitari in tartarum, ut nullus sit spirituum medius in altero seculo status, sed aut cœlum aut infernum. Itaque habet iterum Asotus, sua ipsius confessione, quòd Purgatorium pugnet cum Sacra scriptura, & doctrina Pauli, ac sint tantum duo ordines defunctorum. Tanta est diuinæ ueritatis potentia, ut de ea testimonium ferre, necesse habeant, etiam impij aduersarij eius. Ac iam debellatum quidem esset inter me & Asotum de Purgatorio, sed ut non solum is ignis extinguatur, uerumetiam cineres eius disijciantur, & nulla spes redaccendendi eius Fraterculis relinquatur, uisum est, & ea, quæ in Soto sequuntur, perstringere, si prius illud adnotemus, quòd dicit Paulum magis intentum fuisse prædicationi & uerbo, quàm scripturæ, nec esse spiritus Euangelici soli scripturæ intentum esse, præsertim cùm Paulus Timotheum iubeat, commendare fidelibus hominibus, ea quæ audiuerit, non quæ scripserit. Hæc, inquiens, commenda fidelibus hominibus. Et non inquit, hæc scribe. Putásne Sotum integra esse mente, & intelligere, quid loquatur? Non negamus, quin Paulus plures habuerit conciones uerbis, quàm mandauerit scriptis: nunquid autem ea uerbis dixit, quæ cum scriptis pugnant? Qui uocatus est in Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem, nunquid tanta est inconstantia, ut alia uerbis alia scriptis tradat? Dogma autem de igni Purgatorio, qualem Fraterculi in altero seculo fingunt, ex eorum est numero, quæ Paulus scriptis suis haud obscurè refutat.

Rom. 6. Qui mortuus est, (uidelicet in fide Christi) iustificatus, (hoc est) absolutus est à peccato. Si fidelis in Christo mortuus, habet iustificationem seu absolutionẽ à peccatis, quomodo adhuc propter peccata igni Purgatorio afflígeret? Nam quę fraterculi de reatu & pœna peccati, post remissum peccatum, nugantur, suprà sunt refutata.

Roman. octauo. Si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustificationem. Si spiritus eorum, in quibus Christus habitat, uita est propter iustificationem, adhuc in hoc seculo, quomodo non esset uita, postquàm carnem omnem morte deposuit? Vitam autem uocat Paulus hoc loco, nõ ipsam uitæ substantiam seu essentiam per se, qua & damnati uiuunt, sed cœlestis uitæ conditionem, qua soli beati fruuntur, hoc est, lætitiam & fœlicitatem. Et in hoc quidem seculo, in quo corpus adhuc obnoxium est peccato & morti, multæ sunt afflictiones piorum, etiamsi spiritus uita sit propter iustificationem: postquam autem corpus morte deponitur, & unà cum corpore peccatum, certè non remanet in spiritu nisi uita propter Christum, ut quemadmodum Christus, postquam semel mortuus est & resurrexit, non amplius nec moritur, nec affligitur, ita pij, postquam semel in Christo mortui sunt, non amplius spiritu suo nec moriantur nec afflígantur, sed expectent summa tranquillitate cœlestem Ser-

uatorem Dominum Iesum Christum, qui reddat corpus ipsorum glorio so corpori suo conforme.

Philippen. 1. Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Nam mihi uita Christus est, Mors lucrum. Quod autē Paulus dicit mortem sibi lucrum esse, hoc non de seipso tantum, uerume tiam de omnibus pijs & fidelibus in Christo intelligit, ac significat mor tem omnibus fidelibus in Christo esse lucrum. Reposita est, inquit, mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo, qui est iustus Iu dex. Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum e ius. Omnes autem, qui uerè credunt in Christum, diligunt aduētum Chri sti. Omnibus igitur in Christum credentibus mors est lucrum. Quomo do autem lucrum esset, si ex afflictionibus huius seculi necesse haberent ingredi in afflictiones ignis Purgatorij, atq; ita tantisper horribiliter cru ciari, dum sacrificulus quispiam Missificaret, aut amicus eleemosynam dispensaret?

1. Thessal. 4. Nolo uos ignorare fratres de ijs, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri nō habentes spem. Nam si credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo. De hoc loco Pauli dicit Asotus, non placu isse Spiritui sancto, ut hic faceret mentionem Purgatorij, Sed hoc apertè in doctrina Ecclesiæ explicatum esse, & in alijs scripturæ locis latius in sinuari.

Etsi autem non fit hic expressa mentio Purgatorij, tamen si diligenter uerba expendas, haud obscurè cum commenticio Fraterculorum Purga torio pugnant. Hortatur enim Paulus non unum tantū genus fidelium, sed FRATRES, hoc est, omnes fideles, siue firmos, siue infirmos, ut de obdormientibus NON DOLEANT, quemadmodum Ethnici do lent. Quomodo autem non dolerent superstites, si certum esset, quòd uul gares fideles, parentes, liberi, fratres, & reliqui amici ipsorum, necesse ha berent post hanc uitam ingredi in Purgatoriū, in quo, & acerbius & diu tius, quàm in hoc seculo, pro peccatis suis excruciarentur? Non ignoro, in quibus delictis meus frater φιλόφθε, & quāquam audio piam fidei suæ de Iesu Christo seruatore nostro confessionem, tamen scio etiam imbecil litatem carnis eius. Quæ igitur illa esset seu impudentia seu crudelitas, ut susciperes me hortandum, ne doleam uicem eius, si iuxta Fraterculorum doctrinam, statim ab excessu ex hac uita, conijciendus esset in Purgatori um, in quo multo horribiliori cruciatu afficeretur, idque multis fortasse annis, quàm si in hoc seculo membra eius rota contunderentur, aut cor pus eius in diuersas partes dissecaretur? Ac profectò, eo magis mihi pro pter fratrem mortuum dolendum est, quo iniquiores uideam præco nes Purgatorij dispensatores pœnarum. In hoc enim seculo, licebit le uia, & ut ipsi loquuntur, uenialia peccata, tunsione pectoris, aspersione a quæ benedictæ, ac benedictione etiam monialium expiare, In Purgato rio autem luenda sunt minima illa peccata supplicio omnibus huius secu li tormentis grauiori, ac tali igne, qui non nisi duratione ab infernali igne differt. Quæ est hæc iudicij æquitas? Iam, si sacrificia Missarum, aut Indulgentiæ Pontificiæ, quæ etiamsi iamdudum suis impostori bus remissæ sunt, libuit tamen Asoto hic earum mentionem facere, possunt miserrimas animas è cruciatu Purgatorij liberare, & in cœlo col locare, quæ est hæc Fraterculorum & Pontificum immanitas, quòd non

statim

statim in excessu fratris conferant ad redimendas animas è tantis ærũnis, omnia sua sacrificia, & effundant scrinium indulgentiarũ suarum, sed potius reiiciãt sacrificia, in septenas, tricenas, & annuas celebrationes, ac thesaurum indulgentiarum suarum particulatim tantum dispensent?

Deinde Paulus, non tãtum hortatur, ne doleamus de fratribus nostris qui obdormierunt, uerum etiam uocat eos Dormiẽtes per Iesum. Quid? Num horribiliter affliguntur hi, qui in fide Iesu Christi, & spe resurrectionis obdormierunt? Vocantur aliàs mortui Beati, qui in Domino moriũtur. Si sunt beati, quomodo in Purgatorio tam misere exuruntur?

Sed quid multis opus? Vbicunq; Paulus docet nos unà cũ Christo in regno Patris glorificandos, & conregnaturos, si in hoc seculo cũ ipso patiamur, & commoriamur, ibi manifestè docet, pios in hoc quidem seculo, uariis afflictionibus obnoxios esse, in altero autem seculo, non nisi trãquilla requie frui, donec tandem in nouissimo die à mortuis resuscitentur. Cùm igitur dogma de Purgatorio pugnet cum scriptis Pauli, quemadmodum iam ostẽdimus, nec uerè affirmari queat, Paulum alia uerbis, quàm scriptis tradidisse, negari non potest, quin Paulus etiam uerbis suis Purgatorium, sicubi flammæ eius eruperunt, restinxerit.

De illo autem, quod Sotus dicit, Non esse Euangelici spiritus, soli scripturæ intentum esse, quid iudicandũm sit, non puto quenquam tam deploratæ cæcitatis esse, qui non uideat. Etsi enim non est dubium, quin sua cuiq; sit uel in Ecclesia, uel in Politia, uel in Oeconomia uocatio, cui diligenter est seruiendum, & eruditorum hominum sit, præter lectionem sacræ scripturæ, etiam ad alia scripta inspicienda excurrere, & ea in suum usum accommodare, sicut & Paulus uersibus Poẽticis utitur, tamen cùm agitur de dogmatibus, quæ ad æternam nostram salutem cognitu & creditu necessaria sunt, anathema sit, qui nõ soli sacrę scripturę fuerit intẽtus.

Pater è cœlis clamat de filio suo, IPSVM AVDITE. Et filius ipse dicit, Oues meæ uocem meam audiunt. Alienum autem non sequẽtur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

Vox autem filij Dei, non est mandata scriptis Philosophicis, non scriptis Poeticis, non Thalmudicis, non Mahumeticis, Sed tantum scriptis Propheticis & Apostolicis. Ad audiendam igitur uocem filij Dei, necesse habemus in hæc sola Prophetica & Apostolica scripta intenti esse.

Euangelion, inquit Paulus, potentia Dei est ad salutem omni credenti. Et iterum: Si nos aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Hoc autem Euangelion in solis Propheticis & Apostolicis scriptis continetur. Extant quidẽ sententiæ, interpretationes & conciones Ecclesiasticorum doctorum, extant Decreta Pontificum, & Conciliorum, quæ & ipsa sunt scriptis mandata. Sed hæc nullam prorsus habent in uera Ecclesia Christi auctoritatem, nisi fuerint testimonio scriptorum Propheticorum & Apostolicorum probata & confirmata. Quid in uera Ecclesia filij Dei maius autoritate Apostolorum? Et tamen cùm decernerent in suo Concilio gentes iugo Mosaicæ legis exonerandas, faciunt id autoritate scriptorum Propheticorum. Et Paulus Apostolus tãtus, cùm docturus esset Romanos, imò uniuersam Ecclesiam, cœlestia de salute nostra oracula, Segregatus (inquit) in Euãgelion Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos IN SCRIPTVRIS SANCTIS de filio suo. Et aliàs: Auxilium, inquit, nactus Dei, in hodiernum diem sto, testificans tum paruo, tum ma-

gno, NIHIL ALIVD dicens, quàm ea quæ Prophetæ prædixerant futura esse, & Moses. Paulus in docendis dogmatis æternæ nostræ salutis Soli scripturæ intentus est, NIHIL ALIVD, (inquit) DICENS. & sordidus ac futilis Fraterculus audet palàm, idque nomine Catholicæ Ecclesiæ, uociferari, non esse Euangelici spiritus soli scripturæ intentum esse. Scilicet eò spectat uanus homo, ut cùm commẽticium dogma de Purgatorio, & alia id genus figmenta non possit testimonio sacrę scripturæ stabilire, conferamus nos, deserta scriptura, ad Traditiones suorum Pontificum, & ad delyria suorum Fraterculorum. Gregorius Pontifex, cuius etiam Asotus mox meminit, in quarto libro Dialogorum suorum, suscipit hanc quæstionem, An sit credendum, post mortem, Purgatorium esse ignem, explicandam, & narrat miranda quædam de anima Pascasij Diaconi, de monacho & medico, cognomine, Iusto, & de uirtute triginta Missarum. Iacobus de Victriaco, Episcopus Tusculanus & Cardinalis, refert, autore Antonino Archiepiscopo, se uidisse mulierem, quę cùm diu mortua iacuisset, & postea reuixisset, raperetur aliquoties extra se, & uideret animas defunctorum, usq; ad Purgatorium, aut etiam per Purgatorium, sine ulla læsione, ad superna regna conscendere.

Narrat & de muliere quadã inuencula, quæ tanta fuit taciturnitate, ut à die festo crucis usque ad Pascha, nullum ferè uerbum protulerit. Quod silentium Deo adeo gratum fuisse dicit, ut mulier obtinuerit potestatem rectà in cœlum, absq; ulla Purgatorij pœna, euolandi.

Ad hæc & similia nugamenta, & ad has maligni spiritus imposturas uocat nos Fraterculus, cùm negat esse Euangelici spiritus, animum ad solam scripturam aduertere.

Vide mihi, quæso, quàm dissimilis sit Asotus Basilio, qui in concione περὶ πίστεως, de autoritate Sacræ scripturæ ita ait.

Εἰ δὲ πιστὸς μὲν ὁ κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, πισταὶ δὲ πᾶσαι αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ, ἐσφραγισμέναι εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, πεποιημέναι ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἐνθύτητι, φανερὰ ἔκθεσις πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τοῖς μὴ γεγραμμένοις, τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰπόντος, Τὰ ἐμὰ πρόβατα τὴν ἐμὴν φωνὴν ἀκούει, καὶ πρὸ τούτου δὲ εἰρηκότος, ἀλλοτρίῳ δὲ οὐ μὴ ἀκολουθήσωσιν, ἀλλὰ φεύξονται ἀπ' αὐτοῦ, ὅτι οὐκ οἴδασι τὴν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν. καὶ τοῦ ἀποστόλου ἐν ὑποδείγματι ἀνθρωπίνῳ σφοδρότερον ἀπαγορεύοντος τὸ προσθεῖναι ἢ ὑφελεῖντι ἐν ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς, δίκην φησὶν, ὁμοίως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται.

Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, & fidelia omnia mandata eius confirmata in seculũ seculi, facta in ueritate & æquitate, manifesta est defectio à fide, & arrogantiæ crimen, aut reijcere aliquid ex ijs, quæ scripta sunt, aut addere ea, quæ nõ sunt scripta, quum Dominus noster Iesus Christus dixerit: Oues meæ uocem meam audiunt. Et paulò antè dixerit: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nõ nouerunt uocem alienorum. Et Apostolus exemplo humano uehementius prohibuerit, ne quid in diuinis scripturis, uel addatur, uel auferatur, dum ait: Hominis testamentum nullus reprobat, aut aliquid addit. Hactenus Basilius, qui dicit manifestã esse defectionem à fide, & superbiæ crimen, sacræ scripturæ aliquid uel addere, uel adimere. Et Sotus tanta est impudẽtia, ut neget esse Euangelici spiritus, soli scripturæ intentum esse.

Sed quid patior me in refutandis tam ineptis Asoti blateramentis detineri? Accedamus igitur ad explicanda ea scripturæ loca, quæ alij ad

ad excitandum & fouendum ignem ſuum Purgatorium citare ſolent. Nam Sotus uno tantum ſcripturæ loco contentus eſt (de quo & ſuo ordine dicemus) fortaſsis quia non multum ſpei in iſs locis, quæ alij recitant, collocat.

Pſal. 65. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Hic Pſalmus non eſt mortuorum, ſed uiuorum precatio, niſi forte mortui introeant etiam in templum Dei, & offerant pinguia holocauſta, boues & hircos, quod in hoc Pſalmo precatores ſe in gratiarum actionem Domino facturos recipiunt. Deinde, non fit ſermo in hoc Pſalmo de mortuorum, ſed de uiuorum afflictionibus, ac de Eccleſiæ in hoc præſenti ſeculo ærumnis, quibus Deus Eccleſiam exercet quidem, ſed ſeruat & liberat eam mirabiliter. Vnde & Eccleſia dicit: Iniquitatem ſi aſpexiſſem in corde meo, non exaudiſſet Deus. Quæ non eſt uox eorum, quos illi fingunt igne Purgatorio torqueri, ſed eſt uox Eccleſiæ, quæ & ſi agnoſcit ſuam in ſeipſa imbecillitatem, tamen in Chriſto, quem amplectitur per fidem, ſancta eſt, & abſq; ulla iniquitate.

Eccleſiaſt. 4. De carcere catenisq; interdum quis egreditur ad regnū, & alius natus in regno inopia conſumitur. Manifeſtè loquitur, non de igni Purgatorio, ſed de curſu huius ſeculi, in quo alius ex infima ſorte ad regnum extolli, alius è regno in infimam ſortem detrudi ſolet. Nam, ſi per carcerem intelligis Purgatorium, & per regnum, cœleſtem fœlicitatem, neceſſe habes ea quę ſequuntur ſic intelligere, ut nonnulli homines, qui iam conſecuti ſunt cœleſtem fœlicitatem, deijciantur ex ea in Purgatorium. Quo nihil abſurdius dici poteſt. Sunt quidem dæmones è cœleſti regno proturbati, non autem in Purgatorium, è quo ſint liberandi, ſed in perpetuum tartarum. Et nunc nobis ſermo eſt nō de dæmonibus, ſed de hominibus.

Zacha. 9. Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua &c. Propheta concionatur, non de liberatione animarum ex Purgatorio, ſed de beneficio, quod Chriſtus ſanguine ſuo præſtitit uniuerſæ Eccleſiæ ſuæ, tam quæ fuit ante aduentum ipſius in carnem, quàm quæ eſt poſt aduentum eius. Vniuerſum enim humanum genus detinetur uinctum & captiuum in lacu inferni, quia eſt obnoxium æternæ damnationi, propter peccatum. Chriſtus autem expiat peccatum ſanguine ſuo. Quare emittit ex hoc inferni lacu liberos, quotquot credunt peccatum ſuum ſanguine Chriſti expiatum.

De loco ex Macchabæis, ſuprà in capite de memoria defunctorum, copioſè dictum eſt.

Matthæi quinto, Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem. Poſſet quidem hic locus ἀλληγορικῶς ad ignem Purgatorium accommodari, ſi prius certis argumentis Sacræ ſcripturæ probatum eſſet, quòd ſit ignis Purgatorius in altero ſeculo, qualem quidem Fraterculi fingunt. Nunc autem, cùm hoc non ſolum ſit incertum, uerumetiam pugnet cum ſcriptura, nihil adiumenti affert hic locus Fraterculorum Purgatorio. Chriſtus.n. nō concionatur de Purgatorio alterius ſeculi, ſed de carcere noxiorum in hoc ſeculo. Auditores enim & ſectatores eius, & ſi agnoſcebant, ipſum eſſe uerum Meſsiam, tamen ſomniabant Regnum eius mundanum & terrenum, ideoq́ue pollicebantur ſibi in Regno eius ſummam libertatem, & cogitabant, ſe quidem omnes futuros liberos ab omnibus ciuilibus oneri-

bus,alios autẽ ſibi obnoxios & ſubiectos. Hanc opinionem refutat Chriſtus,& iubet credentes in ipſum omnia ciuilia onera ferre, ac unicuiq; ſoluere,quod debent,Cui uectigal,uectigal, cui cenſum,cenſum, cui honorem,honorem,ut Paulus ait. Niſi enim hoc fecerint,minatur fore,ut etiã ciuilibus pœnis coerceantur, & in carceres aut turres includantur, dũm quod ũel magiſtratui,uel ciuibus debent,perſoluerint. Chriſtianus enim non idcirco liber eſt ab oneribus ciuilibus,& debitis perſoluendis, quòd ſit Chriſtianus,ſed potius,quia Chriſtianus eſt,debet ex caritate onera ciuilia ferre,& unicuiq; quod ſuum eſt,reddere. Hanc eſſe ueram huius dicti ſententiam,teſtantur ea,quæ præcedunt, & quibus hæc cõnectuntur. Quod enim eo loci Chriſtus concionatur,expoſitio eſt huius legis, Non occidas. Ad quam expoſitionem etiam hæc pericope de Iudice,carcere& ſolutione debitorum pertinet,ut ſcias & illos in catalogo homicidarum contineri,qui malunt cum creditore odioſè & uirulẽter rixari, quàm numeratione debitorum amicè reconciliari. Quid autem hæc ad ignem Purgatorium?

Matth.12. Qui dixerit uerbum aduerſus ſpiritum ſanctum, nõn remittitur ei,neq; in præſenti ſeculo,neq; in futuro. Ergo,inquit Gregorius,intelligi datur quaſdam culpas in futuro ſeculo remitti. Quid tum poſtea? Num idcirco ſequitur quòd in eo ſeculo ſit ignis Purgatorius? An non poſſunt peccata remitti, etiam ſine Purgatorio? Et quid,quòd nonnulli Aſoticorum ſcriptorum ſentiant,in Purgatorio nõn remitti peccata,ſed tantum pœnam peccatorum? Quid ad hæc dicent? Sed alia eſt huius loci ſententia. Chriſtus enim facit diſcrimen peccatorum, quorum alia dicit eſſe Remiſsibilia,alia perpetuò irremiſsibilia. Intelligit autem Irremiſsibile,non pro eo,quod ne pœnitenti quidem remittatur propter Chriſtũ, Omnia enim peccata,quantumcunque horribilia & execranda,expiauit Chriſtus,& omnia remittuntur credenti in Chriſtum, Sed intelligit Irremiſsibile,pro eo,quod nullam prorſus habet ſpeciem excuſationis,neq; coram hominibus,neque coram Deo. Multa enim ſunt peccata,quæ & ſi ſunt grauiſsima,tamen habent aliquam coram hominibus excuſationẽ. Si quis,exẽpli gratia, cùm uidet Ieſum Chriſtum multis humanis imbecillitatibus obrutum,ac penè oppreſſum, non credit eum eſſe omnipotẽtem Dei filium,Hoc peccatum Chriſtus uocat peccatum in filium hominis. Cuius generis eſt & illud,ſi quis fame & paupertate oppreſſus, furatur. Hic,& ſi grauiter peccat,tamen habet aliquam excuſationis ſpeciem coram mundo. Furatur,inquit Salomon, ut eſurientem animam impleat. Alia autem ſunt peccata,quę ut per ſe ſunt grauiſsima,ita nullam prorſus habent ſpeciem excuſationis,neque in hoc,neq; in futuro ſeculo,hoc eſt, neq; coram hominibus,neq; coram Deo,ut cùm Phariſæi calumniarentur manifeſta miracula Chriſti,quæ nemo negare poterat,quin eſſent cœleſtia & diuina. Quod peccatum Chriſtus uocat peccatum in Spiritum ſanctum,uidelicet tale peccatum,quod omnibus eſt conſpicuum,nec poteſt ulla probabili ratione excuſari. Quale etiam eſſet,ſi quis pecunia diſsimus,furaretur pauperi ſuam pecuniam,ut pauper neceſſe haberet algere & eſurire. Hoc tam manifeſtum, tam conſpicuum peccatum eſt,ut nec coram hominibus,nec coram Deo excuſari queat,quod Euangeliſta dicit,Nec in hoc,nec in futuro ſeculo remitti. Quod cùm ita ſe habeat, quid eſt,quæſo,in hoc loco, quod commentitio Fraterculorum Purgatorio patrocinari poſsit? Nam quod Gregorius affirmat, remiſsionem illam

illam peccatorum in igni Purgatorio intelligendam esse de quibusdam leuibus culpis, ac de paruis minimisque peccatis, uanitate ipsa uanius est. Quis enim patefecit Gregorio, quòd leuia tantum, & minima peccata, cuius generis est ociosus sermo, aut immoderatus risus, aut peccatum cu ræ rei familiaris, in Purgatorio purgentur, & non etiam grauia, & magna? Conuicium aduersus filium hominis iudicatur peccatum leue, si cõferatur cum conuicio in spiritum sanctum, quòd illud remittatur, hoc autem nunquam remittatur, nunquid ergo & illud remittitur in Purgatorio? Et an non Christus expiauit omnia tam maxima q̃ minima peccata? Quid ergo est, quòd ijs qui credunt in Christum, remittantur in hoc seculo peccata maxima, & minima reseruentur in Purgatorio punienda? Scilicet Paulo remittitur in hoc seculo crudelitas, qua grassatus est in Ecclesiam filij Dei, & ad mortem pertraxit multos pios, immoderatus autem risus eius expiandus est cruciatu ignis Purgatorij, quem dicunt superare omnia genera tormentorum in hoc seculo? Sic impostores & mendaces sui ipsorum sunt proditores.

1. Corinth. 3. Dies declarabit, quod in igne reuelatur, & cuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Ac mox: Ipse uerò saluus fiet, sed sic tanquã per ignem.

Hunc locũm, ne Augustinus quidem ipse de igne Purgatorio in altero seculo, sed de igne tribulatiõis in hoc seculo intelligit. Gregorius quoque fatetur, hunc locum de igne tribulationis in hac nobis uita adhibito intelligi posse. Et alij sentiunt, per aurum, argentum, & lapides pretiosos, intelligendam esse doctrinam de operibus diuinæ legis: per lignum autem, & fœnum, & stipulas intelligendam esse doctrinam de operibus humanarum traditionum. Quæ sententia non est abijcienda, si & fundamentum, quod est Christus, seu uera fides in Christum constiterit, & non tribuatur meritis operum expiatio peccatorum coram Deo. Sed Paulus se ipse interpretatur. Manifestè enim loquitur in eo loco de ædificatione Ecclesiæ. Aedificatur autem Ecclesia per pios doctores Euãgelij de Christo, qui sunt architecti Ecclesiæ. Non ędificaretur per impios doctores Iudaicarum, & aliarum humanarum traditionum, sed tantum per pios doctores Euangelij de Christo, qui est uerum huius ædificij fundamentum. Vt sapiens, inquit Paulus, architectus fundamentum posui. Et mox. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positũ est, quod est Iesus Christus. Habes ergo nunc Ecclesiastici ædificij fundamentum. Quæ est autem superstructura? Non certè alia, quàm ea, quæ aliàs à Paulo ipso, & Petro collega eius describitur. Non estis, (inquit Paulus) hospites & incolæ, sed conciues sanctorum, ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Et Petrus: Ipsi, inquit, ueluti uiui lapides ædificemini domus spiritualis. Ex his locis habes quòd discipuli doctrinæ Euangelij sint superstructura ædificij Ecclesiæ super fundamentũ quod est Christus. Paulus igitur facit duplices discipulos, Alios aurum, argentum & lapides pretiosos. Hi sunt qui in persecutionibus constant. Alios ligna, fœnum, & stipulas, qui in persecutionibus deficiunt, quales etiam recenset parabola de homine faciente sementem apud Matthæum capite decimo tertio. Cùm dicit: Cuiusque opus manifestum fiet: Dies enim declarabit &c. hanc habet sententiam: Omnes pij doctores, ponunt unum fundamentum Christum Iesum, sed quales quisque habeat discipulos, tem-

Aug. To. 4. de octo quæstii. Dulcitij, q. 1. Grego. in 4. lib. Dialogorum.

pus declarabit, & ignis probabit. Si enim exarserit ignis persecutionis, seu tentationis, alij quidem discipuli sunt aurum, argentū, & lapides pretiosi, hoc est, constant in persecutione, sicut aurum in igne constat. Et qui tales habuerit discipulos, reportat mercedem, hoc est, nō frustratur labore suo. Alij autem discipuli sunt lignum, fœnum, stipula, qui in persecutione non constant, Sed quemadmodum lignum & stipula igne absumuntur, ita & hi in persecutione deficiunt.

Et, Si cuius opus exustum fuerit, hoc est, qui tales habuerit discipulos, qui non constant in igne persecutionis, hic patitur quidem damnum, quòd amittat discipulos suos, ipse uerò, cùm fuerit pius doctor, saluus erit, sed sic tanquam per ignem, quia defectio discipulorum, maximus est doctori ignis afflictionis. Quis, inquit Paulus, infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? Habes uerā & propriam sententiam dicti Pauli de ædificio Ecclesiæ. Sed quid hæc ad stabiliendum ignem Purgatorium?

Philippen. secundo. In nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium, & infernorum. Hic per Infernos, inquiunt, non possunt intelligi dæmones & damnati, propterea quòd non adorent Iesum Christum, sed potius execrentur eum. Necesse igitur est, ut intelligantur hi, qui sunt in Purgatorio. Paulus autem hoc loco non loquitur de genuflexione, qua pij tantum adorant Christum, sed de genuflexione, quam necesse habent Christo exhibere omnes creaturæ, non homines tantum & spiritus, siue illi inferni, siue superni, uerumetiam rationis expertes, & inanimatæ. Omnia, inquit Psalmus, subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, & uniuersa pecora cāpi. Et Paulus, Sedere (inquit) fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, uerumetiam in futuro, & OMNIA subiecit sub pedes illius.

Sed quid multis opus? Hæc emendicata, & manifestè detorta scripturæ dicta satis perspicuè ostendunt, quòd Fraterculi in succēdendo & fouendo igni suo Purgatorio malam habeant causam, nec possint eam certis & firmis argumētis tueri. Ac Sotus ipse quoque eo est candore, ut id non dissimulet: Fatemur, inquiens, illis locis scripturæ NON APERTE probari Purgatorium. Vndè ergo apertè probatur? Audiamus iterum, quæso, Sotum ipsum, Sic enim addit: Sed quod ex certa, inquiens, regula fidei credimus, id autoritatibus illis aduertimus indicari. Rursus laudo candorem Soti, quòd ingenuè fateatur, quo fundamento dogmata Asoticæ Ecclesiæ constent. Pontifices enim & Fraterculi eorum fingunt initiò dogmata, quæ libet, & quæ ad farinam faciunt, quibus autoritatem, dignitatem, potentiam & opes suas muniant & augeant, ac fingunt ea partim ex humana prudentia, partim ex incertis traditionibus, partim ex deprauatis seu detortis ueterum scriptorum dictis, partim ex Fraterculorum somnijs, partim ex anicularum fabulis. Deinde, hæc sic excogitata confirmant in conuenticulis suis, publico decreto. Hæc est illis certa fidei regula. Et quod ad Fraterculos attinet, non quærunt aliud fidei suæ fundamentum, quemadmodum Sotus iam sæpe ac multum non obscurè significauit. Sed ne uideantur nullam prorsus habere rationem Sacræ scripturæ, quærunt tandem nonnulla scripturæ dicta, quæ interpretando suis dogmatis apta faciunt. Dogma est, (ut exempli gratia

pli gratia quædam commemorem)Sanctos in cœlo esse inuocandos, & statuas eorum in terris esse adorandas. Hoc dogma confictum est, partim ex Ethnicorum usu, partim ex quorundam ueterum consuetudine, qua hi sermonem in homilijs suis ad Sanctos in cœlo uerterunt. Et uidetur quoque humanæ rationi consentaneum, ut quemadmodum in aulis principum prius inuocandum est auxilium Magistri curiæ, aut alterius præcipui Consiliarij, quàm ad principem ipsum accesseris, ita prius adeũdi sunt sancti, & implorandum est auxilium eorum, quàm pateat tibi aditus ad Deum. Deinde accedit certa fidei regula, quæ est Concilium & decretum Pontificum, Quo si dogma confirmatum fuerit, non licet amplius de ueritate eius dubitare. Ad extremum, ut uideantur sacram Scripturam in aliquo precio habere, quærunt nonnulla dicta: Inuocetur nomen meum super eos. Ad aliquem Sanctorum conuertere. Non posthac uos dico seruos, sed amicos, & id genus alia, quibus Inuocatio Sanctorum, non quidem probetur, Iam enim ipsis satis probata est, sed ut Sotus loquitur, insinuetur, & indicetur.

Dogma est, Missa Sacrificuli est sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Probatur ne hoc dogma è scriptura sacra? Nihil minus. Scripturæ enim prorsus ignota est ea Missa, in qua nec fit adnunciatio mortis Christi, nec dispensatio Sacramenti panis & uini, & quæ obtruditur Deo ad expianda peccata uiuorum & mortuorum. Vnde ergo probatur? Initio excogitata est è nonnullis ueterum dictis, sed falsò intellectis. Deinde accessit superstitio, quam auxerunt somnia & uisiones Fraterculorum. Postremò confirmauit eam publicus Pontificum & Sacrificulorum consensus. Hæc est Asoto certa fidei regula, ex qua credendum est, Missam esse expiationem prò peccatis uiuorum & mortuorum. Sed quæruntur etiam dicta scripturæ, non quidem necessitatis, sed honoris tantum gratia, ne uideantur scripturam, quam alij tanti faciunt, prorsus abijcere. Nam quod ad illos attinet, certa iam fidei suæ regula credunt, Missam esse expiatorium pro peccatis sacrificium.

Idem sentiendum est de igne Purgatorio, & de indulgentijs Põtificijs.

Dogma enim est, Esse in altero seculo ignem Purgatorium, in quo animæ tantisper cruciantur, dum satisfecerint pœnæ peccatis debitæ, aut Pontificijs indulgentijs, alijsque operibus liberentur. Hoc dogma initio exortum est ex humanis διαλογισμοῖς. Alios uidelicet excedere ex hac uita insigniter bonos, alios insigniter malos, alios autem mediocriter tãtum bonos. Ac illorum quidem priorum alij deputantur absq; dubitatione in cœlum, alij autem in infernum. De hoc tertio hominum genere incidit tantum dubitatio. Neque enim iustum putant, ut eos statim in cœlo collocent, quòd non habeant insignem aliquam sanctitatem. Et crudele existimant eos deijcere in infernum. Excogitant igitur ignem Purgatorium, in quo aliquandiu crucientur, donec toti puri ac sancti reddantur. Has humani cordis cogitationes confirmârunt postea apparitiones spirituum, & somnia Fraterculorum. Quibus cùm accesserit postremò consensus Pontificum, & sacrificulorum, nihil iam amplius in hoc dogmate reliquum est, de quo dubites. Hic enim cõsensus, & hæc approbatio, certa fidei regula est, cui scilicet resistere nullo modo licet, quippe quòd maioribus, nulla etiam ratione reddita, ut Cicero dicit, credendum sit. Sed ne uideantur hoc dogma finxisse potius, quàm è spiritu sancto hausisse, inquiruntur dicta Sacræ scripturæ, quorum quædam supra reci-

tauimus, quæ in medium producunt, non ut ijs confirment suum dogma, de cuius ueritate, uel absq; scriptura, è fidei suæ regula certi sunt, sed ut scripturæ in sua Ecclesia aliquem saltem locum relinquant. Nam certa fidei ipsorum regula est, non scripta Prophetica & Apostolica, sed Traditiones, & Scrinium pectoris Pontificij. Verùm enimuero, sicut certa hac Asoticæ fidei regula nihil est incertius, nihil uanius, ita uera Ecclesia filij Dei, non habet certiorem fidei suæ regulam, seu ut Dauid & Petrus loquuntur, lucernam, quàm scripta Prophetica & Apostolica, ad quæ uero studio attendentes, ab æternæ nostræ salutis uia non aberrabimus. Nec licebit, ut hæc scripta ad nostras cogitationes, & somnia, sed ut nostras cogitationes ad hæc scripta accommodemus. Optimus lector est, inquit Hilarius, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neq; cogat id uideri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.

Sed postquàm percurrimus nonnulla dicta scripturæ, quæ Pontifices & Fraterculi ad exufflandum ignem Purgatorium torquent, & excussimus scorias Asoti, reuertamur ad ea dicta, quæ Sotus ex ueteribus scriptoribus recitat. Ac initio allegat Commentarios Hieronymi in Esaiam & Ezechielem, ex quibus putat ostendi, quòd opera Christianorum purganda sint in igne, & post supplicia & purgationem peccatorum futura sit misericordia. Non miror Sotum, esse Fraterculum rerum diuinarum imperitum. Illud miror, eum esse tam impudentem, ut audeat tanta delyria nomine Catholicæ Ecclesiæ publicè uulgare. Non enim est obscurum, quæ detestanda dogmata, de purgatione & liberatione impiorum hominum, ac etiam diabolorum, Origeni adscribantur. Quis catholicus, (inquit Augustinus) Christianus, uel doctus, uel indoctus, non uehementer exhorreat, eam quam dicit (Origenes) purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc uitam in flagitijs, & impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum postremò diabolum atq; angelos eius, quamuis post longissima tempora purgatos atq; liberatos regno Dei, lucique restitui, &c.

Manifestum autem est, Hieronymum fuisse diligentem Originis lectorem, ac sæpe in Commentarijs suis recitare sententiam eius. Vnde & illud, quod in fine Commentariorum in Esaiam, de finiendis Impiorum supplicijs scribit, ex Origine sumptum esse apparet.

Ac profectò longè aliter, quàm quisquam alius, quod ego sciam, scriptor, interpretatur illud Pauli: Si quis superstruit super fundamentum hoc aurum, argentum &c. Paulus enim hoc loco scribit, eum quidem, cuius opus, (uidelicet ligna, fœnum, stipula) exustum fuerit, damnum pati, ipsum autem saluum fieri. Hieronymus uerò conijcit eum in sempiternum ignem. Omnium Sanctorum (inquiens) oculis eorum supplicia monstrabuntur, qui pro auro & argento, & lapide precioso ædificauerũt super fundamentum Domini fœnum, ligna, stipulam, ignis pabulum SEMPITERNI. An non Hieronymus manifestè pugnat cum Paulo? Deinde commemorat sententiam eorum, qui putant supplicia aliquando finiri, ac post recitationem testimoniorum è scriptura, addit: Quæ omnia, inquiens, replicant, asseuerare cupientes, post cruciatus & tormenta, futura refrigeria, quæ nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est, ut dum supplicia reformidant, peccare desistant. Hæc certè Hieronymus ita recitat, ut non uideatur damnare, Sed reijcit in

solius

solius Dei scientiam, & quasi explicans, adiungit: Sicut (inquiens) Diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum, atq; IMPIORVM, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atq; purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam Iudicis. Vides Hieronymum discrimen facere inter impios, & alios esse Negatores Dei, alios confessores quidem Dei, sed sceleratos, & nomine ac numero tantum Christianos, quos sperat tandem è tormentis liberandos. Sed quos ipse clementiam Dei assecuturos arbitratur, hos alij multo profundius, quàm reliquos impios, in infernum conijciunt. Collocant enim sedem sceleratorum & impiorum Christianorum, in inferno, infra sedem Iudæorum & Ethnicorum. Et Augustinus apertè reijciens sententiam Hieronymi, Creduntur, inquit, à quibusdam, etiam hi, qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro in Ecclesia baptisantur, nec ab ea ullo schismate uel hæresi præciduntur, in quantislibet scelaribus uiuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad huius uitæ ultimum diem pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniri, Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli uidentur. Nam scriptura diuina aliud consulta respondet. Hactenus Augustinus. Ex his scriptis habes, quòd & Hieronymus loquatur, non de Christianis mediocriter bonis, quos solent deputare igni Purgatorio, sed de Christianis insigniter malis, quos conijciunt in infernum, & Augustinus haud obscurè refutet sententiam Hieronymi. Sotus autem tanta est, uel imperitia, uel impudentia, ut ad probandum ignem suum Purgatorium recenseat commentarios Hieronymi. Conciliet ergo Hieronymum & Augustinum, & si sententiam eorum idoneis sacræ Scripturę testimonijs probauerit, habebit nos auditores non indociles.

Audiamus etiã, quæ nobis Sotus de Augustinõ concionatur. Augustini (inquit) sententia, & in Enchiridio, & in libro de cura pro mortuis gerenda, constantissima est, & in consuetudine Ecclesiæ fundata, quæ pro illis orat, &c. Primùm, non iam illud præcipuè quæritur, quàm constanter, sed quàm uerè Augustinus affirmet esse post hanc uitam Purgatorium. Deinde non quæritur de consuetudine Ecclesiæ, sed de ueritate sententiæ diuinæ. Filius Dei dixit: Ego sum ueritas, non dixit: Ego sum consuetudo. Nã quòd ueteres orauerint pro mortuis, suprà ex Epiphanio & Dionysio explicatũ est, uidelicet, quòd tales preces, fuerint magis solatia uiuorum, q; adiumenta mortuorum. Postremò falsum est, quod Sotus dicit Augustinum de Purgatorio nunquam dubitasse. Non enim tantum dubitauit, qualis sit, sed etiam, num sit ignis Purgatorius. Ad Laurentium scribit: Tale aliquid, inquiens, etiam post hanc uitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest, & aut inueniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium, quanto magis minúsue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque saluari &c. Quæri, inquit, & aut inueniri aut latere potest, nonnullos fideles saluari per IGNEM quendam PVRGATORIVM. Quid apertius de dubitatione, Num sit aliquis ignis Purgatorius, dici potest? Idem haud obscurè dubitat in libro De ciuitate Dei, uicesimoprimo. Alij sentiant, inquiens, qui eiusmodi secum ædificia portauerunt, siue ibi tantum, siue

hic & ibi, siue IDEO HIC, VT NON IBI, secularia, quamuis à damnatione, uenialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis in ueniant, NONREDARGVO, quia FORSITAN VERVM EST, &c. Existimo his uerbis ¦uanitatem Soti manifestè redargui, quòd Augustinus non tantum de qualitate, sed etiam de essentia ignis Purgatorij, (de hac enim quærebatur) dubitet. Sed ponamus Augustinum dubitare de qualitate tantum ignis Purgatorij, non de ipsa purgatione, quid est quòd posteri tam temerè qualitatem eius definiant, uidelicet, quòd sit ignis materialis, ut ipsi loquuntur, afflictiuus & punitiuus, ac in loco quoque corporali? Sed uide mihi tam in hoc, quàm in alijs id genus quæstionibus, modestiam Augustini. A ueritate, inquit, uinci uolo, quæ sacris literis apertissimè non resistit. Non enim quæ resistit, dicenda est ulla ratione ueritas, uel putanda. Et de his uerbis Apostoli, Non omnes dormiemus, omnes tamen immutabimur: Vellem (inquit) de his uerbis audire doctiores, & si mihi potuerint hæc ita exponi, ut in eis possint intelligi, omnes homines qui uiuunt, uel post nos uicturi sunt, esse morituros, corrigere, quod hinc aliquando aliter sensi. Neq; enim debemus esse indociles doctores, & certè melius homo corrigitur prauus, quàm frangitur durus, cum his, quæ descripsimus ita nostra uel aliorum exerceatur uel erudiatur infirmitas, ut tamen in eis NVLLA VELVT CANONICA CONSTITVATVR AVTORITAS. Hæc Augustini modestia adimit Asoticis Fraterculis omnem occasionem iactandæ autoritatis Augustini, si non nitatur testimonio Sacræ scripturæ, & quod Augustinus sua absq; fundamento sacrarum literarum asseueratione tolerabiliter & remissibiliter peccat, hoc Fratercu li sua impudentia, tyrannide, impietate, & persecutione ueræ Ecclesiæ filij Dei intolerabiliter, & irremissibiliter peccant.

Nec dubito, quin si Augustinus singulari sua industria, qua uir Sanctus præditus fuit, auertisset oculos suos à uulgari hominum opinione, ad illa & id genus alia dicta Pauli: Lex imbecillis est per carnem. Et: Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & considerasset, quòd pij abijciant carnem morte sua, facilè potuisset intellígere, non esse opus, ut pijs post hanc uitam uel ignis Purgatorius accendatur, uel alius purgandi modus excogitetur. Abiecta enim carne, spiritus piorum iam liber est ab imbecillitate, & omni affectu carnis, ac requiescit in manu filij Dei sœliciſsimè, donec etiam corpus ipsum à morte ad æternam uitam resuscitetur.

Sed lepidus ille homo Gregorius, multarum & magnarum in Ecclesia superstitionum autor, existimat extremis temporibus plura & clariora, quàm prioribus, de statu animarum post hanc uitam, patefacta esse, ac recenset etiam huius rei graues, ut ipsi uidetur, causas. Quale quid & alius quispiam impius Rabula de utraque parte cœnæ Dominicæ scribit, Ecclesiam adhuc rudem usam esse utraque parte cœnæ, nunc autem erudiotiorem factam uti altera tantum parte. Sic infamant illi tempora Apostolica, & uetustiorem Ecclesiam, ut hæc præ splendore Pontificiæ Ecclesiæ, crassissimis tenebris occultata & circumfusa uideri debeat.

Sed longè aliud Apostolicus spiritus loquitur. Postremis temporibus, inquiens, desciscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum. Et iterum: Erit tempus, cùm sanam dõctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, hi quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent,

tent, ad fabulas autem conuertentur. Acrursus: Non aduenier Dominus, nisi uenerit prius defectio, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem, qui dicitur Deus aut numen &c. Hæc & similia Apostolica dicta debuisset sibi Gregorius ob oculos ponere, ut admoneretur, illas spirituũ in postremis temporibus apparitiones & reuelationes, non esse oracula Spiritus sancti, sed mendacia signa & prodigia secundum operationem Satanæ, quibus in errorem, si fieri queat, etiam electi inducantur. Quare, qui reiciunt fidem fictiçj illius Purgatorij, quod Gregorius & Fraterculi nobis obtrudunt, aperte quidem repugnant Asoticæ Ecclesiæ, tantum autem abest, ut repugnent ueræ Ecclesiæ filij Dei, & resistant spiritui sancto, ut potius spiritus Impostores, ac mendacia prodigia fugiant, & sententiam ueræ Ecclesiæ fideliter referant, ac post hanc uitam, à morte, non nisi ueram & cœlestem tranquillitatem, in CHRISTO Seruatore suo, expectent.

De uotis Monasticis.

INEPTE & stulte facerem, si põst tot erudita nostrorum scripta de Votis Monachorũ, susciperem idem argumentum copiose tractandum. Extat libellus Reuerendi uiri, fœlicis memoriæ, D. Martini Lutheri (etsi non ignoro, quàm odiosum sit & inuisum hoc nomen in auribus & animis hypocritarum & Fraterculorum, tamen quo est his abominabilius, eo omnibus uere pijs iucũdius est, & amabilius) in quo libello Vota Monastica ita explicata sunt, & euoluta, ut magnopere sit mirandum, si, qui his uotis obstricti sunt, non legant, aut si legunt, oculos non recipiant, & non continuò monasticen, tanquam barathrum perditionis deserant. Extant & aliæ aliorũ de hac re lucubrationes, quibus si cui oculi ad perspiciendam Monastcorum uotorum impietatem non illustrantur, næ ille diuinitus cæcatus sit, necesse est. Multi quoque uiri pietate & eruditione insignes, testantur suo ipsorum exemplo, detestanda esse Fraterculorum contubernia, & agunt Deo gratias, quòd ex tanta impietatis uoragine sint liberati. Quare superuacaneum uidetur, aliquid operæ in hac re pluribus uel explicanda uel repetenda collocare, præsertim cùm & nos in prioribus pericopis, de Fraterculorum trinitate, Castitate, uidelicet, & paupertate, & obedientia paulò copiosius dixerimus, nec Asotus in præsentia quicquam afferat, quod uel scriptis Propheticis & Apostolicis probare queat, uel non recitatione ipsa refutetur.

Visum tamen est, nonnulla perstringere, ut cùm Asotus uociferetur, se hoc scripto recitare doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, manifestè cognoscamus, qualis sit illa Ecclesia, cuius doctrinam Sotus tueri conatur, & quàm necessarium nobis sit, ut non solum eam Ecclesiam, tanquam præsentis interitus gurgitem fugiamus, uerumetiam cum ea pro nostra uirili & uocatione belligeremur.

Postquam igitur Sotus in hoc capite effutit somnia sua de uotis Mõ-

nasticis generaliter, diducit ea mox in suas species, ac initio suscipit castitatem illustrandam, & ne lectori diu molesti simus, recitabimus eius loci epilogum, ut sententiam ipsius paucis cognoscamus: Docet, (inquit Sotus) Sana & Catholica fides uirginitatem & cœlibatum cultum esse Deo gratissimum, amplissimas habentem Dei promissiones eius, maximè, quæ futura est, æternæ uitæ. Quare sunt & SATISFACTIO MAXIMA PECCATORVM, ET MERITVM AETERNAE VITAE. Hactenus Asotus.

Putásne, amicissime mi Lector, alia huius impietatis refutatione, quàm ipsius recitatione opus esse? An non habemus planissimam, aduersus Asotum, & uniuersam eius Ecclesiam, causam? Fraterculus audet publico Catholicæ Ecclesiæ nomine uociferari, Virginitatem & cœlibatum esse satisfactionem peccatorum MAXIMAM, & MERITVM æternæ uitæ. Si dixisset, MAGNAM, potuisset in impietate sua uideri paulò modestior. Nunc autem cùm dicit MAXIMAM, an non unà cum summa impietate, etiam omnes modestiæ fines egreditur? Si dixisset Virginitatem & cœlibatum mereri insignem aliquam in æterna uita corollam, posset uideri tolerabiliter loqui. Nunc autem, cùm dicit, Virginitatem esse ipsum ipsius æternæ uitæ meritum, quid potest dici & horribilius, & execrabilius? Narrat Epiphanius de Scribis & Phariſæis Iudæorum, quòd quo tempore continebant se à congressu mulierum, & sectabantur cœlibatum, (Solebant enim sibi ipsi ad exercendam continentiam nunc decennium, nunc octennium, nunc quadriennium definire) gestauerint corymbos quosdã aureos ad quatuor alas pallij, ex ipso stamine annexos. Quod significabat, quid illi profiterentur, & admonebat, ne quis ipsos, nempè sanctificatos, attingeret. Et quidem numerat Epiphanius hoc genus hominum inter hæreticos. Quanto ἀιρετικώτερος est Asotus, qui non quidem aureis corymbis, sed hypocritica cuculla continentiam suam ostentat, nec ueretur de ea impijs clamoribus uociferari, quòd sit maxima peccatorum satisfactio, & meritum æternæ uitæ. Quid ergo dicemus? Relinquitur ne aliquis etiam locus apud id genus homines, passioni & morti filij Dei Domini nostri Iesu Christi? Si uirginitas & cœlibatus Fraterculorum sunt satisfactio peccatorum MAXIMA, necesse habebimus Passionem Christi in inferiori gradu collocare, & dicere eam esse peccatorum satisfactionem, non quidem maximam, hæc enim uirginitati & cœlibatui Fraterculorum debetur, sed proximo eoq; inferiori gradu, maiorem, uel magnam, uel paruam, uel minorem, uel etiam minimam. Neq; id iniuria. Christus enim semel tantum & uno, eoq; non toto die effudit sanguinem suum pro peccatis nostris. Dominicus autem, quem Sotus magistrum uitæ suæ profitetur, effudit sanguinem suum singulis diebus, pro peccatis humani generis. Tres, (inquit Antoninus de Dominico, quemadmodum suprà recitauimus) dabat sibi disciplinas quotidie cum ferrea catena, usque ad sanguinis effusionem. Vnam uidelicet pro peccatoribus in seculo degentibus: alteram, pro animabus in Purgatorio, tertiam pro suis peccatis, quæ sanè leuicula erant, ac nullius penè momenti. Non est autem dubium scilicet, quin Sotus & Fraterculi eius sequantur exemplum Patriarchæ sui Dominici, & flagellent se ipsi pro peccatis totius mundi. Quare non est mirum, quòd cùm in Fraterculis conueniant uirginitas seu cœlibatus, & quotidianæ flagellationes, quas ipsi disciplinas uocant, fiant MAXIMA

peccatorum

peccatorum satisfactio, adeoque tanta, ut præ ea non habeatur in cõspectu Dei ulla Passionis & mortis Christi ratio. De uitæ autem æternæ merito quid? Num uirginitas & cœlibatus sunt æternæ uitæ merita? Dicemus igitur Claudiam uirginem uestalem apud Romanos, fuisse æternæ uitæ meretricem, propterea quòd tãta fuerit pudicitia, ut ad eam comprobandam dicatur cingulo nauem duxisse, quam multa hominum millia trahere non poterant. Collocabimus etiam in cœlo septem uirgines Milesias, quibus pudicitia magis curæ fuit, quàm uita. Virginitas, inquies, sola absque cæteris operibus non saluat. Quę est ergo illa seu impudentia, seu temeritas Soti, quòd uirginitati & cœlibatui suo satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ ita tribuat, perinde ac si ad consequendam peccatorum remissionem, & æternam uitam, nulla alia re opus esset? Et si uirginitas ita demum est meritum æternæ uitæ, cùm accesserint cæteræ uirtutes, multo certè magis coniugium erit æternæ uitæ meritum, & peccatorum satisfactio maximã. Nam & coniugium numeratur inter septem illa Sacramenta, non autem Virginitas, & Paulus de Coniuge dicit, Salua fiet. Per quid? Additur mox: Per generationem liberorum, si manserint, (mulieres) in fide ac dilectione, & sanctificatione cum castitate. Quid nunc Fraterculę respondebis? Mulier, inquit Paulus, salua fiet per liberorum generationem. Si tale encomium in sacra uspiam scriptura de uirginitate extaret, & diceretur, Virgo fiet salua per uirginitatem suam, nullus esset ostentationis Fraterculorum neque modus, neq; finis.

At enim, ne Sotus uideatur testimõnio sacræ Scripturæ destitutus, cõmemorat dictum Pauli, quo somniat se probare, quòd uirginitas & cœlibatus sint satisfactio peccatorum maxima, & meritum æternæ uitæ. Quę omnia, inquiens, ideo præcipuè habent (uirginitas & cœlibatus) quoniam, ut Paulus inquit, Qui sine uxorẽ est, sollicitus est, quæ Domini sunt, &c. Principio, Sotus manifestè contumelioſus & impius est in Paulum, propterea quòd tribuat Paulo tam impiam sententiam, uidelicet, Virginitatem & cœlibatum, esse satisfactionem peccatorum Maximam, & meritum æternæ uitæ. Deinde, deprauat dictum Pauli falsa interpretatione & sequela. Cùm enim Paulus dicit: Qui cœlebs est, curat ea, quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino, nunquid ideo cõsectaneum est, cœlibatum esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ? Quæ est ista dialectica, Cœlebs curat ea quæ sunt Domini, ergo cœlibatus est satisfactio peccatorum maxima, & æternæ uitæ meritum? Nam qui cœlebs est, non potest antè curare quæ sunt Domini, quàm crediderit in Dominum, & agnouerit per fidem Dominum nostrum Iesum Christum. Vera autem fides in Christum, non agnoscit aliam peccatorum satisfactionem coram Deo, nec aliud meritum æternæ uitæ, præter Passionem & mortem Christi ipsius, unigeniti filij Dei.

Ephe. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.

1. Timoth. 2. Vnus Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus.

Primæ Ioannis primo. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Et mox capite secundo: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris.

Hebræ. 10. Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur.

Quare, cùm cœlebs non curet ea, quæ sunt Domini, nisi antea crediderit in Dominum, cumq; non habeat remissionem peccatorum, & meritum æternæ uitæ, nisi propter unicam, & solam satisfactionem, qua Christus filius Dei, Passione & morte sua, expiauit peccata nostra, non solum absurdè, uerumetiam impiè dicitur cœlibatum ipsum esse satisfactionē peccatorum maximam & meritum æternæ uitæ.

Et quid? Num cœlibatus superat dignitate & merito suo Sacrificium Missæ? Virgines ne uestræ, quas uocatis sanctimoniales, habent propter uirginitatem suam, satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ, relinquunt autem sacrificijs uestrarum Missarum, satisfactionem minimam, & meritum minimum æternæ uitæ? Sic impietas Soti in uerticem ipsius descendit.

Quod autem Paulus dicit, cœlibem curare ea quæ sunt Domini, non negat, Coniugem etiam in coniugio posse ea quæ sunt Domini curare. Nisi enim & coniunx ea curet, non potest ueram & æternam salutem assequi, Sed docet quo genere uitæ, suis temporibus, publicum Ecclesiæ ministerium expeditius administrari, & priuata pietas tranquillius exerceri potuerit. Nihil enim minus sentiendum est, quàm quòd Paulus præferat coniugio cœlibatum per se, in cònspectu Dei, quandoquidem non sit personarum, ut Petrus ait, respectus apud Deum, sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Nec sentiēdum est, quòd Paulus tribuat cœlibi propter cœlibatum suum, excelsiorem thronum in futuro cœlesti regno, quàm coniugi, sed præfert alterum uitæ genus alteri, in hac tantum corporali uita, & suis illis temporibus, quibus aduersus Ecclesiam filij Dei conspirauerant tam Gentes quàm Iudæi, nec uidebatur Ecclesia ullam certam sedem, aut hospitium habere. Nam cùm ea sunt tempora, ut singulis momentis expectandæ sint, propter professionem ueræ fidei, direptiones facultatum, eiectiones in exilium, aut etiam mortes, certè consultius est, & tranquillius, non ministro tantum Ecclesiæ, uerumetiam priuato cuique pio, cœlibatum seruare, quàm coniugium inire, si modo continentiæ dono diuinitùs fuerint prædíti. Hoc enim est, quod dicit, Arbitror hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem, non dicit, propter futuram in cœlo fœlicitatem. Et mox. Afflictionem, inquit, in carne habebunt. Non ait, Damnationem habebunt in futuro seculo. Ac rursus: Velim uos absq; sollicitudine esse, (hoc est) optarim uos in hoc seculo tranquillam ducere uitam. Et iterum: Qui elocat nuptum uirginem suam, bene facit. Qui nō elocat nuptum, melius facit. Quomodo melius facit? Num coram Deo? At corā eo non est personarum respectus: sed coram hominibus. Liberat enim uirginem suam, si eam in uirginitate retinuerit, multis curis & molestijs, quæ in coniugio essent perferendæ. Hæc autem de ijs tantum intelligenda sunt, quibus donum continentiæ diuinitùs contigit. Illis enim, qui non habent donum continentiæ, dicitur: Si se non continent, contrahāt matrimonium. Satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Et iterum: Volo iuniores (mulieres) liberos gignere, domum administrare, &c. Nec dubitari debet, quin pius uir, qui, quòd non sit prædítus dono continentiæ, ducit honestam uxorem, multo magis curare queat in medio coniugio, ea quæ sunt Domini, quàm impurus cœlebs, in æstu sui ardoris.

ardoris. Quare, cùm Paulus dicit, Cœlibem curare ea, quæ sunt Domini, intelligit de eo cœlibe, qui habet diuinitùs donum continentiæ, non de illo, cuius tota mens desideriis æstuat, & in cuius animo sola libidinũ incendia bulliunt. Si quis eiusmodi est, melius certè posset, ducta uxore legitima, curare quæ sunt Domini, quàm si etiam uotis sese cœlibatui obstrinxerit. Sed quia hunc locum Pauli in superioribus pericopis copiosè explicuimus, dicemus etiam quædam de eo, quod Christus ait: Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Ex hoc enim loco præferunt nonnulli cœlibatum coniugio, etiam in conspectu, & coram tribunali Dei. Intelligunt enim nomine regni cœlorum, cœleste in futuro seculo regnum, & sentiunt eos, qui suo ipsorum arbitrio sectantur cœlibatum, mereri propter cœlibatum suum, hæreditatem cœlestis regni. Etsi autem sua est commendatio cœlibatus, tamen cùm Christus concionatur de ijs, qui se castrant propter regnum cœlorum, non intelligit illud regnum, quod in altero seculo est futurum, sed quod in hoc seculo est institutum, uidelicet, Ministerium Euangelij, in toto orbe prædicandi. Sicut & aliâs dicitur: Assimilatum est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Et iterum: Simile est regnum cœlorum grano sinapis. In his & similibus locis nomine regni cœlorum intelligendum est Ministerium Euangelij in hac terra, quo ministerio aperiuntur nobis fores cœlestis illius regni, cuius gustum in hoc seculo aliquatenus percipimus, & quo in altero seculo perfectè fruemur. Deinde, cùm Christus loquitur de Eunuchis, qui seipsos castrant, nõ loquitur tantum de cœlebibus, sed etiam de coniugibus, qui ita habent uxores, ut tamen interea non negligant suam uocationem, ad quam diuinitùs sunt destinati. Quare quod Christus dicit, hanc habet sententiam. Ego selegi uos Apostolos, ut adnuncietis Euangelion, seu Regnum cœlorum in uniuerso orbe terrarum. Itaque peragrãdæ uobis erunt omnes nationes terræ. Incommodum autem est, ijs, qui necesse habent loca subinde mutare, & peregrinari, circumducere secum uxorem & familiam. Quare, non cogo quenquam, ut matrimonium contrahat. Etsi enim hactenus in politia Mosaica uitio datus est cœlibatus, & iudicatum est, turpe esse, postæ tatem matrimonio idoneam, in cœlibatu manere, tamen ego libero uos hac turpitudine, & moneo, ut qui potest capere capiat, hoc est, ut qui habet donum continentiæ, utatur eo, qui autem non habet, utatur matrimonio. Habebit quidem aliquid incommodi, si peregrinetur in mundo, ad prædicandum Euangelion, & aut secum circumducat uxorem, aut domi uxorem relinquat, non autem peccat coniugio suo in Deum, si modo uxorem ita habeat, ut sit quasi non habeat, & uocationem suam non deserat. Hoc uerè est seipsum propter regnum cœlorum castrare. Quid autẽ hoc ad Fraterculorum cœlibatum? quid ad uota Monachorum? Hi enim castrant se, si modo se castrant, non ut in mundo Euangelion adnuncient, sed ut non adnuncient. Etsi enim nonnulli eorum contulerunt se aliquoties ad publicum prædicandi ministerium, tamen non in hoc uouerunt sua illa uota continentiæ, paupertatis & obedientiæ, sed uouent ea, ut habeant, quemadmodum Sotus exponit, satisfactionem peccatorum Maximam, & meritum æternæ uitæ. Quare sicut Fraterculi non habent patrocinium uotorum suorum è dictis Pauli, ita nec habent è dicto Christi.

Sed Asotus recenset etiam alia quædam dicta scripturæ, ad confirman

dam suam Monasticen: De uirginibus consilium do: Vade & uende omnia quæ habes: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, &c. Ac duo quidem priora dicta, satis in alijs pericopis à nobis sunt exposita. Quæ autem Sotus hic commemorat quoq; illud Christi: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, iam demum intellígo, cur dixerit uota monachorum desumpta esse ex fontibus ipsis Euangelicis. Ergo Christus, cùm dicit, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, instituit, iuxta Soti sententiam, professionem Monasticam, & exigit uota Monastica. Manifestum autem est, quòd hoc dictum Christi pertineat ad omnes homines, qui ad ueram & æternã salutem adspirant. Ab omnibus enim exigit, ut si uoluerint salui fieri, abnegent semetipsos, & tollant crucem suam quotidie, ac sequantur Christum. Et additur explicatio à Christo ipso: Qui uoluerit, (inquit) animam suam saluam facere, perdet illam. Qui uerò perdiderit animam suam propter me, is saluam faciet illã. Reliquum igitur est, quòd nisi homines uoueant tria illa uota Monastica, & fiant Fraterculi ac Monachi, non possunt fieri salui. Hoc spectãt, hoc uolunt Fraterculi. Etsi enim non solent hoc disertis uerbis efferre, tamen cum ea dicta Christi & Pauli, quæ generaliter ad omnes pertinent, ad suã Monasticam professionem torquent, dubium non est, quin sentiant in recessibus animorum suorum, se cum suis uotis solos esse in statu consequendæ æternæ salutis. Et sunt quoq; nonnulli è ueteribus, qui ipsis ad hanc sententiam dederunt occasionem. Sed agimus Deo Patri Domini nostri Iesu Christi summas gratias, quòd nos clementer ex his Monachorum tenebris ac sordibus liberauerit, ac ueram Euangelij lucem patefecerit. Christus enim, cùm iubet nosmetipsos abnegare, & crucem tollere, non abolet, nec coniugium, nec alia politica uitæ genera, nec iubet nos uota Monastica facere, sed iubet id, quod Paulus scribit, Tempus, inquiens, contractum est, superest, ut qui habent uxores, sint tanquam non habeant, & qui plorant, tanquam non plorent, & qui gaudẽt, tanquam nõ gaudeant, & qui emunt, tanquam non possideant, & qui utuntur mundo hoc, tanquam non ũtantur. Hoc autem præstandum est, non tãtum in cœlibatu, paupertate, & subiectione, uerumetiam in coniugio, in diuitijs, & dominatione, ut quemadmodum Paulus dicit, Noui humilis esse, noui & excellere, ubiq; & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: ita & nos uerè dicere discamus, Noui cœlebs esse, noui & coniunx esse, noui pauper esse, noui & diues esse, noui seruire, noui & dominari. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Abnegare igitur semetipsum, & tollere crucem suã, ac sequi Christum, non est Fraterculorum, sed Christianorum, nõ est Monachorum, sed hominum piorum, hoc est, ueræ Ecclesiæ Dei, quæ siue in coniugio, siue in cœlibatu, siue in paupertate, siue in diuitijs, siue in seruitute, siue in dominatione, sequitur uocationem Domini, & subijcit se uerbo eius.

De discrimine præcepti & consilij, suprà in alijs pericopis perspicuè diximus. Illud unum hic repetendum uidetur, quòd cùm Paulus dat de uirginibus non præceptum, sed Consiliũ, meritò reprehendẽda sit temeritas Fraterculorum, quòd faciant uotis suis ex consilio præceptum. Quis enim iusserit, quis concesserit, ut quod Spiritus sanctus liberum esse uoluit, uos uotis uestris captiuum aut necessarium faciatis? Velitis igitur, nolitis, Virginitas uoto ligata pertinet ad mandata, & doctrinas hominum, quibus frustra Deus colitur: & quia additis, uirginitatem illam esse satisfactionem

factionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ, non solùm uanus, uerumetiam impius est cultus, quem Deus non aliter abominatur, quàm olim traductionem filiorum per ignem.

Nam, quod Augustinus dicit: Parum esse, ad cõsequendam egregiam gloriam in æterna uita, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori uoueatur, &c. suprà explicatum est, & Augustini autoritas non est tanti, ut queat contra dictum Christi, ex præceptis & doctrinis hominum facere cultus Deo gratos, & merita gloriæ in æterna uita.

In hoc autem capite sæpè nobis Iouinianus occinitur, & putat fortasis Asotus Hieronymi scripta aduersus Iouinianũ nobis ignota esse. Sed quia non extant scripta Iouiniani, & quæ recitat Hieronymus è scriptis Iouiniani, nescimus num bona fide sint ab accusatore seu hoste recitata, & multa in libris Hieronymi aduersus Iouinianum contineantur, quæ magis iudicium requirunt, quàm fidem merentur, nihil nobis nunc, uel cum Iouiniano, uel cum Hieronymo, sed in reipsa explicanda uersamur, ut ostendamus sententiam Confessionis Principis consentaneam esse cum scriptis Propheticis & Apostolicis. Hoc si (de quo non dubito,) probatum fuerit, nihil ad nos, siue cum Iouiniano, siue cum Hieronymo pugnet.

Confessio Principis dicit Statum cælibum ad peragenda publica ministeria Ecclesiæ aptiorem & accommodatiorem esse ijs, qui non uruntur. Hic, quæ addit Sotus, uix possum præ balbutie eius assequi. Tantum illud uideo eum uelle dicere, quòd & peruertamus sensum Pauli, & Paulus doceat, libidinem reprimendam esse castigatione corporis, NON MATRIMONIO. Sed utrumque falsum est. Paulus enim, cum dicit: Innuptis & uiduis bonum esse, si manserint, ut & ipse, loquitur de ijs, qui habent donum continentiæ. De illis autem, qui uruntur, & patiuntur fœda ac obscœna incendia, statim addit: Si autem non continent se; contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Et Christus ipse: Non omnes, inquit, capaces sunt huius dicti, sed ij, quibus datum est, apertè significans, illis quibus non est datum, satius esse tutum coniugium inire, quàm periculosum cælibatum sectari. Quid ergo Asotus hoc loco nugatur de peruerso, ut ipse loquitur, sensu Pauli?

Deinde, affirmat Paulum docere, libidinem castigatione corporis reprimendam esse, non matrimonio: Scio quidem Paulum dicere, se castigare aut subijcere corpus suum, & in seruitutem redigere, ne quo modo, ut cum alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur, non uideo autem, quòd dicat libidinem non esse reprimendam matrimonio. Et an non Sotus apertè hoc loco aduersus sententiam Pauli insanit? Paulus manifestè dicit: Propter stupra uitanda, suam quisque uxorem habeat. Et: Melius est nubere quàm uri. Et: Volo iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare aduersario, ut habeat maledicendi causam. Vult Paulus, ut qui se non continet, matrimonium contrahat. Sotus autem Paulo & eruditior, & sanctior, vult incontinentiam reprimendam non matrimonio, sed castigatione corporis. O hominem Seraphicum & Cherubicum, qui multò rectius & expeditius nouit Ecclesiam filij Dei, angelicam castitatem docere, quàm Paulus, imò quàm spiritus ipse sanctus. Quis hunc hominem non demonstraret digito, & diceret: HIC EST? Sed abeant Sotica blateramenta. Nam

quòd Paulus castigat corpus suum & in seruitutem redigit, exemplum est, non ad solos cœlibes, sed ad omnes homines, siue cœlibes siue coniuges pertinens, nec est intelligendum tantùm de continentia in rebus uenereis, uerumetiam in cultu omni, atq; uictu, aliisque in rebus, quas Paulus ipse in eo capite enumerat. Necessarium enim est, ut non solum minister ecclesiæ, uerumetiam pius quisque, siue cœlebs siue coniunx, corpus suum ita castiget, & in seruitutem redigat, ne sit aliis offendiculo & reprobus efficiatur. Cùm igitur Sotus doceat, libidinem reprimendam non matrimonio, sed castigatione corporis, apertè damnat matrimonium, non solùm in Fraterculis suis, uerumetiam in uniuersa ecclesia Christi. Tantam contumeliam reportat genus uitæ diuinitùs institutum à Catholicæ ecclesiæ patrono.

Non ignoro, quomodo Augustinus interpretetur illud Esaiæ: Dabo eunuchis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius præ filijs & filiabus. Et illud Pauli: Qui uirginem suam non elocat nuptum, melius facit. Et: Beatior est, si sic maneat. Sed locum Esaiæ suprà, in prima Pericopa copiosè explicuimus. Quòd autem Augustinus illud Pauli, MELIVS & BEATIVS, non tantùm de præsenti, sed etiam de futuro seculo intelligat, ac sentiat, uirgines & cœlibes miserabiliores esse omnibus hominibus, si propter istam tantùm uitam continentiæ studeant, multò certè tolerabilius, ac etiam honestius sentit, quàm Asotus & Fraterculi eius. Hi enim uociferantur Virginitatem & Cœlibatum esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ, quæ est manifesta impietas: Augustinus autem simpliciter sentit pios cœlibes non tantum propter hanc uitam, sed etiam propter futuram suscipere cœlibatum. Hæc sententia (si rectè intellexeris) per se non est impia. Non est autem intelligenda de cœlibatu, & de eleemosyna tantùm, qua esurienti frangitur panis, sed etiam de omnibus piorum in hac uita actionibus, & passionibus, adeoque de ipso quoque coniugio. Nam quemadmodum imitatione uerborũ Pauli, (Si in hac tantùm uita spem in Christo fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus) rectè ac piè de cœlibatu dici potest, Si quis tantùm propter hanc uitam cœlebs fuerit, miserabilior est omnibus hominibus: ita & de omnibus piorum operibus, & afflictionibus, ac de quouis uitæ eorum genere, rectè ac piè dicitur: Si quis tantùm propter hanc uitam bona operatur, & malis affligitur, nihil eo est miserius. Omnes enim piorum actiones, omne genus uitæ eorum, siue sit coniugium, siue cœlibatus, siue mercatura, siue agricultura, siue dominatio, siue seruitus, ad illum finem tendere debet, non ut hanc tantùm uitam transigamus, & deinde pereamus, sed ut superatis huius uitæ difficultatibus in æternam uitam ingrediamur. Non habemus, inquit Apostolus, hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et iterum: Non constituit nos Deus, ut iram nobis concitemus, sed salutem consequamur per Dominum nostrum Iesum Christum. Ac rursus: Siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et iterum: Qui curat diem, Domino curat. Qui non curat diem, Domino non curat. Et: Qui uescitur, Domino uescitur. Gratias enim agit Domino. Qui non uescitur, Domino non uescitur, & gratias agit Deo. Nullus nostrũ sibijpsi uiuit, & nullus sibijpsi moritur. Nam siue uiuimus, Dño uiuimus, siue morimur, Domino morimur. Quare, quod Paulus dicit in genere de omnibus pijs, Si tantũ in hac uita spem fixam in Christo

Christo habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus, hoc non tantum ad unum, sed ad omnia uitæ genera transferri debet, ut dicamus: Si uel Reges & Principes, uel subiecti & serui, uel docti uel indocti, uel iuuenes uel senes, uel incolumes, uel imbecilles, uel diuites, uel pauperes, uel saturi, uel ieiuni, uel coniuges, uel cœlibes, uel agricolæ, uel mercatores, in hac tantùm uita spem fixam in Christo habent, nihil est ipsis calamitosius. Quid ergo? Nũ, quia in quouis uitę genere, aut in quauis piorum actione & passione, non est tantùm in hac uita spes in Christo fixa habenda, idcircò ea uitæ genera, & actiones illæ & passiones piorum dicendæ sunt maxima peccatorum satisfactio, & meritum æternæ uitæ? Itaq; non tantùm uirginitas & cœlibatus, uerumetiam esus, potus, mercatura, agricultura, diuitiæ, fanitas, eruditio, ruditas, & quid non? maxima erunt peccatorum satisfactio & æternæ uitæ meritum. Hæc est lepida theologia catholicæ illius ecclesiæ, cui Sotus patrocinatur.

Nam quòd reprehendit collationem circumcisionis & præpucij, cum cœlibatu & coniugio, quam Confessio Principis recitat, suprà in prima Pericopa copiosè explicatum est. Ac bonus uir hoc loco non reijcit tantùm Confessionem Principis sciens, sed etiam Hieronymum suum insciens. Quam enim collationem circumcisionis & præpucij cum cœlibatu & uirginitate commemorat Confessio Principis, eam Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum ponit. Habebas, inquiens, uxorem cùm credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidij, quia in pace uocauit nos Deus, Circumcisio nihil est, & præpucium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Nihil enim prodest absque operibus cœlibatus & nuptiæ, cùm etiam fides, quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur, &c. Hactenus Hieronymus.

Sed facilè elabetur Sotus, si dixerit Hieronymum excessiuè locutum, aut retulerit hoc ad dispensationem prælatorum suorum. Quas enim regulas habeat interpretandi, aut uel reijciendi, uel agnoscendi dicta Patrum, suprà sunt recitatæ.

Quid autem illud sibi vult, quòd cùm Confessio Principis dixisset, Cœlibatũ nihil esse, respondeat Sotus: Quomodo, inquiens, nihil est, quum pertineat ad nouam creaturam? Putasne, quæso, Sotus intelligat, quid dicat? Quid est, ad nouam creaturam pertinere? Exponat igitur prius σκοτίαν suam, & tum respondebimus. Nam, quod testimonij loco ex Apocalypsi Ioannis addit, connectit suo more inconuenientia. Ac iterum contumelios us est tam in Ioannem, quàm in coniugium. Cùm enim Ioannes dicit, quòd hi cantent canticum nouum, qui non sunt cum mulieribus coinquinati, intellígit Sotus, eum reijcere coniuges, ac sentit, non eos tantum qui scortantur, uerumetiam qui in coniugio sunt, cum mulieribus coinquinari. Quod ergo spiritus sanctus uocat castitatem, & Sotici ipsi, Sacramentum, hoc impurus hypocrita uocat coinquinationẽ, quam sententiam tribuit etiam Apocalypseos autori, hoc est, afficit utrunque contumelia. Nam quid nomine uirginum eo loco sit intelligendũ, aliàs exposuimus.

Gangrensis Synodus apertè stat à parte Confessionis Principis, & manifestè æquat inter se piam continentiam, & pium coniugium, & tamen ea est Fraterculi peruersitas & obstinatia, ut præ ea nec uelit, nec possit ueritati locum dare. Primùm enim, commendatur quidem in ea

Synodo Virginitas & continentia, non autem præfertur pio & honesto coniugio coram Deo. Deinde laudatur & ipsum Coniugium. Dicit enim Synodus: Nuptiarum castum uinculum honoramus. Postremò, etiamsi Virginitas aliquo modo præferretur coniugio, tamen non dicitur, quod Sotus uociferatur, Virginitatem esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ. Qua Soti impietate, quid potest dici horribilius?

Ac profectò Sotus suo se ipse gladio iugulat. Dicit enim, quod & uerum dicit, Synodum Gangrensem reprimere superbiam & arrogantiam Virginum, ne uituperent coniugium, néue extollant se aduersus coniuges. Quæso te, quid est coram Deo æquare uirginitatem & coniugium, si hoc non est? Quæ enim, obsecro, causa est, quod uirgines non debeant se extollere supra coniuges, nisi quia in conspectu Dei non est personæ respectus, sed in quouis uitæ genere, siue in uirginitate, siue in coniugio, qui timet Deum, & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Nam, cùm Synodus Gangrensis iubet uirgines non extollere se aduersus coniuges, non certè docet uanam hypocrisim, sed ingenuam ueritatem, non docet fictam simulationem, sed ueram humilitatem. Non est uera humilitas, quam fingunt Fraterculi, uidelicet, aut deserere suam uocationem, & conijcere se in sordes Monasticas, aut fingere aliud uoce & gestu, quàm corde sentias. Horum alterum est, Temeritas, alterum hypocrisis & mendacium. Cùm ergo Sotus contendit Virginitatem præferendam esse coniugio coram Deo, & interea tamen exigit, (Si modò hypocrita seriò id exigit) ne Virgines prę ferant se coniugibus, in suo uitæ genere, quid, quæso, aliud docet, quàm simulationem & hypocrisim, hoc est, non ueritatem, sed mendacium, non piam humilitatem, sed execrandam arrogantiam?

Nam, si uerum est, quòd Virginitas præferenda sit coniugio coram Deo, certè licebit etiam Virgini, coram Deo aduersus coniugem gloriari? Cur enim non liceret, imò cur non deberet Veritas agnosci, & constanter affirmari? Num putas tu Deum delectari mendacio? Ponamus Virginem & Coniugem, in uera fide erga filium Dei, æquales, & utramq; eodem spiritus feruore ueram pietatem sectari, Virginitas autem & Coniugium habeant uerè hoc discrimen, quod eis Sotus, coram Deo, affingit, quid obstaret, quo minus Virgo efferret se coram Deo, propter Virginitatem suam, supra coniugem, & diceret: DOMINE Deus, cœlestis Pater, & si hæc coniunx fortasis eandem habet fidem in Christum, quam ego, tamen quia coinquinata est cum uiro, & ego seruaui meam Virginitatem, ideo meritò sum ei in regno cœlesti præferenda, & in altiori throno collocanda? Profectò nisi uelit mendax haberi, necesse habet, iuxta Soticam doctrinam, hoc modo coram Deo sentire & precari. Humilitas, inquies, seruanda est. Rectè. Non autem ficta, sed uera. Ficta humilitas, qualis est hypocritarum & Fraterculorum, non est humilitas, sed arrogantia. Et aliud corde sentire, aliud uerbis profiteri, non est ueritas, sed hypocrisis. In Ieremia dicit DOMINVS: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis. Quid ita? Num docet Deus simulationem, ut corde quidem sentias, sapientiam tuam, & fortitudinem tuam, & diuitias tuas, esse coram Deo res præstantissimas, & cœlesti regno dignissimas, non autẽ id uerbis profitearis? Nihil certè minus,

sed

sed docet ueritatem. Ideo enim non est gloriandum, nec in sapientia, nec in fortitudine, nec in diuitijs suis, quia humana sapientia est stulticia, & fortitudo, imbecillitas, & diuitiæ, paupertas. Sic & Gangrensis Synodus: Si quis, inquit, ex his qui Virginitatem propter Christum seruat, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Quid? Num Virginitas non est præferenda coniugio? Et si est præferenda, cur Synodus anathemate deuouet eas uirgines, quæ se propter Virginitatẽ efferunt aduersus coniuges? An ueritas non est, & corde sentienda, & uerbis proferenda? Certè ueritatis professio, nõ est, nec superbia, nec arrogantia, sed obedientia Deo debita.

Cùm autem Synodus anathemate prohibeat, ne Virgo efferat se propter uirginitatem supra coniugem, manifestè significat uirginitatem per se, in conspectu Dei, coniugio non esse præferendam. Quare hæc Synodus non tantum reijcit superbiam & arrogantiam uirginum, sed etiam reijcit, & damnat uanitatem, & hypocrisin Soti ac omnium Fraterculorum eius, quòd cùm uociferentur uirginitatẽ non solum præferendã coniugio, uerumetiam esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternæ uitæ, testificentur se esse hypocritas longè omnium arrogantissimos & impijssimos.

Eadem Gangrensis Synodus anathemate deuouet eum, qui amictu pallij sic utitur, tanquàm ex eo iusticiam habiturus, & alios despiciat. Hic iterum Sotus docet, quòd reprehendatur superstitio, & superbia alios iudicandi. Optimè, rectissimè. Quæ autẽ maior est superstitio, quàm inter Soticos Fraterculos? Et, an non hi ex uestitu suo iusticiam quærunt? Nescio quanta religione suas cucullas gestent, certè vulgatum hactenus fuit, & uidimus ipsi exempla, quòd qui sepeliatur in ueste Franciscana, dicatur consequi remissionem tertiæ partis peccatorum suorum. Si autem tanti est momenti una uestis Franciscana, ut impetret remissionem tertiæ partis peccatorum, quæ est hæc aut inuidia, aut negligentia, quòd mortuos suos non induant tribus talibus uestimentis, quo consequerentur remissionem peccatorum omnium?

Sed pergemus, & perstringemus tantũ præcipua. Quis. n. singulas Soti φλυαρίας percurrere posset? Recitat Sotus ex Augustino, cp si res ipsas cõparemus, nullo modo dubitandũ sit, meliorem esse castitatẽ continentiæ, cp castitatem nuptialẽ, cùm tamen utrunq; sit bonũ: homines uerò cùm comparamus, illum esse meliorem, qui bonum aliquod amplius, cp alius habet, &c. Ad hunc & similia loca Augustini respondemus, primùm, quòd Augustini dicta non habeant canonicam autoritatem, nisi Canonicis testimonijs uerè sint confirmata. Deinde, si Augustinus intelligit castitatem continentiæ meliorem, hoc est, tranquilliorem esse in hoc seculo, & in ijs, qui habent diuinitùs donum continentiæ, quàm castitatem coniugalem, assentior. Si autem intelligit castitatem continentiæ idcircò meliorem esse, quòd sit satisfactio peccatorum maxima, & meritum æternæ uitæ, quemadmodum Sotus interpretatur, nihil nobis hac in parte cum Augustino. Etsi enim non facio Augustinum participem Soticę impietatis, tamen non libet in præsentia cum Soto de Augustini sententia rixari. Illud modò affirmo, Summam esse impietatem dicere, castitatem continentiæ idcircò esse meliorem, quòd sit satisfactio peccatorum maxima, & meritum æternæ uitæ.

Opera, quæ sunt diuinitùs præcepta, & quæ ab hominibus, etiam spiritu sancto præditis, in hac uita fiunt, ne minima quidem ex parte satisfa-

ciunt coram tribunali Dei pro peccatis nostris, & satisfacerent opera per se libera, & tantùm consilio tradita? Quæ nos in hoc seculo facimus bona opera, iuxta mandata Dei, & si, cùm ex uera fide fiunt, auertunt nonnunquàm à nobis, ex indulgentia Dei, temporalem pœnam, tamen non merentur in iudicio Dei, uitam corporalẽ: Quomodo ergo cælibatus, quem Deus nõ præcepit, posset mereri cœlestem, & æternam uitam? Sed quod habent (inquiet Sotus) Virginitas & cælibatus, ex gratia Dei habent, & ex merito Christi. Hanc autem impiam gratiæ Dei, & meriti Christi obscurationem suprà copiosè in alijs pericopis refutauimus. Nam, si uerè credo in Christum, fieri non potest, ut credam, quòd uel cælibatus, uel alia nostra opera, expient coram Deo peccata nostra. Hæc enim uera est fides, quòd Solus Christus passione & morte sua expiauerit nostra peccata, & quòd hanc expiationis maiestatem in nullum humanum opus transtulerit, sed suæ solius personæ reseruauerit, ac nobis fructum eius per solam fidem communicet. Si autem credo, opera nostra esse expiationem, & satisfactionem pro peccatis, fieri non potest, ut uerè credam in Christum. Israel, inquit Paulus, qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Propter quid? Quia non EX FIDE, sed tanquàm EX OPERIBVS LEGIS.

Manifestum igitur & perspicuum est, quòd cùm Sotus non uereatur aperta fronte uociferari, Virginitatem & cælibatum esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum æternę uitæ, non tantùm sit execrandus hypocrita, uerumetiam collocandus sit in catalogo impiorum Iudęorum, qui abnegato & crucifixo Christo filio Dei, omnem spem salutis suę in meritis suorum operum reponebant. Et cùm hanc impietatem profiteatur nomine Catholicæ suæ ecclesiæ, non est amplius dubitandũ, quin hanc Soticam ecclesiam, tanquàm præsentissimam uerę Ecclesię filij Dei pestem fugere debeamus. Hactenus de castitate.

Dicamus etiam de paupertate illa uoluntaria, quam Sotus desiniit esse omnimodam, ut ipse loquitur, temporalium rerum abdicationem, & quã impietatem antea tribuit castitati, eandẽ tribuit huic uoluntariæ paupertati, uidelicet, quòd & ipsa & uotum eius, sint satisfactio peccatorum, meritum æternæ uitæ, atque consequendæ perfectionis non minimum instrumentum. Et quidem affirmat magnam esse blasphemiam, reprehendere hanc paupertatem, propterea quòd, ut ipse nugatur, commendetur nobis tam uerbis quàm exemplo Christi, & tam autoritate Apostolorum, quàm exemplo primitiuæ ecclesiæ. Hæc ferè summa est eorum, quæ Sotus de uoluntaria Fraterculorum suorum paupertate euomit. Ecquando tandem, Sote, incipis ab impudentia & mendacio tibi temperare? Pergesne semper os, citra omnem uerecundiam, perfricare? Sed ad rem ipsam. Illud nobis constitutum sit, quòd in præsentia non loquamur de paupertate spirituali, quæ est uirtus animi, qua, si opes habueris, non collocas in eis fiduciam, si non habueris, piè ijs cares. De qua paupertate Psalmus canit: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et Paulus: His (inquit) qui sunt diuites in præsenti sæculo, præcipe, ne elato sint animo, neque spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, &c. Ac iterum: Noui humilis esse, noui & excellere, ubique & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Hæc spiritualis paupertas communis est omnibus pijs, etiam in mediijs diuitijs, nec consulitur tantùm, uerumetiam præcipitur diuinitùs, & exigitur

exigitur seueríssimè. Deinde, sciamus & illud, quòd paupertas cõporalis, seu egestas & externarum rerum indigentia, pertineat in catalogum earum maledictionum, quæ propter peccatum humano generi sunt impositæ, iuxta illud: In sudore vultus tui uescéris pane tuo. Et iterum: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, maledictus eris in agro. Et, Percutiet te Dominus egestate, &c. Etsi enim filius Dei, expiator peccati, consecrauit hanc egestatem, sua egestate in benedictionem, ut pijs ad salutem cedat, tamen si originem eius respexeris, sicut morbus, infamia, ac mors ipsa, ita & hæc paupertas est stipendium peccati. Quod cùm ita se habeat, miranda est Soti insulsitas, quòd cùm Confessio Principis de hac paupertate loquatur, & ostendat absurdum esse, eam uouere, Sotus uociferetur hanc rationem, (ut ipse balbutit) indignam esse non Christiano solùm, sed etiam prudente, & affirmet nos habere consilium hanc paupertatem quærendi & amandi, exemplo Apostolorum. Postquàm enim certissimum est, quòd hæc paupertas sit una ex maledictionibus, quibus humanum genus propter peccatum, obnoxium est, & pertineat in catalogum morborum, infamiæ, captiuitatis, & omnium id genus reliquarum ærumnarum humani generis, manifestum est, quòd quemadmodum absurdum & insanum esset, si quis clementia Dei donatus esset sanitate, aut honesta nominis fama, aut libertate, conijceret se sua sponte, absque certa uocatione Dei, in morbos, in infamiam, & in captiuitatem, ac præterea uoueret se perpetuò ægrotaturum, aut infamem, aut captiuum futurũ: ita & furiosum sit, hanc paupertatem, de qua in præsentia loquimur, desertis absque singulari Dei uocatione opibus, quas diuina liberalitate possides, sponte suscipere, & uouere te perpetuò eam seruaturum. Ac profectò tantum abest, ut hanc paupertatẽ sic suscipere & uouere, sit satisfactio, quemadmodum Sotus effutit, peccatorum, & meritum æternæ uitæ, ac cõsequendæ perfectionis non minimum instrumentum, ut non solùm sit inconsiderata temeritas, uerumetiam detestanda impietas. Non est quidem dubium, quin, si Deus uoluerit te nasci ex egenis parentibus, aut abstulerit tibi res tuas uel incendio, uel direptione hostili, uel persecutione, uel personali uocatione, uel alio casu, obsequẽdum sit diuinæ uoluntati, & patienter ferendum, quod Dominus imposuit, & piè mutari non potest: Sed deserere tuo ipsius arbitrio facultates, & uouere perpetuam egestatem, seu mendicitatem, ut hac desertione, & uoto satisfacias pro peccatis, & merearis æternam uitam, hoc demùm & furiosum est & impium. Lex enim Dei est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentas autem Deum, cùm reijcis, quæ Deus certa dedit, & requiris incerta. Et uniuersum Euangelion docet, Solam passionem & mortem Christi esse satisfactionem pro peccatis nostris, ac meritum æternæ uitæ. Detrahitur autem merito Christi, quicquid electiciæ paupertati deputatur. Ac Sotus sæpè quidem exposuit, quomodo pro sua sententia sit intelligendum, quòd solus Christus eiusque passio sit meritum æternæ uitæ, nos autem uicissim sæpè ostendimus, ac probauimus, expositionem eius esse impiam & blasphemam.

Nam, quod attinet ad illud dictum Christi: Vade & uende omnia quæ habes &c. quo Sotus suam impietatẽ stabilire conatur, docuimus suprà, non esse consilium uniuersale, sed præceptum personale, cui cùm adolescens, ad quem dictum est, non obsequeretur, factus est cœlesti regno indignus.

Exemplum autem Christi, qui & ipse pauper fuit, nec habuit, ubi reclinaret caput suum, nihil ad paupertatem Fraterculorum, & uota eorum. Christus enim suscepit suam paupertatem, sicut & crucem & mortem, ex uocatione Dei Patris sui. Ecce, inquit Propheta, rex tuus ueniet tibi iustus & saluator, ipse PAVPER, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Fraterculi autem suscipiunt & uouent paupertatem, non ex uocatione Dei, sed ex priuata temeritate & superstitione. Et Christus expiauit quidem sua paupertate nostra peccata, cùm autem fraterculi suscipiunt sua paupertate peccata hominum expianda, & uitam æternam promerendam, collocant se in loco Christi, & designant crimen læsæ maiestatis eius. Quid igitur paupertas fraterculorum ad paupertatem Christi?

Nam quòd & Apostoli deseruerint omnia, & pauperes fuerint, secuti sunt cœlestem uocationem, non secuti sunt exemplum, absque uocatione. Quòd autẽ credentes Euangelio, in primitiua ecclesia uendiderint suas facultates, & habuerint omnia communia, exemplum est institutí per se indifferentis, & temporalis, quod tantum abest, ut approbet uotum paupertatis fraterculorum, ut potius cum eo ex diametro pugnet. Hi enim uouent paupertatem perpetuam, illi autem nec uouerunt paupertatem, nec institutũ eorum fuit perpetuum. Horum multi facultates suas ita deserunt, ut mendicitate quærant uictum, Vnde & cognomen Mendicantium reportant: illi autem suas facultates ita contulerunt, ut nullus esset inter illos egens, aut mendicus. Deniq; hi uouent suam paupertatẽ, ut satisfaciant pro peccatis hominum, & mereantur æternam uitam, quæ est opinio impia. Illi autem antè habuerunt remissionem peccatorum & meritum æternæ uitæ in Christo filio Dei per fidem, priusquàm sua in commune contulerunt.

Paupertas igitur Fraterculorũ tantum distat ab exemplo credentium Euangelio in primitiua ecclesia, quantũ terra à cœlo, imò quantum superstitio & impietas, à uera religione & pietate.

Ornat Sotus paupertatis suæ uotum, etiam illo elogio, quòd sit consequendæ perfectionis non minimum instrumentum. Imò, ut addam correctionem, Instrumentum maximum omnium. Si enim hoc uotum est satisfactio peccatorum, & meritum æternæ uitæ, quemadmodum Sotus paulò antè dixit, quomodo non superaret omnia consequendæ perfectionis instrumenta? Sed uanissimus uir, dum è suis scriptoribus colligit sine ullo iudicio encomia monastices, non uidet se in eadem periodo incongruentia coacerũare. Nam quòd uocat uotum monasticum, non minimum consequendæ perfectionis instrumentum, uidetur sumptum ex Gerſone, qui reprehendens arrogans illud epitheton, (Status perfectionis) quod nonnulli factitijs religionibus (hoc est) monasticæ professioni tribuebant, dicit eas potius nominandas uias quasdam seu instrumenta, siue dispositiones ad perfectionem acquirendã, quàm status perfectionis.

Quomodo autẽ non essent dicendæ, status perfectionis, si essent, sicut Sotus affirmat, satisfactio peccatorum maxima, & meritum æternæ uitæ? Quid enim maius, quid perfectius satisfactione peccatorum maxima, & merito uitæ æternæ?

Quare, cùm Sotus in unum aceruum indiscriminatim colligit & connectit, quæ sui scriptores in monastica professione aliâs reprehendunt, aliâs laudant, palàm ostendit, quãto iudicij acumine etiam in legendis suis scriptoribus uersetur.

Quid

Quid uerò, obsecro, illud est, quòd dicit: Mendicare humilitatis amore, non esse contrarium charitati proximi, modò mendicans non uiuat ociosè, & sine utilitate ecclesiæ? Non est ignotum, quòd & Dominus dixerit, dignum esse operarium mercede sua, & Paulus docuerit eos qui Euangelion adnunciant, ex Euangelio uiuere, & qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore dignos, maximè illos, qui laborant in sermone & doctrina.

Sed quid hoc ad eos Monachos & Fraterculos, qui in hoc suscipiunt monastica uota facienda, ut remoti à publicis, tam politiæ quàm Ecclesiæ ministerijs, sibi tantùm, & suis horarijs precibus demurmurandis uiuant? Et an non hæc fuit quondam conditio monasticæ professionis, non ut publicè ecclesiam docerent, sed ut priuatim lugerent? Monachus (inquit Hieronymus) non doctoris, sed plangentis habet officium, qui uel se, uel mundum iugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & uas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur. Et aliâs. Alia (inquit) est Monachorum causa, alia Clericorum: Clerici pascunt oues, ego pascor, Illi de altario uiuunt, mihi quasi infructuosæ arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Quo igitur alio prætextu defendent Fraterculi suam mendicitatem, quàm hi, de quibus filius Dei dicit: Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos Viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium.

Et quid, quæso, est humilitatis amore mendicare? An humilitas est, suas facultates, absque uocatione Dei abijcere, ut fruaris alienis? Hæc certè non est humilitas sed temeritas. An humilitas est, uouere mendicitatem, ut hoc opere satisfacias pro peccatis tuis, & mereare æternã uitam? Hæc profectò non est humilitas, sed impietas.

Et quomodo mendicitas potest humilitatis amore uoueri, cùm spiritus sanctus doceat, beatius esse dare, quàm accipere, & iubeat Deum contra mendicitatem inuocare? Hæc precatio extat in Prouerb. cap. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. Tribue tantùm uictui meo necessaria, ne fortè saciatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini. Ac fatendum quidem est, quòd quos Deus ad mendicitatem uocat, & quibus ipse mendicitatem ferendam imponit, quales sunt egeni, corpore imbecilles, aut alijs casibus in egestatem coniecti, ij debeant se sub potenti manu Dei humiliare, sicut & illi, quos Deus morbis, aut alijs ærumnis affligit: deserere autem sua, absque certa uocatione Dei, & sua sponte, sano ac ualido corpore suscipere sectandam mendicitatem, non est uirtus commendatione digna, sed aut ignauia fustibus coërcenda, aut impietas ex Ecclesia filij Dei longè depellenda. Lex Mosi tanta est honestate, ut iubeat populũ Dei prouidere, ne quis sit inter ipsos indigens & mendicus, & uos Fraterculi existimatis eam honestatem, diuulgato iam Euangelio, intantum non seruandam, ut etiam mendicitas in cultum Dei, quo peccata expiemus, & uitam æternam mereamur, sit instituenda? Imperator Valentinianus coërcet ualidos mendicantes graui seueritate, & uos Fraterculi hanc legitimam ordinationem prætextu religionis eludetis? Scilicet tanti sunt murmura uestrarũ precum, ut propter ea liceat uobis non domos tantùm & agros, uerumetiam prouincias, & regna aliorum deuorare. C. de mendicantibus ualidis.

Quasi uerò non habeat ecclesia Dei orationem Dominicam commu-
nem, qua alter alterius salutem Deo ita commendat, ut peculiarem homi
num ordinem ad demurmurandas preculas instituere, nihil aliud uidea-
tur, quàm preces ueræ Ecclesiæ Dei aut contemnere, aut abnegare. Ac
uerum quidem est, quòd hi quos Deus ipse conijcit in mendicitatem, ex-
hibeant diuitibus materiam exercendæ charitatis: Qui autem integro &
robusto corpore, uouent & sectantur mendicitatem, ad expianda sua, &
aliorum peccata, tantum abest, ut dent alijs materiam exercendæ chari-
tatis, ut potius excitent eos ad exercendam crudelitatem, & sectandam
impietatem. Sicut enim quondam Pharisæi irritum faciebant præceptũ
Dei, propter traditionem suam, qua iubebant liberos respondere paren-
tibus, Corban, ita & Fraterculi prædicatione impiæ suæ mendicitatis ef-
ficiunt, ut quæ iuxta præceptum Dei conferenda essent in eos, qui uerè
sunt pauperes & egeni, ea conferantur in impostores, & in ueræ Ecclesiæ
Dei uastatores. Manifestum igitur est, quòd paupertas seu mendicitas,
quam Fraterculi absque uocatione Dei suscipiunt, & iactant eam esse sa-
tisfactionem peccatorum, & meritum æternæ uitæ, non solum non sit
uera imitatio exempli Christi, nec probetur autoritate Apostolorum, &
exemplo primitiuæ ecclesiæ, sed etiam afficiat Christum, Apostolos &
Ecclesiam contumelia summa.

De obedientia monastica Sotus eadem nugatur, quę de castitate & pau
pertate hactenus effutijt. Ac initio admonitus Confessione Principis re-
ctè commemorat species obedientiæ, donec perueniat ad eam speciem,
quam dicit non esse præcepti, sed consilij, ideoq; non necessariam, sed su-
pererogationis. Intelligit autem obedientiam illam Monasticam, notio-
rẽ, imò nocentiorem, quàm quæ pluribus hoc loco explicari debeat. Cui
obediẽtię tribuit, quòd sit singularis Dei cultus, maximi meriti satisfactio
nisq;, & aptissimum medium ad perfectionem cõsequendam, qua etiam
obedientia nihil maius sit, quàm martyrium. Hæc ferè sunt, quibus So-
tus ornat suam Monasticam & uotiuam obedientiam. Sed si propius in-
tuearis, inuenies nihil esse ea fœdius ac turpius. Quod ut perspicuum fiat,
percurremus ea, quibus Sotus probare conatur, quòd quæ tribuit suę mo
nasticæ obedientię, meritò ei sint tribuenda. Ac de consilijs quidẽ & ope-
ribus supererogationis suprà copiosè dictum est. Nunc autem uideamus,
quomodo hoc Soticum dogma consentiat cum doctrina, sicut Sotus ia-
ctat, & exemplis Christi ac Apostolorum.

Vbi ergo, quæso te, docet Christus, quòd uotiua, seu monastica obedi-
entia sit singularis cultus Dei, & maximi meriti, satisfactionisq;? Quid
uerò uos Nouatores tam sollicitè inquiritis? An non legistis Christum
apud Lucam docere: Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum,
& tollat crucem suam quotidie, & sequatur me? Negare nec possumus,
nec debemus, quin hæc uerba Christus filius Dei dixerit, & docuerit. Sed
quid? Num abnegare semetipsum hoc loco, est sese uoto ad monasticam
obedientiam ita astringere, ut toto uitæ tuę tempore, uoluntati & arbi-
trio Abbatis aut Prioris, aut absente eo, Supprioris, aut Guardiani, in o-
mnibus illis rebus, quæ ad uitę studia & actiones, denique ad omnia, quę
in uita occurrunt, lege Dei non prohibita, pertinent, subijciaris? Finga-
mus interim hanc interpretationem ueram esse, ut intelligamus, quid ex
ea consequatur. Nam quod Christus dicit: Si quis vult uenire post me,
abneget semetipsum, non ad unum tantum, & alterum discipulum di-
cit,

tit, quemadmodum & suprà ostendimus, sed ad omnes eos, qui cupiunt frui beneficijs cœlestis regni. Euangelista ipse Lucas apertè testatur hæc Christi uerba non ad paucos, sed ad omnes pertinere. Dicebat, (inquiens) ad OMNES. Et ne quid dubitationis relinquatur, Marcus ait: Cùm ad se uocasset (Iesus) turbam, unà cum discipulis suis, dixit illis: quicunq; vult sequi me, abneget semetipsum, &c. Vides, hoc dictum pertinere ad uniuersam ecclesiam, hoc est, ad omnes eos, qui ad ueram & æternam salutem adspirant. Sed & uerba ipsa probant, hoc non esse mandatum personale, sed uniuersale, ut quicunque uoluerit sequi Christum, hoc est, unà cum Christo, cœlestibus beneficijs frui, necesse habeat semetipsum abnegare. Quòd si fortasis Sotus maluerit audire uerba Thomæ sui Aquinatis, quàm sacræ scripturæ, non pigebit ea referre. Quamuis, (inquit Thomas) adolescenti loquens singulariter ad ipsum, uerba, (Si uis perfectus esse, uade & uende omnia, &c.) protulerit, alibi tamen idem consilium uniuersaliter protulit, dicēs: Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum &c. Vbi dicit Chrysostomus, quòd commune hoc dogma orbi terrarum proponit dicens: si quis vult, id est, si uir, si mulier, si rex, si liber, si seruus, &c. Hactenus Thomæ uerba, ex quibus testimonio etiam Chrysostomi, manifestum est, quòd hoc dictum Christi: si quis vult post me uenire, abneget semetipsum, sit dogma uniuersale. Sotus autem & Fraterculi eius interpretantur abnegationem sui ipsius, esse professionem obedientiæ monasticæ. Quid ergo aliud sentiunt, quàm quòd nullus hominum saluus fieri possit, nisi fiat monachus, & subijciat uoluntatem suam arbitrio Abbatis, Prioris aut Guardiani?

Hic nunc mihi considera, qui uerè sint Catholici, qui hæretici. Et quo loco habeant Fraterculi reliqua omnia uitæ genera, & hominum ordines. Cùm enim sentiant, abnegationem sui ipsius esse professionem monasticæ obedientiæ, & nullum posse semetipsum uerè & piè abnegare, nisi uotis Monasticis, reliquum est, quòd sentiant uerum Christianismum non esse nisi monachismum. Tametsi igitur solent aliquoties ordinem Magistratus, coniugum, opificum, agricolarum, mercatorum, & aliorum Politicorum officiorum, uerbis nonnihil probare, tamen si sententiam ipsorum, quam in latebris animorum suorum celant, introspexeris, haud obscurè omnes hos ordines damnant, ac sentiunt, quòd nisi Reges, Principes, Coniuges, opifices, agricolæ, mercatores, serui & ancillæ fiant Monachi & Monachæ, non possint sequi Christum, hoc est, ueram & æternam salutem assequi: quia nisi uoueant uota monastica, semetipsos non uerè abnegant, nec crucem suam uerè tollunt. An non hoc est ecclesiam uerè catholicam damnare, & hæreticam probare? An hoc non est ex Christianismo facere Monachismum, hoc est, ex publica Christianorum uocatione, priuatam hypocritarum sectam? An non hoc est ex Deo facere personarum respectorem, qui nullam habeat in terris, nisi Fraterculorum rationem? Hæc est merces, quam boni illi Fraterculi, Regibus & Principibus, Opificibus & Agricolis, quorum opibus ociosi saginantur, pro beneficijs suis rependunt, ut & simul emungant, ac helluentur bona eorum carnalia, idque prætextu longarum precularum, & promissione acquirendæ ipsis æternæ salutis, & interea sentiant, genera uitæ ipsorum esse damnationi obnoxia, itaque auferant eis, quod in ipsis est, bona tam carnalia, quàm spiritualia, tam terrena, quàm cœlestia.

Habes doctrinam Christi, qua quidem Sotus uoluit monasticam, hoc

est,impiam suam obedientiam stabilire, Sed qua causæ suæ commoditate,manifestum est.

Dicamus etiam de exemplo Christi:Cuius rei,(inquit Sotus)habemus manifestiora exempla in Christo, quàm obedientiæ, ut Paulus inquit ad Philippenses secundo? Quid Fratercule? Cõferés ne obedientiam,quam Christus exhibuit Patri suo, usq; ad mortem crucis,cum obedientia, quã uouet Fraterculus suo Priori aut Guardiano? Num Christus obedientia sua dedit exemplum, ut quemadmodum ipse subiecit uoluntatem suam uoluntati patris sui cœlestis,ita Christiani subijciant uoluntatem suam uoluntati Monasticorum Priorum, aut Guardianorum? Certè exemplum obedientiæ Christi pertinet ad omnes eius discipulos.sic enim Paulus scribit:Is,(inquiens) affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu. Hic ergo iterum iuxta Fraterculorum sententiam, necesse habebimus omnes fieri Monachi,si non uoluerimus Satanæ inæternum mancipari.Sed benè habet.Relicta nobis adhuc est,inuitis etiam fraterculis,uia euadendi. Exemplum enim obedientiæ Christi non eò ualet, ut Prioribus & Guardianis obedientiam uoueamus,sed ut non uoucamus. Christus (inquit Paulus) pro omnibus mortuus est,ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est,& resurrexit. Non dicit: Mortuus est, ut uiuant Prioribus & Guardianis, sed ut uiuant Christo. Et iterum: Precio empti estis,nolite fieri serui hominum. Quid est: Nolite fieri serui hominum, nisi,Nolite fieri serui Pharisæorum,Monachorum,Fraterculorum,Priorum & Suppriorum? Ac rursus: In libertate,qua Christus nos liberauit, state,& ne rursus iugo seruitutis implicemini.Quid autem est Iugum seruitutis,nisi non tam Iugum circumcisionis,& sabbatorum,quàm iugum uotorum Monasticorum? Et iterum: Redarguito illos seueriter,ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & PRAECEPTIS hominum,auersantium ueritatem. Quæ sunt hæc hominum præcepta, nisi Pharisæorum & successorum eorum,qui sunt Monastici Priores & Guardiani, qui auersantes ueritatem doctrinæ Christi, faciunt discrimen in cibo & uestitu,ac prohibent suis legitima connubia. Ac rursus: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi,quid quasi uiuentes in mundo decretis teneminí? Hæc decreta sunt constitutiones hypocritarum, Ne tetigeris,ne gustâris,neq; contrectâris,uel cibos, uel pecuniam, uel uxorem legitimam. Vides ergo, quòd tantum absit, ut exemplum obedientiæ Christi doceat uouendam esse obedientiam Fraterculis,ut potius eos qui hanc uouerunt, uindicet in libertatem à seruitute hominum,& subijciat eos obedientiæ & seruituti Euangelij Christi.

Neq; enim audiendi sunt Fraterculi, qui dicunt, quòd quæ uouent Prioribus suis,uoueant Christo,& propter Christum. Non agnoscit Christus ea uota, quæ cum Euangelio ipsius pugnant. Non agnoscit Christus ea uota,quæ & nouum baptismum in ecclesiam suam inuehunt, & nouum modum satisfaciendi pro peccatis, ac promerendi cœlestis regni instituunt. Hactenus de exemplo obedientiæ Christi. Nunc etiam de exemplo obedientiæ Apostolorum. Nam & huic exemplo affirmat Sotus conuenire uotum obedientiæ. Quid ergo dicemus? Num & Apostoli fuerunt Monachi? Nisi homo ille elleboro purgetur, faciet etiam ex Prophetis & Patriarchis Monachos. Ac miror, cur omiserit exemplum beatæ Mariæ Virginis, quæ dixit ad Archangelum: Ecce ancilla Domini,fiat mihi secundum uerbum tuum.

Et quo/

Et quomodo in hoc catalogo non recitatur etiam obedientia Abrahæ, qui certè necesse haberet Monachus esse, nisi tot habuisset uxores. Interea tamen, fingunt ad exemplum obedientiæ eius, sua monastica seu eremitica exempla. Tradidit, inquiunt, uir quispiam se Abbati formandum. Et cùm aliquanto tempore in monasterio commoratus fuisset, cogitauit & suum filium, quem unicè diligebat, cum eodem sodalitio coniungere, ut eo præsente frueretur. Impetrata igitur uenia uocandi filij, reuersus est adducto secum filio magna alacritate. Cùm autem eo aduenient, Abbas fortè ad furnum ardentem staret, interrogauit uirum, num filium diligeret? Affirmauit. Proijce ergo eum, inquit Abbas, in furnũ. Ac dicto citius, proiecit pater filium in furnum. Ecce igitur tibi rem mirandam. Ignis furni deseruit ingenium suum, & factus est uelut ros, ut non solùm puer illæsus exiret, uerumetiam pater summam obedientiæ laudem reportaret. Extant alia non dissimilia exempla, quibus hypocritæ fingunt se Patriarcharum obedientiam sequi, & conantur uirtutem ficticiæ suæ obedientiæ probare.

Sed ne semper ineptiat Sotus, erumpit tandem in hanc uocem: Sine certa, inquiens, uocatione Dei, hoc est, nisi certò cognoscamus hoc ei esse gratum, fatemur non esse uouendum quicquam, ut ita præstetur Deo gratus cultus. Hanc Soti confessionem agnoscimus, si modò rectè eam intelligimus. Præ balbutie enim eius uix ausim affirmare, me sententiam eius rectè accepisse. Nisi igitur fallor, fatetur nihil esse uouendum, quod non certò cognoscimus Deo gratum esse. Nos autem ostendimus iam certis ac firmis testimonijs sacræ scripturæ, quòd Virginitas seu cœlibatus, & Paupertas, & Obedientia, quæ suscipiuntur ad satisfaciendum pro peccatis, & ad promerendam æternam uitam, non solum non sint Deo grata, uerumetiam sint coram eo abominanda, & detestanda. Quare ex ipsa Soti confessione sequitur, ea non esse uouenda.

Accedit tandem Sotus ad perorationem huius loci, & tanquàm deuictis iam hostibus trophæum statuit, affirmans, quòd hi, qui negant tria illa substantialia, quæ ita uocant, Monastica uota consentire cum uera Catholica doctrina, non solum contradicant sacræ scripturæ, consensui ecclesiæ, & sanctitati multorum, sed etiam rationi ipsi, nobilitatiq; humanæ naturæ, & ei quam habet ad diuina assurgendi propensioni iniuriam faciant. Ac illud quidem, quod Sotus dicit de sacra scriptura, ostendimus supra, uanissimum esse. Testimonia enim sacræ scripturæ, quæ Sotus citauit, aut nihil faciunt ad institutum, aut pugnant magis cum Monasticis uotis, quàm probant. Quod autem de consensu ecclesiæ dicit, siquidem intelligit suam Asoticam ecclesiam, consensum eius nihil moramur. Impiorum enim in impietate consensio, summa est à uera pietate dissensio. Si uerò intelligit ueram ecclesiam, non est dubium, quin is sit consensus eius, qui conuenit cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ex quibus probatum est, uota monastica esse coram Deo impia & abominanda. Nam quòd in his uotis nonnulli homines seruati sunt, non merito eorum, sed miraculo Dei factum est, quemadmodum aliàs perspicuè est demonstratum.

Quid autem hoc, quod dicit, eos, qui impugnant uota Monastica, facere iniuriã rationi, & nobilitati humanæ naturæ, ac ei propensioni, quam habet ad diuina assurgendi? Nam, si ea est humanæ rationis, & naturæ nobilitas, ut possit ad diuina assurgere, non certè assurget ad affectan-

dum monachiſmum, quia non eſt diuinus, ſed potius ſanaticus. Nunc autem humana ratio ſeu natura peccato ita cæcata eſt, & ignobilis facta, ut nullam prorſus habeat propenſionem ad diuina aſſurgendi, ſed tantùm ad impietatem delabendi. Cùm igitur uota Monaſtica pertineant ad catalogum impietatis, quemadmodum oſtenſum eſt, non nego, quin humana natura cupidiſsimè ad monachiſmum propendeat. Et cùm intueor opinionem, qua Monachi uouent tria illa ſubſtantialia uota, quæ eſt, ut meritò ſuæ iuſticiæ ſatisfaciant pro peccatis, tum ſuis, tum alienis, & conſequantur æternam uitam, ingenuè fateor, maximam ſemper hominum partem, ab initio orbis, monachiſmum eſſe ſecutam. Ac profectò primus in orbe terrarum Monachus fuit Cain, quem in eadem profeſsione poſtea ſecuti ſunt omnes hypocritæ, ſiue inter gentes, ſiue inter Iudæos, ſiue inter Chriſtianos, quotquot excogitauerunt nouos deos, & nouos cultus Dei, ac ſperauerunt ſe meritis horum cultuum expiare peccata ſua, & conſequi cœleſtem fœlicitatem. Habes igitur, Sote, eccleſiam Monachorum, tam catholicam, & uniuerſalem, ut fateamur eam ſemper in toto terrarum orbe diſperſam fuiſſe, & adhuc in eo maxima omnium frequentia, nec ſine minori ueræ pietatis diſpendio, commorari.

Poſtremò, ut Sotus, qua impietate hunc locum ingreſſus eſt, eadem egrediatur, addit non reprehendendos eſſe eos, qui probabili quadam ratione per ingreſſum religionis ſatisfieri peccatis omnibus ita putant, ut quod ad immunitatẽ à pœna futuri ſeculi pertinet, religio (ſic enim loquitur) æquiualeat Baptiſmo, non uerò quo ad gratiam & uirtutem Baptiſmi. Et in ſcorijs: Nullus (inquit) hoc uotum æquat Baptiſmo, quo ad uirtutem & efficatiam Sacramenti, ſed quòd hoc ſit magna ſatisfactio peccatorum, nullus qui rectè conſiderat, negare poterit: unde quandoque, & frequentius quidem, plena omnium ſatisfactio eſſe poterit. Hactenus Aſotus.

Quis nunc tanta uerborum tum pietate, tum elegantia, ad ſuſcipienda uota Monaſtica non perſuadeatur? Quis nunc non anhelans ex imis pulmonibus, ad profeſsionem Monachiſmi properet? præſertim cùm etiam Stephanus Quintus teſtificetur Pontifices habere ius omnem pœnitentiam & publicam ſatisfactionem pro quantumuis enormi peccato, in uotum, quod fit in religione, commutandi? Stultiſsime homínum, non pudet te adhuc tuæ uanitatis? Quod eſt illud Pontificum ius, ut commutent pœnitentiam in uota Monaſtica? Spiritus ſanctus exigit à peccatore ueram pœnitentiam, tu autem pro hac pœnitentia repones uota Monaſtica? Euangelion Chriſti exigit, ut credas filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſatisfeciſſe paſsione & morte ſua, Deo Patri, pro peccatis tuis: & Pontifex ac Fraterculi eius audent ſatisfactionem peccatorum, & quidem omnem ac plenam, uotis ſuis Monaſticis adſcribere. Nam quòd affingunt uota Monaſtica habere hanc uirtutem ex merito & ſatisfactione Chriſti, iamdudum manifeſtè refutatum eſt, & impietatis conuictum. Quòd autem negent ſe uota Monaſtica Baptiſmo omni ex parte æquare, non patrocinatur errori eorum. Hieronymus de Bleſilla ad monaſterium cogitante ſcribens: Ante quatuor (inquit) fermè menſes ſecundo quodammodo propoſiti ſe Baptiſmo lauit. Hęc uerba, cùm fortè Hieronymo incogitanti excíderint, excipiunt hypocritæ, & docent ex his Fraterculos & Sororculas ſuas, ꝙ cùm

uouerit

uouent uota sua Monastica, tam mundi & sancti fiant coram Deo, quàm fiebant, cùm baptisarentur. Hoc certè est uota Monastica æquare Baptismo, ac nisi fallor, hæc est ipsorum sententia, quòd qui uouent uota Monastica, consequuntur plenam & perfectam omnium peccatorum remissionem, non aliter, quàm cùm antè baptisati essent in nomen Christi. Sed quia etiam pœna pro peccatis sustinenda est, si non in hoc, certè in futuro seculo, idcircò cùm Fraterculi & Sororculæ pergunt afflictiones, quas habent in seruanda castitate, paupertate & obedientia, sustinere, tunc satisfaciunt pro ijs pœnis, quæ in igni Purgatorio sufferendæ essent. Si hæc fuerit sententia eorum, & si pro charitate proximi, dolemus ipsorum uicem, tamen quia omninò suæ hypocrisi, & carnificinæ applaudunt, demus operam, ut nos ipsi ueterem, & uerum nostrum Baptismum retinea mus, & quod pietatis ac obedientiæ uerbi Dei uotum in eo Baptismo fecimus, semper inuiolatum, per spiritum sanctum custodiamus, aut sicubi lapsi fuerimus, per ueram resipiscentiam ad Dominum conuertamur.

De horis Canonicis.

QVO longius in Assertione Catholicæ suæ fidei progreditur Asotus, eo non solùm illustrior redditur impietas eius, uerumetiam manifestius ostenditur discrimen inter Asoticam & uerè piam ecclesiam Dei. Nam, quæ ecclesia fundata est Prophetica & Apostolica doctrina, passionẽ & mortem Christi filij Dei ita agnoscit, ut senttiat eam solam esse ueram, & sufficientem omnium peccatorum nostrorum coram Deo expiationem, ut qui crediderit in Christum, Primùm quidem adoptetur, condonatis peccatis propter Christum, in filium & hæredem Dei: deinde excitetur spiritu sancto, ut suscipiat mortificandam carnem, sequendam uocationem Dei, & facienda opera diuinitùs præcepta, idq; non hoc consilio, ut iam primùm suis operibus, cum merito passionis Christi coniunctis, mereatur & consequatur peccatorum remissionem, aut satisfaciat pro peccatis, sed ut quam remissionem & satisfactionem antea per fidem propter solum Christum accepit, obedientia sua testificetur, & gratitudinem suam probet. Quæ autem ecclesia Pontificijs, Sophisticis & Asoticis dogmatis constat, & si uidetur & ipsa Passionem & mortem Christi agnoscere, tamen sentit meritum Christi non sufficere homini ad salutem, nisi homo addat & sua merita. Itaque existimat meritum passionis & mortis Christi, in bona hominum opera, siue diuinitùs præcepta, siue etiam suo arbitrio excogitata & selecta, ita transferri ac transfundi, ut & ipsa opera expient peccata corã Deo, & satisfaciant pro peccatis.

Israelitæ, cùm quondam accepissent legem Dei, alij quidem uerum legis finem rectè intelligentes, agnouerunt ex ea magnitudinem peccati sui, & grauitatem iræ Dei, ac excitati sunt ad quærendam remissionem peccati, in semine Abrahæ, quod est Christus, cuius fide donati sunt spiritu sancto, ut ad probandam gratitudinem suam, legi Dei obedirent. Alij autem hunc legis finem nõ intelligentes, existimârunt legem ideo datam, ut ipsi operibus legis expiarent peccata sua coram Deo, & mererentur æternam iusticiam atque salutem. Itaque cumulârunt opera operi-

bus, ſacra ſacris, ut iam non contenti eſſent iſs operibus, ac ſacris, quæ lex Dei præſcribebat (quanquàm nunquàm ea perfectè præſtiterunt) ſed excogitarent etiam alia ſacra in lucis, in uallibus, in excelſis peragenda, quibus Deo pro peccatis ſuis ſatisfacerent. Eodem modo, poſtquàm diuulgatum eſt Euangelion Chriſti in orbe terrarum, alij quidem rectè intelligentes ueram ſententiam Euangelij, credunt ſibi peccata remitti gratis propter ſolum Chriſtum, & operantur bona, non ut tum demùm ſatisfaciant pro peccatis. Habent enim ſufficientem pro omnibus peccatis ſatisfactionem in Chriſto per fidem, ſed ut teſtificentur ingenium fidei, quæ ſi uera fuerit, teneri nõ poteſt, quin efficiat, ut illi præbeant membra ſua ſerua iuſticiæ ad ſanctificationem. Pontificij autem & Aſotici, habentes uelamen hypocriſeos ob oculos, nec intendentes in faciem Chriſti, ſentiunt Chriſtum uniuerſaliter quidem paſſum eſſe pro peccatis noſtris, ſpecialiter autem infundere meritum paſsionis ſuæ in bona hominum opera, ut & hæc mereantur remiſsionem peccatorum, ac ſatisfaciant pro peccatis. Quæ impia beneficij Chriſti, & doctrinæ de uera fide in Chriſtum obſcuratio, ſuprà multis & firmis argumentis refutata eſt, ut iam manifeſtum ſit, non aliud eſſe inter noſtram eccleſiam, quæ ſyncerum Euangelion Chriſti obedienter audit, & inter Pontificiam ac Aſoticam eccleſiam, diſcrimen, quàm quod olim fuit inter eccleſiam uerorum Prophetarum, & Baalitarum, ac poſtea inter eam, quam ſibi collegit Chriſtus & Apoſtoli eius, ac inter illam, quæ coniuncta fuit cum Pontificibus Anna, Caiapha, Scribis & Phariſæis.

Ac ne hæc Phariſaica & Pontificia eccleſia intercidat, ſicut Sotus antea conatus eſt defendere multa impia dogmata, ita ſuſcipit nunc defendam impietatem ſuarum horarum Canonicarum. De his enim ſcribit: Conſtat, inquiens, non ſolùm inſtructionem populi & doctrinam lectionibus illis quæſitam eſſe, ſed etiam Dei iram placare, orationibus diuinam impetrare gratiam, PRO PECCATIS SATISFACERE, &c.

Ac mox: Hoc inſtituto non ſolum quæritur, ut per patientiam conſolationis ſcripturarum, ſpem habeamus, ſed etiam ut iram Dei mitigemus, & pro peccatis ſatisfaciamus, idq; merito & efficatia orationis &c. Hactenus Aſotica.

Principiò, non eſt nobis nunc ſermo ſimpliciter de ſacra ſcriptura, & lectione, aut explicatione eius. Dubium enim non eſt, quin ea ſcriptura ſit oraculum ſpiritus ſancti, & ſit nobis data ad doctrinam, ut Paulus ait, ad redargutionem, ad correctionem, & ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſticia. Quare ſicut eſt diligentiſsimè legenda, ita & rectè intelligenda, ut legitimum eius uſum & fructum, autore ſpiritu ſancto conſequamur. Lectio autem eius, & explicatio, non eſt alligata ad certos dies, aut horas, ſed tractanda eſt quibuſuis diebus, & horis indiſcriminatim: nec ullum eſt tempus, quo meditatio eius non ſit nobis neceſſaria. Erunt uerba hæc, inquit Moſes, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et iterum: Habebit ſecum (exemplar legis) legétq; illud omnibus diebus uitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire uerba eius. Ac rurſus: Beatus uir, cuius uoluntas in lege Domini, & meditatur in lege eius die ac nocte.

Deinde, non eſt nobis nunc ſermo ſimpliciter de Inuocatione Dei & precatione. Manifeſtum enim eſt, quòd nec ea ſit alligata ad certos dies & horas,

horas, sed quòd Deus semper sit inuocandus, & sine intermissione orandum. Et quòd dicitur Inuocationem seu Orationem satisfacere pro peccatis, & placare iram Dei, non sic intelligendum est, quòd Oratio propter dignitatem, & meritum operis sui expiet peccata, & mitiget iram Dei, Sed quòd reuocet nobis in mentem promissiones Dei, ut ijs admoniti, confirmemus fidem, & accipiamus per fidem propter Christum, beneficia nobis promissa, quemadmodum suprà in cap. De Contritione, & De Oratione, perspicuè ostendimus.

In præsentia autem loquimur de Horis Canonicis, quas ita uocârunt, quæ & si constant ex pericopis & fragmentis sacræ scripturæ, & Psalmis seu precationibus, tamen ipsa earum ordinatio, & in certas horas distributio, non est diuinitùs institutà, sed humanitùs definita. Nam & autores huius institutionis, & exempla, ex quibus petita sit, apud scriptores recitantur. Extat etiam in uestris Summis, quas sic uocatis, illud testimonium, cuius & uerba recitabo. Sic enim scribitis: Licet dicens uerba (horarum canonicarum) sine attentione ex sua desidia per negligentiam peccet, non tamen peccat mortaliter. Quia iste modus orandi est TANTVM DE IVRE POSITIVO, scilicet ecclesiæ, quod non obligat nisi ad ea, quæ sub iudicio humano cadere possunt. Hactenus uestrum ipsorum testimonium. *Alexander.*

Hîc nunc quæritur: Quo consilio hæc horarum distributio sit instituta & usitata: num, iuxta Pauli interpretationẽ, ut omnia ad ædificationem ecclesiæ (hoc est) ad nostram & aliorum institutionem ac doctrinam fiant, an ut dignitate, & merito huius operis mitigemus iram Dei, & satisfaciamus in conspectu Dei pro peccatis nostris? *1. Cor. 14.*

Ac siquidem illud agitur, ut recitatione sacrarum literarum, & precationum ecclesia eruditur, & excitetur, ad confirmandam fidem & spem erga Deum, ad ueram nominis Dei inuocationem, ad inflammandam charitatem erga proximum, & ad alendas reliquas uirtutes, fatemur esse pium & utile exercitium. Hic enim est legitimus usus scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, siue legantur, siue cantentur, ut reddant nos eruditos, sicut Paulus ait, ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu, & ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

Sic Basilius testatur populum, suis temporibus, ecclesiastico cantu usum esse. De nocte, inquiens, consurgit apud nos populus ad domum orationis, & in labore ac tribulatione, & assiduis lacrymis confitentes Deo: Postremò surgentes ab orationibus ad psalmodiam perueniunt. Et nunc bifariam diuisi, alterna uicissitudine inter se psallunt, ut & se in diuinis eloquijs exerceant, & corda sua ad attentionem & cõtemplationem rerum cœlestium reuocent. Deinde uni permittentes auspicari cantum reliqui subsonant, & sic in psalmodiæ uarietate noctem peragẽtes precibus intermixtis, die iam illucescente, omnes in commune uelut ex uno ore, & uno corde, confessionis Psalmum proferunt Domino, &c. Testatur & Augustinus suo ipsius exemplo, publicæ huius seu recitationis seu cantationis utilitatem. Non satiabar, inquiens, illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suauè sonantis ecclesiæ tuæ uocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur ueritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis. *Epistola 63. ad Neocæsarienses clericos.*

Quòd si modulata sacræ scripturæ, & Psalmorum eius recitatio in ecclesiastico conuentu hoc consilio, & hoc fine, quem iam indicauimus, fiat, non nego, quin sit cultus Deo gratus, non quidem propter operis sui dignitatem & meritum, sed quia gratus est Deo legitimus usus sacræ scripturæ, qua tanquàm ordinario instrumẽto solet uti ad effundenda in corda nostra dona spiritus sancti.

Ne autem ulla sit remora, quæ huic fini sit impedimento, necessarium est, ut recitatio fiat lingua ecclesiæ nota & intellecta. Si ueniam ad uos, inquit Paulus, linguis (ecclesiæ ignotis) loquens, quid uobis prodero? Et mox: Si incertam uocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Sic & uos, per linguam, nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur, quod dicitur? eritis enim in aërẽ loquentes. Tam multa, uerbi gratia, genera uocum sunt in mundo, & nihil horum mutum. Itaq; si nesciero uim uocis, ero ei, qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus.

Sed hic habet Asotus suas φλυαρίας. Primùm, affirmat quidem, quòd debeat in ecclesia fieri interpretatio lingua vulgari, Sed addit: lectionem sacræ scripturæ, & Psalmorum, etiamsi aliquando non intelligitur, modò semper suscipiatur cum reuerentia, plurimùm esse utilem ad excitandam deuotionem. Negari non debet, quin studiosi adolescentes, ac præcipuè, qui ad ministerium ecclesiæ accessuri sunt, debeant operam dare, ut uerba scripturæ, & Psalmos, (qui sunt ueluti parua Biblia,) quamuis nondum intellectos, ediscant, donec & rectè intelligere, & piè uti possint. Ac ne senioribus quibus committendum est, ut non meminerint tum dicta, tum facta spiritus sancti, quæ in sacra scriptura continentur, etiamsi nondum ea intelligunt. Erit enim tempus, quo si opus fuerit, docebit eos ueram sententiam de omnibus Vnctio, (sicut Ioannes loquitur,) non illa chrismatica, sed cœlestis. Itaque uerba sacræ scripturæ etiam non intellecta, nunquàm sunt irreuerenter, & contemptim, uel suscipienda, uel tractanda. Quid autem illud sibi uelit, quod Sotus dicit, lectionem sacræ scripturæ, etiam non intellectam plurimum utilem esse ad excitandam deuotionem, non est oscitanter expendendũ. Quid est igitur, quæso te, deuotio? Non quæro de hypocritica illa & monastica, seu etiam anili deuotione, quam solent distinguere in deuotionem perfectionis, congruitatis & necessitatis. Hæc enim eiusmodi est, ut eam Turcæ quoque, & Iudæi in medio Turcismo & Iudaismo habere possint, & quæ solet sibi fingere Deum, nescio qualem, absque Christo, & uerbo eius. Sed quæro de uerè pia deuotione, quod uocabulum, & si in Latina Bibliorum tralatione alicubi usurpatur, præsertim Exod. cap. 35. (Mente promptissima atque Deuota,) & repositum est pro eo quod apud Hebræos dicitur Spontaneum seu uoluntarium, tamen quia usus ita obtinuit, utamur in præsentia eo uocabulo. Quæro igitur, quæ sit uerè pia deuotio, quæ ex uerbis sacræ scripturæ excitanda est? Certè si circumferas oculos in omnes spirituales mentis uirtutes, præcipua omnium est, uera fides, & ardens dilectio in Dominum Deum nostrum. Hæc autem excitatur, autore spiritu sancto, in mente hominis, non per humana figmenta, sed per uerbum ipsum Dei. Fides, inquit Paulus, ex auditu est. Auditus autem per uerbum Dei. Nunquid ergo hoc fit per uerbum Dei non intellectum? Quid hæres? quid dubitas? Paulus ipse perspicuè explicat, Si incertam, inquiens, uocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?

lum? Quod Paulus translatis uerbis dicit, nos suis propriis, seu usitatis proferemus. Si cantus aut lectio dederit uocē nobis non intellectam, quis excitabitur ad ueram deuotionem? Sed & Paulus suis ipse uerbis exponit: Sic & uos (inquiens) si per linguam, nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Et mox: Si nesciero uim uocis, ero ei, qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me Barbarus.

Nugatur ergo Sotus, cùm dicit uerba scripturæ, quamuis non intellecta, excitare homines ad deuotionem, propterea quòd qui uerba scripturæ more Fraterculorū & Sororcularum in horis suis Canonicis recitant, loquantur, testimonio Pauli, in aërem, & sunt non alijs tantum, uerumetiam magna ex parte sibi quoque barbari. Deinde, cùm Confessio Principis reprehenderet, quòd horæ Canonicæ cantarentur lingua aliena, quæ vulgo ecclesiæ non sit nota, ibi Sotus manifestè distinguit in scoriis suis vulgum ab ecclesia. Aliena (inquiens) non ab ecclesia, sed à vulgo, non est cur reprehendi possit, uidelicet significans, linguam tunc Ecclesiæ notā esse, cùm nota fuerit Prælatis ac Sacrificulis, & Fraterculis eorū, etiamsi incognita fuerit vulgo. Etsi autem non est obscurū, quali multis iam annis cognitione linguarū fuerint Sacrificuli & Fraterculi, tamen non est ferenda Soti impudentia, quòd nomen ecclesiæ suis Prælatis & Sacrificulis ita tribuat, ut uideatur vulgo, uel ut ipsi loquuntur, Laicis adimere. Scio multos uocatos, paucos electos, & non uniuersum vulgum, qui præ se fert nomen Christianum, esse ueram Ecclesiam, sed quia sacræ litere tribuunt populis agnoscentibus Euangelion Christi, nomen Ecclesiæ, ijs autem, qui Euangelion adnunciant, & sacramenta dispensant, nomen Ministrorum ecclesiæ, Sotus bis contumelioſus est in Christianum populum, quòd & huic adimat nomen ecclesiæ, & tribuat hoc uenerabile nomen illis Sacrificulis ac Fraterculis, qui non solum non sunt Ministri, uerumetiam pernicioſissimi hostes ecclesiæ. Hoc uerè est seruile bellum, quòd qui deberent esse Ministri & serui ecclesiæ, usurpent sibi suo arbitrio non dico dominationem, quæ fortasis posset uideri tolerabilis, sed tyrannidem in ecclesiam. Adimere enim populo, quem Laicum uocant, Ecclesiæ nomen, quid aliud est, quàm si diceretur, Christū non esse pro Laicis, nec passum, nec mortuum, sed tantum pro Prælatis, Sacrificulis & Fraterculis, & si quid hi Laicis de thesauro passionis Christi largiti fuerint, hoc non fieri ullo legitimo iure, sed tantùm gratuita ipsorum clementia & liberalitate. Hic scilicet honor est, quo serui colunt dominam suam.

Talia quædam opponerem ei homini, in quo esset aliqua dictorum firmitas & constantia, & qui rem ipsam, cui suscepit patrocinandum, rectè intelligeret. Nunc autem negocium mihi est cum homine tantæ inconstantiæ & imperitiæ, ut in eadem eáque breui admodum pagina pugnantia secum scribat, & quouis uento circumferatur. In hoc enim loco, quem recitauimus, adimit uulgo nomen Ecclesiæ, quemadmodum ostendimus, quod tamen paulò antè ei tribuere uidetur. De Sacrificulis enim loquens, Ex quo (inquit) Ministri sunt Ecclesiæ, cur non per illos ecclesia agit, quæ sui muneris esse cognoscit, Intercedere orationibus pro populo apud Deum? Hic, nisi fallor, per ecclesiam intelligit populum, quem ait Sacrificulis munus suum, uidelicet intercedendi orationibus apud Deum, delegasse. Etsi autem Sotus, cùm uocat popu-

lum Ecclesiam, rectè loqui uidetur, tamen interea accusat populum magni sceleris.

Dicit enim populum per Sacrificulos agere, quod sui esse muneris cognoscit, Intercedere orationibus pro populo apud Deum. Quasi uero populus, qui est ecclesia, non suum ipse munus faciat, & non pro salute sua Deum inuocet, sed aut stertat, aut colat agros, interea autem reijciat munus precandi Deum, in Sacrificulos & Fraterculos. Quasi etiam Oratio Dominica, qua pius quispiam Laicus in agro inuocat uernacula sua lingua D E V M, non sit tanti in cœlo momenti, quanti uidetur eadem oratio, si eam Sacrificulus in templo, lingua laico incognita, uocifereturs.

Quòd si autem Sotus etiam hoc loco intelligit nomine ecclesiæ Prælatos & Sacrificulos suos, (Tam disertus enim est, ut maioris aliquando industriæ sit, sententiam eius cognoscere, quàm refutare) uidetur talem sibi ecclesiæ statum imaginari, qualem hactenus uidimus esse in ecclesijs, quas ita uocârunt, cathedralibus, uidelicet, quòd Prælati ipsi, qui aliàs uocantur Episcopi & Canonici, sint uera Dei Ecclesia. Et horum officium est, Intercedere orationibus pro populo apud Deum. Populus enim, ut est indignus nomine ecclesiæ, ita non habet, nec ius, nec autoritatem accedendi inuocatione sua ad Deum, sed necesse habet Prælatos, ut intercessores ad Deum ablegare. Sed quid? Ablegare? Nihil minus. Quasi uero homines extremæ sortis haberent ius ablegandi Prælatos, tanquàm seruos & mancipia, sed humilibus precibus, & oblatione multorum munerum impetrare ab eis, ut suscipiant pro se munus intercedendi apud Deum.

Cùm autem Prælati soleant esse occupati grauissimis scilicet negocijs, uenationibus, scortationibus, alea, helluationibus, & id genus alijs, habent suos uicarios, qui sunt ministri ecclesiæ, hoc est, prælatorum. Et per hos ministros, hoc est, Vicarios agit ecclesia, hoc est, Prælati, quæ sui muneris esse cognoscit, quod est, intercedere orationibus pro populo apud Deum. Habes statum Asoticæ ecclesiæ, quo non uideo quid possit scilicet ordinatius, & misero populo magis salutare constitui. Sed reijciamus Sotica ista deliria ad suum autorem. Videamus autem nunc graues illas causas, cur per Sotum non liceat in Ecclesia sacram scripturam uernacula lingua recitare, aut cantare.

Primùm enim obstat transferendi difficultas. Vix (inquit) sine magna difficultate in tot linguas transferri possit scriptura. Credo, Soto & Fraterculis eius ualde difficile esset sacra Biblia in uernaculam linguam transferre. Sed nondum tanta est raritas eruditorum uirorum, ut non in una quauis ferè prouincia Europæ reperiantur, qui possint hoc præstare. Et, ut tu hoc scias Sote, habemus sacra Biblia, à Luthero in Germanicam linguam, diuino beneficio, tam perspicuè conuersa, ut ea tralatio, nulli nec Græcæ nec Latinæ tralationi cedat. Nec extant ulli ueterum Commentarij, qui perspicuitatem huius conuersionis superent. Non ignoro, quæ uestra sit de uniuerso hoc tralationis genere sententia, sed cæcatorum hominum iudicia nihil moramur. Et quid? Si tanta est in uestris ecclesijs raritas doctorum uirorum, ut sacra Biblia ex Latina in uernaculam cuiusque regionis linguam uix transferri possit, in quem usum conuertuntur apud uos tot ecclesiasticæ facultates? Vides Sote, quantus hic mihi campus, uestra ocia & negocia explicandi pateret. Sed his omissis, quæ

ſſs, quæ & vulgata, & nota ſunt omnibus, audiamus alteram cauſam, cur Soto non uideatur conſultum, ut ſacra Biblia in barbaras, ut ipſe loquitur, linguas transferatur, quia id uix ſine periculo (inquit) fieri poſſet. Et mox: Maieſtas, inquit, ſcripturæ facilè in barbaras linguas tralata, minueretur, & certè ueniret in contemptum. O prudentiam & eruditionem Cardinalitio galero digniſsimam. Ita nunc tandem, metuis, Sote, ne maieſtas ſcripturæ minuatur, & contemptui habeatur? Quid igitur hactenus ſubijcis eam Traditionibus, & arbitrio tuorum Prælatorum?

Sacra Scriptura oraculum eſt ſpiritus ſancti. Veſtri autem tùm demùm autoritatem huius oraculi ualere ſentiunt, cùm ueſtrorum Prælatorùm calculo fuerit approbata, reijcienda alioqui in catalogum fabularum Aeſopi. Addunt & illud, Scripturam eſſe ad tempus adaptandam, & uariè intelligendam, ita ut uno tempore ſecundum currentem uniuerſalem ritum exponenda ſit, mutato autem ritu, iterum ſententia ſit mutanda. Quid? An ſcripturam, (hoc eſt) diuina oracula, ſubijcere humanæ autoritati, & ex ſcriptura, cereum, ut loqui ſolent, naſum facere, non eſt maieſtatem ſcripturæ imminuere? Non igitur qui transferunt ſcripturam in uernaculas regionum linguas, ſed qui ſcripturam, tanquàm alutam, ad ſua figmenta accommodant, imminuunt maieſtatem eius, & exponunt eam ludibrio.

Quid etiam de illo dicam, quòd ueſtri palàm affirment, ſacram ſcripturam eſſe non ſolum obſcuram, ſed etiam ad docendam ueram pietatem non ſatis ſufficientem? Hoc ſcilicet non eſt ſcripturam infamare, ſed maieſtate ornare. Apud Perſas, perſona regis ſub ſpecie maieſtatis occulebatur. Fortaſsis igitur exiſtimat Sotus, ſacram Scripturam, Perſico exemplo, ab oculis vulgi amouendam, ne aſsiduitas contemptum pariat. Sed cùm quoſdam apocryphos libros ſoleat cum autoritate librorum in ſcriptura uerè Canonicorum æquare, miror, quòd non mininerit illud Raphaëlis apud Tobiam: Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum eſt.

Maieſtas enim ſacræ ſcripturæ, in qua opera Dei recenſentur, non conſtat in illo, ut occulatur, ſed ut publicè omnibus manifeſtetur. Et quo magis illuſtratur, eo amplior redditur. Quos initio libros Moſes ſcripſit, certè uernacula gentis ſuæ lingua ſcripſit, & quo ſermo eius magis perſpicuus fuit, eo maiorem operæ ſuæ laudem reportauit. Vnde & perſpicuitatem eius commendans: Mandatum, inquit, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ſed iuxta te eſt ſermo ualde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Quæ deinde aliæ, uel rerum geſtarum hiſtoriæ, uel Prophetarum conciones conſcriptæ ſunt in ueteri Teſtamento, non peregrina, ſed uernacula eius gentis lingua ſcriptæ ſunt. Ac profectò ſpiritus ſanctus uoluit, ut conciones Prophetarum eſſent vulgò notiſsimæ. Summa enim earum eſt, ut populus excitetur ad agendam pœnitentiam, & ad effugiendam iram Dei, atq; ad conſequendam ueram & æternam ſalutem.

Quomodo autem excitarentur ad pœnitentiam eo ſermone, quem non intelligerent? Et quid Pſalmi Dauidici? An non in hunc uſum dicta fuerunt, ut non tam in templo uernacula lingua, quàm in vulgo publicè cantarentur?

Idem dicendũ erit de ſcriptis noui Teſtamenti. Quæ Euangeliſtæ literis mandârunt, ea certè ſcripſerũt ſermone gentibus, quibus Euangelion

prædicatum erat, usitato. Et Paulus ad quas ecclesias scribit, sermone populari, aut populis magna ex parte cognito, scribit. Quòd si illis temporibus maiestas diuinorum oraculorum non imminuebatur, sed magis illustrabatur, & amplificabatur, cùm uernacula gentium lingua explicaretur, quid nunc accidit, quòd non deberet ijs linguis, quæ hisce temporibus sunt uernaculæ, explicari? Spiritus sanctus ornauit Apostolos dono diuersarum linguarum, non tantùm gentis Hebrææ, Græcæ & Latinæ, uerumetiam multarum aliarum gentium, sicut in Actis Apostolicis capite secundo enumerantur. Et antea dictum erat: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur uoces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et aliâs: Viuo ego dicit Dominus, mihi sese flectet omne genu, & OMNIS LINGVA confitebitur Deo. Si Apostoli locuti sunt magnalia Dei diuersis linguis, & vulgauerunt Euangelion Christi, uernaculo cuiusq; gentis sermone, quæ intemperies, quis furor esset prohibere, quo minus ea, quæ uernacula lingua dicuntur, & auditu percipiuntur, eadem etiam lingua literis mandarentur, & lectione cognoscerentur? Iam uerò consideremus etiam res ipsas, quæ in sacra scriptura continentur. Summa enim huius scripturæ collata est in Catechismum, uidelicet in Decalogũ, Symbolon Apostolicum, & Orationem Dominicam. Etsi autem fama est, vulgum ecclesię alicubi à suis sacrificulis cogi, ut hunc Catechismum non uernacula sua, sed Latina lingua, quam pauci in vulgo intelligunt, recitent, tamen nullus sana mente præditus tanta est, aut impietate, aut tyrannide, ut damnet eam ecclesiam, quæ in recitando hoc Catechismo uernacula sua lingua utitur. Quòd si in vulgando scripturæ compendio, nulla fit maiestatis eius iactura, quomodo imminueretur, si & dicta & facta ipsa, unde compendium desumptũ est, uernaculo sermone ecclesiæ legenda & cognoscenda traderentur? Paulus scribit: scripturam diuinitùs inspiratam, utilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Cùm autem non tantùm Ministris, uerumetiam Ecclesiæ ipsi necessaria sit doctrina, redargutio, correctio & institutio, quæ est in iustitia, necessarium etiam sit, ut quiuis homo, siue Clericus, (sic enim isti loquuntur) siue Laicus sit ad omne opus bonum apparatus, negari non potest, quin tam Clericis quàm Laicis, necessaria sit scriptura. Et iterum: Quæcunque, inquit Paulus, præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Hoc scribit Paulus, non ad Episcopos & Presbyteros tantùm, sed etiam ad uniuersam ecclesiam. Et sicut spes, patientia & consolatio non pertinent tantùm ad Episcopos & Presbyteros, sed etiam ad ecclesiam ipsam, cuius illi sunt ministri, ita etiam scriptura ad omnes pertinet. Petrus uocat Propheticam scripturam, lucernam apparentem in obscuro loco. Ad huius lucernæ lucem non tantùm Episcopis & Presbyteris, uerumetiam vulgo ecclesiæ ambulandum est. Quare nihil uanius est uanitate Soti, quòd audeat publicè scribere, maiestatem scripturæ, translatione in barbaras linguas imminui, & in contemptum uenire, quasi non etiam Hebræa & Latina lingua, Græcis fuerit barbara, & filius Dei non iusserit Euangelion suum prædicare in uniuerso orbe, & omni creaturæ, ac Paulus non scripserit se debitorem esse Græcis simul & Barbaris, eruditis pariter ac rudibus. Etsi scriptura de maiestate sua peri-

clitatur,

clitatur, cùm à Barbaris tractatur, haud scio, quantum periculum adeat, cum manibus Soti tractanda suscipitur.

At enim Paulus (inquit Sotus) apertè permittit lingua loqui, sed vult, ut postea non desit interpretatio. Rectè. Sequimur & nos sententiam Pauli, & fatemur peregrinam linguam suum habere in ecclesia usum, ac nostri pueri suum habent, etiam publicè in ecclesia exercitium Latinæ linguæ, non autem habent hoc exercitium Asotico seu Monastico, sed Scholastico more, ut à teneris dicta sacræ scripturæ, in ea lingua, quæ est in scholis usitata, & in qua hactenus sacra Biblia in Occidentali ecclesia, tralata extiterũt, memoriæ mandare, & toto uitæ suæ tempore ad uerè pium usum transferre assuescant.

Rectè & illud scribit Sotus, quòd Paulus exigat interpretationem. Quid ergo est, quòd nec Sacrificuli, nec Fraterculi sententiam Pauli sequantur? In templis certè eorum plurimum quidem est uociferationis, minimum autem interpretationis. Si multum, interpretantur aliquoties diebus Dominicis unam & alteram pericopen ex Euangelista quopiam. Et cum totis ferè diebus, aliquando etiam noctibus, imò totis propè hebdomadis habeant in ore Psalterium, quotusquisq; eorum est, qui uel breuissimum Psalmum ecclesiæ interpretetur? Cœpit alicubi ecclesia aliquot Psalmos uernacula lingua cantare, sed nec hoc boni illi Asotici Prælati æquo animo ferre possunt.

Quòd si & Paulus exigit interpretationem, & Fraterculi non possunt negare, quin ea sit ecclesiæ, uernacula sua lingua, necessaria, quomodo nõ esset necessaria recitatio ipsa textus, quem ita uocant, uernacula linguæ?

Quod enim continetur in peregrina, aut vulgo ignota lingua, hoc in interpretatione, uernacula lingua explicetur, necesse est.

Sed quod sequitur in scoriis Asoti, haud scio, num ab homine sana mente prædito scriptum sit. Cùm enim Confessio Principis dixisset, usum linguæ vulgò notæ intelligendum esse non tantùm de cantu Psalmorum, sed etiam de omnibus partibus Ecclesiastici ministerij, ut & sacramenta noto sermone dispensanda sint, hìc addit furiosus Fraterculus: Hoc multò minus (inquiens) probari potest, maximè in sacramentorum administratione, ubi præcedere aut sequi potest doctrina. Sed IN IPSO SACRAMENTO NON PRAEDICATIO EVANGELII quæritur, ut absque ulla ratione isti Confitentes contendunt, sed consummatio tantùm sacramenti, ubi, quod attinet ad consensum ecclesiæ, satis est, ut intelligat ecclesia, Sacramentum agi, atque ita consentiat. Hactenus Asotus.

Quid autem tam diserta oratione, & tam Attico dicendi genere uenustius, aut lepidius?

Nisi autem fallor, illud dicere uoluit. Posse quidem à sanctissimo Domino Papa, & Reuerendissimis Prælatis concedi, ut cùm sacramenta in ecclesia tractanda suscipiuntur, habeantur conciones uernacula lingua, uel antè, uel pòst. Nõ posse autem concedi, ac minimè omnium probari, ut Sacramenta ipsa, uel consecrentur, uel dispensentur, uernacula lingua. Sed utamur uerbis Soti, ne accuset nos deprauationis. In ipso, inquit Sacramento non quæritur prædicatio Euangelij, sed consummatio tantùm Sacramenti. Vide, obsecro, quàm sibi Sotus cõstet. Paulò pòst affirmat, in sacramento pœnitentiæ, & multis alijs ecclesiasticis ministerijs necessariam esse uernaculam linguam, hìc autem negat in sacramento quæri præ

dicationem Euangelij, quæ fiat, (ut ego quidem intelligo, & uerba ipsa significare uidentur,) uernacula lingua.

Nam si simpliciter intelligeret, quòd in administratione sacramentorum non esset necessaria prædicatio Euangelij, quid absurdius, imò quid furiosius dici posset? Accedit uerbum, inquit Augustinus, ad elementũ, & fit sacramentum. Hoc autem uerbum quid est, nisi ipsa sacramenti institutio, in qua prædicatio Euangelij continetur, & sine qua Euangelij prædicatione non fit sacramentum.

Sed interpretemur uerba Soti tolerabilius, & sentiamus eum uoluisse dicere, In ipsa sacramentorum administratione non esse necessariò utendum uernacula lingua. Et tamen ne sic quidem insulsitas eius defendi potest. Quæ enim uera sunt sacramenta, sicut ea suprà exposuimus, ad hoc sunt instituta, ut quæ in publica Euangelij prædicatione generaliter adnunciantur, ea sacramentis peculiariter, ac priuatim cuiq; offerantur & applicentur, ut fides, qua sola propter Christum iustificamur & saluamur, excitetur, confirmetur, & in omnibus aduersis conseruetur. Quomodo autem fides tua, uel excitabitur, uel confirmabitur per sermonem tibi ignotum, aut per spectaculum mutum? In Baptismo quidem infantium, non intelligit infans humana mente, quid dicatur aut agatur, sicut autem suo modo fidem habet, ita habet & suo modo coram Deo intellectum: ac necessarium est, ut non tantùm is qui baptisat, uerumetiam ea ecclesia, quæ infantem offert baptisandum, audiat & intelligat uerba Baptismi, quo sciat infantem ritè baptisatum, & possit de Baptismo eius testimonium ferre. In Cœna Domini, dispensatur pane & uino corpus ac sanguis Domini. Nisi autem is, qui accipit Cœnam, audiat uerba ipsa Cœnæ, & intelligat ea, quomodo certò cognoscet, quid ipsi sumendum offeratur? Num collocet fiduciam suam in Sacrificuli mussitatione? Quid si pro uerbis Cœnæ, quæ uocant uerba consecrationis, recitasset, uel carmen Magicum, uel aliud quiddam ἀπροσδιόνυσον? Ac si maximè uerba ipsa Cœnæ certò, sed tacitè, nullo audiente recitauerit, nihil tamen mihi proderit, qui non audiam, quod ad confirmandam fidem quærebam. Fides (inquit Paulus) ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Quare, nisi mihi iam adulto, & ad audiendum uocato, in Sacramentorum consecratione & dispensatione uerba ipsa filij Dei recitaueris, ut ea audiam, & intelligam, non possunt esse mihi Sacramenta, quæ tu mihi pro Sacramentis obtrudis. Itaque dum Sotus tegit sua Sacramenta, sermone uel tacito, uel mihi incognito, facit, ut nulla prorsus, nec sibi, nec suis Sacramenta retineat. Et hactenus quidem dissimulauit Deus tempora huius ignorantiæ, ac conseruauit Ecclesiam suam in tantis tenebris, mirando modo. Si autem Asotici perrexerint deinceps ignorantiam & cæcitatem suam tueri, ac repellant lucem, quam filius Dei in Ecclesia sua accendit, & significent se beneficio Dei, & æterna uita indignos esse, rectè & appositè de ipsis dicitur, quod Dominus apud Oseam ait: Voca, inquiens, nomen eius, Lo Ammi, (hoc est) Non populus meus, quia uos non populus meus, & ego non ero uester.

Quod cùm ita se habeat, uideamus nunc quibus technis Asotus testimonia, quæ Confessio Principis recitat, eludere conetur. Ac de scorijs quidem, quas notat in locum Pauli, 1. Corinth. 14. antea dictum est. De loco autem Hieronymi in Epistolam ad Ephesios quinto dicit Sotus, Hiero-

Hieronymũm reprehendere exceſſum modulationis, non modulatio-
nem ipſam,& magis curandam eſſe cordis attẽtionem. At enim nec Pau
lus,nec Hieronymus in hoc producitur,ut ſignificetur cantationẽ ipſam
per ſe reprehenſioni obnoxiam eſſe,ſed ut doceatur uanitatem hypocri-
tarum & Fraterculorum eſſe damnandam. Hi enim ſentiũt opus ipſum
cantandi horas Canonicas per ſe tanti eſſe momenti apud Deum,ut etiã-
ſi non intelligas quid cantetur,tamen facias Deo cultum gratiſsimũ,quo
expientur peccata uiuorũ & mortuorum. Vnde & ſororculas ſuas,quan
quam ipſæ non intelligant Latinam linguam, adigunt tamen, ut horas
ſuas Latinè cantillent. Quod adeo ſolenne eſt,ut & prouerbio de imperi-
tis lectoribus dicatur:Sic legunt libros,quemadmodum Moniales Pſal-
terium. Si ergo opus cantandi per ſe,iuxta ſententiam Fraterculorum in
tantum placet Deo,ut propter ipſum remittat iram ſuam,& conferat in
homines beneficia tam corporalia,quàm cœleſtia, dubium non eſt,quin
hoc opus tanto magis ei placeat,quanto peragitur modulatius,ſuauius,
iucundius, dulcius, ut pie admodum faciant, qui non contenti naturali
uoce,guttura & fauces ſuas medicamine liniant,ut uocem artificio iuuẽt,
& aures ſicut terreſtrium,ita etiam cœleſtium demulceant. Quem enim
non magis delectaret uocum quaſi angelicarum concentus,quàm aſino
rum ruditas?

Recitatur & illud Pauli, in Confeſsione Principis: In Eccleſia uolo
quinq; uerba mente mea loqui,ut & alios inſtituam, potius quàm deci
cies millia uerborum lingua &c. Hic Sotus addit: Apertè(inquiens) lo-
quitur hîc Paulus de eo tempore,quo docendus eſt populus. Audi igitur
uicisſim,Apertè hîc uanus es,Aſote. Paulus enim non tantùm loquitur
de publicis & popularibus concionibus, quas Homilias uocant, ſed de
omnibus partibus Eccleſiaſtici Miniſterij,uidelicet, de Concionibus,de
Cantionibus,de precationibus,& de Sacramentorum diſpenſationibus.
In his ſingulis partibus utilius eſt quinq; uerba, uernacula lingua loqui,
ut Eccleſia inſtituatur,quàm decem millia uerborum peregrina,& Eccle
ſiæ ignota lingua. Dicit enim:Canam ſpiritu,canam & mente. En habes
cantionem. Et iterum:Orabo ſpiritu,ſed orabo & mente. En habes Ora
tionem. Ac rurſus: Si benedixeris ſpiritu, is qui ſupplet locum indocti,
quomodo dicturus eſt Amen, ſuper tuam gratiarum actionem, quan-
doquidem quid dicas,neſcit? En habes actionem cœnæ Dominicæ,quę
peragitur gratiarum actione, Vnde & Euchariſtia uocari ſolet. Miranda
igitur eſt inſignis illa impudentia Soti,quòd audeat publicè,nomine Ca
tholicæ Eccleſiæ, Pauli uerba falſa interpretatione deprauare,& ad ho-
milias tantum populares detorquere.

In expendendo teſtimonio Innocentij, haud ſcio, num Sotus adhuc
frontem habeat,& impudentia ſe ipſe uincat. Innocentius mandat,ut ci-
uitatibus & diœceſibus diuerſarum linguarum Pontifices prouideant ui
ros idoneos,qui ſecundum diuerſitates rituum & linguarum diuina illis
officia celebrent,& Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtrent, ibi bonus uir
Aſotus,dicit Innocentium nihil noui ſtatuere,ſed prouidere, ne deſit di-
uerſitas linguarum,ubi neceſſaria eſt. Et addit:Conſtat,inquiens, in ſacra
mento pœnitentiæ, & multis alijs Eccleſiaſticis miniſterijs neceſſari-
am eſſe uernaculam linguam. An non hic eſt inſignis Innocentij com-
mentator? Primùm,dicit Innocentium prouidere ne deſit diuerſitas lin-
guarum, ubi neceſſaria eſt. Rectè. Ad hoc enim teſtificandum Confeſ

sio Principis recitauit Innocentij statutum.

Dicimus autem diuersitatem linguarum ibi semper esse necessariam, ubi alia lingua schola, alia uulgus Ecclesiæ utitur, ut & diuina officia celebrentur, & sacramenta ecclesiastica administrentur, nõ lingua illa scholastica, quæ sit uulgo ignota, sed lingua uernacula, quam populus intelligat. Cũ enim Paulus dicat: Si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus, dubium non est, quin sis populo barbarus, & loquaris in aërem, si administraueris ei sacramenta ignoto ipsi sermone. Quare laudamus hac in parte decretum Innocẽtij, quòd prouiderit, ne ibi desit linguarum diuersitas, ubi ea est necessaria. Deinde, quòd Sotus dicit, In sacramento pœnitentiæ, & multis alijs Ecclesiasticis ministerijs necessariam esse uernaculam linguam, agnoscimus quidem hanc aduersarij confessionem, sed interea fieri non potest, quin propinet impudentiam suam omnibus tam deridendam, quàm detestandã. Manifestum enim est, quòd sacrificuli in Occidentali Ecclesia, siue Germaniæ, siue aliarum regionum, dispensent sua sacramenta, non nisi Latina, eaq; lingua, quæ uulgo sit ignota. Etsi enim utuntur aliquoties in ministerio suo lingua uernacula, & colloquuntur cum laicis sermone ipsis noto, tamen uerba, quæ uocant substantialia, nõ nisi uulgo peregrina lingua recitant, & sacramenta ipsa, non nisi Latina (hoc est) uulgo ignota lingua, consecrant & dispensant. Latinè baptisant. Loquor enim, non de interrogatiunculis, quæ baptismum præcedunt, sed de uerbis ipsis baptismi substantialibus. Latinè confirmant: Libet enim ipsorum & uerbis uti, & sacramenta commemorare. Latinè peccatorem absoluunt. Latinè panem & uinum Missarum suarum consecrant. Latinè iungunt coniuges. Latinè sacrificulos suos ordinant. Latinè infirmos ungunt, idq; in ijs Ecclesijs, in quibus Latina lingua uulgo prorsus ignota est. Et tamen Sotus tam proiecta est impudentia, ut cùm ignorare non queat, nos de usu uernaculæ linguæ, in ipsa sacramentorũm consecrandorum & dispensandorum substantia loqui, ipse de accidenti, hoc est, de præcedenti & sequẽti sermone loquatur, & audeat manifestam Innocentij sententiam, de ministerio Ecclesiasticorum Sacramentorũm, & alijs diuinis officijs, secundum diuersitatem rituum & linguarum celebrandis, ad suas φλυαρίας inflectere ac detorquere. Constat, (inquit) in sacramento pœnitentiæ necessariam esse uernaculam linguam. Quod dicit, uerum est. Quod autem intelligit, aut insignis est impostura, aut purũ putum est mendacium. Si enim intelligit, suos uti lingua uernacula, in collocutione, quã habent cum ijs, qui sua ipsis peccata in aures insusurrant, non ignoramus cõsuetudinem eorum, & non est nobis nunc sermo de tali collocutione, in qua non consistit substantia sacramenti, ut ipsi uocant. Si autem intelligit, suos uti uernacula lingua, in absolutione, impudentissima est uanitas, quam ipsa rei experientia refutat. Quid igitur recti aut synceri posses tibi interpretatione, uel sacræ Scripturæ, uel Ecclesiasticorum scriptorum, ab ijs hominibus polliceri, qui iuxtà ponunt, uel uera, uel falsa dixerint, modo aliquid dixerint? Sed perfricuerunt frontem, & cũ malunt ex nomine OMNES, facere NON OMNES, & ex uerbo STATVENDI facere uerbum ABROGANDI, quàm inueteratam suam consuetudinem deserere, & ueritati uerbi Domini locum dare, quemadmodum aliàs demonstrauimus, non est mirandum, quòd malunt etiam in sacris suis peregrinam linguam retinere, ne autoritas ipsorum periclitetur, quàm ueræ

Bibite ex hoc OMNES.

ueræ ſaluti Eccleſiæ conſulere.

Nam quòd Dionyſius ſcribit, ſacros Princípes tradidiſſe ſacra publicè agenda, non manifeſtis νοήσεσιν, ſed ſacris ſymbolis, ſiquidem intelligit Apoſtolos tradidiſſe Eccleſiæ, ex inſtituto Chriſti, Regenerationem ſpiritualem, & corpus ac ſanguinem Chriſti non nudè conſpicienda, ſed ſymbolis aquæ, & panis ac uini cognoſcenda & ſumenda, rectè ac piè docet. Sed quid hoc ad inſtitutum? Si autem intelligit, Apoſtolos tradidiſſe, ut hæc ſymbola ſeu Sacramenta non diſpenſentur Eccleſiæ uernaculà, ſed peregrina, & ipſi ignota lingua, ne efferantur extra ſancta ſanctorum, & obtrudantur prophanis luminibus uiolanda, manifeſtum eſt mendacium, & inſignis contumelia in Eccleſiam, perinde ac ſi ipſa eſſet prophana, & tanquam canis, indigna, cui ſacramenta noto ſermone exhiberentur.

Et hactenus quidem de priori parte huius loci, uidelicet de peregrina lingua in Eccleſiaſticis ſacris. Huius enim uſus per ſe non eſt impius, & ſi fuerit exercitium adoleſcentiæ, atque acceſſerit, iuxta Paulum, interpretatio, ut Eccleſia ædificetur, hoc eſt, erudiatur in uera pietate, & confirmetur fide, atq; capiat conſolationem in omnibus aduerſis, non eſt, cur eam damnemus, atq; abijciamus.

Nunc autem dicendum nobis eſt de poſteriori parte huius loci, uidelicet de dignitate, & merito operis Horarum Canonicarum. Sotus enim dicit Lectiones harum horarum inſtitutas eſſe, non ſolùm, ut ſint inſtructio populi, (ſicut ipſe loquitur) & doctrina, ſed etiam in hoc, ut merito & efficacia huius operis, mitigetur ira Dei, impetretur gratia Dei, & ſatisfiat pro peccatis. Habes ergo ueterem Fraterculorum impietatem, qua conferunt id quod eſt proprium filij Dei, nec egreditur perſonam eius, in merita bonorum ſuorum operum. Etſi autem refutauimus hanc impietatem in hac Apologia & ſæpiſsimè & copioſiſsimè, tamen operæpretium erit audire quibus teſtimonijs Aſotus in præſentia ſuſcipiat eam ſtabiliendam. Recitat initiò, quod Paulus in 1. Epiſt. cap. 2. ad Timotheũ ſcribit. Adhortor, ut primùm omnium fiant obſecrationes, orationes, intercelſiones, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus &c. Et Iacobus, Orate pro uobis inuicem, ut ſaluemini: Et Chriſtus ipſe, Si duo ex uobis conſenſerint ſuper terram &c. Quid ergo ad hæc dicemus? Et quis obſecro, ad hæc oracula ſpiritus ſancti non aſſurgeret? Sed quanto hæc dicta diuiniora ſunt, tanto prophanius ijs Aſotus ad impietatem ſuam abutitur. Qualis enim hæc eſt dialectica: Chriſtus dicit, ſi duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo. Et Paulus atq; Iacobus iubent nos pro nobis inuicem orare. Ergo horæ Canonicæ ſunt legendæ aut cantandæ lingua peregrina, & hæc lectio mitigat merito ſuo iram Dei, impetrat gratiam Dei, & ſatisfacit pro peccatis? Quæ eſt huius Fraterculi uertigo? quæ intemperies? Habet ne nos pro ſaxis, & truncis, aut ſtipitibus, qui inſulſitatem eius non intelligamus? Sycophanta, non agitur nunc de mutua precatione, qua alter alterius ſalutem Domino commẽdare debet, ſed agitur de ueſtris horis Canonicis, quas ſoletis peregrina lingua abſq; interpretatione coram populo, non iam dico legere, aut cantare, ſed ſæpenumero etiam boare, & quod opus ſoletis pro expiatione & ſatisfactione peccatorum populo uendere, & Deo obtrudere. Hic eſt huius loci ſtatus, & illud tibi probandum fuiſſet, Num ueſtra battologia, quam ne ueſtri quidem omnes, nec popu

lus intelligit, tanti sit meriti coram Deo, ut propter eam propicius fiat humano generi, & condonet ei peccata, atque largiatur ei hæreditatem cœlestis regni? Aut, ut iuxta Soti matæologiam loquar, num filius Dei partem sanguinis sui, in uestitas Horas Canonicas ita effundat, ut hoatu earum ira Dei mitigetur, & pro peccatis hominum satisfiat? Hoc tibi Sote probandum fuisset. Sed quid lucis expectares ab eo hypocrita, qui oculos habet crassiori uelamine obductos, quàm impij Iudæi unquam habuerunt? Sinamus igitur huic generi suas tenebras. Nos autem ad reliqua progrediemur.

De Ieiunio.

IN HOC capite Sotus duo præcipuè urget. Alterùm, quòd Ieiunium quadragesimale, ut uocant, & alia publica Ieiunia, (De hoc enim Ieiuniorum genere, in præsentia sermo est,) non solum non sint contemnenda, uerumetiam contemptores eorum sint inter hæreticos & schismaticos abijciendi, præsertim, cùm quadragesimale Ieiunium sit, (ut ipse quidem affirmat) Ecclesiæ traditum ab Apostolis, & deriuatum à Christo. Alterum, quòd tale genus Ieiuniorum, sit applicatio meriti Christi, expiatio peccatorùm, mitigatio iræ Dei, & meritum æternæ uitæ, adeoq; collocat Sotus hoc genus Ieiunij in tantæ dignitatis fastigio, ut palàm disertis uerbis affirmet, peccatores ieiunantes, aut alia ex suo genere bona opera facientes, etiam SINE VERA POENITENTIA, modo non peruersa intentione, non parùm promouere eo ieiunio. Implent enim, (inquit) præceptum, atque ad pia opera promptiores fiunt, & nonnihil se disponunt, &c.

Quanquàm autem suprà, cùm de satisfactione sermo fieret, ueram Ieiunij rationem exposuerimus, & Sotus in hoc capite, non nisi ueteres suas φλυαρίας & impietates in medium producat, tamen quia hoc loco hæreses & schismata multùm crepat, sequemur monita Salomonis, & respondebimus stulto, iuxta stulticiam suam, ne sibi sapiens uideatur. Ac mereretur quidem uanus homo, ut uertigini, & furori mentis suæ relinqueretur. Quid enim negocij tibi sit cum eo homine, qui non in eodem tantùm capite, uerumetiam in eadem ferè pagina pugnantia effutit. Dicit enim, Ieiunium sine uera pœnitentia, non esse peccatum, nec ingratum Deo, sed implere præceptum. Mox autem contrarium affirmat. Impium, uidelicet, ieiunium non placere Deo, & quadragesimam sine mutatione uitæ transegisse, esse magis peccasse. Quid igitur cùm tam uario, & inconstanti homine conferas? Sed quia prætexit suæ uanitati & impietati autoritatem ueteris Ecclesiæ, non est ad eam petulantiam connituendum.

Ac initiò, non iam illud agitur, Num quadragesimale, & alia id genus Ieiunia fuerint superioribus seculis usitata. Meminit huius rei Confessio Principis, etiam priusquam Sotus in hanc harenam descendit. Quare nihil opus fuisset, ueterum scripta ad huius usus testificationem commemorare.

Sed hoc agitur, Num obseruatio Ieiunij quadragesimalis, (De hoc enim,

enim, quia habetur præcipuum, in præsentia loquemur) sit diuinitùs instituta, & præcepta, adeoque sic commendata, ut nisi eam agnoscas, & pro necessaria ad ueram salutem habeas, merearis inter schismaticos & hæreticos, unà cum Manichæo, Aério & Iouiniano abijci?

Non uideo quidem, quo consilio Sotus rixetur nobiscum de quadragesimali ieiunio, cum ne sui quidem hoc iuxta ueterum consuetudinem obseruent. Veteribus enim usitatum fuit, totum diem, usque ad uesperũ diei à cibis abstinere. Pontificij autem & Fraterculi abstinent tantum usque ad meridiem, & exercent insignem impostu ram, quòd reijciant uesperas preces in Meridiem, quo liceat ipsis mox ab his precibus, priusquàm uespera ipsa diei aduenerit, cibum capere, ac uideantur nihilominus exemplum ueteris Ecclesiæ sequi. Et si semel tantùm in die saturi fiunt, quid amplius faciunt, quàm quod Plato à studiosis suæ Philosophię exigit? Sed quia libet Asoto de fumo disceptare, non grauabimur hunc fumum ab oculis nostris dispellere.

Non est igitur dubium, quin & Moses, & Elias, & Christus ipse filius Dei ieiunauerint quadraginta diebus & noctibus. Nec potest negari, quin nonnulli è ueteribus scriptoribus sentiant, Quadragesimam Ieiuniorum habere autoritatem tam ex Veteri, quàm ex Nouo testamento. Quod ergo attinet ad exemplum Prophetarum, & Christi, obscurum non est, quòd humanæ naturæ impossibile sit tale, tamq; admirandum exemplum sequi. Illi enim totis quadraginta diebus & noctibus, nihil prorsus humanorum ciborum sumpserunt. Homines autẽ uix possunt natura sua absq; cibo ad undecimum usq; diem peruenire.

Præstemus ergo, inquit Sotus, quod possumus, & ieiunemus more fragilitatis humanæ, itáque sequamur Christum à longè. Atqui, hoc præstandum nobis est, nõ tantum quadraginta diebus, uerũetiam toto uitæ nostræ tempore. Semper enim sectanda est sobrietas, & nunquam hellu andum, siue semel tantùm, siue bis in die cibum sumpseris, siue usq; ad horam diei secundam tantùm, siue usque ad meridiem, siue etiam usque ad uesperam ieiunaueris. Nos autem loquimur nunc de exemplo quadraginta dierum, de circũstatia uidelicet certi dierum numeri, & clarè ac perspicuè affirmamus, quòd Christus, nec exigit ab Ecclesia, ut imitatione sequatur miraculum eius, quia est humanæ naturæ impossibile, nec promittit se daturum uires, ut tale miraculum in nobis edere queamus, nec præcipit, ut uel qualitercunq; possumus, certis ac definitis diebus ieiunium, uel usq; ad meridiem, uel usq; ad uesperam, & uel huius, uel illius cibi abstinentia, producamus.

Scio, quosdam scribere, Christum consecrasse Quadragesimam suo Ieiunio. Ac uerum quidem est, quòd ipse ieiunauerit totidem diebus & noctibus. Sed illud non est uerum, quòd hoc suo exemplo præceperit Ecclesiæ, ut & ipsa, si nõ totis quadraginta diebus & noctibus, certè aliquot partibus dierum ac noctium, quoquomodo potest, singulis annis ieiunet. Hoc, inquam, filius Dei Ecclesiæ suæ non præcepit. Rectam uitam, (inquit Chrysostomus, quemadmodum & suprà recitauimus) appello, NON IEIVNANDI laborem, NEC CILICII AC CINERIS lectulum, sed si pecuniam non aliter, quàm oporteat, despicias, si caritate ardeas, famescentes pane tuo nutrias, si superior sis ira, si gloriam inanem non concupiscas, si inuidia non detinearis. Hæc enim ipsius documenta sunt. NON ENIM DICIT, IEIVNIVM SV-

VM ESSE IMITANDVM, quamuis quadraginta illos dies posſet proponere, ſed, Diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde. Imò uerò contra, Omne, quod apponitur uobis, comedite, inquit, &c. Habes manifeſtum teſtimonium Chryſoſtomi, quòd Chriſtus non præceperit ieiunium quadrageſimale. Sed habet etiam Sotus ſuos Canones, quos in explicandis ueteribus ſcriptoribus ſequi ſoleat, & habet ſuos autores, quos Chryſoſtomo opponat. Cùm igitur ſcriptores ſecũ pugnent, & alius quidem dicat Dominum ſuo exemplo mandaſſe, alius non mandaſſe quadrageſimam, reliquum eſt, ut conferamus nos ad ſcripta Apoſtolica, ſeu noui Teſtamenti, & ſiquidem Sotus in his ſcriptis oſtenderit hoc mandatum de quadrageſima, uicerit: Si autem, quod certiſsimum eſt, oſtendere non poterit, Eccleſia non eſt alienis præceptis obnoxia. Hæc autem dicimus, ſicut & Chryſoſtomus ait, non quia reijciamus omne Ieiunium, Quale enim probandum ſit, Confeſsio Principis ſatis lucu lenter expoſuit, ſed quòd doleamus, imò execremur Fraterculorum impudentiam, qua hypocriſin Ieiuniorum ſuorum Eccleſiæ pro uera pietate obtrudunt.

Ac profectò multò prudentius feciſſet Sotus, ſi dicta ueterum de Ieiunio quadrageſimali, ad quæ eſt conniuendum, tacitus præterijſſet, quàm quòd recitatione eorum cogit nos ea percurrere. Cõfeſsio Principis imitata eſt uerecundiam Sem & Iaphet, & obtexit uerenda Nohæ. Sotus autem immundus porcus, non ſolum reuelat Patrum pudenda, uerumetiam obtrudit ea nobis pro honeſtiſsima corporis parte. Quare, ſi quid in dicta Patrum, quos ſalua pietate, plurimum ueneramur, ſeuerius dicitur, imputetur furori Fraterculorum, qui non ceſſant ea, quæ eſſent occultãda, in lucem producere. Citat Sotus, præter alios, etiam Ambroſium, quẽ agnoſco uirum optimè de Eccleſia meritum, ſed qua fuit ipſe modeſtia, æquiori animo feret, ut dicta eius expendamus piè, quàm ut ſine ullo iudicio approbemus. Dicit, recitatore Aſoto: Non leue eſſe peccatum, fidelibus indictam quadrageſimam à Domino non ieiunare, & ieiunia conſecrata uentris uoracitate diſſoluere. Scriptum eſt: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Hactenus Ambroſius. Primùm ergo, nemo quidem honeſtus probat uoracitatẽ uentris, ſed quod dicit, Quadrageſimam indictam à Domino, quomodo, obſecro, probat? Vbinam indixit Dominus Eccleſiæ, obſeruationem quadrageſimæ? Lego Dominum ipſum ieiunaſſe quadraginta diebus, & noctibus, non autem lego eum tale aut ſimile genus ieiunij indixiſſe ſuæ Eccleſiæ. Lego ieiunia ab ipſo commendata, non autem lego ab eo commendata talia ieiunia, quæ conſtant certis diebus, certo dierum numero, certis dierum horis, certo genere ciborum, idq; ad expianda peccata coram Deo, & ad promerendam æternam uitam. Quid igitur eſt, quod dicitur, Quadrageſimam à Domino indictam? Deinde allegatur dictum Ioannis: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Putás ne hoc eſſe aptum teſtimonium ad probandam quadrageſimam? Debemus ambulare, ſicut Chriſtus ambulauit. Debemus igitur totis quadraginta diebus, & noctibus ieiunare. Pergamus eodem argumẽtationis filo: Debemus ambulare ſicut Chriſtus ambulauit: Debemus ergo excitare mortuos, ſanare leproſos, reſtituere cæcis uiſum, & ambulare in mari, ſicut in arida. Quid poteſt abſurdius dici? Nam quòd Ioannes ſcripſit, quòd debeamus ambulare, ſicut Chriſtus ambulauit, non intelligit,

git de exemplis miraculorum, sed de exemplis uirtutum, ac præcipuè, dilectionis.

Non obscurum quidem est, quòd quæ Christus externa miracula edidit, ea debeamus nos ἀναγωγικῶς imitari, ut & nos mortuos excitemus, & cæcis uisum restituamus, hoc est, impios doceamus, ut è spirituali morte ad ueram & æternam uitam excitentur, & ignorantiæ tenebris cæcati, luce ueritatis illustrentur: Suscipere autem ea miracula iuxta externam speciem, quoquo modo ab homine fieri possunt, imitanda, ut facias cultum Deo gratum, & expies peccata coram Deo, ac merearis æternam uitam, hoc demum non solum est ridiculum, uerumetiam impium & detestandum. Quid enim magis ridiculum, imò quid furiosius esset, quàm si quis ad imitationẽ Christi, qui in mari, sicut in arida ambulauit, susciperet & ipse in fluuio ambulandum; & quia non posset id absq; externo sustentaculo facere, colligaret magno labore, & sterneret in aqua fluuij, asseres, in quibus religiosè ad præstandum cultum Deo gratum, & ad expiãda peccata sua coram Deo, super aquis ambularet? Nihilo sanius est, uelle imitari admirandum illud quadragesimale ieiunium Christi externa abstinẽtia, quoquomodo possis, ut hoc opere facias sacrum insigne, & satisfacias non tam pro tuis, quàm pro aliorum peccatis, ac merearis æternam uitam. Manifestum igitur est, quàm aptè dictum Ioannis ad stabiliendum quadragesimale ieiunium conueniat.

Audiamus etiam Gregorij Magni, Romani Pontificis, (quem à Soto in hoc loco prætermissum esse miror) testimoniũ, quo Ieiunium quadragesimale probatur. Quadragesima, inquit, summa obseruatiõe est obseruanda, ut Ieiunium in ea, præter dies dominicos, qui de abstinentia abstracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur: Quia ipsi dies, decima sunt anni. Et paulò pòst: Iubemur ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. Hactenus Gregorius. De Conse. d. 5. c. Quadragesima.

Obsecro autem te, ut diligenter expendas hanc lepidam rationẽ, qua Pontifex exigit ab Ecclesia quadragesimã. Ipsi, (inquit) dies, (quadraginta) decima sunt anni. Iubemur autem ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. Quid ergo hinc sequitur? Illud nimirũ, Quadraginta diebus ante Pascha ieiunandum esse.

O acutum argumentatorem, dignissimum, cui uniuersa Schola Dialecticorum assurgat.

Non ignoramus quidem, Deum exegisse ab Israelitis decimas terræ, tam de pomis arborum, quàm de frugibus. Sed quòd exigat ab Ecclesia sua, post abrogatam politiam Israelitarum, & diuulgatum Euangelion Christi, decimam dierum anni, ad ieiunandum singulis his diebus, usq; ad meridiem, & ad abstinendum à certis generibus ciborum, ut expies coram Deo peccata tua, hoc demum est somnium Põtificis, & purum putum commentum Fraterculorum.

Quid enim? Num decimæ frugum adũbrârunt decimas dierum Ieiunij? Quãto rectius exponit Paulus, quid nobis decimæ Israelitarum adũbrârint. Cùm. n. ad Romanos scribens, affirmet nos habere primitias spiritus, & primitię respiciant decimas, haud obscurè significat, ꝙ cũ in hoc seculo accipiamus tantũ spiritus primitias, accepturi simus in futuro seculo decimas, hoc est, plenitudinẽ, (quantũ quidẽ humanæ conditioni cõpetit,) Spiritus, ut quẽadmdum primitię adumbrant aliquem quasi gustũ & initiũ donorum spiritus, ita decimæ complementum donorum eius

significent. Sed quòd Gregorius suam habeat decimarum interpretatio/nem, inde adeo accidit, quia Pontifices existimant, sibi in interpretatione Sacræ scripturæ, licere, quod libet. Et hoc scilicet decimarum præcepto, quadragesima ita cõfirmatur, ut nisi quis eam magni faciat, pugnet cum Catholica Ecclesia, & sit inter schismaticos & hæreticos, iudicibus Fraterculis, deputandus.

Habes uanam esse iactantiam eorum, qui affirmant quadragesimale Ieiunium esse exemplo Christi, & dictis Sacræ scripturæ, mandatum Ecclesiæ.

Nunc uideamus an sit traditum ab Apostolis. Nam & hoc nonnulli, quibus se & Asotus adscribit, asseuerant. Ac primum quidem, non est dubium, nisi apud hypocritas, quòd quemadmodum Apostolis nõ fuit curæ, ut aliquid de festis diebus sancirent, sed ut ueram pietatem docerẽt, ita non fuerit eis curæ, ut certos dies ieiuniorum instituerent, & certa ciborum genera in Ieiunijs definirent, sed potius, ut Ecclesiam ad sectandam perpetuam sobrietatem cohortarentur. Quomodo enim hi Ecclesiam ad certos dies Ieiuniorum, & ad discrimen ciborum in ieiunijs, idq; ad expiãda merito huius operis peccata, alligassent, qui docuerũt: Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et: Regnum Dei non est cibus ac potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Et: Omnia pura puris, pollutis autem & infidelibus nihil est purum. Et: Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum. Ei autem, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiã. Et: Nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, (Non dicitur: Ex ieiunio quadragesimali, sed ex EX FIDE Christi) & non ex operibus legis.

Sed & Augustinus, cuius testimonium Confessio Principis recitauit, affirmat manifestè certos ieiuniorum dies non esse præceptis Apostolorum definitos. Ego, inquiens, in Euangelicis Apostolicisq; literis totoq; instrumento, quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, uideo præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, PRAECEPTO DOMINI VEL APOSTOLORVM NON INVENIO DEFINITVM. Audítis ne Fraterculi? Augustinus dicit, se nec Domini, nec Apostolorũ præcepto inuenire definitum, quibus diebus oporteat, uel ieiunare, uel non ieiũnare. Sed deflexis paulùm oculis, uidete etiam Soti, patroni uestri scorias, aut quisquilias. Cùm enim Confessio Principis recitasset illa uerba Augustini, Video præceptum esse Ieiunium, addit Asotus, Hoc aduertite, inquiens, & apertè id cõfitemini, præceptum esse Ieiunium. Ac mox desiderat in nobis synceritatem, & inuehitur in nos homo facundus magno, ac planè censorio supercilio, quòd etiamsi non seruemus quadragesimam, & alia instituta ieiunia, tamen non fateamur ingenuè, nos ea reijcere. Sed ehodum Fratercule: Quis tu es, qui iudicas de alieno seruo? Quid ad uos Fraterculos, siue quadragesimam, & alia ieiunia, uestro more, ieiunemus, siue non ieiunemus? An non satis perspicuè nostram sententiam de horum ieiuniorum genere diximus, cùm probauimus usum eorum fuisse in ueteri Ecclesia liberrimum? Scimus & fatemur apertè, Ieiunium diuinitùs præceptum esse, Sed illud quæritur, Quale ieiunij genus sit diuinitùs præceptum? Num quadragesimale? Ostendimus uerò paulò antè, quòd non sit uerbo Domini præceptum,

& nunc

& nunc in hoc sumus, ut ostendamus, nec ab Apostolis esse institutum.

Quid autem multis testimonijs opus? Vestri ipsorum scriptores affirmant, quòd Ieiunium, prout quidem est actus uirtutis, (sic enim loquuntur) cadat sub præcepto legis naturæ. Hæc est perpetua sobrietas, quam & nos prædicamus, laudamus, & seuerissimè exigimus: Ieiunium autem tempore, modo & cibo definitum, sit iuris positiui. Sed audiamus uerba ipsa Astexani. Vnusquisq; (inquit) ex naturali ratione tenetur tantum ieiunijs uti, quantum sibi est necessarium ad uitanda mala, & prosequenda bona. Et ideo Ieiunium in communi cadit sub præcepto Legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi ieiunandi secundum conuenientiam, & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto iuris positiui, quod est institutum à Prælatis Ecclesiæ &c. Et mox: Ieiunium acceptũ non secundum quod est actus uirtutis, sed præcisè ratione eius, quod superaddit statutum Ecclesiæ, nõ est de iure naturæ, nec de iure diuino, sed de iure positiuo. Hactenus Astexanus.

Quantum autem potestatis habeant Prælati erga Ecclesiam, hoc est, serui erga dominam suam, demonstratum est aliàs. In præsentia illud nobis sufficit, quòd determinatio Ieiuniorum ad certa tempora, horas & cibos, non sit diuini iuris. Itaq;, non dicimus quidem impium esse per se, uno aut pluribus diebus, usq; ad meridiem, aut uesperam à cibis abstinere, sed dicimus, talia Ieiuniorum genera, non esse diuinitùs instituta. Et quã uis per se sint libera, tamen quia Fraterculi, ne ipsi quidem obseruant ueterum consuetudinem in ieiunando, sed exercent impostruram, quemadmodum antè diximus, & sordidãt sua ieiunia impietate, propterea quòd sentiant se merito eorum expiare tam sua quàm aliorum peccata, idcirco illud etiam dicimus, quòd ieiunia Fraterculorum non solum non sint libera, uerumetiam coram Deo abominanda & damnata. Soto autem exigenti à nobis quadragesimæ suæ obseruationem, respondeat nostro nomine Augustinus. Quod enim dicit Augustinus aduersus Vrbicum, exigentem Ieiunium Sabbati, quod erat in Romana Ecclesia usitatum, in alijs autem Ecclesijs non erat usitatum, hoc sciat Asotus & Fraterculi eius, aduersus ipsos dictum esse. Ac siquidem inter nos & Fraterculos Asoticos esset concordia in uera doctrina pietatis, de ratione ieiunandi facilis esset conuentio. Neq; enim nos illos, neq; illi nos, sicut nec de diebus festis, & de discrimine ciborum, ita nec de diuersitate ieiuniorum iudicaremus. Nunc autem, quia discrepamus non tantum ritibus ieiuniorum, sed etiam genere doctrinæ, ac Asotici quidem sequuntur doctrinam impiam, nos autem piam, respondemus Asoto & sodalitio eius, quod Augustinus in eadem Epistola ad Casulanum scribit: Sic à sanctis, inquiens, & fidelibus piè prandetur, quemadmodum à Sacrilegis & Incredulis impiè ieiunatur.

Sed reuertemur ad institutum. Non solum enim dicta & scripta Apostolorum, uerumetiam uarietas in obseruandis apud ueteres Ieiunijs, testificatur tale Ieiuniorum genus non esse Ecclesiæ ab Apostolis traditum. De hac re libet hic uerba ipsa Ecclesiasticæ historiæ commemorare, quæ etsi eruditis non sunt ignota, tamen quia hic locus ita exigit, uisum est ea recitare.

Euseb. In Ecclesiast. histo. lib. 5. cap. 26.

Neq; de die tantum disceptatio est, sed & de ipsa specie Ieiunij. Siquidem alij unum sibi diem ieiunandum esse putãt, alij duos, alij plures, alij

quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes diem ſuum ſtatũ unt. Hactenus Euſebius.

Socrates, In Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 5. cap. 22.

Ieiunia (inquit) ante Paſcha inueniri eſt aliter ab alijs cuſtodiri. Romani namque tres ante Paſcha ſeptimanas, præter Sabbatum & Dominicam, continuas ieiunant. Illyrici & tota Græcia & Alexandrini, ante ſex hebdomadas ieiunium ante Paſcha ieiunant. Illudque quadrageſimam uocant. Reliquorum autem præterea alij ante ſeptem hebdomadas feſti huius Ieiunium ordiuntur, ac ſolos quindecim dies per interſtitia ieiunãtes, nihilominus & ipſi tempus hoc quadrageſimam uocant. Subit autem mihi admiratio, quomodo iſti circa dierum numerum diſcrepantes, eandem quadrageſimam uocent, & appellationis huius alius aliam rationem aſsignet. Inuenire autem eſt, non ſolum circa numerum dierum diſſentientes, ſed & non eandem ciborum abſtinentiam retinentes. Alij enim omnino animatis abſtinent. Alij uerò ex animatis ſolos piſces comedunt. Nonnulli cum piſcibus etiam uolatilibus ueſcuntur, & illa, ſecundum Moſen, ex aquis prouenisſe dicentes. Alij & baccis, & ouis abſtinent. Aliqui ſolum aridum panem manducant. Nonnulli ne hunc quidem. Sunt qui ad horam uſque nonam ieiunantes, uarijs cibis utantur. Aliter apud alias gentes ieiunatur, cuius rei innumerę ſunt cauſæ. Et quoniam hac de re nemo ſcriptum aliquod mandatum oſtendere poteſt, liquet, quòd & illam APOSTOLI cuiuſcũ ſententiæ ac uoluntati liberam reliquerint, ne metu quiſpiam, uel neceſsitate, quod bonum eſt, operetur. Hactenus Socrates.

Sed priuſquam hæc expendamus, recitabimus etiam, quod Sozomenus de Spyridone Epiſcopo Trimithuntis Cypri ſcribit.

Sozomenus in Eccleſiaſti. hiſto. lib. 1. cap. 11.

Venit, (inquit) ad Spiridonem ex itinere quidam, inſtãte iam quadrageſima, qua ieiunium cum domeſticis ſuis continuare, certoq; die cibum guſtare, ac intermedijs diebus ieiunus perſiſtere ſolebat. Cùm autem peregrinum admodum delaſſatum cerneret, Age, inquit, ad filiam, Laua uiro pedes, apponeq; quod edat. Reſpondente autem uirgine, nec panem ſupereſſe nec farinam, quòd talia propter ieiunium parari non ſolerent, præmiſſa oratione, petitaq; condonatione, iubet filiam carnes porcinas, quas domi ſale conditas habebat, coquere. Coctis illis peregrinum unà ſecum ad mẽſam ſedere fecit, appoſitiſcq; carnibus ueſci cœpit, uirumq; hortatus eſt, ut ſuo exemplo ederet & ipſe. Recuſanti, & ſe Chriſtianum eſſe dicenti: hoc minus, inquit, recuſare debes. Mundis enim, ſermo diuinus, omnia munda eſſe pronunciauit. Hactenus Sozomenus.

Hæ narrationes oſtendunt quidem, Ieiunium quadrageſimale fuiſſe apud ueteres uſitatum, ſed tanta uarietate obſeruatum, ut manifeſtè ſignificetur. Apoſtolos non fuiſſe huius obſeruationis autores. Quis enim tanta fuiſſet temeritate, ut ſuſcepiſſet Apoſtolicum inſtitutum mutandum, præſertim ijs temporibus, quibus, quo propius homines ab ætate Apoſtolorum aberant, eo melius cognouerunt, quæ ab Apoſtolis eſſent inſtituta? Quare non eſt dubium, quin talis ieiunandi ratio non fuerit initio, uel exemplo, uel mandato Apoſtolorum, ſed tantum priuato quorundam arbitrio exorta, donec tandem in eam conſuetudinem uenit, ut iam uim ferè Legis obtineret. Qualis autem ſit cultus Dei is, qui non Verbo Dei, ſed publica tantum conſuetudine, & humana Lege conſtat,

conflat, sæpe nunc ac multum dictum est, perpetuoq; dicetur.

Hic uerò Sotus in margine Confessionis Principis reperit, non quod pueri in faba. Hoc loco (inquiens) habet annotatio quædam in margine: Duobus tantum diebus in hebdomada ieiunabant per quadragesimam &c. Dicit autem Sotus, in Chrysostomo, è quo illud citatur, omnino contrarium haberi.

Non est mirandum, si Sotus inceperit ante tempus canescere, quòd suscipiat curam expendendi non ea tantùm, quæ in contextu ipso, uerumetiam in margine continentur. Quo autem casu hæc uerba ad marginem adiecta fuerint, nõdum compertum habeo: ac fieri potest, ut negatiua particula fuerit incuria scriptoris omissa, & fortassis initio ita scriptum sit, Duobus tantum diebus in hebdomada NON ieiunabant. Sed hæc utcunq; se habeant, nulla sollicitudo teneat Sotum, ne grandis hic error, & quo nescio, piaculo expiandus, ad posteros propagetur. In posteriori enim editione Confessionis Principis, hæc adnotatio in margine tota omissa est, etiam priusquàm uociferatio Soti audita esset. Quare Sotus non habet amplius, quod uel metuat, uel queratur. Et tamen sicut diuersitas consuetudinis ieiunandi in quadragesima, ex ueterum narrationibus manifestè probat, ita etiam probatur Ieiunium ipsum quadragesimale, nec uerbo Domini institutum, nec ab Apostolis traditum esse, ideoque minimè omnium esse necessarium. Nam quod Sotus ex Agathensi & Laodiceno concilio recitat, non est nouum, quòd Episcoporum concilia obtrudant Ecclesiæ humana decreta, quæ si non nituntur autoritate diuini uerbi, pertinent ad illud dictum Christi: Frustra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Ostendimus autem, quòd obseruatio quadragesimalis ieiunij non sit instituta, nec præcepto Christi, nec traditione Apostolorum. Reijcienda igitur sunt decreta horum Conciliorum, quæ Sotus recitauit ad suos autores: nos autem sequamur ea, quæ de uero ieiunio, hoc est, de perpetua abstinentia à uitijs, & sobrietate, Propheticæ & Apostolicæ literæ tradiderunt.

Diximus hactenus de illo Ieiuniorum genere, quod est humana uel consuetudine, uel autoritate certis temporibus, formulis, & cibis definitum. Dicamus nunc de fine, quem Sotus & Fraterculi eius his suis ieiunijs affingunt. Scribit enim Sotus, Finem, inquiens, Ieiuniorum Ecclesiæ, certum est ex doctrina Patrum, non tantum fuisse, ut admonerentur fideles imminentium periculorum, sed ut PECCATA EXPIARENTVR, mitigaretur q; ira Dei, & Deo gratiores efficeremur. Et mox: Negare Ieiunium opus esse, quo æternam uitam meremur, & satisfacimus pro peccatis, error est apertissimus. Habes uerba Soti.

Quid autem alia huius impietatis refutatione opus est? Spero enim pijs Lectoribus hanc ipsam uerborum eius recitationem, esse manifestam refutationem. Etsi autem Fraterculus non est primus autor huius impietatis. Ostendimus enim aliàs, quòd Maiores huius Fraterculi palàm affirment, Passionem Christi esse quidem principale meritum gratiæ & gloriæ, nunquàm autem esse SOLAM, & totalem causam meritoriam, tamen, quia cæcus cæcos præceptores sequitur, in foueam unà cum ipsis cadat, necesse est. Nam quid in uera Ecclesia Dei, quæ solam Passionem & mortem Christi agnoscit esse expiationem peccatorum nostrorum, coram Deo, & meritum æternæ uitæ, horribilius, & detestabilius dici potest, quàm quòd Ieiunium unius aut alterius diei, aut

etiam quadraginta dierum, idq; tale, in quo non perpetuò abstinetur à cibo & potu, sed per sua interualla editur & bibitur ad sacietatem usq;, satisfaciat pro peccatis coram Deo, & mereatur æternam uitam? Et ne quid blasphemiarum in sacrosanctam Passionem & mortem filij Dei scelera-tus Fraterculus intermittat, addit in scorijs suis: Non uideo, inquiēs, quid aliud adduxeritis, præter VNICVM illud uerbum, quòd sola passio Christi sit meritū, & q̄ applicet̄ per fidem pœnitēti: sed hoc q̄ uanum sit, ostēsum est. Hactenus uerba Soti. Quis autem tantas blasphemias æquo animo, uel legere, uel audire posset? Primùm, illud uerbum, (Sola Passio est meritum, & applicatur per fidem pœnitenti,) contemptim & fastidio sē uocat Fraterculus, VNICVM. Non uideo, inquiens, quid aliud adduxeritis, præter VNICVM illud uerbum, perinde ac si unicum illud uerbum non esset pro mille, & non contineretur in Propheticis & Apostolicis scriptis millies, nec assurgeret huic unico uerbo uniuersa Ecclesia Christi?

Deinde dicit unicum illud uerbum VANVM esse. Quid? Vanum ne est, Solam Passionem filij Dei esse meritum æternæ uitæ, & applicari nobis per fidem? O execrandum Fraterculum, cui uana sunt omnia Prophetica uaticinia, & Apostolica oracula de Passione Christi, & de fide in Christum. Christus ipse apud Esaiam dicit: Torcular calcaui SOLVS, & de gentibus non est uir mecum. Et Petrus: Hic est (inquit) lapis ille, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, nec est IN ALIO quoquā Salus. Nec enim ALIVD nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Paulus: Vnus (inquit) Deus, VNVS etiam cōciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Et aliâs: Insecundum, inquit tabernaculum semel quotannis SOLVS Pontifex non sine sanguine ingreditur &c. Hic Aheronicus Pontifex non quidem adumbrat Christum eo ipso, quo ingreditur in externum tabernaculum quotannis, & offert alienum sanguinem, etiam pro suis ignorantijs, sed quòd & SOLVS ingreditur tabernaculum, & offert sanguinem pro peccatis. Sic enim & Christus filius Dei ingressus est cœleste tabernaculum SOLVS, & obtulit proprium sanguinem, unica oblatione, pro peccatis humani generis. Huc pertinet, quod & Christus ipse aliâs dicit. Nemo ascēdit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.

Hæc & his similia tam Prophetica, quàm Apostolica oracula sunt impio Fraterculo VANA. Nec mirum. Cum peruerso enim, & Deus ipse in Psalmo peruersus esse dicitur. Et apud Paulum, Pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum & mens & conscientia.

Sed ne Sotus uideatur Passionem Christi prorsus excludere, & Soli ieiunio meritum æternæ uitæ tribuere, fingit pro ueteri suo more, meritum Christi applicari nobis per ieiunium, & ieiunium habere efficaciam meriti sui, ex merito Christi. Hoc Fraterculorum commentū, quod spargunt in omnia bona ipsorum opera, iam antè satis est à nobis refutatum. Sed quia in præsentia quærit Sotus, quid impediat, ut applicato semel merito Christi, per pœnitentiam cordis, (recito autem uerba Soti, sic satis scilicet diserta) accedens ieiunium, quod est fructus eius, id magis ac magis applicet? etsi antea de applicatione copiosè dictum est, tamen ne nunc quidem grauabor ei, sed paucis, respondere. Primùm, quod ne applicat quidem homini meritum Christi, quomodo magis ac magis applicabit?

plicabit? Ieiunium autẽ & alia id genus opera, nihil minus faciunt, quàm quòd applicent homini meritum Christi. Cùm enim Applicare sit aliquid accipiendum offerre ac tradere, & quasi adiungere, & meritũ Christi non offeratur accipiendum, nec tradatur, nec adiũgatur nobis, nisi per ministerium Euangelij & Sacramentorum eius, quemadmouum sæpe ostendimus, cúmque quod per hoc ministerium offertur accipiendum, non accipiatur, nisi per fidem, dubium non est, quin nec ieiunium, nec alia id genus opera applicent homini meritum Christi. Deinde sicut Christus inhabitat in cordibus nostris PER FIDEM, quemadmodum Paulus testatur: ita & meritum Christi prædicatione Euangelij nobis oblatum, accipitur PER FIDEM. Qui enim CREDIT Filio, inquit Ioãnes, habet uitam æternam, (quam Christus nobis meritus est) Quod autem accipitur per fidem, non accipitur per opera, quia quod FIDE accipitur, gratuita tantum misericordia accipitur. Quod autem accipitur operibus, accipitur merito. Israel, inquit Paulus, qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Et: Vbi est gloriatio? Excluſa est. Per quã legem? Operum? Non, imò per legem fidei. Habes igitur Sote, quid impediat, quo minus ieiuniũ applicet nobis magis magisq; meritum Christi, uidelicet, quòd ne quidem hoc meritum ullo modo nobis applicet, tantum abest, ut id magis ac magis applicet. Nam quòd addit Sotus, Meritum Christi semel applicatum, non minus posse rursus applicari, quàm qui sanctus est, adhuc sanctificari, iam explicatũ est, Applicationem meriti Christi offerri per ministerium Euangelij, & excipi non per ieiunium & alia opera, sed tantum per fidem. Quantum igitur crescimus in fide, aut ut Petrus loquitur, in gratia & cognitione Domini nostri & saluatoris Iesu Christi, tantum etiam dicitur nobis meritum Christi applicari, ut quo magis adaucta est fides, eo plures & maiores bonorum operum fructus proferat, qui non iam iterum applicent meritum Christi, sed qui ex merito Christi antea applicato, & per fidem excepto oriantur.

Et huc etiam respicit dictum illud Apocalypseos: Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Rectè enim hoc loco dicit Sotus, quòd tota sanctificatio non aliunde sit, quàm ex applicatione meriti Christi, non autem rectè sentit, quòd existimet applicationem meriti Christi fieri per alia, præterquam per fidem, opera, ut quo plura opera feceris, eo magis applicetur tibi meritum Christi. Sicut enim arbor non fit bona ex fructibus suis, sed antè bona facta, profert bonos fructus, & ex fructibus bona agnoscitur: ita homo non fit Sanctus, ex operibus suis, sed antè Sanctus per fidem propter Christum factus, profert sancta opera, ut qui sanctus est per fidẽ, sanctificetur adhuc, non quidem hoc sensu, ut propter opera maiorem consequatur sanctitatem. Cùm enim possideat Christum per fidem, habet totam sanctitatem seu iustitiam in Christo, Sed illo sensu, ut quo perfectior est fides, eo plura & maiora opera, sanctitatem fidei testificantia, proferat. Sed de applicatione, & auctione sanctificationis, quam hypocritæ fingunt per opera fieri, aliàs copiosius dictum est. Percurramus igitur nunc ea scripturæ & Patrum dicta, quæ Sotus recitat, ut probet Ieiunium esse opus, quo satisfaciamus pro peccatis, & mereamur æternam uitam.

Ac initiò recitat illud Pauli è posteriori epistola ad Corinth. cap. 6. Commendemus nos ipsos in omnibus, ut Dei ministri, in uigilijs, in ie-

iunijs, in castitate, &c. Quid? hoccine probat Ieiunium esse satisfactionem pro peccatis, & meritum æternæ uitæ? Paulus iubet, ut in omnibus seu actionibus seu passionibus, in omnibus seu prosperis seu aduersis sic nos geramus, ne quod offendiculum ministerio nostro demus, sed honestatem & pietatem animi testificemur: ac præter alia, commemorat etiam Vigilias & Ieiunia, ac monet, ut si quando in uarijs humanarum miseriarum casibus noctes ducendæ sunt insomnes, & inedia sufferenda, non murmuremus, nõ tumultuemur, non insaniamus, sed patientiã & æquitatem animi seruemus, ac omnino declaremus reipsa nos esse discipulos et ministros eius, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sotus autem, lepidus homo, quia inuenit apud Paulum nomen Vigiliarum & Ieiuniorum, argumentatur, Vigilias & Ieiunia esse satisfactiones pro peccatis, & merita æternæ uitæ. Quid tanto ingenij acumine argutius? Sequamur igitur exemplum Soti, & quia in eadẽ periodo, Paulus iubet, ut commendemus nos ipsos in seditionibus, dicamus etiam seditiones esse satisfactiones pro peccatis, & merita æternæ uitæ. Additur & illud, ut commendemus nos per gloriam & ignominiam, per conuicia & laudes. Ambiamus igitur & uenemur hominum gloriam & laudes, ut ijs satisfaciamus pro peccatis & mereamur æternam uitam. Quid potest uel stultius, uel absurdius, uel furiosius dici? Si Fraterculus hæc scribit, quid eo cæcatius? Si ludit, quid eo scurrilius?

Eiusdem monetæ est, quod ex Actis Apostolicis commemorat, Paulum & alios Antiochiæ ieiunasse. Quid ergo? Num hoc fine ieiunarunt, ut satisfacerent coram Deo pro peccatis, & mererentur æternam uitam? De hoc enim in præsentia agitur. Non enim quæritur, num Apostoli & alij Ieiunârint. Nouimus hoc, priusquàm Theognis, ut dici solet, nasceretur, Sed quæritur, Quo modo, & quo fine ieiunârint. Primùm enim, non ieiunârunt usq; ad horam tantùm diei sextam, aut meridiem, quod uos Fraterculi facere soletis, sed ieiunarunt, quantum ex instituto Legis Mosaicæ conijcere licet, totum diem usque ad diei uesperam. Si ergo omnino libet ueterum exempla sequi, cur prandetis? Veteres enim in Ieiunijs non sunt pransi, sed cœnati.

Deinde, non ieiunarunt, ut hoc opere satisfacerent pro peccatis, & mererentur æternam uitam. Quid enim? An Paulus, Barnabas, & alij Prophetæ ac doctores in Ecclesia Antiochena non habebant remissionem peccatorum, & ius æternæ uitæ propter Christum, in quem credebant, quem prædicabant propter quem hactenus multa & uaria aduersa pertulerant, priusquam susceperunt Ieiunandum? Num si tanti uiri excessissent è uita, antequam ieiunarunt, necesse habuissent ignem Purgatorium ingredi, & ibi, quod reliquum erat peccati expiare? Sed relinquamus has uanitates suis autoribus. Quid ergo est, quòd Paulus & reliqui in Ecclesia Antiochena ieiunarũt? Non certè, ut iam primùm pro peccatis suis coram Deo satisfacerent. Habebant enim Christum, qui ut solus est satisfactio pro peccatis, ita sola fide apprehenditur, Sed ut sobrietate expeditiores essent ad inuocandam opem Dei, & ad conficiendum negocium, propter quod publicè conuenerant. Solemus & nos in publicis periculis, aut alijs casibus, Ecclesiasticum cœtum, concionibus, precationibus, & cœnæ Dominicæ dispensatione, aliquando diutius, quàm alijs diebus, priusquam cibum sumant, retinere, nec dubitamus, quin hoc modo exemplum ueteris Ecclesiæ rectè, & utiliter sequamur, cùm interea hypo

critæ

eritæ desperato animo uociferentur, quod est apud Prophetam. Quare ieiunauimus, & nõ aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?

Apostolicum igitur exemplum eò ualet, ut in arduis negocijs, opem à Deo ardentissimis uotis petamus, non eò, ut necesse habeamus à summo mane, usq; ad meridiem, aut uesperam ieiunare.

Recitatur à Soto etiam illud Christi de Ieiunio: Pater tuus reddet tibi. Quid ergo reddet Deus pro Ieiunio? Num Remissionem peccatorum, & uitam æternam?

Quis non miretur, imò execretur, hypocritarum iudicia? Ieiunium suum tanti reputant, ut existiment dignum esse, quod Remissione peccatorum, & æterna uita, cœlestibus uidelicet, & maximis omnium beneficijs compensetur. Quid ergo, obsecro, suis Ieiunijs magni faciunt? Solemus uulgo diebus communibus ac liberis, in æquinoctijs, ab ortu solis, tribus aut quatuor horis, aut iuxta Germanica horologia, usque ad horam nonam aut decimam à cibo abstinere. Fraterculi autem abstinent in diebus ieiunio suo deputatis, adhuc unam aut alteram horam, ad usque uidelicet undecimam, seu duodecimam. Et quanquam pauca dicuntur cœnare, aut fortassis omnino non cœnare, tamen in prandio ita opiparè & apparatè edere ac bibere solent, uix ut ad usque prandium sequentis diei concoquere possint. Hoccine illud præclarum & insigne opus est, propter quod uniuersa cœlestis curia assurgat, & obuiam procedat Ieiunatori, ut proiectis omnibus peccatis eius in profundum maris, compenset ei tantum pondus & æstum diei gaudio æternæ uitæ? Scio, nec eum, qui ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine discipuli, mercedem suam perditurum. In præsentia autem non est nobis sermo de quauis mercede, quam Deus uel in hac, uel in futura uita filijs suis liberaliter reddere solet: sed loquimur de Remissione peccati, & æterna uita, utrum ne Deus soleat mercede horum longè omnium maximorum beneficiorum, Ieiunium unius aut alterius horulæ compensare? Imprudens igitur filius Dei, quòd non manserit in maiestate Patris sui, & miserit angelum quendam in terras, qui doceret homines tale genus Ieiuniorum, ut ipse à tanto mortis & inferni dolore liber fuisset. Sed ideo, inquiunt, filius Dei necesse habuit mori, ut Ieiunium acciperet uirtutem satisfaciendi pro peccatis. Hæc autem uanissima hypocritarum figmenta, hactenus ita refutata sunt, ut ante faciem Euangelij, quod docet, filium Dei passum pro nostris peccatis, ut expiarentur, non pro nostro Ieiunio, ut ipsum expiaret peccata, constare non queant.

Cedò enim, passus ne est filius Dei pro Ieiunio impiorum, & nondũ in Christo per fidem renatorum, an piorum? Si dixeris, Impiorum, necesse habebis fateri, peccata peccato expiari. Ieiunium enim impiorum non est ex fide. Quod autem non est ex fide, peccatum est. Si uerò dixeris, piorum, manifesta est uanitas, propterea quòd pij, priusquam suscipiunt ieiunandum, habent Remissionem omnium peccatorum, & ius æternæ uitæ. Nec est, quòd hæc beneficia augeantur uel minuantur in homine, per Ieiunium, aut alia id genus opera, Sed ubi Christus inhabitat in cordibus nostris per fidem, quamuis imbecillem, ibi est tota peccatorum remissio, & uniuersum ius æternæ uitæ. Ac fides quidem ipsa augeri aut minui potest, idque non propter nostra opera, quæ nos facimus, sed autore Spiritu sancto, per prædicationem Euangelij, & usum Sacramentorum. Christus autem ipse, unà cum beneficijs suis, remissione ui

delicet peccatorum, & uita æterna, heri & hodie, idem est etiam in seculà. Sed quia de hac re suprà quædam diximus, reuertemur nunc ad dictum Christi, de Ieiunio, Pater tuus reddet tibi.

Primùm enim, Christus non commendat his uerbis Ieiunium impiorum seu hypocritarum, quod reiicit, sed commendat Ieiunium piorum, qui habent, quemadmodum dictum est, remissionem peccatorum, & ius æternæ uitæ, priusquàm ieiunandum suscipiunt, aut Ieiunium absoluunt. Deinde non dicit, tale ieiunium esse satisfactionem pro peccatis, & meritum æternæ uitæ, sed recipit se aliis beneficijs compensaturum, sicut & de eleemosyna, precatione, & aliis bonis operibus dicitur, quòd suam habeant mercedem. Ecquæ, obsecro, est merces illa, & beneficia, quibus Deus pium Ieiunium compensat? Videamus uerum huius ieiunij usum, & habebimus mercedem. Initio hoc genus ieiunij (loquimur autem non de ieiunio morali, quod est, sobrietas, sed cerimoniali, quod constat certis diebus & horis) admonet homines, quemadmodum Confessio Principis recitat, de præteritis, aut præsentibus, aut imminentibus periculis, ut qui agunt pœnitentiam, pergant ardentius facere, quod faciunt: qui uerò nondum agunt pœnitentiam, excitentur, autore Spiritu sancto, ut incipiant pœnitentiam agere. An uero, aut excitari, aut inflammari ad agendam pœnitentiam, exigua tibi merces, exiguum beneficium uidetur? Certè opus est Spiritus sancti, quod & si non datur omnibus ieiunantibus, tamen tale iciunium non quidem per se, sed coniunctum cum prædicatione uerbi Dei, & precatione, idoneum, non dico meritum, sed organon est, quo Spiritus sanctus solet aliquos ad pœnitentiam uel inflammare, uel excitare. Quod genus Ieiunij, & si publicè in nostris Ecclesijs non obseruatur iuxta ritus & cerimonias Fraterculorum, quia est impostura, sicut antè ostendimus, nec obseruatur iuxta cerimonias Mosaicas, quia sumus uindicati in libertatem, obseruatur tamen ueritate, quia solemus suis temporibus ieiuni & sobrij conuenire, & concionibus uerbi Dei, populum ad pœnitentiam, & ad inuocationem nominis Dei, per Iesum Christum filium eius cohortari, de quo non est, quòd obnoxij simus iudicio Fraterculorum. Nostro enim Domino stamus aut cadimus.

Deinde, quia tale Ieiunium solet esse qualecunque exercitium sobrietatis, idcirco, quæ est merces, qui usus sobrietatis, idem etiam ad cerimoniale piorum Ieiunium referri suo modo post. Multus autem & magnus est sobrietatis usus, & multa ac magna fit bonarum rerum iactura, crapula & ebrietate.

Esaiæ quinto. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiuijs uestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Concionatur Propheta de crapula, & detestatur eam, quòd conijciat homines in tantum stuporem, ut non habeãt ullam rationem consiliorum Dei, nec cogitent de supplicijs, quæ orbi propter impiam securitatem imminent. Temperantia autem in cibo, & sobrietas, uirtutes sunt, quibus homo in officio ita continetur, ut Spiritus sanctus habeat locum, dona sua exercendi, & mentem excitandi, ad considerationem consiliorum Dei, & obseruationem uerbi eius.

Lucæ uigesimoprimo. Cauete uobis, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille.

Docet filius Dei hac concione, quòd helluatio & ebrietas efficiant, ut homines

homines inopinatis & improuisis malis obruantur,& opprimantur. Ergo temperantia & sobrietas hunc usum habent,ut homines Spiritu sancto donati,& admoniti effugiant imminentia mala,& consequantur salutem,non quidem propter temperātiam, sed propter Christum filium Dei,quem temperantes,& sobrij per fidem agnoscunt.

Quare, cùm Ieiunium cærimoniale fuerit in cœtu piorum exercitium & rudimentum temperantiæ ac sobrietatis,non est absurdum, si isti ieiunio laudes harum uirtutum , quod aliquoties ueteres scriptores fecisse non ignoramus,suo quodam modo tribuantur.

Ac,ut Soto nonnihil gratificer , equidem ab hac loquendi formula, qua ueteres nonnunquàm usi sunt,Ieiunium est remedium aduersus peccata,per se non abhorreo, ab impia autem Soti & Fraterculorum eius sententia abhorreo uehementissimè. Sæpe enim fieri solet, quemadmodum aliquoties in hoc scripto ostendimus , quòd quibus uerbis ueteres piè,aut saltem non impiè usi sunt, ijs hypocritæ ad stabiliendam suam impietatem abutantur,& cùm Fraterculi similia cum ueteribus loquuntur,dissimilia tamen sentiant.

Nam si Ieiunium dicatur remedium aduersus peccatum , ac etiam (ut amplius aliquid concedam) satisfactio pro peccatis,propterea quòd temperantia & sobrietate, multa peccata caueantur , quæ helluatione & ebrietate designari solent, & in humano iudicio ebrietas sobrietate, sicut & auaritia, eleemosyna, & execratio, precatione,expietur, ex quo ortæ quondam sunt Canonicæ,quas ita uocârunt, satisfactiones, non admodum repugno,nec eam loquendi formulam damno. Si autem,iuxta fraterculorum sententiam intelligatur , Ieiunium ita esse remedium aduersus peccata , ut merito ac dignitate huius operis expientur peccata coram Deo , & impetretur Salus æternæ uitæ,hæc demum est detestanda impietas. Nam si Ieiunium, (exempli gratia) quadragesimale expiat peccata coram Deo,quid est,quòd semel tantum in anno quadragesimam, & non sæpius ieiunent? Hieronymus reprehendit Montanistas, quòd non contenti ieiunio unius quadragesimæ , tres in anno faciant quadragesimas. Quòd si Ieiunium est expiatio peccatorum coram Deo , certè Montanistæ iniuria reprehenduntur, quòd quo plures faciunt quadragesimas,eo magis,& efficacius peccata sua coram Deo expient. Sed quid facio, cùm non sperem, me aliquid apud hoc genus homines posse efficere? Cusanus dicit , quòd ad mutationem iudicij Ecclesiæ, (intelligit autem nomine Ecclesiæ, Prælatos) mutetur & Iudicium Dei,& quòd scriptura ad tempus adaptetur, ac uariè intelligatur,ita ut uno tempore , secundum currentem uniuersalem ritum exponatur , mutato ritu,iterum sententia mutetur, & quòd praxis Ecclesiæ uno tempore interpretetur scripturam uno modo , & alio tempore,alio modo. His sacrosanctis axiomat s addit Sotus etiam sua,sed sententia eadem,uidelicet, Prælatis liberum esse dispensare,& Autoritatem Ecclesiæ, (hoc est, Prælatorum,) satis esse. Quod autem uerbis profitentur,reipsa comprobarunt. Quondam(inquit Cusanus)uita coniugalis præferebatur per Ecclesiam Virginali, post hæc Virginalis prælata existit coniugali. Progrediemur ergo ad similia exempla. Quondam in hoc dicto, Bibite ex eo omnes, OMNES erant OMNES: sed postquam hic ritus mutatus est, OMNES non sunt amplius OMNES. Quondam Ieiunium quadragesimale erat liberum. Nunc, quia aliud usum est Prælatis, ita necessa-

rium est, ut qui negat esse satisfactionem pro peccatis, & meritum æternæ uitæ, sit contrarius Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ, & sit damnatus cum Iouiniano, Aério & alijs schismaticis. Si libet Prælatis, honoratur Deus Ieiunio: si rursus libet, honoratur Deus esu. Qui enim ieiunat statutis diebus Ieiuniorum, eum existimant facere cultum Deo gratissimum. Qui autem die Dominica non ieiunat, (nefas enim ducunt, eo die ieiunare) sed prandet, eum sentiunt hoc suo opere Deum singulari honore afficere. Aliâs cultus Dei illis est, abstinere ab esu carnium feria sexta, aliâs cultus Dei est, edere carnes. Cùm enim dies Festus Natalis Domini celebratur feria sexta, honoratur Natiuitas Christi carnium esu. Quid plura? Si placet Prælatis, Scriptura sacra est oraculum Spiritus sancti, Si rursus displicet, Scriptura sacra sunt Fabulæ Aesopi. In tanta igitur Prælatorum amplitudine & maiestate, frustra suscipimus aduersus eorum impietatem è Sacra scriptura & testimonijs uetustioris Ecclesiæ bellum. Ac miror, quòd Sotus ad refutandam Confessionem Principis tantum laboris sumpserit, ut aliquot dicta scripturæ, & ueterum scriptorum recitet, cùm pateat ei uia magis compendiaria, ad quam certè sæpe ac multùm, cùm perplexus hæsitat, sese proripit, uidelicet, ut autoritatem & maiestatem suorum Prælatorum nobis tanquàm Gorgonis caput obijciat, quo prolato, fieri non potest, quin quilibet nostrum, Gorgone conspecta, saxo concrescat oborto.

Sed bene habet, Spero nos, diuino beneficio, aduersus hos uipereos crines, sic satis munitos esse. Ac fatemur, magnam quidem esse autoritatem Ecclesiæ, sed eius, non quæ sumit sibi tyrannidem in ueram Ecclesiam, non quæ è scriptis Propheticis & Apostolicis facit alutam, non quæ magis è traditionibus humanis, quàm oraculis diuinis pendet, non quæ mutat sacramenta Christi, in longè alia genera operum, quàm diuinitùs sunt instituta, non quæ inuocat homines mortuos, non quæ ueterum ritibus ad impietatem abutitur, denique non quæ manifestam exercet Magéan, & Idolomaniam, sed illius, quæ Solum Christum, caput suum agnoscit, quæ sola scripta Prophetica & Apostolica ita sectatur, ut ne Angelum quidem de cœlo cum ijs pugnantem audiat, quæ sacramenta Christi in uero suo usu conseruat, quæ solum Deum Patrem per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, in Spiritu sancto inuocat, denique quæ omnem Magéan & Idolomaniam ex animo detestatur.

De hac uera Ecclesia glorientur sanè multi & magni, qui in hoc mundo rerum potiuntur, & quærant occasiones, ut nos, quoquo modo possint, opprimant, uenisset autem, ueniet certò tempus, quo palàm declarabitur, custodem Israelis, neque oscitare, necp dormitare.

DE CONSE/

De Consecratione Aquæ, Salis, Vini, &c.

REstaturo mihi sacerdotalem Consecrationem, seu ut rectius loquar, magicam incantationem Aquæ, Salis, & aliarum id genus rerum, uisum est initio commemorare benedictiones earum, ut uocant, & exorcismos, qui publicè extant in ijs libris, quos alij appellant Obsequialia, & Benedictionalia, alij Agendas, quibus in testimonium accedit etiam liber, cui titulum fecerunt, Pontificale.

Cùm enim Confessio Principis reprehenderet eos, qui aquâ benedicta, (sic enim illi loqui solent) utuntur ad delenda peccata uenialia, & Sale, ad faciendas res alioqui noxias, salutares, ibi Sotus exponit quidem ex suo Richardo & Alexano, quomodo intelligendum sit, cùm dicitur, Aquam benedictam delere peccata uenialia, negat autem Ecclesiam Catholicam sentire, quòd sal benedictum faciat è rebus noxijs, salutares. Ac profectò, quod dicit, uerissimum est. Neq; enim Ecclesiæ uerè Catholicæ unquam in mentem uenit, tam horribilis Magiæ, quam Pontificia colluuies in suis sacris designat.

Recitabimus igitur primum omnium exorcismos & benedictiones, quibus in consecratione aquæ & salis uti solent, ut manifestum sit, unde Confessio Principis sua descripserit.

OBSEQVIALE.

Procedat sacerdos in habitu sacerdotali, cum stola, ad locum solitum, ubi præparata sit aqua cum sale, & dicat ter CRVCE signando: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

Exorciso te creatura Salis per Deum ✠ uiuũ, per Deum ✠ uerum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Helizæum Prophetam in aquã mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcisatus, in SALVTEM credẽtium, ut sis omnibus te sumentibus SANITAS ANIMAE & Corporis, & effugiat atq; discedat ab eo loco, quo aspersus fueris, omnis phantasia & nequitia uel uersutia diabolicę fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus, &c.

Et mox.

Immensam clementiam tuam omnipotẽs æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum humani generis tribuisti, bene ✠ dicere & san ✠ ctificare digneris, ut sit omnibus sumentibus SALVS MENTIS & Corporis, & quicquid ex eo tactum uel respersum fuerit, careat omni immundicia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ &c.

EXORCISMVS AQVÆ.

Exorciso te creatura aquæ, in nomine Dei Pa ✠ tris omnipotẽtis, & in nomine Iesu ✠ Christi filij eius Domini nostri, & in uirtute Spiritus ✠ sancti, ut fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatẽ inimici, & ipsum inimicũ eradicare & explãtare ualeas cũ angelis suis apostatjcis etc.

Et mox, In precatione.

Virtutem bene ✠ dictionis tuæ infunde, ut creatura mysterijs tuis seruiens ad abijciendos dæmones, morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus, uel in locis fidelium hæc

unda reſperſerit, careat omni immundicia, liberetur à NOXA, non ille reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, &c.

Et iterum.

Præſta quæſumus domine per hanc aſperſionem aquæ, ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, hîc & in æterna ſeculorum ſecula.

Diſt. 50. c. Capite.

Vbi Canon dicit, Benedictam aquam ſuper eos ſpargat, ibi addit gloſa, Vt per eam tollantur uenialia peccata.

Et Canon Alexandri Pōtificis, quem Canonem Sotus ipſe paulò pòſt recitabit, affirmat, ipſos aquam ſale conſperſam populis benedicere, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificentur.

Et de benedictione herbarum dicitur : Domine ſancte Pater, &c. Tu bene ✠ dicere, & ſan ✠ ctificare digneris has creaturas herbarum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiaſti quinque millia hominum uirorum, omnesq; qui utuntur ex eis bene ✠ dicere & ſan ✠ ctificare dignare, ut eis ſit ſanitas animæ & corporis, in nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti. Et omnibus hominibus pecoribuſque, qui ex hoc guſtauerint, omnem putredinem, & omne phantaſma diaboli, & omnem morbum, & omnem peſtilentiam & dolorem expellere digneris, &c.

Hæc & id genus alia teſtimonia, quæ publicè extant, perſpicuè probant, quòd Pontificia colluuies, quam Sotus falſo uocat Catholicam Eccleſiam, ſentiat aſperſionem aquæ benedictæ tollere peccata uenialia, & ſalem conſecratum facere ex rebus, quas illi noxias putant, ſalutares.

Primùm igitur uides, quàm ueridicus ſit Sotus, cùm negat Catholicam Eccleſiam, (hoc eſt) Pontificiam ſuam colluuiem ſentire, quòd Sal benedictus faciat ex rebus noxijs uel corpori, uel animæ ſalutares. Deinde, uides, quòd cùm exorciſant creaturas, perinde ac ſi eſſent à Diabolo obſeſſæ & inquinatæ plurimum accedant ad ſententiam Manichæorum, qui ſenſerunt creaturas à natura mali ita infectas, ut neceſſe habeant eas purgare, Vnde & Cathariſtæ, hoc eſt purgatores appellantur. Cùm igitur Pontifices, & Sacrificuli, ſuſcipiunt bonas creaturas, quas Deus creatione, & uerbo ſuo ſanctificauit, & quarum ſanctificatio ſua cuicq; precatione applicatur, exorciſmis & alijs ritibus ſuis à Diabolo purgandas, profectò non uidemus, quid hac in parte à Manichæis Cathariſtis differant. Ac ſi quis rem diligenter expenderit, tantum abeſt, ut benedictio, qua ſacrificuli certis exorciſmis, crucibus, & alijs ritibus aquam, ſalem, & id genus alia conſecrant, ſit pia & cœleſtis benedictio, ut potius uerè ſit magica incantatio. Etſi enim ſal & aqua habent ſuum in hac uita corporalem uſum, ex generali Dei creatione, tamen non habent ex ea, ut ſint ſumentibus ſalus mentis, & ſint terror Satanæ, ac fugent ſpiritus immundos, quemadmodum illi in exorciſmis ſuis recitant.

Deinde, nec habent hoc è ſingulari inſtitutione & uerbo Dei. Teſtantur enim ſcriptores Pontificij, quòd Aqua benedicta, non ſit à Deo, ſed ab Eccleſia, ut ipſi loquuntur, inſtituta. Et Sotus ipſe affirmat Aquam benedictam, & alia huiuſmodi, nec certa fide, ut ſacramenta, haberi, nec certo uerbo Dei inſtituta eſſe.

Suſcipere

Suscipere autem creaturã certis exorcismis, certis uerbis, & crucibus, certisque preculis consecrandam ad eum usum, quem nec ex naturali creatione, nec ex diuina ordinatione, aut certa uerbi Dei institutione habet, non est studium ueræ pietatis, sed superstitiosæ & magicæ incantationis, quemadmodum suprà in explicatione Chrismatis ostendimus. Quare, cùm uides Sacrificulum in habitu suo sacerdotali cum stola ad benedicendam aquam & salem procedentem, cogites te uidere ἐπῳδόν quendam publicum, qui, quod uulgares incantatores suis adiurationibus priuatim facere solent, hoc ille θεουργικοῖς suis carminibus & exorcismis publicè faciat, nisi quòd illi externam tantum corporis aut facultatum benedictionem polliceantur, hic autem etiam cœlestem mentis incolumitatem promittit, tanto illis execrabilior, quanto magis homines in assequendis per uanos exorcismos cœlestibus ac æternis bonis falluntur.

Sed audiamus nunc, quibus rationibus illi superstitionem & magiam suam defendere conentur. Agnoscit, (inquit Sotus) pietas Christiana, & ex Christi promissione, & ex traditione Apostolorum, à sacerdotio ipso Christi deriuari unguentum illud sanctificationis non solum in sacerdotes & Sacramenta, sed etiam in ipsa inanimata, quorum in Sacramentis est usus, ut Altaria, uasa, uestes, & denique in omnia, quæ Ecclesiæ precibus, uel ad usum Sacramentorum, uel ad præparandos fideles consecrata sunt.

Habes uerba Soti, sed quid sunt, quæso te, nisi uerba? Notum quidem est illud Psalmi: Sicut unguentum, quod descendit in barbam, barbam Aheron, quod descendit in oram uestimenti eius. Et significat, Concordiam fratrum, ac præcipuè doctorum Ecclesiæ in uera doctrina, rem esse optimam, quòd quemadmodum balsamum effusum super caput Aheronis, & defluens in barbam, ac uestimenta eius, replet omnia suauissimo odore, ita consensus doctrinæ recreat uniuersam Ecclesiam.

Notum est & illud Ioannis, De plenitudine eius accepimus omnes, & significat, omnes pios credentes in Christum frui beneficio Christi, ui delicet, quòd Deus faueat eis, remittat eis peccata, adoptet eos in filios & hæredes suos, & largiatur eis æternam fœlicitatem propter Christum.

Notum illud quoq; Ioãnis est, Vnctio, quam uos accepistis ab eo, manet in uobis, &c. Et significat pios, credentes in Christum habere Spiritũ sanctum, cuius ductu regantur. Qui enim non habet Spiritum Christi, non est eius.

Notum est & illud Pauli: Quicquid creauit Deus, bonum est, & nihil reiiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei, ac precationem. Et significat, quòd sicut Creaturæ creatę sunt uerbo Dei bonæ, ita usus earum sit nobis sanctus & utilis, si Deum uerè coluerimus & adorauerimus. Sanctis enim omnia sunt sancta.

Sed quòd Christus contulerit potestatem in sacrificulos Pontificios instituendi noua seu sacramenta, seu sacramentalia signa, & consecrandi aut exorcisandi inanimata, ut accipiant uirtutem sanãdi homines à morbis & expellendi dæmones, hoc demum falsissimè & impudentissimè fingitur, nec ex ulla, uel promissione Christi, uel traditione Apostolorum constat.

Dixit quidẽ Christus de Apostolis: Per nomẽ meũ dęmonia eiicient,

linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Hæc autem promissio non est generalis, sed personalis. Donum enim edendorum miraculorum, sicut fuit collatum in Apostolos, & quosdam alios, ad confirmandam autoritatem doctrinæ Euangelij, ita non egreditur personas eorum, in quos singulari consilio Dei collatum est, nec ab alijs est in exemplum trahendum.

Vanissimum igitur est, si sacrificuli iactauerint se, autoritate huius Apostolicæ promissionis, habere potestatẽ consecrandi inanimata, ut sint munimenta aduersus omne genus morborum, & diabolorum.

Deinde, existimat Sotus exorcismos suorum sacrificulorum esse efficaces, propterea quòd Christus sacerdotibus suis, (sicut Sotus loquitur,) deesse non possit.

Respondeo διαλεκτικῶς, duplices esse Sacerdotes, Alios Christi, alios Antichristi, & illos quidem esse spirituales sacerdotes, quorum ministri sunt Apostoli, ac omnes, qui Euangelion Christi uerè docent, quemadmodum aliâs explicatum est: hos autem esse impios Sacrificulos & Incantatores. Fateor ergo, quòd illi spirituales sacerdotes una cum ministris eorum, habeant manifestas promissiones, de exauditione precum ipsorum. Erit, inquit Propheta, antequàm clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Et: Quæcunque petieritis in deprecatione credentes, accipietis. Sed quemadmodum hi in cultu Dei nihil suscipiunt agendum, nisi quod uerbo Domini fuerit constitutum, ita nihil suscipiunt precandum, nisi ex uerbo Domini, ex quo & uoluntatem Dei cognoscunt, & fiduciam in Deum concipiunt. Quare fieri nõ potest, ut Christus precibus eorum desit. De sacerdotibus aũt Antichristi, & de Sacrificulis Magicis dicitur: Maledicam benedictionibus uestris. Et: Cùm extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Et: Inuocabunt me, & non exaudiam, mane exurgent, & non inuenient me. Quomodo enim Deus horum benedictionibus benediceret, & preces exaudiret, cùm incerti fluctuent, & palpent in meridie, sicut cæcus solet palpare in tenebris? Fatetur enim Sotus ipse, quòd quæ de aqua benedicta prædicantur, non teneant certa fide, certo uerbo Dei instituta, sed uel ex fiducia in Christum, (sic enim loquitur, ut manifestum sit, hominem uertigine laborare,) uel ex consuetudine & Iudæorum & Gentium, susceptа sint, aut permissa. Quis aũtẽ se eorum benedictionibus ac precationibus crederet, qui hæsitant ipsi, ac quouis uento circumferuntur, & nescíunt, ubi consistant?

Addit & illud Sotus, quòd quicquid in aspersione aquæ benedictæ, & in omnibus alijs id genus rebus fit, id totum uirtuti Passionis Christi tribuatur. Hæc eadem est priuatorum & uulgarium Magorum confessio & asseueratio, quòd quæ per exorcismos, & herbas suas fiunt, non diabolica, sed diuina uirtute, per inuocationem nominis Dei fiant. Cùm autem non extet de hac re uerbum Dei, sicut suprà ostendimus, quis faciet nos certiores, quòd Deus effundat singularem suam benedictionem per hominum exorcismos in illas creaturas, & quòd uirtus Passionis Christi per has in nobis sit efficax?

Experientia

Experientia (inquies) testificatur. Sed uerbum Domini prohibet fidem habere ijs miraculis, quæ nos ad nouum & à uerbo Dei alienum cultum, qualis est cultus aquæ benedictæ, & similium rerum, abducunt.

Si surrexerit, inquit, in medio tui prophetes, aut qui somnium se uidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus, & sequamur deos alienos, (hoc est, alienos & nouos cultus Dei) quos ignoras, (hoc est) qui non sunt uerbo Dei commendati, nec à Patriarchis, Prophetis, aut Apostolis instituti) non audies uerba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, &c.

Et iterum.

Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi, &c. Quare sicut nec uanis sermonibus, ita nec miraculis sacrificulorum, & magorum fides est adhibenda.

Repetit Asotus & illud antea toties inculcatum, quòd uirtus Passionis Christi, applicetur nobis non tantum per baptismum & alia sacramẽta, uerum etiam per omnia pia opera & desideria. Et tamen interea non certa fide tenet, hoc fieri aqua benedicta, aut ingressu Ecclesiæ, sed tãtum sperat id pietate quadam, & fiducia diuinæ bonitatis.

Ac de applicatione quidem uirtutis Passionis Christi, suprà demonstratum est, quòd ea Passio applicetur nobis tantum uerbo & sacramentis Euangelij per fidem. Nunc autem miranda est Soti uertigo, quòd cùm nec certo uerbo Dei, nec certa fide teneat, uirtutem Passionis Christi applicari nobis aspersione aquæ benedictæ, affirmet tamen se hoc pietate quadã & fiducia diuinæ bonitatis sperare. Quæ enim potest esse pietas, absque certa fide? Quæ potest esse fiducia diuinæ bonitatis absq; certo uerbo Dei? Fides, inquit Paulus, ex auditu est. Auditus autem per uerbum Dei. Sed Asotus, sicut fingit sibi Deum, quem uult, ita fingit etiam sibi pietatem & fiduciam quam uult, absq; ullo uerbo Dei, ut præter speciem quandam externam, & sermonem oris, religio istorum hypocritarum planè à religione Iudæorum & Turcarum nihil differat.

Cæterùm, postquam Sotus multas nugas de aqua benedicta & Sale; sed absque ullo sale effutiuit, accedit tandem ad recitandas autoritates sacræ scripturæ, & Ecclesiasticorum scriptorum. Obedite, inquit, præpositis uestris, & subiacete eis. Et Christus in Euangelio: Qui uos audit, me audit.

Quid ergo ad hæc dicemus? An non Nouatores illi hæretici egregiè sunt his testimonijs refutati? Sed paucissimis respondeo. Obediendum est præpositis, uidelicet Verbum Dei prædicantibus, non Magicas incantationes exercentibus. Et: Qui audit Vos, uidelicet Apostolos, Euangelion Christi adnunciantes, (non uos sacrificulos, aquam, salem & herbas, magicis suis exorcismis incantantes. Vides ergo, quàm appositè recitauerit Sotus hæc testimonia scripturæ.

Recitatur etiam dictum Augustini, qui proponit regulam, ut quæ nõ sunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, non solum non debeamus improbare, uerumetiã laudando & imitando sectari. Agnoscimus & nos hoc Augustini, in suo loco, dictum. Sed Sotus imprudenter facit, quòd porrigat nobis arma, quibus ipsum conficiamus. Nam ex hoc Augustini dicto manifestum

est,quòd Exorcismi,quibus sacrificuli aquam,salem & herbas, ad delen/
da peccata uenialia,& ad effugandos diabolos consecrant, meræ sint im
posturæ,& execrandæ incantationes.Primùm enim hi exorcismi non so
lum non habent testimonium uerbi Dei, uerumetiam pugnant cum
uerbo Dei.

Deut.18.Non sit maleficus,nec incantatòr,nec qui Pythones consulat
&c.Ostendimus autem suprà, quòd tales sacrificulorum exorcismi non
sint piæ benedictiones,sed maleficæ incantationes.

Exod.20.Non assumes nomen Domini Dei tui inuanum.In illis au
tem sacrificulorum exorcismis assumitur nomen Dei inuanum,quia as/
sumitur ad transferendas creaturas in eum usum,ad quem nec generali
Dei creatione,nec peculiari Dei ordinatione institutæ sunt.

Existimat quidem Sotus,industrius scilicet uir,quòd cùm hæc uerba
(Non exorcises aquam & salem)non contineantur,iuxta literam,in sacra
scriptura,non pugnent cum uerbo Dei. Dicit enim: Quòd non sit uerbũ
Dei hæc testificans,etiamsi fateamur,nihil obest,satis est,quòd non sit cõ
trarium &c.Nos autem in præsentia non de litera,sed de sententia uerbi
Dei loquimur,& palàm iam ostendimus, quòd illi exorcismi pugnent
cum uera & certa uerbi Dei sententia. Addemus & aliud scripturæ te/
stimonium.

Deut.12.Non facietis ibi,quæ nos hîc facimus hodie, singuli quod si/
bi rectum uidetur.Et iterum:Quod præcipio tibi,hoc tantum facias Do
mino,nec addas quicquam nec minuas.Pontifices autem, in instituen/
dis suis exorcismis,fecerunt,non quod uerbo Domini, quemadmodùm
suprà indicauimus,sed quod sibi ipsis rectum uidebatur. Et Christus fili/
us Dei instituit,& addidit Euangelio suo, duo tantum externa signa,ui/
delicet baptismum,& cœnam Domini,quibus,tanquam organis,expel/
lat ab hominibus diabolicas phantasias, & conferat eis sanitatem men/
tis.Pontifices autem & sacrificuli his signis non contenti, addunt è suo pe
nu aquam benedictam,salem consecratum,& herbas exorcisatas, ut iam
apud suos multa maior horum,quàm Christi Sacramentorum ratio ha/
beatur.Hoc certè est uerbo Dei addere, adeoque aduersus Verbum Dei
peccare.

Quod autem est peccatum contra uerbum Dei, hoc etiam est contra
Fidem.Peccatum enim non est ex fide. Quare manifestum est, quòd ex/
orcismi,quibus Pontifices & Sacrificuli creaturas, absq; testimonio uer/
bi Dei,consecrant,pugnent cum fide,& sint contra fidem.

Deinde tales exorcismi sunt contra bonos mores.Etsi enim non uide/
as sacrificulos in exorcisandis aqua, sale & herbis, prædari, latrocinari,
furta & adulteria committere,aut alia scelera aduersus secundam decalo
gi tabulam designare,tamen peccant aduersus primam tabulam, quòd
sequantur alienos Deos,(hoc est)alienum cultum Dei,& designent ido/
lomaniam,ac usurpent nomen Domini Dei sui in uanum. Hi sunt pes/
simi,& execrãdi mores,multo minus in Ecclesia ferendi,quàm furta aut
latrocinia,aut adulteria.

Postremò tales exorcismi non solum non habent aliquid ad exhorta/
tionem uitæ melioris, ut potius abducant homines ad uitam sceleratis/
simam.Homines enim fingunt sibi ex istarum rerum exorcismis conse/
cratarum usu,nescio quam tutelam, & protectionem, ex qua ita securi
redduntur,ut primum quidem impudenter peccent,sperantes se aqua be
nedicta,

nedicta,& herbis conſecratis ſatis aduerſus Satanam munitos,nec habere Satanam aliquid iuris in ipſos,etiamſi in peccatis pergãt, propterea quòd uſu harum rerum ſeſe putent ſanctificari, & aduerſus Satanam defendi.

Deinde cùm fiducia, quæ collocatur in uſu harum rerum ſit impia, quemadmodum oſtenſum eſt, fieri non poteſt,ut homines ope earum in ueris tentationibus & terroribus iuuentur. Itaque, cùm præ earum uſu contempſerint Euangelion Dei, & neſciant uerum uſum uerorum Sacramentorum Chriſti, non eſt aliud reliquum, quàm ut animum de ſalute ſua deſpondeant, ut iſtarum nugarum uſus non ſolum non exhortetur homines ad meliorem uitam, ſed etiam abducat homines ad impietatem & deſperationem.

Cùm igitur exorciſmi illi Pontificum & Sacrificulorum ſint contra fidem,contra bonos mores, & contra ædificationem eccleſiæ, tantum abeſt,ut ſint laudandi,probandi & ſectandi,ut potius ſint execrandi, & contento ſtudio curſúq; fugiendi.

Producitur & in medium Alexander Pontifex eius nominis primus, quem aiunt conſecrationem aquæ & ſalis inſtituiſſe. Et notum eſt, quòd ex Epiſtolis,quæ ipſi inſcribuntur,tralatus ſit Canon de aquę & ſalis conſecratione,in Decreta Pontificum.Sed non eſt obſcurum,quòd Romani impoſtores adſcripſerint nominibus primorum Pontificum fictícias epiſtolas, ut autoritate uetuſtatis ſuam impietatem & tyrannidem ſtabilirent. Et ſi is Alexander inſtituit exorciſmos aquę & ſalis, cur non,quod ipſe ſcribit,ſequitur? In prima enim epiſtola dicit: Quid aliud eſt reiícere mandatum Dei,quàm priuato conſilio,iudicio humano,nouis rebus cõſtituendis liberius delectari? Vnde & alibi ſcriptum eſt: Ne tranſgredias terminos antiquos,quos poſuerunt patres tui.

Cur, quæſo, Alexander hoc non ſibi ipſi concionatur? Inſtituit enim conſecrationem ſalis & aquæ, quæ nec uerbo Dei eſt inſtituta, nec ab Apoſtolis,autoritate Euangelij Chriſti tradita.Quid hoc,iuxta ipſa Alexandri uerba,aliud eſt,quàm priuato ſuo conſilio, & humano iudicio, nouis rebus inſtituendis liberius delectari, & terminos, quos poſuerunt Patres, qui ſunt præcipui omnium Chriſtus & Apoſtoli eius, tranſgredi? Sed Alexander, inquies, ſecutus eſt hac inſtitutione exempla ueteris Teſtamenti, de cineribus uitulæ, & de ſale Elizæi. Secutus etiam eſt exemplum fimbriæ Chriſti,ac breuiter,ſecutus eſt,iuxta Sotum, conſuetudinẽ Iudæorum,& Gentium. Exiſtimat enim Sotus conſecrationem aquæ & ſalis ex Iudæorum & Gentium conſuetudine, in eccleſiam tralatam, aut propter infirmos permiſſam.

Quod igitur ad exempla ueteris Teſtamenti attinet, Confeſsio Princípis perſpicuè exponit,imitationem eorum non eſſe uerbo Domini mandatam,ſed humano arbitrio uſitatam.Sotus autem fatetur quidem id uerum eſſe,ſed addit,Nec eſſe prohibitam. Age igitur, accipiamus interea confeſsionem aduerſarij, & ſentiamus illam ueteris legis imitationem, uerbo Domini nec mandatam,nec prohibitam eſſe, (hoc eſt) rem eſſe indifferentem,certè neceſſe habebit aduerſarius,uelit, nolit, fateri, quòd ſit cultus humano tantum arbitrio excogitatus & inſtitutus, nec ulla ex parte cum cinere uitulæ Moſaicæ, & cum ſale Elizæi conferendus. Cinis enim uitulæ, non ſanctificabatur humanis exorciſmis, ſed colligebatur & ordinabatur in uſum corporalis emũdationis diuino mandato. Aqua autem Pontificia proponitur utenda,humanis tantum exorciſmis. Simili-

ter & Elizæus, non exorcisabat salem suis uerbis aut characteribus, sed simpliciter inijciebat eum, diuino pręcepto, in fontem, & sanabatur aqua. Sacrificuli autẽ exorcisant salẽ suis ipsorum uerbis & characteribus, & inijciunt eum in aquã nullo Dei præcepto. Quare necessariò sequitur, uanissimam esse imitationem, & cultum inter ea sacra referendum, de quibus Christus filius Dei dicit, quòd sint plantatio eradicanda.

Sed præter hæc, ostendimus paulò antè, usum istorum exorcismorum esse impium & Magicum, (hoc est) esse contra fidem, bonos mores, & ędificationem ecclesiæ, ac suo loco explicuimus illud Christi: Frustrà colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Docuimus etiam aliâs ex Augustino, quòd ea ueteris legis sacra, quæ Euangelion Christi cum honore sepeliuit, sic irreparabiliter sint deserenda, ut quicunque Christianorum ea celebrare uoluerit, & tanquàm sopitos cineres eruere, non sit pius deductor uel baiulus corporis, sed impius sepulturæ uiolator. Nõ habent igitur Pontifices & Sacrificuli eorum, quo sibi, uel exemplis uel miraculis Veteris Testamenti in magicis suis exorcismis blandiantur.

In exemplo autem fimbriæ uestimenti Christi, uide mihi, quæso, summam Romani impostoris impudentiam. Dicit enim: Si tactu fimbriæ uestimenti saluatoris saluatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis uirtute sacrorum eius uerborum diuinitùs sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas, &c. Non negamus, quin Deus non elementa tantùm, uerumetiam alias creaturas uerbo suo sanctificet: illa autem execranda est impudentia, quòd audeant maiorem salutem per exorcismos à se, suo ipsorũ arbitrio, absq; mandato uerbi Dei recitatos pollicerí, quàm quæ per fimbriam uestimenti Christi in mulierem hæmorrhousam emanauit.

Et hic apertè produnt suam magiam. Existimant enim ea uerba, quæ ipsi pro suo arbitrio è sacra scriptura colligunt & seligunt, tantæ esse uirtutis ac efficaciæ, ut si ea, adiectis suis characteribus, super aquam & salem recitauerint, mutent & transferant naturam aquę & salis, ad efficiendam & in homines transfundendam corporis & animæ sanitatem.

Hęc profectò manifesta est Magia, nullo modo sectanda, sed omni modo detestanda & fugienda, quemadmodum aliâs, cùm de chrismate agetur, perspicuè demonstratum est.

Quid uerò illud est, quòd Sotus ad confirmandam sententiam fictitij illius Alexandri, dicit has aquæ & salis consecrationes tralatas esse in ecclesiam ex consuetudine Gentiũ? Quid? Num sacra impiarum gentium transferenda sunt in ecclesiam populi Dei? Quid ergo illud est, quod Moses spiritu sancto afflatus dicit: Caue ne imiteris gentes, & requiras cærimonias earum? An Christus & Apostoli eius non fuerunt satis idonei & sufficientes præceptores pietatis, ut necesse habeamus exempla sacrorum, & benedictionem etiam ab impijs Gentibus petere? Sed & de hoc loco diximus copiosè in capite de Baptismo, cùm de chrismate sermo esset. Manifestè autem ex his omnibus uides, quòd Religio Pontificia non sit instituta uerbo Dei, sed partim ex abrogatis cærimonijs legis Mosaicæ, partim ex sacris & ritibus Gentium, partim è sacramentis quidem noui Testamenti, sed impietate hypocritarum corruptis & deprauatis collecta.

Relinquamus igitur illis suas sordes & impietates, (siquidem laqueo diaboli

diaboli omninò irretiti esse uoluerint,) nos autē sectemur eam pietatem, quā docuit nos Euangelio suo filius Dei Dominus noster Iesus Christus, ut spiritu eius sancto donati, ueram & æternam benedictionē habeamus.

De sacra Scriptura.

ETsi de hoc loco, ueram & piam sententiam satis copiosè in προλεγομένοις exposui, & quę Sotus in sua Confusione, ac scoriis contra autoritatē, sufficientiam, seu perfectionem, & perspicuitatem sacræ scripturæ effutiuit, luculenter refutaui, tamen, quod fœliciter eueniat, & commodo ueræ ecclesiæ filij Dei fiat, ad huius loci tractationem iterum, nec temerè, nec casu accedo. Postquàm enim superiora capita, quæ præcipua dogmata piæ doctrinæ continent, absoluissem, cœpi percurrere librum sic satis prolixum, quem Sotus, siue uetus ille hypocrita, siue nouus Sycophanta, siue alius quispiam loquacissimus Rabula, nomine Defensionis aduersus mea Prolegomena edidit. Bone Deus, quas ibi calumnias, quas fraudulentas interpretationes, quas deprauationes, quas tergiuersationes, quæ mendacia, quas blasphemias non uidi? quos uipereos afflatus non sensi? Diceres, Satanam uirus suum aduersus uerè piam doctrinam conceptum, non in me tantum, sed etiam in uniuersam ueram ecclesiam filij Dei, semel & cumulatim euomere uoluisse. Totus enim ille liber eò tantùm tendit, eò spectat, ut abducat nos à sacra scriptura, hoc est, ab oraculis spiritus sancti, ad commenta spiritus Satanæ, à certitudine fidei, ad incredulitatem, & à Christo ipso, ad antichristum. Ac de alijs quidē aliâs. In præsentia autē perstringam & conferam ea, quæ Sotus in sua opinata Defensione, de sacra scriptura uariè sparsit, ut uera filij Dei ecclesia manifestè cognoscat, quàm uirulento animo, sub speciosissimis tamē uocabulis, impij nostri aduersarij, erga oracula spiritus sancti affecti sint, & quanta æternæ nostræ salutis necessitate, ad conseruandam ueram sacræ scripturæ autoritatem urgeamur.

In extremis diebus (inquit Paulus) instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines, habentes formā pietatis, sed qui uim eius abnegent. Videamus igitur primùm omnium, formam pietatis, qua Sotus in commendanda sacra scriptura incedit. Nam præter illud, quod antè dixit, scripturam esse spiritus sancti reuelationē, nunc etiam speciosiora addere uidetur. Scriptura, inquiens, non habet imperfectum aliquid, quæ ab ipso « Deo scripta, eiusque infallibili iudicio, ad humani ingenij captum, perfe- « ctissimè coaptata est, pro huius uitæ statu & conditione. Ac iterum: Scri- « pturæ sacræ maiestatem & autoritatem, quibus in culmine est literarum « omnium, omnes agnoscimus & confitemur, quantumcq; beneficium « Dei sit, nobis eam dedisse, fatemur non posse nos satis aut dicere, aut in- « telligere. Et id genus multa alia, quæ primo aspectu uidentur sacram scri- « pturam in cœlo collocare, & diuinis laudibus ita ornare, ut si non contuleris alia, existimes te, non pietatis tantùm formam, uerumetiam pietatem ipsam uidere. Sed quæso te, quisquis talia in Soto legeris, ne iudicio tuo nimium properes. Mox enim hypocrisin & pietatis abnegationem cognosces. Audiui de maioribus nostris, quòd cùm nobis iunioribus exponerent astus Satanæ, & iuberent eos diligenter cauere, hortati sunt

nos, ut si quando spectrum nobis, quamuis speciosum obijciatur, inspi-
ciamus spectri pedes. Satanam enim, cùm possit sese in uarias formas,
ac in Angelum quoque lucis uertere, pedes tamen, quos semper hirci-
nos habeat, mutare non posse. Hoc consilio nobis etiam in præsentia
utendum est. Accedit ad nos Sotus, aut quisquis ille conducticius rabu-
la fuerit, uenustissima larua ornatus, ac fert manibus suis eloquia Dei,
& oracula spiritus sancti, hoc est, Sacram ipsam scripturam, & commen-
dat eam nobis tantis laudibus, ut palàm fateatur, se longè minorem esse,
quàm qui eam satis digno præconio celebrare queat. Sed pedes huius
spectri inspiciendi sunt. Statim enim deprehendes eos esse hircinos, hoc
est, Satanicos. Videamus ergo. Etsi enim in Prolegomenis hos pedes Sa-
tanæ manifestè in Soto ostendimus, tamen quia non puduit Logodæda-
lum eius iterum ijs incedere, necessitas exigit, ut & nos iterum eos specta
tori demonstremus.

„ Manet (inquit) scriptura mortua, nec respondet, nec se explicat, sed
„ quo libet, in suam sententiam se trahente, non quæritur, nec respondet,
„ certè tanquàm mortua scriptura, &c.

Et aliâs, cùm exponeret causas, cur nihil habeamus à Christo scri-
ptum, nec à suis primò quicquam scriberetur, præter alias, etiam hanc re-
censet.

„ Vt absconderetur (inquiens) impuris & irrisoribus mysteriorum ma-
„ iestas, & incomprehensibilium rerum altitudo non pateret indignis. Hoc
certè manifestè est infamare Euangelistas & Apostolos, quòd post ascen-
sum Christi in cœlum mandauerint Euangelion eius scriptis. Prodide-
runt enim, iuxta sententiam Soti, impuris & irrisoribus maiestatem my-
steriorum, & patefecerunt indignis aditum ad incomprehensibilium re-
rum altitudinem. Sed de his postea. Nunc pergemus in demonstrandis
hircinis pedibus.

„ Falsè (inquit) dicitur à nouitatum amatoribus, Solam scripturam sa-
„ cram, quæ spiritus sancti oraculum est, regulam esse certissimam omniũ,
„ quæ ad religionem pertinent, &c.

Et iterum.

„ Sit nobis hoc certissimè constitutum, Scripturam dubiam esse, & sæ-
„ pius in ecclesia circa intellectum eius oriri controuersias, &c.

„ Ac rursus. Cùm sedecim hi probatissimi patres testes sint huius eccle-
„ siæ sensus, quo SINE SCRIPTO tradita esse quàm plurima ab Apo
„ stolis, QVAE AD SALVTEM necessaria sunt, & in ipsis, quæ scri
„ pta sunt ex eadem traditione uerum sensum accipiendum, cum à nullo al
„ tero orthodoxorum patrum negetur, constat, quòd negantes, hoc est, ni-
„ hil recipientes, nisi quod scriptum est in sacris libris, hostes sunt ueræ ec-
„ clesiæ, & per eos Satan meditatur omnia schismata, &c.

„ Et iterum. Satis docet, nõ esse tunc tempus inquirendi ueritatem, cùm
„ diuersitas sententiarum circa religionem, atq; studia partium & dissensio-
„ nes uigent.

„ Ac postea. Illud certò asserimus hoc tempore, in hac tanta nouarum
„ doctrinarum confusione, in tanta SCIENDI, & de Scientia etiam præsu-
„ mendi CVRA, in tanta obliuione rectè operandi, Deumq; & proximũ
„ amandi, NVLLO MODO expedire præcipuam operam SCIEN-
„ TIAE dare. NVLLI, inquam, neq; quidem doctori in ecclesia, Episco-
„ po, & cuicunq; etiam, cui maximè conuenit repellere aduersantes ueri-

tati,

tati,& docere infirmos,conueniens præponere ſtudium ſciendi & lectio-
nem orationi, &c.

Ac profectò multus eſt,& copioſus in eo Sotus,ut cùm prę fert exerci-
tationem pietatis ſtudio legendi ſacras literas,tacitè injjcíat contemptum
earum,& deterreat etiam Epiſcopos ſuos, ne ſtudeant eſſe docti ac erudi-
ti in ſacra ſcriptura. Quam eius curam exiſtimo ualde ſuperuacaneam eſ-
ſe, quippè quòd manifeſtum ſit, quanta uel pietate, uel eruditione ſint iij
Prælati, quorum ipſe iudicio interpretationem ſcripturæ, & gubernatio-
nem uniuerſæ eccleſiæ ſubijcit. Sed pergamus.

Dicimus apertè,inquit Sotus,in dubijs fidei,proximos,ad quos ſtatim
eundum eſt,Epiſcopos eſſe,& eorum Concilia,Iſti conſenſum Patrum in
quirentes,ex illo Traditionem agnoſcunt,ex qua ſcripturam interpretan
tur & explicant. In his nihil incertum aut confuſum eſt, CVM SCRI-
PTVRA eſt AMBIGVA, nec explicata, traditio quærenda eſt,&c.

Quale, obſecro, & quantum eſt hoc mendacium?

Sed quantum Epiſcopi ſibi permittant in interpretanda ſcriptura ex
traditionibus & conſenſu ſuo,cognoſcendum eſt exCuſano,cuius uerba,
&ſi aliquoties recitauimus,tamẽ nunc in hoc loco repetenda ſunt,ut ſcia-
mus,quò ſe referat Aſotus, & quantam iſti Sycophantæ rationem habe-
ant autoritatis ſacræ ſcripturæ.

Cuſanus Cardinalis Epiſtola 2. de
uſu communionis.

Certè(inquit)hoc te non moueat, quòd diuerſis temporibus alius & a-
lius ritus ſacrificiorum, & etiam ſacramentorum, ſtante ueritate,inueni-
tur, ſcripturasq; eſſe ad tempus adaptatas, & uariè intellectas, ita ut uno
tempore ſecundum currentem uniuerſalem ritum exponeretur,mutato
ritu,iterum ſententia mutaretur.

Et mox.

Etiamſi hodie alia fuerit interpretatio eccleſiæ eiuſdem præcepti Euan
gelici,quàm olim,tamen hic ſenſus nunc in uſu currens ad regimen eccle
ſiæ inſpiratus,uti tempori congruus,ut ſalutis uia debet acceptari.

Ac iterum.

Fatuum eſt argumentum, uelle uniuerſalem eccleſiæ ritum ex ſcri-
pturis prædeceſſorum arguere. Legitur enim Apoſtolos non tradidiſſe
fidem per ſcripturas, ſed per uocalem impreſsionem breuiſsimi Symbo-
li. Vbi inter ea quæ ad ſaluationem neceſſaria narrantur, Eccleſiæ ſanctæ
ac ſanctorum communio narratur. Vnde ſcripturæ de benè eſſe regimi-
nis eccleſiæ etiam inceptæ & continuatæ,nequaquàm de eſſentia exiſtere
poſſunt, &c.

Et in Epiſtola tertia.

Arbitraria (inquit) poteſtas eccleſiæ credita irreſtrictè à ſponſo ligan-
di & ſoluendi, indicat & diſcernit inter meritoria opera, & unum præ-
fert alteri, ſecundum locum, & tempus IVDICIVM VARIAN-
DO, uti quondam uita coniugalis,uirginali, poſt hæc uirginalis prælata
coniugali exiſtit, &c.

Et mox. Neceſſe erit in illis, iudicium eccleſiæ conforme eſſe iudicio
Dei remunerantis, ita ut ſicut quondam coniugium preferebatur caſtita-
ti per eccleſiam, ita & apud Deum remunerantem, & poſtea MVTA-
TO IVDICIO ECCLESIAE, mutatum eſt & DEI iudicium.

Et in Epiſtola ſeptima.

Non eſt,inquit,litera,quę per tyrannum penitùs deleri poſſet,de eſſen-

„ tia ecclesiæ, sed spiritus est, qui uiuificat. Quare nec mirum, si praxis ec-
„ clesiæ uno tempore interpretatur scripturam uno modo, & alio tempore
„ alio modo, &c.

Sed absoluamus tandem hunc catalogum, si prius unum adhuc & alterum testimonium Soti adiecerimus, ut intelligamus, quanti momenti habeatur apud Asoticos sacra scriptura.

„ Imò uerò, inquit Sotus, illud etiam cõstitit, tanto uerbum Dei dignius
„ à Deo tradi, quanto remotius AB OMNI SCRIPTVRA, imo et-
„ iam AB OMNI VOCALI VERBO, quando scilicet sola diui-
„ na reuelatione sine ulla imagine & phantasmate ab eo infundit cordibus.

Et cùm in epistola nuncupatoria recitassem dictum Vuolffgangi cuiusdam Hermanni, quod publicè extat, de scriptura collata cum fabulis Aesopi, si destituatur autoritate ecclesiæ, ibi Sotus, homo scilicet modestus, nõ gaudet tali comparatione, sed interea non improbat sententiam. Sic enim scribit.

„ Citat (Brentius) dixisse quendam, Scripturam, si destituatur autoritate
„ ecclesiæ, ualere sicut fabulas Aesopi. Hoc nos non diximus, nec certè gau-
„ demus simili comparatione. Quamuis, si Catholicus aliquis hoc asseruit,
„ ad id fortè referri uoluit, quod Augustinus contra Epistolam Fundamen-
„ ti dixit: Si de autoritate ecclesiæ inciperem dubitare, uel illi in aliqua re nõ
„ credere, multò magis tunc de autoritate scripturę dubitarem, &c. Et mox
„ addit Asotus. Dicamus igitur modestius, sine autoritate ecclesiæ scriptu-
„ ra sacra non habet autoritatem, hoc certissimè fatemur.

Hactenus uerba Soti. Vides ergo Sotum non improbare sententiam impij illius dicti de fabulis Aesopi, sed solummodò non delectari hoc genere sermonis.

Quid autem pluribus opus? Etiamsi sacra scriptura aliquoties ab insanis istis hominibus laudatur, tamen id eo fit consilio, ut postea liceat eam impunè flagellare, & omni contumeliarum genere turpificatam, Asoticorum Prælatorum iudicio subijcere. Dicturi ergo iterum de autoritate sacræ scripturæ, percurremus primùm omnium apocryphos libros, qui habentur in vulgata Bibliorum editione, & quos Pontificij obtrudunt nobis pro uerè Canonicis libris, ut cùm nobis sermo est de sacra scriptura, sciamus nos hoc nomine non comprehendere alios, præter eos libros, qui habent certa & firma suæ autoritatis testimonia.

De tertio & quarto libro Esdræ Hieronymus in Esdram & Nehemiam ita scribit: Nec quenquam (inquiens) moueat, quòd unus ä nobis liber editus est, nec Apocryphorum tertij & quarti libri SOMNIIS delectetur, &c.

Hic uocat Hieronymus duos postremos libros Esdræ, primùm Apocryphos, hoc est, absconditos, quippe quòd non habeant publicam in ecclesia autoritatem, Deinde somnia.

Iudith.

Etsi Hieronymus scribit alicubi, Nicænam Synodũm computasse librum Iudith, in libro Sanctarum scripturarum, tamen aliâs abijcit eum extra Canonem. In prologo Iudith: Apud Hebræos, inquit, liber Iudith inter hagiographa legitur, cuius autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem ueniunt, minus idonea iudicatur.

In prologo Galeato. Vt scire, inquit, ualeamus, quicquid extra hoc est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomo-

nis

nis inscribitur,& Iesu filij Sirach liber,& IVDITH,& Tobias,& Pastor

NON SVNT IN CANONE.

In Aggæum cap.1. Si modò quis (inquit) librum mulieris recipere uelit. Vocat hunc librum contemptim, librum mulieris, & relinquit lectoris arbitrio, num uelit hunc librum pro Autentico agnoscere.

Tobias.

Quod iam de Tobia ex prologo Galeato commemorauimus, idem testatur aliâs Hieronymus.

In præfatione quam in Commentarijs, Ionæ Prophetæ præmisit, Liber (inquiens) Tobiæ licet non habeatur in Canone, tamen quia usurpatur ab ecclesiasticis uiris tale quid memorat &c.

Et in præfatione in Tobiam ad Chromacium, &c. Mirari, inquit, non desino exactionis uestræ instantiam. Exigitis enim, ut librũ Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stilum traham, librum utiq; Tobiæ, quem Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ hagiographa memorant, manciparunt.

Sapientia Salomonis.

Hunc librum non esse in Canone paulò antè ex Hieronymo patet. Et Euseb. Ecclesiast. histo. lib. 6. cap. 11. ait: Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, & Epistola Iudæ ab aliquibus minimè recipiendi uidentur.

Sirach Ecclesiasticus.

Non est in Canone, sicut iam ex Hieronymo & Eusebio recitatum est. Et in præfatione in libros Salomonis dicit Hieronymus: Sicut Iudith, & Tobiæ, & Macchabæorum libros legit quidem ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo uolumina (uidelicet, Sapientiam Salomonis, & Ecclesiasticum Sirach) legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

Baruch.

Hieronymus in præfatione in Hieremiam: Librum Baruch (inquit) notarij eius, quia apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prętermisimus.

In præfatione, quæ additur Baruch in vulgata editione sic scribitur: Liber iste, qui Baruch nomine prænotatur, in Hebræo Canone non habetur, sed tantùm in vulgata editione, similiter & Epistola Hieremiæ.

Macchabæorum libri.

De his libris suprà in capite De memoria defunctorum copiosè diximus.

Particulæ in Esther.

De his Hieronymus in præfatione in Esther ita scribit: Librũ Esther uarijs translatoribus constare VICIATVM, quem ego de archiuis Hebræorum reuelans, uerbum è uerbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata, lacinijs hinc inde uerborum funibus trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant, & audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus uerbis uti potuit, qui iniuriam passus est, uel qui iniuriam fecit.

Particulæ in Daniele.

Platina in uita Antheri. Iulius Aphricanus (inquit) scripsit epistolã ad Origenem, qua ostendit fabulam Susannæ apud Hebræos non haberi.

Etsi autem Platina addit eo loco: Contra quem, inquiens, postea Origenes ob hanc rem, grandẽ epistolam scripsit, tamen Hieronymus confirmat suo testimonio scriptum Aphricani, & in prefatione in Danielem ita

scribit: Daniel apud Hebræos, nec Susannę habet historiam, nec hymnũ trium puerorum, nec Belis, Draconisq; FABVLAS, &c.

Epistola ad Hebræos.

De hac Epistola olim uariè iudicatum fuit. Vide Eusebium Ecclesiast. histo. lib. 6. cap. 25. Et lib. 3. cap. 3.

Hieronymus in Esai. cap. 8. de Epistola ad Hebr. ait. Licet eam Latina scriptura inter Canonicas scripturas non recipiat.

Platina in uita Petri. Quę ad Hebræos eius (Pauli) nomine fertur, incerta habebatur propter stili sermonisq; differentiam. Erãt etiam olim, qui hanc & Lucæ, & Barnabæ, & Clementi adscriberent.

Epistola Iacobi.

Hieronymus, in catalogo scriptorum ecclesiast. Etiam ipsa, inquit, Epistola Iacobi, ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem.

Euseb. Ecclesiast. histo. lib. 2. cap. 23. Hactenus, inquit, de Iacobo, cuius esse dicitur epistola, quæ inter Catholicas prima est. Sciendum autem est, eam esse adulterinam. Non enim multi ex ueteribus mentionem illius faciunt, sicut nec eius, quæ Iudæ inscribitur, &c.

Epistola Iudæ.

Euseb. Ecclesiast. histor. lib. 3. cap. 25. postquàm enumerasset scripta Apostolica, quæ pro indubitatis habẽda sint, addit: Quibus uerò (inquiens) contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc: Epistola, quæ Iacobo tribuitur, & Epistola Iudæ, & posterior Petri, & altera cum tertia Iohannis, &c.

Hieronym. in catalogo Ecclesiast. Script. Iudas, inquit, frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reiicitur, tamen autoritatem uetustate iam & usu meruit, & inter sanctas scripturas computatur.

Epistola secunda Petri.

Vide testimonium Eusebij, quod paulò antè de epistola Iudæ recitatum est.

Hieronym. in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in uita Petri: Secunda, inquiens, à plerisq; eius esse negatur, propter stili cum priore dissonantiam.

Apocalypsis.

Vide testimonium Eusebij paulò antè de epistola Iudę, & lib. 5. cap. 8.

Habes ueterum sententiam de libris Apocryphis, quorum nonnulli uocantur Somnia, nonnulli Fabulæ, & alij utiles quidem censentur, ad ecclesiæ ædificationem, non autem ad dogmatum probationem.

At enim, Sunt, inquies, etiam ex ueteribus, qui recipiunt hos Apocryphos, in numerum Canonicorum scriptorum, similiter quædam Concilia iubent eos, ut Canonicos agnoscere.

Non ignoro, quid factum sit à Conciliis, illud autem in præsentia quęro, Num hoc à Conciliis factum sit iure? Scio in his Apocryphis libris, quos commemorauimus, multa pietatis documenta contineri. Sapientia, quæ inscribitur Salomoni, celebrat uerbum Dei, nomine sapientiæ, magno & obseruabili præconio. Ecclesiasticus Sirach tot γνώμαις refertus est, ut penè singula dicta, singulæ sint sententiæ. Historia libri Maccha-

bæorum ad explicationem Prophetæ Danielis cognitu necessaria est. Ha-

bent

bent & Epistolæ, quę inter Catholicas enumerantur, & Apocalypsis Ioannis suam utilitatem. Non igitur iudicamus hos libros prorsum abijciendos. Sed illud nunc quæritur, Num, postquàm scriptura Prophetica & Apostolica, (hoc est, uerè Canonici libri ueteris & noui Testamenti) commendata nobis est diuinitùs, confirmata cœlestibus miraculis, stabilita Christi & Apostolorum autoritate, atque corroborata certis ac firmis testimonijs eorum, qui fuerunt ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, sicut Lucas loquitur, & pars aliqua eorum, quæ narrabant: Num (inquam) in tam probè munita sacræ scripturæ autoritate liceat, uel uni creaturæ, quamuis Apostolicæ, quamuis Angelicæ, uel alicui hominum cœtui, quocunq; nomine, siue Synagogæ, siue Ecclesiæ, siue Synodi, siue Concilij aut Nationalis, aut Vniuersalis, aut Oecomenici, ad hanc scripturam, alios incertæ originis libros addere, eandem eis autoritatem tribuere, noua sacra, noua dogmata ad salutẽ necessaria extra hanc scripturam statuere, cum hac scriptura pugnantia tradere, ueram & manifestam sententiam huius scripturæ inuertere, adeoq; pro sua libidine hanc scripturam in catalogo fabularum Aesopi collocare, & econtra, somnia & fabulas ad autoritatem ueritatis cõsecrare? Etsi autem Sotus uidetur, quemadmodum suprà diximus, ab hac locutione, (Quando autoritas ecclesiæ scripturam deserit, ualebit, quantũ Aesopi fabulæ) abhorrere, & aliâs dicit, nihil esse recipiendũ, quod pugnet cum scriptura, tamen dubium non est, quin tam ipse, quàm uniuersa colluuies eius habeant sacram scripturã pro gladio (iuxta prouerbium) Delphico, & pro aluta extensioni apta, ac sentiant in sua potestate situm esse, eam, quoquo modo libet, exponere, & pro suo arbitrio, idem scripturæ dictum, nunc huc nunc illuc inflectere, hoc est, ex sacra scriptura, fabulam, & econtra, è fabula, sacram scripturam facere.

Nisi enim hanc sibi potestatem, & licentiam usurparent, cur sacram scripturam tot nominibus, quemadmodum suprà recensuimus, infamarent? cur mecum, qui autoritatem, perfectionem, seu sufficientiam, & perspicuitatem scripturæ defendo, tam hostiliter, tam uirulenter, tam sceleratè pugnarent? Ego uerò contestor, autore spiritu sancto, omnem hominem, quòd quicunque dixerit, & senserit, Sacram scripturam, quæ continetur libris uerè Canonicis, Scriptis Propheticis & Apostolicis, non esse Solam certissimam regulam omnium, quæ ad religionem pertinent, nec omnem traditionẽ ad eam regulam exigendam, & Apostolos multa dogmata & sacra, ad salutẽ necessaria, sine scripto, quæ uidelicet non habeant perspicua testimonia scripturæ, aut quæ pugnent cum ea, tradidisse, quicunq; (inquam) hæc, & his similia asseuerauerit, anathema sit Maran, Atha. Nõ hæc mihi uox temerè excidit. Scio, quid loquar. Dubium enim non est, quin quæ scriptis Propheticis & Apostolicis sunt mandata, siue historica, certissimæ sint ueritatis, seu dogmata religionis, tam de diuina lege, quàm de Euangelio filij Dei, sacrosancta sint, & cœlestia oracula, quæ Deus multifariam, quemadmodum Epistola ad Hebræos ait, multisque modis locutus Patribus per Prophetas, extremis diebus locutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium. Non enim existimo ullum in populo Dei tam deplorata esse, uel cæcitate, uel impietate, qui sentiat Prophetas & Apostolos ac Euangelistas, alia, quàm quæ illi à spiritu Christi, qui, ut Petrus ait, in ipsis erat, acceperunt, & hi à Christo ipso, aut ab illis, qui fuerunt αὐτόπται, coràm audiuerunt, literis mandasse.

Sciamus igitur, & probè ac constanter retineamus, quòd hæc scripta contineant uocem & sententiam Dei, quam Spiritus sanctus uoluit ori bi notam & perspectam esse, ut ex ijs ea quæ ad consequendam æternam salutem creditu & factu necessaria sunt, cognoscceremus. Itaque quæ de uoce, seu uocali uerbo Dei dicuntur, ea etiam de his scriptis sunt intelligenda.

Quis autem ea est, uel impudentia, uel temeritate, qui audeat cœlestem uocem Dei humana sua uoce & arbitrio, uel mutare, uel peruertere, uel pugnantia cum ea docere, aut statuere? Et quæ est illa præsumptio, uelle meliora, utiliora, certiora & illustriora tradere? Nulli igitur creaturæ, quãuis Angelicæ aut Apostolicæ, licet hanc, quam Canonicam uocamus Scripturam, & quæ cœlestem Dei uocẽ continet, mutare, aut quicquam contra ueram sententiam eius in Ecclesia instituere.

„ At enim, (inquit Sotus) Scriptura manet mortua, nec respondet, nec se
„ explicat, sed quolibet, in suam sententiam se trahente, nõ quæritur, nec re-
„ spondet, certè tanquàm mortua scriptura. Et addit aliâs: Scripturam esse
„ dubiam & ambiguam.

Hæc iam prima & præcipua contumelia est, qua uanus homo sacrosanctam scripturam infamat, & illud agit, ut interpretationem eius Synedrio Caiapharum & Annarum suorum subijciat. Sed falsum est, quòd dicit scripturam manere mortuam, nec respondere, nec se explicare. In præsentia enim, cùm sermo est de scriptura, non loquimur tantùm de literis, syllabis & dictionibus, quibus scriptura continetur, sed loquimur de sententia, quæ his literis, syllabis ac dictionibus significatur, & qua uel res certissimè gestæ, uel perpetua Dei uoluntas nobis cognoscenda proponitur. Deinde non loquimur de scriptura, ut per se simpliciter in libro continetur, sed ut est in eo usu, ad quem Deus ipsam ordinauit. Ordinauit autem eam, ut legatur, conferatur, explicetur & audiatur. Et cùm uel legitur, uel auditur, sit ordinarium organon, quo spiritus sanctus mentes lectorum & auditorum regeneret, illustret, uiuificet, ac cœlestibus uirtutibus ornet. Quod & si tam clarè, tam perspicuè in Prolegomenis, & aliâs ostendimus, ut non dubitem, quin pio lectori mediocriter satisfiat, tamen tanta est impudentia Sycophantæ, ut his omnibus neglectis, ac fortiter dissimulatis, adhuc uociferetur Scripturam esse magistrum mutum, & rem mortuam.

Nihil quidem tam sanctum, tam utile est, quod extra suum legitimum usum non sit quodammodo mortuum, ac fiat inutile, & aliquoties etiam pernicioſum. Nos autem in præsentia loquimur de scriptura, cùm est in suo proprio & legitimo usu. Serpens æneus, quem Moses in deserto instituerat, non solum erat res mortua, uerumetiam pestiferum idolum, cùm Israelitæ, extra suum legitimum usum adolerent ei thymiama, qui tamen in suo legitimo usu magnam afferebat utilitatem. Panis Cœnæ Dominicæ, si extra suum usum, uel à mure roditur, uel computrescit, per se est tanquàm res mortua: uel si transfertur ad impium spectaculum, fit abominandum idolum, qui tamen unà cum uino iuxta institutionem Christi in suo legitimo usu acceptus per fidem, magna commoda in accipientem confert.

Idem dicendum est de sacra scriptura. Res est quidem mortua, si extra suum usum, clauso libro contineatur, ac fit res magica, si scripta in papyro appendatur ex collo, ut defendat gestantem ab ictu gladiorum: fit etiam

detestan-

detestandum idolum, cùm Asotici cantant ex ea suas horarias preces, nõ ut aliquid pietatis ex ea discant, sed ut merito huius operis expient peccata sua & aliorum, coram Deo, quæ tamen maximi est momenti, cùm est in suo proprio & legitimo usu. Quare cùm in præsentia nobis sit sermo de uero, proprio & legitimo usu scripturæ, non est res mortua, aut præceptor mutus, sicut Sotus nugatur, Sed est legitimum organon, quo spiritus sanctus lectores & auditores, quos vult, uiuificat, & de uoluntate Dei respondet, ac obscura explicat.

Dictum illud Christi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, mandatũ est literis Apostolicis. Quæro nunc, quæ sit illa petra, super quã Christus ędificauit ecclesiam suam? Respondet igitur scriptura & explicat. Petra (inquiens) erat Christus. Et: Gustastis, quàm benignus sit Dominus, ad quem accedentes, qui LAPIS est VIVVS, &c.

Extat in scriptura dictum illud Christi de cœna sua: Bibite ex eo OMNES. Quæro num per OMNES intelligantur tantùm ministri ecclesiæ, an etiam Ecclesia ipsa? Respondet igitur scriptura & explicat: Probet inquiens, homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Scriptura affirmat dictum esse ad Petrum: Quodcunque ligaueris in terra, erit ligatum in cœlo, &c. Quæro, num hoc ad solum Petrum pertineat, an etiam ad reliquos Apostolos, & ad ecclesiam ipsam: Et quam sententiam hoc dictum habeat, Num concedat Petro & successori eius Pontifici Romano potestatem cõdendi leges pro sua libidine, & usurpandi, constituendi, & mutandi regna huius mundi? Respondet scriptura & explicat, cùm recitat Christum dixisse ad omnes Apostolos: Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata. &c. Et ad Ecclesiam ipsam: Amen dico uobis, Quæcunque alligaueritis super terram, &c. Et iterum: Principes gentium dominantur eis. Inter uos autem non sic. Et: Regnum meum non est de hoc mundo. Et: Data est nobis potestas in ædificationem, non in destructionem. Sic etiam de omnibus alijs locis, de quorum sententia imperiti dubitant, dicendum est. Nam illa exempli tantùm gratia commemorauimus. Qua igitur fronte audet Sycophanta sacram scripturam, tam impudenter infamare, quòd sit muta & mortua, nec respondeat, nec sese explicet?

Antequàm uerò progrediar, & opportuna sese occasio hoc loco offerat, uisum est iterum illud Soti dictum, Prædicationem Euangelij pertinere ad literam occidentem, expendere.

In capite enim de Eucharistia, cùm Confessio Principis docet applicationem meriti Christi fieri prædicatione Euangelij eius, recitat testimonium illud ad Rom. 1. Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Sotus autem, insignis scilicet sacræ scripturæ interpres, addit in scorijs suis, Prædicatio (inquiens) Euangelij ad externã doctrinam pertinet, atq; ita ad LITERAM OCCIDENTEM. Postq; ergo hoc in Epistola ad illustrissimum Principẽ D. Christophorum, &c. quam Prolegomenis præmisi, attigissem uerius, q; pluribus explicuissem, cogitat Sotus, se reperisse, non quod pueri in faba, & tripudiat, sicut exultant uictores, ut Prophetæ uerbis utar, capta præda, quando diuidunt spolia. Ibi enim in opinata sua Defensione non tantùm reprehendit meam attentionem & iudicium, circa præcipuum caput huius noui, (ut ipse loquitur) Euangelij, uerumetiam affirmat me dignum, qui Pelagianus uocer, & accusat me corruptionis scripturæ. Et ne hoc lectorem, qui fortasis tantùm initium

& finem libri inspicere solet, effugiat, usum est ei hoc emblema in Epilogum totius scripti, adeoq; non quidem ex arte Rhetorices, sed Sycophantices, in finem Epilogi inserere, ut infixo hoc in Brentium postremo aculeo, alio se se, tanquàm causa optimè perorata, proripiat.

Sed non dubito, quin adhuc reliqui sint honesti, pij & docti homines, qui has Sycophantæ artes intelligant, & detestentur. Nec ego, quod in me est, officio meo deero, ut ostendam, non solum me rectè reprehendisse furorem Asoti, quòd dixerit prædicationem Euangelij pertinere ad literam occidentẽ, uerumetiam Asotum furorem furore cumulare, quòd cùm debuisset impietatem suam agnoscere & corrigere, pergat insuper eam Sophisticè & fraudulenter defendere. Confessio enim Principis, cùm suscepisset refutandos errores circa Eucharistiam, refutat & illud, quòd nonnulli dicunt Oblationem Eucharistiæ esse applicationem propiciationis & meriti Christi, quæ fiat uiuis & mortuis, ac docet, quòd applicatio meriti Christi, non fiat alio externo organo, quàm prædicatione Euangelij Christi, & dispensatione eorum sacramentorum, quæ Christus in hunc usum instituit. Probat autem hoc recitatione & explicatione dictorum Christi & Apostoli Pauli, quemadmodum locus ipse capitis de Eucharistia testificatur. Ac fit eo in loco sermo de prædicatione Euangelij, non quid sit κατὰ τὸ συμβεβηκός (hoc est) per accidens, ut dialectici sequuntur, sed quid sit per se, cùm est in suo proprio, & legitimo usu, ad quem diuinitùs est ordinata, & quid autore spiritu sancto, in his, qui credunt, efficiat. Vnde & in explicatione dicitur: Ministerium Euangelij est Organon diuinitùs institutum, quo Deus est potens & efficax ad saluandos omnes eos, qui Euangelio credunt.

Et quia in Epistola Prolegomenis præfixa, non erat opportunum copiosè explicare, quid prædicatio Euãgelij possit etiam κατὰ τὸ συμβεβηκός esse, feci tantùm ibi mentionem eius legitimi usus, quem ex diuina habet ordinatione, & de quo Confessio Principis loquebatur.

Sed postea in Apologia ipsa exposui, priusquàm scriptum opinatæ defensionis editum erat, copiosius, quid prædicatio per se esset, ac per accidens fieri posset. Libet autem aliquot loca commemorare.

In prima Pericopa, In cap. De Euangelio Christi sic scribo.

Etsi prædicatio Euangelij de Christo multis est stultitia, offendiculum & exitium, Prædicamus, inquit Paulus aliàs, Christum crucifixum, Iudeis quidem offendiculum, Græcis autem stulticiam. Et iterum: Christi εὐωδία sumus Deo, in his, qui pereunt odor mortis ad mortem, tamen hoc non fit Vitio Euangelij, sed Vitio Impiorum, qui Euangelio non adhibent fidem. Nam quod ad ipsum Euangelij ministerium attinet, ad hoc est diuinitùs institutum, & ordinatum, ut sit potentia Dei ad salutem omni credenti, &c.

Ac mox.

Ministerium prædicationis Euangelij de Christo, cùm & ipsum est in suo proprio & legitimo usu ac officio, siue in libris ueteris siue noui Testamenti scribatur, ac siue illis siue nostris temporibus adnuncietur, sit ministerium, per quod spiritus sanctus offerat hominibus, & conferat in credentes, nõ supplicium, sed remissionem & condonationem peccati, non iniusticiam sed Iusticiam, non perditionem, sed salutem, non mortem & damnationem, sed æternam uitam & fœlicitatem.

Ac paulò

Ac paulò antè in eodem capite.

De Euangelio sentiendum est, quòd cùm uel literis tantùm continetur, uel etiam uoce pronunciatur, sed extra suum legitimum usum, per se nõ est efficax. Cùm uero assumitur in eum usum, ad quẽ diuinitùs est institutũ, & uel legitur, uel adnunciatur, uel etiam cogitatur, legitima sua ordinatione, tunc est uerè cœleste organon, quo spiritus sanctus omnem salutem in electis suis operatur, &c.

In posteriori parte secundæ Pericopes, in cap.

De Eucharistia sic scribo.

Deinde addit Sotus, quòd prędicatio Euangelij pertineat ad externã doctrinã, atq; ita ad literam OCCIDENTEM. Hic est locus ille, cuius in prę fatione ad illustrissimũ Principem mentionem feci, & qui manifestè testificatur Sotũ insigni tam insciția, quàm uertigine laborare. In hac.n. disputatione de applicatione remissionis peccatorum, non loquimur nec de autore applicationis, qui est spiritus sanctus, nec de merito, propter quod remissio peccatorum applicatur, Hoc enim meritum solius est Iesu Christi filij Dei: sed loquimur de Organo seu instrumento, tam externo, quàm interno, quo spiritus sanctus utitur, ut nobis remissionẽ peccatorum, per Christum meritam, applicet, & propriam, ut ita loquar, addicet. Ac internum quidem organon, quo remissio peccatorum accipitur, est FIDES, externũ autem, quo nobis offertur & accipienda proponitur, est prædicatio Euangelij de Christo, unà cum suis sacramentis. De hoc, inquã, externo organo applicationis in prędentia sermo est. De hoc dicit Christus: Prędicate Euangelion omni creaturæ. De hoc dicit Sotus: Prædicatio Euangelij pertinet ad literam occidentẽ. Sed quanto honestius filius Dei illud cõmendat, tanto fœdius ipsum impius fraterculus sacrilego suo ore turpificat. Etsi enim non omnes qui audiunt, credunt prædicationi Euangelij, & hæc sit multis odor mortis ad mortem, tamen hoc non fit uitio huius prædicationis, sed impietate incredulorum hominum, quibus nõ tam Euangelion, quàm Deus ipse, & filius eius peruersi fiunt, ut Psalmus loquitur. Nam quod ad ipsam Euangelij prædicationẽ attinet, nihil certius est, q̃ quòd ad hunc usum diuinitùs sit instituta, commendata & sanctificata, ut per eam, autore spiritu sancto, regeneremur & uiuificemur, &c.

Hæc eò copiosius commemorauí, non ut lectoris patientia abutar, sed ut sceleratam & nefariam Sophisticen Soti refutem, qua nobis ad excusandam suam impietatem, fallaciam παρὰ τὸ συμβεβηκός, in causa tam seria obtrudit. Confessio Principis docet quid sit prædicatio Euangelij per se, & legitimo suo usu, ad quem diuinitùs est ordinata, Et cùm Sotus ad reijciendam hanc ueram & piam doctrinam impudenter scriberet, eam prædicationẽ pertinere ad literam occidentẽ, opposui testimonium Pauli, qui & ipse de legitimo & ordinario usu prędicationis Euãgelij loquens, affirmat eam esse potentiam Dei ad salutẽ omni credenti. Sotus autẽ manifestus nugator, ut insciția & impietatem suam aliqua specie excuset, concionatur nobis de eo, quod prædicationi Euangelij per accidens cõtingit. Quæso te, quid faciendũ esset, si quis differendo de proprio & uero officio Christi, diceret, Christũ esse ueram & æternam nostrã salutem, alius autẽ, uel hoc de Christo non intelligens, uel impiè de Christo sentiens, serio resisteret: Imò, inquiens, Christus est æterna perditio, & cùm urgeretur Prophetícis ac Apostolicis testimonijs, tandem uociferaretur, se intelligere Christum esse æternam perditionem impijs & incredulis?

Quis non talem nugatorem iudicaret, uel in schola sibilis explodendum, uel in ecclesia anathemate notandum, uel in foro uirgis aut fustibus coërcendum? Non dissimiliter tractat Sotus prædicationem Euangelij. Cùm enim hanc negasset esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, ac dixisset eam pertinere ad literam occidentem, & postea reprehenderetur impietatis, eò tandem euadit, ut dicat eam esse odorem mortis ad mortem incredulis. Sed heus tu bone uir, Non iam sermo est de eo, quid sit prædicatio Euangelij incredulis, sed quid sit credentibus. OMNI (inquit Paulus) CREDENTI. Non agitur, quid contingat prædicationi Euangelij per accidens, Sic enim & Deus ipse, peruersus dicendus esset, quod peruersis talis uideatur, Sed quid sit per se, in usu suo legitimo, ad quem diuinitùs ordinata est, & quid autore spiritu sancto in credentibus efficiat. Sicut ergo uana est futilitas, si quis dixerit, solē ideo tenebricosum, quòd imbecilles oculos cæcutire faciat, & suaue uinum ideo amarū, quòd febrienti sic uideatur, ita Sophistica impostura est, si quis dixerit prædicationem Euangelij propterea esse literam occidentem, quòd incredulis sit odor mortis ad mortem.

Ac uide iterum, quæso, hominis insulsitatem. Probaturus enim prædicationem Euangelij pertinere ad literam occidentem: Nunquid, inquit, prædicatio Euangelij est spiritus Dei uiui? quo, & non atramento, inquit Paulus, inscribitur cordibus, quod exterius prædicatur? Nónne potius ea prædicatio pertinet ad exterius illud ministerium plantandi & rigandi? Nunquid prædicatio Euangelij est incrementum dare? Hactenus Asotus. Illud ergo vult dicere. Prædicatio Euangelij non est ipse spiritus Dei uiui, Pertinet igitur ad literam occidentem. Prædicatio Euangelij pertinet ad ministerium exterius plantandi & rigandi, Pertinet ergo ad literam occidentem. Prædicatio Euangelij non dat incrementum. Pertinet igitur ad literam occidentē. Quid potest dici insulsius? An quicquid non est spiritus ipse Dei uiui, pertinebit ad literam occidentem? Pertinebit ergo ad literam occidentem etiam baptismus, quòd non sit spiritus ipse Dei uiui. Et fallò dicit Paulus de baptismo: Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum. Quin potius debuisset, iuxta Sotum, dicere: Christus exposuit semetipsum pro ecclesia, ut illam prophanaret, occisam lauacro aquæ per uerbum, literam uidelicet occidentem. Vanus homo, nondum intelligit, quid sit uel litera occidens, uel spiritus uiuificans. Nec uidet nos in præsentia non loqui de autore, sed de organo seu instrumento uiuificationis. Non est obscurum, quòd prædicatio Euangelij non sit spiritus ipse uiuificator. Sed illud maximè perspicuum est, quòd sit Organon seu Ministerium Spiritus, quo credentes non occiduntur, ut Sotus hallucinatur, sed uiuificantur. Vnde & Paulus uocat hoc organon, administrationē spiritus, & administrationē Iustitiæ, & ministerium reconciliationis.

Sed sequitur in Soto maior insulsitas, aut potius uertigo, adeoq; furia. Prędicatio (inquit) Euangelij pertinet ad externum ministerium plantandi & rigandi. Pertinet igitur ad literam occidentem. Quid? Num plantatio & rigatio sunt arboris mortificatio potius, quàm uiuificatio? Hortulanus ne interficit arbores, dum eas plantat & rigat? Quid inceptius dici potest? Quin potius, quia prædicatio Euangelij est ministerium plantandæ & rigandæ Ecclesiæ, idcircò non pertinet ad literam

ram occidentem, sed ad spiritum uiuificantem, quo uidelicet ministerio, qua plantatione & rigatione spiritus sanctus utitur ad ecclesiam suam uiuificandam, ut proferat fructus æternæ uitæ. Eiusdem acuminis est, quòd dicit Sotus, prædicationem Euangelij idcircò pertinere ad literam occidentem, quòd non dat ipsa incrementum. Etsi enim hæc prædicatio, non est Deus ipse creator & uiuificator, tamen est ea creatura, qua Deus creat in credentibus cœlestes motus, & uiuificat eos, ut cœlestem ac æternam habeant uitam. Gratias agimus (inquit Paulus) Deo indesinenter, quòd cùm acciperetis sermonem (Hic erat sermo Euangelij) à nobis, quo discebatis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, Sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus.

Et Petrus: Renati (inquit) non ex semine mortali, sed ex immortali, per SERMONEM uiuentis Dei, & manentis in æternum. Et mox additur: Hic autem est sermo, qui per Euangelion delatus est ad uos.

Ex his ergo manifestè uides, optime mi lector, qua iniuria uocauerim Asotũ, hominem furiosum. Quin potius peccauerim, quòd non ἀνεξήσεα quadam addidi lethargicum & phreneticum. Quæ enim est phrenesis, si illa non est, quòd uociferetur me Pelagianum, quia dixi prędicationem Euangelij esse, iuxta Paulum, potentiam Dei ad salutem omni credenti? Voluit, credo, stultorum ac muliercularum more se ulcisci, quòd in Epistola nuncupatoria scripserim, suos quoq; risuros, quòd dixerit nos cum Pelagiano ambulare. Hic, inquit, erat error Pelagij, quo putabat gratiam Dei esse, quòd nobis diuina præcepta, & beneficia prædicentur, & quòd legamus eius scripturam & uerba. Quod nunc B. docens, nónne dignus est, qui Pelagianus uocetur? Hactenus uerba Soti. Quid ergo Sote? Num dices tu non esse gratiam seu beneficium Dei, quòd prædicentur nobis diuina præcepta & beneficia, & quòd legamus eius scripturam & uerba? Scio, cùm Paulus dicit: Iustificantur gratis per illius gratiam, Et: Per gratiam seruati estis, non intelligendum esse more Pelagiano, quòd iustificemur & seruemur ex gratia, hoc est, ex præceptis Dei, quæ nobis ex diuina gratia data sunt, & quæ naturalibus uiribus, quas & ipsas nobis Deus ex gratia dedit, implere possimus. Hæc est impia deprauatio sententiæ Pauli, & totius doctrinę Christianismi, quam deprauationem ex animo detestor.

Si autem Sotus negat illud esse gratiosum Dei beneficium, quòd patefecerit nobis uerbum suum, quòd dederit nobis sacram scripturam, è qua cognoscamus uoluntatem Dei, & discamus, quæ nobis ad consequendam æternam salutem necessaria sunt, non iam simplici, sed septemplici phrenesi ac mania laborat.

Sed ibi demùm Brẽtius corruptionis scripturæ meritò accusatur, quòd cùm Paulus uocat Euangelion potentiam Dei, Brentius nomen Euangelij interpretetur pro Prædicatione Euangelij.

Quis non nouit (inquit Sotus) consueta phrasi scripturæ nuncium pro re ipsa, quæ nunciatur, aliquando sumi? Quo sensu Paulus non prædicationem suam, sed res eas, quas docebat, Merita scilicet Christi, gratiam Dei, potentiam uocat in salutem omni credenti. Hactenus uerba Soti, quibus ego meritò scilicet corruptionis scripturæ accusor, & in errorem, heu nescio, quantum, inconsideratè lapsus sum. Me miserum. Quis me à tantis erroribus & corruptionibus absoluet? Non mihi, si centum Septenis, ducentis Carenis, & trecentis Quadragenis hoc peccatum expia-

rem, condonatio ulla speranda esset. Sed benè habet. Nondum de uenia tanti erati conclamatum est. Primùm enim. Quæ sunt illa, Sote, loca scripturæ, in quibus Nuncium pro re ipsa, quæ nunciatur, sumitur? Cur non uel unum & alterum locum recitas? Sed uideo te ad finiendum librum properasse. Deinde, ut dem, quòd aliquoties, Nuncium accipiatur pro re, quæ nunciatur, num & in hoc Pauli dicto, Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti, nuncium pro re nunciata, necessariò sumitur? Ego uerò, propicio Deo, ostendam ex Paulo ipso, quòd per nomen Euangelij, in hoc Pauli dicto, intelligenda sit prædicatio ipsa Pauli, qua Christum & beneficia eius adnunciauit. In eius enim capitis initio dicit: Paulus seruus Iesu Christi, uocatus ad munus Apostolicum, segregatus in Euangelion Dei. Quid hoc, quæso, aliud est, quàm si dixisset: Segregatus ad prædicandum Euangelion Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos? Et mox: Testis est mihi Deus, quem colo spiritu meo, In Euangelio filij ipsius. Quid, In Euangelio, aliud est, quàm in adnunciando & prædicando Euangelio eius? Ac rursus: Paratus sum uobis quoque, qui Romæ estis, Euangelisare. Et statim addit: Non enim pudet me Euangelij Christi. An potes hoc loco per Euangelion aliud intelligere, quàm prædicationem & adnunciationem Euangelij?

Hæc enim prædicatio erat inter Iudæos & gentes periculosa, & infamis. Prædicamus (inquit aliàs) Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stulticiam. Addit igitur causam, cur non pudeat ipsum huius periculosæ, & infamis prædicationis, quia (inquit) potentia Dei est ad salutem omni credenti. Deus enim utitur hac Pauli & aliorum Apostolorum prædicatione, ad exercendam uirtutem, potentiam & efficaciam suam, in uiuificandis & saluandis omnibus credentibus, ut Paulus hoc loco nomine potentiæ Dei, intelligat ministerium, quo Deus est potens & efficax ad conferendam omnibus credentibus salutem, quemadmodum hunc locum copiosè exposuimus in posteriore parte secundæ Pericopes, cap. De Eucharistia. Et huic sententiæ Pauli adscribunt se etiam, ut debent, Ecclesiastici scriptores.

Hieronymus in epistolam Rom. 1. Non erubesco Euangelion. Rectè dicit, non se erubescere PRAEDICATIONEM crucis, quæ credentibus Dei uirtus est in salutem. Hic Hieronymus, aut quisquis ille fuerit, qui scripsit Commentarios in Epistolam ad Rom. Hieronymi nomine, apertè intelligit nomine Euangelij, prædicationem crucis.

Ambrosius in eandem epistolam. Non erubesco Euangelion. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Hoc dicto illos tangit, à quibus acceperant non rectam fidem. Apostolorum tamen doctrinam uirtus commendabat, ut quia incredibile uidebatur, quod prædicabatur, signa & prodigia ab Apostolis facta testimonio essent, &c. Interpretatur & Ambrosius hoc loco nomen Euangelij pro doctrina Apostolorum.

Nicolaus Lyranus in eandem epistolam. (Non erubesco, inquit, Euangelion) id est, prędicationem Euangelij, quia est honorificum & sanctum. Ideo & subditur. (Virtus enim Dei est) id est, Euangelion est Dei uirtutis contentuum, &c. Petrus Longobardus, autor, ut ferunt, glosæ Ordinariæ, in Epistolam ad Romanos capite primo: Non erubesco, inquit, Euangelion, quia ipsum Euangelion est uirtus Dei, id est, uirtutem Dei annunciat, non infirmitatem, sapientiam, non insipientiam. Et mox: Vel

Euange-

Euangelion est ũirtus Dei nobis credentibus, non alijs, quia per doctri/nam Euangelicam peccatum dimittitur credenti, & cùm res exigit, fiunt miracula, quibus commendatur doctrina. Et iterum: Euangelium est uirtus Dei, quia inuitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum pec/cata remittit, & iustificat, ut à secunda morte detineri non ualeat signatus mysterio crucis. Vnde subdit, Euangelion dico ualens in salutem omni credenti, &c.

Quid apertius contra Sotum dici potest? Insulsissime hominum, au/des ne tu, qui & si ad effingẽdas calumnias ingeniosissimus es architectus, tamen tanta es ruditate, ut ne quidem vulgaria Apostolorum dicta rectè intelligas, in medium prodire, & cum Lutheranis, (sic enim à uobis audi/mus) in scripturarum campo pedem conferre? Sed existimo nunc satis explicatum esse, qualis ego sim scripturæ corruptor, hoc est, quàm uanus sit Asotus, & quid illud sit, quòd dixit: Scripturam esse mutam & mortu/am, ac prædicationem Euangelij pertinere ad literam occidentem. Per/gamus igitur ad reliqua.

Deinde Sotus iterum obtrudit nobis ueterem suum, & uniuersæ id genus colluuiei coccysmum, Scripturam esse dubiam, & ambiguam, i/deoq; non esse certissimam regulam omnium eorum, quæ ad æternam nostram salutem cognitu necessaria sunt.

Etsi autem in Prolegomenis satis copiosè de perfectione & perspicui/tate scripturæ dictum est, nec uideo, quid hactenus contra ea, præter calu/mnias & mendacia, Sotus afferre potuerit, tamen, quia his uerbis non scripturam tantùm, uerumetiam spiritum ipsum sanctum, cuius scriptu/ra oraculum est, infamat, aliquid etiam nunc dicendum erit. Non enim ignota nobis sunt consilia Satanæ. Illud agit Satan his infamationibus, ut excutiat è manibus nostris sacrosanctam scripturã, & ducat nos erudien/dos scrinio pectoris Pontificij: Quod quale sit, & aliâs est expositum, & suis locis iterum demonstrabitur.

Sciamus igitur duplicem esse cœtum hominum, alium pium, alium impium, & hunc quidem uocari ecclesiam Cain, seu malignantium, illũ autem, ecclesiam Abel, seu electam filij Dei sponsam, cui rei latius expli/candæ suus dabitur locus. Fatemur ergo libenter admodum, quòd Caini/co cœtui, hoc est, ei ecclesiæ, quæ approbat & sequitur impietates, idolo/manias, & magias, quarũ in præcedẽtibus pericopis, ac in hoc toto scripto, Pontificiam colluuiem, autoritate uerbi Dei conuicimus, scriptura nõ so/lùm sit dubia, obscura, ambigua & flexiloqua, uerumetiã tetra caligo, & horribiles tenebræ, ideoq; fatemur etiam, imò reipsa experimur, quòd hic cœtus non agnoscat sacram scripturam, sed ficticias suas traditiones, & de creta suorum Pontificum pro certissima regula suæ religionis.

Paulus ex Esaiæ cap. 29. & 6. & è Psalm. 68. in epistola ad Rom. cap. 11. dicit. Quod quærit Israel, hoc non est assecutus, sed electio consecuta est, re liqui uerò excæcati sunt. Quemadmodum scriptũ est: Dedit eis spiritum compunctionis, oculos, ut non uideant, & aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et Dauid dixit: Vertatur mensa eorum in laque/um, & in captionẽ, & in offendiculum, & in retaliationem ipsis. Obtene/brentur oculi eorum, ut non uideant, &c. Quod autem quondam, & adhuc, hodiéque sunt carnales Israelitæ, hoc his temporibus sunt Asoti/ci Prælati. Sicut enim illi, neglecta sacra scriptura, habebant Traditio/nes Seniorum suorum pro certissima regula suæ fidei: ita & hi contem/

pta ſcripturæ autoritate, ſequuntur, tanquàm ſalutare ſydus, fictícias ſuas traditiones. Et ſicut illi abiecto uero Meſsia, petiuerunt Barrabbam libe/rum, & ſequuti ſunt Ben Cochab tanquàm uerum Meſsiam: ita Papiſtæ ſequuntur, ablegato & repoſito Chriſto in cœlum, Pontificem ſuum Ro/manum, quem & in his terris pro ſummo ſuo capite agnoſcunt, & cui tri/buunt omnes Theſauros ſapientię & ſcientię Dei. Quare non eſt mirum, quòd ſicut Iudæi, ita & Papiſtæ habeant oculos, qui in ſacra ſcriptura nihil uideant, & menſa, hoc eſt, Sacra ſcriptura uertatur ipſis in laqueum, & in offendiculum.

Ezech. 14. Homo dè domo Iſrael, & de proſelytis, quícunque aduena fuerit in Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & uenerit ad Prophetam, ut me per eum interroget, ego Dominus reſpondebo ei per me, & ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in ex/emplum, & in prouerbium, & diſperdam eum de medio populi mei, & ſcietis, quia ego Dominus. Papiſtæ autem, alienati ſunt à Domino, & po nunt idola ſua in corde ſuo, quia confidunt iuſticia & meritis ſuorum ope rum, ut in conſpectu Dei tot habeant in corde Idola, quot operibus ſuis confidunt. Quare cùm interrogant Dominum, hoc eſt, legunt ſcriptu/ram, (Hoc enim eſt Dominum interrogare) meritò excæcantur à Domi/no, ut quæcunq; legunt, ad ſuas impietates accommodent.

2. Theſſal. 2. Pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc ut ſalui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam illuſionis, ut cre dant mendacio. Papiſtæ autem non recipiunt dilectionem ueritatis, non agnoſcunt ſacram ſcripturam, ſed traditiones ſuas pro certiſsima regula ueritatis. Iuſtum igitur eſt, ut habeant ſcripturam dubiam & ambiguam, & credant mendacio.

1. Corinth. 2. Animalis homo non accipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultícia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quòd ſpiritualiter dijú/dícantur. Papiſtæ autem ſunt homines animales, quia ſcribunt ipſi, quòd ad perficienda munera ſua, hoc eſt, ad dijudicationem doctrinæ non indi/geant nec gratia, nec interiori aliqua occulta uirtute, nec uera fide & chari/tate. Manifeſtum igitur eſt, quòd non cognoſcant ea quæ ſunt ſpiritus, & ſcriptura ſit ipſis dubia atq; ambigua.

2. Corinth. 4. Si adhuc uelatum eſt Euangelion noſtrum, (quod cer/tè mandatũ eſt ſcriptis Prophetícis & Apoſtolicis) in his qui pereunt, ue/latum eſt, in quibus deus huius ſeculi excæcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Euangelij, gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Papi/ſtę autem ipſi confitentur, quòd ſcriptura, qua Euangelion Apoſtolorum continetur, ſit in ipſis uelata, hoc eſt, dubia & ambigua. Teſtificantur ergo ſuo ipſorũ ſermone, quòd deus huius ſeculi excæcauerit ſenſus ipſorum, & ſint increduli.

Quid igitur? Num uos, inquit aduerſarius, doctiores & prudentio/res eſtis Patribus & Scriptoribus eccleſiaſticis, qui fèrè omnes de obſcuri/tate & difficultate ſcripturæ conqueſti ſunt?

Equidem, quod ad me attinet, tenuitatem meam ingenuè agnoſco. Sed qualis qualis ego ſim, illud certum eſt, quòd ijs, qui habent ſpiritum Chriſti, (quo neceſſe habent omnes pij hæredes cœleſtis regni prædíti eſ/ſe: Qui enim non habet ſpiritum Chriſti, (inquit Paulus) non eſt eius) ſa/cra ſcriptura ſit clara, aperta & perſpicua. Et, ut Aſotus habeat, quod ca/lumnie/

lumnietur: (Est enim ingeniosissimus calumniarum artifex) addo & illud, quòd ijs, qui per spiritum Christi renati sunt, etiamsi nesciant legere literas, tamen scriptura tam perspicua sit, ut sua intelligentia superent omnes Asoticos Papistas, & iudicaturi sint orbem terræ, ac condemnaturi autoritate scripturæ omnem Pontificiam colluuiem. Habes ergo, Sote, quod calumnieris, & exclames: Quæ est illa incogitantia? quæ temeritas? quæ petulantia asserendi tam absurda? Sed hæc omnia, si diligens Lector obseruauerit, iam antea in Prolegomenis satis aperte sunt explicata & demonstrata.

Primùm enim, cùm dicimus scripturam esse perspicuam, excludimus impios & incredulos Papistas, qui cùm defecerint à Christo, & adorent Antichristum, nihil amplius uel iuris, uel luminis habent in sacra scriptura, quemadmodum paulò antè ostendimus.

Deinde, non dicimus omnia scripturæ loca esse perspicua, Sed ea, quæ ad æternam nostram salutem cognitu necessaria sunt, habere tam clara, tam certa, tam perspicua testimonia in scriptura, ut ex horum certitudine homines audeant etiam cum Satana ipso congredi, ac si in ea certitudine constiterint, etiam uictoriam reportent. Postremò, nomine scripturæ non intelligimus literas tantùm & syllabas, quibus continetur, sed maximè omnium sententiam eius, eamque, non quam tradunt Papistæ pro sua libidine, ut quoties ipsi mutant suam sententiam, toties & Deus suam quoque mutet, Sed quam tradit spiritus sanctus, qui suam sententiam in scriptura, si non semper in uno & altero loco, certè in alijs eiusdem scripturæ locis, apertè patefecit.

Qui autem in Christo renati sunt, & habent spiritum Christi, hi etiam sententiam scripturæ, quæ ipsis per prædicationem fidei ex scriptura tradita est, intelligunt, etiamsi fuerint alioqui indocti, ac ne literas quidem legere sciant. In Synodo Nicæna, multi doctissimi uiri altercabantur περὶ τριάδος cum philosophis gentium, ac donec quidem res ageretur humanis rationibus atq; artibus, philosophi nostros superare uidebantur. Postquàm autem res cœpta est agi simplici recitatione sententiæ scripturæ, statim uictoria ad nostros est inclinata.

Vir enim quispiam, ingenio simplici, & ut historia ait, nihil aliūd sciens, præter Iesum Christum, & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Episcopos aderat. Qui cùm uidisset philosophum nostris insultantem, & callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, uelle se pauca cum philosopho conferre. Hic uerò nostri, qui simplicitatem uiri & imperitiam de sermone duntaxat nossent, cohorrescere, ne fortè apud callidos homines sancta simplicitas risui exponeretur. Perstitit tamen senior. Et in nomine, inquit, Iesu Christi, audi Philosophe, quæ uera sunt. DEVS unus est, qui fecit cœlum & terram, quiq; homini, quem de terræ limo formauerat, spiritum dedit, uniuersa quæ uidentur & non uidentur, uirtute uerbi sui creauit, & Spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc uerbum ac sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores, ex uirgine nascitur, & per passionem mortis, à perpetua nos morte liberauit, ac Resurrectione sua æternam nobis contulit uitam, Quem & expectamus iudicem omnium, quæ gerimus, esse uenturum.

Hæc est simplicissima & diserta recitatio sententiæ scripturæ. Quid ergo factum est? Hic uide mihi admirabilem uirtutem, qua Deus testimonium fert, quòd sententia sacræ scripturæ, in rebus ad salutem cognitu ne-

cessarijs, tam aperta, tam perspicua sit, ut & indocti (sed pij) eam non ignorent, & docti ei cedere cogantur.

Conuersus enim senior ad philosophum: Credis, inquit, hoc ita esse philosophe? At ille obstupefactus, & noua luce illustratus, respondit: ita sibi uideri, nec aliud, quàm quod senior dixisset, uerum esse. Itaque ad Baptismum ductus, ex Ethnico factus est Christianus, & ex Philosopho Theologus.

Etsi igitur fuerit quispiam, uel parùm, uel etiam nihil tinctus literis, tamen si fuerit renatus & donatus spiritu Christi, sententia scripturæ, de rebus ad æternam salutem cognitu necessarijs, non potest ei esse obscura & ambigua, sed est ei tam certa, tam perspicua, ut malit sexcenties discerpi, quàm ab ea recedere.

Dabo, inquit Propheta, omnes filios θεοδιδακτους. Et aliâs: Omnes cognoscent me, inquit Dominus, à minimo usque ad maximum. Cognoscitur autem Dominus, autore spiritu sancto, per uerbum suum, quod literis Propheticis & Apostolicis mandatum est, & quod ex his literis, omni posteritati adnunciatur. Quomodo autem cognosci posset Dominus, per uerbum literis mandatum, & ex literis adnunciatum, si hæ literæ essent obscuræ, dubiæ & ambiguæ? Num Deus (inquit Lactantius) & mentis, & uocis & linguæ artifex, diserte loqui non potest? Imò uerò summa prouidentia carere fuco uoluit ea, quæ diuina sunt, ut OMNES intelligerent, quæ ipse OMNIBVS loquebatur.

De uero cultu lib. 6. cap. 21.

Chrysostomus, Apostoli, inquit, & Prophetæ omnia contrà fecerunt. Manifesta claráq; , quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, ueluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur è sola lectione, & hoc antè prænuncians Propheta dicebat: Erunt omnes docti à Deo, &c.

Nam, quod obijcitur doctissimos quosque scriptores conquestos esse de obscuritate scripturæ, siquidē sermo est de phrasi scripturæ, dubium non est, quin etiam doctis phrases non tam peregrinæ, quàm propriæ & uernaculæ suæ linguę aliquoties sint ignotę. Quam obscuritatem etiam Prolegomena ingenuè confitentur. Si autem sermo est de scripturę sententia, eáque ad ęternam salutem cognitu necessaria, certè ea pio, spiritu Christi donato, quamuis illiterato, non potest esse ignota. Oculus (inquit Paulus ex Esaia) non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quę prępараuit Deus diligentibus se. Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. Et mox: Quis cognouit mentem DOMINI, qui consilium daturus sit illi? Nos autem mentem Christi tenemus. Et aliâs: Iuxta diuitias gratię suę, de qua ubertim nobis impartiuit, IN OMNI SAPIENTIA & prudentia, patefacto nobis ARCANO VOLVNTATIS suę, iuxta beneplacitum suum. Quę autem Deus reuelauit Prophetis per spiritum suum, & quę arcana uoluntatis suæ patefecit Apostolis suis, ac nobis ad salutē cognitu necessaria sunt, ea mandata sunt literis Propheticis & Apostolicis. Sententia igitur scripturę, quę est Spiritus sancti, illustrantis & explicantis cœlestia arcana, oraculum, non potest esse pijs, & Spiritu Christi donatis, obscura & ambigua.

Sed pergit aduersarius: Quę, inquiens, scripta sunt, breuissimum quoddam compendium, & uix monitorium aliquod sunt eorum, quę dicebantur. Addit & illud, quòd prædicatio uiua longè superet scriptu-

ram

ram mortuam, ideoque Christum filium Dei prædicasse tantùm, non scripsisse Euangelion suum, quemadmodum antiqui illi grauissimi (inquit Sotus) Philosophi, Pythagoras & Socrates, & alij sapientes Græci nihil scripserunt, &c. Considera mihi, obsecro, quanta arte, quanta cura indigeat malæ causæ defensio. Sotus suscepit defendendas confictas suorum Pontificum Traditiones, & nos persuadendos, ut omnem salutis nostræ rationem à scrinio pectoris Pontificij, & somnijs fraterculorum petamus. Magno igitur labore & summo studio illud agit, ut obscuret autoritatem sacræ scripturæ, & ab ea nos pedetentim seducat. Scriptura, inquit, uix monitorium est eorum, quæ dicebantur. Illud uidelicet vult dicere.

Quid? Vós ne tam stulti estis, ut aliquam operam in legenda & intelligenda scriptura impendatis, cùm in ea uix extremę pietatis lineæ sint descriptæ, in pectore autem Pontificis, & in traditionibus Prælatorum omnes thesauri cœlestis sapientiæ & scientiæ contineantur? Quanto rectius & prudentius faceretis, ut relicto illo arido & ieiuno scripti genere conuerteretis uos ad uberrimos illos, & limpidissimos fontes Seraphicorum & Cherubicorum scriptorum, ac ad ipsum Pontificium pectus, omnis diuinæ sapientiæ scaturiginem, & promptuarium. Sed quo nos Sotus à scriptura abducere studet, eo ipso, præter animi sui sententiam, nos ad scripturam reuocat. Breuissimum, inquit, compendium, & monitorium est eorum, quæ dicebantur. Rectè. Nam hoc interea, in suo uero sensu agnoscimus. Quid igitur? Num idcircò scriptura est abijcienda? Num idcircò ea, quæ cum ipsa pugnant, sunt approbanda? Imò potius, Scriptura tanto maiori cura est & conseruanda & cognoscenda, quanto breuius est compendium & monitorium eorum, quæ dicebantur. Primùm enim, sicut gemmæ quædam, & sculpturæ eo ipso gratæ sunt, quòd sint minutæ, ita & scriptura eo ipso nobis accepta esse debet, quòd breui quadam epitoma contineat omnem doctrinam nobis ad æternam nostram salutem cognitu necessariam: adeoq; sacra scriptura non aliena est à preciosa illa Margarita, qua inuenta, negociator abit & uendit omnia, quæ possidet, ac mercatur eam. Deinde, si scriptura est tantum breuissimum quoddam compendium eorum, quæ Prophetæ & Apostoli sunt concionati, quid est, quòd Sotus sui oblitus, uociferatur aliâs, nos exigere impossibilia à vulgo ecclesiæ, dum docemus unumquenq; debere ex scriptura probare spiritus, num sint ex Deo? Quo enim breuius cōpendium est scriptura, eo citius cognosci potest, ut ad eam omnes aliæ doctrinæ exigantur.

Nam quòd prædicatio uiua, ut Sotus sentit, longè superet mortuam, & quòd Christus non scripserit, sed tantū prædicauerit Euangelion suum, exemplo ueterum Philosophorum, iterum contumelia est, non in scripturam tantum, uerumetiam in Christum ipsum. Etsi enim perspicuum est, quòd uiua uox habeat aliquid, ut ille ait, latentis energiæ, tamen scriptura non idcirco mortua est, si suo legitimo usu, ad quem diuinitùs est ordinata, tractetur. Tú ne mortuum dices, per quod patientiam, spem & consolationem pij accipere solent? & quod est utile ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia? Rom. 15. 2. Timot. 3.

Certè Apostolus Paulus hæc de scriptura pleno ore prædicat.

Nisi ergo Sotus ipse non cæcatus tantùm, uerumetiam mortuus esset,

non diceret ſcripturam, in hoc quidem collationis genere mortuam. Et quid, quòd Chriſtus ipſe nihil ſcripſerit? Num hoc ipſo ſecutus eſt exemplum Ethnicorum Philoſophorum? An non ſatis ipſe habuit conſilij, quod ſequeretur, niſi ſibi exemplum impiorum hominum ob oculos poneret? Num idcircò uilior & abiectior habēda eſt ſcriptura, quòd Chriſtus ipſe inhil ſcripſerit? Imò tanto maioris eſt momenti, quanto diligentius ea, quæ Chriſtus ore prædicauit, in Apoſtolicam ſcripturam ſunt collata. Apud Danielem Nabuchodonoſor pronunciat decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrac, Miſac & Abdenago, diſpereat, & domus eius uaſtetur. Quid ergo? Num poſtquàm hoc decretum literis eſt mandatum, & in omnes terras miſſum, licuit ſubiectis populis ei oppedere, & dicere: Quid ad nos hoc decretum? Scriptura mortua eſt, & niſi acceſſerit calculus noſtrorum Sacrificulorum, fabellæ ſunt Aeſopi. Certè tale quid occinit nobis Sotus, cùm autoritatem ſcripturæ, in quam ſpiritus ſanctus uocem ipſam æterni Dei Patris & unigeniti Filij eius contulit, prædicamus.

Chriſtus, ne quidem etiam aqua baptiſauit, quemadmodum Ioannes ſcribit: Reijciemus igitur baptiſmum aquę, & dicemus eum eſſe elementum mortuum, quòd Chriſtus nunquàm aqua baptiſauerit?

Sed ibi tum demùm rectè conſulit Aſotus honori Apoſtolorum & Euangeliſtarum, qui conciones filij Dei literis mandarunt, quòd præter illas cauſas, cur Chriſtus & antiqui grauiſsimi philoſophi, Pythagoras, & Socrates nihil, aut quàm minima ſcripſerint, etiam illam cauſam
» addit, Vt abſconderetur (inquiens) impuris & irriſoribus myſteriorum
» maieſtas, & incomprehenſibilium rerum altitudo non pateret indignis,
» &c.

Apagete igitur, apagete, inquam, uos Apoſtoli & Euangeliſtæ, Matthæe, Marce, Luca, Ioannes, Petre, Paule, & alij, quòd cùm mandatis publicis literis ea cœleſtis regni myſteria, quæ filius Dei in aurem diſcipulorum ſecretò dixit, proiecerítis cognoſcenda impuris, irriſoribus, & indignis, adeoq; canibus & porcis.

Cur enim non ſecuti eſtis exemplum Magiſtri ueſtri, ut nihil ſcribere tis? Digniſsimi certè, qui grauiſsimas temeritatis ueſtræ pœnas detis. Quanto enim Pontificum incommodo euulgauit quondam Flauius ſcribaius ciuile, quod in penetralibus eorum repoſitum erat: tanto etiam, imò multò maiori Prælatorum incommodo euulgaſtis uos Apoſtoli & Euangeliſtæ myſteria Euangelij Chriſti ueſtris ſcriptis. Niſi enim hæc ſcripta ueſtra extarent, non haberent Nouatores illi, quod nobis Prælatis obijcerent, & quo noſtras traditiones, quas confictas nugas appellant, irriderent. Hoc certè illud eſt, quo Sotus his contumelijs aſpirat, quibus, quod in ipſo eſt, Filium Dei, Apoſtolos & Euangeliſtas, ac ſacram ſcripturam, tam ſordidè turpificat.

Cæterùm, cùm infamet ſcripturam, ut dubiam, ambiguam & mor-
» tuam, accedit tandem apertè ad id, quod inſtituit. Falſò, inquiens, dicitur
» à nouitatum amatoribus, Solam ſcripturam ſacram, quæ ſpiritus ſancti
» oraculum eſt, (Hoc enim elogium ſcripturæ Sotus addit, ut impietatem
» ſuam aliquo modo tegat) regulam eſſe certiſsimam omnium, quæ ad re-
» ligionem pertinent, &c. Ac rurſus: Conſtat, (inquit) quòd negantes, hoc
» eſt, nihil recipientes, niſi quod ſcriptum eſt in ſacris libris, hoſtes ſint uerę
» eccleſiæ, & per eos Satan meditatur omnia ſchiſmata, &c.

Habes

Habes quid quærat Asotus suis scripturæ infamationibus, uidelicet, ut petamus cognitionem æternæ nostræ salutis non è sacra scriptura, sed ex Episcopis, ijsq; Papisticis, & eorũ Conciliis, & ex Traditionibus eorum. Sic enim addit, quemadmodum & suprà recitauimus. Dicimus, inquiens, apertè, in dubijs fidei PROXIMOS, ad quos eundum est, EPISCOPOS ESSE, & eorum Concilia. Isti consensum Patrum inquirentes, ex illo Traditionem agnoscunt, ex qua scripturam interpretãtur, & explicant. In his nihil incertum aut confusum est. Cùm scriptura est ambigua, nec explicata, traditio quærenda est, &c.

Scilicet homines multò disertius, multò apertius, multò certius in suis traditionibus loquuntur, quàm spiritus sanctus in sua sacra scriptura.

Sed dicamus de his rebus paulò copiosius. Tú ne Sote, negas sacram scripturam, quam necesse habes ipse fateri oraculum spiritus sancti, certissimam esse regulam omnium, quæ ad religionem pertinent, & quæ sunt ad æternam nostram salutem necessaria? Equidem haud repugno, quo minus uerum dicas, si de cœtu tuorum Pontificum, Sacrificulorum & Fraterculorum loquaris. Necesse habeo ipse confiteri, quòd non agnoscatis sacram scripturam pro certissima fidei regula. Video enim uos maximè omnium urgere Patres, Prælatos, Pontifices, Concilia & Traditiones. Quid ergo adhuc quereris? En habes reum confitentem. Confiteor (inquam) ingenuè, sacram scripturam non esse Vobis certissimam fidei regulã. Sed hoc illud est, quod in uobis detestamur, & propter quod Christus filius Dei abijcit uos, ne sitis uera Dei ecclesia, ut de uobis illud Prophetæ uerè dici possit: Me dereliquerunt (dicit DOMINVS) fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. (Hæ sunt Pontificiæ traditiones) quæ aquas continere non ualent. Vox enim cœlestis Patris testificatur de suo filio DOMINO nostro Iesu Christo, & remittit nos ad eum, HVNC (inquiens) AVDITE. Ad quem & antea remiserat nos Moses. IPSVM, inquiens, AVDIES. Negari autem non potest, quin quæ filius Dei, de æterna nostra salute, uel Patriarchis patefecit, uel Apostolis & alijs auditoribus coràm prædicauit, & quæ in hoc seculo, quo ad posset, quo ad fas esset, quo ad liceret, cognosci debent, collata sint, non fideliter tantùm, uerumetiam sufficienter, in scripta Prophetica & Apostolica, quæ uocamus Scripta Veteris & Noui Testamenti. Aut enim nega spiritum sanctum primarium autorem horum scriptorum, esse fidelem, quòd uocem filij Dei non uerè literis mandârit, & esse candidum, quòd non perfectè ea, quæ ad salutem nostram cognitu necessaria sunt, in scriptura proposuerit, aut confitere hæc omnia & uerè, & sufficienter in scriptis Propheticis & Apostolicis contineri, nec esse aliam nobis fidei regulam propositam.

At enim, inquit Sotus, sedecim probatissimi patres testes sunt huius ecclesiæ sensus, quo sine scripto tradita esse quàmplurima ab Apostolis, quæ ad salutem necessaria sunt, constat, &c. Respondeo: Enumera mihi non sedecim tantùm, uerumetiam sexcentos Patres, qui hoc, quod dicis, testificentur, nõ tamen enumeras, nisi homines, qui & fallere possunt, & falli: aut quorum scripta tu uel non rectè intelligis, uel non in loco adducis.

Affirmare enim, quòd sacra scriptura tanta sit imperfectione, ut Apostoli, præter eam, tradiderint alia quàmplurima, ad salutem necessaria, non est sani hominis, sed furiosi dæmonis, cupientis ecclesiam Filij

Dei, à certissima fidei regula, ad uanissima hominum commenta, prætextu Apostolici nominis deducere. Tu persiste ito, inquit Paulus, in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Iubet Paulus Timotheum persistere in his quæ didicit, & quæ ipsi concredita sunt. Sed ne quis existimet, alia eum didicisse, & alia ei concredita esse, quàm quæ in sacris literis continentur, addit: Quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem, per fidem.

Quæso te, amicissime mi Lector, quid illud est: Literæ sacræ possunt Timotheum eruditum reddere ad salutem, idq; eo tempore, quo non solum nondũ excogitatæ erant Traditiones illæ, quas uani Papistæ iactant, uerumetiam quo scripta noui Testamenti nondum uel extabant, uel publicam autoritatem obtinebant. Et his temporibus, quibus nouũ Testamentum literis est mandatum, & cœlestibus miraculis cõfirmatum, Scriptura non posset nos, absque alijs traditionibus, ad salutem satis eruditos reddere? Et iterum dicit Paulus: Omnis scriptura, diuinitùs inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in Iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quid quæso amplius requiritur, quàm ut homo sit INTEGER, & ad OMNE opus bonum apparatus? Potuit autem hoc effici scriptura Veteris Testamenti, & non posset nunc eadem scriptura, literis noui Testamenti patefacta & illustrata?

Abraham apud Lucam remittit fratres diuitis ad Mosen & Prophetas: Habent, inquiens, Mosen & Prophetas, Audiant illos. Si hos non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. In scriptis Mosi & Prophetarum, hoc est, ueteris Testamenti, continentur, testimonio Abrahæ, ea quæ sunt ad salutem cognitu necessaria, nec in hoc genere cognitionis quicquam aliarum traditionum requiritur, & putas tu scripturam accessione Scriptorum noui Testamenti tam ieiunam, tam elumbem reddi tam, ut non sufficiat ad ea cognoscenda, quæ nobis ad salutem sunt necessaria? Ioannes Theologus Apocalypsin suam anathemate concludit: Si quis (inquiens) apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro uitæ, & à ciuitate sancta. Hæc audet Ioannes, quisquis ille fuerit, de suo scripto affirmare, & non esset, uel sexcentis anathematis dignus, qui toti sacræ scripturæ, non pauca, sed quàm plurima, tanquàm ad salutem necessaria adderet? Etsi enim multi multos haud cõtemnendos in causa religionis commentarios scripserunt, tamen nõ illo consilio scripserunt, ut aliquid, tanquàm ad salutem necessarium, scripturæ adderent, sed ut scripturam collatione aliorum scripturæ locorum explicarent.

Quare, qui nihil recipiunt, nisi quod scriptum est in sacris libris, nõ sunt hostes, quemadmodum Sotus uociferatur, sed amici ueræ ecclesiæ: nec Satan meditatur per eos schismata, sed spiritus sanctus vult per ipsos cauere, ne liceat impijssimis hypocritis & sceleratissimis nebulonibus ueram Dei ecclesiam à cœlestibus oraculis, ad uana fraterculorum & Pontificum somnia seducere.

Sed uideamus tandem, quæ sint Apostolicæ illæ traditiones, quas dicunt ad salutem necessarias, & tamen in scriptura non contineantur.

Solent

Solent autem duo earum genera recitare. Vnum, quod negant (sed falso) in scriptura contineri. Alterum, quod non solum non continetur in scriptura, uerumetiã cum ea pugnat. Ad illud prius pertinent, Perpetua Virginitas Mariæ, Aequalitas diuinarum personarum, duæ naturæ, duę operationes & uoluntates in una persona Christi, & id genus alia.

Quid ergo dicemus? Num hæc non continentur in scriptura? Si περὶ τοῦ ῥητοῦ loquamini, quid uobis ineptius, imò quid furiosius? Sic Anabaptistæ defendunt suam impietatem de infantium baptismo, quòd hæ literæ, (Infantes sunt baptisandi) non recitentur in scriptura. Si autem loquamini περὶ τῆ διανοίας, quid uobis aut excæcatius, aut magis impium?

Hieronymus suscepit perpetuam uirginitatem Marię defendendam. Si ergo ea non continetur in sententia scripturæ, quid ita sudat, quid tot argumenta è scriptura colligit? Quin potius dicit, Traditum est ab Apostolis Mariam perpetuò uirginem mansisse. Eluidius igitur, qui contrarium affirmat, impius est. Sed nos dicamus, quod res est. Si perpetua Mariæ Virginitas non potest, nec ex litera, nec ex sententia scripturæ probari, non est articulus fidei creditu necessarius.

Si autem hoc pro certissimo fidei articulo habendum est, necessarium est, ut contineatur, uel in litera, uel in sententia scripturæ.

Sed accedo ad æqualitatem diuinarum personarum, & distinctionem duarum naturarum in una persona Christi. Quid? Hæc uos dicitis non contineri in scriptura? Quæ est hæc uestra religio? Num idcirco non cõtinentur in scriptura, quia non legitis in ea hunc literarum contextum, & hanc syllabarum ac dictionum connexionem? O cæcatos homines, qui, quod est in uera Religione summum, & in scriptura maximè omniũ cognoscendum proponitur, non possunt, præ mentis suę hebetudine & impietate, in scriptura uidere. Quanta, obsecro, hæc est contumelia optimorum Patrum, qui scriptis suis æqualitatem diuinarum personarum, & distinctionem duarum naturarum in unitate personæ Christi, testimonijs sacrarum literarum defendunt. Nam si hæc non docentur in scriptura, orthodoxi Patres non solum abusi sunt ocio suo, uerumetiam fefellerunt Ecclesiam, cùm susceperunt illud è scriptura probandum, & explicandum, quod Sotus & Fraterculi eius uociferantur in scriptura non contineri. Quid est contumelia in Patres, si hæc non est? Sed boni illi scilicet Fraterculi metiuntur Patres è suo ingenio, & cùm ipsi Indulgentias suas, & alias impostoras soleant uocare pias fraudes, cogitant etiam Patres uoluisse Ecclesiam impostoris, & fraudibus ad pietatẽ excitare. Et hæc quidem de priori genere traditionum.

Ad alterum autem genus, quod cùm scriptura pugnat, pertinent illa, Primatus Romani Pontificis, Consecratio aquæ in baptismo, Consecratio & Vnctio chrismatis, Confirmatio Pontificia, Oblatio sacrificij altaris pro peccatis uiuorum & mortuorum, Inuocatio Sanctorum, Enumeratio peccatorum sacerdoti facienda. Necessitas satisfactionis sacramentalis, Merita bonorum operum, & multa id genus alia.

Ac de Primatu quidem Pontificis Romani, suo loco. Quæ autem postea recensentur, ostendimus iam suprà in hac Apologia, aperte cum scriptura pugnare. Negat hoc Sotus, negat Logodædalus eius, negant Fraterculi eorum, & affirmant nos falsum sensum in scripturã inducere. Nõ est autem mirum, quòd apud tales iudices causa cadere uideamur. Primùm enim, non habent scripturam pro certissima fidei regula, sed pro

aluta,quæ quorſumcunque libet,trahi qũeat.

Deinde uſurpant ſibi tantam licentiam interpretandæ ſcripturæ,ut faciant ex nomine OMNES, NON OMNES, & ex uerbo Statuendi,uerbum abrogandi. Adhæc, exiſtimant in ſua poteſtate ſitum eſſe, ut ſcripturam aliter atque aliter iuxta temporis diuerſitatem interpretentur,quemadmodum ſuprà ex Cuſano oſtendimus. Poſtremò ſentiunt, quòd ad ſuæ ſententiæ mutationem, mutet etiam Deus ſuam ipſe ſententiam,quod & ipſum Cuſanus teſtificatur. Quis igitur apud tales iudices,cauſam ſuam,de uera ſcripturæ ſententia obtineret? Sed quid conferamus cum iſs hominibus, qui non habent ſacram ſcripturam pro certiſſima fidei regula,ideoque non ſunt amplius uera filij Dei Eccleſia, qui ſequuntur aliam doctrinam, quàm quæ in ſcriptis Prophetícis & Apoſtolícis continetur,qui inſtituunt alia ſacra, quàm quæ Spiritus ſanctus docuit:denique qui abiecto Chriſto,ſequuntur & adorant antichriſtum? Et tamen ne uel noſtris, uel noſtro officio deeſſe uideamur, perſtringemus & reliqua nõnulla: Quis enim tam uanæ loquacitati multis reſpondere poſſet?

Sotus & reliqua Fraterculorum colluuies ſentiunt ſcripturam non ſolùm eſſe literam mutam,mortuam,occidentem, dubiam,obſcuram, ambiguam,& ad cognoſcendam uiam ſalutis inſufficientem, & imperfectam,uerumetiam penè inutilem,& non magno ſtudio requirendam.

Etſi enim Sotus alicubi profitetur,ſe pro uiríli egiſſe apud quoſcunq; potuerit Epiſcopos,ut doctrinæ ſcripturæ & Patrum uacent, tamen aliâs ſui oblitus certò aſſerit, hoc tempore nullo modo expedire præcipuam
» operam ſcientiæ dare: nulli (inquit) neque quidem DOCTORI in
» Eccleſia, EPISCOPO, & cuícunque etiam, cui maximè conuenit re
» pellere aduerſantes ueritati, & docere infirmos, conueniens eſſe prępo
» nere ſtudium ſciẽdi,& lectionem orationi,feruori ſpiritus,& exercitatio
» ni pietatis.Et mox de Laicis,ut opinor.Iam uero(inquit)ſimplicioribus,
» & denique omnibus,quibus non incumbit in Eccleſia docere,multò ma
» gis hoc cogitandum eſt.Nouerint locum ſuum, nouerint eruditionem,
» & ingenia,tempus & ocium, & ſciant id,quantum eſt temporis, quan
» tum à neceſſarijs illis obſequijs, quibus tenentur proximis inſeruire, li
» berum manet, orationi & pijs meditationibus multo utilius ſe daturos,
» multo ſecurius, quàm LECTIONI.

Hactenus Aſotus.

Quanquàm aũtem facit officium bono doctore dignum, quòd exigat præcipuam curam rectè operandi, Deumq; & proximum amandi, nec facit hoc loco expreſſam mentionem Sacræ ſcripturæ, tamen illud eſt in eo deteſtandum & execrandum, quòd dilectionem Dei & proximi ita exigat,ut interea ſtudium Sacræ ſcripturæ, tanquam parùm utile inſimulet,ac non tam Laicos, quàm etiam Epiſcopos à ſtudio & lectione eius abducat. Vnde & aliâs ſcribit:Imò uerò,inquiens,illud etiam cõ
» ſtitit,tanto uerbum Dei dignius à Deo tradi, quanto remotius AB O
» MNI SCRIPTVRA, imò etiam ab OMNI VOCALI uer
» bo,quando ſcilicet ſola diuina reuelatione, ſine ulla imagine & phantaſ
» mate ab eo infunditur cordibus.Et iterũ:Cùm plena fuerit(charitas)iam
» literæ neceſſariæ non erunt,atq; ſine illis perfectius Antonium & Paulũ
» in deſertis fœliciusq; uixiſſe,quàm alij cum libris.

Hæc & id genus alia à Soto ita recitantur, ut ſi eſſet bonus uir,piè poſſent

sent intelligi. Nunc autem, quia est impius Fraterculus, & oppũgnat autoritatem sacræ Scripturæ, quanto potest studio, quemadmodum hactenus palàm demonstrauimus, nihil aliud reliquum est, cũ ut intelligamus, eum his uerbis utilitatem scripturæ cauillari, ac uerum usum scripturæ prorsus ignorare. Existimat enim Scripturam in hoc datam, ut uel domi priuatim legatur, uel publicè in templis cantetur, in talem ac tantum cultum Dei, ut merito eius expientur coram Deo peccata uiuorum & mortuorum. Sic abutuntur impij hypocritæ Scriptura ad Idolomaniam. Ego uerò in Prolegomenis perspicuè ostendi, Scripturam nobis traditam esse diuinitùs, non tantùm, ut sit testimonium diuinorum oraculorum ad posteritatem, contra ficticias hominum traditiones, uerumetiam, ut sit Organon, quo Spiritus sanctus utatur, ad effundenda in nos dona sua, & ad excitandum in nobis fidem, & amorem Dei ac proximi. Sotus autem hunc præcipuum scripturæ usum, uel non intelligens, uel malicioſè dissimulans, dicit multò utilius, multò securius daturos nos orationi, feruori spiritus, exercitationi pietatis, & pijs meditationibus, quàm studio scienDi & Lectioni. Quasi uero, uel Lectio, uel auditus scripturæ, non sit in hac humani generis conditione ordinarium organon, quo Spiritus sanctus excitet in nobis pias meditationes, ardentes precationes, & omnia studia & exercitia uirtutum. Putas tu, (insane fratercule) Antonium & Paulum Eremitas, uel habuisse in his terris perfectam charitatem, ut ministerio scripturæ non indiguerint, uel potuisse in deserto sequi ueram pietatem, nisi eam uel per lectionem, uel per auditum scripturæ, autore Spiritu sancto, cognouissent? Num licet nobis sequi enthusiasmos & reuelationes, quæ nobis absq; testimonio, & organo seu lectionis, seu auditus scripturæ, in mentem ueniunt? Non ignoro, Deum olim multifariàm multisque modis locutum esse Patribus per Prophetas: postquàm autem locutus est nobis per unigenitum filium suum, & uox Dei per Prophetas, & filium eius adnunciata, mandata est autore Spiritu sancto literis, & collata est in scripturam, quam uocamus, Veteris & Noui Testamenti, non sunt noui enthusiasmi, & nouæ collocutiones ac reuelationes è cœlo expectãdæ, sed uox Dei audiẽda est in scriptura, ut hoc organo discamus Deum uerè cognoscere, Deum timere, Deo credere, Deum & proximũ diligere, adeoque omnia pietatis opera præstare, per Iesum Christũ, unicum nostrum seruatorem. Leges (inquit Moses) uerba legis huius corã omni Israel, audientibus eis, & in unum omni populo congregato, tam uiris, quàm mulieribus, paruulis & aduenis, qui sunt intra portas tuas. In quem autem usum hæc uerba sunt legenda?

Hîc diceret Sotus, Quid facitis? magis cõueniret studere orationi, feruori spiritus, & exercitationi pietatis. Moses autem dicit: Imò, ideo lectioni studẽdum est, ut studeamus orationi, & exercitio pietatis. Addit enim: Vt audientes discant, & TIMEANT DOMINVM Deum uestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones legis huius. Filij quoq; eorũ, qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeãt Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus uersantur in terra.

De rege Israelitico ait Moses: Postquàm sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomion Legis huius in uolumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus uitæ suæ. Quid faciat Rex? Legat, (inquit) uolumen legis omnibus diebus uitæ suæ. Quid? An non multò utilius, (ut Sotus sentit)

multo securius daret se orationi,& pijs meditationibus, & quòd est priè regij officij,dicendo iuri populis, faciendæ iustitiæ & iudicio, iudicandæ causæ uiduæ & pupilli? Sed ut cognoscat, quod sit regium officiũ, & præstet,iubetur sese dare Lectioni,idque non una & altera hora , Sed cunctis diebus uitæ suæ.Sic enim sequitur: VT DISCAT timere DOMINVM Deum suum,& custodire uerba,& cærimonias eius,quæ in lege præcepta sunt.

Hieremias iubet scribam suum Baruch recitare librum. Ego clausus sum,inquiens,nec ualeo ingredi domum Domini.Ingredere ergo tu,& lege de uolumine , in quo scripsisti ex ore meo uerba Domini,audiente populo in domo Domini,in die Ieiunij,insuper & audiente uniuerso Iuda,qui ueniunt de ciuitatibus suis,leges eis.

Quid igitur dicemus? Certè,si Hieremias adhibuisset Sotum in hanc deliberationem,audiuisset se inanem suscipere operam,quòd magis dandasit opera feruori spiritus,quàm lectioni scripturæ.Sed bene habet.Hieremias non est Asoticus Papista. Tantum enim abest, ut lectio scripturæ abstrahat à feruore spiritus,ut potius Hieremias speret, populum auditu lectionis ad feruorem spiritus excitandum.Si fortè, inquiens, cadat oratio eorum in conspectu Domini, & reuertatur unusquisque à uia sua pessima.

Ioannes Euangelista properans ad absoluendam historiam rerum gestarum Christi. Hæc,inquit,scripta sunt,ut CREDATIS, quòd Iesus est Christus ille filius Dei,& ut CREDENTES uitam habeatis per nomen eius.

Ad consequendam ueram & æternam salutem maximè omnium necessaria est fides in Iesum Christum.Dicit autem Ioannes,suum scriptum ad hoc ualere, ut concipiatur fides in Christum. Quare si quis uoluerit habere feruorem Spiritus fidei,& excitari ad ueram inuocationem Dei per nomen Christi,Scriptum Ioannis,aut alterius,seu Prophetæ, seu Euangelistæ aut Apostoli legat,necesse est.

Quæcunque,inquit Paulus, præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt,ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Inter præcipuos Dei cultus, non est postremus, sperare opem Domini in aduersis. Et aliâs Paulus recenset spem,inter tres insigniores pij hominis uirtutes.Nec dubium est,quin uera spes in aduersis adducat secum patientiam,ut mens afflicta accipiat consolationem. Affirmat autem Paulus,quòd spes contingat nobis per scripturam.

Qui ergo uoluerit uitare peccata,hoc est,impatientiam, uirulentiam, blasphemiam,execrationem in Deum & homines, non conferat se in eremum,ad expectandos cœlestes enthusiasmos,sine externo uerbo Dei, sed conferat se ad lectionem,seu auditum scripturæ,ut dictis & exemplis scripturæ consequatur spem & patientiam,qua multa peccatorum genera cauentur.

Quid multis opus? Christus ipse filius Dei,ut tentationes Satanæ refutaret,& Satanam à se repelleret,properat ad scripturam.

Scriptum est,inquiens,Nõ in solo pane uiuit homo,&c. Et iterũ:Scriptum est,Non tentabis Dominum Deum tuũ. Ac rursus:Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis,&c. Et adhuc tamen Sotus, organon Satanæ,audet in medium prodire,& nobis de uitandis peccatis,de oratione,de pijs meditationibus,de feruore spiritus,& de exercitatione pietatis,

tis, absque singulari studio scripturæ, concionari, cùm id studium tanto feruentius esse debeat, quanto magis uera pietas est exercenda. Non illud agitur, Sote, ut incumbamus lectioni scripturæ, uel hypocriticè, Hypocritæ enim abutuntur ea ad Idolomaniam: uel Sophisticè, Sophistæ enim sectantur, neglecta uera pietate, rixosas & spinosas contentiones, sed piè & Christianè, ut Spiritui sancto suum organon offeramus; per quod in nobis sit efficax, & excitet mentes nostras ad omne genus uirtutum. Quę est ergo tua illa declamatio de sancta, ad quam nos uocas, ignorantia, & de inflante, à qua nos auocas, scientia?

Vanissime hominum, putás ne nos, cùm asserimus autoritatem Sacræ scripturę, uocare homines ad cognoscendas ineptias uestrorum Sententiariorum, quas multo utilius ignoramus, quàm perscrutamur, & ad inflationem animi, quæ cum charitate pugnat, & nō potius ad cognoscendam ex scriptura ueram pietatem, qua & Deum uerè colamus, & proximum ex animo diligamus, qua etiam, (nam & illud addendum est) omnem impietatem detestemur & fugiamus.

Sed non sunt nobis Satanæ consilia ignota. Illud agit Satan, ut excutiat Sacram scripturam de manibus nostris, & subijciat nos uestris traditionibus, ac scriniō pectoris Pontificij. Quare, cùm uisum sit Soto declamare de sancta, ut ipse loquitur, ignorātia, libuit & mihi declamationem de sancta scientia, non Sophisticarum & Monasticarum nugarum, sed Sacræ scripturæ, recitare. Recitabo autem eam, non meis, sed Chrysostomi uerbis, qui in tertia homilia de Lazaro Euangelico sic ait.

Chrysostomus.

Crebrò uobis prædicimus multis ante diebus argumentum, de quo sumus locuturi, ut his in medio diebus, SVMPTO LIBRO, perpensaque rei summa tota, posteaquàm intellexeritis, quid dictum sit, quid restet dicendum, mentem uestram instructiorem reddatis ad audienda, quæ pòst differentur. Idque semper hortor & hortari non desinam, ut non hîc tantum attendatis ijs, quæ dicuntur, uerumetiam quum domi fueritis, assiduè DIVINARVM SCRIPTVRARVM lectioni uacetis. Quod quidem & ijs, qui priuatim mecum congressi sunt, non destiti inculcare. Ne quis enim mihi dixerit: Sunt frigida illa uerba, multa insunt, quæ contemni debeant. Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negocia, artificium exerceo, uxorem alo & liberos, familiæ curā gero, mundanus homo sum, nō est meum legere scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt uale, qui montium uertices occupārunt, qui uitam eiusmodi continenter agunt. Quid ais homo? Non est tui negocij scripturas euoluere, quoniam innumeris curis distraheris? Imò tuum magis est, quàm illorum. Neq; enim illi perinde scripturarum egent præsidio, atq; uos in medijs negociorum undis iactati. Nam Monachi quidem à foro forensibusque negocijs liberi, quique in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac ueluti in portu sedentes, rebus uehementer tutis fruuntur. Nos contrà uelut in medio mari fluctuantes, innumerisque uelimus nolimus peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo iugique scripturarum solatio. Illi sedent procul à conflictu, eóque nec accipiunt multa uulnera. Tibi uero, quia perpetuò stas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus est remedijs, ut quem & uxor prouocat, & filius contristat atque ad iram commouet,

Quasi uero Monachi nō etiā suas habuissent eo tempore curas, afflictiones & tentatiões, propter quas maximè omnium indigu issent præsidio scripturarum. Nam huius temporis Monachi non sunt cū illis cōferēdi.

& insidiatur hostis,& inuidet amicus, & uicinus insectatur,& commili/to supplantat,frequenter & iudex minatur, & paupertas est molesta, & domesticorum amissio luctum affert,& prosperitas inflat, & aduersitas contrahit.Breuiter uaria curarum, uaria perturbationis, uaria mœroris, uaria iactantiæ,uaria tumoris,tum occasio, tum necessitas,nos undique circumuallat,innumeraque ex omni parte tela uolitant,unde necesse est indesinenter à Scripturis armaturam sumere. Agnosce,inquit, quòd in medio laqueorum incedis,quódque in pinnaculis ciuitatis ambulas.

Et mox.

Neque nunc fieri potest, non potest,inquam,fieri, ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo uersetur in lectione spirituali. Imò præclarè,reuera,præclarè,inquam,nobiscum agitur,etiamsi perpetuò huius medicamenti participes,aliquando salutem consequi possimus. Quòd si quotidie uulneremur,medelam uerò nullam adipiscamur, quæ fuerit spes salutis? An non uides fabros ærarios, aurifices,fabros argentarios, denique eos,qui quamcunque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata & integra,quamuis compellat fames,quamuis affligat inopia,omnia præoptantes sustinere potius, quàm ut ex instrumentis artificij quippiam uendere uelint,atq; hinc ali. Itaq; multi frequenter potius habuerunt ad usuram accipere, quàm uel minimum aliquid ex artis instrumentis oppignerare,idque iure optimo. Norunt enim, quòd diuenditis illis,ars uniuersa ipsis sit inutilis, totumque quæstus fundamentum sublatum:illis autem manentibus,fieri potest,ut contractum es alienum progressu temporis aliquando dissoluant iugiter utentes artificio. Quòd si priusquam dissoluerint æs alienum,alijs ea uendant, iam non est unde possint solatium aliquod famis inopiæque excogitare. Hoc sanè animo nos quoque præditos esse oportet. Quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt,malleus,incus,forceps,sic & nobis artis instrumẽta sunt, Apostolorum ac Prophetarum LIBRI, omnisque scriptura diuinitùs inspirata & utilis. Et quemadmodum illi per illa instrumenta quicquid faciendum susceperint, perficiunt, ita sanè & nos per hos fabricamur animam nostram,deprauatamque corrigimus, & inueteratam renouamus &c.

Et iterum.

Ne negligamus nobis parare libros, ne circa uitalia uulnus accipiamus. Nec aurum defodiamus, sed nobis ipsis recondamus thesauros librorum spiritualium. Aurum quidem cùm maximè crescit, tum maximè insidiatur possidentibus: LIBRI uerò repositi multã afferunt habentibus utilitatem.Quemadmodum enim arma regalia reposita,etiam si nemo fuerit,qui possideat,tamen ijs,qui habitant in ædibus,ubi reposita sunt,multam præbent custodiam ac tutamẽ, dùm neq; latrones,neq; parietum perfossores,neque alius quispiam sceleratorum,audet eam aggredi domum. Sic ubicunque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur uis diabolica,multaque inhabitantibus accedit consolatio.Quãdoquidem ipse etiam per se librorum aspectus, segniores nos reddit ad peccandum. Siue enim quippiam ausi fuerimus eorum quæ prohibita sunt, nosque ipsos reddiderimus pollutos, reuersi domum, conspectisque libris acrius nos condemnat conscientia, reddimurque contatiores ad eadem repetenda. Rursus siue in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Nam simulatque tetigit aliquis

Euange/

Euangelion, mox composuit suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu. Quòd si accesserit diligens Lectio, non aliter quàm in sacris adytis rebus diuinis uacans anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa PER ILLAS SCRIPTVRAS colloquente. Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea, quæ continentur libris? Maximè quidem, etiamsi non intelligas, illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Quanquàm fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores, propterea si quidem spiritus gratia dispensauit, quo Publicani, Piscatores, tabernaculorum opifices, Pastores, & Apostoli, idiotæ, illiterati, PER HOS LIBROS salui fierent, ne quis idiotarum ad hanc confugere possit excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea, quæ dicuntur, ut & opifex & famulus, & uidua mulier, & omnium hominum indoctissimus, ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret.

Aciterum.

Cui non sunt manifesta, quæcunque in Euangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundicordes, cæteraque huiusmodi, desiderabit Præceptorem, ut aliquid eorum discat, quæ dicuntur? Quin etiam signa, miracula, historiæ, nónne cuiuis nota, manifestaque sunt? Prætextus iste est, & causatio, pigritiæque uelamentum. Non intelligis quæ insunt, quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leuiter quidem inspicere uelis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoriæ tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quòd si non poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, uade ad doctorem, communica cum his ea, quæ scripta sunt, declara uehemens studium. Et si uiderit te Deus tantam animi prõptitudinem adhibere, non despiciet tuam uigilantiam ac sollicitudinem. Verumetiam si nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit. Memento Eunuchi reginæ Aethiopum &c.

Ac mox.

Ne neglexerimus nostram salutem, dilecti, hæc omnia scripta sunt propter nos ad correctionem nostri, in quos fines seculorum inciderunt. Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, scripturarum ignoratio: magna salutis perditio, nihil scire ex diuinis legibus. Ea res & hæreses peperit, ea uitam corruptam inuexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assiduè attentéque scripturarum lectione fruatur.

Hactenus Chrysostomus.

Hæc tam copiosè eò recitauimus, non quòd nitamur humana aũtoritate, Nam & in his, quæ recitauimus, Chrysostomi uerbis, nonnulla sunt expendenda, Sed ut demonstremus longè alia esse ueterum piorum Iudicia de Sacra scriptura, quàm impiorum Fraterculorum. Hi hortantur Episcopos, ac populi doctores, ne se assiduè dent lectioni scripturæ, quæ tamen cohortatio superuacanea est, propterea quòd Episcopi, (quales quidem sunt maxima pars Papisticorum Episcoporum,) sua sponte, uel absque monitore Soto, à nimia Sacrarum literarum lectione abstineant. Illi autem hortantur ad hanc lectionem etiam Laicos, i-

diotas, opifices, & mulierculas. Fraterculi dicunt lectionem scripturæ nõ omnibus, sed paucioribus esse necessariam, imò scripturam in nouo Testamento omnino non esse necessariam: Chrysostomus autem dicit esse necessariam OMNIBVS. Fraterculi sentiunt scripturam esse obscuram & ambiguam: Chrysostomus autẽ sentit eam tam perspicuam esse, ut per se quisque discere (utor enim uerbis Chrysostomi) possit ea, quę discuntur, è sola lectione, iuxta Propheticum dictum: Erunt omnes docti à Deo, & non dicet quisque proximo suo, Nosce Deum, quoniam omnes noscent me à minimo ipsorum, usq; ad maximum eorum. Fraterculi putant simpliciores lectione scripturæ magis irretiri, quàm erudiri. Chrysostomus autem iudicat eos hac lectione ad cognoscenda cœlestia mysteria illustrari. Denique Fraterculi uociferantur assiduam scripturæ lectionem esse impedimento ad faciendam pietatem. Vnde & plenis buccis iactant illud Tertulliani, Fides tua saluum te fecit, non exercitatio scripturarũ. Chrysostomus autem docet per scripturarum lectionẽ spicula diaboli repelli, mentem aduersus peccata muniri, & ad exercendam ueram pietatem excitari. Cùm igitur sententia Chrysostomi, & aliorum ueterũ conueniat hac in parte cum sententia Spiritus sancti, quemadmodum suprà exposuimus, ostendamus fraterculis medium digitum, & sinamus eos, siquidem non aliud uolunt, suis nugis, & blateramentis frui.

Sed cùm Asotus subinde uociferetur scripturam nõ esse certissimam fidei nostræ regulam, sed dubiam, & ambiguam, quæ est, obsecro, tãdem certa fidei regula? ubi fundamenta ueræ religionis inquiremus? Hîc reñ cimur primùm ad Traditiones, postea ad Patres mortuos, deniq; ad Patres uiuos, hoc est, ad sacrosancta Papistarum Concilia. Si dubius est, (inquit) sensus scripturæ, ex traditione iudicandus est, ex qua maximè certa dogmata fidei habentur. Traditio uerò ex scripturis Patrum agnoscitur. Cùm de sensu Patrum quæstio est, necesse est, ut certum iudicium habeatur in Ecclesia, ubi id definiri possit.

Cùm autem quærimus de hoc iudicio, ducit nos Asotus ad Concilia suorum Pontificum. Itaque in inquirenda uia ad ueram & æternam salutem, infimus gradus datur Sacræ scripturæ, supremus autem Pontifici Romano & Concilijs suorum Prælatorum. Ac de Romano quidem Põtifice, & de Concilijs suus sequitur locus. De traditionibus autem, & si copiosè in Prolegomenis, & nonnulla paulò antè in capite De memoria defunctorum, diximus, nec potest Sotus, aduersus ea, præter calumnias & mendacia, quicquam in sua, ut ipse loquitur, Defensione, afferre, tamẽ & nunc quædam dicamus, ut os loquentium iniqua obstruatur. Dicit Autoritatem Sacræ scripturæ constare, non nisi ex traditione. Dicit, Traditiones autoritate scripturæ probari. Dicit me in negandis traditionibus mihi ipsi contradicere, ideoq; maximè eas confirmare.

Hæc & his similia omnia eò respiciunt, primùm quidem, ut infamata Sacra scriptura, omnis autoritas conferatur in confictas traditiones, & Concilia Pontificum. Deinde, ut me quoque infamato, suis aliquid, pro impia sua causa dicere uideatur. Non enim metuendum est, ne tanta uerborum suorum uanitate aliquid periculi ijs, qui ueram Euangelij doctrinam rectè cognoscunt, inferat. Quod igitur ad eam attinet traditionem, qua nobis Sacra scriptura commendata est, manifestè seiunxi eam in Prolegomenis ab alijs generibus traditionũ. Non enim

enim unum tantum traditionum genus est. Et aliæ traditiones aliam habent rationem. Præcipua omnium est ea, quæ nobis in manus tradidit Scripta Prophetica & Apostolica. Hæc traditio non est humana, sed diuina, & cœlestibus testimonijs confirmata. Nec habet principaliter autoritatem ex eo, quòd Ecclesia ipsam agnoscat, sed quòd ipsissima per se sit ueritas, cœlestibus miraculis, & euentibus Prophetiarum, ac uaticinijorum, quæ in his scriptis continentur, denique multis alijs firmis rationibus testificata.

Quare hac Traditione nihil est certius, nihil stabilius, & qui ei pertinaciter contradicit, non iam ad hominũ, sed Diabolorum cœtum pertinet. Vnde & quæcunque alia traditio, cum ijs, quæ in hac continentur, pugnat, nõ est pro Prophetica aut Apostolica, sed pro diabolica agnoscẽda.

Huc quoque referendum est uulgatum illud Augustini, quod est in ore omnium Papistarum, sed falsò intellectum. Ego uero, inquit Augustinus, Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas.

Primùm enim, Augustinus non loquitur de ea Ecclesia, quæ his temporibus uendicat sibi nomen catholicæ Ecclesiæ, hoc est, de Papistarum Ecclesia. Hæc enim non est uera catholica Ecclesia, quemadmodum alijs clarè & perspicuè demonstrauimus: sed loquitur de Ecclesia, quæ iam inde fuerat ab initio orbis terræ, & postea reuelato Christo colligebatur ex omnibus gentibus per prædicationem Euangelij. Hæc audierat Prophetas, audierat filium ipsum Dei, audierat Apostolos eius, uiderat cœlestia miracula, quæ & Prophetæ, & Christus & Apostoli, ad confirmandam doctrinam, quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis continetur, edebãtur: uiderat impleta ea uaticinia, quę in his scriptis adnunciata erãt. Itaq; excitata Spiritu sancto amplectebatur & ipsa hãc doctrinam, & testificabatur alijs, eam esse certissimã ueritatem. Quare sicut autoritas huius Ecclesiæ meritò debet nos commouere, ut credamus Euangelio, ita & eadem eiusdem Ecclesiæ autoritas commouere nos debet, ne recipiamus & agnoscamus ullas alias traditiones, siue Pontificum, siue Conciliorum, quæ cum Euangelio seu scriptis Propheticis & Apostolicis non conueniunt.

Deinde Augustinus non sentit hanc scripturã ideo esse ueram & certam, quòd Catholica Ecclesia eam agnoscat, & de ea testificetur, uidelicet, quòd ea non esset uera & certa, si eã homines non agnoscerent, sed quòd catholica Ecclesia ideo eam scripturam agnoscat, & de ipsa testificetur, quòd sit per se uera & certa, ac diuinitùs confirmata. Quare non est, quòd Papistarum colluuies blandiatur sibi hoc dicto Augustini, & arroget sibi autoritatem ac dominationem supra scripturam.

Aliud est traditionum genus, earum uidelicet, quæ & si non continentur in Sacra scriptura iuxta τὸ ῥητὸν & ad uerbum, continentur tamen in ea iuxta τὴν διάνοιαν, hoc est, sententiam. Talis traditio est Symbolon, quod uocant, Apostolicum. Hoc enim & si non scribitur in libris Propheticis & Apostolicis tali dictionum serie, quali solet recitari, tamen singuli eius articuli habent singula sua certa & aperta in his scriptis testimonia. Talis est etiam traditio uocabuli ὁμοούσιον, quod non inuenitur quidem in Euãgelio hoc literarum ordine scriptũ, significatio autem, seu sententia eius certò & manifestè in scriptura continetur. Talis traditio est Baptismus infantiũ, qui etsi non mãdatur in scriptura his uer-

bis,(Infantes sunt baptisandi,)tamen habet sua certa & firma in scriptura testimonia. In hunc traditionũ ordinem referri etiam debent ea dogmata, quæ Concilia piorum Episcoporum,non autoritate suarum mitrarũ, sed certis & firmis sacræ scripturæ testimonijs, aduersus impietatem hæreticorum explicuerunt,& defenderunt.

Huc pertinent quoq; tam pia scripta,quàm piæ homiliæ, & conciones quibus Ecclesiastici doctores,ac ministri libros Propheticos & Apostolicos,iuxta analogiam fidei,ex collatione Scripturæ explicant. Hoc genus traditionum est agnoscendum,quòd fundamẽtum suum in scriptis Propheticis & Apostolicis habeat,& commendetur nobis illo dicto Christi: In cathedra Mosi sedent Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque iusserint(uidelicet iuxta legem Mosi,)uos seruare,seruate.Et;Qui uos audit,me audit.

Tertium genus traditionum est earum , quæ ἀδιαφόρως dicuntur, de quo genere Paulus dicit: Qui curat diem , Domino curat,& qui non curat diem,Domino non curat. Qui uescitur, Domino uescitur:gratias enim agit Deo. Qui non uescitur , Domino non uescitur , & gratias agit Deo.De hoc genere scribit & Augustinus, Totum hoc genus,inquiẽs, liberas habet obseruationes.

Quartum genus est earum traditionum, quæ non solum non habent testimonia sacræ scripturæ,uerumetiam pugnant cum ea.

De hoc genere fatetur Sotus ipse, quòd nulla traditio pugnans cũ scriptura sit recipienda.Nunc igitur uide mihi quibus Sophismatis Asotus, aut Logodædalus eius in tractanda ratione traditionum ludat. Primùm enim,cùm Paulus dicat: Tenete traditiones, quas didicistis,siue per sermonem,siue per epistolam nostram,exclamat Asotus,An nõ uides Traditiones à scriptura probari? Sed heus tu uicissim bone scilicet uir, Num unum tantum genus est Traditionum? Et, Num indiscriminatim omnia traditionum genera à Paulo probantur ? Sed nec tuipse concedis,si modo ex animo loqueris,ut ficticiæ,& cum scriptura pugnantes traditiones recipiantur. Deinde,cùm scriptura sacra tradita nobis sit à maioribus,& ego hanc traditionem ita agnoscam,ut affirmem pro ea tanquam pro aris & focis pugnandum esse, uociferatur Asotus,me mihi ipsi contradicere,& eo ipso,quo reijcio traditiones,probare.Quid est Sophisma, si hoc non est? Ego unum & alterum genus traditionum probo.Autigitur mihi contradico,aut omnia traditionum genera probo? Quid insulsius? Ego unum & alterum Fraterculum , ut honestum,laudo. Autigitur laudo omnes Fraterculos manifestè sceleratos & impios hypocritas, aut cùm hos reijcio, contradico mihi ipse? Sycophanta,Non unum est genus traditionum , quemadmodum suprà exposui. Laudo eam , quæ certa , quæ à Spiritu sancto confirmata est,& quæ scriptis Propheticis & Apostolicis est consentanea . Interea autem,reijcio & damno uestras ficticias , & cum Scriptura pugnantes traditiones. Hæccine est contradictio? Sic quidem uidetur uertiginem patienti. Postremô, quia Ioannes dicit, Iesum multa fecisse signa , quæ non sunt scripta , & ego fateor , Apostolos multa tradidisse , quæ non sunt literis comprehensa , idcirco existimat Sotus suas traditiones,non tam Ioannis,quàm meo quoque testimonio comprobatas. Quid igitur dicemus? Quid? nisi Sotum cæcitate & furore mentis ita percussum , ut palpet in meridie , sicut cæcus in tenebris . Quæso te , Num quia Iesus quædam fecit,

& Apostо-

& Apoſtoli quædam tradiderunt, quæ non ſunt ſcripta, idcirco ſequitur, aut multa non eſſe ſcripta, quorum tamẽ cognitio pertinet ad æternam noſtram ſalutem, aut Chriſtum & Apoſtolos feciſſe & tradidiſſe nonnulla, quæ cũ ſcriptis pugnent? Nos uerò manifeſtè demonſtrauimus, quòd & ſi nec dicta, nec facta omnia Chriſti & Apoſtolorum eius ſunt literis mandata, tamen ea, quæ ſcripta ſunt, ad cognoſcendam uiam ueræ & æternæ noſtræ ſalutis ſufficiunt. Electa ſunt, inquit Auguſtinus, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere uidebantur. Nam quæ Sotus in hunc Auguſtini locum, in ſcorijs ſuis effutit, refutata ſunt in Prolegomenis. Deinde, quæ inſania, quis furor eſſet dicere, Chriſtum & Apoſtolos ſermonibus ſuis tradidiſſe alia, quæ cum Scriptis Propheticis & Apoſtolicis pugnent? Non igitur nunc quæritur, Vtrum ne ſint aliquot traditiones, quæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis expreſſè non continentur, Sed illud quæritur, Vtrum ne Traditiones, quas uos obtruditis nobis pro Apoſtolicis, ſint ueræ Apoſtolicæ? Vtrum ne agnoſcendæ ſint traditiones, quæ cum illis ſcriptis pugnant? Vtrum ne per ueſtras commenticias traditiones, illa ſcripta ſint interpretanda? Hæc illa ſunt, de quibus inter nos controuertitur. Ac Sotus quidem ipſe fatetur, quemadmodum dictum eſt, traditiones ficticias, & pugnantes cum ſcriptura non eſſe recipiendas, quod & uerum agnoſcimus. Illud autem falſum eſt, quòd ſcribit, non omnem traditionem ad regulam ſcripturæ exigendam. Nam & ea traditio, qua nobis ſacra ipſa ſcriptura commendatur, ad ſcripturam eſt exigenda, quemadmodum aliâs demonſtratum eſt: & ſi non eſt ulla traditio, quæ pugnat cum ſcriptura, recipienda, certè omnis traditio ad ſcripturam erit exigenda, num cum ea pugnet, an conueniat. Falſum & illud eſt, quòd quas enumerat inter Apoſtolicas traditiones, de ſacrificio altaris, de Inuocatione Sanctorum, & de alijs id genus dogmatis, ueræ ſint Apoſtolicæ. Demonſtrauimus enim iam antè, quòd cum Apoſtolica doctrina, quæ Apoſtolicis ſcriptis continetur, pugnent.

Sed cùm Pontificij defenſores diu quouis uento circumlati fuerint, tandem eò euadunt, ſe nobiſcum rixari, non de ſcriptura, quam agnoſcant eſſe oraculum Spiritus ſancti, ſed de ſenſu ſcripturæ: Senſum autem petunt, non è ſcriptura, ſed è ſcrinio Pectoris Pontificij, & conſenſu Pontificiorum Prælatorum. Quæſo igitur te, optime mi Lector, num hæc hominum colluuies reliquam nobis faciat ſcripturam ſacroſanctam & inuiolatam? Nullam certe, nullam, inquam, nobis relinquunt. Neque id obſcurè ſignificant. Sotus dicit ſcripturam eſſe præceptorem « mutum, literam occidentem, literam mortuam, dubiam, obſcuram & « ambiguam. Et aliâs, Verbum Dei tanto dignius à Deo tradi, quanto re- « motius ab omni ſcriptura, imò etiam ab omni uocali uerbo cordibus in- « funditur. Et iterum, Illud, inquit, ſtatuatur, ut certiſsimum, quòd hoc ſcri « bendi diuina uerba atq; reuelatiões conſilium, ob imperfectionem & in- « firmitatem humanam eſt excogitatum à Deo. Atq; infirmioribus & im- « perfectioribus magis expediens, ſanctioribus uerò & purioribus, aut mi « nus, aut nullo modo neceſſarium. Miranda hominis inconſtantia. Aliâs « ſimplices & imperfectos arcet à ſtudio ſcripturæ, & dicit, doctioribus & perfectioribus propriam eſſe ſcripturæ lectionem: nunc autem dicit eam imperfectioribus & infirmioribus traditam. Quid ergo? illud, ni fallor, uult dicere. Scriptura data eſt uillanis tantum paſtoribus, qui ſunt

imperfecti,ut recitent aliquoties ex ea agricolis suis aliquam pericopen. Nobis autem spiritualibus Prælatis,nobis illuminatis Fraterculis,qui sumus in statu perfectionis,aut minus,aut nullo modo est necessaria.Nam
» hanc esse Soti sententiam probat aliâs:Nos meritò,inquiens,dicere posu-
» sumus,legem gratiæ, Testamentumq; nouum non necessariò egere ullis literis,sed NATVRA sua infusum cordibus per Spiritum sanctũ. Hîc ergo obserua mihi quæso hominis μανίαν & hæresin,quam uocant, Suencofeldianam. Dicit legem gratiæ, seu nouum testamentum NATVRA sua cordibus infusum per Spiritum sanctum. Itáne solet Spiritus sanctus sua dona in corda hominum effundere, sine ullo externo organo? sine lectione scripturæ,uel auditu uerbi? Agnosco quid Deus absoluta sua omnipotentia ualeat.Nunc autem quæritur de generali & ordinaria Dei actione. Certè,si hanc,ut debemus,considerauerimus, Paulus rectè quidem uocat Corinthios Epistolam Christi,sed addit:submini stratam à nobis. Quomodo subministratam? Num gesticulatione manuum? Num nutibus? Num ostensione huius externi firmamenti? Sic Corinthij nunquàm didicissent Christum, Sed prædicatione Euangelij, & explicatione scripturæ, in qua Euangelion continetur, sicut dicit:Segregatus in Euangelion Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.Et aliâs copiosè demõstratum est,scripturam esse Organon,quo Spiritus sanctus in lectores ac auditores eius,dona sua effundere soleat. Vt autem sciamus Impietatem in deijcienda scriptũræ autoritate sibi consentientem esse, repetendum & hîc est paucis, quod suprà ex Cusano commemorauimus.Is enim affirmat, Apostolos non tradidisse fidem per scripturas,(id quod falsissimum est)sed per uocalem,(sic enim loquitur)impressionem breuissimi Symboli. Et, Scripturas esse ad tempus adaptatas,ac uariè intellectas, ita ut uno tempore secũdum currentem uniuersalem ritum exponeretur,mutato ritu,iterum sententia mutaretur. Et,Mutato iudicio Ecclesiæ, mutari & Dei iudicium. Hæc profectò omnia eò tendunt,eò spectant,non ut aliquam,eamq; perspicuam,sed ut prorsus NVLLAM habeamus scripturam.Subijcere enim interpretationem scripturę ijs,qui ipsi affirmant,sibi non esse necessariam fidem, charitatem & gratiam spiritus sancti,ut ad Ecclesiam pertineant,quemadmodum in Assertione sua Sotus scribit, & qui sentiunt,licere scripturam ad tempus & locum adaptare, ac uariè intelligere,adeoque quoties uisum est,iudicium & interpretationem mutare, quid,obsecro,aliud est,quàm nomen quidem scripturæ retinere,rem autem ipsam prorsus è medio tollere, & Ecclesiam filij Dei extremo æternæ suæ salutis periculo obijcere. Cùm igitur Pontificia colluuies sacram scripturam horribili infamia turpificet,& abijciat,ac ad uaniſsimas suas traditiones tanquam ad sacram anchoram properet, prohibere quidem non possumus, quo minus suis ipsi delicijs fruantur, cauere autem summo studio debemus,ne nos tantæ impietatis participes reddamus:sed quantò contumeliosius illi sacram scripturam deijciunt, & traditiones suas extollunt, tanto acriori nos cura & diligentia in scripturam incumbamus, ut eam, diuinitùs adiuti,non solum ab impijs Fraterculis,& uanis eorum traditionibus inuiolatam conseruemus, sed etiam ueram eius sententiam ex ipsa,per Spiritũ sanctum cognoscamus,& ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu,erudiamur.

DE

De Summo Pontifice.

CVM Sotus in sua opinata defensione mentionem Luthe ri faceret, ac scurrilibus eum conuicijs & mendacijs fœda re conaretur, uociferatur scripta eius tam plena esse Sana/ tici spiritus, ut non dubitem, (inquit) pudere Brentium discipulum eius se dicere. Admirandum uerò mihi uide/ tur, quid nunc contigerit Soto, quòd cùm aliâs in causa æternæ suæ salu/ tis dubitare soleat, num certò habeat remissionem peccatorum & Spiri/ tum sanctum, hac in re, quæ ipsi ad salutem eius prorsus nihil pertinere ui detur, & in qua liceret impunè dubitare, se non dubitare palàm affirmet.

Equidem nollem sciens ac uolens, eius hominis, qui Satanico, & sicut Sotus loquitur, Luciferino esset spiritu, discipulus esse, sed ut dicã me Lu/ theri discipulum, (quatenus quidem homo hominis discipulus esse de/ bet,) nunquam me pudebit, & Sotus opinione sua longè fallitur.

Agnosco enim Lutherum Sanctæ memoriæ uirum, non solum insi/ gni pietate præditum, uerumetiam diuinitùs excitatum, ac heroico, & ut Dauid loquitur, principali spiritu præ alijs ornatum, ut his tempori/ bus uniuerso orbi tam uestram, Sote, fraterculorum impietatem, quàm Romanorum Pontificum tyrãnidem & idolomaniam, adeoq; uestrum Papatum, ex tot prælatis, sacrificulis, Monachis, & fraterculis à Satana cõ flatum, uerum esse antichristianismum, patefaceret.

Quare ago Deo Patri Domini nostri Iesu Christi summas gratias inde sinenter, quòd mea ætas in ea tempora inciderit, quibus, autore quidem Spiritu sancto, præceptore autem, & demõstratore Luthero, ex una par te uerum Christum filium Dei, ex altera autem uerum antichristum, filiũ Satanæ, agnoscere licet, ac oro Deum, ut quod in reuelando illo perditio nis filio cœpit, ad illustrandam maiestatem æterni sui filij, Domini nostri Iesu Christi, unici nostri seruatoris, absoluere pergat.

Hæc idcirco præfari uolui, ut statim ab initio huius loci Sotus perspi/ cuè intelligat, quò sentiamus nos abduci, cùm nos à scriptura, tanquam dubia, obscura & ambigua, ad suorum Pontificum traditiones & decre/ ta uocat.

In hac enim disputatione de summo Pontifice, non illud quæritur, Num inter ministros Ecclesiæ habendus sit suus ordo, & alter alterum honore præuenire debeat? Quanquam enim omnes Ecclesiæ ministri essent eruditione, & dignitate æquales, tamen in conuentu non possent omnes primo loco sedere, & primi sentẽtiam dicere, sed necessarium est, ut unus quispiam eorum primum occupet locum, & uel alios de senten/ tia sua interroget, uel ipse suam primus dicat. Non enim, inquit Paulus, confusionis est autor Deus. In cõuentu igitur ministrorum Ecclesiæ, per se non est impium, ut presbyter diacono, episcopus presbytero, archiepi scopus Episcopo, & summus, (quem ita uocant) Pontifex reliquis omni/ bus præferatur. Talem enim ordinem uisum est ueteribus inter Ecclesiæ ministros instituere. Itaq; ueteres episcopi per se nõ impiè fecerunt, quòd prætulerint sibi quondam Romanum Pontificem, ut & ordo & unitas cõseruarentur. Nec peccat, meo quidem iudicio, si quis hac ratione eum, qui reliquis præsidet, caput Ecclesiæ uocauerit.

Deinde, nec illud quæritur, Num Pontifici pia docenti, & præcepta

Domini Dei nostri exigenti, sit obediẽdum. Manifestum enim est, quòd sit obediendum, non summo tantum Pontifici, uerumetiam infimo diacono, si docuerit ea, quę Christus filius Dei docere iussit. Vnde & ueteres rectè dixerunt, si modo rectè intelligatur, Eum, qui adhæret cathedræ Petri, non errare. Cathedra enim Petri non est propriè intelligenda Romana sedes, sed doctrina Petri, quàm à Christo accepit, & in totum orbem uulgauit, cuius etiam conciones adhuc in Actis Apostolicis, & in Epistolis eius extant. Qui ergo sic adhęret cathedræ Petri, ut Euangelion, quod Petrus de Christo prædicauit, agnoscat, & sequatur, nõ errat. Hinc etiam est, quòd quisquis siue Põtifex summus, siue diaconus infimus, docuerit Ecclesiam, aut etiam paterfamilias domesticam familiam, Euangelion Christi, quod & Petrus, mandato Christi prædicauit, possit dici Vicarius Christi, & successor Petri. Non igitur controuersia est præcipuè de epithetis ac nominibus.

Sed illud quæritur, Num Romani aut summi Pontifices, (quales quidem multis iam annis fuerunt, & adhuc hodieq; sunt,) tyrannidem in Ecclesia exerceant, impia doceant, Idolomaniam & magiam defendant, adeoque cum Christo ipso, & Euangelio pugnent? Et num Ecclesia necesse habeat talibus Pontificibus obedire, impia eorum decreta approbare & sectari, tyrannidi eorum subiecta esse, ac eos pro summis Ecclesiæ capitibus ueris, Vicarijs Christi & successoribus Petri agnoscere & uenerari? De hac re in præsentia nobis dicendum erit. Ac uideo quidem, quàm uastum mare ingrediar, sed Sotus sua opinata Assertione & Defensione effecit, ut sperem me non ita longo interuallo ex hoc mari magno & spacioso enauigaturum. Sotus enim proposuit orbi Epitomen eius impiæ, idolomanicæ, & magicæ doctrinæ, quam teste Soto ipso summi Pontifices una cum satrapis suis non tantum approbant, uerumetiam quoquo modo possunt, defendunt ac tuentur. Quæ doctrina his ferè capitibus constat. De reliquo peccato in renatis, De libero arbitrio, De Iustificatione, De Lege, De Euangelio, De meritis operum, De Baptismo, ac reliquis Sacramentis, De Chrismate, De sacrificio Missarum, De satisfactione pro peccatis, De inuocatione Sanctorum, & adoratione statuarum, De Purgatorio, De uotis Monasticis, Deque multis alijs rebus, quas infinitum esset enumerare. In his enim, quam impietatem, idolomaniam, & Magiam doceant, & designent Pontifices, Sacrificuli, Fraterculi, & uniuersa Papistica colluuies, manifestè & perspicuè in nostra Apologia ostendimus, ac testimonijs Scriptorum Prophetico rum & Apostolicorum, ac etiam ueteris & purioris Ecclesiæ comprobauimus. Nihil minus quidẽ, Soto, & reliquo Pontificio cœtu iudice, quàm ut ipsos impietatis conuincamus, facere posse uidemur. Nos autem iudicia eorum, qui non sacram scripturam, sed suas uanissimas traditiones, & excogitaticias nugas, pro certissima fidei regula habent, nihil moramur, sed prouocamus ad iudicium omnium piorum, ad iudicium Spiritus ipsius sancti, qui sententiam suam in Sacra scriptura, tam aperte, tam luculenter testificatus est, ut ne Angelo quidem aliud tradenti cedendum sit. Nec dubitamus, quin filius Dei sedens ad dexteram Patris sui, hanc Spiritus sancti sententiam ita sit defensurus, ut & si aliquandiu ad prosperum successum impiorum conniuere solet, tamen sinat potius fractum illabi orbem, quàm ueritatis lucem perpetuò obscurari.

Deinde, summi Pontifices, non hac tantum parte impij sunt, quòd defendant

fendant eam impietatem, quam Sacrificuli & Fraterculi eorꝝ in ijs Christianæ doctrinæ articulis, quos paulò antè commemorauimus, palàm & impudenter tradunt, uerumetiam illa parte, quòd sumant sibi illegitimam, impiam, crudelem & tyrannicam, in Ecclesiam filij Dei potestatẽ. De qua re operæprecium est testimonia eorum ipsa audire.

Innocentius 3. In Decretal. C. Solitæ. De maioritate & obedientia. De loco Petri, Subditi estote omni humanæ creaturæ, &c.

Scribebat, (inquit Innocentius) Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. Nam si per hoc quod dixit (Subditi estote) sacerdotibus uoluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationis autoritatem auferre, quibus eos subiectos esse monebat, sequeretur ex hoc etiam, quòd seruus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cùm dicatur, Omni humanæ creaturæ. Quod autem sequitur, Regi tanquam præcellenti, non negamus, quin Imperator præcellat in temporalibus, illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia, Sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quãto anima præfertur corpori.

Pontificalis interpretatio scripturæ.

Scilicet Pontifices nõ suscipiunt ab imperatore temporalia.

Et paulò pòst.

Potuisses autem prærogatiuã sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus uidelicet, qui erant in Anathot. Ecce constitui te super gentes, & regna, ut euellas, & dissipes, ædifices, & plantes, &c. Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, uniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, (id est) spiritualibus, maior est. Quæ uerò carnalibus, minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

Et iterum.

Nobis autem in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino, Pasce oues meas, non distinguens inter has oues, & alias, ut alienum à suo demonstraret ouili, qui Petrum & successores ipsius, magistros non recognosceret, & pastores, Vt illud tanquam nouissimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c. Nihil excipiens, qui dixit, Quodcunq; &c.

Ex his principiò obserues, quòd Pontifex eximit se & suos ab omni obedientia legitimi magistratus, quam tamen Spiritus sanctus ab omnibus (ut Paulus loquitur,) animabus exigit. Deinde, Pontifex significat se sua temporalia nõ habere ab Imperatore. Quid ergo iactat donationem Constantini? Præterea Pontifex extollit se non tantum supra priuatos homines, uerumetiam supra omnem regiam dignitatem, & cõfert se Soli, Regẽ autem Lunæ. Hinc Glossa addit: Cùm terra, inquiens, sit septies maior luna, Sol autem octies est maior terra, restat ergo, ut Põtificalis dignitas quadragesies septies sit maior regali dignitate.

Quid est detestanda arrogantia, si hæc non est? Christus enim dicit: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, be

nefici uocantur. Vos autem non sic, &c. Postremò, Pontifex omnia dicta Sacræ scripturæ, quæ in hoc decretali citat, interpretatione sua deprauat, & ad stabiliendam suam tyrannidem peruerse inflectit, quemadmodum aliâs perspicuè demonstratum est. Quod, ut in priuato interprete est abominandum, ita in Pontifice execrandum.

Idem, c. Per uenerabilem. Qui filij sint legitimi.

In quibus, cùm aliquid fuerit difficile, uel ambiguum, ad iudicium est Sedis Apostolicæ recurrendum, cuius sententiam, qui superbiens contempserit obseruare, mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam uelut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam, ut plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens ait: Nescitis quoniam Angelos iudicabitis, quanto magis secularia? Quod Paulus de omnibus pijs in Christum credentibus intelligit, significans eos tanta esse coniunctione cum Christo, ut unà cum ipso in nouissimo die sint iudicaturi orbem terræ, tam homines, quàm angelos, hoc Pontifex ad stabiliendam plenitudinem suæ solius potestatis, quam sibi fingit adhuc in hac terra existens, non in homines tantùm, uerumetiam in Angelos habere, scelerate accommodat. Hoc idem significat Hiltebrandus, cui Pontifici nomen fuit Gregorio septimo, qui, autore Platina, in ea execratione, qua Regem Henricum diris deuouet, Petrum & Paulum inuocat, ut iudicium in Henricum citò exerceant. Et quia iactat se esse horum Apostolorum successorem, sentit etiam se eandem habere potestatem, quam ipsis affingit. Audiamus igitur.

Gregorius septimus apud Platinam.

Hanc ob rem (inquit) fidens in Dei iudicio & misericordia, inque patrocinio beatæ Virginis, fultus etiam autoritate uestra, Ipsum Henricũ, eiusque fautores, uinculo anathematis colligo, atque iterum regiam ei potestatem adimo, interdico que Christianis omnibus illo iuramento absolutis, quo fides regibus dari consueuit, ne Henrico ulla in re obtemperent.

Ac mox.

Agite igitur, Apostolorum sanctissimi Principes, & quod dixi, uestra autoritate interposita confirmate, ut omnes nunc demum intelligant, si potestis in cœlo ligare, & soluere, in terra quoque, imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare uos posse. Si enim quæ ad Deum pertinent, iudicare potestis, quid de his inferioribus & prophanis censendum est? Et si ANGELOS dominantes superbis principibus uestrum est iudicare, quid in seruos illorum facere uos decet?

Extat & aliud Pontificiæ potestatis exemplum apud autores, & recitatur ex Bulla Clementis Sexti, de anno Iubilæo.

Clemens Sextus.

Concedimus, inquit, quòd si uerè cõfessus, in uia moriatur, quòd ab omnibus peccatis sit immunis penitùs, & absolutus. Et nihilominus prorsus mandamus ANGELIS Paradisi, quatenus animam à Purgatorio penitùs absolutam, in Paradisi gloriam introducant &c.

Et in alia Bulla.

Nolumũs (inquit) quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur. Concedimus insuper cruce signatis, ad eorum uota, tres aut quatuor animas, quas uellent, è Purgatorio posse eripere &c.

Hæc

Hæc eò cõpiosius recitaui, ut lector sciat, unde petitum sit illud, quod Confessio Principis de summo Pontifice commemorat. Sunt, inquiens, qui tribuunt Romano Pontifici, quòd sit caput uniuersalis Ecclesiæ, & habeat potestatem non in terris tantùm constituendi regna Politica, & gubernandi Ecclesiastica, uerumetiam in cœlis mandandi Angelis, liberandi animas è Purgatorio, & beandi ac damnandi quos libet. Sotus autem, ut uanitatem suam orbi cognoscendam propinet, ad hæc uerba Confessionis, (In cœlis mandandi Angelis) adscribit in Scorijs suis: Hoc iam (inquiens) apertè calumnia est, & Sycophantia. Super terram fatemur Papam potestatem habere. In hac tantum Christi uicarius est. Paulus dixit, Angelos iudicabimus, sed illud ad dæmones magis referunt Patres. Hactenus Sotus. Vides ergo, optime Lector, Sotum, aut imperitum esse rerum à Pontificibus suis gestarum, aut pudere mendaciorum, quæ hactenus de Pontificia potestate, à Pontificibus ipsis, & Fraterculis eorum sunt uulgata. Sed pergamus in hoc argumento.

Bonifacius octauus, lib. 6. Titulum De constitutionibus sic incipit.

Licet, inquiens, Romanus Pontifex, qui iura OMNIA in SCRINIO pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscatur, &c.

In hoc loco Põtifex dicitur habere omnia iura in scrinio pectoris sui. Quid igitur, iuxta Pontificios, aliud reliquum est, quàm ut Pontificem, æqualem Iesu Christo filio Dei Domino nostro, de quo Paulus ait, quòd in ipso sint omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, suspiciamus & adoremus.

Sed extant etiam alia testimonia æqualitatis Pontificiæ cum Christo filio Dei.

Antoninus Archiepiscopus parte 3. Ti. 22. cap. 16. Verba legati Florentini, ad Calistum eius nominis Tertium.

Quis sanctum, (inquit Legatus) esse dubitet, quem apex tantę dignitatis attollit? Aut enim claros ad hæc fastigia eligit, aut qui eliguntur illustrat. Tu igitur Sacerdos & magnus, & Pontifex summus. Tu princeps Episcoporum, & hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu arca Nohæ, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, autoritate Moses, Iudicatu Samuel, Zelo Elias, Mansuetudine Dauid, Potestate Petrus, Vnctione CHRISTVS. Verè igitur mirabilis es ualde domine, & facies tua plena omnium gratiarum, inquit Sancta regina Esther (Ecclesiam signans) ad Assuerum Monarcham, beatitudinem interpretatum. Ideo enim mirabilis ualde, quia cœlestium, terrestrium & infernorum Dominus. Cœlestium scilicet, propter perfectorũ Sanctorum catalogo ascriptionem. Terrestrium, ex utriusque gladij ampla iurisdictione. Infernorum autem, propter animarum ab inferis per indulgentias eductionem. Tibi denique traditæ sunt claues Regni cœlorum, nec nisi per te huius gloriosæ domus origine facultatis mysterialis aditus patet. Quamobrem fidelium quilibet habet dicere: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, per potestatem uidelicet tibi traditam à saluatore nostro Iesu Christo.

Idem Antoninus parte 3. Tit. 22. cap. 17. Verba legati Florentini Ad Pium eius nominis secundum.

Vbi uenit, (inquit Legatus) plenitudo temporis, quo Christus fundauit Monarchiam suam, atque perfecit precioso eius sanguine purpuratam, nec non & Principis Apostolorum, cum Apostolicis cunctis per trecentos & decem annos, uel circa, martyrio coronatam, innumerabiles quoque turbæ cuiuscunque ætatis, sexus, conditionis & status, tunsionibus & pressuris elimatam & decoratam, signis & prodigijs innumeris roboratam. Exinde tunc usque occultatam ad ipsam toti orbi propalandam, Constantini religiosissimi imperatoriam maiestatem gloriosus Deus sollicitauit, in dominio cedens Syluestro, ut Christi uicario, pro ut debebatur ex iure omnino. In hac autem cessione spirituali, Ecclesiæ dominium adiunctum est temporali, Spirituali nihilominus in suo uigore manente, quia ipsum primò & per se à cunctis est exquirendum. Temporale uero secundariò, & ut organicè, fœlicitati deseruiens. Sicque beato æternæ uitæ clauigero TERRENI simul & COELESTIS imperij Dominus iura commisit, ut dicitur in Canone, d. 22. Omnes. Et ex duobus Ecclesiæ collatis gladijs, alterum scilicet materialem in uaginam suam conuertere iussus est à Domino, Petrus illius usum dimittens dominio temporali ad uindictam malefactorum. Vnde non sine causa gladium portat, alium sibi retinuit, scilicet spiritualem, paratum ad ulciscendam omnem inobedientiam hominum, ut fœlici mucrone Episcoporum sacerdotum, & aliorum piacula resecetur. Quis igitur hominum linguis loquens, & etiam angelorum, explicare queat, aut quis exarare stylus longitudinem, latitudinem, & sublimitatem Apostolicæ Sedis & Ecclesiarum dominij & iudisditionis? Quippe cum gloria & honore coronato in Apostolico sedenti throno omnia subiecit Deus sub pedibus eius, ut eius uicario, oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Oues uidelicet fidelium, ad dextram Christi collocandas. Boues elatos hebræorum iugo literæ legis astrictos, & inde uictimandos. Pecora quoq; campi Ethnicos & iniquos, per latam & spaciosam uiam errorum & uitiorum proculdubio currentes ad gehennam. Insuper & uolucres cœli, uiros beatos, ut adorentur à cunctis, Sanctorum catalogo adscribendo. Demum pisces maris, animas defunctorum, qui perambulant semitas eius in amaritudinibus commorantes, ex aquis pœnalibus, per indulgẽtiam ex inferis educendo &c.

Sancti adorandi.

Hæ orationes de maiestate Pontificis, hoc est, de æqualitate eius cum Christo Domino nostro, non solum non sunt à Pontificibus & satrapis eius refutatæ, uerumetiam magno cum assensu auditæ, atque comprobatæ.

Sed uisum est etiam aliud Pontificiæ arrogantiæ exemplum, quod editum est à Pontifice Adriano eius nominis quarto, in Coronatione Imperatoris Friderici, recitare, & quidem uerba ipsa historiæ, ne quis mealiquid fingere existimet.

Helmoldus in Historia de Conuersione Slauorum, presbyter Ecclesiæ Lubecẽsis, quæ historia dicitur esse ante annos penè quadringentos conscripta, Cap. 81.

Rex (Fridericus) missa legatione per summos & honorabiles uiros accersiuit Dominum Adrianum Papam in castra propter participationẽ consilij. Siquidẽ Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergo eo in castra, Rex festinus occurrit, & descẽdenti de equo tenuit strepam, duxitq;

duxitq; per manum eum in tentorium. Facto autem silentio, locutus est Dominus Babenbergensis Episcopus uerbum ex ore Regis & Principum dicens. Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut iamdudum sitienter desiderauimus, ita nunc lætanter suscepimus, gratias agentes omnium bonorum largitori Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & sanctissima uisitatione tua dignos fecit. Notum ergo tibi esse cupimus, Reuerende Pater, quia omnis hæc Ecclesia de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerũt principem suum, prouehendum ad culmen Imperialis honoris, uirum nobilitate generis conspicuum, animi prouidẽtia instructum, uictoriis fœlicem, præterea etiam in his, quæ ad Deum pertinent, præpollẽtem, obseruatorem sanæ fidei, amatorem pacis & ueritatis, cultorem sanctæ Ecclesiæ, super omnia uerò sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam amplexatur, ut matrem, nihil negligens eorum, quæ ad honorem Dei, & Apostolorum principis exhibenda maiorum iubet traditio. Dat huic rei credulitatem humilitas nunc exhibita. Enimuero uenientem te suscepit intrepidus, & applicitus sanctissimis uestigijs tuis, fecit ea quæ iusta sunt. Restat ergo Domine pater, ut & tu circa ipsum peragas ea, quæ tua sunt, ut ea, quæ de plenitudine culminis Imperialis ei desunt, per Dei gratiam tuo opere supplean/tur. Ad hæc Dominus Papa respondit. Verba sunt, frater, quod loqueris. Dicis Principem tuum condignam Beato Petro exhibuisse reuerentiam. Sed beatus Petrus magis uidetur inhonoratus. Deniq; cum dexteram deberet tenere strepam, tenuit sinistram. Hæc cùm per interpretem Regi nunciata fuissent, humiliter ait: Dicite ei, quia defectus hic, non fuit deuotionis sed scientiæ. Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi. Enimuero ipse, ut memini, primus est, cui tale obsequium dependi. Cui Dominus Papa. Si quod facillimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima? Tunc Rex aliquantisper motus ait: Vellem melius instrui, unde mos iste inoleuerit, ex beneuolentia, an ex debito? Si ex beneuolentia, nihil causari habet Dominus Papa, si ualuerit obsequium, quod de arbitrio, non de iure subsistit. Quòd si dicitis, quia ex debito primæ institutionis hæc reuerentia debetur Principi Apostolorum, quid interest inter dexteram strepam, & sinistram, dummodo seruetur humilitas, & curuetur Princeps ad pedes summi Pontificis. Diu itaque, acriterque disputatum est. Postremò, discesserunt ab inuicem sine osculo pacis. Timentes ergo hi, qui columnæ regni esse uidebantur, ne fortè rebus inactis frustra laborassent, multa persuasione euicerunt cor Regis, ut Dominum Papam reuocaret in castra. Quem redeuntem suscepit Rex integrato officio. Hactenus Helmoldus uetus historicus. Hæccine putas tu in Pontifice esse humana, & non potius Satanica?

Stulta humilitas Cæsaris.

Arrogãtissima põtificis responsio.

Quid hoc de licto grauius?

O Papale iudicium.

Quid autem opus est, testimonia ex longinquo, & alijs scriptoribus, de maiestate Romani Pontificis, petere, cùm Sotus ipse hac in re obuias nobis manus porrigat. Quod enim Spiritus sanctus, in Esaia, Daniele & Petro, de Christo dicit, eum esse lapidem angularem, probatum, electum, & lapidem de monte præcisum, Et quod aliàs docet Christum esse Petram, qua fundata est Ecclesia, hoc Asotus transfert etiam in Petrum, & omnes eius successores, ut hac in parte non tantùm Petrus, uerumetiam omnes successores eius æquentur Christo Domino nostro.

„ Sic enim scribit Asotus. Hoc ultimo, (inquiens) loco posuimus, quod
„ quantum sentire possumus ultimum est, & uelut complemẽtum, & clau-
„ sura Ecclesiastici ædificij, ut meritò credamus ROMANVM PON
„ TIFICEM, lapidem illum esse angularem, probatum, electum, uicem
„ scilicet habentem illius, cui primo hoc conuenit, Christo lapidi præciso
„ de monte sine manibus, quem Daniel uidebat melius, quàm Nabucho-
„ donosor, confringentem & comminuentem regna omnia terrena, in
„ montem magnum creuisse, implesseq; terrã, montem, inquam, illum do-
„ mus Domini in uertice montium præparatum. Is uerè est fundamẽtum,
„ præter quod nemo potest aliud ponere, quod positũ est à Deo. Ipse loco
„ sui Petro inquit: Tu es Petrus, hoc est, Petra aut saxum, & super hanc Pe-
„ tram ædificabo ecclesiam meam. Quod, ut ostendemus, non illi tantum,
„ sed muneri atq; gradui eius, & ita successoribus dictum esse accipiendum
„ est. Nunc uerò in hoc principio, id quod ipse Petrus de Christo quàm ue-
„ rissimè dictum accipit, CREDIMVS MERITO AD IPSVM,
„ SVOSQVE successores, qua parte eius tenent locum, meritò referri de-
„ bere, ad quem accedentes, inquit Petrus fidelibus omnibus, lapidem ui-
„ uum, ab hominibus quidem reprobatum &c.

Et mox.

Hoc loco Sotus est Nestorianus.

„ Hæc omnia de Christo, inquit Petrus, illi plenissimè omnia conuẽni-
„ re, cognoscimus, & quædam illi soli, qui crediderit in eum, quod scilicet
„ illi, qua parte Deus est, conuenit. Creditis in Deum, ait, & in me credite.
„ Quæ uerò ex his ei, qua homo est, conueniunt, scilicet, Electũ esse à Deo
Pugnat Sotus cũ Innocẽtio 3. Qui in Ti. de Trãslatiõe Episcopi, c. Quãto, ita, scribit: Roman. Põt. non puri hois, sed ueri Dei uicẽ gerit in terris.
„ lapidem angularem, & fundamentalem, super quem ædificentur fideles,
„ illi meritò etiam intelligimus conuenire, cui dixit: Super TE ædifica-
„ bo Ecclesiam meam, illi, inquam, gradui & muneri, cui hoc Christus cõ-
„ cessit, nõ soli Petro hoc conuenire dicimus, qua ratione Christi gerit per-
„ sonam & uicem tenet. Hic est reuera lapis ab hominibus reprobatus, di-
„ splicet enim humanæ sapientiæ, displicet superbiæ eorum, qui in oculis
„ suis prudentes sunt, ut homo fragilis & imbecillis, quo nec eruditione,
„ nec moribus, nec ulla alia ratione inferiores sese iudicant, fundamentum
„ dicatur Ecclesiæ, &c. Hactenus Sotus.

Audis ergo, quòd doctore Soto, non solum sit magna pietas, uerum etiam singularis ratio compescendæ humanæ superbiæ, credere hominẽ fragilem, imbecillem, scortatorem, adulterum, incestuosum, pederasten, Sodomitam, uinolentum, Magum, necromanticum, ueneficum, homicidam, parricidam, schismaticum, hæreticum, ac omni scelerum genere obrutum, (Tales enim fuisse non paucos Romanos Pontifices, insignes scilicet Petri successores, historiæ testantur) esse Petram, fundamentum Ecclesiæ, lapidem uiuum, ab hominibus quidem, Nouatoribus illis, & contentiosis Theologis ac hæreticis, reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. Sic enim credere, multum expediens est, autore scilicet Soto, ad simul extollendam infirmitatem nostram, & demittendam superbiam.

Ac ne quid dubitemus ecclesiã fundatã esse loco Christi, super Petrꝝ, & Petro iam mortuo super Successores Petri, Roman. Pontifices, ut hi prorsus Christo sint ęquales, ordine quidẽ secundi, dignitate aũt, maiestate & potestate nõ impares, audiamus Sotũ paraphrastẽ uerborꝝ Christi: Tu es
„ Petrus, & super hãc petrã ędificabo ecclesiã meã. Aedificaturi, inqt Sotus,
„ solent nonnunq; aliquãto prius tẽpore primos fundamẽti lapides iacere,

& ipsa

& ipsa sola fundamenta aliquandiu sic imbribus & cœlo patentia, per-
mittunt, probanda quodammodo, & obduranda. Id uisus est Christus a-
gere, cùm hæc diceret Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædifica-
bo Ecclesiam meam, quia, inquit, super TE ædificanda est Ecclesia, iam
te in fundamento colloco. Accede igitur, (inquit) huc, hic est locus tuus,
adhære mihi, quem confessus es, ego sum firmissimus lapis, Innitere igi-
tur huic immobili, quam confessus es, diuinitati. Hic sit locus tuus, ut
proximus mihi factus, & coniunctus, sustinere possis Ecclesiæ solidissi-
mum ædificium &c. Habes hic, optime Lector, memorabile exem-
plum ambiguitatis scripturæ, Vnum est dictum Christi: Tu es Petrus,
& super hanc petram, &c. Et unum est in hoc dicto uocabulum, PE-
TRA, Sed Sotus inuenit in hoc uno uocabulo tria significata. Petra
enim nunc significat Soto Christum, nunc Petrum, nunc diuinitatem. In-
nitere (inquit Sotus) huic immobili, quam confessus es, DIVINI-
TATI. Itaque cum Petra significet Christum, & diuinitatem, iuxta So-
tum, ac Petrus assumatur à Christo, in æqualitatem officij Christi, ut sit
& ipse Petra, certè in æqualitatem quoque diuinitatis assumatur, necesse
est, ut iam autore Soto, discamus non tantum esse Trinitatem, uerumeti-
am quaternitatem, imò innumerabilitatem, propterea quòd quiuis Ro-
manus Pontifex succedat Petro in æqualitate officij & maiestatis. Quis
autem nouit, quot adhuc futuri sint Romani Pontifices, ut habeamus in
numeros Christos, Petras, Petros & Deos. O tempora, ô mores. Non mi-
hi si centum linguæ sint oraq; centum, omnia blasphemiarum genera,
quæ Sotus designat, percurrere possem.

Sed pergamus. Ne quis dubitet Petrum, & quemuis Successorem
eius, Romanum Pontificem, potestate & maiestate sua esse æqualem
Christo, recitat & explicat Sotus etiam illum locum apud Ioannem,
(Nam quæ somnia de illo dicto Christi ad Petrum, Vade post me Sata-
na, nugatur, prætereo) ubi Christus collocutus sum Petro de morte eius,
qua glorificaturus esset Deum, dixit ad Petrum, Sequere me. Et mox: Si
eum uelim manere, donec ueniam, quid ad te? TV me sequere. Hic,
sequere me, tantundem ualet Soto, ac si dixisset, Sequere me in hoc Magi
sterio & Prælatione. Hæc est obseruabilis huius loci interpretatio, ac nisi
fallor, accepta à Lyrano, Sed quod Lyranus addit, nescio quo cõsilio So
tus hoc loco omittit.

Lyranus enim affirmat Christum iussisse Petrum sequi se non tan-
tum in officio Prælationis, sed etiam exemplo martyrij. Itaq; lepida ualdè
est, & iucunda distributio, ut cùm Christus iusserit, (sicut illi aiũt) Petrum
sequi se tam magisterio prelationis, quàm exemplo martyrij, successores
Petri, qui post Constãtinum Imperatorem, Romanam Sedem occupãt,
hæc duo inter se & priores ita partiuntur, ut relinquant prioribus exem-
plum martyrij, ipsi autem posteriores reseruent sibi magisterium Præla-
tionis. Haud stultè sapiunt. Sed sic sancto ipsorũ spiritui uidetur. Hic ue-
rò occurrunt nobis in Soto aut Logodædalo eius, duo admiratione non
indigna. Alterum est, quòd aliâs inter traditiones non scriptas enumeret
Romanæ ecclesiæ, atq; Pontificis primatũ. Et tamen susçipit in præsentia
eum primatũ testimonijs scripturæ probandũ. Quid igitur dicemus? Nũ
uulgatum illud, Oportere mẽdacem esse memorem? Alterum est, quòd
Sotus tãtum sibi autoritatis sumere audeat, ut illud dictum Christi ad Pe-
trũ, Sequere me, interpretetur de magisterio Prælationis, quod tamẽ Io-

annes Euangelista ipse,Spiritu sancto præditus,& eius dicti præsens auditor intelligit & exponit tantum de exemplo martyrij, id quod textus ipse apertè conuincit,quantumuis reclamet Sotus, & omnes reliqui interpretes,quos sequitur.Sed huius rei facilis mihi uidetur dijudicatio & conciliatio.

Docuit enim Sotus,Scripturam esse ex traditionibus non scriptis interpretandam.Traditio autem extat non scripta, ut ipse quidem refert, Pontificem Romanę Ecclesiæ habere primatum omnium Ecclesiarum, hoc est,ut aliâs interpretantur, esse in terris Vicarium Christi, successorem Petri,habentem omnia iura in scrinio pectoris,& utrumq; gladium, ac hæredem esse omnium regnorum huius mundi.Breuiter, esse regem regum,& dominum dominantium. Quæ traditio, cum iuxta Pontificias interpretationes certissima sit,& maximè omnium perspicua, Scriptura autem dubia,obscura & ambigua, haud immeritò tantam lucem affert scripturæ,ut cùm in ea dicatur,Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,Et:Pasce oues meas.Et,Sequere me,intelligendum sit, Petrum & successores eius esse certissimum & infallibile fundamentum Ecclesiæ,& habere omnem potestatem in cœlo,in terra,in Purgatorio & in ferno.Quod adeo scilicet uerum est,ut cùm in Genesi dicatur: In principio creauit Deus cœlum & terram,significet iuxta traditionem non scriptam,In principio constituit Christus Petrum & successores eius in Ecclesia Romana,ut haberent utrumque gladium, cœlestem & terrenum, ac dominarentur super oues & boues,& uniuersa pecora campi,hoc est, super Iudæos & Ethnicos,ut condemnentur:super beatos ut adorentur: & super animas defunctorum,ut liberentur.

Quid nunc amplius desideramus? Hic habemus non tantum perspicuum commentarium uniuersæ scripturæ, uerumetiam potestatem omnem in urbe Romana & Apostolica Sede, ut si quid nobis agendum fuerit,siue in cœlo,siue in terra,siue in Purgatorio, siue in inferno,non sit opus dicere,quis nostrum ualet ad cœlum conscendere, aut mare transfretare? Sed non longè à nobis habemus Romam ac Sedem Apostolicam,è qua licebit nobis omnem nostram & nostrorum salutem petere, tantummodo prouideamus,ne clauis erret.

Prætereo multa axiomata,quæ de maiestate, & æqualitate Romani Pontificis,cum filio Dei,publicè in traditionibus extant,uidelicet:

Romanum Pontificem,

In Decretal. Tit. De trãslatione episcopi, cap. Quanto, in glosa.

1. Habere cœleste arbitrium.
2. Immutare rerum naturam,substantialia unius rei applicando alij.
3. Posse aliquid de nihilo facere.
4. Facere sententiam,quæ nulla est,aliquam.
5. Esse ei uoluntatem pro ratione, in his quæ uult.
6. Non esse,qui ei dicat,cur ita facis?
7. Posse de iniusticia facere iusticiam,corrigendo iura & mutando.
8. Obtinere plenitudinem potestatis.
9. Posse secundum plenitudinem potestatis de iure supra ius dispensare. Vide Decretal. Tit. De concessione præbendæ, cap. Proposuit,Et in glo.super uerbo, Dispensare.

Quid autem amplius dicemus? Quòd si libet pergere, & inuestigare maiestatem Romanorum Pontificũ,quales quidẽ iam multis annis fuerunt,

sunt, inueniemus eos non solum æquare, uerumetiam superare officium Christi filij Dei in his terris, ut uerè de ipso dicatur, quod est apud Paulum: Effertur aduersus omnem, qui dicitur Deus, aut numen, adeo, ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum. Nam Christus uenit in hunc mundum, non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret. Venit, non ut ipse alios iudicaret, sed proposuit se iudicandum. Quis uestrum, inquiens, arguet me de peccato? Et, Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni, ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum.

Vnde & cùm raperetur ad tribunal Pontificum, & principum iudicandus, & incesseretur maledictis, non regessit maledicta, ut Petrus ait, & cùm malis afficeretur, non minabatur, Sed tradidit uindictam ei, qui iudicat iustè.

Romani autem Pontifices, nullo modo patiuntur se ab alijs iudicari, sed recipiunt ad se, & in suam potestatem omne in his terris iudicium, ut iam maiorem sibi maiestatem in hoc seculo usurpent, quàm Christus unquàm in suo ministerio agnouerit.

Vt nunc omittam, quod suprà ex Innocentio retulimus, qui se & suos successores eximit ab ea obedientia, quæ ab omnibus debetur Politico magistratui, & cui Christus se ipse subiecit, cùm & tributum daret, & publicis legibus obediret.

Certè extant & alia manifesta Pontificum scripta, quibus sibi omne iudicium in his terris arrogant.

Paschalis, In Decretal. Tit. De Elect, cap. Significasti.

Aiunt in conciliis statutum non inueniri, Quasi Romanæ Ecclesiæ legem concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Roman. Ecclesiam autoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis, Romani Pontifices patenter excipiatur autoritas.

Gelasius, 9. q. 3. Cuncta.

Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi. Neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio

Et mox.

Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi &c.

d. 40. c. Si Papa.

Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens &c. Notus enim est Canon, & suprà aliquoties recitatus.

Quid autem multis opus? Sanctæ memoriæ Lutherus in hoc diuinitùs fuit excitatus, & heroico spiritu donatus, ut his temporibus patefaceret, ac testificaretur Romanum Pontificem esse uel Antichristum ipsum, uel præcipuum eius membrum, quem Spiritus sanctus uenturum prædixit, & Ecclesiam filij Dei uastaturum. Extant luculenta scripta Lutheri, quæ Romanum Pontificem, Antichristianismi, irrefutabilibus argumentis conuincunt. Quare non est uisum diutiùs in hoc loco commorari.

Quæ cùm ita se habent, quid nunc Sote Putas? Num ijs Pontificibus, qui & impia dogmata sequuntur, ac tuentur, & tyrannidem in Ecclesia exercent, erit obediendum? Fingamus interea Petrum esse petram, & fundamentum Ecclesiæ, Ponamus aliquot successores Petri fuisse

pios & honestos uiros,& uerè docuisse Euangelion filij Dei. Neq; enim nego,quin initiò fuerint Romæ Episcopi magna pietate prædíti, qui & ueritatem Euangelij suo ipsorum sanguine sint testificati.Nam quas eis Papistica colluuies epistolas affingit,palàm sunt commenticiæ. Illos autem,qui non solum impia,& pugnantia cum sacra scriptura docent,acty rannicãs propugnant,uerumetiam, cõuersi à Christianismo ad antichristianismum,piam doctrinam crudelissimè persequuntur,pro legitimis, & ueris Põtificibus agnoscendos, & ipsis obediẽdum esse,ne Sotus quídem ipse,quamuis alioqui impudentissimus,affirmare audet: Certè hæ„ resis,(inquit)& professio falsæ fidei,prælatum etiam legitimum priuat au„ toritate,& omnino ejicit ab Ecclesia.Et iterum. Hoc(inquit)ad rem esse, „ diximus superius,apertè falsam doctrinam sequentem Episcopum non „ esse agnoscendum in Ecclesia,Et aliâs. Quòd si Prælati nostri sunt hostes „ doctrinæ Apostolicæ,fatemur non esse agnoscendos. Et si Sotus maximè omnium negaret,conuinceretur tamen à sacra scriptura, quæ iubet Pseudoprophetas cauere,& duces cæcos fugere,& Angelos,imò & Apostolos aliud Euangelion pugnans cum eo,quod ex scriptura,per Apostolicam prædicationem adnunciatum est,& miraculis confirmatum,docentes, anathema dicere. Cui sententiæ adscribit se etiam Augustinus. Nec catholicis(inquiens)Episcopis consentiendum est, sicubi fortè fallũtur,ut contra Canonicas scripturas aliquid sentiant.Sed hîc quærit Sotus duo effugia.

Alterum est, quòd ait, Paulum dixisse quidem uerissimè,Si uobis & Angelus de cœlo euangelizet,præter quod Euangelisauimus,anathema sit,Non autem dixisse, Præter quod scripsimus. Quasi uerò Paulus alia, uoce dixerit,alia,scriptis mandauerit.Et licere quidem Angelis aut Prælatis aliquid statuere contra ea,quæ Paulus literis scripsit,non autem contra ea,quæ uoce dixit.Quid absurdius dici,aut etiam fingi potest? Nam quid illud sit,quòd Apostoli plura uerbis dixerint, quàm monumentis literarum mandauerint,suprà explicatum est. Et cùm fieri non possit,ut Apostoli tradiderint uerbis, quæ pugnent cum scriptis, illud agitur,ne Papistæ tradant & obtrudant nobis cum scriptis pugnantia.Nã quæ conueniunt, suo loco non mouemus.

Alterum Soti effugium est,quòd & si fatetur Episcopos falsam doctri„ nam sequentes,non esse in Ecclesia agnoscendos,tamen uociferetur,no„ uos hos doctores,(ut ipse loquitur)nihil de causa impiæ doctrinæ contra „ ipsos probasse,nulloq; legitimo iudicio eos conuicisse.

Vt respondeam,Fateor Sote,si scriptura sacra,quæ est oraculum Spiritus sancti,non est certissima regula fidei,ut uos quidem scribitis,& si non est aliud legitimum iudicium,quàm quod ex uestris laruis est cõflatum, & quod uestro ipsorũ testimonio constat, uestram impietatem nondum esse satis patefactam & illustratam.Sed tali effugio possent sibi non Iudæi tantùm & Turcæ,uerumetiam homicidæ, adulteri, & scelerati quíq; applaudere. Quid enim in religionis causa certi nobis relinquitur, si sacra scriptura non est certissima fidei regula? Et quis malam suam causam, suo ipsius testimonio deteriorem redderet? Nunc autem,quid uestræ impietatis,idolomaniæ,& Magiæ,testimonijs sacræ scripturæ,hoc est, Spíritus sancti,ac uetustioris & purioris Ecclesiæ, tam in hoc scripto, quàm multò copiosius & eruditius in alijs nostrorum scriptis,probatum,& cõuictum sit,iudicent pij quiq; lectores,iudicet Christus ipse filius Dei,quẽ

non

non dubitamus, etiamsi uestra multitudine, potentia & tyrannide in hoc seculo crudeliter opprimamur, causam suam haudquaquàm deserturũ. Reliquum igitur est, quòd cùm Romani Pontifices, defecerint, quemadmodum suprà ostendimus à uera pietate ad impietam, à uero cultu Dei ad Idolomaniam, à Christianismo ad antichristianismum, nõ solum non sint ut ueri Episcopi & pastores ecclesiæ agnoscendi, sed etiam tanquàm mancipia Satanæ cauendi & fugiendi.

At enim, dices, quid accidit Deo Patri, quòd tanto tempore conniuerit, ut ecclesia, Sponsa filij sui, Antichristum pro Christo, & summo capite suo in terris agnosceret, ab eius uoluntate & potestate penderet, ac uero in terris capite careret? Num fieri potest, ut ecclesia tamdiu erret, ac incerta uagetur? Non sunt nobis ignoti clamores aduersariorum, & Sotus ipse uociferatur ecclesiam Dei hactenus ita conseruatam, ut his temporibus, quibus omnia rectè sint à Romana sede constituta & confirmata, non sit tempus inquirendi, probandi, & ut ipse loquitur, Sciendi, sed ea, quæ iam sunt inquisita, probata, definita, confirmata, & illustrata, agnoscendi & obediendi. Ac si Soti & suorum sententiam diligenter expendetis, putant ecclesiam fuisse olim rudẽ & tenebricosam, nunc autem à Pontificibus suis, & traditionibus eorum rectè eruditam, & cœlesti luce illustratam. Sed his hominibus nihil est impudentius. Quicquid somniant, existimant esse oraculum spiritus sancti. Nõ enim dubium est, quin nunc sit senecta mundi, & postrema huius seculi tempora. Manifestum autem est, quid tam Christus ipse, quàm Apostoli eius de extremis temporibus sint uaticinati. Multi, inquit Christus, pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ac mox: Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Et Paulus ad Presbyteros Ephesios: Ego (inquit) noui hoc, quòd ingressuri sunt post discessum meum lupi graues, in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se.

Et aliàs: Aduentus (inquit) filij perditi est secundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis, & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniusticiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio. Et iterum: Spiritus certò loquitur, quòd in posterioribus temporibus descisscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiã, prohibentium matrimonium contrahere, iubentium abstinere à cibis, &c. Ac rursus: Illud scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij. Et mox: Habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegârint. Hæc uolui eò copiosius recitare, ut cùm spiritus sanctus uaticinatus sit, postrema mundi tempora fore periculosissima, & cohortetur nos, ut tum maximè omnium caueamus, ne seducamur, manifestè uideamus uanitatem Soti, quòd impudenter audeat nobis hæc postrema tempora ita commendare, perinde ac si in Romana ecclesia nihil prorsus impietatis hæreret, sed omnia sic absoluta essent, ut iam nullus relictus sit locus inquirendi, probandi, &

Hæc sunt Pontificum miracula.

Hæc mendacia sunt Traditiones & Legendæ Sanctorum.

cognoſcendi ſpíritus, ſed tantùm ſequendi & obediendi.

Non minus uanum eſt, quod dícunt, Eccleſiam iamdudum periſſe, ſi Romani Pontifices, & colluuies Prælatorum eorum, eſſent corpus Antichriſti. Negari non poteſt, quin multi ſub Romana impietate & tyrannide perierunt. Vera autem eccleſia Chriſti mirando ſemper modo conſeruatur, etiamſi hi, qui uídentur præcipui in eccleſia eſſe, fiant lupi & Antichriſti. Nam quemadmodum olim tres iuuenes conſeruati ſunt illæſi mirabiliter in ígne Babylonico, in quem propter pietatem coniecti fuerant, ita eccleſia ſolet in medio prauæ nationis diuinitùs conſeruari. Erunt (inquit) duo in agro, unus aſſumitur, & alter relinquitur. Duæ molentes in mola, una aſſumitur, & altera relinquitur. Et Petrus: Nouit, inquit, DOMINVS pios è tentatione eripere, iniuſtos autem in diem iudicij puniendos ſeruare. Sicut teſtantur exempla Noë in diluuio, & Loth in Sodomitica conflagratione. Sic etiam ſeruauit DOMINVS quondam liberos Choræ, parentibus intereuntibus. Sic ſeruauit ſeptem millia uirorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Hæc eſt imago eorum temporum, quibus Pontificius antichriſtianiſmus rerum in eccleſia potiebatur. Non eſt igitur dubitandum, quin filius Dei ſuam ſeruet eccleſiam, & dominetur, etiam in medio inimicorum ſuorum.

Nam, quod ad Caput eccleſiæ attinet, metuendum non eſt, ne uera eccleſia ſit in his terris truncus ſine capite, etiamſi aut nulli, aut impij fuerint Romani Pontifices. Eccleſia filij Dei non eſt regnum mundanum, ut niſi contineatur uno ſummo eóque externo capite, in quod omnis poteſtas, tam in cœlo, quàm in terra ſit collata, pereundum ſit. Deus cœleſtis Pater dedit eccleſiæ ſuæ æternum caput, DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Hic, & ſi aſcendit in cœlum, nec amplius uerſatur in terra humano more, tamen non ita frigidè afficitur erga ſuam Eccleſiam, ut commoretur quidem in ſummo gaudio cœleſtis regni, interea autem relinquat eam Romanis Pontificibus in terris pro ipſorum arbitrio gubernandam, Sed idcircò conſedit ad dexteram Dei Patris ſui, ut eam tam in cœlo, quàm in terra coràm regeret, conſeruaret, & tueretur. Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu manu mea. Ac iterum: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Et habet quidem Chriſtus in his terris ſuos συνεργους, hoc eſt, cooperarios & miniſtros, per quos eccleſiam ſuam gubernat, nõ autem unum aliquem ſummum ſuo loco uicarium conſtituit, in quem ſolum omnem ſuam poteſtatem conferat, Sed ipſe retinet ſibi præſentem dominationem, ad quam exequendam utitur miniſterio omnium eorum, quos Spiritu ſancto ſuo excitárit atque uocauerit. Apud Matthæum dicit: Vos nolite uocari Rabbi. Vnus eſt enim Magiſter ueſter, nempe Chriſtus. Omnes autem uos fratres eſtis. Et patrem nolite uocare uobis in terra. Vnus eſt enim pater ueſter, qui in cœlis eſt. Non illud vult Chriſtus, ut nulli in terris tribuamus epitheton magiſtri aut patris, honoris aut ordinis gratia, Sed ut hæc epitheta nulli ſic tribuamus, quemadmodum quondam quidem Phariſaici Rabbini, nunc autem Romani Pontifices ſibi ea tribui exigunt.

Non enim uolunt eſſe Magiſtri & Patres, honoris tantùm & ordinis, ſed

sed plenariæ autoritatis, ac potestatis gratia, ut quicquid statuerint, agnoscamus pro oraculo spiritus sancti, & ex ipsorum arbitrio toti in his terris pendeamus.

Hæc est impia tyrannis. Solus enim Dominus noster Iesus Christus is est magister & pater, ut solam ipsius uocem, (quæ collata est in scripta Prophetica & Apostolica) audiamus, & è solo ipso æternam nostram salutem petamus.

Quid ergo? (inquies) Quanta erit confusio, si in terris nullum fuerit externum ecclesiæ caput, & nullus uniuersalis pastor?

Hæc fortasis non uideretur iniusta querela, si Christus uerus ecclesiæ suæ pastor, deseruisset ecclesiam. Nunc autem benè habet. Christus ecclesiæ suæ præsto semper adest. Nec est cessator. Si enim pericula inciderint, & necessitas exegerit, tantum abest, ut sinat eam perire, ut si non fuerint ordinarij Ministri, qui eam suo ministerio adiuuent, excitet uel è lapidibus ministros, per quos lucem uerbi sui patefaciat. Talis enim est status ecclesiæ in his terris, qualis fuit status regni Israelitici sub Iudicibus, priusquàm Reges in eo crearentur. In hoc enim regno nullus unus fuit monarcha, siue humanis suffragijs electus, siue ordinaria successione acceptus. Non dominabor, inquit Gideon, uestri, nec dominabitur in uos filius meus, sed dominabitur uobis Dominus. Et tamen, cùm res postularet, & hostes Israelis grauiores incumberent, quàm ut respublica Israelitica diutius constare posset, excitati fuerunt diuinitùs Heroes, qui hostes repellerent, & fines regionis suæ tuerentur, cùm interea singulæ eorum ciuitates haberent etiam singula iudicia, sicut erant in lege ordinata. Sic & in Ecclesia, unus quidem est Episcopatus, ut Cyprianus ait, sed cuius â singulis IN SOLIDVM pars tenetur. Et iterum: Neque quisquam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit, Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquàm iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare. Sed interea, si ordinarij Episcopi, uel cessauerint, uel persecutores piæ doctrinæ fuerint, uel imbecilliores sint, quàm ut aduersarijs resistere possint, solet Deus, uel ex infimis, Spiritu sancto suo excitare, qui impietatem patefaciant, & contradicentes conuincant, atque Ecclesiam in officio contineant. Cùm ascendisset, inquit Paulus ex Psalmo, in altum, captiuam duxit captiuitatem, & DEDIT DONA HOMINIBVS.

Cæterùm, cùm tale quid in Prolegomenis recitarem, & significarem Christum intantum non deserere suam ecclesiam, ut si nullus alius sit, qui tenebras discutiat, & hostibus obsistat, Heros quispiam, uel Ecclesiasticus uel politicus ex lapidibus excitetur, ibi Asotus καρδιογνώστης dicit alicubi me meo Principi adulari.

Ego quidem agnosco me meo Principi, non solum propter Magistratum, quem diuina Ordinatione gerit, uerumetiam propter multas uirtutes, quibus ornatus est, omnem reuerentiam ex animo debere: illud autem mirum est, quòd cùm hoc loco nullam prorsus fecerim mei Principis mentionem, iudicer tamen ab Asoto adulator, ipse autem, cùm Romanis suis Pontificibus apertè ita assentetur, ut etiam cum maxima diuini nominis contumelia collocet eos in æqualitate maiestatis filij Dei, quemadmodum suprà ostendimus, uelit ingenuus & sincerus haberi.

Sed heus tu Sote, uestra colluuies nondum ita rediit cum DEO in gratiam, ut ad eam expurgandam excitet heroa, tali, tamq; miti & mansueto ingenio, quali meus est Princeps diuino beneficio præditus. Illi enim uestro tam scabioso & pediculoso capiti, alio opus est lixiuio, Quæres DOMINO curæ erit. Nam quod ad conseruationem ueræ Ecclesiæ attinet, Sedet filius Dei ad dexteram Dei Patris sui, sicut diximus, non ut ociosus cum angelis ludat, sed ut det hominibus dona, hoc est, ut det ecclesiæ suæ, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores, alios doctores, ad instaurationem Sanctorum, in opus, non dominationis, aut impiæ tyrannidos, sed administrationis, in ædificationem corporis Christi.

Quare fauemus quidem nõ Romano tantùm Pontifici, uerumetiam alijs Pontificibus suos titulos, suas dignitates, & suos primatus, quos legitimo habent consensu, & si Romani Pontifices pastores essent, fateor, diligendi essent, ut Bernhardi uerbis utar: si mercenarij, tolerandi essent. Nunc autem, quia facti sunt fures & latrones, adeoq; Antichristi, tantum abest, ut uera Ecclesia debeat eis obedientiam, ut potius necesse habeat eos cauere, & quoquomodo licitè potest, ab ouili Christi repellere, ac solius DOMINI nostri Iesu Christi, ueri & æterni pastoris, uocem audire.

De Ecclesia.

SPERO pium Lectorem à me nec expectare, nec exigere, ut ad omnia Soti sophismata, mendacia, impostura, & calumnias, quibus Confessionem Principis, & mea Prolegomena, turpificanda potius, quàm refutanda impudenter suscepit, nominatim respondeam. Nam si conarer ea multis uerbis, ac prolixo sermone explicare & refellere, uiderer tam fidei, quàm ingenio pij lectoris diffidere, quasi quòd suapte industria intelligere nõ posset, quanta sit Sycophantæ impij, & in reprobum sensum dati uanitas. Nec illud nunc ago, ut lectorem in audiendis & cognoscendis priuatis nostris, & personalibus rixis detineam, Sed ut publica, generalis, & uerè pia doctrina, quæ ad salutem cognitu necessaria est, ab impostoribus, & depraua toribus, quoad eius per me fieri potest, uindicetur, & in ecclesia incorrupta conseruetur. Quod enim ad me attinet, tot iam uenenata calumniarum tela in me, non tam ab hostibus & transfugis, q̃s etiam à nonnullis sociis & amicis immissa sunt, ut in ijs perferendis, diuino beneficio, penè occalluerim. De Soto autem, qui etiam manifesta mendacia, in quibus deprehenditur, defendere conatur, nihil aliud in præsentia dicere possum, quàm quòd propter obtenebrationem mentis, & excæcationem cordis, eò peruenerit, ut factus sit ἀπαλγητώς. Quare omissis priuatis rixis, accedo ad publicam causam, & postquàm exposuimus, quid de Summo Pontifice sit sentiendum, nunc de ecclesia, cuius ille se summum caput profitetur, dicemus.

In Prolegomenis dixi alicubi per occasionem, quòd cùm Asotus faciat ecclesiam uisibilem, & sensibus corporeis perspectam, delendus sit ei articulus ille Symboli Apostolici, Credo ecclesiam sanctam Catholicam, & sic reponendus, Video & sentio ecclesiam sanctam Catholicam. Ex hoc meo dicto sumit occasionem uel uetus ille fraterculus, uel nouus eius

Logodæ-

Logodædalus,& inſtituit in ſua opinata Defenſione declamationes benè prolixas,quibus erudiat nos,quòd una tantùm ſit Eccleſia, quòd ea eccleſia ſit uiſibilis,quòd habeat peccatores admixtos,& id genus alia, ut quaſi gradibus quibuſdam eò progrediatur, ſanctam catholicam Eccleſiam, quæ nobis in Apoſtolico Symbolo credenda proponitur, non eſſe aliam intelligendam, niſi colluuiem Romani Pontificis & Prælatorum eius, ac omnium eorũ,qui primatum Romani Pontificis ἀυτοπ, ἀτοφ agnoſcunt & adorant,ut quod in Symbolo dicitur:Credo eccleſiam ſanctam Catholicam,idem ſit,ac ſi diceretur:Credo Solam eam Romanam eccleſiam eſſe ueram,Sanctam & Catholicam,in qua Romanus Pontifex, tanquàm ſummus Monarcha, præſidet, & eſt lapis angularis, electus & precioſus, ac quicquid dicit, edicit, iubet, mandat, uetat & prohibet, ædificat & deſtruit, hoc ut ipſiſſimum ſpiritus ſancti oraculum agnoſcendũ eſt. Et qui hoc crediderit, ſeruabitur. Qui autem non crediderit, iam iudicatus eſt. Quod enim Chriſtus dixit de ſuo Euangelio, hoc Sotus ad traditiones ſuas Pontificias blaſphemè detorquet. Explicemus igitur initiò,quid nomine Eccleſiæ intelligendum ſit,ut ex hoc cognoſcamus, quæ ſit uera eccleſia,& quomodo ſit una,quomodo plures,quomodo uiſibilis,quomodo inuiſibilis,quomodo ſancta,quomodo peccatrix.Quibus uel breuiter explicatis, calumniæ, mendacia, & tergiuerſationes Soti, ſuapte ſponte, nullo etiam monitore patefient.

In omnem terram,inquit Pſalmus, exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ, uerba eorũ. Et alius Pſalmus: Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et Eſaias: De Zion,inquit, exibit lex, & uerbum Domini de Hieruſalem, & Iudicabit gentes,& arguet populos multos.

His dictis ſignificat ſpiritus ſanctus,quòd prædicatio Euangelij de Domino noſtro Ieſu Chriſto peragret uniuerſum orbem terræ,& colligat ex humano genere populũ,qui Chriſto nomen ſuum tradat,& eum ſeruatorem ſuum agnoſcat.Sicut & Chriſtus ipſe Apoſtolis ſuis dicit:Ite in mundũ uniuerſum,& prædicate Euangelion omni creaturæ.Qui crediderit & baptiſatus fuerit,ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur.Et Paulus affirmat hunc ueracem ſermonem Euangelij fructificare in toto mundo.Hunc igitur cœtum,& hunc populũ,qui ex humano genere,uoce Euangelij colligitur,uocamus Eccleſiam,eamq; nõ ſimpliciter,ſed Eccleſiam Domini Dei noſtri. Non eſt autem ſentiendum, quòd ante patefactam per Apoſtolos,orbi terrarum,lucem Euangelij,nõ fuerit in mundo eccleſia,ſed quòd ſemper ab initio mundi ſpiritus ſanctus congregauerit uoce promiſsionis de uenturo Chriſto,cœtum populi, qui ſicut is, qui iam poſt aduentũ Chriſti,uſq; ad finem mundi congregatur, ita & ille,eccleſia Domini dicendus eſt. Filio enim Dei, qui eſt uerum & unicum caput ſui populi,nunquàm ab initio mundi defuit,neq; unq; deerit in terris, ad nouiſsimum uſq; diem, eccleſia, quæ ipſum agnoſcat,& ueneretur.

Deinde, nec illud ſentiendum eſt, quòd omnes hi, qui publicè agnoſcunt nomen Chriſti,ſint coram Deo uera & uiua membra eccleſiæ.Multi enim hypocritæ, multi etiam apertè ſcelerati ſolent ſeſe externa ſocietate cum uera eccleſia coniungere. Simile,inquit, eſt regnum cœlorum, hoc eſt,prædicatio Euangelij,uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti.Et:Multi uocati pauci electi. Et:Non eſt omnium fides. Et:Non omnes, qui ſunt ex Iſrael,ſunt Iſrael.

Solet & illud accidere, ut uox Euangelij de Christo, siue exhibendo, ut in Veteri Testamento, siue exhibito, ut in Nouo Testamento, aliquoties illustrius, aliquoties obscurius, in Ecclesia adnuncietur, & nonnunquàm penè euanuisse putetur, sed paulò post iterum rectè sonare audiatur. Sub summo sacerdote Eli, sermo Dei, inquit scriptura, erat preciosus, seu rarus. Et sub rege Saule: Non requisiuimus, inquit, arcam Domini in diebus Saulis. Sed pòst, sub rege Dauide, instaurata & illustrata promissione
1. Par. 13. de Christo è familia Dauidis uenturo, uox Euangelij sonabat, ut ea ferebant tempora, clarissimè. In regno Iuda, sub Rege Ahaz, uox Euangelij de Christo obscurata erat uarijs doctrinis, & multa Idolomania. Sed sub filio eius Ezechia, iterum ualde canora percipiebatur.

Post ascensum Christi in cœlum, Euangelion de Christo multò purius, multò illustrius prædicatum est temporibus Apostolicis, quàm postea temporibus Pontificijs.

Illud quoq; res ipsa testificatur, quòd ecclesia, quæ publicè audit populus Dei, diuidatur aliquoties in uaria externa corpora, & aliud quidem sectetur puriorem, aliud impuriorem & corruptiorem uerbi Dei doctrinam. Sic enim sub Rehabeamo filio Salomonis regnum Dauidicum diuisum est in duo regna, quorum alterum dicebatur regnũ Iuda, alterum regnum Israel, & hoc sequebatur doctrinam uaria Idolomania corruptã, illud autem doctrinam minus corruptam.

Et tamen in tanto discrimine doctrinæ, & populi Dei, Christus dicit unum esse ouile, significãs unam tantùm esse ecclesiam. Et Paulus: Vnum, inquit, corpus, & unus spiritus, & una fides, & unum baptisma.

Quid igitur dicemus? Num quia una tantùm est ecclesia, idcircò non licet uerã ecclesiam à falsa distinguere? Certè Sotus conatur hoc prohibere, & insurgit aduersus nos pro Põtificia sua autoritate seueríssimè, quòd distinguamus duplicem ecclesiam, aut nomen ecclesiæ dupliciter sumamus. Dicit hanc distinctionem esse nostrum inuentum & suffugium. Sed uanissimus homo non meminit scripturæ, quæ proponit nobis non tantum ecclesiam uerè piorum, sed etiam ecclesiam malignantium. Et post aliquot paginas, quod antè in nobis palàm reprehenderat, pleno ore affirmat. Si attentè, inquiens, considerentur, duo colliguntur signa, huic
„ negocio agnoscendi scilicet ueram ecclesiam, ueramq; Apostolicam præ
„ dicationem, & his oppositam, F A L S A M uidelicet ecclesiam, & do-
„ ctrinam plurimùm accommoda. Ac mox: Alterum, quo discernatur ue-
„ ra ecclesia à falsa. Et iterum: Certè in aliena & falsa ecclesia constat damna-
„ ri omnes, constat, inquam, falsam ecclesiam fugiendam esse & abomi-
„ nandam.

Quid de duplici ecclesia, aut de duplici significatione ecclesiæ apertius dici potest? Et tamen homo nimium obliuiosus, cooriebatur antea in nos, tanquàm scripturæ falsarios, fastu plusquàm pharisaico, quòd distingueremus ueram ecclesiam à falsa. Quid cum his Euripis & Vertumnis conferas? Nisi me ratio mei officij retineret, iudicarem oculos meos, uel aspectu saltem talium scriptorum contaminari, Sed seruiendum est ueræ ecclesiæ aduersus Pontificiam & Monasticam, hoc est, falsam & à Deo abiectam ecclesiam.

Primùm igitur non est obscurum, quòd uestra, Sote, Constantiensis colluuies damnauerit illum articulum, Vnica est sancta uniuersalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum uniuersitas. Ac iterum: Vniuersalis sancta

Ecclesia

Ecclesia tantùm est una, sicut tantùm est unus numerus omnium prædestinatorum. Hunc articulum affirmamus nos esse uerum, & à Sacrificulis atq; Fraterculis impiè damnatum. Ac Sotus urget quidem ipse, quòd una tantùm sit ecclesia, sed ut impios & sceleratos suos Pontifices, sacrificulos & fraterculos etiam in ecclesia retineat, contendit ecclesiam non tantùm ex bonis, uerumetiam ex malis constare, ac ut Prælatis suis probè caueat, affirmat ea testimonia, quæ in Prolegomenis, de uitijs, morbis & peccatis Prelatorum cõmemorauí, autoritatem Prelatorum ecclesiæ adeo non labefactare, ut confirment potius. Itaq; cùm uidemus Prælatos esse auaros, usurarios, fraudulentos, Simoniacos, ambitiosos, uenefícos, adulteros, Sodomitas, homicidas, & omni genere scelerum sordidatos, tunc scia mus, iuxta Sotum, ibi uerè esse Ecclesiam filij Dei, & autoritatem eorum in ecclesia, ex his tantis ipsorum sceleribus confirmari potius, quàm labefactari. O tempora, ô mores, hæccine dici, hæccine audiri, hæccine scribi, hæccine approbari, hæccine ferro & igni propugnari? Sed perseueremus in instituto. Sermo enim nobis est de Ecclesiæ unitate. Quare, si propriè loquendum est de Ecclesia, certè una tantùm est uera Ecclesia filij Dei, eorum uidelicet, qui uerè in CHRISTO Filio Dei per fidem renati, cœlestem hæreditatem assequuntur. Sic enim Christus ipse testificatur: Oues, inquiens, meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus. Et iterum: Ego pro eis rogo. Non PRO MVNDO rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mox: Non pro eis (Apostolis) tantùm rogo, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te. Et Paulus: His, inquit, qui diligunt Deum omnia adiumento sunt in bonum, nimirum his, qui iuxta propositum uocati sunt. Quoniam, quos præsciuerat, eosdem & præfiniuit conformes imaginis filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Quos autem prædefinierat, eosdem & uocauit. Et quos uocauit, eos & iustificauit. Quos autẽ iustificauit, hos & glorificauit.

Ac rursus: Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibijpsi gloriosam ecclesiam, nõ habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis.

Et iterum: Deus subiecit omnia sub pedes Christi, & dedit eum CAPVT super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Christus autem, & si est caput eius corporis, in quo multa sunt infirma membra, quæ & subinde magis ac magis sanantur, tamen non est caput nec mortui corporis, nec mortuorum membrorum, sed abijcit ea potius, quàm quòd retineat. Omnem palmitem, inquit, in me non ferentem fructum tollit. Et mox: Si quis in me non manserit, eiectus est foras, sicut palmes, & exaruit.

Huc etiam facit, quod Esaias, tam de unitate, quàm de sanctitate ueræ Ecclesiæ concionatus est. Induere (inquiens) uestimentis gloriæ tuæ Hierusalem ciuitas sancti, quia non adijciet ultrà, ut per te pertranseat incircuncisus & immundus. Ac iterum: Populus tuus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram.

Sed de sanctitate ueræ ecclesiæ postea. Nunc autem illud solum agitur, quòd VNA tantùm sit VERA Ecclesia, eorum uidelicet, qui uerè in Christo filio Dei per fidem renascuntur, seu, ut alij loqui solent, ad uitam prædestinantur.

Quid igitur? Num quia una tantum est uera ecclesia, nulla erit falsa? Et quæ falsa est, nullum habebit à uera discrimen? Multum certè discriminis habet. Quod cùm in Prolegomenis in capite, De ecclesia, copiosè exposuerimus, pergemus nunc in proposito.

Dices enim iterum: Si una tantùm est uera ecclesia, renatorum uidelicet in Christo per fidem, quid est sentiendum de ijs hominum cœtibus, quorum alij habent quidem puriorem doctrinam Euangelij, & rectum usum Sacramẽtorum, admixti autem sunt ipsis multi partim hypocritæ, partim scelerati, qui & si audiunt Euangelion, & sumunt sacramenta, non tamen uerè sunt in Christo per fidem renati. Alij uerò sequuntur doctrinam corruptam, & deprauant uerum usum Sacramentorum?

Quam rem exemplis declarabimus. In Israel duo erant regna post Salomonem, sicut suprà dictum est. Alterum Iuda, alterum Israel. Etsi autem regnum Iuda retinebat post defectionem Israelis quædam legitima sacra, sicut lex præscripserat, tamen utrumque regnum sequebatur corruptam doctrinam, & impia sacra. De regno Israel, in quo instituti erant uituli aurei, manifestum est. De regno autem Iuda testificatur Scriptura, 3. Regum 14. Fecit Iuda (inquiens) malum coram DOMINO, & irritauerunt eum super omnibus, quæ fecerant Patres eorum, in peccatis suis, quæ peccauerunt. Aedificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos, super omnem collem excelsum, & subter omnem arborẽ frondosam. Sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntq; omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israel. Cùm igitur Iosaphat suscepisset gubernacula regni Iuda, cœpit instaurare & reformare ecclesiam. Fuit DOMINVS, inquit scriptura, cum Iosaphat, quia ambulauit in uijs Patris sui Dauid primis, & non sperauit in Baalim. Et mox: Cùm sumpsisset cor eius audaciam propter uias DOMINI, etiam Excelsa, & Lucos de Iuda abstulit. In regno autem Israel uetus impietas cultus Baalitici, & aureorum uitulorum remanebat. Quid igitur dicemus? Si est una tantùm uera ecclesia, eorũ uidelicet, qui uerè per fidem renascuntur, certè ne quidem regnum Iuda dicemus ueram fuisse ecclesiam, quia & si doctrina uerè pia erat restituta, & sacra impia abrogata, tamen multi erant in eo regno, qui non uerè per fidem in semine Abrahæ, qui est Christus, renascebantur? Respondeo, Totum quidem regnum Iuda, per se, & eo modo, quo antea ueram Ecclesiam descripsimus, non potest uera Ecclesia dici. Etsi enim hoc regnum fuit pia doctrina reformatum, tamen multi remanebant in ueteri impietate, & non uerè per fidem renascebantur. Nihilominus autem dicendum est, id regnum fuisse suo modo ueram ecclesiam, idq; duabus de causis. Altera, quòd abrogata in eo impietate, restituta fuerit pia doctrina. Altera, quòd uoce huius doctrinæ colligebatur ex uniuerso eo cœtu uera illa ecclesia, quæ uerè per fidem, in semine Abrahæ renascebatur. Quare, & si uniuersus cœtus regni Iuda nõ erat uera illa Ecclesia, cuius singula membra, sunt uera filij Dei mẽbra, tamen dicendus est uera ecclesia, propterea, quòd hæc ex eo cœtu per piam doctrinam colligebatur. Regnum autem Israel, falsa erat ecclesia. Etsi enim non est dubiũ, quin Deus

etiam

etiam in hoc regno habuerit uerã suam ecclesiam, & ut scriptura inquit, reseruauerit sibi septem millia hominum, qui nõ curuauerunt genua sua ante Baal, tamen obtinebat in eo publica impietas, tam in doctrina, quàm in alijs sacris, & qui seruabantur in officio ueræ pietatis, non seruabantur ordinario, sicut in regno Iuda, sed mirando modo, idq; per extraordinarios Prophetas, qui in eo regno diuinitùs excitabantur, & Idolomaniam eius publicè reprehendebant.

Quod enim attinebat ad doctrinam sacerdotum, & sacra eius regni, omnia erant impietate corrupta, & trahebant natura sua homines ad extremam internecionem. Nisi si qui Prophetarum ministerio admirabiliter seruabantur, sicut tres iuuenes in igne Babylonico. Quare hoc regnum non debuit dici uera, sed tantum falsa ecclesia.

Eodem modo loquendum est de nostro Christiano, & de uestro Papistico cœtu. Neque enim omnes, qui sunt in nostro cœtu, sunt uerè per fidem renati, & spero non omnes, qui sunt in uestro Papistico cœtu, à Deo esse abiectos. Illi enim soli sunt per se uera filij Dei ecclesia, qui audiunt uocem filij Dei, & uerè in eo per fidem renascuntur. Reliqui autem, siue peculiarem habeant cœtum, siue permixti sint inter uerè pios, falsa sunt ecclesia, & ut ueteres loqui solebant, ecclesia sunt nomine tantum, non re, numero, nõ merito, specie, non ueritate. Ac profectò non ineptè suo quodam modo contulerim Regnum Iuda, cum nostro cœtu, in quo sincera est doctrina Euangelij, & uerus usus sacramentorum, Regnum autem Israel cum cœtu Papistico, in quo tam doctrina, quàm sacra omnia corrupta sunt. Nam quemadmodum hæc regna consentiebant quondam una mente & uoce de impietate, Sed Deus excitabat in regno Iuda Iosaphatos, Ezechias, Iosias, & alios pios reges, qui abolita impietate restituebant pia & legitima sacra. In regno autem Israel retinebatur publica impietas, ac ne quidem per Prophetas ab impietate retrahi poterat, donec ab Assyrijs deuastaretur: ita eramus quondam & nos omnes stulti, inobedientes, errantes, seducti & seducentes, ac Idolomaniæ, & Antichristo seruientes.

Sed Deus excitauit Principes & Reges, qui edocti uerè pia doctrina, tollunt è medio Papisticas impietates, & iuuant, quantum in ipsis est, ut filius Dei colligat sibi in regionibus ipsorum uoce Euangelij sui ueram ecclesiam.

Papistæ autem nõ solum manent in sua ueteri impietate, uerumetiam intantum sunt excæcati, ut alios, qui cupiunt ueram pietatem restitutam, crudelissimè persequantur, & omnia inter se consilia, ad eos opprimendos, conferant. Illud enim non solum perridiculum, uerumetiam impudentissimum est, quòd Sotus audeat sibi orationem Abiæ, regis Iuda, accommodare, & aduersus nostram ecclesiam contorquere. Nunquid non certum est (inquit) non agnitum, & prædicatum in uniuersis ecclesijs, per uniuersum orbem, Christum constituisse uicarium, & regno suo præposuisse Petrum, & filios eius, legitimos scilicet successores usque in sempiternum, fœdere stabili, & indissolubili, Rogaui, inquiens, pro te, ut non deficiat fides tua? Denique longa est Soti declamatio, quæ nos cum Hierobeamo, & sacrificulis ac uitulis eius aureis confert. Papistæ autem Heroes illi sunt, qui in regno Dauidis in sempiternum firmi constiterunt, & præcepta DOMINI Dei nostri constanter custodierunt. Equidem mirabor, Sote, si quis etiam tuorũ, tam effronti sit impudentia,

ut, cùm hæc legerit, non te cogitationibus suis flagellet, ac in te non exs puat? Quid enim nobis, quæso, narras, nisi, ut τὰ συκᾶ, σῦκα appellem, pura puta mendacia? Num certum, num agnitum, in uniuersis ecclesijs per uniuersum orbem, Christum constituisse uicarium, & regno suo præposuisse Petrum & successores eius usque in sempiternum?

Non nego, quin uestri οἰκοθεν οἱ μάρτυρες hactenus usque ad rauim uociferati sint, Romanos Pontifices esse Vicarios Christi in terris, & tuipse alias, Sote, transtuleris in eos, quod de Christo dictum est, ipsos uidelicet esse lapides angulares, probatos, pretiosos, & in fundamento locatos. Vbi autem & quando uniuersus orbis, uniuersæ ecclesiæ, hoc unquàm agnouerunt & probarunt? Possem hic tam ex historijs, quàm ex alijs scriptis uanitatẽ tuam ante omnium oculos ita statuere, ut nisi planè excors esses, te tuijpsius uel tandem puderet. Sed non libet in refutandis manifestis mendacijs immorari. Illud tantùm recitare uisum est, quod nonnulli tradunt, (uides Sote me iam didicisse te doctore, traditionibus aliquid deferre) Græcos, qui ferè semper Pontificiæ Tyrannidi contradixerunt, respõdisse Ioanni Pontifici eius nominis uicesimotertio. Cùm enim is Pontifex postulasset à Græcis obedientiam, & commemorasset eis, Vnicam tantùm esse Christianam Ecclesiam, éque eius caput, & Christi Vicariũ, aiunt Græcos uicissim Laconicẽs respondisse: Potentiam tuam summam erga subditos tuos, firmiter credimus. Superbiam tuam summam tolerare non possumus. Auaritiam satiare non ualemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Hæc est illa, Sote, certitudo, hæc notitia est per uniuersum orbem, per uniuersas totius orbis ecclesias, de uestri Pontificis Vicariatu. Fabulam, inquies, narras è uulgo acceptam. Crederem & ipse fabulam esse, nisi uestri mores palàm ea esse ueriss̃ima testificarentur. Ac profectò plenam esse responsionem existimarem, si addidissent Græci: Impietatem & Idolomaniam tuam summam agnoscere, nec uolumus, nec debemus. Non enim reprehendimus uos eorum tantùm scelerum, quæ Græci recitârunt, uerumetiam Impietatis, Magiæ & Idolomaniæ, præ quibus illa uidentur leuicula. Sed hic etiam Vuiclephus à Soto in medium producitur, & deinde Ioannes Hussus ac Hieronymus Pragensis. Hos dicit non potuisse aduersus eum, quem Deus in Ecclesia constituerat, præualere. Quid ita? quia publico iudicio ecclesiæ sunt damnati, & ultimo supplicio affecti. O industrium Theologum. Sic enim nec Prophetę aduersus impios reges & Pontifices, Sic nec Christus ipse filius Dei, nec Apostoli aduersus Annam & Caiapham, Sic nec Martyres aduersus Gentes præualuerunt. Testimonio igitur es, Sote, uobismetipsis, quòd filij sitis eorum, qui pios homines, uiolata etiam publica fide, quæ & inter immaniss̃imas gentes inuiolata esse solet, crudeliss̃imè occidistis, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem eorũ, quos his temporibus, propter professionem piæ doctrinæ, summa immanitate trucidatis. Nam qui reliqui sunt pij, non uestro beneficio uiuunt, qui hoc unum diu noctúq; meditamini, qua ratione fiat, ut manus uestras in sanguine nostro lauetis. Sed habitant in adiutorio altiss̃imi, & commorantur in protectione Dei cœli.

Lutherus quoq; necesse habet in lucẽ prodire, & nouus propheta audire, qui non duplici tantùm, sed multiplici blasphemiæ, & obstinationis spiritu præditus sit. Quin dicis, Sote: Qui morte præuentus euaserit manus nostras, & nondum palàm, quod diuinitùs instituerat, demonstrârit,

nostras

noſtras Pontificias indulgentias eſſe meras impoſturas, noſtras unctiones & benedictiones eſſe meras Magias, noſtra Miſſalia ſacrificia eſſe meras Idolomanias, noſtrum Purgatorium eſſe merum ſomnium, noſtram Sanctorum Inuocationem eſſe meram Idolatriam, noſtra uota Monaſtica eſſe meram hypocriſin, noſtram Scholaſticam doctrinam eſſe meram Sophiſticam, noſtra ſacra eſſe merā impietatem, denique noſtrum Papatum eſſe merum Antichriſtianiſmum. Hæc & id genus alia fuiſſent à te, Sote, commemoranda, cùm mentionem Lutheri facere inſtituiſſes.

Sed uiſum eſt Soto nobis exprobrare multitudinem populi, & uitulos aureos. Habetis, inquiens, grandem populi multitudinem, atque uitulos aureos, quos fecit uobis Ierobeam in deos: Gloriamini in multitudine populorum, quos ex Germania ueſtra ſeduxiſtis, &c. Quod igitur ad populorum, qui ſtant à noſtra parte multitudinem, attinet, O multitudinem, ſi ad ueſtram Maieſtatem, magnitudinem, altitudinem, latitudinem, profunditatem, potentiam & uniuerſam Papiſticam colluuiem conferatur. Quid ergo tuijpſius, Sote, oblitus, exprobras nobis aliás in Epiſtola nuncupatoria, non tam nouitatem, quàm etiam paucitatem? Quid mirum, inquiens, ſi nec bonus ſim, nec doctus Brentio, cui omnes Epiſcopi totius Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ denicq; & Italiæ, cæterorumq; Chriſtianorum regnorum, æquales ſint crucifigentibus Chriſtum. Habes ergo Sote à parte tua omnes totius Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæ, & aliorum Chriſtianorum regnorum Epiſcopos. Quantam autem, quæſo, habent hi in diœceſibus & chriſmatibus ſuis, (ſic enim ſoletis loqui) populi multitudinem? Et paulò pòſt iterum: Quid mirum, inquit, quòd in oculis Brentij tam deformis & abominādus uidear, quàm me depingit, cùm ei omnes inter ſe conſentientes, & agnoſcentes Romanam eccleſiam, OMNES ſcilicet, TOTIVS ORBIS Chriſtiani Epiſcopi, PRINCIPES, POPVLI, præter PAVCOS quoſdam Germaniæ, idq; uix à triginta annis, uideantur hoſtes Chriſti? Habes iterum aduerſarij ipſius teſtimonium, qui ſint illi, qui de Principum & populi multitudine glorientur, & præ ſua turba noſtram paucitatem naſo ſuſpendant aduncо. Vaniſsimus hominum, nihil habet penſi, quid ſcribat, tantummodo aliquid in nos euomat, quo ſuis gratificetur.

De uitulis uerò aureis, quos apud nos fecerit Ierobeam, quid? Inſtauramus, diuino beneficio, in Eccleſia DOMINI, piam doctrinam de Euangelio Chriſti, quòd non merita noſtræ iuſticiæ, ſed tantùm meritum DOMINI noſtri Ieſu Chriſti ſit expiatio peccatorum noſtrorum coram Deo, & quòd remiſsio peccatorum contingat nobis gratis, tantùm propter Chriſtum per fidem. Quid? Meritum ne Chriſti filij Dei eſt uitulus aureus Ierobeam? Docemus certò firmiter & conſtanter credendum eſſe Euangelio Chriſti, quo nobis condonatio peccatorum propter ſanguinem & mortem Chriſti promittitur. Quid? firmáne & conſtans fides Euangelij Chriſti eſt uitulus aureus Ierobeami? Reuocamus in Eccleſiam DOMINI uerum uſum Cœnæ Dominicæ, & docemus in Cœna DOMINI utendum eſſe, non tantùm pane, uerumetiam uino, iuxta inſtitutionem Chriſti, & uſum uetuſtioris ac purioris Eccleſiæ. Quid? Vſus ne panis & uini in Cœna DOMINI eſt uitulus aureus Ieroboami? Admonemus eccleſiam DOMINI, ut iuxta præceptum Dei, Solum Deum Patrē, per filium ſuum Dominū noſtrum Ieſum Chriſtū, in ſpiritu ſancto inuocet. Quid? Inuocatio ſolius Domini Dei noſtri eſt

uitulus aureus Ierobeami? Docemus, Solum Dominum nostrum Iesum Christum esse pro uero & æterno capite Ecclesiæ suæ agnoscendum, eos autem, qui docent Euangelion Christi, non esse propriè capita, & magistros, sed tantùm ministros ecclesiæ. Quid? Solum Christum esse uerum & æternum caput, tam in cœlo, quàm in terra suæ ecclesiæ, est uitulus aureus Ierobeami? O hominem non tantùm Cardinalitio galero, uerum etiam Pontificali throno dignum. Sed libet ei in contentione progredi.

„ Quæ omnia, inquit, quàm uerissimè in uos quadrant, qui reiecta unctione sacerdotali, reiecto sacramento Ordinis, fecistis uobis è media plebe & vulgo, ex sutoribus & coriarijs sacerdotes, &c.

Miror Asotum non cogitasse, priusquàm in hanc Antithesin descendit, quid contrà responderi posset. Vós ne ueri sacerdotes Dei, per quos nomen Dei tam turpiter inter gentes blasphematur? Vós ne ueri sacerdotes Christi, qui non seruiunt, nisi Antichristo? Vestra ne sacra legitima sunt, tot impietatibus, incantationibus & Idomanijs turpificata?

Excidit ne tibi Sote, quod in Prolegomenis, ex Consilio delectorum „ Cardinalium recitaui? Primus abusus, inquiunt Cardinales, in hac parte „ est Ordinatio Clericorum, ac præsertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quòd passim, quicunq; sint imperitissimi, „ sint uilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, ad„ mittantur ad sacros ordines, & maximè ad presbyteratũ, ad characterem „ inquam, Christum maximè exprimentem. Hinc innumera scandala, „ hinc contemptus ordinis ecclesiastici, hinc diuini cultus ueneratio non „ tantùm diminuta, sed etiam propè iam extincta. Et iterũm: Alius abusus „ maximi ponderis est in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxi„ mè curatorum, & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus inualuit, „ ut prouideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi „ Christi & ecclesiæ, &c. Heus tu Sote, quid nunc dicendum putas?

Quid tibi de nostris coriarijs & sutoribus uidetur? An non magis consultum esset ecclesiæ Christi, ut præficerentur ei coriarij pij ac docti, quàm imperitissimi, & uilissimi quiq;? Non negauerim quidem unctionem uestram magicam apud nos reiectam esse, quod quibus ex causis factum sit, suprà copiosè exposuimus. Num autem alicubi apud nos instituantur in ministros ecclesiæ, coriarij & sutores, nulla iusta uocatione, nulla doctrinæ & morum exploratione, adeoq; nullo legitimo (non dico Papistico) ordine, compertum mihi non est, nec, si fieret, probarem. Et tamen quia Christus ipse selegit ex piscatoribus & publicanis Apostolos, ac Paulus, Apostolus tantus, fuit textor aulæorũ, & Spiridion, Episcopus Cyprius, Prophetico spiritu ornatus, mansit pastor ouium, etiam in Episcopatu, nulla sumus uobis uerecundia obstricti, si homines honestos, & pia doctrina eruditos, quamuis sutores aut coriarios, ad ministerium ecclesiæ uocauerimus, & instituerimus. Quid enim? An non & sutores & coriarij, si in Christũ crediderint, & honestam uitam egerint, sunt membra Christi, & templum spiritus sancti? ac si habuerint donum docendæ ecclesiæ, iudicandi sunt ad ministerium ecclesiæ idonei? Quæso te, tolerabilius ne est, ex sutoribus & coriarijs, addo etiã ex carnificibus, facere ministros ecclesiæ, quod nobis impudenter obijcere audetis, an ex scortatoribus, adulteris, ebriosis, blasphemis, impostoribus, Simoniacis, homicidis, sicarijs, Magis, ueneficis, cynædis & Sodomitis, addo etiam, meretricibus, (scribunt enim, quondam mulierculam meretricem fuisse Papam) facere Sacrificu-

crificulos, Episcopos, Cardinales & Pontifices? Scio hæc uideri paulò liberius & seuerius dicta, Sed Sotus, cùm institueret contentionem de nostris coriarijs & suis sacerdotibus, uoluit hæc audire. Quòd si perrexerit, audiet fortassis plura. Nam grauiora dici uix possunt. Equidem quod ad me attinet, non accuso ullum Episcopum, Cardinalem aut Pontificem horum criminum. Non enim mihi tantum ocij, nec mei officij est, ut in personas eorum inquiram. Et quid mihi de his, qui foris sunt? Quæ autem recensui, extant in literarum monumentis, & iactantur publicis sermonibus, quorum fides sit penes autores. Certè ignotum nō est, quibus rebus multi in Papistica Hierarchia ad infimos, mediocres, & summos gradus & honores perueniant.

Sed ibi demùm lepidè ornat Sotus suam ecclesiam, cùm ex oratione Abiæ, recenset filios Aheronis, Leuitas, holocausta, Thymiamata, Panes propositionis, candelabrum aureum, & lucernas, & hæc ad suam Ecclesiam accommodat. In qua accommodatione uaniorem ac impudentiorem hominem nunquàm audiui. Audet homo effrons ea de suæ ecclesiæ consono, & uniformi ordine, de pijs precationibus, de obseruatione præceptorum Dei, de concordia & unitate eorum, prædicare & iactare, quæ sciunt omnes boni & honesti, etiam apud suos, pura puta esse mendacia. Et interea blanditur sibi de dissimilitudine Ordinationum Ecclesiasticarum apud nos, perinde ac si dissonantia externarum, ac indifferentium cærimoniarum uiolaret consonantiam fidei. Blanditur sibi de quotidianis suis sacrificijs, quòd etiamsi ipsi sint peccatores, tamen credant ea esse Deo accepta, cùm sacrificijs ipsorum nihil sit in conspectu Dei abominabilius, ac futurum sit, ut quemadmodum Deus tradidit Orientalem ecclesiam, in grauissimam Turcarum seruitutem, ita etiam traditurus sit Ecclesiam Occidentalem in horribile supplicium propter execranda Papisticarum Missarum Sacrificia. Blanditur sibi de suis horis Canonicis, & alijs preculis, quòd fumus earum multò magis ascendat in cœlum, quàm thymiama legis: sed non cogitat hypocrita, non esse speciosam laudem Dei in ore peccatoris, & Orationem tam impiorum hypocritarum fieri in peccatum, & Esaiam exclamare: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum? Cùm extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cùm multiplicaueritis orationem, (horas canonicas) non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Blanditur sibi Euangelio, & certissimis, ut ipse loquitur, Patrū expositionibus, cùm contra Euangelion ex diametro pugnent, & nihil sit Patrum expositionibus incertius, ac sibi magis dissimile.

Quæso te, optime mi Lector, secedamus paulisper ab hac Soti gloriatione, ad templa eorum, ut uideamus quomodo facta eorum cum uerbis Soti conueniant. Non est dubium, quin uisuri simus maiores abominationes, quàm Ezechiel uidit apud Seniores Israel. Ingrediamur ergo. Et ecce tibi ecclesiam plusquàm Iudaicam & Ethnicam. En inspiciamus: Ezech. 8.

Crucem indulgentiarum.
Altaria.
Missas Angulares, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum.
Vigilias pro defunctis.
Anniuersaria.
Purgatorium.
Statuas Sanctorum, ac præsertim Mariæ redemptricis & saluatricis.

Adorationes ſtatuarum.
Inuocationes Sanctorum.
Reliquias Sanctorum.
Fraternitates.
Dedicationes templorum.
Dedicationes altarium.
Conſecrationes ſtatuarum.
Baptiſmata campanarum, cum multis patrimis.
Diſcrimen ciborum.
Diſcrimen ueſtium, ad ſanctificationem.
Horas Canonicas.
Proceſsiones.
Vnctiones ſacrificulorum.
Vnctiones ægrotorum.
Vnctiones infantium in baptiſmo, & puerorum in confirmatione.
Tonſoriſtas.
Acolytos.
Subdiaconos.
Diaconos.
Sacrificulos.
Raſuras.
Caſulas.
Albas.
Veſtes Chorales.
Candelabra.
Lucernas.
Ampullas.
Tabulas pictas.
Vexilla.
Thuribula.
Thymiamata.
Monſtrantias.
Ciborium.
Campanellas.
Aquam benedictam.
Salem benedictum.
Herbas conſecratas.
Cinerem conſecratum.
Pannum quadrageſimalem.
Statuas Sanctorum pannis inuolutas.
Ieiunium quadrageſimale.
Litaniam Sanctorum inuocatricem.
Salue Regina.
Confeſsionem auricularem.
Satisfactiones, quas uocant Emendas, pro peccatis.
Battologias.
Palmas.
Aſinum Palmarum.
Communionem unius tantùm ſpeciei.
Oſculationes & adorationes crucis.

Sepulchrum

Sepulchrũm crucis.
Matutinas nocturnales, & tũmultuosas.
Strepitum instrumentorum ligneorum in die magnæ Paraſceues.
Conſecrationes ignis.
Conſecrationes Cerei Paſchalis.
Conſecrationes placentarum.
Peregrinationes in die Marci, & in hebdomada Rogationum.
Eleuationẽ ſtatuæ, & deiectiones ignis & aquę, in die Aſcenſionis Chriſti.
Demiſsionem ligneæ columbæ in die Pentecoſtes.
Feſtum corporis Chriſti.
Circumgeſtationem, & adorationem panis, adeoq; Perſicam pompam.

Sed defeſſus iam ſum, optime mi comes, demonſtrationibus horum ſacrorum, quæ mutuata ſunt partim à Iudæis, partim ab Ethnicis, partim etiam à Papiſtis ipſis excogitata.

Quid autem fieret, ſi explicatis Legendis Sanctorum, Horariis, Antidotariis, & Hortulis animæ, oſtenderem tibi quæ in iis continentur? Quantam ibi uideres Idolomaniam? quantam abominationem? Quid, ſi diuerteremus ad Bibliothecam, ut ibi inſpiceres Sententiarios, Bricothos, Thomas, Scotos, Verſores, Tartaretos, Bruliferos, nomina uel ipſo ſono timenda? Quas ibi ſordes, quas impietates non inuenires? Quid, ſi ponerem tibi ob oculos, totuarios Ordines, tot uarias Regulas, tot uaria ueſtium genera, tot ritus Monachorum, Fraterculorum, Nonnorum & Nonnarum, qualia ibi ſtabula, quàm ſordida, tibi obtruderentur, ad quæ expurganda uix duo Hercules ſufficerent. Sed abeamus, ne mihi nouum negocium ſit ſuſcipiendum.

Vides ne, mi Lector, quàm probè conueniant uerba Soti cum factis? Gloriatur ſuos ſeruare in cultu ſuo præcepta Dei. Quid, obſecro, uidiſti hîc ſacrorum, quæ Deus præcepit? An non ea omnia, aut ſunt humanæ traditiones, quibus Deus fruſtrà colitur, aut ſunt publica Idolomania, qua Deus turpificatur? Sed heus tu amiciſsime mi Lector, non priùs dimittam te, quàm commendauero tibi libellum D. Lutheri, cui titulum fecit: De ueteri uera Eccleſia, quid, ubi, & quæ ſit, & quibus notis cognoſcatur. In quo libello perſpicuè uidebis, qui inter nos & Papiſtas ſint illi, qui pugnent contra Dominum Deum Patrum ſuorum, & noua ac impia ſacra ſectentur. Vos igitur Papiſtæ, cùm his temporibus reſtituta ſit, diuino beneficio, uerè pia doctrina Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti, nolite obdurare corda ueſtra, nolite intra uos dicere: Patrem habemus Abraham: Succeſſores ſumus Apoſtolorum. Non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes filij. Neque quia ſuccedunt Apoſtolis, ſtatim ſunt Apoſtoli. Memineritis ſecurim ad radicem arborum poſitam eſſe, ut omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidatur & in ignem mittatur. Nolite ergo uociferari, Non peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta. Nolite clamare: Templum Domini, templum Domini, Eccleſia, Eccleſia, Concilia, Concilia. Neque enim ibi ſtatim eſt eccleſia, ubi eccleſiæ uocabulum iactatur. Neq; ibi ſtatim Concilium uerè in nomine Chriſti congregatum eſt, ubi nomen Concilij prætexitur. Reputate potius cum animis ueſtris, quòd quæ quondam pius Rex Ezechias, cùm eccleſiam multis Idolomanijs deformatam inſtauraret, ſuis concionatus eſt, ea maximè omnium ad uos quoq; pertineant. Sed cur ea, pro horum temporum con

2. Paralip. 30. ditione non recitaremus? Filij Israel (inquit) reuertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac & Israel, & reuertetur ad reliquias, quæ effugerũt manus Turcarum. Nolite fieri, sicut Patres uestri, qui neglecta sacra scriptura, tradiderunt se traditionibus, & cõtempto Christo, agnouerunt Romanum Pontificem pro summo suo capite. Nolite fieri sicut fratres uestri Græci, qui & ipsi sacrificijs, & Idolomania sua recesserunt à Domino Deo Patrum suorum, & tradidit eos in interitum, sicut ipsi cernitis. Nolite obdurare ceruices uestras, sicut Patres uestri. Tradite manus uestras Domino, & uenite abiectis humanis traditionibus ad sanctuarium eius, ad sacram scripturã, quam nobis pro certissima fidei regula dedit. Seruite Domino Deo Patrum uestrorum, Prophetarum & Apostolorum, & auertetur à uobis ira furoris eius. Si enim uos reuersi fueritis ad Dominum, fratres uestri Græci, & filij eorum, habebunt misericordiam coram dominis suis Turcis, qui illos in captiuitate detinent, & reuertentur ad ueram Christi cognitionem. Pius enim & clemens est Dominus Deus uester, & non auertet faciem suam à uobis, si reuersi fueritis ad eum.

Sed reuertamur uel tandem ad id, unde nos impudens, & mendax gloriatio Soti de sinceritate suæ ecclesiæ, abripuit. Dicimus ergo, unam tantum esse VERAM Ecclesiam, quam Christus colligit sibi uoce Euangelij sui ex uniuerso humano genere.

Sicut autem in posteritate Abrahæ, post Salomonem, duo erant hominum cœtus, quemadmodum suprà indicauimus, è quibus filius Dei ueram suam Ecclesiam colligebat, quorum alter erat Regnum Iuda, In quo cùm essent reliquiæ purioris doctrinæ, & legitimorum sacrorum, non dubium est, quin uera fuerit ecclesia, non quòd singuli eius regni incolæ essent uera ueræ Ecclesiæ membra: Non enim omnium est fides. Et: Multi fatentur Deum uerbis, factis autem negant. Nec quòd ministerium ecclesiasticum fuerit in eo regno prorsus incorruptũ, Sed quòd ex eo cœtu uera ecclesia, ordinario & legitimo, quamuis non omninò incorrupto uerbi Dei ministerio, colligeretur. Alter cœtus erat Regnum Israel, In quo reseruabat quidem sibi Deus septem millia hominum, qui non curuabant genua sua ante Baal, reseruabat autem eos sibi, non ordinario, sed Mirando modo. Erant enim publicè omnia piæ religionis in eo regno corrupta. Quare hoc regnum meritò habendum erat pro falsa ecclesia. Sicut ergo (inquam) erant quondam in posteritate Abrahæ duo cœtus, quorum alter dicendus erat, Vera, alter, Falsa Ecclesia: ita his temporibus duo sunt cœtus, è quibus uera Ecclesia à DOMINO colligitur. Alter est cœtus Papisticus, qui cùm subijcit sacram Scripturam, (quæ est perspicua Epistola DOMINI DEI nostri ad humanum genus,) Pontificijs traditionibus, habet omnia sacra corrupta & sordidata. Et quanquàm sperandum sit, quòd Deus habeat etiam suos in hoc cœtu electos, tamen quia hi seruantur non ordinario ministerio, quod est in hoc cœtu corruptissimum, sed mirando modo, idcircò hic cœtus non debet dici Vera, sed tantùm falsa ecclesia. Alter cœtus est eorum, inter quos instaurata est beneficio Dei, uerè pia doctrina Euangelij de Domino nostro Iesu Christo, & restitutus est abrogatis impijs sacris, uerus usus Sacramentorum, iuxta institutionem Christi. In hoc cœtu, & si non omnes uerè credunt in Christum, ideoque non sunt uerè uiua membra ecclesiæ, tamen quia filius Dei colligit sibi in eo per ordinarium & legitimum ministerium piæ doctrinæ, ueram suam Ecclesiam, idcir-

eo is cœtus dicendus est uera ecclesia, idq; propter ueritatem ministerij, quod in eo suæ sinceritati est restitutum.

Habes igitur, Sote, quomodo una tantùm sit VERA Ecclesia, & quomodo plures, & quòd nomen ueræ ecclesiæ nihil minus, quàm ad uestrum Papisticum cœtum pertineat.

Deinde considerandum est, quomodo Ecclesia sit Visibilis, & quomodo Inuisibilis. Multum enim uociferatur Fraterculus aut Logodædalus eius, Ecclesiam esse ciuitatem in monte sitam, uisibilem & manifestam. Cùm enim Christus remittat querelas suorum ad Ecclesiam, Dic, inquiens, Ecclesiæ, quò nos remitteret, si ecclesia nō esset uisibilis & manifesta? Ac ut nos de hac certius erudiat, recitat nobis pro more suo paralogismum Sophisticum. Petrus & Paulus sunt uera membra Ecclesiæ, & sunt uisibiles, Ecclesia igitur est uisibilis. Scilicet Sotus, homo lepidus, existimat nobis, qui sumus Germani, ignotum esse, quæ cognominis eius Petrus Hispanus de fallacijs, adeoq; de fallacia accidentis tradidit. Quòd si hoc Sophisma seriò recitat, quid eo insulsius? quid ineptius? quòd non uideat ea, quæ & pueri uidere solent. Si ioco, quid eo scurrilius, quòd in re tam seria sophismatis ludat? Nam si usum esset, cum Soto sophismatis certare, opponerem ei, quod sui dicunt, Substantias & formas esse inuisibiles, ideoque nec Petrum, nec Paulum, cùm sint substantiæ, esse uisibiles. Sicut enim, nemo unquàm uidit asinum formaliter, ut ipsi loquuntur, sed tantum magnum, glaucum, crassum, ita nemo uidit hominem, sed tantum album, aut nigrum, aut longum. Vides igitur Sote, te etiam iuxta tuos Sophistas ex Petro & Paulo malè collegisse Ecclesiam esse uisibilem.

Sed ad rem. Si Sotus, cùm docet Ecclesiam esse uisibilem, loquitur de sua Romana seu Papistica ecclesia, tantum abest, ut negem eam esse Visibilem, ut etiam ingenuè confitear eam omnibus sensibus hominis, tam exterioribus quàm interioribus perceptibilem, uidelicet, Audibilem, Odorabilem, Gustabilem, Palpabilem, Phantasiabilem, aut ut rectius dicam, Phantasticam, concupiscibilem, irascibilem, cogitabilem, intelligibilem, Memorabilem. Quid uis, Sote, amplius? An non habes reum latis confitentem? Sed unum adhuc addendum est, Vestram Ecclesiam, perceptibilem quidem esse tot sensibus, sed hactenus maximo totius humani generis detrimento. Itaq; plus nimio fuit uisibilis, ac optandum esset, ut prorsus fuisset Inuisibilis.

Si autem sermo est de Vera, uiua & æterna Ecclesia, quam in Symbolo Apostolico profitemur Sanctam & Catholicam, ea certè, quicquid Sotus effutiat, non est Visibilis in hoc mundo, sed tantum, ut ita dicam, Credibilis.

Dicitur autem Inuisibilis duplici ratione. Altera est, quòd soleat in hoc mundo tecta esse cruce, ut nihil minus uideatur, quàm uera esse ecclesia. In Esaia iubet DOMINVS Ecclesiam se abscondere, dum supplicium impiorum affligentium eam patefiat. Vade, inquiens populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, absconde modicùm, ad momentum, donec pertranseat indignatio mea. Et iterum: Vt mulierem derelictam, & mœrentem spiritu uocauit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Sed & de Christo ipso, uero & unico ecclesiæ capite scriptum est: Non est ei species, neq; decor. Et

uidimus eum, & non erat aſpectus, ut deſideraremus eum, deſpectum & nouiſsimum uirorum, uirum dolorũ, & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, Vnde non reputauimus eum. Viderunt igitur Iudæi externam faciem Chriſti, Non autem uiderunt eum eſſe Chriſtum. Tam fœda enim cruce tectus erat, ut eum etiam abominarentur, tantum abeſt, ut eum pro Chriſto agnoſcerent. Sed & Apoſtoli cruce offenſi, defecerunt ab eo. Sic & de uera Eccleſia ſentiendum eſt. Qui enim ſunt uera & uiua membra eius, & ſi uidentur inter reliquos homines uerſari, tamen quia ſolent grauiſsimè in mundo affligi, tantum abeſt, ut uideantur eſſe uera & electa Dei Eccleſia, ut potius iudicentur eſſe catharmata & perípſemata. In Iſrael reſeruauit ſibi DOMINVS ſeptem millia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, & qui erant uera Dei Eccleſia, Sed ita abſconditi erant, ut ne quidem Propheta ipſe Elias agnoſceret eos eſſe Eccleſiam. In Iudæa, non erant uera Eccleſia Herodes, Annas, Caiaphas, Sadducæi & Phariſæi, ſed Zacharias, Elizabeth, Paſtores, Ioſeph, Maria. Quis autem illis temporibus, non illos potius, quàm hos, ueram Eccleſiam iudicaſſet? Apud Eſaiam conqueruntur Apoſtoli, quòd & ipſis eccleſia ſuerit ignota. Quis, inquiunt, credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et Apoſtolus: Alij (inquit) diſtenti ſunt, alij ludibrijs & flagris explorati ſunt, lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tentati ſunt, occiſione gladij occubuerunt, oberrarunt in ouillis, & caprinis pellibus, deſtituti, preſsi, afflicti, in deſertis errantes, & montibus ac ſpeluncis, & cauernis terræ. In tantis aduerſæ fortunæ tenebris, quis potuiſſet ueram Dei Eccleſiam uidere? Quare, ſi conſideraueris crucem & afflictionem, qua uera eccleſia premitur, rectè dicimus eam in hoc mundo inuiſibilem eſſe.

Vnde & iubemur in Symbolo Apoſtolico credere eſſe ſanctam Catholicam eccleſiam, Propterea, quòd pijs in hoc mundo tanta aduerſa accidunt, ut uideantur prorſus à Deo abiecti, nihilominus tamen contra omnem ſenſum ſit credendum, adhuc reliquam eſſe eccleſiam in cœtu hominum, Deo gratam, & cœleſtis regni hæredẽ. Altera ratio eſt, quòd & ſi de ſua quiſq; uerè pius remiſsione peccatorum, & æterna ſalute, propter Ieſum Chriſtum, certus eſſe debet, quemadmodum aliâs copioſè oſtendimus, tamen nullus hominum eſt alieni cordis cognitor.

Paulus de ſua quidem fide in Chriſtum, & ſalute certus eſt, & uidet collegam ſuum Barnabã in eodem miniſterio uerſari, uidet honeſtatem uitæ eius, audit confeſsionem fidei eius, audit pias & Apoſtolicas eius conciones, non intuetur autem cor eius, non uidet latebras & receſſus animi eius. Quare, & ſi iuxta charitatis ingenium benè ſperat de ſinceritate & conſtantia fidei eius, non tamen poteſt (niſi diuinitùs fuerit certificatus) ex ſuo ſenſu, certiſsima ueritate confidere, & abſque omni conditione, pronunciare Barnabam eſſe uerè uiuum & æternum membrum eccleſiæ. Homo, inquit Samuel, uidet ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor. Et Chriſtus: Non de omnibus uobis (inquit) loquor. Ego ſcio quos elegerim. Et Paulus: Solidum, inquit, fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus, qui ſint ſui. Quòd ſi teſtimonium Aſoti aliquid ponderis habet, fatetur ipſe in ſcorijs ſuis, eccleſiam
In cap. De Eccleſia. „ eſſe abſconditam. Reuera, inquiens, mundicia non poteſt ſignum eſſe
„ eccleſiæ, QVAE ABSCONDITA eſt. Merito enim clamat eccle-
„ ſia: Nigra ſum, ſed formoſa. Et in opinata ſua Defenſione: Ita ut mixta ea
(inquit)

(inquit) quæ superius dicta sunt meritò sanctitas occulta, abscondita & in- "
certa sit, (Nec enim notum est, qui sint uerè sancti, & si ex operibus exter- "
nis luceat frequenter interior illa sanctitas, &c.) Ac iterum: Sint igitur isti, "
tanquàm anima, sint, quod ad sanctitatem attinet, absconditi, & latentes, "
intrinsecus, propter quos dicitur ecclesiæ, quòd intrinsecus latet, &, Om- "
nis gloria filiæ regis ab intus. "

Habes hominẽ affirmantẽ sua sponte, quod aliâs negat & impugnat.

Quare, & si alij aliorum oculis in hac terra sunt conspicui, tamen, si & crucem, qua ecclesia solet abscondi, & aliena corda, quæ soli Deo sunt cognita, consideraueris, rectè, uerè & piè dicitur, ueram & à Deo electam ecclesiam, non esse in hac uita humanis oculis uisibilem, sed tantùm fide perceptibilem, ut in Symbolo Apostolico non dicendum sit, Video, sed tantùm Credo esse sanctam catholicam Ecclesiam.

Quid ergo est, quod Christus ait: Dic Ecclesiæ: Vbi eam inueniemus? Hic in mentem reuocandum est, quod suprà de Vera & falsa ecclesia exposuimus. Non solum enim is cœtus, qui uerè est Dei ecclesia, in Christo antequàm iacerentur fundamenta mundi electa, & Soli Deo cognita, sed etiam ille cœtus, in quo sonat sincera uox Christi, & administrantur Sacramenta iuxta institutionem Christi, uocatur uera ecclesia, non quòd omnia externa membra eius, sint uera & uiua membra coram Deo, sed quòd ex eo cœtu, uera & electa Dei ecclesia, ordinario, legitimo & sincero ministerio colligatur. Cùm igitur Christus iubet discipulos querelas suas exponere Ecclesiæ, non mittit eos ad Annam, Caiapham & Synedrion eorum, hoc est, ad falsam & malignantium ecclesiam, sed ad ueram ecclesiam, hoc est, ad eum cœtum, ex quo Deus ueram suam & æternam Ecclesiam per uocem sinceri sui Euangelij colligit.

Ex his, puto, satis perspicuè exposita, & refutata esse ea, quæ Sotus tam in sua Confusione & Scorijs, quàm in opinata Defensione, aduersus Confessionem Principis, & mea Prolegomena, de uisibili & inuisibili ecclesia, effutit, calumniatur & nugatur.

Dicamus igitur nunc etiam, de ecclesiæ Sanctitate, quomodo uidelicet Vera ecclesia sit & Sancta, & peccatrix, ut cognoscamus quid illud sit, quod Sotus uociferatur, ea testimonia, quæ aduersus impietatem & scelera Prælatorum Ecclesiæ (ut ipse loquitur) recitantur, confirmare potius, quàm labefactare autoritatem eorum. Vanus enim & ineptus homo legit apud Paulum illa dicta: Iniustitia nostra commendat iustitiam Dei. Et: Veritas Dei excellit per meum mendacium in gloriam ipsius. Et hæc dicta conatur imitari, ut quemadmodum iustitia Dei eluceſcit per nostram iniustitiam, ita autoritas Prælatorum illustretur per scelera & impietatem eorum. Hinc multa & magna nobis concionatur, quòd mali sint permixti bonis in Ecclesia, quòd in peccatoribus uerè sit Ecclesia, sicut tabernacula Cedar, & quòd Ecclesiam non agnosceret, nisi peccatores haberet. Hic uerò bonus scilicet uir existimat nos tanta esse, uel cæcitate, uel amentia, ut nesciamus, aut negemus, in ecclesia esse peccatores, & bonis malos permixtos. Sed hîc nobis considerandum est, qua occasione Sotus has declamationes habendas susceperit, ut manifestè uideamus, eas esse in lente, quod dici solet, unguentum. Sotus sæpè ac multùm uociferatur, iudicium de doctrina Religionis ad suos Prælatos ita pertinere, ut quod ipsi definierint, omnes ratum habere debeant. Neq; enim posse in eis ueritas doctrinæ deesse. Et sint ecclesia illa, cui pro-

missio Christi facta sit: Portæ inferi nõ prævalebunt aduersus eam. Addit & illud, quòd ut quis ad ecclesiam, siue ut subditus, (recito autem uerba eius) siue, ut prælatus, pertineat, non pendeat, nec ex electione Dei, nec ex uera fide & charitate internis. Et ut uideas, Sotum meis Prolegomenis admonitum, plurimum in doctrina religionis proficere, affirmat in opinata sua Defensione, autoritatem illam sacerdotum & ecclesiæ tantum profuisse ijs qui ignorantia quadam & simplicitate secuti sunt Caiaphan & reliquos sacerdotes, qui condemnauerunt Christum, ut uel non peccauerint, uel minus peccauerint, uel non usque adeo, ut Deus in perpetua illos cæcitate desereret. Cùm igitur Sotus, etiam priusquàm tam insigniter, & horribiliter insaniret, Prælatos suos, tanquàm in suis Synodis ἀναμαρτήτους, aduersus quos portæ inferi non possent prævalere, & quorum quasi propria esset possessio spiritus sancti, nobis obtruderet, nõ uisum est personas, & uitia Prælatorum huius præsentis ætatis nominatim perstringere, ne quis me affectu magis, quàm iudicio duci existimaret, sed uolui aliquot publica, tum ueterum, tum recentiorum testimonia commemorare, ut & Sotum manifestæ, (sic enim aduersarij piæ doctrinæ conuincendi sunt) uanitatis coarguerem, & perspicuè ostenderem, quòd cùm portæ inferi toties prævaluerint aduersus Prælatos, non possit eis iudicium de doctrina religionis tutò, & sine omni exceptione committi. Non agebatur ibi de administratione Sacramentorum, quam & hi, qui animo sunt Epicureo, aut hypocritæ, aut etiam externis sceleribus sordidati, si institutionem filij Dei seruauerint, & non è cœtu ueræ ecclesiæ abiecti fuerint, peragere possunt, Sed agebatur de Iudicio in controuersijs, quæ sunt, de uera doctrina religionis. In hoc dicendi statu, uolui publicis testimonijs ostendere, quòd & portæ inferi soleant prævalere aduersus Prælatos, & quòd spiritus sanctus non sit ad personas eorum alligatus, ideoque sententia eorum in controuersijs de dogmatibus religionis, non possit esse certissima fidei regula, præsertim, cùm Sotus nomine eorum uociferetur, eos ad dijudicandas tales controuersias non indigere interna fide & charitate. Etsi enim & Balaam, & Caiaphas prophetârunt, tamen quemadmodum non est ideo admiranda, (sicut Augustinus dicit) asinorum sapientia, quòd cuiusdam Prophetæ dementiam Deus uoluit, etiam asina loquente coërcere: ita non est ideo absq; omni exceptione, in dijudicatione doctrinæ religionis, probanda autoritas Papisticorum Prælatorum, quòd unus & alter impius Propheta aut Pontifex aliquando uerum dixerit.

Sotus autem hoc statu in præsentia dissimulato, concionatur nobis de conditione ecclesiæ, quòd mali sint permixti bonis in Ecclesia, quòd in peccatoribus sit ecclesia, ac id genus multa. Sed quid hoc ad institutum? Num quia peccatores sunt in ecclesia, idcircò omnia Prælatorum decreta sunt oracula spiritus sancti? Num quia mali sunt permixti bonis in ecclesia, Prælatorum sententia, in dijudicatione doctrinæ religionis, est certissima regula fidei? Ideóne portæ inferi non prævalent aduersus Prælatos, quia sunt Epicurei, & tales, quales eos describunt testimonia, quæ in Prolegomenis recitauimus?

Sed de hac re copiosius aliàs dictum est, & fortassis postea, sua occasione dicetur. Nunc autem de sanctitate & peccatis ecclesiæ dicamus.

Sotus enim uertigine & cæcitate percussus, concionatur quidem de sanctis & peccatoribus in ecclesia, non explicat autem, nec de qua ecclesia, nec

sia, nec de qua sanctitate, nec de quibus peccatoribus loquatur. Nam si loquitur de sua Papistica ecclesia, quid opus erat docere, quòd in ea sint peccatores? Nihil hac re certius est. Et testificatur hoc uniuersus orbis: Peccatum suum (ut uerbis Esaiæ utar) quasi Zodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Quare, qui negat in uestra Papistica ecclesia esse peccatores, eosq; longè omnium impijssimos & sceleratissimos, eum ego ipse sentio esse uanissimum & impudentissimum.

Antequàm uerò de alijs ecclesiæ generibus, & de sanctitate ecclesiæ loquamur, dicendum est de peccatoribus. Non enim unum tantum genus est peccatorum. Alij sunt peccatores pœnitentes, alij Impœnitentes.

Dicuntur autem pœnitentes, qui agnito peccato suo, credunt sibi peccatum condonatum gratis, tantum propter Iesum Christum filium Dei. Nec hoc solum intelligendum est de Dauide aut Petro aut alijs, qui postquàm externa scelera designârunt, conuersi sunt ad Dominum, uerumetiam de his, qui nunquàm sunt in externa scelera conscientiam uastantia lapsi, sed semper crucifixerunt carnem cum affectibus & concupiscentijs, & duxerunt honestam ac irreprehensibilem uitam. Hi sunt & ipsi pœnitentes peccatores, propterea quòd cùm semper gestent reliquias peccati in carne sua, & non faciant bonum, quod uolunt, agnoscunt quidem peccatum, sed credunt sibi condonari propter Christũ, cuius etiam spiritu excitati & ducti, non uersantur iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Impœnitentes autẽ sunt, qui uel externis sceleribus ita sunt sordidati, ut nullam prorsus agant uerã pœnitentiam, sed pergant præfractè in suis sceleribus, uel qui animo sunt impio & Epicureo, etiamsi ducant coram hominibus honestam & inculpatam uitam. In falsa igitur seu Papistica ecclesia, si corruptum ministerium eius consideraueris, non sunt nisi peccatores impœnitentes. Nam qui in ea seruantur, (Habet enim filius Dei etiam in eo cœtu sua septem millia, quemadmodũ suprà diximus) non seruantur ordinario, sed mirando modo. Omnes autẽ reliqui, hoc est, maxima, potentissima & sanctissima pars, aut sunt hypocritæ, aut palàm sceleratí & Epicurei, qui non agnoscunt magnitudinem sui peccati, nec uerè credunt, quòd solus Christus sit peccati expiator. In uera autem externa ecclesia, in quà restituta est uerè pia doctrina, & è qua filius Dei colligit per legitimum & ordinarium ministerium, æternam suam ecclesiam, illud uerè accidit, quod Christus dicit: Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti, quod cùm impletum fuisset, subduxerunt in littus. Quem locum etiam Sotus ipse producit, sed ita, ut perspicuè significet sibi accidere, quod prouerbio dicitur, Σάλπιγγος ὗς ἤκουε. Nomine enim regni cœlorum non intelligenda est Papistica ecclesia, in qua & si nonnullos mirabiliter conseruari speramus, tamen sua natura non est, nisi fermentum Pharisæorum, à quo Christus nos cauere iussit. Sed intelligitur Prædicatio seu Ministerium Euangelij de Iesu CHRISTO, qui est cœlestis regni gubernator, quo ministerio uocantur quidem multi ex uniuerso humano genere in unum cœtum, in eo autem cœtu maior ferè pars solent esse impij. Etsi enim Euangelion Christi adnunciatur in hoc cœtu purè & sinceriter, tamen accidere solet, quod alia parabola commemorat, uidelicet, aliud semen cadere iuxta uiam, aliud in loca saxosa, aliud in spinas, quartum demùm cadit in bonam terram, & affert fructum. Itaq; in hac ecclesia, sunt omnia genera peccatorum, Pœnitentes, uidelicet, & impœnitentes. Ac impœnitentium alij quidem sunt hypo-

critæ, qui & si sunt impio corde, tamen quia impietas eorum non patet humano iudicio, non solum tolerantur, uerumetiam nonnunquàm ecclesiæ præficiuntur: alij sunt manifestè scelerati, hi, si non excitantur ministerio uerbi Dei, ut resipiscant, aut sunt à magistratu, iuxta leges puniendi, ut uel supplicio ad pœnitentiam excitentur, uel saltem alijs suo exemplo non noceant, aut sunt excommunicatione à reliquo cœtu eijcendi, sicut Paulus dicit: Si quis, cùm frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidē capiatis. Sed uera interna, & soli Deo cognita, ecclesia, quam suprà uocauimus inuisibilem, & quæ ex his duabus externis, ex uera quidem ordinario ministerio, ex falsa autem mirando modo, colligitur, constat quidem & ipsa in hac terra ex peccatoribus, non autem impœnitentibus, sed tantùm pœnitentibus. Omnes enim qui sunt huius ecclesiæ membra, in hac terra, & si sunt renati in Christo per fidem, & non ambulant iuxta carnem, aut si ambulauerint, resipiscunt, tamen habent adhuc peccatum in carne sua, quod rebellat legi mentis suæ, ut Paulus loquitur, & præ quo non faciunt bonum, quod uolunt, ideoque exclamant cum Dauide: Tibi tantum pecco, & malum coram te facio. Et: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et cum Paulo: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Quare, quodcunq; genus ecclesiæ propo sueris, fatemur eam in hac terra, non nisi ex peccatoribus constare, ut Sotus planè superuacaneam operam ad hanc rem docendam susceperit.

Quid ergo? Si ad hunc modum habet causa cum Ecclesia, ubi sunt Sancti? ubi est ea Ecclesia, quam Paulus scribit, Christum sibi sanctificasse, nō habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi?

Hic nobis de sanctitate ecclesiæ dicendum est. Sicut ergo Paulus scribens ad Romanos capite quarto, duplicem ponit iustitiam, aliam fidei, aliam operum: ita duplex sanctitas sit, necesse est. Et alia quidem est Christi filij Dei, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Hanc sanctitatem filius Dei, non soli sibi retinet, sed habet eam communem cum omnibus uerè in ipsum credentibus, hoc est, cum uniuersa illa electorum ecclesia, quam uocauimus antea internam & inuisibilem. Quotquot enim sunt membra huius ecclesiæ, ut uerè credunt in Christum, ita etiam reputantur propter iustitiam & sanctitatem Christi, coram Deo Iusti & Sancti, & adoptantur in filios ac hæredes Dei. Nec est, ut de hac Dei uoluntate ac beneuolentia dubitemus. Si enim Deus, inquit Paulus, proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem OMNIA nobis donet? Omnia, inquit, cum eodem nobis donat. Et quæ sunt illa OMNIA, nisi condonatio peccati, quam Christus cruce & morte sua nobis meritus est, & Iustitia, ac Sanctitas, qua Christus uniuersam legem impleuit, ac præstitit Deo Patri perfectam obedientiam, & adoptio in filios Dei, quam Christus nobis impetrauit, & hæreditas cœlestis regni, quam Christus nobis ab exordio mundi parauit? Quare si in ecclesia electorum, hoc est, in Verè credentibus in Christum, respexeris Christum ipsum,

quem

quem credentes per fidem possident, non est ulla in eis iuxta Paulum macula, non ruga, non peccatum. Quis intentabit, inquit Paulus, crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat, hoc est, reputat eos iustos propter Christum, quem fide possident: Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.

Alia autem Sanctitas est humanorum operum, eorum uidelicet, quæ per hominem, uel autore spiritu fidei, uel naturali uirtute fiunt. Ac pij quidem, qui uerè in Christum credunt, & si habent quandam operum sanctitatem, Obediunt enim uocationi Dei ex fide, & placent Deo propter Christum, tamen non confidunt hac operum sanctitate, propterea quòd non sit integra & perfecta, sed multis sordibus peccati coinquinata, nec possit seuerũ Dei iudicium ferre, ut uerè dicatur: Non iustificatur ex operibus legis omnis uiuens. Impij autem & hypocritæ, & si uidentur & ipsi quandam operũ sanctitatem habere, tamen nec ipsi placent Deo, nec opera eorum fiunt ex fide, nec respondent perfectioni legis diuinæ. Si Abraham, inquit Paulus, ex operibus iustificatus fuit, habet, quod glorietur, at non apud Deum. Et Christus de eleemosynis, precationibus, & ieiunijs hypocritarum, Habent (inquit) mercedem suam, uidelicet, coram hominibus.

Quare, qui sunt membra falsæ seu Papisticæ ecclesiæ, uidentur quidem aliquoties habere speciem sanctitatis, sed quia sunt impij, sunt & ipsi, & sanctitas ipsorum, Deo abominanda. Qui autem sunt membra ueræ & æternæ ecclesiæ, & si gestant adhuc in carne sua peccatum, & faciunt opera imperfecta, tamen quia possident Christum, qui est uera & æterna iustitia atq; sanctitas, idcircò non imputatur eis peccatum, & operum imperfectio, sed habentur omnes coram Deo propter Christum Iusti & Sancti.

Facit & Sotus duplicem sanctitatem, alteram perfectam & consummatam, quæ sit futuri seculi; alteram imperfectam, quæ sit huius uitæ.

Ac iterum repetit, quod ante in Assertione sua temerè effutierat, sanctitatem non esse singulis promissam, nec in singulis inueniri. Et ut sciamus quantum in cognitione piæ doctrinæ proficiat, addit: Ecclesiam semper quidem sanctam esse, non autem singulos, qui ad eam pertineant.

Nos uerò in præsentia non loquimur, de consummata illa sanctitate, qua reipsa in cœlesti regno ornabimur, sed de ea sanctitate, propter quam in hac uita sancti coram Deo habemur, & in tribunali eius consistere possumus. De hac sanctitate Sotus magis mutus est, quàm pisces. Nec aliter de sanctitate disserit, quàm de uirtutibus philosophus quispiam Ethicus & Ethnicus. Iusticiam, inquit Cicero, cole & pietatem. Ea uita, uia est in cœlum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Quid honestius, quid rectius, quid magis pium dici uidetur?

Sed nescit, sicut nec Sotus tot annos in schola Christianorum uersatus didicit, quod est ueræ pietatis & sanctitatis, qua uia est in cœlum, caput. Christus Iesus (inquit Paulus) factus est nobis Sapientia à Deo, Iusticiaq; & Sanctificatio, & redemptio.

Quisquis enim cupit fœliciter frui æuo sempiterno, & perfectam habere in cœlo iusticiam, necesse habet in hoc seculo, Christum filium Dei per fidem agnoscere, & Christo donari, ut propter eum reputetur coram Deo Iustus & Sanctus, & constet coram tribunali Dei, non suorum operum, quæ ipse fecit, sed tantùm Christi filij Dei, qui per fidem in

cordibus credentium habitat, sanctitate. Arbitror omnia, inquit Paulus, damnum esse propter excellētiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi, habeóq; pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciam, utq; reperiar in illo, non habens MEAM IVSTICIAM, quæ est ex lege, sed eam, quæ PER FIDEM est, Christi. Etsi enim fides in hac uita non est perfecta propter carnem, tamen Christus, qui fide accipitur, perfectus est, & compensat omnia, quæ credentibus in ipsum desunt. Quod lex (inquit Paulus iterum) præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum, ut iustificatio legis, (quæ certè exigit perfectam iusticiam & sanctitatem) impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum uersamur. Et rursus: Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicunque baptisati estis, CHRISTVM induistis.

Qui autem CHRISTO est indutus, quid ei ad iusticiam & sanctitatem coram Deo deesset? Multum quidem deest ei, si opera eius consideraueris, quia in hac uita sunt imperfecta & corrupta. Si autem intueaeris CHRISTVM, per fidem acceptum, nihil ei iusticiæ aut sanctitatis coram Deo deest, nisi tantum, ut in uocatione Dei expectet aduentum Domini nostri Iesu Christi, & patefiat reipsa, quod iam per fidem in Christo possidet. Et quanquàm nec omnes, nec singuli, quibus Christus sese promittit, recipiunt eum, tamen quotquot eum recipiunt, agnoscit eos filios Dei, & cohæredes suos, ut quam ipse habet iusticiam & sanctitatem, ea coram Deo fruantur. Quare uanissimũ est, quod Fraterculus dicit: Ecclesiam quidem sanctam esse, nõ autem singulos, qui ad eam pertineant, nisi fortè loquitur de sua Papistica ecclesia, cuius neq; caput, & si sanctissimum uocatur, neque membra sancta sunt, sed detestanda impietate turpificata. Hæc habui in præsentia, de ecclesia, quæ dicerem. Nec dubito, quin si quis hæc, & quæ de hoc argumento in Prolegomenis scripsi, diligenter legat, & conferat ad ea, quæ Sotus contradicere conatur, manifestè cognoscat mendacia & calumnias Soti, ut superuacaneum fuerit, in ijs refutandis diutius commorari.

De Concilijs.

MVltæ & magnæ fuerunt hactenus Papistarum rixæ de Conciliorum ratione. Belligerantur enim aliâs de iure & autoritate conuocandi Concilij, Num hoc ius competat soli Papæ, an etiam Imperatori. Aliâs de maiestate Papæ, num superet sua autoritate Concilium, an uero sit Concilio subiectus. Aliâs de personis ad dijudicationem controuersiarum in Concilio adhibendis, Num tantum Ecclesiastici Prælati, an etiam seculares Laici, ut uocant, sint in Concilio Iudices. Aliâs de autoritate Concilij, Num possit errare, & Num sit de necessitate salutis, quamuis definitam, ut ipsi loquuntur, sententiam Concilij, ut sacrosanctam & inuiolatam amplecti, & obedienter sequi.

Sed quia in hoc toto scripti genere ostendimus Papistarum colluuiem fingere, sequi, & tueri, falsa & impia dogmata, ideoq; falsam esse ecclesiã, relinquamus

linquamus suas eis de Conciliorũ ratione rixas, & exponamus, quid uera filij Dei Ecclesia de Concilijs sentiat. Vocamus autem in præsentia Cõcilium, quod Græci uocant συνέδριον, aut σύνοδον, congregationem eorum hominum, qui siue ad constituendam Ecclesiasticam œconomiam, siue ad dijudicandas Ecclesiasticas controuersias & disceptationes conueniunt. Non enim dubium est, quin in Ecclesia, quemadmodum Confessio Principis recitat, sua debeãt esse de dogmatis & sacris iudicia. Prophetæ, inquit Paulus, duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent. Et cùm in primitiua Ecclesia dissensio orta esset de Circumcisione, conuenerunt Apostoli & Seniores ad hanc disceptationem dijudicandam. Quare non est dubium, quin in dissensione de doctrina religionis conueniẽdum sit, ut fiat legitima cognitio.

Nec illud in præsentia quæritur, quis habeat ius conuocandi huius cõuentus. Si enim in Ecclesia nõ est politicus magistratus, licebit ut hi, quorum interest, sua sponte conueniant. Sicut Paulus & Barnabas, & alij nõnulli conuenerunt ad Apostolos ac Presbyteros Hierosolymis, ut de circumcisione dijudicarent. Licebit item, ut per certum Ecclesiæ ministrũ, non imperio, sed precario conuocentur. Si autem in Ecclesia est politicus magistratus, pium est & legitimum, ut quia is habet ordinariam potestatem gubernandæ reip. conuocet etiam eos, qui ad dijudicationem controuersiarum idonei uideantur, quemadmodum Constantinus conuocauit Synodum Nicænam, & alij Imperatores alias Synodos. Si autem politicus magistratus concesserit hoc officium alteri, siue Principi politico, siue ministro Ecclesiastico, per se nihil peccatur, tantummodo, ut fiat conuocatio honesta & tranquilla administratione. De hac re, si rixati fuerint Papistæ, respondemus, quod Paulus dicit: Ecclesia Dei huiusmodi consuetudinem non habet.

Nec illud quæritur, qui ad dijudicandas cõtrouersias de doctrina religionis conuocari, & sententiam dicere debeant. Hic enim Papistæ concedunt quidem Laicis, uocem, ut ipsi loquuntur, consultiuam, sibi autem retinent uocem decisiuam. Sed Papistæ, qui non sunt uera Ecclesia populi Dei, blandiantur sibi de suis prærogatiuis, & fruantur suis delitijs, certè in eo Concilio, in quo Mathias cooptatus est ad numerum undecim Apostolorum, in locum Iudæ Ischariotæ, non conuenerunt tantùm Apostoli, uerumetiam alij ex uulgo, aut ut isti loquũtur, ex laicis. Et postea, cùm in controuersia de neglectu uiduarum Græcarum in quotidiano ministerio, eligerentur septem diaconi, non conuenerunt tantum Apostoli, uerumetiam multitudo discipulorum, hoc est, laicorum. Paulus quoque, cùm ad Corinthios scriberet, Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent, non loquitur tantùm de Episcopis & diaconis, sed etiam de ijs, qui ex uulgo sunt, ut dijudicent. Et tamen, ne fiat rerum confusio, addit: Omnia, (inquiens,) decenter, & secundum ordinem fiant. In uera igitur externa Ecclesia, habeatur honestus delectus, ut cũ res exigit dijudicationem de doctrina, conuocentur non quiuis rudes, & nullo singulari dono spiritus insigniti, sed eruditi, honesti, & prudentes uiri, non tantũ ex ordine ministrorum, uerumetiam ex ordine auditorũ Ecclesiæ, quorum nota est pietas ac eruditio in sacris literis, & honestas uitæ. Hi audiãt controuersiam, conferant suam sententiam, & dijudicent. Quæ uerò regula in dijudicatione sequenda sit, postea, Deo uolente, dicetur. Hæc aũt ideo recensere uolui, ut ostenderem, quòd in uera Ecclesia Principes secu

lares,& alij ex politico ordine docti ac honesti uiri,nõ sint repellendi à di/ iudicatione controuersiarum in doctrina religionis,Sicut Papistæ eos re pellunt,idq; nõ simpliciter,sed magna contumelia. Vade,inquiunt,post me Satana. Quod uerbum,quo magis Sotus excusare conatur,& meam sententiam de Principibus secularibus deprauat & calumniatur, eo ma/ gis uanitatem & impudentiam suam pijs quibusq; cognoscendam & de ridendam propinat.

Nec uisum est mihi in refutandis talibus calumnijs,& mendacijs,quæ lectori conferenti ad ea meum scriptum, per se conspicua sunt,hærere & immorari.

Præterea,nec illud quæritur,quis in tali cœtu præsidere, quis uel sen/ tentiam aliorum rogare,uel primus sententiam dicere debeat. De hac re rixentur inter se Papistæ,qui cùm Petrus aliquoties nomine aliorum A/ postolorum uerba fecerit,existimant Papam, qui gloriatur se Petri suc/ cessorem,& Christi uicarium,in supremo gradu Ecclesiæ ita collocandũ, ut quod ipse è scrinio pectoris sui, in quo habeat omnia iura, eructaue/ rit,sit cœleste oraculum. Sed uanitas eorum aliâs ita patefacta est,ut super uacaneum sit, in præsentia de hac re differere. Vera enim Ecclesia, non hoc sollicitè agit,quis in supremo loco præsideat,& sententiam primus dicat,Sed quis sententiam iustam,ueram, rectam,piam,ac scriptis Pro/ phetícis & Apostolicis cõsentaneam dicat. Nouit dictum esse à Christo: Principes gentium dominantur eis,uos autem non sic, sed qui maior est in uobis,fiat sicut iunior,& qui princeps est,sicut qui ministrat. Quare,si cut nullus uerè pius cupit se alijs arroganter & odiosè præferri,ita uera Ec clesia iuxtà ponit,siue secularis Princeps,siue Ecclesiasticus minister pri/ mo loco sedeat,tãtummodo,ut quod agitur,ad ædificationem suã cedat.

In præsentia autem illud præcipuè quæritur, Primum quidem, iuxta quam regulam, & iuxta quod fundamentum, hi qui in Concilio con/ gregati sunt, iudicare debeant. Deinde, quatenus huic iudicio sit o/ bediendum.

Ac, quod ad regulam quidem attinet, iuxta quam in controuersia de doctrina Religionis sententia ferenda est, Papistæ infimum locum tribuunt Sacræ scripturæ, supremum autem, Traditionibus suis, quas dicunt esse certissimum fidei fundamentum, quibus si adiunxeris scrini um pectoris Põtificij, habebis regulam scilicet absolutissimam. Sed gau/ deant illi suis sterquilinijs, Nos sciamus, quòd nullam aliam debeamus Iudicij regulam,præterquàm scripta Prophetica & Apostolica, agnosce/ re:nec sit hac regula ulla alia uel rectior,uel certior,uel firmior, uel etiam magis perspicua.

Roman. duodecimo. Habentes dona iuxta gratiam datam nobis ua/ ria,siue prophetiam,iuxta analogiam fidei &c.(hoc est,) Si quis interpre/ tatur scripturam, aut iudicat de controuersia in doctrina Religionis,ita interpretetur aut iudicet,ut quod dicit sit consentaneum fidei. Vnde au/ tem est fides? Dixerat antea Paulus: Fides ex auditu est, Auditus au/ tem per Verbum Dei. Porrò, Verbum Dei continetur Scriptis Pro/ phetícis & Apostolicis. Nec quicquam aliud,quod cum his scriptis pu/ gnat, agnoscendum est. Quare Sola hæc scripta debent esse norma & re gula iudicij.

Galat.primo: Si nos aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis aliud Eu/ angelion, præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Sed hic

obserua

obſerua mihi inſignem maliciam Soti. Cùm enim ſoleamus hoc Pauli dictum frequenter aduerſus petulantiam Papiſtarum recitare, Sotus ita eludere conatur, ut dicat, Paulum ſcripſiſſe quidem, Præter quod Euangelizauimus, non autem, Præter quod ſcripſimus. Obſecro te, putas ne Sotum expẽdere quid ſcribat, & non potius furore agitari? Primùm enim, Num Euangeliſare, eſt Euangelion uoce tantùm adnunciare, & non etiam literis mandare? Scilicet Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes, cùm ſcripſerunt Euangelion Chriſti, non euangeliſarunt. Et temerè, iuxta Sotum, ſcribit Marcus, Initium (inquiens) Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut SCRIPTVM eſt in Prophetis. Et Paulus, Segregatus in Euangelion Dei, quod antè promiſerat per Prophetas ſuos, in SCRIPTVRIS Sanctis.

Deinde, Si Paulus nõn dixit, Anathema ſit, qui aliud Euangelion euangeliſauerit, præter id quod ſcripſimus, Sed, præter id, quod euangeliſauimus, ergóne anathema non eſt, qui euangeliſauerit aliud Euangelion præterquàm quod Paulus ſcripſit? Certè id, iuxta Soti ῥηϕήματα ſequitur. Sed quid eo furioſius dici poteſt? Poſtremò, Num Paulus ea tradidit uoce, quæ pugnant cum ijs, quæ mandauit Scriptis? Exigamus igitur tuam traditionem ad ſcripta Pauli. Si eſt cum ijs conſentanea, religio nobis ſit eam in ſuo loco damnare. Si autẽ cum ijs pugnat, non niſi pro anathemate habenda eſt. Paulus enim non minus Euangelion, quod ſcripſit, quàm quod uoce adnunciauit, è Spiritu ſancto, & ut ipſe loquitur, nõ ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, ac Deum Patrem, accepit. Sed quis, (inquies) de hac pugnantia iudicabit? Ad hoc reſpondebimus paulò pòſt. Nunc in eo, quod cœpimus, progrediendum erit.

1. Petri 4. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Hæc autem mandata ſunt ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Non poteſt igitur alia eſſe regula ad quam exigatur doctrina hominum, prẽterquàm ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Pſal. 118. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Et iterum: Lucerna pedibus meis, uerbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hęc lucerna, hoc lumen eſt ſcriptura Prophetica, ſicut Petrus interpretatur, & quæ ſcriptura illuſtrata eſt ſcriptis Apoſtolicis. Maledicti ergo, qui proponunt ſibi aliam regulam, & aliam lucernam in explicandis obſcuritatibus Eccleſiaſticarum controuerſiarum, quàm hanc Propheticam & Apoſtolicam ſcripturam.

Nec aliam regulam ſecuti ſunt Apoſtoli ipſi, in Concilio Hieroſolymitano, cùm ageretur de obtrudenda lege Moſi gentibus. Cùm enim Petrus recitaſſet exemplum, quo ſpiritus ipſe ſanctus teſtificatus eſſet, quòd Gentes etiam abſque circunciſione, per fidem, Deo placerent, concludit Iacobus autoritate Prophetæ Amos, Legem Moſi non eſſe gentibus obtrudendam, ſed tantum pauca quædam ex charitate, in conuictu, ad tempus obſeruanda. Vnde & poſtea ſcribunt ad gẽtes: Viſum eſt, inquiunt, Spiritui ſancto, & nobis. Primũ dicunt, Spiritui ſancto. Quomodo? quia Spiritus ſanctus teſtificatus erat tam Cęſareæ manifeſto exẽplo, ꝙ in ſcriptis Prophetæ Amos, ꝙ gentes non eſſent onerandæ iugo legis. Deinde dicunt, Et Nobis. Quomodo? Nobis è ſcrinio pectoris iudicantibus? Nihil minus, ſed nobis ſequẽtibus exemplum, teſtimoniũ, ſcripturam, & regulã Spiritus ſancti, qui docet, partim, quòd gentibus non ſit obtrudẽda

lex Mosi, partim quòd diligendus sit proximus, ne importuna libertate offendatur, & à uia ueritatis auertatur. In Concilio Nicæno, Constantinus ipse, autore Theodorito, cohortatur Patres Concilij, ut non aliam, quàm diuinæ scripturæ regulam, in dijudicatione dogmatis de æterna filij Dei diuinitate, sequantur. Nihil, dicens, indignius, quàm hostibus domitis, cùm qui rebellare auderet, inueniretur nemo, ipsos se mutuo impetere, & uoluptatem ac risum conciliare inimicis, præsertim in disputationibus RERVM DIVINARVM, IN QVIBVS haberent sanctissimi spiritus doctrinam PERSCRIPTAM. Euangelici enim & Apostolici LIBRI, necnon antiquorum Prophetarum ORACVLA planè instruunt nos, inquit, sensu numinis. Proinde hostili posita discordia, sumamus ex DICTIS diuini spiritus explicationes quæstionum. Hactenus Constantinus.

Theodori. Histo. Eccles. li. 1. ca. 7.

Augustinus quoque sentit, Episcoporum quidem literas & Concilio-rum prouincialium decreta cedere maioribus Conciljs, Canonicam autem scripturam cedere NVLLI. Sed audiamus ipsa Augustini uerba. Quis nesciat, inquit, Sanctam scripturam Canonicam, tam ueteris quàm noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari, & disceptari non possit, utrum uerum uel utrum rectum sit, quic quid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, quę post confirmatum Canonem, uel scriptæ sunt uel scribũtur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris & per aliorum Episcoporum grauiorem autoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à ueritate deuiatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones uel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex uniuerso orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata ceruice arrogantiæ, sine ulla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cũ charitate Christiana. Hactenus Augusti.

De Baptismo contra Donatist. li. 2. cap. 3.

Præponẽda igitur erit Scriptura, omnibus traditionibus, ac Epistolis quoq; Clemẽtis, et aliorũ Pontificum.

Sed quid pluribus opus? In concilio iudex esse debet, non homo quispiam, sed Deus ipse, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Per quid autem aliud Deus, post confirmatum Scripturæ Canonem, nobiscum de cœlo loquitur, nisi per scripturam Propheticam & Apostolicam, super quod fundamentum Ecclesia superstructa est, Superstructi, inquit Paulus, super fundamentum (hoc est, doctrinam quæ in scriptura continetur) Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo? Quare in Concilio non est alia regula, præter scripturam Propheticam & Apostolicam sequenda. Non nego adhibendos esse in consilium Scriptores Ecclesiasticos, qui iam hac uita defuncti sunt, Non nego, audiendos esse homines pios & doctos adhuc in hac uita superstites, sed ita, ut horum omnium sententiæ præferatur sententia Scripturæ, hoc est, Iudicium spiritus sancti, nobiscum per scripturam loquentis. Si quis uenit, inquit Ioannes, ad uos, & hanc doctrinam, (uidelicet, quam docuit Christus, & quæ Propheticis & Apostolicis scriptis continetur) non affert, ne recipiatis eum in domum, nec Aue ei dixeritis.

Quòd autem uociferantur, nihil esse incertius, si sola sacra Scriptura fuerit in Conciljs norma iudicij, sciamus impijs Fraterculis usitatum esse,

esse, contumelioseè in Spiritum sanctum inuehi. Ducunt enim oracula Spiritus sancti, eo loco, quo Oracula Apollinis, qui imposturas suas ambiguitate, & obscuritate uerborum tegere solebat. Sic uenerantur illi Spiritum sanctum. Nihil autem opus est hoc loco de perspicuitate sacræ Scripturæ dicere, cùm de ea re suprà copioseè dixerimus. Et Sotus ipse testificatur, (si modo testimonium eius aliquid ponderis habeat) quòd ea, quæ ad salutem nostram pertineant, (De his enim nobis sermo est, quippe quòd alia, quæ non sunt nobis ad salutem cognitu necessaria, aut libenter, aut utiliter ignoramus) in scriptura sint perspicua. Non dicimus, inquiens) omnia in scriptura obscura esse, sed quàm plurima manifesta, & quidem quæ maximè pertinent ad salutem. Quid autem nobis cum testimonio Asoti, qui solet ex eodem ore calidum & frigidum efflare, & quod nunc affirmat, mox negare. Audiamus potius testimonium Augustini. Magnificè, inquit Augustinus, & salubriter Spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè illis obscuritatibus eruitur, quod non PLANISSIME dictum alibi reperiatur. Et iterum. Tum uerò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda, & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de MANIFESTIORIBVS sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. Hactenus Augustinus. Ex his testimonijs Augustini uides Scripturam in his, quæ ad Salutem cognitu necessaria sunt, perspicuam esse, & si qua obscuritas occurrit, explicandam esse, non uanis & ementitis Fraterculorum traditionibus, sed alijs apertioribus scripturæ locis.

De doctri. Christi. lib. 2. cap. 6.

Cap. 9.

Ac de regula quidem & norma, quam in dijudicatione controuersiarum de doctrina Religionis sequi oporteat, satis hactenus dictum sit. Dicamus igitur nunc de Obedientia, quatenus uidelicet obediendum sit Iudicio & Sententiæ Concilij. Asotus & reliqui Papistæ subijciunt Concilio omnes Ecclesiæ auditores sine ulla exceptione, idque tanta confidentia, ut audeant etiam eos excusare, qui ignorantia quadam, & simplicitate secuti sunt Sententiam Concilij Caiaphæ & Annæ, quo condemnatus est filius Dei, quemadmodum suprà recitauimus. Ac tolerabile quidem esset, si tantùm Concilio, hoc est, multorum Iudicio homines tam seueriter subijcerent. Illud autem intolerabile, ac horrendum est, quòd eos unius tantum Pontificis iudicio ita subijciant, ut si Pontifex innumeras secum populorum cateruas in gehennam duceret, nemo ipsum reprehendere audeat. Sed fruantur Papistæ suis delicijs. Et quid nobis cum illorum Concilijs, qui deserta uera Religione, quam docent scripta Prophetica & Apostolica, excogitârunt aliud genus Religionis, quã docent ipsorum traditiones, & qui Sacram scripturam habent pro aluta, quam ad tempus, pro sua libidine accommodent, & quorsumcunque uoluerint, inflectant? Exponamus igitur quam obedientiam uera Ecclesia iudicijs Conciliorum debeat. Nam si Concilium iudicauerit secundum Sacram scripturam, & probauerit Sententiam suam certis & perspicuis testimonijs scripturæ, Ecclesia debet eam, tanquàm cœlestem Sententiam excipere, & ei summa obseruantia obedire. Huc enim facit, quod Christus dicit: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Si

autem Concilium iudicauerit contra ſacram Scripturam, ex traditioni-
bus tantum, aut ſcrinio pectoris Pontificij, ibi ne Angelus quidem au-
diendus eſt.

Sed hîc iterum tumultuabitur Papiſta. Quid? Si cuiuis licebit ſeſe pro ſuo arbitrio Sẽtentię Concilij ſemel latę opponere, quis erit cõtrouerſia-
rum finis? quis modus? Et quæ eſt illa inſolentia, à ſimplicioribus qui-
buſq; hominibus, à ſutoribus & cerdonibus tantum eruditionis exige-
re, ut poſsint de Sententia ſcripturæ, uera ne ſit an falſa, iudicare? Quæ hæc erit rerum confuſio? quæ perturbatio? De hac re ne ſitis uos Papiſtæ ſolliciti. Nihil enim ad Caiapham & ſynagogam eius, imò nihil ad An-
tichriſtum & colluuiem eius, quæ ſit œconomia ueræ Eccleſiæ Chriſti. Vos quidem perſecutores & homicidæ noſtri eſtis, Sed qui eſtis, qui iu-
dicatis de alienis ſeruis? Proprio domino ſtant aut cadunt, imò fulcien-
tur, ut ſtent. Non ignoramus uos Papiſticos Pharaones de Iſraele idem ſentire, quod Aegyptius Pharao dicebat. Venite, ſapienter opprima-
mus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, adda-
tur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis, egrediatur de terra. Noſtra au tem (hoc eſt,) uera Eccleſia audit, quod Paulus ſcribit, Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Et hactenus quidem, cùm adhuc premere-
tur iugo Aegyptiacæ tyrannidis, neceſſe habuit ſufferre, ſi quis Ponti-
fex, aut etiam Fraterculus eam in ſeruitutem adigeret, ſi quis exederet, ſi quis acciperet, (utor enim uerbis Pauli) ſi quis attolleret ſeſe, ſi quis e-
am in faciem cæderet. Nunc autem diuino beneficio ab his contumeliis liberata, audit, In libertate, qua Chriſtus uos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. Quid ergo? Hæc, (inquies,) eſt reſpub. Cyclo pum, in qua ἀκούει οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν. Nihil certè minus. Vera enim Ec cleſia talis eſt reſpub. qualem eam adumbrat Gideon. Non dominabor, inquiens, ueſtri, nec dominabitur in uos filius meus, ſed dominabitur uo bis Dominus. Ecquis ergo hic Dominus eſt, qui habeat dominationem in Eccleſiam Dei? Non certè dominus Papa, ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus unigenitus filius Dei. Nam, quòd hic Solus ſit Eccleſiæ Dei Do minus, teſtificatus eſt primùm, promiſsionibus, quas ab initio orbis ter-
ræ de regno ſuo per Prophetas patefecit. Deinde, aduentu ſuo in carnẽ, & ſanguine ſuo, quem ad redimendam Eccleſiam ſuam profudit. Po-
ſtremò Reſurrectione, Aſcenſu in cœlum, ſeſsione ad dexteram Dei Pa tris ſui, ac miſsione Spiritus ſancti in ſuos diſcipulos. Neque enim ſenti-
endum eſt, quòd ideo in cœlum aſcenderit, & ad dexteram Dei Patris cõ ſederit, ut ipſe quidem in cœlo ocioſus ac inter angelos ludibundus com moretur, in terra autem ſubſtituerit Vicarium, qui ex ſcrinio pectoris ſui Eccleſiam gubernet, Sed potius, ut coràm ipſe in his terris Eccleſiæ ſuæ ſemper præſto adſit, & eam in omnibus periculis conſeruet. De qua re extant ſua ipſius aperta teſtimonia.

Ioannis 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, Neq; rapiet eas quiſquam de manu mea.

Ioan. 14. Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & aſſu-
mam uos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis. Et mox: Non relin-
quam uos orphanos, Veniam ad uos.

Matth. ultimo: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad con-
ſummationem ſeculi.

Et

Et Paulus Ephe.1. Omnia ſubiecit ſub pedes illíus, & dedit eum caput ſuper omnia, ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Et cap. 4. Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſuper omnes cœlos, ut OMNIA impleret.

Quid manifeſtius dici poteſt, quàm quòd Chriſtus non ideo aſcenderit in cœlum, ut Eccleſiam in manu hominis Vicarij relinqueret, ſed ut ipſe eam coràm gubernaret?

At enim, non uidemus (inquiunt) Chriſtum oculis corporalibus, & ſi quando opus eſt reſponſo aut oraculo, non audimus uocem eius his externis auribus. Neceſſarium igitur uidetur, ut ſit in terris externus aliquis & certus Vicarius, à quo in dubijs reſponſa eius petamus. Sic quidem homines ſomniare ſolent. Sed Chriſtus filius Dei, ne hac quidem parte deeſt ſuæ Eccleſiæ. Dedit enim ei ſcripturam Propheticam & Apoſtolicã, ut ex ea cœleſtia reſponſa petamus. Superſtructi (inquit) ſuper fundamentum, (hoc eſt) doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. Hęc ſcriptura eſt epiſtola filij Dei ad Eccleſiam ſuam, quam & tanta ſeueritate obſeruandam commendauit, ut ſi uel Apoſtoli ipſi, uel etiam Angeli prædicarent aliud, quod cùm ea pugnet, pro anathemate habendi eſſent, quemadmodum aliâs copioſè demonſtratum eſt. Deinde addit & illud beneficium, ut Spiritu ſancto ſuo excitet homines in Eccleſia, qui ueram ſententiam ſcripturæ ex ipſa Scriptura interpretentur. Cùm aſcendiſſet, (inquit Paulus ex Pſalm.) in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Quæ autem ſint ea dona, mox recenſet. Dedit (inquit) alios quidem Apoſtolos, alios uerò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad inſtaurationẽ Sanctorum &c. Et iterum: Diuiſiones donorum ſunt, ſed idem ſpiritus, & diuiſiones miniſteriorũ ſunt, ſed idem Dominus, & diuiſiones operationũ ſunt, ſed idem eſt Deus efficiens omnia in omnibus. Vnicuíq; uerò datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapiẽtiæ, alij uerò ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum &c. Et mox, Sed omnia illa efficit unus ille & idẽ ſpiritus, diuidẽs peculiariter unicuíq; SICVTI VVLT. Habes quibus donis Chriſtus filius Dei Eccleſiam ſuam in his terris ipſe coràm gubernet, atq; conſeruet. Sed quid? Num quos filius Dei miniſtros ſuæ Eccleſiæ ſeligit, & donis ſpiritus ſui ornat, ſemper ita confirmare ſolet, ut nunquàm amplius errare poſsint? Num eſt ijs perſonis, quas ipſe in cooperarios ſuos, (ſicut Paulus loquitur,) inſtituit, aut quæ his in miniſterio ordinariè ſuccedũt, ita alligatus, ut nunquàm ſinat eas labi ac hallucinari? Nihil uerò minus. Hoc Papiſtarum dogma eſt, quòd Concilia nõ poſsint errare. Sed hîc uide mihi Sotum, inſignem Sophiſtam. Cũ enim alicubi ſcripſiſſem, Papiſtas docere, Spiritum ſanctum eſſe ſuis Pontificibus aut Concilijs alligatum, Sotus, poſtquàm me calumniæ & blaſphemiæ falſo arguiſſet, ita eludere conatur, ut dicat, quòd cõgregatio legitima probet præſentiã Chriſti, atq; oſtendat promiſsionem eius ei non defuturã, modo non dolo & fraude agatur. Atq; hac ratione (inquit) non Spiritus ſanctus alligatus eſt hominibus, uel obligatus, ſed quia fidelis eſt Deus. & mentiri non poteſt, alligat homines ſibi, ſi non per ueram charitatem, ſaltẽ per illam operationẽ, quà impleat illorũ miniſteria. Quæſo te, an non hoc eſt egregiè Sophiſticari? aut potius Deum ipſum irridere? Spiritus ſanctus non eſt alligatus Põtificibus, ſed ipſe ſibi Põtifices ita alli

gat, ut etiamsi non habeant ueram charitatem, hoc est, etiamsi fuerint scortatores, adulteri, Sodomitæ, homicidæ, uenefici, Simoniaci, impij, & Antichristi, (hoc enim est, ueram charitatem non habere) Tamen per suam operationem impleat eorum ministeria, hoc est, inspiret eis cœlestem sententiam, ut quicquid statuerint, necesse habeant omnes gentes & populi, pro oraculo Spiritus sancti agnoscere, & obedire. Existimat enim Sotus Christum hoc sibi uelle, cùm dicit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus &c. Et, Portæ inferi non prævalebunt &c. Et, Vbicunque sunt duo uel tres &c. Etsi autem nostri hæc dicta tam copiosè à falsis deprauationibus Papistarum uindicarunt & illustrarunt, ut superuacaneum uideatur plura addere, tamen usum est etiam hoc loco uel pauca referre, ne stultus sibi sapere uideatur. Primùm enim, hæc dicta non sunt intelligenda de Ecclesia Antichristi, qualis est Papistica, sed de uera Ecclesia Christi. Gloriatur quidem Sotus alicubi, quòd nondum conuicerimus eos legitimè alicuius erroris aut hæreseos. Vocant autem legitimã conuictionem, si quis articulus per colluuiem Papisticorum Pontificum reprobatus fuerit. Sic certè Papistæ, se iudicibus, sunt homines innocentissimi & sanctissimi, nec ullam unquàm limpidam aquam turbârunt. Sed si conuincantur autoritate Sacræ scripturæ, ut manifestè multis iam annis conuicti sunt horribilium criminum, blasphemiæ, Magiæ & Idolomaniæ, puerile ipsis uidetur, & ridiculum, quippe quòd non Sacra scriptura, sed Traditiones, & scrinium pectoris Pontificij sint ipsis certissima regula fidei. Deinde, cùm Christus promittit Ecclesiæ perpetuam suam præsentiam, non facit Ecclesiam ἀναμάρτητον, quæ errare non possit, sed docet se eam tanto studio complecti, ut etiamsi uarijs aduersis concutiatur, aut aliquoties permittatur singulari Dei iudicio, uel falli, uel labi, uel errare, non tamen in lapsu, aut errore pereat, sed uel tandem resipiscat, & in ueram uiam diuino beneficio reuertatur.

Quod cùm ne Sotus quidem ipse negare queat, tamen ea est uertigine, ut uociferetur, omnibus Concilijs autoritatem ablatam, si uni Nicæno autoritas auferatur, & aut falsitas, aut nimius & indiscretus zelus circa ea, quæ definit tribuatur.

Nam, cùm in Prolegomenis ostendissem Patres Concilij Nicæni, etiamsi in asserenda æterna filij Dei diuinitate rectè ac piè sensissent, tamen in damnanda militia, aliquid humani passos, ibi Fraterculus coorítur in me tanquam in uniuersi orbis incendiarium. Arguit me intolerabilis impostura, & summæ ignorantiæ, ac inconsiderationis: affirmat me, uel ex hoc uno dignum esse, qui ab omnibus Christianis, in omnibus sententijs suspectus, & temerarius iudex habear. Quid ita? Nõ iam rixabor cũ Sotò de ijs, quæ effutit de uocabulõ homousij. (Quis enim omnem Soti uanitatem percurrere posset? & non dubito, quin pius Lector intelligat ipse, ineptas Soti φλυαρίας) sed dicam de militia, quam Canon Nicæni Concilij damnat. Sotus autem contendit damnatam non militiam ipsam, sed abnegationem fidei. Si abijcere, inquiens, cingulum erat confiteri fidem, resumere erat negare. Igitur Concilium Nicænum non militiam, sed fidei abnegationem damnauit. Hoc scilicet illud est, propter quod ego ille ab omnibus suspectus, temerarius, & corruptor haberi debeam. Vetus uerbum est, Si accusasse sufficit, quis erit innocens? Bene igitur habet, quòd adhuc reliquum sit iudicium bonorum & doctorum uirorum, qui, si hanc causam expendendam suscepe-

rint,

rint,non dubito,quin in tantam audaciam & impudentiam Soti expuat.

Interpretatio enim eius, qua ueram ſententiam Nicæni Canonis deprauat, arguitur puri puti mendacij, tam à rebus ipſis geſtis, q̃ etiam ab ipſis Pontificijs Canonibus. Quo enim tempore Nicænus Canon conditus eſt,non amplius erat periculo,ſed laudi confiteri fidem in Chriſtum. Nec quiſquam miles cogebatur tunc ſub Conſtantino abnegare Chriſtum,Sed tanto gratior erat pio Imperatori,quanto ardẽtius fidem Chriſti amplectebatur. Quare tempus ipſum docet, quòd cùm Patres Nicæni Concilij iuberẽt eum,qui poſt profeſsionem fidei rediret ad militiam, pœnitentiam agere,non intelligerent (ſicut Sotus nugatur) nomine reuerſionis ad militiam,abnegationem fidei in Chriſtum.

Quòd ſi uerò quiſpiam dixerit, Patres loqui non de ijs, qui erant ſub Conſtantino pio Imperatore,ſed qui antea ſub impijs imperatoribus,abnegata Chriſti fide,ad militiam redierint, ridiculum erat de ijs peculiarẽ condere Canonem pœnitentiæ, cùm per ſe ſit impium, abnegare fidem Chriſti,ſiue ad militiam,ſiue ad mercaturam,ſiue ad aliud uitæ genus redieris. Sed quid pluribus opus? Canon Leonis Papę,qui recitatur in Pontificijs decretis,arguit Sotum manifeſtæ uanitatis. Sic enim dicit Leo. Contrarium omnino eſt Eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionẽ, redire ad militiam ſecularẽ,cùm Apoſtolus dicat: Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negocijs. Vnde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ obtulerit implicare. *De pœni. d. 5. c. Contrarium uero.*

Hactenus Canon Leonis.

Non expendam nunc,quòd Leo abutatur dicto Pauli ad ſuum inſtitutum, Sed illud obſeruandum eſt,quòd cùm non permittat eum, qui propter ſcelus aliquod publicam egit pœnitentiam, redire ad militiam, palàm ſignificet,ſe habere Militiam,quam uocat, ſecularem & mundanam,(quamuis ſub pijs Imperatoribus)pro damnato,aut ad minus,periculoſiſsimo uitæ genere. Vnde & addit,eum non eſſe à laqueis diaboli liberum,qui ſe mundanæ militiæ obtulerit implicare. Et cùm dicit,Redire ad militiam ſecularem,poſt actionem pœnitentiæ, Eccleſiaſticis regulis omnino eſſe contrarium, haud obſcurè animaduertitur, eas regulas iam inde à Canone Nicæni Concilij obtinuiſſe, ut manifeſtum ſit eandem eſſe horum Canonum ſententiam,& eos militiam, quamuis legitimam,& ſub pijs Imperatoribus,ac in profeſsione fidei in Chriſtum, tam quam ſic iniquam,ut neceſſe habeat multorum annorum pœnitentia expiari, damnare.

Huc etiam facit Cap.tertium,in quarta Epiſtola Papæ Syricij. Si quis (inquit Syricius)poſt remiſsionem peccatorum, cingulum militiæ ſecularis habuerit,ad clerum admitti non debet.

Vides igitur,optime mi Lector, impudentiſsima & uaniſsima Soti mendacia. Vides,quòd è Soti militia declaretur eius malicia. Vides,quam tam nunc haberem occaſionem regerendi in eum ſua conuicia & maledicta. Sed quia neſcit, quid faciat, oro Dominum, ut illuceſcat ei lumen Euangelij gloriæ Chriſti.

Reuertamur igitur ad inſtitutum. Verſamur enim in illa quæſtione, Num Concilia poſsint errare. Ac Sotus,qua eſt fide,hoc eſt, dubia, (non enim audet credere peccata ſibi certò per Chriſtum remiſſa) ea etiam eſt ſententiæ animi conſtantia. Itaque nunc quidem ait, nunc negat. Et uidè mihi quæſo lepidum hominem, Meo etiam teſtimonio pro-

bare conatur, quòd Papistici Prælati non possint errare. Dixi enim alicubi: Veritatem Sacramentorum non pendere à dignitate ministrorum. Et iterum: Hypocritas, si fuerint ad ministerium Ecclesiæ uocati, & docuerint, quæ pia sunt, atque administrauerint sacramenta iuxta Christi institutionem, ipsos quidem esse Deo abominabiles, ministerio autem eorum id effici, quod Dominus ordinauit. Hæc & id genus alia Sotus excipiens, argumentatur meo quoque suffragio, Prælatorum suorum sententias in Concilijs esse Spiritus sancti oracula. Sciamus igitur, quòd cùm ego in Prolegomenis, apertissimis testimonijs probassem, Portas inferi sæpe ac multum prævaluisse aduersus Prælatos, ideòque non posse fieri, ut Spiritus sanctus indubitanter apud eos commoraretur, & ueritas doctrinę certò ab ipsis expectaretur, ibi tum Sotus in Opinata sua Defensione implicatus hæreat, & quò se uerteret nesciens, eò tandem euadat, ut dicat, se non affirmasse, quòd in Prælatis simpliciter non requirantur gratia, & interior aliqua uirtus, sed quòd ea non requirantur ad hoc, ut integra sint Sacramenta. At enim, magnum est discrimen inter administrationem Sacramentorum, & Iudicium de doctrina religionis. Non erat eo in loco controuersia de ministerio Sacramentorum, quod ingenuè fatebar, posse confici, etiam per malos, & carentes Spiritu sancto, Sed de Iudicio in doctrina Religionis, quod negabam posse tutò deferri ijs, qui ipsi palàm fatentur, sibi EA IN RE non opus esse, nec electione Dei, nec uera fide, atque charitate. Affirmaui, & adhuc affirmo, Baptismum, & Cœnam Domini, si iuxta institutionem Christi administrantur, posse etiam à malo ministro, & ab hypocrita, quem putes esse pium, cùm sit impius, utiliter accipi. Negaui autem, & adhuc nego, uerum Iudicium de doctrina æternæ nostræ salutis, tutò requiri posse ab ijs, qui suo ipsorum testimonio affirmant, sibi ad eam rem non esse, nec fidem, nec charitatem necessariam. Quod ut Lectori manifestius fiat, recitabo mea ipsa uerba.

In Prolegomenis. In capite, De officio Principum secularium in Ecclesia filij Dei sic scribo. Sed quia sæpe ac multum obtrudit nobis Prælatos suos, perinde ac si non posset in eis ueritas doctrinæ deesse, & palàm collocat eos in loco Apostolorum, quòd sint scilicet filij (sed spurij) qui nobis pro patribus nati sint, audiamus quædam ueterum, & recentium autorũ, præter ea, quæ suprà adnotauimus, testimonia de Prælatis Ecclesiæ, ut Cognoscamus, quàm Securè apud eos quærendus sit Spiritus sanctus, & expectanda ab eis ueritas doctrinæ. Hactenus mea uerba. Hîc certè non loquor de ministerio Sacramentorum, sed de Iudicio doctrinæ. Et in capite, De autoritate Sacræ scripturæ, manifestè distinguo ministerium Sacramentorum, à iudicio doctrinæ. Verba mea sic habent. Scimus quidem ueritatẽ Sacramentorum Christi non pendere à dignitate ministrorum, Sed nõ esse requirẽdam gratiam Dei, aut uirtutem spiritus sancti in ijs, qui de uera sententia Sacræ scripturæ, seu uerbi Dei iudicare debent, hoc demũm est cœlestia testimonia spiritus sancti subijcere Epicureis & Sardanapalis.

Ac paulò pòst, Scimus quidem multos impios dicturos, Domine, per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, ac alias uirtutes præstitimus, Sed Iudicium de doctrina æternæ nostræ salutis deferre ad eos, qui ipsi palàm fatentur, sibi EA IN RE, non opus esse, nec electione Dei, nec uera fide, atq; charitate, quid hoc aliud est, q; Spiritum ipsum sanctum, à suis ipsius oraculis dijudicandis excludere,

& in

& in locum eius homines Epicureos, & Sardanapalos reponere?

Quod cùm ita se habeat, quæ est, obsecro, illa Soti, uel impudentia, uel insania, quòd meo testimonio confirmandam suscipiat suam impietatem, qua Prælatis, quamuis sceleratis, Spiritum sanctum, aut Spiritui sancto, (sic enim sophisticatur) Prælatos ita alligat, ut non possint in iudicio suo de doctrina Religionis falli. Ego apertè seiungo administrationem Sacramentorum, quæ & per impios, (si modo sequantur ueram institutionem Christi) non inutiliter Ecclesiæ fieri potest, à dijudicatione controuersiarum in doctrina Religionis, quæ iuxta Paulum, dicentem, Animalis homo non accipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, at spiritualis dijudicat omnia, rectè & utiliter fieri non potest, nisi ab ijs, qui habent donum Spiritus sancti, hoc est, fidem & charitatem. Potest quidem animalis homo recitare uerba scripturæ, & piam aliorum sententiam explicatione imitari, Sed in controuersia de doctrina æternæ nostræ salutis, ueram sententiam cognoscere, & dijudicare, certè non potest, nisi spiritualis. Magna igitur uanitas Soti sit, necesse est, quòd quæ ego apertè distinxi, & à se inuicem seiunxi, ipse inter se improbè confundat, ut suas nugas meo testimonio confirmare uideatur. Ac profectò uertiginem hominis satis mirari non possum, quòd cùm affirmet Ecclesiam, hoc est, Prælatos suos, in dijudicatione doctrinæ Religionis, seu in Concilijs suis, non pendere, nec ex electione Dei, nec ex uera fide ac charitate internis, & aliàs iubeat eos dubitare, num habeant spiritum sanctum, audeat tamen eos spiritui sancto ita alligare, ut uniuersa ecclesia debeat, tanquam oraculum spiritus sancti excipere, quod ipsis unà congregatis uisum fuerit. Sed interea probè sibi de effugio cauet, etiamsi Concilia Prælatorum eius manifesti erroris, & impietatis conuicta fuerint. Dicit enim, Congregationem legitimam probare præsentiam Christi, atque ostendere promissionem eius ei non defuturam, modò non dolo & fraude agatur. Et iterum: Concilia legitimè congregata, SI RECTE se gerant, & qua opus est humilitate, & diligentia quæratur ueritas, non permittit Christus errare. Quid honestius dici potest, si externam tantùm uerborum speciem intuearis? Ac ne nos quidem hæc, si rectè intelligantur, negamus. Sed illud disputatur, illud quæritur, Quæ Concilia legitimè congregentur? quæ Concilia nihil dolo & fraude agant? quæ Concilia rectè se gerant? quæ Concilia, ea qua opus est humilitate & diligentia ueritatem quærant? Hoc illud est, quod inter nos controuertitur. Sotus autem suis uerbis sternit sibi uiam, qua effugiat aduersariorum laqueos. Si quis enim in medium produxerit aliquot Conciliorum errores, statim in promptu habet suam exceptionem. Dicet, Ea concilia non fuisse legitimè congregata, aut non rectè se gessisse, aut ueritatem, non ea qua opus est diligentia & humilitate quæsiuisse. Vides igitur rimas, quas sibi dispexerit, quibus elabatur. Sed sciat, idem iuris nobis quoq; reliquum esse, imò &d amplius est, nos non de cõgregatione tantum multorum, uerumetiam duorum aut trium affirmamus, quòd si conuenerint in nomine Christi, & legitimè, ac rectè se gerant, & ueritatem, eo quo debent studio inquirant, tunc Christus sit in medio eorum, & conseruet eos, ut aut non errent, aut si fortè errauerint, in errore non pereant.

In Defensione.

Deinde, Sotus recitat nobis legem Imperatorum, qui dicunt: Iniuriam facit iudicio reuerẽdissimæ Synodi, si quis semel iudicata, & rectè di

ſpoſita reuoluere,& publicè diſputare contenderit. Et addit Sotus. Huius legis, inquiens, autoritate te premo, Brenti, omneſq; confeſsionis tuæ.

Quæ eſt illa, obſecro, preſſura? An non lex diſertè dicit, RECTE DISPOSITA? Quis noſtrûm contendit reuoluere,& publicè diſputare RECTE DISPOSITA? Non ſumus, diuino beneficio, ea impietate, ut quæ rectè diſpoſita ſunt, conuellamus. Non illud agitur Fratercule, Num liceat rectè diſpoſita reuoluere,& in dubium uocare, ſed, Num omnia in ueſtris Papiſticis Concilijs, rectè ſint iudicata,& diſpoſita? Hoc illud eſt, quod quæritur,& de quo dubitatur.

Vides igitur, quàm pueriliter, imò quàm furioſe nobis Sotus, hac Imperatorum lege inſultet, ac planè ei accidat, quod in Fabulis, Aiaci, qui tanta erat inſania, ut cùm faceret impetum in gregem ouium, putaret ſe in Principes Græcorum graſſari. Sed quò delabor? Non inſtitueram initio mendacia & calumnias Soti tot uerbis perſtringere. Cùm enim Sotus & colluuies eius toto doctrinæ & religionis genere à uero Chriſtianiſmo diſſideant,& Antichriſtianiſmum ſequantur, iuxtà ponendum eſt, ſiue noſtra probent, ſiue improbent, quippe quòd etiāſi aliquid recti dicere uideantur, id tamen non niſi ad fallendum, ac decipiendum dicant, & pollutis ac infidelibus nihil ſit purum, ſed polluta ſit illorum mens & conſcientia.

Redeamus igitur ad noſtra. Tractamus enim de Concilijs, non falſæ, ſed ueræ Eccleſiæ,& quærimus, num Spiritus ſanctus hæc Concilia ita gubernet, ut falli ac labi non poſsint, ideoq; neceſſe habeamus omnia eorum dogmata, ſeu decreta, abſq; ulla exceptione, pro oraculis Spiritus ſancti excipere & agnoſcere.

Hîc ergo docemus, Chriſtum Filium Dei, poſtquàm aſcendit in cœlum,& conſedit ad dexteram Dei, ac miſit Spiritum ſanctum ſuis diſcipulis in die Pentecoſtes, prædicationem Apoſtolorum, quæ continetur ſcriptura Prophetica & Apoſtolica ita confirmaſſe,& in regulam fidei tradidiſſe, ut quiſquis contra hanc iam confirmatam ſcripturam aliud docuerit, aut tradiderit, anathema ſit. Itaque non remittit nos amplius ad ullos certos homines, à quorum dictis in cauſa æternæ ſalutis, ſimpliciter,& ſine ulla noſtra dijudicatione pendeamus, ſed remittit nos ad ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam, tanquam ad certiſsimum Spiritus ſancti oraculum. Quòd ſi quid controuerſiæ de ſententia huius ſcripturæ incide rit, filius Dei non ita deſeruit ueram ſuam Eccleſiam, ut ſinat eam perire, ſed dat ei dona, ut Paulus ait, Alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores & doctores. Non dat Eccleſiæ Vicarium, cuius omnia decreta indiſcriminatim abſq; ulla exceptiõe agnoſcat, ſed dat interpretes ſcripturæ, dat concionatores & paſtores, quos iubet quidem aut dire, nõ concedit autem ipſis liberam poteſtatẽ, ut quiduis pro ſua libidine Eccleſiæ obtrudant, ſed ut doctrina,& interpretatio eorum ſit Prophe ticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ conſentanea. Sit Deus, (inquit Paulus) uerax, Omnis autem homo mendax. Quomodo? Cur igitur homines ſunt audiendi? Audiendi ſunt, non ut homines, ſed ut miniſtri Dei. Solus enim Deus eſt uerax, qui & ueritatem ſuam ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis patefecit. Homines autem ſunt mendaces, niſi ea crediderint & docuerint, quæ his ſcriptis ſunt conſentanea. Vnde & ne ſimpliciter ex homine penderemus, uiſum eſt Spiritui ſancto conniuere, ut Petrus ipſe præcipuus Apoſtolorum, etiam poſt acceptum

Spiritum

Spíritum ſanctum, reprehenſibíliter falleretur, neque ſolus ípſe, uerùm etiam unà cum ipſo Barnabas, & eccleſia Antiochena. Cùm ueniſſet Petrus (inquit Paulus) Antiochíam, palàm illí reſtití, eo quòd κατεγνωσμένος, hoc eſt, reprehenſione ſeu improbatione dignus erat. Et mox: Adeo, ut Barnabas ſimul abduceretur in illorum ſimulationem. Verùm ubí uidíſſem, quòd non recto pede incederent ad ueritatem Euangelij, &c. Quid? An ſimulatione ſua alios in errorem abducere, & NON RECTO pede ad ueritatem Euangelij incedere, non eſt labi & peccare? Conniùit ergo ſpíritus ſanctus ad hunc Petri, Barnabæ, & eccleſiæ Antiochenæ lapſum, ut aſſuefaceret uniuerſam eccleſiam non ex homínibus, ut homínibus, ut ſupremo loco ſedentibus, ut inſigní titulo ornatis, ut magna poteſtate prædítis, ſed ut docentibus ſcripta Prophetica & Apoſtolica, (Hæc enim ſunt ſacroſancta & inuíolata) pendere. In Concílio Nícæno, rectè quidem & piè definitum eſt de perpetua filij Dei díuínitate, quia Concílium ſequebatur in hac definitione ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ſicut poſtea Athanaſius, & multí alij pij ſcriptores apertè demonſtrárunt. Sed cùm Synodus tractaret de diſſoluendo coniugío miníſtrorum Eccleſiæ, & haberet quædam humanæ rationis argumenta, cur tale coniugium eſſet diſſoluendum, tam diu erratum eſt, dum unus Paphnutíus reuocaret Synodum ad ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & doceret ex ijs, nuptias eſſe honorabiles, & concubitum cum legítima uxore eſſe caſtitatem. Itaque non dubito, quin ſi ea Synodus habuiſſet in tractatione de militia, alíum quendam Paphnutium, qui reuocaſſet ipſam ad teſtímonia ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ de mílitia, non abiecíſſet mílitiam inter ea uitæ genera, propter quæ publica eſſet agenda pœnitentia. Sícut enim priuati omnes homines, ita & publica omnia Concília his ſcríptis cedere debent. Neque enim fractus illabitur orbis, etiamſi homines in ſuis Concíljs aliquoties ſuas ipſorum cogitationes ſequantur, & erraúerint. Ratio ſalutis Eccleſiæ ſatis firma conſtabit, non ſi hominum, ſed ſi ſua DOMINO DEO noſtro, & ſcriptís Propheticis ac Apoſtolicis, tanquàm Epiſtolæ eius ad humanum genus, autoritas conſtiterit.

Quíd ergo? inquíes, Sí oriatur controuerſia, non de ſcríptura, ſed de ſententía ſcripturæ, idq; aut inter eos, qui interſunt deliberationi Concílij, aut inter illos, qui ſunt in reliquo populo, ſiue eccleſiaſticorum miníſtrorum, ſiue vulgarium auditorum, ſiue doctorum, ſiue indoctorum, ſiue Príncipum, ſiue ſubditorum, quis erit tum Iudex? Num eiuſmodi contentiones & perturbationes, magno omnium offendículo ſunt ferendæ?

Dixi in Prolegomenis, quòd in Eccleſiaſtica controuerſia de doctrína, adhíbendí ſint ad díjudicationem, non tantùm ſeculares Príncipes, ſicut Papiſtæ me dixiſſe calumniantur, ſed etíam miníſtri eccleſiarum, & alij quoque è populo docti & honeſti uiri. His, & ſi & ipſi, conniuente Domino, falli & errare poſſunt, tamen ſi fuerint uerè pij, & collatis inter ſe ſententijs candído animo in timore Domini, interpretentur ſcripturam ſcriptura, ſperamus ſpíritum ſanctum non defuturum, ut ſtatuant quod rectum, uerum & iuſtum fuerit, præſertim, cùm non conueniant, ut noua dogmata, iuxta incertas aut confictas traditiones condant, ſed ut ueteŕa dogmata, quæ clarè & perſpicuè in ſcríptura extant, tueantur & illuſtrent. Cùm uerò, uel hi inter ſe, (ut humani nihíl ab eis alienum eſt) uel alíj ab ipſis diſſenſerint, quid faciendum? Hìc certè fieri ſolet, ut maior pars

uincat suffragijs suis minorem, & fiat Recessus, (ut his temporibus loqui solemus) iuxta maioris partis sententiam.

Si ergo hæc sententia fuerit pia, & scriptis Propheticis & Apostolicis consentanea, iustum est, ut petulantia eorum, qui temerè contradicunt & resistunt, legitimè coërceatur. Si autem fuerit impia, nihil aliud reliquum est, quàm ut minor pars, si non potuerit se legitimè tueri, & si DOMINVS tradiderit eos in maioris partis potestatem, patiatur ab ipsis direptiones facultatum, carceres, exilia, gladios, ignes, & multa alia genera supplicíorum. Omninò enim non est approbanda impietas, nec est ei assentiendum. Qui amauerit, inquit Christus, patrem aut matrem, aut filium, aut filiam, supra me, non est me dignus. Sic indignus est Christo, qui mauult sequi impietatem maioris partis, quàm ueram pietatem. Et rursum dicit Christus: Qui negauerit me coram hominibus, negabo ego eum coram patre meo cœlesti. Sed iterum dices: Solus ne tu sapies, contra tot magnos, illustres & doctos uiros? Nónne tutius & consultius est, ut sequaris sententiam multitudinis & magnitudinis, quàm ut tua importunitate aut perturbes publicam tranquillitatem, aut conijcias te ipse in extrema pericula? Respondeo.

Hoc quidem docent, cõsulunt, & exigunt Papistæ, ac reliqui filij huius seculi. Nos uerò in præsentia non loquimur de ijs, qui de sua religione & fide non sunt certi, & qui neglecta uera uerbi Dei cognitione, sequuntur iudicium maioris, & impiæ partis. Hi, ut sequuntur cæcos duces, ita unà cum ipsis cadunt in foueam perditionis, & quanquàm Dominus requiret sanguinem eorum ab impijs seductoribus, tamen ipsi nihilominus, iuxta Ezechielem, in impietate sua morientur.

Sed loquimur de ijs, qui sunt diuinitùs ita illustrati, ut cognoscant errorem maioris partis, & intelligant testimonio scripturæ, impietatem eorum. Hi nullo modo approbare & sequi debent alienam, quamuis summorum Pontificum ac Principum, quamuis doctissimorum & sanctissimorum uirorum impietatem, sed subeunda sunt potius uitæ pericula, ꝙ ut abnegata ueritate, impietati assentiantur. Audiant, quod Christus dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Quare, etiamsi legamus ueteres scriptores, & audiamus doctos & sapientes uiros nostræ ætatis, audiamus quoque sententiam Concilij, tamen uel tandem res eò deueniet, ut suo quisque iudicio, inuitis etiamnum Fraterculis, probet spiritus, ad βάσανον scripturæ, num ex Deo sint, & statuat, quid sit sequendum. Hic uerò oritur Asoticarum insultationum quasi tempestas. An non, inquiunt, exigitis impossibilia? Si non sufficit sese maiorum, & legitimorum suorum Prælatorum iudicio subijcere, sed probandi sunt spiritus indiscriminatim ab omnibus, quid fiet de hominibus paulò simplicioribus? quid de surdis & mutis? quid de phreneticis? quid de stultis? quid de infantibus? Num hi omnes pereunt, quòd nihil certi suo ipsorum iudicio de doctrina Religionis statuere possunt? Et quid absurdius, quàm ut aliquis sumat sibi in causa sua propria iudicium? Neque NOBIS (inquiunt) subijcimus scripturam, sed subijcimus priuata uestra iudicia, publico Ecclesiæ iudicio. Quis enim in diuersitate & multiplicitate sensuum scripturæ scit, quem significare uoluerit autor? Inculcatur nobis & illud Salomonis: Ne innitaris tuæ prudentiæ. Et illud Pauli: Ne sis sapiens apud temetipsum.

Me

Me quoq; Sotus singulariter compellat. Illud ultimo, inquiens, cupimus à Brentio percunctari, an cùm tanta clamat de imbecillitate humana, quã non aufert Spiritus sanctus ab hominibus in hac uita, respondeat nobis, an inter ea meminerit se etiam hominem esse, & quidem unum dunta-xat, & non plures? Hæ & aliæ id genus solennes sunt Papistarum insultationes. Prius igitur dicam de me, postea de re. Equidem ingenuè coram Deo & hominibus fateor me hominem natura ita corruptum, ut si Deus iniquitatem obseruaret, sustinere haudquaquàm possim, & cogar ex ipso rei sensu exclamare, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Non oculis tantum, non auribus tantum, uerumetiam ipsis animi latebris percepi quid illud sit, quod Dauid commemorat, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Tibi tantum sum peccator, & malum coram te facio. Et hanc naturæ meæ corruptionem secuta sunt non ea tantùm mala, quibus sæpè ac multùm præoccupor, uerumetiam ipsa tam ingenij, quàm sermonis ruditas. Sed quo corruptior ego sum natura, & imbecillior, eo maiores ago Domino Deo meo gratias, quòd me abiectum & miserum hominem tam clementer respexerit, ut & mihi unigenitum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum patefecerit, & me condonatis omnibus meis peccatis propter eum in suam gratiam receperit. Cùm autem hoc anno, quæ hæc scribo, sim sexagenarius, ago iam in publico ecclesiæ ministerio annum tricesimum septimum. Quos ibi labores non sustinui? quas miserias non uidi? quæ pericula non adij? qui- *Anno à Christo nato* bus curis & horroribus non sum confectus? quæ omnia eò tendebant, & adhuc tendunt, ut & ego magis ac magis cognoscerem Iesum Christum, eumq; crucifixum, & ecclesia ad hunc cognoscendum, diuino beneficio, meo autem qualicunq; ministerio, iuuaretur. Quid ergo? Num quia ego agnosco meam imbecillitatem, idcircò non est mihi mea uocatio sectanda? nec ratio fidei meæ reddenda? Credidi, & ideo locutus sum. An, quia ego sum peccator, & possum labi, idcircò non confitear Christũ, adorem autem Antichristum? *1559.*

Sed tu, inquit Sotus, sapiens es apud temetipsum, & inniteris tuæ ipsius prudentiæ. Quid? An sequi uerbum Christi, est apud semetipsum sapere? Quid? An inniti scriptis Propheticis & Apostolicis, est inniti suæ ipsius prudentiæ? An hæc scripta sunt humana potius prudentia, quàm diuina?

Sed tu (obijcies) in his scriptis explicandis non sequeris sententiam Ecclesiæ. Agnoscerem impietatis magnitudinem, si uerè hoc in me diceretur. Quid enim magis impium, quid damnabilius est, quàm ecclesiam deserere, & sententiam eius damnare? Sed benè habet. Alia est (quod sæpè ostendimus) ecclesia Asotica seu Papistica, alia uera catholica & Apostolica. Et hæc quidem sequitur, non sua somnia, sed scripturam sacram, sed sententiam scripturæ, in scriptura ipsa per spiritum sanctum traditam, & perspicuè ostensam: illa autem sequitur sua somnia; & quanquàm affirmat se sequi sacram scripturam, tamen addit, se eam sequi iuxta sententiam traditionum, quas dicunt esse certissimũ fidei fundamentum. Cùm autem his traditionibus nihil sit incertius, aliquoties etiam nihil magis impium, adeoq; instituant longè aliud religionis genus, quàm scripta Prophetica & Apostolica, perspicuum est, quòd si quis illam Papisticam deseruerit, & huic Apostolicæ sese coniunxerit, habeat ueram æternæ suæ

salutis rationem, & conferat se ad ueram illam Ecclesiam, in qua sola est uera peccatorum remissio, & æterna salus.

Sed libet mihi à Soto uicissim percunctari, Quam tandem sententiam in mea imbecillitate sequi debeam? Assentiar ne sententiæ suæ ecclesiæ, cùm mihi interpretatur uerbum Statuendi, pro uerbo Abrogandi? cùm in Cœna Dominica pro Omnes, interpretatur mihi, Non omnes? cùm pro nomine Petræ, interpretatur mihi Petrum, & quemuis Romanum Pontificem? cùm pro uerbo Credendi, interpretatur mihi uerbum Dubitandi, & infinita alia. Quid ni assentiar? Quis enim scit sensum quem autor uoluerit? & non est innitendum suæ prudentiæ. Est & illud tutius & tranquillius, sequi sententiam multitudinis & magnitudinis. Sed si reliquus mihi per Christum renato fuerit, uel aliquis saltem communis sensus, & intelligam absurdissimum esse, ex uerbo statuendi facere uerbum abrogandi, & uideam spiritum ipsum sanctum in scriptura apud Matthæum cap. 16. nomine Petræ non aliud quàm Christum intelligere, ac manifestè cognoscam, quòd certa & firma fides sine ulla hæsitatione à me in scriptura exigatur, quid faciam? Num adhuc audiam, Non sis apud temetipsum sapiens? Quæso igitur te, num illud quod dicitur, Non sis apud temetipsum sapiens, sit idem quod sententiam spiritus sancti abijcere? An fortasis spiritus sanctus secum pugnat, & aliud quidem docet in Traditionibus, & per tuos Prælatos, aliud in scriptura, per scripturam? Si dixeris, Prælatos esse sequendos, respondebo tibi uerbis Petri & Ioannis: An iustum sit in conspectu Dei uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ uidimus & audiuimus, non loqui.

Dices iterum: Qui audit Prælatos, audit Deum. Sed si manifestè pugnauerint cum uerbo Dei, num etiam sic audiendi potius sunt, quàm Deus?

Video autem, eos, non in ijs tantùm articulis, quos commemorauimus, uerùmetiam in alijs innumeris, manifestè cum uerbo Dei pugnare. Nec ego Vnus tantum uideo, quemadmodum Sotus nugatur, sed uidit idem uetustior & purior ecclesia, uiderunt idem multi uetustiores scriptores, uiderunt & alij recentiores, insigni eruditione & pietate uiri, quorum nonnullos uos Papistæ flamma & ferro persecuti estis & crudelissimè interfecistis, nonnulli adhuc, diuino beneficio, superstites sunt, qui ecclesiæ tam uoce, quàm scriptis seruiunt, nec dubito, quin futuri sint multò plures, qui tantisper clamabunt, dum Christus hominem illum sceleroſum, & filium perditum claritate aduentus sui è medio tollat & aboleat. Sed finge me unum ab hac parte stare, & uniuersum mundum aliud sentire, quid? num ideo Solus essem? Scio me sequi cœlestem ueritatem, & pro Christo contra Antichristum pugnare. Non potest igitur fieri, ut sim solus. Multò plures mecum sunt, quàm uobiscum. Nam uobiscum est brachium carneum, mecum autem Dominus Deus noster, qui est auxiliator noster, & pugnat pro nobis. Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam TV mecum es. Vide ergo Sote tuam manifestam uanitatem, cùm affirmas, me Vnum duntaxat esse, & non plures. Sed hactenus de me, qui & mihi humanæ meæ imbecillitatis conscius sum, ac me & labi & errare posse, fateor, non dubito autem, quin cùm sequor sacram Scripturam, & Sententiam Augustanæ, & Illustrissimi Principis mei Confessionis, quæ sua habet in scriptura

ptura certíssima testimonia, non sim apud memetipsum sapiens, nec innitar meæ prudentiæ, sed sapiam in uerbo Dei, & innitar prudentiæ cœlesti ac diuinæ.

Quid uerò illud, quòd Sotus existimat nos, cùm in doctrina Religionis exigimus proprium ab omnibus iudicium, impossibilia exigere? Metuit igitur, pius scilicet uir, saluti non infantium tantùm & stultorum, uerumetiam hominum paulò simpliciorum. Sed hic, Tu mihi optime Lector, considera, quanta sit horum Sycophantarum malicia, qui, ut nostra calumnientur, ne quidem vulgares & solennes sermonis phrases nobis inuiolatas permittunt. Exigimus proprium iudicium ab OMNIBVS. Quid? Num etiam ab infantibus? à stultis? à delíris? à mente captis? At qui hoc nobis imputant, mente ipsi capti sunt, & elleboro indigent. Intelligimus enim, non quod ipsi calumniantur, sed quod ipsa sermonis phrasis, tam in sacra scriptura, quàm in quibusuis linguis usitata significat. In Exodo capite 23. dicitur: Ter in anno apparebit OMNE masculinum tuum coram Domino Deo tuo. Num ergo scriptura hac phrasi exigit ternam singulis annis profectionem ad publicam parochiam ab omnibus indiscriminatim, uidelicet, etiam ab infantibus, à captiuis, à paralyticis, & ab alijs imbecillioribus, quàm ut ambulare queant? Nihil certè minus. Cùm enim dicit: OMNE masculinum, intelligit non omnes masculos simpliciter, sed omnes, quibus data est ambulandi facultas, & non habent legitimum impedimentum. In institutione Cœnæ Dominicæ, Christus in porrigendo calice dicit: Bibite ex eo OMNES, & cùm urgemus usum huius institutionis, ac docemus, bibendũ esse ex calice OMNIBVS, nunquid exigimus, ut ex eo bibant OMNES Ethnici, omnes Iudæi, omnes excommunicati, omnes infantes, omnes abstemij, omnes etiam angeli? Sed furiosus est, qui uel uerbum Christi expositione sua sic deprauat, uel nos sic calumniatur. Christus enim non loquitur de omnibus simpliciter, sed de omnibus, quibus ipse usum suæ cœnæ instituit, & qui ea uel per ætatem, uel per conditionem suam uti possunt. Nõ instituit, nec impijs Idolatris, nec impœnitentibus, nec etiam Papisticis Sacrificulis, quia & ipsi sunt Idolatræ & impœnitentes. Et infantes non possunt ea per ætatem, nec abstemij per conditionem uti. Relinquitur ergo, quòd Christus nomine omnium intelligat in eo loco eos tantùm omnes, tam ecclesiæ ministros, quàm ecclesiæ populares, quibus ipse cœnam utendam instituit, & qui ea uti possunt.

Paulus ad Corinthios scribens: OMNIA (inquit) mihi licent. Quid? Num licet ei etiam peccare, & Christum abnegare? Nihil minus. Non enim loquitur de rebus illicitis, & uerbo Domini prohibitis, sed de rebus per se indifferentibus. Et iterum: Omnia (inquit) omnibus factus sum. Quid? Num Idolatris factus est Idolatra? adulteris, adulter? Absit. Sed in rebus indifferentibus (de his enim erat sermo) factus est omnia omnibus. Simili modo loquendi & nos utimur, cùm exigimus proprium de doctrina religionis Iudicium ab OMNIBVS hominibus. Infantes enim, & stultos natura, & simpliciores mente, & deliros ætate, & id genus alios, relinquimus suo iudici, Domino Deo nostro. De illis autem, iuxta solennem sermonis phrasim, loquimur, quibus diuino beneficio data est facultas iudicandi. Datur autem ea facultas non Papisticis tantùm Prælatis, imò quia deus huius seculi excæcauit sensus eorum, ne illucescat ipsis lumen Euangelij gloriæ Christi, ablata est ab eis, datur autem

1. Cor. 10.

1. Cor. 9.

omnibus Ecclesiæ siue Ministris, siue auditoribus, aut, quos ita uocant, Laicis, qui diuino beneficio ualent ingenio, industria, eruditione, studio, diligentia & pietate. Imò, ut sciamus Deum non esse personarum respectorem, nec esse humilium contemptorem, & ut non glorietur in conspectu eius ulla caro, solet maiorem iudicandi facultatem conferre in simplices & abiectos (quod nec Sotus ipse negat) quàm in sapientes & illustres. Gratias ago, inquit Christus, tibi Pater Domine cœli & terræ, quòd abscõderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sed nec infantes ab hoc catalogo excluduntur. Ex ore, inquit, infantium & lactentium perfeciſti laudem. Quid igitur? Ducamus (inquiet fraterculus) non tantùm sutores & cerdones, uerumetiam infantes in Concilium, ut sententiam de Religione dicant? Quid ni, & lapides, cùm Christus ipse dicat: Si hi tacuerint, lapides clamabunt. Sed ualeant Asoticæ calumniæ. Nos cùm de iudicandi facultate in præsentia loquimur, relinquimus Deo peculiaria sua miracula, & loquimur de ordinaria donorum eius ratione, qua fit, ut quisquis aliquo ingenio præditus est, non debeat Fraterculis quiduis garrientibus & somniantibus credere, sed suum quoq; iudicium adhibere, ne (quod facere solent) obtrudant ipsi mendacia pro ueritate. Habes igitur insignem Soti maliciam, quòd tanto calumniandi studio teneatur, ut nobis, ne vulgarem quidem loquendi morem, candidè interpretari possit.

Deinde uisum est Papistis etiam illud calumniari, quòd alicubi dixerim, unumquemuis priuatum debere esse in sua religionis causa iudicem. Putant enim nihil absurdius dici posse, quàm quòd quispiam in sua propria causa iudex esse debeat. Quod ergo in suo Pontifice existimant esse licitum & honestum, (concedunt enim ipsi, ut in sua propria causa possit esse iudex) hoc in nobis iudicant esse detestandum.

Ex. De Iudi. c. Cùm uenissent, in gloſa.

Sed Sycophantæ (nisi fortè furore mentis prorsus sint absorpti) ignorare non possunt, nos hac locutione nihil aliud significare uelle, quàm quòd unusquisque non tantùm publicus Ecclesiæ minister, uerumetiam priuatus Ecclesiæ auditor, seu Laicus, tam certam, tam firmam, tam stabilem fidem piæ doctrinæ, quam docent scripta Prophetica & Apostolica, adhibere debeat, ut malit dilacerationem membrorum, & amissionem huius uitæ perferre, quàm eam doctrinam abnegare: denique ut suscipiat iuxta suam uocationem certamen pro ea, non tantùm contra homines impios, Iudæos, Ethnicos, Turcas, hypocritas, Sycophantas, hæreticos, fraterculos, & ut uno uerbo dicam, Papistas, uerumetiam cõtra angelos, qui cum ea pugnauerint, tam cœlestes, quàm infernos. En, hoc est priuatum cuiusque in causa suæ religionis iudicium. Nisi enim hoc à nobis exigeretur, in quem usum dixisset Christus: Quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis. In quem usum armaret nos Paulus armatura Dei: Sitis, inquiens, fortes per Dominum, perq; potentiam roboris eius. Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus assultus diaboli. Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem (tantùm) & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Putás ne quenquã in tantis periculis, in tam difficili lucta, constare posse, nisi diuino beneficio iudicauerit, eam quam sequitur doctrinam, certissimam esse ueritatem? Stephanus ad Synodum Pontificum adductus tanta constantia profitetur

ſtetur Chriſtum aduerſus totius Synodi ſententiam, ut non ſolùm inue-
hatur in eos grauiſsimè, uerumetiam maluerit lapidibus obrui, quàm im-
pietati eorum aſſentiri.

Quid martyres, tam aduerſus Ethnicos, quàm aduerſus Arrianos? Num exiſtimas eos tam crudelia, tam immania ab aduerſarijs & perſecu-
toribus paſſos, abſque priuato in ſua ipſorum cauſa iudicio? Non ignoro etiam impios malle aliquoties mortem ſubire, quàm ſuam impietatem reuocare. Et Circumcelliones, furioſum genus hominum, præcipitâ-
runt ſe de ſaxis, ut amiſſa uita, inuenirent eam. Sic enim dictum Chriſti impiè interpretabantur. Sed cauſa, inquit Auguſtinus, non pœna facit martyrem Chriſti. Et quod pſeudomartyr perfert mentis furore, hoc per-
fert uerus Chriſti martyr iudicio. Quare tantum abeſt, ut ſit abſurdum, in ſua propria religionis cauſa eſſe iudicem, ut niſi priuatum adhibueris iu-
dicium, non queas in ueris certaminibus conſtare, & uictoriam reporta-
re. Priuatum autem iudicium uoco, non quod quis ex humana pruden-
tia, aut pertinacia, ſed quod è ſacra ſcriptura per Spiritum ſanctum hauſe-
rit. Nam, quod Sotus uociferatur, ſe non Scripturam ſibi, ſed priuata no-
ſtra iudicia, publico eccleſiæ iudicio ſubijcere, ſæpè reſpondimus, aliam eſſe eccleſiam Papiſticam, aliam ueram & Chriſtianam. Et illa quidem eſt Cainica & Phariſaica, quæ accipit ſua iudicia è traditionibus, & perſe-
quitur pios omni genere crudelitatis. Hæc autem eſt Prophetica & Apo-
ſtolica, quæ accipit ſua iudicia è ſacra ipſa ſcriptura, & perfert à Cainica per-
ſecutiones. Quare, & ſi priuatus quiſque pius priuatum habet in cauſa religionis iudicium, tamen quia hoc eſt iudicium Spiritus ſancti, (Qui enim non habet ſpiritum Chriſti, non eſt eius) & eſt è ſacra ſcriptura, do-
ctore ſpiritu ſancto acceptum, non eſt priuatum carnis, ſed publicum ue-
ræ Eccleſiæ iudicium.

Quòd autem Sotus dubitat, in diuerſitate & multiplicitate ſenſuum ſcripturæ, quem autor ſignificare uoluerit, hoc pertinet non ad ueram ec-
cleſiam, cui ſententia ſcripturæ in his, quæ ad æternam noſtram ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, apertiſsima & certiſsima eſt, quemadmodum ſæpè eſt oſtenſum, ſed pertinet ad Cainicam ſeu Papiſticam eccleſiam, cuius ſenſum deus huius ſeculi ita excæcauit, ut etiam in meridie palpet, ſicut ſolet cæcus in tenebris palpare. Nec mirũ eſt, quòd hæc eccleſia nul-
lum certũ ſenſum ſcripturæ habeat, cùm doceat ſuos ipſa auditores, quòd nullus eorum debeat certò confidere, ſe eſſe in gratia Dei, & habere pecca-
torum remiſsionem propter Chriſtum. Poſtquàm igitur errat in ſummo piæ doctrinæ ſtatu, ad quem uniuerſa ſcriptura ſpectat, non eſt mirum quòd nihil certi in ſcriptura conſtituere poſsit, ſed accommodet eam ad quamuis temporum occaſionem, donec tandem cum ſuo patriarcha di-
cat: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear.

Sed quid illud, quòd aliâs Sotus de diuerſis ſcripturæ ſenſibus diſpu-
tans: Malumus (inquit) errare uniti eccleſiæ, & illam nõ deſerentes, quàm Vobiſcum, qui ab illa diſceſsiſtis, uerum tenere. Et iterum: Nos (in-
quit) non à uobis Vuirtenbergenſibus aut Lutheranis ſenſum ſcriptu-
ræ accipiemus, Sed à legitimis & maioribus Patribus? Quid ergo ad hæc reſpondebimus? Nos miſeros, quibus nullus apud hos homines lo-
cus relictus eſt, etiamſi ueritatem teneamus. Et heu, quanta erit noſtra-
rum Eccleſiarum ac ſcholarum ſolitudo, quòd tam præclari uiri, tantis inſigniti uirtutibus, tanta prædiți pietate, non accepturi ſint à nobis ſen-

sum scripturæ? Sed fortassis nondum de Salute nostra omninò conclamatum est, etiamsi Sotus & colluuies eius nos abijciant. Vociferatur nos discessisse ab Ecclesia. Fatemur. Non autem ab Ecclesia Christi, sed Antichristi. Si ergo maluerit cum sua Antichristi Ecclesia errare, quàm cum nostra Christi Ecclesia uerum tenere, nos qui sumus, ut possimus eum rectà ad inferos & ad diabolum ac angelos eius properantem retinere? Sed & illud dicit, se & suos nolle à nobis Vuirtenbergensibus & Lutheranis sensum scripturæ accipere, φάσκοι γοῦν ἀπαλλαγαί, secundum Euripidem. Nam, ut tu hoc scias, nec uicissim nos cupimus scripturæ sensum à uobis Papistis accipere, Sed (ut rectè quidem loqueris, praue autem intelligis,) à legitimis & maioribus Patribus. Qui uerò alij sunt hi, quàm Prophetæ & Apostoli, qui & scripturam ipsam, & uerum eius sensum in eadem scriptura nobis exhibuerunt? Num habes tu & meliores & præstantiores, & magis legitimos Ecclesiæ Patres, quàm Prophetas & Apostolos? An non ex his de omnibus alijs iudicandum, & ad hos omnibus alijs respiciendum? Quare habes, Sote, nos hac in parte ὁμοψήφους, quòd scripturæ sensus sit à legitimis & Maioribus Patribus accipiendus. Sed illud controuertitur, qui Patres uerè sint legitimi, & Maiores, quique alijs sint præferendi. Non est autem dubium (nisi apud fraterculos) omnibus etiam Angelis, nedum Pontificibus, & Scrinijs eorum pectoralibus præferendos esse Prophetas & Apostolos. Agnoscamus igitur hos uerè legitimos ecclesiæ Patres, & quia tradiderunt nobis scriptis suis cœlestem de uera & æterna nostra salute sententiam perspicuè, quemadmodum sæpè ac multùm demonstratum est, nunquàm committamus, ut hæc scripta traditionibus non scriptis, hoc est, partim incertis, partim confictis subijciantur, sed ut omnia reliqua siue scripta, siue non scripta, siue dicta, siue picta, siue etiam sculpta, ex his iudicentur.

Cæterùm, ut gigantes illi, Pontificiæ sanctitatis defensores, palàm testificentur, qualis sit timor Dei ante oculos eorum, rident nostram prouocationem, quòd in hac de doctrina religionis controuersia, non uelimus stare sententiæ alicuius unius aut plurium Episcoporum, aut Vniuersalis Concilij, sed tantùm sententiæ Christi uniuersalis Iudicis. Et, ut religionem animi sui erga hoc iudicium magis declarent, addunt hanc esse usitatam consuetudinem, hoc esse solenne effugium tam prædonum, & furũ, quàm latronum & homicidarum, ut prouocent ad extremum iudicium Christi. Quid igitur amplius nobis de horum hominum impietate dubitandum est? An non hoc ipsum est cum seruo malo in corde dicere: Cunctatur Dominus meus uenire? Quin &, quod eodem in loco sequitur, manifestè implent. Cœperunt enim conseruos suos percutere, ac ubicunque datur eis potestas, multò crudelius in nos, quàm in fures & latrones grassari, ac putant se in trucidandis nobis gratissimum Deo cultum præstare. Interea helluantur ipsi cum ebrijs, & ducunt in bonis dies suos, ac dicunt: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non ueniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.

Sed quid? Existimas, Sote, nos ad puerile & ioculare tribunal prouocare aduersus uestram tyrannidem & crudelitatem, cùm prouocamus ad sententiam uniuersalis Iudicis, Christi? An nescis, quod dictũ est: Veniet Dominus serui illius mali, in die quo non expectat, & hora, qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; ponet cum HYPOCRITIS. Illic erit

ploratus,

ploratus & ſtridor dentium? Et tamen, cùm prouocamus ad tribunal Chriſti, non reijcimus ſua ueræ eccleſiæ iudicia ſeu Concilia, ſed tantùm ueſtra, Sote, Concilia, iniqua, impia, & cum Chriſto ac uerbo eius, quod Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis continetur, pugnantia.

Vide enim mihi ueſtrorum Conciliorum æquitatem ſcilicet & pietatem. Primùm enim poſtulatis & exigitis, ut priuſquàm in Concilium conuenerítis, & aliquid decreuerítis, Reges & Principes obligent ſeſe ueſtra decreta, nondum nec uiſa, nec audita, nec cognita, ſanctè & firmiter, tanquàm immota ſpiritus ſancti oracula, ſeruaturos. Nam hoc ueſtros Pontifices, ſuperioribus annis poſtulaſſe, notius eſt, quàm quod negari poſsit. An non hæc ſcilicet eſt æqua & honeſta poſtulatio? Hoc uerè eſt exigere, ut fiduciam collocemus in Pontificibus, & ponamus Pontificiam coronam brachium noſtrum. Deinde non admittitis in cœtum, & ſententiam ueſtram definitiuam, niſi eos, qui ſunt ueſtri ordinis, & uobis ita iurati, ut contrà, ne hiſcere quidem audeant. Hoc eſt & ſpiritum extinguere, & tyrannidem exercere, & omnes alios homines præ ſe extremo contemptu faſtidire.

Præterea, cùm faciamus uos reos de ſumma impietate, Idolomania & Magia, ſumitis tamen uobis ipſi Accuſatorum, & Iudicum partes. Hæc illa æquitas eſt, qua ueſtra Concilia ſuſcipitis celebranda.

Adhæc, non eſt ueſtri inſtituti, ut feratis ſententiam iuxta ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ſed iuxta ueſtras traditiones, & Scrinium ueſtri Pontificis. Si hoc negaueris, Sote, conuincet te Concilium Conſtantienſe, in quo cùm decerneretur de tollendo calice è Cœna Dominica, diſertis uerbis dicitur, quòd licet CHRISTVS poſt Cœnã inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub utraq; ſpecie panis & uini hoc uenerabile Sacramentũ, TAMEN HOC NON OBSTANTE, &c. Et mox: Licet in primitiua Eccleſia huiuſmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraq; ſpecie, &c.

Hìc fatetur Concilium, quòd & Chriſtus in Cœna ſua utramque ſpeciem Sacramenti (ut uos loqui ſoletis) inſtituerit, & diſcipulis ſub utraque ſpecie adminiſtrauerit, & fideles in primitiua Eccleſia ſub utraque ſpecie ſumpſerint, & tamen tanta eſt Concilij impudentia, ut audeat contra inſtitutionem Chriſti, & uſum primitiuæ eccleſiæ aliud è ſua conſuetudine ſtatuere, & huius ſtatuti obſeruationem horribili pœna exigere. Sed quid pluribus opus? Vociferatur Sotus ipſe, quòd Traditiones ſint certiſsimum fidei argumentum. Quare hoc ipſo teſtificatur, ſuos Prælatos ſententiam in Concilio dicere ex traditionibus magis, quàm è ſcriptura ſacra.

Poſtremò exiſtimatis, quòd etiamſi nec fidem nec charitatem habueritis, ac dubitaueritis, num ſitis in gratia Dei, & num certò uobis remittantur peccata, (hoc eſt) etiamſi fueritis ſcortatores, adulteri, pæderaſtæ, Simoniaci & homicidæ, tamen non poſsitis in ueſtro Concilio errare, ſed ueſtra decreta ſint tanquàm cœleſtia oracula ab omnibus populis tanta obedientia ſeruanda, ut etiamſi ducant eos ad æternam gehennam, nemo tamen audeat ea reprehendere, & dicere: quid decreuiſtis? Hæc ſunt illa Sote Concilia, quæ arguimus, reijcimus, damnamus, & deteſtamur. Nam altera illa ueræ eccleſiæ Concilia, in quibus honeſti, pij & docti uiri tam ex politico, q̃ eccleſiaſtico ordine conueniunt, tantùm abeſt, ut abijciamus, ut autoritatem eorum, & ſi non ſummam, propterea, quòd & ipſi

sint homines, qui & falli & fallere possunt, tamen magnam esse arbitremur.

Hi enim non exigunt, ut priusquam aliquid pronunciauerint, homines obligent sese ad obedientiam, sed cupiunt, iuxta uocationem, audiri, ut si quid recti decreuerint, agnoscatur, si errauerint, reijciatur. Nemo nostrûm (inquit Cyprianus) Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit.

Deinde, qui sic conueniunt, non eo consilio conueniunt, ut ferant sententiam iuxta humanas traditiones, sed iuxta scripta Prophetica & Apostolica.

Nec conueniunt, ut noua dogmata condant, sed ut uetera contra noua, testimonijs scriptorum Propheticorum & Apostolicorum tueantur & illustrent. Et quanquam soleant aliquoties etiam Patrum testimonijs uti, tamen eatenus tantum ijs utuntur, quatenus suam ipsi sententiam è scriptis Propheticis & Apostolicis probant. Negari autẽ non potest, quin in uera quoq; ecclesia immisceant sese hypocritę cœtui uerè piorum, quẽadmodum suprà dictum est.

Hypocritæ igitur in cœtu piorum, aut egregiè dissimulant suam impietatem, aut accepta occasione profitentur impietatem publicè, & persequuntur eos, qui sese sententiæ ipsorum opponunt. Qui autem uerè sunt pij, ut dicunt summa diligentia sententiam suam è scriptis Propheticis & Apostolicis, ita, cùm sciant se quoq; falli posse, permittunt de ea reliquis liberum iudicium, sed ea conditione, ut iuxta Prophetica & Apostolica scripta iudicetur, & si cubi temerè ipsis contradicitur, tunc aut habent sua legitima remedia, quibus petulantes coërceant, aut si hæc defuerint, ferunt persecutionem obedienter, donec Dominus ipsos liberauerit. Si uerò piè & rectè ipsis contradicitur, agnoscunt errorem, & emendant. Hoc enim solum spectant, hoc tantum uolunt, incolumem esse autoritatem sacræ scripturę, obtinere ueritatem, & promouere gloriam nominis Dei. Sed de Concilijs hactenus, quorum quæ probanda, quæue improbanda sint, in præsentia satis exposuisse uidemur.

De Ecclesiasticis SCRIPTORIBVS.

QVod Apostolus Paulus, tam piè, quàm eruditè de Lege dixit, eam bonam esse, si quis ea legitimè utatur, idem de Patribus Ecclesiasticis sentiendum est, eos tum demùm Ecclesiæ utiles esse, cum ipsis πατρικῶς καὶ ἐκκλησιαστικῶς utimur. Autoritas enim eorum debet esse in ecclesia filij Dei magna, sed non summa. Et afferunt ecclesiæ utilitatem multam, sed non omnem.

Dicamus igitur nunc de Patribus seu scriptoribus Ecclesiasticis. Ac primùm de Autoritate, deinde etiam de usu eorum, ut non altius efferantur, quàm par sit, nec contemptius abijciantur, quàm nonnullis uidetur. Ac de autoritate quidem eorum, facilè inter me & Sotum conueniret, si non soleret aliud uerbis profiteri, aliud corde celare. Dicit enim in sua Confusione: Scripta Patrum nulla ratione æquanda esse Canonicis libris. Et in Scorijs: Patrum, inquit, autoritas scripturis non est præferenda.

renda. Et cùm Papistæ non ignorent, quòd magna pars Patrum, præsertim uetustiorum, pugnent cum ipsorum impietatibus, ne ipsi quidem multum fiduciæ in Patrum scriptis collocant. Sotus quoque in opinata sua Defensione, non ad unum tantùm & alterum, (uidet enim nonnullos uanitati & Idolomaniæ suæ manifestè obsistere) sed ad omnes simul confugit. Cùm Patres appellamus, inquiens, & ad eos confugimus, non unum aut alterum, siue quosdam ex eis, sed omnes communiter, & eorum consensum, atque confessionem nos appellare. Non agnoscit singulos, sed uniuersos, ut si quando ex uno & altero obijciatur, quod cum sententia ipsius pugnat, pateat ei receptus ad alios. Firmum igitur & ratum nobis sit, scripta Patrum, eorum uidelicet, qui post confirmatum sacræ scripturæ Canonem scripserunt, non esse scriptis Propheticis & Apostolicis, nec æquanda, nec præferenda, & quod Augustinus de scriptis Cypriani dixit, hoc idem de omnium ueterum scriptis esse sentiendum, ut autoritate eorum non teneamur, nec ut Canonica habeamus, sed ex Canonicis consideremus, & quod in eis diuinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eorum accipiamus: quod autem non congruit, cum pace eorum respuamus. Sed quicquid Papistæ sentiant de scriptis Patrum, ea certè non sunt amplius Papistarum, sed nostra. Sicut enim Papistæ subijciunt sacram scripturã suis traditionibus, & scrinio pectoris Pontificij, ac excerpunt ex ea, quod Pontificiam suam maiestatem cõfirmare uidetur, reliqua aut fastidio contemnunt, aut falsa interpretatione deprauant. Itaq; cum sacra scriptura non sit apud eos inuiolata, perinde est, ac si nullã amplius haberent: ita subijciunt etiam scripta Patrũ sententijs suorũ Pontificum, ut quod hi approbant, sit approbatum, quod reprobant, sit reprobatũ. Itaq; fit, ut patrum scripta sint apud eos perinde ac si nulla essent.

Aug. To. 7. lib. 2. contra Cresc. Grãm. cap. 32.

Audiui de faceto homine, cùm inter conuictores mentio facta esset ordinum Monasticorum, & alius quidem præferret ordinem Bernhardinorum, alius Benedictinorum, alius Canonicorum, alius Carthusianorum, alius Franciscanorum, alius Dominicastrorum, alius alium ordinem, ibi tum ille nullum peculiariter commendabat, sed si omninò (inquit) subeundum mihi esset iugum monasticum, mallem ex singulis nouum quoddam Monastici ordinis genus colligere & sectari, quàm unum aliquem ex ueteribus illis suscipere. Et quid nam, rogantibus amicis, ex singulis ordinibus, ad instituendum unum aliquẽ seligere uellet? respondit: Ex ordine quidem Bernhardinorum, magnos caballos, quibus Abbates eorum uterentur: ex ordine Benedictinorũ magnos & bonos pisces, quibus illi uescerentur: ex ordine Canonicorum, pingues præbendas, & frequentes concubinarum mutationes: ex ordine Carthusianorum, tranquillitatem, qua illi fruerentur: ex ordine Franciscanorum deambulationes, quòd hi soleant aliquoties deambulandi gratia excurrere, usque ad sepulchrum dominicum in urbem Hierusalem: ex ordine Dominicastrorum, preces, quòd hi dicantur multò paciores alijs preces recitare. Breuiter, longa fuit fabula, donec è singulis unum tantùm monastici ordinis corpus, quod sibi congruum uidebatur formaret. Idem prorsus est institutum Papistarum. Non sequuntur unum tantùm, & certum genus religionis, sed collecticium è singulis. Non sunt religione tantùm Ethnica, non tantùm Iudaica, non tantùm Christiana. Non agnoscunt solã sacram scripturam pro certissimo fidei fundamento. Non sequuntur tantùm scripta Patrum, Sed colligunt partim è scriptura sacra, partim è scriptis Patrũ,

partim ex Iudæis, partim ex Ethnicis, quæ uidentur, donec crearent Papam & Missam, adeoque nouum religionis corpus, quale nobis omnibus adhuc hodiéq; ob oculos positum est. Et quemadmodum Mahumetistæ è ueteri & nouo Testamento, & ex Ethnicismo, Iudaismo atque Christianismo composuerunt suum Alcoranum, ita Papistæ contulerunt è sacra scriptura, & scriptis Patrum, quod sibi commodum uidebatur, in suum ius Canonicum, quo nouum genus religionis constitueretur. Quare sicut sacra scriptura ueteris & noui Testamenti non pertinet amplius, instituto iam Alcorano, ad Mahumetistas, ita nec scripta Prophetica & Apostolica, ac Patrum, pertinent amplius, instituto iam corpore Iuris, ut uocant, Canonici, ad Papistas. Nostra, (hoc est) ueræ ecclesiæ, est hæc possessio. Postquàm igitur diximus de autoritate scriptorum Ecclesiasticorum, quantum quidem in præsentia satis uidetur, dicamus nunc aliquid etiam de uero usu eorum. Ac Sotus commemorat duplicem tantùm eorum (quod ego sciam) usum. Obseruandum (inquiens) nos testimonijs ueterum Patrum propriè uti ad probandam traditionem, & consensum ecclesiæ. Traditionem autem uocat, ut mox interpretatur, non eam, qua accepimus à Maioribus scripta Prophetica & Apostolica, sed qua ipsi acceperunt à Patribus, nescio quos ritus, quas cærimonias, aut quæ dogmata, quæ affirmant ab Apostolis quidem prædicata & commendata, non autem literis mandata. Et consensum ecclesiæ intelligit consensum Romanæ suæ ac Pontificiæ ecclesiæ. Vides, quòd scripta patrum sint illis duntaxat tantisper accepta, dum ex ipsis Traditiones suas colligant, ex quibus nouum genus religionis constituatur, Reliqua sunt eis σκύβαλα. Nos autem, & si non sumus iurati in uerba Patrum, nec tribuimus eis summam in ecclesia autoritatem, tamen beneficia, quæ Deus per scripta eorum nobis confert, grati agnoscimus. Primùm enim, non sunt nobis in hunc usum propositi, ut abducant nos à scriptis Propheticis & Apostolicis, sed potius, ut nobis ea in manus tradant, & à Pontificijs istis traditionibus abducant. Extant iam inde à tempore vulgati per Apostolos Euangelij in orbem terrarum, Ecclesiastici scriptores, de ætate, in ætatem, qui testificantur scripta Prophetica & Apostolica non esse ab hominibus conficta, sed ab Apostolis ipsis & Euangelistis, ac ab ijs, qui fuerunt earum rerum, quæ his literis mandatæ sunt, αὐτόπται, accepta, & deinceps à posteris ad posteros propagata. Itaq; ne quis existimet, hæc scripta heri & nudius tertius nata esse, numeramus à nostris temporibus, per singulos ætatum gradus, usq; ad tempora Apostolica, monumenta literarum, quibus ea scripta nobis ita commendantur, ut si quis, uel Angelus, uel Apostolus, aliud prædicaret, anathema esset.

Primus igitur ecclesiasticorum scriptorum usus est, quòd suo suffragio & testimonio tradant nobis in manus scripta Prophetica & Apostolica, tanquàm certissima, sacrosancta & inuiolata oracula spiritus sancti, ut & hac in parte illud Psalmi usurpare queamus: Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera. Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis, Vt ponant in DEO Spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

Deinde est & illa è scriptis Patrum utilitas, quòd non solùm scripta ipsa Prophetica & Apostolica suo testimonio nobis cõmendauerint, uerum etiam multa eorum suis commentarijs illustrauerint.

Sed

Sed hîc opus est iudicio. Augustínus censet scripturas ipsas Canonicas prius legendas, quàm aliorum commentarios inspicias. Erit, inquiens, diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui PRIMO TOTAS legerit, notásq; habuerit, & si nondum intellectu, iam tamen lectione, duntaxat eas, quæ appellantur Canonicæ. Nam cæteras securius leget, fide ueritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendacijs atque phantasmatibus eludentes præiudicent aliquid contra sanam intelligentiam. Hactenus Augustínus. Commentarij igitur Ecclesiasticorum Scriptorum, tunc lectu utiles sunt, cùm animus noster fuerit prius sana doctrina è scriptis Propheticis & Apostolicis eruditus & munitus. Etsi enim solent nobis exemplum, & quasi uiam interpretandæ Canonicæ scripturæ commonstrare, cùm obscuriora loca explicant per manifestiora, id quod Augustínus ipse faciendum docet, Vbi apertius, inquiens, ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris: tamen alij interpretes sunt alijs eruditiores & sinceriores, ac fieri solet, ut nonnunquàm suas magis cogitationes afferant, quàm ueram scripturæ sententiam assequantur, præsertim si quando non in principalem statum scripturæ, sed uel in humanas suas ipsorum rationes, uel in aliorum opiniones, mentem deflectant. Quanquàm igitur magna sit hac in parte ecclesiasticorum scriptorum utilitas, tamen in ijs legendis opus est lectoris iudicio, eóq; non ex seipso, sed è sacra scriptura petito. Amâbo autem te, amicissime mi Lector, considera mihi hoc loco memorabilem Soti industriam.

De doctrî. Christi. li. 2. cap. 8.

Mẽdacijs & phantasmatibus (hoc est) Traditionibus & Sanctorum Lectis.

Recitaturus enim nobis exemplum utilitatis ueterũm scriptorum & interpretationum, producit in medium, tanquàm precíosissimam gemmam, expositionem Hieronymi, in Ioëlem & Ionam Prophetas, ubi Hieronymus in illa Prophetarum loca: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, sic scribit: Ego, inquiens, hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clementem, dicente Dauid: Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarũ dele iniquitatem meam: sed quia profundum diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius, quàm præsumo dicens: quis scit, si conuertatur & uiuat. Et iterum: Ideo ambiguum ponitur, & incertum, ut dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.

Hæc Hieronymi κεμηλια ostentat nunc Sotus, Sicũt uerbi (inquiens) gratia, cùm Hieronymus interpretatur locum Ioëlis Prophetæ: Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, de dubio remissionis peccatorum, fidem Lutheri, quòd remissa sint peccata, ostendit nouellam esse. Hactenus Sotus. Quid igitur dicemus? Nullum ferè aliud dictum Hieronymi in commentarijs suis extat, quod magis esset dissimulandum, aut quod indigeret clementiori interpretatione, quàm illud ipsum, quod recitauimus, & tamen Sotus tanto est mentis furore, ac cæcitate, ut commendet illud nobis super aurum, & topazion. Quid? dubitandum ne est nobis de remissione peccatorum, quam habemus certam in Christo? Quid? Crederene peccata nobis esse remissa, est nouella fides Lutheri?

Quod, obsecro, Symbolon fidei hactenus didicit Asotus? Quid? Non credit ipse, quod uniuersa ecclesia in Symbolo recitat, Peccatorum remis-

sionem? An cùm mulier peccatrix apud Lucam audit, Remittuntur tibi peccata, & credit, nouellam habet fidem, & non potius eam, quam habuerunt Patriarchæ & Prophetæ, quam prædicauerunt Apostoli, & quam tenet uniuersa uera ecclesia Christi? Sic enim Petrus ait: Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Benè igitur habet, Si credere peccatorum remissionem, est fides Lutheri, quemadmodum Sotus ipse testificatur, & testimonium eius hac in parte uerum est, certè sequitur, omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, adeoq; uniuersam ueram Catholicam ecclesiam esse Lutheranam. Quid nunc nobis Lutheranis fœlicius? Quid autē uobis Papistis infœlicius, quid execrabilius, quid damnatius? Sed longior essem in his locis Ioëlis & Ionæ, ac in dictis Hieronymi explicandis, nisi antea in secunda Pericopa expendissem ea copiosè. In præsentia uerò, priusquàm ad recitandas alias ecclesiasticorum scriptorum utilitates ire perrexero, uisum est alium locum ex opinata Soti Defensione recitare, de quo nos admonuit illud, quod iam Sotus de noua fide Lutheri dixit, & fortasis non dabitur aliàs occasio de eo dicendi. Est autem eiusmodi, quòd non sit oscitanter prætereundum, ut manifestum fiat, quæ sit illa ecclesia, quam non solùm fugere, uerumetiam detestari debeamus. Nam quod Sotus scribit, nomine totius ecclesiæ Papisticæ, cuius patronum se profitetur, scribit.

Postquàm enim ostendi, Bonis nostris operibus ad æternam salutem confidere, esse coram Deo Idolomaniam, ibi tum Sotus, & si uerbis uociferatur, se & suos solum uerum Deum, & unum mediatorem Dei & hominum, Christum Iesum, ita ore confiteri, & corde tenere, ut parati sint pro hoc asserendo mortem subire, tamen sicut paulò antè dubitauit de Remissione peccatorum, quod uerè est coram Deo dubitare, num CHRISTVS sit mediator Dei & hominum, ita nunc docet nos etiam
„ equis, armis & uiribus corporis confidere. Sic enim scribit. Quod scri-
„ ptura (inquiens) nos docet, nulla blasphemia est, creaturas Dei laudare, il-
„ lis uti, & uirtute illarum fidere ad ea, ad quæ à DEO facta sunt perficien-
„ da. Nulla hîc Idolomania. Si accusas Brenti, rusticum, quòd pluuiæ tem-
„ porali, & calori solis, & terræ fertilitati fidat, ut fructum desideratum con-
„ sequatur, quia ita à Deo ordinatum est: Militem, equum suum, aut ar-
„ ma, aut uires, & robur corporis, quæ agnoscit se à DEO habere, deos di-
„ cis efficere, & tanquàm deos minores adorare, quia congressurus cum
„ hostibus, illis utitur, & fidit, ut donis Dei, & instrumentis belli; dicas
„ Idolatras esse me, & omnes Catholicos, quia Contritionem, Ieiunia, elee-
„ mosynas, & uota horum legitimè oblata DEO agnoscimus dona esse
„ eius ad salutem nostram & uitam æternam consequendam nobis dona-
„ ta, atque ita ILLIS FIDIMVS sub Deo. Hactenus Asotus, ac uerè ἄσωτος. Quid enim tibi de tali doctore Christianissimi uidetur? An non audis nouum nobis fidei Symbolon ediscendum proponi? Agricola profecturus in agrum suum, & seminaturus, non tantùm dicat: Credo in DEVM Patrem omnipotentem, & in IESVM CHRISTVM filium suum unigenitum, & in Spiritum sanctum, sed etiam addat iuxta catechismum Asoti, decimumtertium articulum, & dicat: Credo & confido in pluuiam, in calorem solis, & fertilitatem terræ, ut speratum fructum consequar, idq; scilicet probatur ex Paulo, qui dicit: Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Eques aut miles

miles egressurus in bellũ, non tantùm dicat in Symbolo: Credo in Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, uerumetiam, Credo & confido in meum equum, in mea arma, in mei corporis robur & uires, idq; scilicet, iuxta illud Psalmi: Non saluatur rex per multam uirtutem, & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur. Et iterum: Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Ac rursus: Nec in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluabit eos. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Et iterum: Tu uenis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem uenio ad te in nomine Domini Zebaoth. Ac mox: Vt sciat omnis terra, quia est Dominus Deus in Israel, & nouerit uniuersa ecclesia hæc, quia Non in gladio, nec in hasta saluat Dominus.

Sed cùm Sotus doceret nouum fidei Symbolum, fortassis hæc scripturæ dicta nõ uenerunt ei in mentem, aut quod magis credere libet, existimauit ea debere traditioni noui catechismi cedere. Quid ni? Scriptura enim exponenda est per Traditiones. Quantis, obsecro, & quàm ardentibus furiarũ tedis hic homo agitatur? Tũ ne, qui adhuc nescis, quantum discrimen sit inter uerba Vtendi & Confidendi, audes in publicum prodire, & defensionem doctrinæ Catholicæ ecclesiæ suscipere? Tũ ne, qui doces, Equiti confidendum esse, non in solum Deum, uerumetiam in suum equum, Militi in sua arma, Agricolæ, in terræ suæ fertilitatem, audes nomen & Christiani & Theologi profiteri? O hominem non uno impietatis & insaniæ morbo laborantem, qui cùm tanto tempore in schola Christianorum uersatus sit, nihil tamen præter uerba quędam, & titulum Christiani reportauit, reliqua ferè omnia in eo non sunt nisi Ethnica, Mahumetica, & ut uno uerbo dicam, Papistica. Antea docuit dubitandũ esse de remissione peccatorum, quam tamen Christus Euangelio suo nobis certissimã adnunciauit, adeoq; sanguine & morte sua impetrauit. Nunc autem docet nos fiduciam nostram non in uno tantùm solo Deo, uerumetiam in pluuia, in equo, in armis, & in uiribus corporis collocare, ut tandem ad id, quod instituit, perueniat, & impietatem suam absoluat, bonis uidelicet operibus nostris coram Deo fidendum esse. Quid igitur? Abijciamus ergo usum equorum, & nihil boni faciamus? Non ignoro, quid Sycophantæ uociferentur. Sed aliud sentiunt pij, aliud garriunt calumniatores. Deus enim concedit quidem, ut eques utatur suo equo, & miles armis, & agricola aratro, Sed quemadmodum haud qua quàm creauit & ordinauit, uel equos, uel arma, uel rustica instrumenta, uel pluuiam, ut quisquam ijs ad consequendum illud beneficium, quod Deus per ea cõferre solet, confidat, imò tantum abest, ut hoc permittat, ut potius seueriter, nisi quis in suo instituto pudefieri uelit, prohibuerit, sicut paulò antè ostendimus: ita præcepit quidem, ut bona opera faciamus, & uocationem uerbi eius summa diligentia sequamur, sed ut in ijs operibus, tam imperfectis, tam uitiosis, tam sordidatis, uel saltem aliquam fiduciam in conspectu suo collocemus, non solùm nec præcepit, nec ordinauit, uerumetiam magna seueritate uetuit, ac vult potius, ut confiteamur ueritatem, uidelicet, nos tam in bonis, quàm in malis nostris operibus esse peccatores, & necesse habere dicere: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? In solo autem Christo filio Dei habere iusticiam per fidem. Sed quia de hac re sæpè & copiosè in hoc scripto diximus, ac

impietatem Soti refutauimus, reuertemur nunc ad ecclesiasticos scripto-
res. Nam præter eas utilitates, quas suprà recitauimus, etiam aliam ex his
scriptoribus capimus. Defenderunt enim scriptis suis multa pia dogma-
ta aduersus corruptores eorum hæreticos, ut propagarent ea ad posteros
sincera. Non excogitârunt noua dogmata, non noua Sacramenta, non
nouas consecrationes, sed uetera dogmata & sacramenta defenderunt
aduersus nouorum dogmatum & sacramentorum commenta. Defen-
derunt autem illa, non è suis somnijs aut ficticijs traditionibus, sed apertis
& perspicuis sacræ scripturæ testimonijs, ut hac in parte meliorem penè
operam ecclesiæ nauent, quàm scripta ipsa, sicuti extant, Cõciliorum, quæ
plerunq; nuda nobis dogmata proponunt.

Postremò accedit & illud, quòd ecclesiastici Scriptores mandauerint
literis multas res gestas primitiuæ ecclesiæ, & transmiserint eas ad poste-
ritatem, ex quibus cognoscere licet, quis fuerit cursus Euangelij in hoc
mundo, & quid quouis tempore ecclesiæ acciderit. In his autem adhi-
bendum est singulare iudicium, & habendus est accuratus & industrius
delectus. Multa enim conficta sunt à Romanensibus, & inscripta uetustis-
simis autoribus, ut autoritatem primatus Pontificij, & suorum nouorum
sacrorum testimonio uetustatis confirmarent. Multæ legendæ, ut uo-
cant, Sanctorum à Fraterculis, & alijs hypocritis excogitatæ sunt, ut mo-
nasticum suum genus uiuendi stabilirent, & orbi commendarent. Scri-
bit Abdias quidam Babylonius, (sic enim autoris nomen fingitur) Mat-
thæum Apostolum & Euangelistam trecentas (nisi numerus mihi exci-
derit) uirgines uelasse, & ad professionem monachismi consecrasse. In-
finita sunt id genus mendacia, quæ hypocritæ ad monasticen suam tuen-
dam confinxerunt. Magna igitur hac in re opus est circumspectione,
& conferendæ sunt rerum gestarum narrationes cum scriptis Propheti-
cis & Apostolicis, cum statu eorum temporum, quibus gesta narran-
tur: Considerandæ sunt & aliæ περισάσεις, ne uanitas ueritatis loco arri-
piatur. Nam, quæ sunt certæ ueterum historiæ, in hoc sunt utiles, ut ex
eis cognoscamus originem Pontificiæ tyrannidis, monasticæ hypocri-
seos, sacrificiorum Missæ Papisticæ, Inuocationis mortuorum, ac alia-
rum Papisticarum impietatum, quæ cum scriptis Propheticis & Aposto-
licis pugnant.

Quare, Ecclesiastici Scriptores magnam quidem suis testimonijs, in-
terpretationibus, dogmatum propugnationibus, & rerum gestarum nar
rationibus, utilitatem in ecclesiam conferunt, Sed tunc, cùm nos ad fon-
tem sacræ scripturæ ducunt, non cùm nos riuulis suis ab ipsa fontis scatu-
rigine seducunt.

Cæterùm, Sotus iactat quidem magnam esse autoritatem concordis
sententiæ Patrum, quod nec nos negamus, sed multò maior est autori-
tas sacræ scripturæ. Multitudo Patrum errare potest, Solus Spiritus san-
ctus, qui sententiam suam de ijs rebus, quæ sunt nobis ad æternam salu-
tẽ cognitu necessariæ, in scriptis Propheticis & Apostolicis apertè & per-
spicuè expositit, errare non potest. Quare si concordia Patrum seu Eccle-
sticorum scriptorũ cum illa spiritus sancti Sententia conuenit, quis eam
non summa ueneratione exciperet? quis eam non exoscularetur? Si au-
tem cum ea non conuenit, respondemus uerbis Petri: An iustum sit in
conspectu Dei, Patres potius audire quàm Deum, iudicate. Idem dicen-
dum est de dictis Salomonis & aliorũ, qui iubent nos interrogare Patres,
& cohor-

& cohortantur, ne transgrediamur terminos, quos posuerũt Patres. Nam quòd Sotus recenset etiam dicta Augustini de autoritate Patrum, & uetẽrum scriptorum, metuit, credo, ne nobis arma, ad oppugnandam uanam ipsius de Patrum autoritate sententiam, desint.

Quod autem ad interrogandos & audiendos Patres attinet, Siquidem sermo est de uetustissimis illis Patribus, Prophetis uidelicet & Apostolis, quorum scripta publicè confirmata extant, quis nostrũm negat eos audiendos? An non quoquo modo possumus, urgemus & instamus, ut hos audiamus & sequamur? Si autem sermo est de Patribus his posterioribus, fatemur, quòd & hi sint audiendi, sed illa conditione, si hi istos nostros maiores Patres, Prophetas & Apostolos, ac in eis spiritum sanctum, adeoque filium ipsum Dei, quem maximè omnium audiendum cœlestis Pater commendauit, audierint. Quòd si uerò hos, siue concordi siue discordi sua sententia, non audierint, iterum respondemus, quod antè, Num iustum sit in conspectu Dei Patres potius audire, quàm Deum, iudicate.

Sed quis interea erit Iudex, qui illam inter nos litem dirimat, utrum ne Patres sequantur ueram sententiam spiritus sancti, in scriptis Propheticis & Apostolicis traditam? Hîc, Sotus non agnoscit nos Vuirtenbergenses & Lutheranos (sic enim ipse loquitur) iudices. Et nos uicissim, ut repetamus, non agnoscimus Fraterculos & Papistas Iudices. Reliquum igitur est, ut hanc causam, reclamante licet omnium Fraterculorum colluuie, Domino Deo nostro, soli uero & iusto omnium Iudici committamus, qui proculdubiò ueræ suæ Ecclesiæ non deerit, sed dabit ἔκβασιν, ut in medio inimicorum suorum conseruetur, & aduersus omnes portas inferorum inuiolata perduret.

De Ecclesiasticis

CERIMONIIS.

ETSI Sotus in hoc capite, nihil propemodum aduersus Confessionem Principis affert, quod non sit antea in hoc scripto perspicuè refutatum, & à morum ciuilitate abhorrere uidetur, ut cùm singula sterquilinia Soti paulò diligentius perscrutanda suscipias, fœtorem Asoticarum sordium pio Lectori toties olfaciendum obtrudas, tamen postquàm iam, diuina clementia, ex istis lacunis penè ad portum peruenerimus, sufferet mecum, spero, pius Lector, tantillum tædij patienter, dum, quod adhuc reliquum est, percurram. Ac uidetur quidem Sotus aliquoties rectà incedere. Scribit enim ex Augustino. Illa, inquiens, quæ sunt contra fidem uel bonos « mores, nec institui, nec tolerari debent. Et iterum: Nihil, inquit, possunt « instituere Prælati autoritate sua, quo expientur peccata, uel acquiratur « æterna uitæ. Hæc sunt honestissimè dicta, ut Sotus uideatur uel tandem « uelle à parte ueritatis stare. Sed redit confestim ad ingenium, & tribuit ea suis Prælatis, quæ Apostoli nec sibi unquàm ipsi sumpserunt, nec tribuenda sibi censuerunt. Cõfessio Principis dicit impositionem manuum retentam esse ex consuetudine ueteris legis, nec esse mandatam ecclesiæ, sed liberè posse seruari. Sotus autem scribit, hæc temerè dici, cùm ipsi credant, impositionem manuum à Christo esse institutam. Confessio Prin-

cipis fatetur, licere Episcopis, ut cum consensu suæ ecclesiæ ordinationes dierum festorum & lectionum seu concionum ad ædificationem & eruditionem ueræ fidei in Christum instituant. Sotus autem, cùm aliâs non ferè in ore habeat, nisi consensum ecclesiæ, Prælatis suis hac in parte ita fauet, ut det eis liberam potestatẽ, etiam absque consensu ecclesiæ suæ, quidquid statuendi: & si honoris, ut puto, gratia, addit, quod congruat cum doctrina Christi & Apostolorum. Sic enim scribit in Scoriis. Neque Christus, inquiens, præcepit, ut pascant oues Prælati cum earum consensu, sed pro ARBITRIO suo consonè doctrinæ Christi & Apostolorum. Neque cùm Paulus iubet præpositis obedire, addit, in ijs, quæ cum consensu ecclesiæ instituerit &c. Et in Confusione: Credit (inquiens) eadem catholica fides, quòd Episcopis, qui sunt successores Apostolorum, quicq; post illos & magisterio eorum ecclesiam gubernare habent, licet cum prudenti deliberatione & consilio, etiam sine Ampliori Consensu suæ ecclesiæ ordinare ritus & cærimonias, & ad pia quædam sanctáq; opera & exercitia SVBDITOS suos obligare &c. Confessio Principis dicit: Non licere obtrudere Ecclesiæ ritus ueteris legis pro diuino sacro, quo Deus singulariter per se colatur. Sotus autem dicit: Eos ritus, nunquàm, ne quidẽ tempore ueteris legis habitos esse eo loco, ut per se Deo placerent. Confessio Principis affirmat: Non licere uel ueteres ritus legis restaurare, uel nouos comminisci ad adumbrandam ueritatem Euangelio iam patefactam & illustratam. Sotus autẽ contrà affirmat, Siue ex lege, inquiens, ueteri, siue aliunde desumi potest cærimonia quęcunq;, qua ueram fidem adumbramus, & significamus, ut Thus, luminaria, uestes sacrę, & eiusmodi. Confessio Principis dicit: Minimè licere instituere cærimonias aut sacra, quorum meritis expientur peccata, & accipiatur regnum cœleste. Sotus autem contradicit. Nihil possunt, inquiens, Prælati instituere SVA autoritate, quo expientur peccata, uel acquiratur æterna uita, sed BONA opera, quæ ex Christi institutione hoc habent, ut Ieiunia, eleemosynæ, Prælati præcipere possunt, ut expedire uiderint &c. Hæc ferè sunt capita, de quibus in hoc loco inter nos controuertitur.

Quod ergo ad impositionẽ manuum attinet, & si scriptura, quod ego sciam, non dicit manus sacerdotibus in consecratione eorũ impositas fuisse, nec Confessio Principis hoc affirmat, tamen manifestum est è Numeris cap. 8. quòd Leuitæ oblati sint Domino impositione manuũ. Cùm Leuitæ, inquit scriptura, fuerint corã Domino, ponent filij Israel manus suas super eos &c. ac fuit impositio manuum aliâs quoq;, & præsertim in oblationibus uictimarũ usitatissima, nec est dubium, quin & Christus in sanandis ægrotis & Apostoli in conferendis admirandis donis spiritus sancti, & in designandis ministris ecclesiæ, ac in obligandis publicis legatis, ea fuerint usi, non est autẽ uerum, quòd uel Christus uel Apostoli instituerint, & mandauerint eam, tanquàm necessariam cærimoniam, perpetuò in ordinandis ministris ecclesiæ utendam. Vociferatur quidem Sotus, se CREDERE, quòd nõnulla sacramenta, inter quę & impositionẽ manuum numerat, & quorũ uel nulla uel modica (sic enim loquitur) in scriptura fit mentio, certa tamen ecclesiæ traditione & autoritate à Christo sint instituta: in præsentia autẽ non quęritur quid Sotus & fraterculi eius credant. Neq;. n. ex eorũ fide nostra salus pendet, Sed quæritur quid spiritus sanctus in scriptis Propheticis & Apostolicis credendũ doceat, & exigat. Non potest autem Sotus ex his scriptis probare, quòd impositio manuũ sit à Christo ita

instituta

institutа & mandata, ut ea in ordinandis ecclesiæ ministris necessariò sit tenda. Nam conficta & ementita traditiones Papisticæ ecclesiæ nihil ad nos. Non pugnamus quidem cõtra usum ipsum impositionis manuum. Nam & nostræ ecclesiæ solent ea uti. Sed quia filius hominis, Dominus est, sicut Sabbati, ita & unctionis, & impositionis manuum, & uocati sumus ad eam libertatem, qua Christus nos liberauit, & in qua Paulus stare nos iubet, ne iterum iugo seruitutis implicemur, idcircò non usum ipsum, sed mandati & obseruationis eius necessitatem detestamur. Fingamus autem eam à Christo ecclesiæ mandatã: quid? Num putas, quòd mandasset nobis, ut acciperemus eam à ministris Satanæ, & à seruis Antichristi? Certè, qui iubet nos cauere à Pseudoprophetis, iubet etiam nos fugere Satanam & Antichristum. Quare siue Christus eam instituerit, siue non instituerit, non habet Papistica colluuies, quod de ea nos accuset. Nostro domino stamus aut cadimus, imò potius stabiliemur, ut non cadamus. Deinde Sotus dat Prælatis suis liberum arbitrium instituendi in ecclesia ritus & cærimonias, & alia sancta, ut ipse loquitur, exercitia, & ad ea Subditos suos obligandi, etiamsi non consentiant. Etsi enim exigere uidetur, ut ea instituta conueniant cum doctrina Christi & Apostolorum, tamen quia aliàs subijcit doctrinam Christi & Apostolorum, quæ scriptis Propheticis & Apostolicis continetur, expositionibus Traditionum, & Prælatorum suorum, & sui docent, Scripturam ad tempus adaptandam, ac aliter & aliter pro temporum diuersitate interpretandam, non est obscurum, quin subijciendo Prælatos suos doctrinæ Christi & Apostolorum, adhuc relinquat ipsis liberrimam, ac planæ ἀυτοκρά-τορα potestatem statuendi pro ipsorum libidine quiduis, & ecclesiæ tanquàm cœleste mandatum obtrudendi. Sed ut respondeamus, sciendum est, duplices esse Prælatos. Alij enim sunt Prælati Papisticæ ecclesiæ, Alij ueræ ecclesiæ. Siquidem igitur sermo est de Prælatis Papisticæ ecclesiæ, quis nescit, quæ, qualia & quanta sibi ipsi tribuant? Non sunt Ministri, sed Magistri suæ ecclesiæ. Vnde & Sotus uocat ecclesiam eorum, Subditos, SVBDITOS suos (inquiens) obligare. Non sunt creaturæ, sed Creatores. Possunt enim aliquid ex nihilo facere, Possunt ex putrido ligno consecratione sua facere salutare remedium generi humano, soliditatem fidei & redemptionem animarum. Et quid, obsecro, non possunt facere ex aqua, (quam uocant) benedicta? quemadmodum suprà pluribus demonstratum est. Et quid? Nullus etiam hominum habet potestatem eos iudicandi. Et si secum duxerint innumerabilem populum ad Gehennam, nemo tamen audet eis resistere & dicere: Quid facitis? Quare non est mirum, quòd habeant etiam pro sua ipsorum libidine potestatem in sua ecclesia ædificandi, destruendi, & quadrata rotundis mutandi, reclamante licet, non ecclesia tantùm, uerum etiam communi ipso hominum sensu.

Prælati autem ueræ Ecclesiæ, non sunt ecclesiæ suæ Magistri, sed Ministri. Et agnoscunt ecclesiam suam dominam, cui omnia sua officia deferant, cui seruiant, cuius consensu, quæ in publico cœtu decenter & secundum ordinem facienda sunt, constituant. Ac omninò in hoc studium incumbunt, ut & doctrinã Christi, & exemplum Apostolorum, in administranda ecclesia sectentur. Christus ipse, cùm rogaretur à Gadarenis, ut fines ipsorum desereret, nõ uoluit inuitis molestus esse. Et Apostolis suis dixit: Intrantes in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui, & siqui

dem fuerit domus illa digna, ueniet pax uestra super eam. Si autem non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos. Noluit enim Christus, ut Apostoli inuitos pascerent. Petrus non accessit ad Cornelium, & alias gentes, nisi uocatus, hoc est, ad uolentes & consentientes. Nam ubi resistitur, audiunt Apostoli, Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Paulus, ablegatus, cum collegis suis, uenit Antiochiam Pisidiæ, & cùm reiiceretur à Iudæis, noluit sanctum dare canibus, & inuitis pascua uerbi Dei obtrudere, sed conuertit se ad gentes, quæ uerbum Dei obuijs ulnis excipiebant. De ouibus, inquies, loquor, non de lupis: Hi enim relinquendi sunt, sed illæ pascendæ sunt, etiam inuitæ: Vocat autem Sotus, pasturam, institutionem nouarum cærimoniarum, quam collocat in arbitrio Prælatorum. Audiamus ergo Petrum, unum è præcipuis Prælatis. Pasci te, inquit, qui inter uos est, gregem, non ut dominantes aduersus cleros, (hoc est) ecclesiam, quæ est hæreditas Domini, sed exemplaria facti gregis ex animo. Obtrudere autem inuitæ ecclesiæ nouos ritus, quid aliud est, quàm aduersus ecclesiam dominari? Eligendus erat Apostolus in locũ Iudæ Ischariotæ. Fit ergo electio non oratore tantùm Petro, non suffragatoribus tantùm Apostolis, uerumetiam uniuersa ecclesia, quæ in eo loco congregata erat, consentiente & approbante. Eligendi erant diaconi facultatum, quas Christiani contulerant. Eliguntur igitur non Apostolis tantùm, uerumetiam ecclesia eorum consentientibus. Quid pluribus opus? Paulus dicit: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: Omnia, inquam, uestra sunt, Vos autem Christi, Christus autem Dei. Et rursum: Non prædicamus nos ipsos, Sed Christum Iesum Dominum, Nos autem SERVOS uestros propter Iesum. Et cùm hæc, non de alijs tantùm, sed etiam de præcipuis Apostolis, qui immediatè à Christo uocati erant, dicantur, quid sentiendum esset de ijs, qui mediatè per Ecclesiam uocari solent? Si Apostoli ipsi fecerunt eas ordinationes, quas suprà commemorauimus, consentiente ecclesia, alij ne ministri obtruderent sua ipsorum commenta ecclesiæ inuitæ, & dissentienti? Scio ueritatem uerbi Dei adnunciandam esse in ecclesia, etiamsi nonnulli mali offendantur, ac repugnent, Sed instituere pro suo arbitrio in ecclesia publicos ritus & ordinationes, quæ per se sunt indifferentes, qualis est ordinatio dierum festorum, & determinatio certarum horarum ad habendas conciones, & eas inuitæ ac repugnanti ecclesiæ obtrudere, hoc demùm est tyrannicum, & detestandum. Nam quòd Sotus affirmat Apostolos instituisse ordinationem publicorum festorũ, luculentum est mendacium, & insignis impudentia, nisi falsum dixerit historia Socratis, quòd non fuerit institutum Apostolorum de diebus festis sancire, sed rectam uitam & pietatem docere. Ad quod, quid respondeat Sotus, non ignoro, sed id uanius est, quàm quod refutatione dignum sit. Quare, qui sunt pij Ministri ueræ Ecclesiæ, non sumunt sibi hanc licentiam, ut figant ac refigant leges de rebus per se indifferentibus, Sed docent præcepta Dei summa diligentia, & si quid publicè ordinandum est de rebus per se indifferentibus, quod uideatur facere ad ædificationem ecclesiæ, hoc faciendum suscipiunt eorum consensu & approbatione, quorum autoritate ad Ecclesiæ administrationem sunt uocati. Hoc enim uerè est seruire ecclesiæ propter Christum.

Quòd autem Sotus affirmat ritus ueteris legis, ne quidem tempore eius

eius legis, habitas fuisse pro eo cultu, qui per se Deo placeret, Siquidem loquitur de sententia ipsa legis, non est obscurum, quòd Spiritus sanctus non instituerit ritus Leuiticos & cærimoniales, ut essent per se cultus Dei, sed ut uerum Dei cultum adumbrarent, ac præcipuè instituit sacrificia, & quæ ad ea pertinent, ut essent conciones de passione Domini nostri Iesu Christi, ac docerent fidem in Christum, quæ est summus Dei cultus. Si autem Sotus loquitur de hominum, ac præsertim hypocritarum sententia, manifestū est mendacium, quòd tales ritus nunquàm habiti sint tempore ueteris legis eo loco, ut per se Deo placerēt. Illa enim præcipua causa est, propter quam Prophetæ summa seueritate in ecclesiam Israeliticam inuehebantur, quòd celebraret sacrificia, tanquàm cultum Deo per se gratum, & cultores iustificantem. Esaias dicit: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum & agnorum, & hircorum nolui. At enim Dominus hæc, in lege sua, facienda instituit. Quid ergo est, quòd nunc dicit, se ea nolle? Vult quidem ea, ut ex ipsis discant fidem in Christum, quem adumbrant, non autem vult ea, ut faciant ex ipsis sacra, quæ per se Deo placeant, & quorum meritis expient coram Deo peccata sua, & iustificentur.

Oseas dicit: Misericordiam uolui, & non sacrificium, scientiam Dei plusquàm holocausta. Quid ita? An non uis sacrificium, quod in lege tua ipse ordinasti? Volo quidem suo tempore, ad significandum sacrificium unigeniti filij mei Iesu Christi, quo solo expiantur peccata hominum. Nō uolo autem illud legis sacrificium, pro cultu per se homines iustificante, & pro merito, quo homines peccata sua expianda suscipiunt, qualis erat opinio totius propè Israelis.

Hieremias dicit: Holocautomata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes. Quia non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocautomatum & uictimarū. Quid ergo sibi vult liber Leuiticus Mosi, in quo Deus ipse ritus & cærimonias holocaustorum, & uictimarum tanta seueritate præscribit, ut mandet, nihil esse addendum, nihil minuendum? Non est profectò fictitius, sed Israeliticæ ecclesiæ diuino mandato traditus liber. Reijcit autem Hieremias holocausta, non si legitimè fiebant, sed quia tunc illegitimè, hoc est, non ut essent conciones unici holocausti filij Dei, sed ut essent per se cultus Dei, & iustificarent cultores in conspectu Dei, peragebantur. Reijcit ergo non diuinæ legis, sed humanæ impietatis sacrificia, quòd & si faciebant ea, iuxta externos ritus legis, non tamen faciebant ea iuxta ueram sententiam legis, sed iuxta suam ipsorum impietatem, adeoque talem, qualem habent hypocritæ Fraterculi in omnibus penè sacris, & operibus suis. Quare, si respiciamus opinionem hominum, maxima semper pars Israelis, habuerunt ritus legis suæ, non solùm pro cultu, quo Deus singulariter colatur, uerumetiam, quo peccata corā Deo expientur.

Deinde Sotus non est contentus ijs cultibus & sacris, quę uerbum Dei exigit, & filius Dei instituit, sed colligit cærimonias, tam ex ueteri lege, quales sunt, Thura, luminaria, uestes sacræ, & eiusmodi, quàm aliunde, hoc est (ut aliàs haud obscurè significauit) ex ritibus Ethnicorum, quibus adumbret, & significet ueram fidem, ut ipse quidē loquitur, ut ego autem intelligo, Papisticam suam religionem. Equidem haud quaquàm negauerim, quin Asoticis seu Papisticis Prelatis, qua sunt in regno suo antichri

stiano maiestate & potentia, liceat quæ libet sacra, tam ex Iudæorũ, quàm ex Ethnicorum, adeoq; etiam Turcarum religione colligere, & in unum corpus componere, ut ex ijs una illa speciosissima sacrificulorum & fraterculorum religio constituatur. Nec libet mihi in præsentia cum Hieronymo de suis cereis litigare. Nec si quid errauerit Vigilantius, probare. Nõ est ignotum, cui hominũ generi Hieronymus declamationibus suis seruierit. Et non omnia dicta Hieronymi sunt Canonica. Ac si in illo hoc scripto, quo in Vigilantium inuehitur, singula accuratè expenderentur, haud scio, num sibi ipsa constarent.

Sed dicam de Ministris ueræ ecclesiæ. Hi enim, & si multa tolerant, quæ cupiunt emendata, tamen nec instituunt, nec probant eas cærimonias, quæ sumptæ absque manifesto testimonio uerbi Dei, è ritibus, siue Leuiticis, siue Ethnicis, eò usurpantur, ut ijs ueritas Euangelio iam illustrata obumbretur, & Deus singulari honore afficiatur. Audiunt enim uocem filij Dei ex Esaia: Frustrà colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominũ. Hoc dictum non immeritò sudes est in oculis Asoti & omnium impiorum hypocritarum. Deijcit enim, quasi uno impetu, omnia ipsorum hypocritica sacra. Sed quis sit uerus huius dicti sensus, quem queritur Sotus nunquàm à nobis explicari, suprà in secunda huius scripti Peri/copa, copiosè demonstrauimus.

Audiunt & illam filij Dei uocem: Venit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate.

Audiunt & illud Pauli: Nunc cùm cognouerítis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertímini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis? Nam quid sit illud Augustini: Quicquid nõ est contra fidẽ, uel bonos mores, & habet exhortationem aliquam ad pietatem, non solum non est reprehendendum, quum instituitur, sed imitandum etiam, &c. suprà copiosè expositimus. Cõtra fidem enim est, ueteres umbras, pro suo arbitrio, absq; singulari Dei uocatione, in ecclesiam reuocare, & ex eis publica sacra, ad ueritatem iam patefactam contegendam instituere. Nam si liceret ex lege Mosaica, uestes, luminaria, thymiamata, & id genus alia, in ecclesia hisce temporibus, ad cultum Dei instaurare, quid causæ esset, quòd non & circunciſionem carnis, & sacrificia Leuitica in usum reuocaremus, præsertim cùm illa aptissimè adumbraret circunciſionem cordis, hæc autem sacrificium Christi?

Postremò, cùm Confessio Principis dixisset: Non licere Episcopis instituere sacra ad expianda peccata, & ad promerendum regnum cœleste, Sotus admittit quidem Prælatis, ne possint tale quid instituere SVA autoritate, illud autem tribuit eis, quòd possint pro suo arbitrio præcipere bona opera, Ieiunia uidelicet, & eleemosynas, quæ dicit ex institutione Christi habere, quòd expient peccata, & mereantur factoribus æternam uitam. Hic iterum memineris, quòd Confessio Principis loquatur de Episcopis pijs, qui in administratione ecclesiæ sequuntur scripta Prophetica & Apostolica, & non dominantur aduersus gregem, sed sunt exempla gregis ex animo, sicut Petrus ait, ut cùm apparuerit Princeps pastorum percipiant immarcescibilem gloriæ coronam. Sotus autem loquatur de Prælatis Papistícis, ac præcipuè de Pontificibus Romanis. Et tamẽ mirandum est, quòd, cùm aliâs tribuant Romano Pontifici tantam autoritatem & potestatem, ut possit ex nihilo aliquid facere, & contra sacram scripturam dispensare, ac secum innumeras populi cateruas, nullo reclamare audente,

dente, ad gehennam ducere, nunc Sotus adimat ei autoritatem, ut nõ possit instituere aliquid, cuius merito expientur peccata, & acquiratur æterna uita. An non potest recitatione suarum precularum, & consignatione crucium, ex putrido ligno facere redemptionem animarum, & ex aqua, tutelam mentis? Quomodo igitur non posset etiam sua autoritate ex aliquo opere facere, ut esset expiatio peccatorum, & meritum æternæ uitę? Certè, si ad hunc modum, Sote, perrexeris maiestatem Pontificis minuere, parum tibi spei ad consequendum pinguem aliquem Episcopatum relinquetur. Sed quæso te, recense nobis opera illa, quæ ex institutione Christi habent, quòd expient peccata, & mereantur factoribus æternam uitam? Ieiunium, inquis, Eleemosyna, & OMNIA pia opera. Vbi autem Christus hoc docet? Vbi instituit? Cùm facis (inquit) eleemosynã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera, ut sit eleemosyna tua in abscõdito, & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi in propatulo. Hic audio quidem nomen retributionis, & aliâs nomen Mercedis, nõ autem audio nomen expiationis peccatorum, & meriti æternæ uitæ. Varia enim sunt genera retributionis & mercedis, ut non sit necesse, his uocabulis intelligere expiationem peccatorum, & uitam æternam.

Quæ autem encomia eleemosynæ extant in Syracide, in Tobia, & in Daniele, aliâs explicata sunt. Falsum enim est, quòd Christus præter suam passionem & mortem, ullum aliud opus, quantumuis pium, instituerit, cuius merito homines expient peccata, & consequantur æternam uitam. Habemus enim è solius Christi merito expiationem peccatorũ & hęreditatem æternæ uitæ per fidem. Quod cùm Confessio Principis hoc loco recitaret, addit Sotus, Frequenter (inquiens) hanc repetentes CANTILENAM. Cùm igitur, quod est sacrosanctum Euangelion Christi, & potentia Dei ad salutem omni credenti, uocet contemptim Cantilenam, an nõ palàm significat Cainicum, Pharisaicum, & uirulentum suum animum erga Christũ & Euangelion eius, ut non dubitem, quin si consedisset in Synedrio Caiaphæ, & suorum collegarum, primus ipse de Christo exclamasset, Reus est mortis, Quid adhuc egemus testibus? nec ullum ei iucundius spectaculum fuisset, quàm cùm uidisset Christum in cruce manibus & pedibus, tam misere, tam crudeliter perfossum. Sed Deus ipse hanc hypocritici animi uirulentiam iudicabit. Nos in instituto pergemus.

Diximus enim, & iterum atq; iterum dicimus, falsum esse, quòd Christus ullum opus ad expianda coram Deo peccata hominum, & ad promerendam eis sempiternam uitam instituerit, præter solam & unicam suam passionem & mortem. Falsum item est, quòd Christus uirtutem passionis, & mortis suæ bonis operibus ita infundat, ut & ipsa mereantur factoribus expiationem peccatorum coram Deo, & uitam æternam, quemadmodũ in superioribus huius scripti Pericopis clarè, perspicuè & copiosè demonstrauimus. Quare, cùm Sotus docet bona hominum opera habere ex Institutione Christi uirtutem expiandi peccata, & merendi æternam uitam, tot instituit idola adoranda, quot bona opera docet hac fiducia facienda, ut hypocrita maiorem Idolomaniam orbi obtrudat, quàm Ethnici unquàm sint secuti, propterea quòd hi legibus suis certum deorum suorum numerum definierint, Sotus autem, cùm innumera sint bona opera, proponat etiam orbi innumera Idola.

Sed ut inijciat nobis religionem ad præstandum obsequium mandatis & institutis Prælatorũ, recitat illud Pauli: Omnis anima subdita sit pote

ſtatibus ſublimioribus. Et illud: Obedite præpoſitis ueſtris. Quòd igitur ad priusillud Pauli dictum attinet, manifeſtum eſt, quòd Paulus ibi loquatur non de Eccleſiaſtico miniſterio, ſed de Politico magiſtratu. Nec exigit quamuis obedientiam etiam huic politico magiſtratui, abſq; omni exceptione, præſtandam. Cùm enim Magiſtratus impia præcipit, ſcriptum eſt: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Deinde, Miniſterium eccleſiaſticum, non eſt poteſtas ferendarum nouarum legum, ſiue in politia, ſiue in eccleſia, ſed eſt officium prædicandi ueteris uerbi Dei, & adnunciandi Euangelij, quod filius Dei mandauit. Quare ſicut politico magiſtratui impia mandanti non eſt obediendum, ita nec Eccleſiaſtico Miniſtro, fines uocationis ſuæ egredienti, & nouas leges ferenti, aut humanas traditiones pro uerbo Dei obtrudenti, & impia exigenti ulla prorſus obedientia debetur.

Vnde & quod ad Heb. dicitur: Obedite præpoſitis ueſtris, non intelligendum eſt de præpoſitis Papiſticis, qui traditiones ſuas pro certiſsimo fidei fundamento agnoſcunt, ſed de præpoſitis ueræ eccleſiæ Chriſti, qui docent ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & adminiſtrant eccleſiam iuxta uerbum Domini, His, ut ſua debetur reuerentia, ita & ſumma debetur obedientia, non quia ſunt præpoſiti, ſed quia ſinceriter & fideliter docent Verbum Dei, cui omnes creaturæ obedientiam debent.

Hæc habui, quæ ad explicandam & tuendam piam Confeſsionem Illuſtriſsimi Principis, aduerſus impiam Aſſertionẽ & Defenſionem Soti, in præſentia dicerẽ. Non uiſum eſt omnia ſigillatim, quæ ille nugatur, percurrere. Tanta enim eſt impietatũ eius & calumniarum, mendaciorum, tergiuerſationũ, ac deprauationũ ſcripturæ farrago, ut non dies, nõ annus, ſed ætas me deficeret, ſi ſingula, uel pauciſsimis refutanda ſuſciperem.

Nec ego quicquam noui attuli, ſed repetij tantùm ueterẽ doctrinam, quę, tam in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, quàm in libris & ueterum, & recentiorum, eorum uidelicet, qui Auguſtanam Confeſsionem agnoſcunt, iam antea, ad expurgandam hanc Papiſticæ impietatis quaſi ſentinam, extat. Neque enim nouæ & heri tantùm natæ accuſationes ſunt, quibus Aſotus in uerè piam doctrinam, & ſectatores eius inuehitur. Dicit, nos deſeruiſſe eccleſiam, & deceſſiſſe ab eccleſia. Si loquitur de Papiſtica eccleſia, non negamus. Hæc enim non eſt uera, ſed falſa, non eſt Chriſti, ſed Antichriſti eccleſia. Cùm autem agnoſcimus & amplectimur ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & credimus nos per gratiam Domini Ieſu Chriſti (ut Petrus loquitur) ſaluari, quemadmodum tam Patriarchæ & Prophetæ, quàm Apoſtoli, & Gentes, quæ per ſermonem eorum crediderunt, ſaluati ſunt, nõ dubitamus, quin deſerendo Papiſticam eccleſiam, deſeruerimus tantùm colluuiem Annæ, Caiaphæ, Phariſæorum, Sadducæorũ & Scribarum, imò potius cœtum Antichriſti, & coniunxerimus nos cum uera & æterna eccleſia, in qua ſola eſt remiſsio peccatorum, adoptio in filios Dei, & hæreditas cœleſtis regni.

Dicit nos Eccleſiam deſtruere, & à fundamentis euertere. Reſpondeo, quod iam diximus, Si nomine eccleſiæ intelligit ſuam Papiſticam ſentinam, nihil diſsimulo, Vtinam poſſemus eam noſtro officio, uel à ſordibus impietatum ſuarũ totam expurgare, uel ſi id non liceat, radicitus è medio tollere, & in locũ eius uerã eccleſiam Chriſti plantare. Sed quod noſtris uiribus non poſſumus, hoc nõ dubitamus, quin unigenitus filius Dei præſtiturus ſit, ſuo tẽpore, ſpiritu oris ſui, & claritudine aduentus ſui.

Affirmat

Affirmat nos deseruisse ecclesiã, propter malos mores & scelera Prælatorũ. Erras, Sote, erras toto cœlo, aut potius (quia nihil tibi cum cœlo) tota terra. Etsi. n. debemus ex uocatione Dei omnem iniquitatem, & scelera odisse, tamẽ non deseruimus uestram colluuiem, quam uos ecclesiã uocatis, propter externa scelera Prælatorum, quæ tam usitata & uulgata sunt, ut ea autoritatẽ ipsorum, te ipso teste, nõ solum non labefactent, uerumetiam stabiliãt, Sed deseruimus uos, imò expulsi sumũs à uobis, propter uestrã tyrannidem, sęuiciem, crudelitatem, impietatem, Magiam, & Idolomaniam, aut ut uno uerbo dicam, Antichristianismum. Non agnoscitis hos titulos, & epitheta, Agnoscunt aũt scripta Prophetica & Apostolica, cũ uestris Actis & Dogmatis collata, Agnoscit spiritus sanctus, qui ea nunc orbi patefecit, & haud dubiẽ magis est patefacturus.

Vociferaris, nos affectu carnis, & cupiditate licentiæ abijcere disciplinam Monasticam, Ieiunia, & alia, quæ tu pietatis exercitia uocas. Nõ nego, quin nonnulli sua desideria, præsertim in rerum tranquillitate sectentur. Sed si tu putas nostros, qui hanc nostræ Cõfessionis doctrinam uerè & ex animo agnoscunt, morbo magis, q̃ iudicio duci, & pericula sua non intelligere, nę tu de nostro ingenio malignissimè sentias, necesse est. Videmus uestram magnitudinẽ & multitudinem. Videmus uestras uires & potentiam. Videmus uestram amplitudinem, & claritudinem. Nouimus ordinariam uestram, ut uos nobis obijcitis, successionẽ. Nouimus tot uestrorũ Regnorum, tot etiam annorum & seculorum cõsensionem. Nouimus speciosissimum uestræ religionis splendorẽ. Non ignoramus uestra aduersus nòs consilia. Reipsa comperimus uestram in nos sęuiciẽ, alios à uobis propter huius doctrinę professionẽ infamia notatos, alios omnibus suis facultatibus exutos, alios in exilium fugatos, alios ex arboribus suspensos, alios igni crematos, alios capite trũcatos, alios aqua submersos, alios alio, eoq; crudelissimo mortis genere trucidatos. Quid? putásne tu, nos adeo saxeos, adeo ferreos esse, qui & uestra in hoc mũdo maiestate, & uestra aduersus nos immanitate nihil afficiamur, & interea licẽtiam carnis quęramus? Quæ hæc esset non dico stultícia, sed amẽtia? sed furia? præsertim cum sciamus, uos in omnem occasionẽ intentos, ut q̃d sæpe ac multùm deliberastis, ac etiam opere cœpistis, reipsa, pro uestra uoluntate perficiatis. Sed illud nobis accidit, quod Epistola ad Heb. de Mose scribit, Moses, (inquiens) grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, q̃ temporariã habere peccati fruitionem, maiores arbitratus diuitias, probrum Christi, quàm thesauros Aegyptiorum.

Filius filiæ Pharaonis, (hoc est) Ecclesiæ Papisticæ.

Thesauri Aegyptiorũ, pingues præbendæ Papistarum.

Calumniaris nos, perinde ac si sentiamus, doctrinam uniuersæ ecclesiæ esse deprauatam, Apostolicam doctrinã defecisse, Portas inferi aduersus ecclesiam præualuisse, Christũ totam ecclesiam abiecisse, adeoq; nullã ante Lutherum ecclesiam fuisse. Etsi aũt doctrina ecclesiæ aliquoties clarius, aliquoties deprauatius traditur, & ecclesia ipsa, ex qua filius Dei suos cohæredes colligit, nonnunq̃ in his terris illustrior est, nonnunq̃ obscurior, tamẽ sicut nec uera doctrina, ita nec uera ecclesia unq̃ defuit orbi iam inde à condito humano genere. Nam quemadmodum ecclesia non ideo deficit, q; Cain occidat Abelẽ, quòd Thare pater Abrahæ, & Nahor seruiant diis alienis, quòd Ismael persequatur Isaacum, quòd Esau struat insidias Iacobo, quòd Aegyptij opprimant Israelitas, quòd Israelitæ instituant uitulum aureum, quòd colant militiã cœli, quòd mutent sub regibus

Israelis sacra uerbo Dñi prȩscripta, quòd colant Baal, & uitulos aureos, quòd sacrificẽt in mõtibus & uallibus, & sub omni ligno frondoso, quòd sequantur Pharisaicam & Sadduceicam doctrinã, ita non ideo deficit ecclesia, quòd Iudæi crucifigant Christũ filium Dei, quòd Apostoli deserãt Christum, quòd tam Iudȩi q̃ Gentes persequantur Apostolos, & eos, qui per sermonẽ eorȩ in Christum credunt, quòd totus penè orbis adhæreat Arrianæ impietati, quòd Mahumet obtineat maximam propè orbis partem, quòd Antichristus sedeat in tẽplo Dei, & iactitet se esse summum caput ecclesiæ Christi. Quo.n. maiores sunt in his terris, uel afflictiones corporis, uel tenebræ mentis, eo maiori cura conseruat filius Dei suam ecclesiã inuiolatã. Nemo, inquiens, potest oues meas rapere de manu mea. Ac profectò mirari satis non possum, quòd cũ Sotus ipse recitet exemplum Eliæ, non potuerit ex eo cognoscere, Deum solere semper etiam in summa doctrinæ corruptela reseruare sibi sua septem millia uirorum, qui nõ curuant genua sua ante Baal. Quid, quòd & illud Psalmi recitet, Abscondes eos (electos) in abscondito faciei tuæ, â cõturbatione hominum, & tamen nondum intelligat Deum protegere ecclesiam suam â contradictione impiorum hypocritarum? Sed hoc illud est, quod solet accidere ijs, q̃s percutit Dñs amentia, cæcitate, ac furore mentis, ut palpent in meridie, sicut solet cæcus palpare in tenebris. Et de quibus Esaias ait: Audite audientes, & nolite intelligere, uidete uisiõnẽ, & nolite cognoscere. Iam & illud dictum Christi, de ecclesia: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, etsi frequens est in ore Soti, tamen nondũ intelligitur ab ipso, ne quidẽ toties admonito, quòd Christus non loquatur de Ecclesia Papistica, cuius fundamentũ sunt Traditiones, sed de uera ecclesia, quæ fundata est super firmam Petram, quæ est Christus ipse, & super fundamentum Prophetarum ac Apostolorum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Quare, etsi dicimus Papistas esse impios idolatras, tamẽ idcirco, nec cœlum ruit, nec portæ inferi prævalent aduersus eam, de qua Christus loquitur, ecclesiam. Ac si dicendum est, quod res est, uaria quidem sunt genera Portarũ inferi, in hac autem collatione ueræ ecclesiæ cum Papistica, portæ inferi sunt, Missa Papistica, Purgatorium Papisticum, Indulgentiæ Papisticę, Inuocatio mortuorum Papistica, Adorationes statuarũ Papisticę, & quicquid est harum abominationum Papisticarum. Hę portæ inferi, etsi sunt speciosissimæ & ualidissimæ, tamen tantum abest, ut potuerint prævalere aduersus ueram ecclesiã, ut filius Dei non solum priuatim suos electos conseruauerit, uerumetiam publicè excitârit, qui Romanæ Tyrãnidi & impietati contradicerẽt. Sicut in Psalmo dicitur: Dominare in medio inimicorum tuorum. Inter crassissimas.n. Papistarum tenebras, cõseruauit Deus scripta ipsa Prophetica & Apostolica, & Catechismum uulgarem, hoc est, Symbolum Apostolicum, Decalogum, & orationem Dominicam. Hęc uerè est doctrina Apostolica, & hoc organo usus est spiritus sanctus, quo aperuit corda eorũ, qui præordinati erant ad ȩternam uitam, ut huic doctrinæ intenderent & crederẽt. Fieri enim potest, ut qui est â Deo electus, ambulet toto uitę suę tempore in tenebris, & tamen cũ est ipsi ex hac uita excedendum, conuertatur ab omnibus Papisticis meritis, uel ex uno Dei PATRIS, quæ est prima dictio orationis Dominicæ, nomine, uel ex una Passiõis & mortis Christi cõmemoratione, ad Dominum, & uiuat. Quare manifesta & scelerata est calumnia, quòd cùm dicimus Papisticam colluuiem esse impia doctrina corruptã, & Idololatram, traducamur,

mur,perínde ac ſi diceremus, non eſſe relíquam doctrinam Apoſtolicã, Portas inferí prævaluiſſe aduerſus eccleſiam, Chriſtum abieciſſe eccleſiã, & nullam ante Lutherum fuiſſe eccleſiam. Cæterùm,ut Sotus uírulentiã animi ſui,& líbidinẽ calumniandi magís teſtificetur,non poteſt,uel petí/tionem emendationís quarundam rerum, æquo animo ferre,ac ne quíd obſcurítatís in hac controuerſia relinquatur,homo diſertus ſcilicet,& ſin gularis in cognoſcendis myſteríjs iudicíj, diſtinguit doctrínam de pœ/nítentia & iuſtificatione in duo quæſtionũ,ut ípſe loquítur, genera,quo/rum alterꝝ dicit eſſe de nomínibus & uocibus,uídelicet ſignificãs,níſi fal/lor,hoc quæſtionum genus non eſſe niſi λογομαχίαν, & contentionem grammaticam. Et ad hoc genus refert ílla dogmata.

1 Nos ſola fide Iuſtificari.

2 Peccatum orígínale manere poſt peccatum.

3 Nulla noſtra opera iuſta eſſe ſic,ut poſsínt coram tribunali Dei ſtare.

4 Nullam eſſe ſatisfactionem,nullum meritũ aliud, quàm ſolam Paſsi onem & ſatifactionem Chriſti.

De his axiomatís exiſtímat Sotus ínter nos & Papíſtas nõ eſſe níſi bel lum grammaticale. Nec quicquam aliud(ínquit)afferunt ílli, q̃ díuerſita/tes quaſdam nominum. Quíd igítur dícemus? Si de his tantùm eſt contẽ tio grammatica,& uos diſcordatís à nobis ſolummodo uerbís,non item Sententíjs,cur illam propoſitionem,Iuſtificamur ſola fide,tam publicè q̃ priuatim dãnatis? cur docetis palàm,neceſſaríũ eſſe, ut ad meritum Chrí/ſti,accedat & meritum cuiuſq; proprium? Et ſi eſt tãtum grãmatica rixa, cur adeo crudeles,adeo ímmanes eſtis, ut nos propter grãmaticæ ueſtræ ignorationem tam horríbiliter trucidetis? Nímis certè graues & ſeueras imperitiæ pœnas damus,ſi tanto ſupplício propter díuerſitates quaſdam nominum ſumus afficiendi. Sed ne erres,Sote. Inter nos quidem, & uete res ſyncériores Scriptores,multò mínus inter nos & ſacram ſcripturam, nullam iudicamus eſſe de his dogmatís,quæ paulò antè ſunt commemo rata,cõtrouerſiam. Probamus enim noſtram ſententíam, tam ſacræ ſcrí/pturæ,q̃ multorum ueterum ſcriptorum teſtimoníjs. Inter nos autem,& uos Papíſtas,ſacrificulos,fraterculos,adeoq; oẽs ímpios hypocritas,ſum/ma eſt de his controuerſia,eaq; non uocabulorum,ſed rerum. Nos è ſcrí/ptura docemus,q; iuſtificemur,hoc eſt,habeamus remiſsíonem peccato rum coram Deo per ſolam fidẽ,propter Chriſtum. Vos aũt docetis nos habere iuſtificationem ſeu peccatorum remiſsionẽ,non ſola fide propter Chriſtum,ſed etiam propter uirtutes,& bona noſtra opera. Hæc non eſt λογομαχία,ſed πραγματομαχία. Nos docemus,quòd in baptíſmo remitta/tur nobis peccatum orígínale reatu quídẽ, ſed nõ actu, quemadmodũ in prima pericopa copioſè eſt expoſitum. Vos aũt docetis, quòd in baptíſ/mo peccatum originale ita remittatur,ut non reliquatur niſi fomes qui/ſpiam,& inclinatio ad malum. Hęc non eſt grammatica,ſed Theologica contentío. Nos docemus, Nulla noſtra opera tam iuſta eſſe, ut poſsímus íjs coram tríbunali Dei confidere. Vos autẽ docetis,quòd non poſsímus tantùm,uerumetiam debeamus coram iudício Dei noſtris bonis operí/bus confidere. Nos docemus,quòd ſola Paſsío Chriſti ſit expiatio pecca/torum noſtrorũ coram Deo. Vos aũt docetis, quòd non ſola Paſsío Chrí ſti,ſed etiam bona noſtra opera, & paſsiones noſtræ expíent coram Deo peccata. Nos docemus meritum Paſsionís & mortis Chriſti,applicarí no bis tantum per fidem. Vos aũt docetis applicationem fieri per omnia bo/

na uestra opera. Hæc non est uocabulorum sed rerum controuersia. Quæ est igitur illa cognitio, quod iudiciũ, affirmare eam causam, in qua maximè omnium dissidemus, non esse, nisi rixam de uocabulis? Et talibus scilicet fraterculis, deferendum esset iudicium de dogmatis nostræ religionis. Sed de priori quæstionum genere hactenus. Alterum genus est eorũ, quæ iam sunt, (Sic enim loquitur Asotus) de re. Et in hoc genere collocat ea quæ sequuntur, uidelicet.

1. An enumeratio peccatorum necessariò debeat fieri in Ecclesia sacerdoti.

2. An ieiunia & aliæ satisfactiones imponendę, (recito enim uerba Soti) & acceptandæ.

3. An recogitatio peccatorum in amaritudine animæ, & anxius ille dolor pro peccatis sint necessaria & exigenda.

4. Denique alia omnia pia opera eleemosynarum & orationum, quàm sint Deo grata, & ad æternam beatitudinem q̃ sint nobis utilia, &c.

Has res uocat Sotus grauissimas, & dicit nostram salutem ex eis magna ex parte constare.

Quid autẽ, quæso, frigidius, quid magis hypocriticè, quid magis Pharisaicè, breuiter, quid magis Papistícè dici potest? Quod à quouis Ethnico, Iudæo, Turca, adeoq; impijssimo quóq; homine præstari potest, hoc ponit hypocrita inter res grauissimas, & inter eas, è quibus salus nostra magna ex parte constet. Quod aũt est summum & caput pię doctrinæ, & quo solo Christiani discrimen habent à reliquis gentibus, & cuius solius cognitione ac fide ęternam salutem cõsequimur, uidelicet, de Iustificatione fidei in Christũ, de imperfectione humanæ iusticiæ, ac de merito Passionis & mortis Christi, hoc uanissimus homo reijcit in quæstiones grãmaticas. Quis, obsecro, Turca, si uelit, non potest, etiam naturalibus suis uiribus, sacrificulo cuipiam peccata sua enumerare? Quis impius Iudæus non potest peccata sua in amaritudine animæ suæ recogitare & dolere, sicut Cain, Esau, Ahitophel, Iudas Ischariotes & innumeri alij? Quis Epicureus nõ potest, si uelit, humanis tãtum suis uiribus, nullo singulari Spiritus sancti dono adiutus, aliquot obolos in eleemosynam expendere, & aliquot preculas recitare. Et tamen Sotus hęc doctrinæ capita, in summo fastigio Christianismi ita collocat, ut ijs, quæ sunt maximè omnium prę-
cipua, nullum penè locũ in Theologica schola, hoc est, in ipsa Christi Ecclesia relinquat, sed reijciat ea ad scholam tantùm grammaticã. Et quid? Afficit etiam piam doctrinam de certa fide apprehẽdente Christum insigni contumelia & blasphemia. Scribit enim: In quibus, (inquiẽs) si fiat cor-
„ rectio, quam illi uolunt, quid aliud erit, q̃ ut à manifestandis peccatis libe-
„ ros reddamus omnes, nulla curetur satisfactio, nullum ieiunium, mini-
„ ma habeatur ratio doloris & contritionis, ut sine ijs omnibus certa fide,
„ præter hæsitationẽ credant omnes, sibi remissa peccata, ex sola fide appre-
„ hendente Christi meritum, & post mortẽ statim se euolaturos in cœlum.
Hactenus Asotus. Sed quid cõtumelioſius, quid magis blasphemum audires à Mahumetista quodam, aut Thalmudista, deridente & subsannante piam doctrinam de uera fide in meritum Christi? Quid enim? Num, si quis confiteretur peccata sua, non Sacrificulo, sed Deo ipsi in corde suo, & non expenderet certum ac prescriptum numerum obolorum in eleemosynam clamatoris mendici, sed iuuaret suis officijs proximum quacũq; occasione, nec ieiunaret certis diebus usq; ad meridiem, sed duceret sem-

per

per ſobriam uitam, nec fingeret ſibi humanum dolorem, qualem ſibi fingunt hypocritæ, propter peccata, ſed ingemiſceret ex animo, cum publicano, & diceret, propicius eſto mihi peccatori. Interea autem crederet præter hæſitationem peccata ſibi remiſſa, certa & ſola fide apprehendente meritum Chriſti, num abijciendus eſſet in infernum, etiamſi non præſtitiſſet tua illa hypocritica & Phariſaica opera? Imò, dicam, quod plus eſt, Si quis omnibus ſceleribus coinquinatus fuiſſet, & iam moriturus, confiteretur ſe certiſsima fide, abſque hæſitatione credere, quòd habeat Remiſsionem peccatorum omnium propter ſolum meritum Chriſti, & ſe Chriſtum ſolum expiatorem & mediatorem ſuum agnoſcere, num mittendus eſſet ad orcum, & non potius permittendum, ut quod in noſtro eſſet miniſterio, rectà in cœlum euolaret? Non ignoro quæ ſit ueſtra Phariſæorum & hypocritarum ſententia. Neque enim uel Publicanum illum, quæ præ ſe Phariſæus in templo faſtidiebat, neque mulierem illam peccatricem, quæ Simoni ſordebat, abſolueretis, niſi prius promiſſa ueſtra Phariſaica pœnitentia. Sed bene habet, Chriſtus adhuc uiuit & regnat, qui ut publicanum & mulierem peccatricem abſque omni ueſtra ſatisfactione, gratis abſoluit, ita quotquot credunt in ipſum, quòd ſolus ipſe ſit peccatorum eorum expiator, non ſolum gratis à peccatis ſuis abſoluit, uerumetiam adoptat eos in filios & cohæredes cœleſtis Regni. Quæ autem doctrina, noſtrá ne Prophetica & Apoſtolica, an ueſtra Phariſaica, hypocritica, Papiſtica, & ut ita dicam, traditionaria laxet frena cupiditatibus, Quantúm ue boni aut mali ueſtra illa Cõfeſsio, quam Sacramentalem uocatis, in Eccleſiam intulerit, non eſt huius loci pluribus explicare. Illud in præſentia dixiſſe ſufficiat, quòd ueſtra Phariſaica doctrina, & Papiſtica Confeſsio ſit ſchola peſsimorum quorumque ſcelerum, & magiſtra omnium impietatum, quod & publicis teſtimonijs comprobatum extat, & ipſa rerum experientia docet.

Poſtquàm autem Sotus reiecit petitionem confeſsionis de emendatione doctrinæ in pœnitentia & iuſtificatione, reijcit etiam eam in uſu Sacramentorum. Itaque ut ſciamus nobis non niſi cum mendace Sycophanta negocium eſſe, commemorat luculenta mendacia & calumnias. Dicit, nos uelle, ut matrimonium tractetur ut humanus omnino contractus. Hoc eſſe manifeſtum mendacium, teſtatur Confeſsio ipſa in capite de Coniugio. Etſi enim docemus, quòd liceat Coniugium inire in illis gradibus conſanguinitatis & affinitatis, quos Politicæ leges permittunt, tamen perſpicuè additur, quòd Coniugium non ſit humanus omnino contractus, ſicut Sotus loquitur, ſed ſit genus uitæ DIVINITVS inſtitutum, & approbatum, ac myſterium magnum in Chriſto & Eccleſia.

Dicit, nos petere, ut Sacramentum ordinis nullum ſit, ſed ſufficiat, ut populus nominet miniſtros. Eſt & hoc purum putum mendacium. Confeſsio enim manifeſtè dicit, quòd non ſit permittendum, ut quiſquam ſine legitima uocatione uſurpet publicum miniſterium in Eccleſia. Et addit dictum Pauli: Omnia honeſtè & decenter fiant inter uos. Ac iterum: Nemini cito manus imponas. Quid igitur ſibi uult tanta mentiendi libido? Dicit nos in adminiſtratione Baptiſmi & Euchariſtiæ reijcere omnia, quæ ab Apoſtolis per totum orbem ſemper ſeruauit Eccleſia, (Sic enim loquitur) Eſt & hoc non obſcurum mendaciũ. Etſi enim ea reijcimus, quæ uel Maiores uel Minores, abſq; ulla autoritate Apoſtolo-

rum, in Ecclesiam introduxerunt, tamen nunquàm reiecimus ea, quæ certò scimus Apostolos in administratione Baptismi & Cœnæ Dominicæ, tradidisse Ecclesiæ per uniuersum orbem. Apostoli tradiderunt baptisandum esse, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Tradiderunt Cœnam Dominicam totam dispensandam esse non ministris tantùm Ecclesiæ, uerumetiam Laicis. Et hæc illa sunt, quæ uera Ecclesia per totum orbem semper obseruauit, quæ & nos semper obseruanda docemus. Nam, quæ absque testimonio scripturæ, ab alijs sunt adiecta, & Apostolis falsò adscripta, suis autoribus relinquimus.

Sed nondum est finis cauillationum Soti. Cùm enim Confessio petijsset emendationem cœlibatus Ministrorum Ecclesiæ, addit Asotus uir insigni castitate, quòd honestius dixissemus corrigendam immundiciam & inhonestatem Ministrorum Ecclesiæ. Scilicet, cùm exigitur pia emendatio cœlibatus ministrorum Ecclesiæ, non exigitur iuxta Sotum, correctio immundiciæ & inhonestatis eorum. Quæ hominis uel insulsitas, uel cæcatio? An, qui exigit, ut Ministris Ecclesiæ concedatur honestum & legitimum Coniugium, non exigit, ut immũdicia & inhonestas eorum corrigatur? An Coniugium genus uitæ est immundum, & inhonestum? Sed hos hypocritæ furores suprà refutauimus. Et cupit quidem ipse, ut antiqua Ecclesiæ seueritas in probanda honestate & moribus eorum, qui ordinantur (ut ipse loquitur) restituatur, Sed quo euentu Veteres sua illa decreta de cœlibatu, exegerint (si modò unquàm in ijs exigendis, tantam seueritatem exercuerunt, quantam uerba præseferunt) res ipsa ita testatur, ut multi sentiant Zodomam magis pudicam fuisse, quàm colluuiem Papisticorum Sacrificulorum, & Fraterculorum. Et ô prudentem & excellentem honestatis patronum, miratur & exprobrat nobis, quòd cùm petimus emendationem doctrinæ, usus Sacramentorum, & cœlibatus, non etiam faciamus mentionem de frenanda auaricia, usuris, & illicitis contractibus reijciendis, de luxu & tyrannide eorum, qui sunt in potentatibus, (Sequor enim uerba Soti) frenanda. Et in Ecclesia, De Simonia, de auaricia & ambitione, de ebrietate, periurijs, blasphemijs, cæterisque pernicioſisimis uicijs populi, quæ tam impunè committuntur in Ecclesia, emendandis &c.

Vt autem omnes cognoscant, quanto animi candore scilicet, Asotus hæc recitet, addit, Timuerunt fortè, ne si illa dicerent, & Principes suos & populos offenderent. Sed ne bonus uir uideatur incautus & incircumspectus, mauult credere, nos præ nostris erroribus, quibus nihil magis cordi habeamus, omnium aliorum oblitos esse. Rogas uerò, quid malim ego credere? Quid? Illud uidelicet, Sotum tanta esse mentis hebetudine, ut ne quidem uulgarem officij rationem intelligat. Ac profectò non tam piget quàm pudet me homini tam furioso respondere. Sed seruiendum fuit Ecclesiastici ministerij uocationi. Confessio igitur Principis habuit iustas & legitimas causas, cur maluerit pauca illa, quàm plura recitare, quæ emendarentur.

Primùm enim, pauca illa, de pœnitentia, de iustificatione, de usu Sacramentorum, & de cœlibatu ministrorum Ecclesiæ, sunt præcipua capita, de quibus hoc tempore controuertitur. Et si doctrina horum capitum, emendata in Ecclesia extiterit, non est dubium, quin, autore spiritu sancto, omnes hi, qui ad ueram ecclesiam pertinent, ex ea resipiscant, mores suos emendent, ac honestissimam uitam ducant. Qui enim eruditus

fuerit,

fuerit, in agenda uera pœnitentia, & in cognoscenda uera iustificatione iuxta Prophetica & Apostolica scripta, & eam doctrinam fideli corde exceperit, teneri non potest, quin uitam suam emendet, & omnibus boni ac pij hominis officijs studeat. Et qui rectè utitur Sacramento Cœnæ Dominicæ, fidè sua ita confirmatur, ut etiam ad sectanda uerè pia opera inflammetur. Quòd si præterea Minister Ecclesiæ non sordidauerit doctrinam impudicitia, scortatione, & alijs sceleribus, sed ornauerit eam exemplo honesti coniugij, & alijs uirtutibus, nihil deerit Ecclesiæ, (quod quidem ad externum eius ministerium attinet,) ad resipiscentiam & uitæ emendationem. Quæ est igitur insulsitas & dementia tua, Sote, quòd cùm Confessio Principis petit emendationem doctrinæ de pœnitentia, de iustificatione, de usu Sacramentorum, & de cœlibatu, non intelligas his paucis capitibus includi petitionem aut potius optionem emendationis omnium eorum uiciorum, & scelerum, quæ ubiuis in humano genere obtinuerunt. Deinde, Confessio Principis in hoc conscripta est, ut exhiberetur Synodo Tridentinæ, & occasionem daret conferendi cum reliquis, de ijs articulis, de quibus est publica in doctrina Religionis controuersia. Ea enim Synodus, quod quidem ego sciam, maximè omnium illo consilio instituta fuit, ut si fieri posset, iniretur aliqua ratio, qua hoc Religionis dissidium, quot iam tot annis in Christiano orbe uagatur, componeretur, & publica tranquillitas constitueretur. Nulla autem est de ijs sceleribus, quæ Sotus commemorauit, publica inter nos controuersia. Omnes utrinque fatemur, auariciam, illicitos contractus, luxum, tyrannidem, ambitionem, Simoniam, (quæ sunt peculiaria uicia Papisticæ Ecclesiæ,) ebrietatem, periuria, blasphemiam, & innumera alia, horrenda esse scelera, & detestanda, & quoquo modo fieri potest, è medio tollenda. Quod est in nostris Principibus, uideo eos publicis suis legibus huic emendationi non deesse. Quod est in nostris Ministrorum Ecclesiæ concionibus, cohortationibus, & obiurgationibus, spero bonos & pios uiros hac in parte nihil desiderare, atque utinam nonnulli in reprehendendis alienis uicijs paulò essent & moderatiores, & prudentiores. Etsi enim conquerimur ipsi, quòd nostris admonitionibus parùm promouere uideamur, tamen ueræ Ecclesiæ non deest nostrum officium, ut magna pars nostrum illud Pauli, ad presbyteros Ephesios, alacri conscientia usurpare queat: Contestor uos hodierna die, quòd mundus sim à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus adnunciarem omne consilium Dei. Quid igitur est, quod Sotus adhuc queritur? Et quid est, quod hac in parte exigit? Num uoluit talem quandam orationem à nobis audire? Reuerendissimi Patres, petimus obedientissime, ut Reuerendissimæ uestræ Paternitates præbeant nobis benignissimas aures. Vos quidem habetis Spiritum ipsum sanctum præsentissimum, & estis ordine Melchisedec, Patriarchatu Abraham, sacerdotio Aheron, adeóque unctione Christus ipse. Principes autem illi prophani, & populi eorum, sunt nebulones pessimi, sunt auari, ambitiosi, usurarij, Tyranni, scortatores, adulteri, ebrij, periuri, blasphemi, & quod est longè omnium nefandissimum, detinent adhuc in sua potestate Regna & principatus, quorum uos estis legitimi hæredes. Quæsumus igitur Reuerendissimi Patres, ut primùm omnium tradatis eos Satanæ & Angelis eius, Deinde autem con-

feratis consilia, qua ratione fieri posset, ut regna & principatus eorum patrominio Petri adijciantur, & impleatur uaticinium Esaiæ, Gens & regnum, quod non seruierit tibi sanctissimo uicario Christi, peribit. Et illud Danielis: In diebus illis, suscitabit Deus cœli Regnum Romani Pontificis, & Hierarchiæ eius, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Ac rursus: Regnum & potestas, & magnitudo regni, quę est subter omne cœlum, detur populo Sanctorũ altissimi, (hoc est) sanctissimorum Pontificũ, cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges osculabuntur ei pedes, & seruient ei. Tale quid uoluit fortasis Sotus à nobis in Confessione Principis audire, & fuisset ipsis iucundius carmine omnium luscinijarum. Sed quia uisum est commemorare ea, quæ & necessaria erãt, & ad præsens institutum faciebant, calumniatur Sycophancta, Timuerunt fortè (inquiens) ne si illa dicerent, & principes suos, & populos offenderent. Quid Sote? Meministi ne, quam personam repręsentandam susceperis? Quæ scribis, ea scribis, ut tu quidem professus es, nomine Ecclesiæ Catholicæ, hoc est, ut ego intelligo, nomine Papæ, Cardinalium, omnium Prælatorum, Regum & Principum, qui adhuc stant à uestra Papistica Ecclesia. Hoc igitur tuo dicto, quo calumniaris nos, quòd metu magis Principum & populorum nostrorum, quàm iudicio & officio, commemorationem aut potius accusationem publicorum criminum intermiserimus, primum omnium palàm significas, nostros Principes, qui huic nostræ doctrinæ, quam in hac Confessione profitemur, fauent, esse talibus criminibus obnoxios, qualia tu recitasti (hoc est) esse auaros, usurarios, corrumpentes illicitis contractibus totum mundum, luxuriosos, tyrannos, ebriosos, peiuros, blasphemos, & quid non? Nisi enim iuxta sententiam Soti, tales essent, quid nos timuissemus, ne eos commemoratione tantorum scelerum offenderemus? Deinde exigis à nobis, ut accusemus eos talium ac tantorum criminum, non in priuato quodam hominum conuenticulo, sed in publica & uniuersali Synodo, idque in scripto Confessionis, quæ ad posteritatem transmitteretur. An hæc non est honesta scilicet postulatio? an non prudens consilium? Quos enim Principes horum criminum accusaremus? Principes (inquit) SVOS. At præter unum nostrum Principem, Illustrissimum ducem Vuirtenbergensem, nulli alij Principes nos iusserant Confessionem conscribere. Quid igitur? Nũ accusaremus eos, qui nos ad id officij non uocauerant, & quorum domestici mores nobis sunt ignoti? Quid amplius? Num, cùm nobis conscribenda esset Confessio, nomine Illustrissimi nostri Principis, recitaremus etiam catalogum eorum scelerum, quæ de se suo Princeps ipse nomine, coram Synodo, falsò cõfiteretur? Etsi enim, quod mihi est experientiæ, Princeps ea est & pietate & modestia, ut humanam suam imbecillitatem coram Deo agnoscat, & salutem suam non ê meritis suarum uirtutum, sed è solo merito Domini nostri Iesu Christi petat, tamen non dubito, quin si eum publicè accusaremus illorum scelerum, quæ Sotus iubet nos de nostris Principibus coram Synodo commemorare, non solum sani, uerumetiam insani homines, iudicarent nos prodigiosè insanire.

Quos autem populos accusaremus? Scio multa & magna esse uulgi scelera, Sed quid ea coram Synodo recensseremus? Nũ in cõtrouersia est,

an

an ea scelera, sint scelera? Num Synodus habet alia remedia, quibus tantis malis mederi liceat, quàm officium Politici Magistratus, & ministerium Ecclesiastici Pastoris, quæ utraque sunt iam diuino beneficio priusquàm Synodus cõuocaretur, in quauis honesta & pia politia apud nostros constituta? Quare stupenda est & execranda stulticia atque insulsitas Soti, quòd audeat in medium prodire, & nomine Catholicæ suæ Ecclesiæ innocentem Principem maximorum criminum publicè accusare, & à nobis exigere, ut præter institutum Synodi, & nostram uocationem, ea quæ in præsentem controuersiam non uenerunt, impudenter reciteremus.

Sed pergamus. Asotus recipit se de ijs rebus fidei nobiscum quieto, & pacifico animo, & cùm modestia inquisiturum, ac rationem redditurum. Audiamus ergo pacificum eius animum, audiamus modestiam eius, qua nos homo ille, singulari cãdore seu excipit, seu à se dimittit. Vos, inquit, pessimi schismatis & confusionis omnium, quæ in Ecclesia sunt, semina spargitis, dum nec certam Ecclesiam, nec certum Põtificem, nec denique certos Iudices controuersiarum fidei, & dubiorum scripturæ Sacræ admittitis.

Vos estis Aërianì.
Estis Iouinianistæ.
Estis Vigilantij discipuli.
Ambulatis cum Aërio, Iouiniano, Pelagio &c.

Hic est pacificus animus Soti, hæc est modestia eius, qua nobiscum de dogmatis Christianæ fidei confert. Ac de his quidem hæreseon criminationibus, aliàs satis respondimus. Neque enim statim hæresis est, quod Hieronymus pro suo arbitrio hæresin iudicat. Ac solent aliquoties scriptores suæ potius causæ, quàm ueritati seruire, & aduersarijs adscribere, quod ipsis nunquàm fortasis in mentem uenit. Nam hæresis proprie est, ut quidem his temporibus hoc uocabulo utimur, non quod pugnat cum huius aut illius sententia, sed quod pugnat cum sententia Spiritus sancti, quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis extat. Quòd aũt dicit, nos, non admittere nec certam Ecclesiã, nec certum Põtificem, nec certos Iudices controuersiarum fidei, manifesta est calumnia. Etsi.n. negamus Papisticã Ecclesiam esse ueram ecclesiã, & Papam esse uerum Vicarium Christi, & Papistica Concilia esse pia Concilia, num idcirco negamus certam esse Ecclesiam, certum Pontificem, certos Iudices controuersiarum fidei? Nam quæ sit uera & certa Ecclesia, suprà copiosè exposuimus. Certum autem Pontificem profitemur Iesum Christum sedentem ad dexteram Dei, & gubernantem suam ipsum Ecclesiam. Certos iudices profitemur Prophetas, & Apostolos, qui sententiam Spiritus sancti clarè & perspicuè nobis in scriptis suis Propheticis & Apostolicis exposuerunt. Et libenter agnoscimus piorum & eruditorum iudicia, si quod iudicauerint, testimonijs Sacræ scripturæ comprobauerint, quod ne ipsi quidem aliter exigunt. Falsa igitur est criminatio Soti, qua uociferatur, nos spargere semina schismatis & confusionis omnium quæ sunt in Ecclesia, nisi fortè Paulus sparsit semina schismatis, cùm reiectus à Iudæis, maledicentibus uiæ Domini, (quod & Papistæ facere solent) segregauit ab eis discipulos, & docuit in schola Tyranni cuiusdam.

Postremò, ut Sotus, uel tandem manum de tabula tollat, facit apo-

ſtrophen ad Illuſtriſsimum noſtrum Principem, ac initio quidem contumelioſè uociferatur, DECIPERIS, FALLERIS, Indoctus es, inexcuſabilis, incogitans, inconſideratus. Nam his & alijs id genus epithetis celebrat Sotus nomen Principis: & cum de ea re Fraterculus à me in præfatione Prolegomenorum ad Principem admoneretur, tantum abeſt, ut agnoſcat ſuam impudentiam, ut etiam contẽdere audeat, ſe talibus acclamationibus Principem magna laude ornaſſe. Qua Soti uanitate, cùm nihil ſit futilius, & putidius, mirabor, ſi honeſtus quiſque uir teneri poſsit, quin eam non ex animo deteſtetur.

Deinde, poſtq̃ uociferatus eſſet, palàm eſſe, nos diſceſsiſſe ab Eccleſia, hortatur Principẽ, ut aut maneat in antiqua, (ſic enim loquitur) proauorum & anteceſſorũ eius fide, aut ſaltem de noſtra doctrina dubitet, quòd illa antiqua fides habeat teſtimonia multitudinis, tam maiorum, & minorum Principum in Germania & uniuerſo orbe Chriſtiano, q̃ tot Eccleſiaſticorum Patrum: noſtra autem ſit noua, erronea, hæretica, & damnata. Quò igitur nos uertemus? Siquidẽ Fraterculo tam inepto, tam impudẽti, tam furioſo fides eſt adhibenda, quid nobis poteſt eſſe miſerius? qui abominabilius? quid deteſtabilius? Sed uiuit adhuc Chriſtus filius Dei, qui ſedens ad dexteram Dei Patris ſui hęc omnia uidet, ac iudicabit. Viuunt etiam adhuc honeſti, & pij quiq; homines, qui de noſtra doctrina longè aliud teſtimonium dicent. Nam quòd Fraterculus obijcit Celſitudini tuæ, Illuſtriſsime Princeps, fidem maiorum ac proauorum tuorũ, qui pietatem ſuam inſtitutione magnificorum Monaſteriorum teſtati ſint, exiſtimat fortaſsis, nos rerum diuinarũ tam imperitos eſſe, ut inter tenebras ſuperioris ſeculi, & lucem horum temporũ diſcernere nõ queamus: ſed ſentiamus manum Domini ita abbreuiatam eſſe, ut etiamſi reſeruauerit ſibi quondam in medio Baalitarũ, ſeptem millia uirorum, qui in publica impietate non perierunt cum alijs, tamen non potuerit ſibi hactenus in medio Papiſtarum aliquos ſeruare, qui à fraterculis ſeducti, uel tandem conuerſi ſint ad Dominum, & in fiducia ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti ex hac uita exceſſerint. Inter hos autem, mirando modo, in tenebris ſuperioris ſeculi diuinitùs ſeruatos, ſperamus Maiores & Proauos Tuæ Celſitudinis haudquaquam poſtremum locum tenere, præſertim cùm Deus ipſe uideatur de hac re cœleſte teſtimonium ferre, quòd Illuſtriſsimum Principem, fœlicis memoriæ, Ducem Vlricum, Tuæ Celſitudinis parentem, per uarios caſus, per tot rerum diſcrimina iactatum, uera piæ doctrinæ cognitione ornauerit. Deinde Tuam quoq; Celſitudinem ea luce ita illuſtrauerit, ut quem affectum pietatis Maiores & Proaui tui, inſtitutione Monaſteriorum & eccleſiarum conteſtati ſunt, tu iam delectu uerè pio abſoluere pergas. Illi enim ſignificârunt his inſtitutis ſuam uoluntatem, quòd cupiant, quoquo modo poſsint, gloriam nominis Dei illuſtrare, & Eccleſiam filij Dei iuuare. Quod igitur illi in uotis habuerunt, nunc his temporibus à Tua celſitudine complerí diuino beneficio cœptum eſt. Monaſteria enim ita inſtaurantur, ut ijs & honeſti ac docti uiri præficiantur, & in ijs adoleſcentes bonæ ſpei, in doctrina uerè pia ad ſuſcipiendum ſuis temporibus publicũ eccleſię miniſteriũ erudiãtur. Quod inſtitutũ, ut eſt uerus uſus Monaſteriorũ, ita uera eſt ratio iuuandę eccleſię, & illuſtrandæ glorię nominis Dei. Cũ igitur is tam pius ſit euentus inſtituti Maiorũ huius ducatus, ſperamus Dominũ clementer eos reſpexiſſe, & in medio Papiſticarum tenebrarum exitio, ſaluos cõſeruaſſe.

Nam

Nam quòd Sotus antiquam ſuam fidem, & multitudinem ſuorũ iactat, ſæpe iam & multùm demonſtratum eſt, quæ ſit fides uerè antiqua, uidelicet non Papiſtica illa, quam Fraterculi ſectantur, & quam conficta Papiſtarum traditiones commendãt, ſed quam docent ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Itaq; cùm Sotus obtrudit nobis ſuam antiquam fidẽ, & ſuorum multitudinem, uidemur ueterem illam, et uulgarem ac muliebrẽ uocem audire, quæ extat apud Hieremiam, cap. 44. Sermonem, inquiunt, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed facientes faciemus omne uerbum, quod egreditur de ore noſtro, ut ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus NOS, & PATRES noſtri, REGES noſtri, & PRINCIPES noſtri, in urbibus Iuda, & in plateis Hieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & benè nobis erat, malumq; non uidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.

Hoc eſt, Miſſas in honorẽ beatæ Mariæ uirginis celebrare.

Quod autem toties audimus à Soto, Nouatores, uidemur nobis audire uocem illam Athenienſium de Paulo. Videtur, inquiunt, adnunciator eſſe Nouorum dæmoniorum. Sed quòd obtrudit nobis multos maiores, & inferiores Principes, tam in Germania, quàm in uniuerſo Chriſtiano orbe, ſimiliter, tot doctores mortuos, & uiuentes, qui noſtræ doctrinæ contradicant, planè illud ipſum eſt, quod Iudæi Paulo reſpondẽt. De ſecta, inquiunt, iſta notum eſt nobis, quòd ubiq; ei contradicitur. Et Paulus ipſe ait: Oſtium mihi apertum eſt magnum & efficax, & ADVERSARII MVLTI.

Ac tandem, cùm miſer homo, & ridiculus orator, ne ipſe quidem uanis illis, & anilibus argumentis, de antiquitate ſuæ fidei, & multitudine nobis contradicentium, multùm fideret, hortatur Principem ad dubitationem. Sit ſaltem, (inquit) dubium apud te, in hac confeſsione, eſſe errores ab eccleſia damnatos. Et mox: Poſſet uerum eſſe, quod ueſtri dicunt, negantibus nobis & ſanctis Patribus. Sed quomodo eſſe poterit certum & indubitatum? Hactenus Sotus.

Hæc, ut eſt uſitata Papiſtarũ impietas, ita iam inde ab initio orbis propagata eſt in omnes incredulos. Cùm enim ſerpens ſuſciperet Euam ſeducendam, Primùm omnium ſollicitabat eam ad dubitationem, num quod præceptum erat de non ueſcendo pomo arboris ſcientiæ boni mali, uerè eſſet præceptũ Dei? Nos aũt habemus ſcripta Prophetica & Apoſtolica, de quibus ſicut certi ſumus, quòd uerè ſint oracula ſpiritus ſancti, & quòd in ipſis ea quæ ad noſtram æternam ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, clarè & perſpicuè contineantur, ita non dubitamus, quin manifeſtis teſtimoniis eorum omnis Papiſtarũ impietas & Idolomania refutetur, & condemnetur. Quare in hoc ſtudium tota mente incumbamus, ut ex his ſcriptis, inuocato Deo Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Spiritu ſancto, fidem noſtram cõfirmemus, & in ea, aduerſus omnem magnitudinem & multitudinem hominum, adeoq; aduerſus omnes portas inferorum, conſtanter perſeueremus. Quod clementer largiatur nobis Deus cœleſtis Pater, qui ſicut ſumma ſua bonitate patefecit nobis Chriſtum filium ſuum, ut uocẽ eius audiamus, ita haud dubiè perget patefacere Antichriſtum, hoſtem ſuum, ut nobis ab eo caueamus, & Solam Chriſti Domini propiciatoris, & redemptoris noſtri uocationem ſequamur. τέλος.

Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἀνθρώποις εὐδοκία.

vo. Et dixit dns ad me.

auf dñe ne elongauis auxiliū

ut protegam me ppter inimicos

Hip fuuiam. de ano ofa

Germinabit in diebus eius iustus
& multitudo pacis donec
non sit luna.
Et dn̄abit̄ a mari usq; ad mare
& a flumine usq; ad
terminos orbis terrę.
Ante eū procident aethiopes
et inimici eius puluerē lingent.
Reges tharsis & insulę munera
offerent reges arabię & saba
tributum conferent.
Et adorabunt eū om̄s reges
uniuersę nationes seruient ei.
Quia eruet pauperē a potente
& inopem cui n̄ est adiutor.
Parcet inopi & paupi & animas
pauperum saluabit.
Ab usura & iniquitate redimet
animas eoꝝ & preciosus erit
sanguis eoꝝ corā oculis eius.
Et uiuet & dabit̄ ei de auro
saba et adorabunt de eo iugit̄
totadie benedicent ei.
Et erit memoriale triticū in
terra in capita montiū eleua
bitur sicut libani fructꝰ eius
et florebunt de ciuitate
sicut foenum terrę.
Et erit nomen eiꝰ in ęternū ultra
solē ꝑseuerabit nomen eius.
Et benedicent̄ in eo om̄s gentes.

Orietur in diebus eius iusticia
et habundantia pacis donec
auferatur luna.
Et dominabit̄ a mari usq;
ad mare & a flumine usq;
ad terminos orbis terrarū.
Corā illo ꝓcident ęthiopes et inimi
ci eius terram lingent.
Reges tharsis & insulę munera
offerent reges arabum et
saba dona adducent.
Et adorabunt eū om̄s reges
om̄s gentes seruient ei.
Quia liberabit pauꝑē a potente
& pauꝑē cui n̄ erat adiutor.
Parcet pauꝑi & inopi & animas
pauperū saluas faciet.
Ex usuris & iniquitate redimet
animas eoꝝ & honorabile
nomen eorū coram illo.
Et uiuet & dabit̄ ei de auro
arabię & adorabunt de ipso sēꝑ
totadie benedicent ei.
Erit firmamentum in terra in
summis montiū suꝑ extolletur
super libanū fructus eius
et florebunt de ciuitate
sicut foenum terrę.
Sit nomen eiꝰ benedictū in scl̄a
ante solē ꝑmanet nomen eius.
Et benedicent̄ in ipso om̄s tribꝰ t̄rę.

Orietur in diebus eius iusticia
et habundantia pacis
donec extollatur luna.
Et dominabit̄ a mari usq;
ad mare & a flumine usq;
ad terminos orbis terrę.
Corā illo ꝓcident aethiopes & ini
mici eius terrā lingent.
Reges tharsis & insulę munera
offerent reges arabū et
saba dona adducent.
Et adorabunt eum om̄s reges t̄rę
om̄s gentes seruient ei.
Quia liberabit pauꝑē a potente
& inopē cui n̄ erat adiutor.
Parcet pauꝑi & inopi & animas
pauperū saluas faciet.
Ex usuris & iniquitate ~~redimet~~ liberabit
animas eoꝝ et pręclarum
nomen eoꝝ coram ipso.
Et uiuet & dabit̄ ei de auro
arabię et orabunt de ipso sēꝑ
totadie benedicent ei.
Erit firmamentū in terra in
summis montiū suꝑ extollet̄
fructus super libanum
et florent de ciuitate
sicut foenum terrę.
Sit nom̄ eius benedictū in scl̄a
ante solē permanet nom̄ eius.
Et benedicent̄ in ipso om̄s tribꝰ t̄rę.

3895 1e tom.